3.

BILLUART

THEOLOGIA

JUXTA MENTEM D. THOMÆ

MORALIS

TOMUS II

TYPOGRAPHIE FIRMIN-DIDOT ET C^ie^. — MESNIL (EURE).

SUMMA

SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA

SIVE

CURSUS THEOLOGIÆ

JUXTA MENTEM DIVI THOMÆ

INSERTIS PRO RE NATA DIGRESSIONIBUS IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM

OPERA ET STUDIO

F. CAROLI RENATI BILLUART

REVINIENSIS, ORDINIS FF. PRÆDICATORUM, S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ETC.

EDITIO NOVA, ACCURATE EMENDATA

Accedunt index testimoniorum ex bibliis desumptorum indexque generalis et alphabeticus rerum atque verborum

---

TOMUS V

DE FIDE; DE REGULIS FIDEI; DE SPE ET DE CHARITATE

PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BONAPARTE, 90

—

1904

TRACTATUS

DE FIDE.

Divus Thomas, 2 2, a. Q 1 ad 16.

DISSERTATIO I.

DE OBJECTO FIDEI.

D. Th. Q. 1.

ARTICULUS I.

Quodnam sit objectum fidei?

Fides varie sumitur: 1° pro fidelitate in promissis servandis, Rom. 3; 2° pro conscientia, ibid. 5; 3° pro fiducia, Jacobi 1; 4° pro veracitate, seu inclinatione dicendi verum, Jerem. 7; 5° pro ipsa doctrina et objecto fidei, Act. 6; 6° pro virtute supernaturali, qua credimus veritatibus a Deo revelatis, et quæ definitur ab Apostolo, Heb. 11, *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Verum, cum quilibet habitus a suo objecto specificetur et inde ejus natura dignoscatur, Auctor hunc tractatum ab objecto fidei incipit, de ipso fidei habitu, infra q. 4, acturus; cui methodo inhærens,

Præmitto 1° in omni potentia vel habitu triplex distingui objectum, materiale, formale quod, et formale quo seu sub quo. Materiale, est id omne circa quod versatur potentia vel habitus; formale quod, est id quod per se et ratione sui attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur; objectum formale quo, seu sub quo, est id mediante quo objectum formale quod attingitur. Exemplum poni solet in potentia visiva: objectum materiale sunt omnes res visæ; formale quod, color; formale quo, lux.

Præmitto 2° triplicem in Deo distingui veritatem, scilicet in essendo, in cognoscendo et in dicendo. Veritas in essendo, quæ dicitur transcendentalis, est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est et a falsis diis distinctus; veritas enim transcendentalis non addit aliquid ad essentiam, sed est ipsa essentia cum habitudine ad intellectum. Veritas in cognoscendo est infinita Dei sapientia, qua cognoscit omnia prout sunt. Veritas in dicendo est summa Dei propensio ad dicendum verum; et dicitur veracitas, qua fit ut neminem fallere velit aut possit, sicut ratione infinite sapientiæ falli non potest.

2. 2. q. 1. a. 1. o. — *Dico* 1° Objectum formale quod, seu, ut alii vocant, objectum atttributionis fidei, est prima veritas in essendo, seu Deus ipse ut Deus excedens rationem naturalem: quod addo, quia Deus, ut auctor naturalis, potest lumine naturali cognosci independenter a fide.

Ibid. et ad 1. et 2. — *Prob.* Illud est objectum formale quod alicujus habitus, quod principaliter ab eo attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur: sic sanitas est objectum formale quod medicinæ, quia principaliter a medicina attingitur et ejus ratione cætera, pulsus, urina, medicamina, etc. attinguntur. Atqui prima veritas in essendo, seu Deus, ut verus Deus, est id quod principaliter a fide attingitur, cætera autem, ut quæ pertinent ad humanitatem Christi, ad sacramenta et quæcumque alia in sacris Scripturis contenta, attinguntur in ordine ad Deum, tanquam ad id quod præstantissimum est inter omnia, et ut magis ac magis cognoscatur. Ergo.

Confirmatur. Fides est virtus theologica et intellectualis: ut virtus theologica, habet Deum pro objecto formali quod; per hoc enim virtutes theologicæ ab aliis distinguuntur: ut virtus intellectualis, habet verum pro objecto formali quod; objectum enim formale quod intellectus est verum: ergo habet pro objecto formali quod Deum verum.

1. Pars. ibid. o. — *Dico* 2° Objectum formale quo, seu sub quo fidei, est prima veritas in dicendo, seu divina veracitas reve-

lans; connotans primam veritatem in cognoscendo, seu infinitam Dei sapientiam.

Prob. prima pars. Objectum formale quo fidei in communi est veracitas dicentis; in hoc enim distinguitur assensus fidei ab assensu scientifico, quod motivum assensus fidei sit auctoritas dicentis; motivum autem assensus scientifici sit veritas principii ex quo elicitur conclusio. Ergo objectum sub quo fidei divinæ est veracitas Dei dicentis et revelantis.

Prob. secunda pars. Fides est certa et infallibilis: ergo debet niti motivo infallibili. *Subsumo.* Atqui veracitas divina revelans non habet quod sit infallibilis nisi connotet infinitam Dei sapientiam: ergo. *Prob. min.* Ut veracitas divina revelans sit infallibilis, non sufficit quod fallere non possit ex malitia, sed requiritur quod etiam fallere non possit ex ignorantia, adeoque quod Deus ipse falli non possit cognoscendo: atqui quod Deus falli non possit cognoscendo, provenit ex ejus infinita sapientia, qua cognoscit omnia prout sunt, sine ulla falsitatis admixtione. Ergo.

Dico 3° Objectum materiale adæquatum fidei est omne revelatum a Deo, primario Deus ipse, cætera secundario.

Prob. Objectum materiale adæquatum alicujus potentiæ vel habitus est id omne quod potest attingere, ut subest suo objecto, seu rationi formali sub qua: sic omne corpus coloratum est objectum materiale adæquatum potentiæ visivæ, quia potest illud attingere, ut subest luci quæ est ejus ratio formalis sub qua. Atqui fides attingit omne revelatum, ut subest veracitati Dei revelantis quæ est ejus objectum formale sub quo, *ut dictum est*, Deum tamen primario, cætera secundario, *ut* etiam *dictum est conclusione prima.* Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *contra primam conclusionem.* Omne quod subest objecto formali quo alicujus habitus vel potentiæ pertinet ad ejus objectum formale quod: atqui omne revelatum subest objecto formali quo fidei, *ut patet:* ergo non solum Deus, sed omne revelatum est objectum formale quod fidei. *Prob. min.* ex aliis habitibus et potentiis. Sic, quia abstractio ab omni materia est jectum formale quo metaphysicæ, non olum Deus, sed omne ens prout abstractum ab omni materia, est objectum ejus formale quod: sic, quia lux est objectum formale quo potentiæ visivæ, non aliquod particulare coloratum, sed omne coloratum ut subest lucri, est objectum formale quod potentiæ visivæ. Ergo.

R. D. maj. Omne quod subest objecto formali quo alicujus habitus, pertinet ad objectum ejus formale quod, si attingatur ab illo habitu principaliter et ratione sui, *C.* si minus principaliter et ratione alterius, *N.* Fides autem, quæ est virtus theologica, Deum principaliter et ratione sui attingit, cætera revelata ratione Dei et in ordine ad illum. Unde, quamvis substent rationi ejus formali sub qua, non pertinent nisi ad objectum ejus secundarium et materiale, seu, ut alii dicunt, extensionis: et hinc est disparitas ab exemplis oppositis; in metaphysica namque et in potentia visiva non est aliquid principale quod per se primario et ratione sui attingitur, et ratione cujus cætera attinguntur, sed omne ens abstractum a materia per se et independenter ab alio attingitur a metaphysica, similiter omne coloratum lucidum a potentia visiva. E contra, in medicina, v. g. quia corpus sub ratione sanitatis attingitur principaliter et ratione sui, cætera vero, ut pulsus, urina, medicamenta, etc. attinguntur minus principaliter et ratione corporis sanandi, ideo hæc quamvis substent eidem rationi formali sub qua medicinæ, sunt tamen tantum ejus objectum secundarium et extensivum, solum autem corpus ut sanabile objectum formale quod.

Inst. 1° Si Deus de se nihil revelasset, sed de aliis tantum, remaneret fides, sicut si per impossibile Deus non esset, remaneret metaphysica. Ergo.

R. D. ant. Remaneret fides ejusdem rationis ac ea quæ nunc est, *N.* non enim tunc fides foret virtus theologica; diversæ rationis, *C.* Remaneret autem eadem metaphysica, quia, *ut dictum est*, non considerat Deum ut quid principale ratione sui, et cætera ratione illius, sed omne ens ut abstractum ab omni materia.

Inst. 2° Multa revelantur in S. Scripturis quæ non referuntur ad Deum, ut quod Salomon haberet concubinas, quod esset rufus, quod Tobias haberet canem, canis ipse caudam, et multa alia. Ergo.

R. N. ant. Deus enim hæc etiam

tissima revelando extollit infinitam suam sapientiam et summam veracitatem, quæ nec in minimis deficere potest.

Obj. 2° *contra eamdem.* Si Deus sub ratione deitatis esset objectum formale quod fidei, fides esset nobilior charitate, quod est contra Apostolum: ergo. *Prob. sequela.* Fides haberet nobilius objectum; quia essentia deitatis est quid nobilius bonitate, quæ est tantum deitatis attributum, et quod est objectum formale quod charitatis. Ergo.

R. N. sequelam. Ad probat. D. ant. Fides haberet nobilius objectum in ratione entis, *C.* in ratione objecti, *N.* Quia objectum charitatis est divina bonitas ut est in se, objectum vero fidei est deitas prout in intellectu recipitur per revelationem obscuram: ita enim exigit natura utriusque potentiæ voluntatis et intellectus, quod cognitum sit in cognoscentes et voluntas amans in amato; nobilitas autem potentiæ seu habitus desumitur ab objecto, non in ratione entis, sed in ratione objecti formaliter considerato.

Cætera quæ opponuntur laborant in æquivoco, in quantum adversarii non satis distinguunt inter objectum formale quod et formale quo, et per objectum formale simpliciter intelligunt motivum assentiendi, non objectum assensus: nos vero motivum assentiendi dicimus objectum formale quo; objectum vero ipsius assensus, objectum formale quod: unde quæstio est de nomine.

Obj. 3° *contra primam partem secundæ conclusionis.* Objectum formale quo fidei, seu, quod idem est, motivum assensus fidei, est id in quod ultimo resolvitur assensus fidei: atqui id in quod ultimo resolvitur assensus fidei, non est prima veritas in dicendo, sed prima veritas in essendo seu deitas: ergo. *Prob min.* Quærenti cur credas mysteriis fidei, v. g. Deum esse trinum, recte respondes. Quia Deus revelavit, et ulterius quærenti cur credas Deo revelanti, recte iterum respondes. Quia est prima veritas in dicendo: sed tandem quærenti cur Deus sit prima veritas in dicendo, nihil aliud restat respondendum, nisi quia Deus est, seu prima veritas in essendo. Ergo.

R. N. min. Ad probat. D. ultimam partem ant. Nihil aliud restat respondendum, nisi quia Deus est, assignando causam rei, *C.* assignando causam assensus, *N.* Equidem, ideo Deus est verax seu primo veritas in dicendo, quia Deus est; at non ideo credo mysteriis fidei, v. g. Deum esse trinum, quia Deus est, seu prima veritas in essendo, sed quia verax est; assensus enim fidei (quod diligenter est observandum) non est discursivus sed simplex, et in solo testimonio dicentis sistit, alioquin non est amplius assensus fidei: sic dicenti mihi Romam existere, assentior quia verax est, et ibi sistit fides; si autem ascendas et ulterius quæras unde verax est, jam excurris extra fidem. Similiter ergo quærenti cur credam Deo revelanti, recte respondeo quia verax est, et ibi sistit fides seu assensus fidei, nec nisi fatue posset quæri cur credam veritati seu veracitati. Si autem ulterius quæras cur Deus sit verax, jam respondebo, non ut fidelis, sed ut theologus, quia Deus est.

Inst. 1° Non solum credimus Deo ut primæ veritati in dicendo, sed etiam credimus Deum esse primam veritatem in dicendo: ergo debet assignari aliquid aliud divinum, propter quod assentior fide divina huic propositioni, *Deus est prima veritas in dicendo*, quod non videtur aliud quam prima veritas in essendo; si enim aliam revelationem assignes, itur in infinitum; ut enim assentiar huic secundæ revelationi, debebit dari altera revelatio, et sic in infinitum. Ergo.

R. N. conseq. Quia, sicut lux seipsam manifestat, nec per aliam lucem, sed per seipsam videtur, ita revelatio divina, quæ est lux fidei, seipsam manifestat, nec indiget alia revelatione seu medio: divinum testimonium, inquit Auctor q. 14, de Verit, a. 8, ad 2, *Primo et principaliter est de seipso, consequenter de aliis.* Neque tamen ideo fides nostra amittit laudem, quia revelatio non est clara, sed obscura: non enim videmus Deum revelantem, nec revelationem activam connotantem mysteria revelata; quapropter ad assensum fidei requiritur pia motio voluntatis, unde habet laudem, *ut infra dicemus.*

Inst. 2° Non possum credere Deo revelanti, nisi prius credam Deum existere: ergo credo Deum existere propter aliud quam propter revelationem.

R. N. ant. Revelatio enim non solum seipsam et revelata, sed etiam revelantis existentiam manifestat, sicut loquela Petri non solum seipsam et Petri conceptus, sed etiam ejus existentiam manifestat.

Neque tamen ex his inferas inutilem esse propositionem Ecclesiæ discernentis revelata a non revelatis; quia Deus non semper unicuique per se immediate revelat sicut revelavit Prophetis et Apostolis, sed ordinarie mediante Ecclesia, cujus est ideo proponere revelata et a non revelatis distinguere : unde in eam fit ultima resolutio fidei nostræ tanquam in regulam proponentem credenda, non tamen tanquam in motivum assentiendi credendis, *ut dicam* art. seq. Unde sit

ARTICULUS II.

In quod fit ultima resolutio seu analysis fidei nostræ?

Quæstio sic communiter proponitur; sed perinde est ac si quæras quodnam sit motivum fidei; quod potest intelligi dupliciter, vel de motivo assentiendi revelatis, vel de motivo seu regula discernendi quæ sint revelata. Primum controvertitur inter Catholicos, quorum quidam existimant propositionem Ecclesiæ ingredi saltem partialiter motivum credendi revelatis. Secundum controvertitur inter Catholicos et hæreticos, qui volunt motivum et regulam discernendi revelata esse S. Scripturam, vel privatum cujusque spiritum, hoc est afflatum Spiritus sancti, unicuique intelligentiam S. Scripturarum inspirantis.

Dico 1° Motivum credendi et assentiendi revelatis, est auctoritas et veracitas Dei revelantis, non Ecclesiæ testimonium seu propositio.

Prob. prima pars ex secunda conclusione articuli præcedentis. Motivum credendi revelatis, est objectum formale quo fidei; dicitur enim objectum formale quo habitus, quod est medium et motivum attingendi objectum formale quod, *ut patet ex dictis :* atqui veracitas Dei revelantis est objectum formale quo fidei, *ut dictum est :* unde, quærenti cur credam Deum esse trinum, recte respondeo, Quia Deus qui revelavit est verax.

Prob. secunda pars. Propositio seu testimonium Ecclesiæ nullo modo pertinet ad objectum formale quo fidei. Ergo. *Prob. ant.* 1° Quia est aliquid creatum ; nihil autem creatum ingredi potest objectum formale fidei, sicut nec spei et charitatis alioquin non forent virtutes pure divinæ et theologicæ. 2° Sic se habet propositio revelatorum per Ecclesiam respectu fidei, sicut se habet propositio bonitatis respectu amoris ; sicut enim voluntas non potest amare objectum nisi propositum et cognitum, ita intellectus non potest credere nisi sibi proponantur revelata : atqui propositio bonitatis respectu voluntatis et amoris, non est ejus objectum formale, sed tantum applicatio objecti et conditio sine qua non : ergo similiter propositio revelatorum per Ecclesiam respectu intellectus et fidei.

Dico 2° Regula discernendi revelata, non est S. Scriptura, neque spiritus privatus, sed sola Ecclesia.

Prob. prima pars. Regula discernendi revelata a non revelatis debet esse incorruptibilis, alias exoneret errori : atqui S. Scriptura non est incorruptibilis, corrumpi enim potest et quotidie corrumpitur, sive ex incuria typographorum, sive malitia hominum : unde ex illa nihil certi erui potest quamdiu ab Ecclesia non proponitur ut authentica et ut continens revelata. Ergo. Idem dicendum est de Symbolo, quod, cum sit S. Scriptura, etiam est obnoxium corruptioni, et aliunde non continet omnia revelata, sicut nec S. Scriptura.

Confirmatur. S. Scriptura in multis est obscura : ergo debet assignari alia regula sensum ejus verum et legitimum eruendi.

Prob. secunda pars. 1° Regula dccernendi revelata a non revelatis debet esse certa et non dubia : atqui Spiritus Dei unicuique afflatus non est certus, sed dubius; Calvinistæ enim negant esse in Lutheranis, Lutherani in Calvinistis, utrique in Catholicis. 2° Regula sufficiens discernendi revelata a non revelatis debet posse dirimere controversias in hac materia : atqui privatus spiritus cujusque non solum non potest controversias circa revelata et non revelata dirimere, sed e contra ex eo nata sunt sequi continuo schismata et dissensiones, non secus ac si in civilibus unusquisque constitueretur judex in propria causa : dicat enim Calvinista ex suo privato spiritu, hunc articulum esse revelatum, negabit Lutheranus, negabit et Catholicus ex suo pariter privato spiritu : quis dirimet controversiam ? quis poterit alterum instruere et convincere ? Et hinc tot sectæ sibi contrariæ inter ipsos hæreticos. 3° Hic non agitur de revelatione privata, quam Deus extraordinarie potest alicui privato facere, sicut fecit olim prim is

parentibus, Patriarchis, Prophetis et Apostolis, in quo casu lumen interius datum, vel ipsa immediata revelatio foret regula discernendi credendum, sed agitur de revelatione communi toti societati fidelium, ideoque propositio debet esse communis et non privata. De hac utraque parte plura vide tract. seq. dissert. 3, a. 6.

Tertia pars sequitur ex dictis, et probatur tum ex notis Ecclesiæ et motivis credibilitatis, de quibus infra, *tum ex S. Scripturis*, ex quibus habemus Ecclesiam esse a Spiritu sancto directam et infallibilem : Matth. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* 1 Timoth. 3 dicitur *Columna et firmamentum veritatis*, Matth. 28 : *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Unum habent quod opponant hæretici, nempe nos committere circulum in fidei nostræ resolutione: nam, inquiunt, credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ et credimus auctoritatem ecclesiæ propter revelationem.

R. 1° nos credere auctoritatem Ecclesiæ, non solum propter revelationem, sed etiam et primario propter notas ipsius Ecclesiæ et motiva credibilitatis: unde ex hac parte nullus est circulus. 2° Etsi credamus auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem, non sub eadem ratione sub qua credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, sed sub diversa. Credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ, ut applicantis ipsam revelationem; credimus autem auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem seu veracitatem divinam, tanquam propter motivum formale assensus, et sic in diverso genere causæ. Ordinarium autem est quod causæ sint sibi invicem causæ in diverso genere : sic ignis pendet ab applicatione tanquam a conditione ut comburat, et applicatio a virtute combustiva ignis tanquam a causa efficienti : *ex quo patet* circulum nostrum ex hac parte esse materialem tantum et non formalem ac vitiosum, de cujus ratione est quod sit ab uno ad aliud et vicissim, sub eadem ratione.

Hæc dupley responsio familiari et vulgari exemplo nuntii deferentis litteras regis solet explicari. Quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur ejus indicia; ubi de illa constat, acceptantur litteræ regis propter veracitatem nuntii : at contentis in litteris regis creditur, non propter veracitatem nuntii, sed propter veracitatem regis; et si in litteris regis asseratur veracitas nuntii, ea firmatur atque magis creditur propter veracitatem regis. Applica casui : Ecclesia proponit hoc et istud esse a Deo revelatum : de veracitate et infallibilitate Ecclesiæ nobis constat ex ejus notis atque motivis credibilitatis, ob quam acceptatur et creditur hæc esse in S. Scripturis vel traditione revelata; ipsis autem revelatis in S. Scriptura vel traditione contentis credimus propter veracitatem Dei revelantis : et quia in S. Scripturis continetur veracitas et infallibilitas Ecclesiæ, illam ulterius et firmius credimus propter auctoritatem et veracitatem Dei revelantis. Hinc vides notitiam veracitatis Ecclesiæ, licet per S. Scripturam firmetur, ab ea tamen non pendere necessario; nascente enim Ecclesia, non erat S. Scriptura, et tamen nota et certa erat veracitas Ecclesiæ, sed primitus habetur ex ejus notis et motivis credibilitatis, licet per S. Scripturam confirmari non diffiteamur; sicque ex una parte nullum esse circulum, et ex alia non esse circulum formalem et vitiosum in quo reditur ad idem sub eadem ratione : sicut e contra contingit in ipso spiritu privato hæreticorum; dicunt enim se scire hanc S. Scripturam esse veram, quia id ipsis dictat spiritus privatus; et dicunt se scire se habere spiritum privatum, quia id dicit S. Scriptura.

Inst. Juxta hanc solutionem, sequitur quod certitudo fidei nostræ non sit summa et divina : *Prob. illatio.* Pendet tanquam ab antecedente a veracitate Ecclesiæ, quæ primitus habetur tantum ex notis et motivis credibilitatis : atqui certitudo consequentis mensuratur et sumitur ex certitudine antecedentis. Ergo.

R. N. illationem. Ad probationem. E. min. Certitudo consequentis mensuratur et sumitur ex certitudine antecedentis in notitia discursiva, *C.* Sic certitudo conclusionis desumitur et mensuratur ex certitudine antecedentis ex quo eruitur. In notitia simplici qualis est notitia fidei, *N. Patet* in ipsa notitia principiorum, quæ est simplex, principia enim non probantur. Quamvis magister plura præmittat præambula, exempla, paritates, suppositiones et alia, ut ea discipulis exponat, iis semel expositis et notis, intellectus certo assentitur, quamvis

præambula non fuerint certa, sed tantum quandoque probabilia, quandoque falsa; neque enim propter illa assentitur principiis, sed propter perspectam eorum veritatem. Similiter in casu: præcedit propositio Ecclesiæ tanquam præambulum explicans quid sit revelatum; hoc semel explicato et supposito, intellectus assentitur revelato, non propter Ecclesiam proponentem, id enim est quid extrinsecum assensui fidei, sed propter veracitatem Dei revelantis, sicut dicebamus superius assensum præberi contentis in litteris regis, non propter veracitatem nuntii, sed regis.

Urgebis. Cum Ecclesia omnibus proponat revelata, quare ergo unus credit et non alter?

R. id oriri 1° quia, non obstante propositione revelationis per Ecclesiam, ipsa revelatio et res revelatæ remanent obscuræ, et ideo requiritur pia motio voluntatis per gratiam, ut applicet intellectum assensui; 2° quia plures non satis attendunt ad notas Ecclesiæ proponentis et motiva credibilitatis: sicut enim in discutiendis præambulis ad notitiam principiorum de quibus supra, requiritur aliquod lumen naturale, sic in dijudicandis certo notis Ecclesiæ et motivis credibilitatis, ultra lumen naturale requiritur aliud supernaturale, cujus illustrationi plures claudunt mentis oculos. Hæc materia redibit dum de Ecclesia.

Ex dictis in utroque articulo exurgit difficultas practica: quomodo salvatur fides in pueris et rudibus? Hi enim plerumque non credunt propter veracitatem Dei revelantis, neque hoc Deum revelasse quia Ecclesia proponit, sed ut plurimum credunt ob dictum pastoris aut parentum, vel quia alii credunt, parati tamen aliud credere si alii aliud crederent.

R. quod si revera ita sit, eorum fides non sit divina: ad idque sedulo debent attendere parochi et confessarii; sunt enim plurimi qui formulas fidei, spei, charitatis, contritionis, etc., recitant more psittacorum, significationem terminorum non apprehendentes.

Attamen non sunt statim condemnandi tanquam vera fide carentes, qui interrogati de motivis fidei, ex ingenii tarditate, expedite et explicite non respondent se credere propter auctoritatem Dei revelantis, et se scire Deum hoc revelasse, quia Ecclesia, quæ est infallibilis, ita proponit: si enim respondeant aliquid ista virtualiter et implicite continens, puta, se credere ut salvi fiant, quia ista est vera fides, quia Deus jubet ita credi, et hoc se scire quia pastores ut ministri Ecclesiæ ita docent et ita tenent reliqui fidelium, aut quid simile, præsertim si ut plurimum christiane vivant, et ita tenaciter fidei adhæreant ut etiam pro illa mori non dubitarent, videntur habere fidem divinam. Adde quod Deus possit supplere per lumen interius quædam quæ desunt ex parte Ecclesiæ proponentis, ut contingit apud infideles, qui credunt missionariis prædicantibus, quamvis non videant motiva credibilitatis sicut nos. Cæterum meminerint pastores in suis instructionibus non solum exigere a pueris formulas fidei, sed insistere et sæpius interrogare cur credant. Idem de spe, charitate, contritione, etc.

Petes utrum revelationes privatæ pertineant ad fidem?

R. Revelationes privatæ de rebus quæ ordinantur ad Deum ut auctorem supernaturalem, pertinent ad fidem ut est virtus theologica, non ut est catholica.

Ratio primæ partis, quia ad rationem fidei ut est virtus theologica requiritur tantum quod habeat Deum pro objecto formali quod, et veracitatem Dei revelantis pro objecto formali sub quo, quod hic reperitur; propositio autem Ecclesiæ est quid extrinsecum et accidentale fidei ut est virtus theologica, *ut patet* in angelis in via, primis parentibus, Patriarchis, Prophetis et Apostolis, qui habuerunt fidem theologicam absque propositione Ecclesiæ.

Ratio secundæ partis est, quia fides catholica, hoc est universalis, versatur tantum circa veritates universales et communes toti Ecclesiæ et per Ecclesiam proponendas: unde, si Deus alicui particulari revelaret aliquid spectans religionem, iste particularis teneretur credere, non alii, etsi juraret id sibi esse revelatum; quia non proponeretur ab Ecclesia quæ est Catholicis regula discernendi revelata, *ut dictum est*.

ARTICULUS III.

Utrum fidei possit subesse falsum?

Quæstionis sensus est duplex: primus, utrum fidei possit subesse falsum ex parte Dei revelantis, hoc est, utrum Deus etiam de potentia absoluta possit per se vel per

aliquem mentir. seu dicere falsum? Quamvis enim mentiri et dicere falsum distinguantur in Deo, tamen unum necessario sequitur ex alio; si enim Deus dicat falsum, mentitur, quia, cum omnia sciat, loquitur aliter quam sciat et contra mentem. Priscillinianistæ, qui volebant mendacium esse licitum, ut suum tuerentur errorem, dicebant Deum non solum posse mentiri, sed etiam de facto aliquando mentiri: posse autem de potentia absoluta tenuerunt quidam, sed pauci ex Catholicis.

Secundus sensus quæstionis est, utrum possit fidei subesse falsum ex parte credentis, hoc est, utrum possit ex fide divina elicere assensum falsum seu credere aliquid esse verum et a Deo revelatum, quod non est verum nec a Deo revelatum?

Q. a. 3. o. — *Dico* 1° Deus non potest etiam de potenta absoluta per se vel per alium mentiri aut dicere falsum.

Prob. prima pars, quod non possit per se, 1° ex S. Scripturis. Num. 23, dicitur: *Num est Deus quasi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.* Ex quibus verbis habemus quod non possit magis mentiri quam mutari; non potest autem etiam de potentia absoluta mutari, ergo nec mentiri. Item Joan. 3, Rom. 3, 1 Joan. 2. Sed clarissime Apostolus Hebr. 6, ubi dicit: *Volens Deus abundantius ostendere immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles* (scilicet promissionem et juramentum), *quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus:* ubi aperte loquitur de potentia absoluta, alioquin non haberemus *firmissimum solatium:* si namque Deus posset mentiri de potentia absoluta, locus esset dubitandi ne in promissis hac potentia usus fuerit.

At dices non petere principium et supponere quod est in quæstione: quæritur enim utrum Deus sit verax, et ut probemus veracem proferimus S. Scripturas ut veras, quia illas pronuntiavit: supponimus ergo illum non posse dicere falsum, quod est quod quæritur.

R. N. assumptum. Quia 1° ille S. Scripturæ supponuntur veræ non solum quia sunt a Deo, sed etiam quia multis argumentis probatur earum veritas; 2° quia disputatio est inter Catholicos, et contra hæreticos, qui veritatem S. Scripturarum admittunt.

Prob. 2° Juxta SS. Patres non minus implicat Deum mentiri quam non esse Deum omnipotentem, primam veritatem: atqui ista sunt absolute impossibilia: ergo. Lege S. Anselmum lib. 1 Cur Deus homo, cap. 12; S. Aug. lib. 1 de Symb. cap. 1; S. Ambros. Epist. 37; Auctorem hic o, et in 2 ad Timoth. 2, lect. 2.

Prob. 3° Est absolute impossibile primam et essentialem veritatem mentiri: atqui Deus est prima et essentialis veritas: ergo. *Prob. maj.* Mentiri est deficere a veritate: atqui implicat primam et essentialem veritatem a veritate deficere, alias deficeret a seipsa, sicque non esset prima essentialis et indeficiens veritas.

Confirmatur 1° Si Deus posset absolute mentiri, tota fides nostra nutaret: unde enim sciremus non mentitum fuisse? Ex revelatione? sed de hac revelatione foret eadem difficultas, idem dubium, an non mentiatur. *Confirm.* 2° Mendacium est intrinsece malum et peccatum: ergo non potest esse absolute a Deo.

Ex his patet secunda pars conclusionis, quod nec per alium possit mentiri; quia mendacium pariter in ipsum rafunderetur et pariter nutaret fides nostra quæ in nobis est a Deo per ministerium Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum. Insuper: vel minister per quem Deus mentiretur referret quod Deus immediate ipsi dixisset, vel aliud: si primum, ergo Deus per se mentiretur; si secundum, solus minister mentiretur, non Deus per illum.

Ibid. — *Dico.* Fidei non potest subesse falsum ex parte credentis, id est, fides non potest inclinare ad assensum falsum, nec illum elicere.

Prob. 1° Nihil subest alicui potentiæ vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali sui objecti; sicut color non potest videri nisi per lucem, neque conclusio fieri potest nisi per medium demonstrationis: atqui ratio formalis fidei est prima veritas in dicendo, quæ, ut modo dicebamus, non potest revelare falsum. Ergo.

2° Virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi, sicut virtus appetitus rationalis non potest esse principium actus vitiosi: atqui fides est virtus intellectualis: ergo. *Prob. maj.* Omnis virtus est bona dispositio ac perfectio potentiæ in or

dine ad suum objectum : atqui objectum intellectus est verum. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem opponuntur plurima ex S. Scripturis in quibus Deus videtur revelasse falsum, saltem per alios : rerum hæc omnia sigillatim et abunde soluta habes dissert. 9 de Relig. a. 2, ubi de restrictionibus mentalibus.

Obj. 2° *contra eamdem.* Quamvis Deus sit vita per essentiam, potest tamen pati et mori in natura assumpta : ergo, licet veritas per essentiam, potest similiter mentiri in natura assumpta.

R. N. conseq. Disparitas est, quod mendacium sit malum culpæ, quod non potest referri in Deum, a quo e contra avertit : unde repugnat Deo etiam in natura assumpta.

Obj. 3° *contra secundam conclusionem.* Potest quis ex charitate diligere hominem propter sanctitatem quam in eo existimat, quamvis sit hypocrita, aut ex virtute misericordiæ illi dare eleemosynam, quia credit ipsum pauperem, quamvis non sit : ergo similiter potest ex virtute fidei credere aliquid verum et revelatum, licet non sit.

Ibid. ad 1. — *R. N. conseq.* Disparitas est quod charitas, misericordia et aliæ virtutes partis appetitivæ, non habeant verum pro objecto, sed bonum, unde possunt per accidens admittere aliquam falsitatem ; at fides et aliæ virtutes intellectuales habent verum pro objecto, unde nec per accidens admittunt falsitatem.

Inst. Prudentia est virtus intellectualis : atqui tamen admittit falsitatem, v. g. prudentia dictat esse adorandam hostiam quæ in sacrificio proponitur adoranda : atqui tamen contingere potest quod non sit consecrata. Ergo.

R. D. maj. Prudentia est virtus intellectualis practica, *C.* speculativa, *N.* Similiter *D. min.* Atqui potest admittere falsitatem speculativam, *C.* practicam, *N.* Quamvis enim istud judicium speculativum, quo judico hostiam esse consecratam ; sit falsum ; judicium tamen practicum quo judico me posse adorare hostiam quam prudenter existimo esse consecratam, practice verum est. Fides autem est virtus intellectualis speculativa et practica : unde ipsi repugnat falsitas tam speculativa quam practica.

Obj. 4° Fides antiquorum fuit quod Christus nasceretur, et hæc fides in multis duravit usque ad prædicationem Evangelii post Christum natum : atqui Christo nato falsum erat ipsum nasciturum. Ergo.

Ibid. ad 3. — *R.* quod ad finem credentis post Christum natum pertineret tantum, quod crederet Christum quandoque nasci ; illa autem determinatio temporis circa quam decipiebatur non erat ex fide divina, sed ex conjectura, aut fide humana.

Inst. Unum de pertinentibus ad fidem est credere sub sacramento altaris esse verum Christi corpus : atqui potest accidere, quando non recte consecratur, quod non sit verum Christi corpus, sed solum panis. Ergo.

Ibid. ad 4. — *R.* quod fides credentis non referatur ad has vel illas species panis, sed ad hoc quod verum Christi corpus sit sub speciebus panis, quando rite fuerit consecratum : unde, si non sit ibi rite consecratum, non suberit ideo fidei falsum. Ne tamen inferas quod hostia quæ proponitur adoranda non debeat adorari absolute, sed conditionate tantum, scilicet, si sit consecrata : quia ut possimus et teneamur adorare absolute, sufficit si habeamus certitudinem moralem esse rite consecratam ; hæc enim certitudo sufficit ad judicium prudentiæ, quod est regula proxima agendorum.

Obj. 5° Quando episcopi alicujus provinciæ aut pastores docent aliquid fide divina credendum, fideles de populo, saltem simplices, illud credunt : atqui tamen potest esse falsum. Ergo.

R. quod, si sit falsum, fideles illud credant fide non divina, sed humana, quæ non est virtus, ex errore scilicet quo existimant esse verum quod est falsum : nec enim assentiuntur iis quæ proponuntur a pastoribus, quia Deus revelavit, sed quia putant Deum revelasse.

Obj. 6° Ex majori de fide et minori falsa, sequitur conclusio falsa : atqui assensus conclusionis procedit ex ambabus præmissis : ergo præmissa de fide inclinat et influit in assensum falsum.

R. quod falsa conclusio in hujusmodi syllogismo non causetur a propositione fidei, sed a propositione naturali falsa et mala applicatione syllogizantis, qui detorquet propositionem fide certam ad falsam

conclusionem : verum enim non potest esse principium et semen nisi veri ; quòd si ex eo deducatur falsum, hoc est contra ipsius naturam, et provenit ex mala applicatione discurrentis.

ARTICULUS IV

Utrum objectum fidei sit necessario obscurum, et quomodo obscuritas se habeat ad illud?

Ibid. a 4.o. — *Dico* 1° Objectum fidei est necessario obscurum et inevidens.

Prob. 1° ex Apostolo, Hebr. 11 dicente, quod fides sit *Argumentum non apparentium;* et ex S. Aug. tract. 40 in Joan. *Fides est credere quod non vides.*

Ibid. — *Prob.* 2° *ratione.* Illa dicuntur videri, quæ per seipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem, ut sunt prima principia et conclusiones ex ipsis evidenter deductæ, vel sensibilia sensibus debite proposita : atqui objectum fidei non potest per se movere intellectum aut sensum ad sui cognitionem, cum non sit ad instar primorum principiorum, quæ ex ipsis terminis innotescunt; neque ad instar conclusionis, quæ ex principiis per evidentem consequentiam deducitur ; neque aliquid sensibile quod sensibus percipiatur. Ergo.

Dico 2° Obscuritas non pertinet ad rationem formalem sub qua fidei, sed est conditio sine qua non.

Prob. Ratio formalis sub qua fidei est motivum et ratio assentiendi rebus quæ creduntur : atqui motivum et ratio cur assentiamur rebus fidei est prima veritas in dicendo, ut diximus superius, non obscuritas ; non enim credo Deum esse trinum, quia non video, sed quia Deus, qui verax est, revelavit; sicut non credo Romam existere, quia non video, sed quia fide dignus mihi dixit : ergo. Restat itaque quod obscuritas seu inevidentia requiratur ad objectum fidei, sicut approximatio ignis ad comburendum, existentia causæ ad causandum, apprehensio finis ad movendum voluntatem.

Dices. Fides et visio beatifica inter se essentialiter differunt : atqui nulla videtur alia ratio hujus differentiæ essentialis quam quod fides sit de objecto obscuro, visio vero beatifica de objecto evidenti : ergo obscuritas pertinet ad objectum formale fidei

Patet consequentia, quia habitus specificantur et essentialiter distinguuntur a suis objectis formalibus.

R. N. min. Fides enim et visio beatifica in hoc essentialiter distinguuntur, quod fides credat quia Deus, qui verax est, revelavit; et est ibi ejus ratio formalis : visio autem beatifica intuetur, quia Deus immediate sine specie intellectui beati unitur, sicque assentitur veritati per se et in se notæ, non revelationi, et est ibi ejus ratio formalis.

Inst. Claritas séu evidentia est objectum formale quo scientiæ : ergo obscuritas fidei ; oppositorum enim est opposita ratio.

R. N. conseq. Disparitas est, quod evidentia sit perfectio, ideoque movere potens intellectum ad assensum ; obscuritas autem est negotio, proinde non movens, sed potius removens ab assensu. *Ad prob. R.* quod fides et scientia non opponantur quoad formale objectum quo, sed tantum se habeant disparate; objectum enim quo fidei est prima veritas in dicendo, objectum quo scientiæ est evidentia.

ARTICULUS V.

Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide ?

Per evidentiam in attestante intelligimus evidentiam, non Dei revelantis, neque rei revelatæ, sed ipsius revelationis, ita quod mihi clare constat quod sit a Deo, licet neque Deus neque res revelata mihi sit evidens. Hæc autem evidentia potest considerari dupliciter : 1° solitarie sine aliquo adjuncto ; 2° conjuncta cum hac duplici cognitione pariter evidente, quod Deus non possit absolute dicere falsum, et quod loquatur in sensu naturali non metaphorico.

Suppono evidentiam in attestante solitarie sumptam stare posse cum fide, quia quantumvis sit mihi evidens Deum aliquid revelare, si tamen non sit evidens quod non possit dicere falsum, aut quod loquatur in sensu litterali, non erit mihi evidens ita esse sicut Deus dicit, sicque remanebit locus fidei. Unde quæstio est de evidentia in attestante cum duplici cognitione dicta.

Dico. Evidentia in attestante cum suis adjunctis est compossibilis cum fide.

Videtur expressa mens Auctoris infra q. 5, a. 1, ubi ait : « Illa sola manifestatio ex» cludit fidei rationem per quam redditur

» apparens vel visum id de quo principaliter » est fides. » Evidentia autem revelationis divinæ non efficit visum id de quo principaliter est fides, scilicet rem revelatam : ergo. Item et clarius ibid. a. 2 : « Si aliquis » propheta, inquit, prænuntiaret in ser» mone Domini aliquid futurum, et adhi» beret signum, mortuum suscitando, in » hoc signo convinceretur intellectus vi» dentis, ut cognosceret manifeste HOC DICI » A DEO qui non mentitur, licet illud futu» rum quod prædicatur in se evidens non » esset : unde per hoc ratio fidei non tolle» retur. » Nihil expressius. Et hæc verba, *Hoc dici a Deo,* evincunt S. Doctorem non loqui de evidentia credibilitatis, ut quidam interpretantur, sed de ipsa evidentia revelationis in se.

Prob. Illud fide credimus cui in seipso ignoto assentimur propter solam auctoritatem Dei attestantis ; in hoc enim distinguitur fides a scientia et visione : atqui evidentia in attestante cum suis adjunctis relinquit rem revelatam in se ignotam ; non enim demonstrat connexionem prædicati cum subjecto, sed tantum esse evidenter revelatam, et ut talem esse certum : ergo.

Confirmatur. Qui habet tantum evidentiam rei revelatæ quoad rationem communem omnibus revelatis, potest illam credere quoad prædicata ejus specialia, sicut qui cognoscit evidenter aliquid sub ratione substantiæ vel animalis tantum, potest ex alicujus testimonio credere quod sit homo : atqui, qui habet evidentiam in attestante, habet tantum evidentiam rei revelatæ quoad rationem communem omnibus revelatis, nimirum quoad ipsam revelationem, quæ est quid commune omnibus revelatis : ergo.

Dices. Qui habet evidentiam in attestante cum adjunctis, habet evidentiam rei revelatæ quoad an est : ergo. *Prob. ant.* Format hunc discursum evidentem : *Implicat Deum dicere falsum, et evidens est Deum dicere in sensu litterali Verbum esse incarnatum : ergo ita est.* Ergo.

R. N. ant. Habet quidem certitudinem rei revelatæ quoad an est, sed non evidentiam. *Ad prob. N. conseq.* Ex hoc enim discursu habetur tantum certitudo rei revelatæ, *ut dixi,* et evidentia revelationis, seu, si vis, rei revelatæ ut revelatæ et contentæ in revelatione, non autem evidentia rei revelatæ in se seu connexionis prædicati cum subjecto, scilicet humanitatis cum Verbo ; evidentia enim revelationis neque explicat neque constituit Christum hominem, cum sit quid illi extrinsecum : unde ista propositio : *Verbum est incarnatum,* quamvis sit certa est evidens ut revelata, semper tamen manet in se obscura et ignota, consequenter objectum fidei.

Inst. 1° Qui cognoscit evidenter Deum ex effectibus non habet fidem de illo : atqui effectus creati sunt Deo extrinseci. Ergo.

R. D. min. Effectus creati sunt extrinseci Deo formaliter, *C.* virtualiter, *N* Effectus enim est virtualiter in causa a qua procedit, et quam participat, et ideo ex effectibus cognoscitur evidenter existentia causæ : at revelatio est omnino, tam formaliter quam virtualiter, extrinseca rei revelatæ, sicque non est causa illius quoad esse intrinsecum, sed tantum quoad esse extrinsecum, scilicet esse revelatum.

Inst. 2° Si evidentia in attestante non evacuaret fidem, beati haberent fidem de perpetuitate suæ beatitudinis et futurorum contingentium ; ea enim non vident vi luminis gloriæ quod exhibet tantum essentiam divinam, et ea quæ sunt cum ipsa connexa, qualis non est perpetuitas beatitudinis, nec futura contingentia : atqui tamen de illis non habent fidem. Ergo.

R. N. sequelam et ejus probationem. De ratione enim visionis beatificæ, ut est beatifica, perfecta et completa, est quod beatus videat illius perpetuitatem in essentia divina, cujus visio est tota ejus beatitudo ; alias non foret quietus et satiatus. Similiter videt in verbo futura contingentia quæ ipsum spectant ; vel si per revelationem extra verbum, cessat quidem in eo fides, non tamen ratione evidentiæ in attestante, sed quia ista futura sunt tantum objecta secundaria fidei, circa quæ subsistere non potest, cum sit evacuata circa objectum ejus primarium, quod est essentia divina, quippe quæ est clare visa.

ARTICULUS VI.

Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia?

Dico. Mysteria fidei nostræ sunt evidenter credibilia.

Est communis cum Auctore, qui hic a. 4, ad 2 dicit « quod ea quæ subsunt fidei du-

» pliciter considerari possunt, uno modo in » speciali, et sic non possunt esse visa et » credita; alio modo in generali, scilicet » sub communi ratione credibilis, et sic » sunt visa ab eo qui credit; non enim cre- » deret nisi videret ea esse credenda, vel » propter evidentiam signorum, vel propter » aliquid hujusmodi. »

Constat ex illo Psal. 92 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis :* unde Christus, Joan. 10 : *Loquor vobis et non creditis : opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et S. Aug. l. 7 Conf. cap. 10 : « Facilius dubita- » rem me vivere, quam non esse veritatem, » quæ per ea quæ facta sunt intellecta con- » spicitur. »

Prob. ratione. 1° Illud est evidenter credibile, evidentia scilicet non metaphysica, sed morali excludente rationabile dubium, quod idoneis testibus, signis et aliis argumentis extrinsecis probatur : atqui sunt hujusmodi mysteria fidei nostræ. Ergo. *Min. patebit* ex motivis credibilitatis infra exponendis. *Maj. etiam constat;* credibilitas enim non sumitur sicut veritas ab intrinseco ex connexione prædicati cum subjecto, seu ab eo quod res est, sed ab argumentis extrinsecis, scilicet testimoniis, signis, etc. Sic ex hoc quod in judicio testes idonei aliquid affirment, habetur evidentia, non quod ita sit, possunt enim mentiri, sed quod sit ita credibile et judicabile absque rationabili alterius partis formidine.

2° Nihil est scibile sine evidentia scibilitatis, nec probabile sine evidentia probabilitatis : ergo nec credibile sine evidentia credibilitatis.

3° Assensus fidei debet esse prudens; est enim actus virtutis; et prudentia dictat non esse credendum nisi quod est credibile : *Quid enim cito,* id est temere, *credit, levis est corde,* Eccli. 19. Atqui jubemur credere firmissime mysteria fidei : ergo supponuntur evidenter credibilia, seu fide digna.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Quod est evidenter credibile, est evidenter verum. atqui mysteria fidei non sunt evidenter vera. Ergo.

R. N. maj. Ut enim jam dicebam, veritas petitur ab intrinseco seu ab eo quod res est, credibilitas a testimoniis et motivis extrinsecis.

Inst. 1° Quod est evidenter credibile est evidenter possibile : atqui in divinis idem est, esse possibile et verum, quia quod in Deo est possibile, de facto est. Ergo.

R. N. maj. Quia possibilitas sicut veritas petitur ab intrinseco : unde aliquando contingit quod falsa sint credibiliora et probabiliora veris.

Inst. 2° Quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile : ergo quod est evidenter credibile est evidenter possibile. *Valet consequentia* ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.

R. N. conseq. et ejus probationem. Hoc enim argumentum non est ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis : 1° quia tam consequens quam id quod affertur ut ejus oppositum est affirmativum; oppositarum autem enuntiationum una debet esse negativa, altera affirmativa : 2° propter hanc particulam *evidenter,* ratione cujus utrumque de eadem re negari potest, scilicet quod sit evidenter possibilis et evidenter impossibilis, evidenter credibilis et evidenter incredibilis. Sic itaque deberet formari argumentum : *Quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile : ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossibile :* quod admittimus.

Obj. 2° Si mysteria fidei essent evidenter credibilia, cognitio credibilitatis haberetur vel lumine fidei, vel lumine naturali intellectus. Neutrum dici potest. Ergo. *Prob. min.* Non lumine fidei : 1° quia his qui disponuntur ad fidem, antequam habitum fidei habeant, mysteria debent esse evidenter credibilia; alioquin imprudenter crederent, ut dictum est. 2° Fides non potest ferri extra objectum suum; objectum autem fidei est prima veritas obscure cognita et obscure revelans : ergo extendi non potest ad cognitionem evidentis credibilitatis. Non lumine naturali : 1° quia, cum mysteria fidei sint credibilia fide supernaturali, intellectus vi sua deberet cognoscere fidem supernaturalem ut possibilem, a qua denominantur credibilia : atqui intellectus humanus non potest vi sua apprehendere fidem supernaturalem ut possibilem : ergo; 2° quia, si solo intellectu naturali haberetur cognitio credibilitatis, inde non posset elici assensus supernaturalis fidei, quia non potest major fides adhiberi credibilibus, quam iis quibus fiunt credibilia.

R. Quantum ad fideles, nihil obstat quominus habitus fidei quem habent concurrat ad cognitionem credibilitatis; quia, licet habitus fidei primario et principaliter ordinetur ad assensum obscurum, non tamen sequitur quod non possit concurrere ad aliquas operationes prævias, ex natura sua tendentes ad suum principalem finem et effectum, quale est judicium de credibilitate rerum fidei, eo enim mediante deducit intellectum in assensum veritatis quam non videt. Ita Wiggers : et hoc videtur asserere S. Th. hic a. 4, ad 3, dicens « quod lumen » fidei facit videre ea quæ creduntur : sicut » enim per alios habitus virtutum homo vi» det illud quod est sibi conveniens secun» dum habitum illum, ita etiam per habi» tum fidei inclinatur mens hominis ad as» sentiendum his quæ conveniunt (seu ser» viunt) rectæ fidei et non aliis. » Et per hoc *patet responsio ad rationes primæ instantiæ.*

Quantum vero ad eos qui disponuntur ad fidem et nondum habent habitum fidei, duplex est responsio. Quidam existimant eos solo intellectu naturali cognoscere credibilitatem; et ad primam rationem in contrarium respondent quod, quamvis lumen naturale non possit vi sua cognoscere possibilitatem fidei supernaturalis in particulari, quatenus scilicet est participatio formalis divini intellectus a Deo infusa, possit tamen eam cognoscere in communi, prout est superior ad fidem humanam, sicut potest cognoscere Deum esse auctorem supernaturalem in communi, hoc est, potentem facere aliquid quod sit supra totam naturam, non determinando quid sit illud in particulari. Ita noster Gonet. *Ad secundam probationem, negant sequelam*, quia notitia fidei non est discursiva, sed simplex; nec præbetur assensus fidei propter credibilitatem, sicut in discursu præbetur assensus conclusioni propter præmissas, sed, credibilitate posita, præbetur assensus propter Dei veracitatem : unde non supponitur tanta certitudo in hoc præambulo quanta in ipsa veritate, sicut supra diximus quod non tanta supponatur certitudo in explicatione præambula principiorum quæ præmittitur a magistro, quanta in ipsis principiis semel intellectis, neque tanta in veracitate nuntii deferentis litteras regis, quanta in veracitate ipsius regis.

Altera responsio est, quod qui accedunt ad fidem cognoscant credibilitatem mysteriorum fidei, adjuti lumine aliquo supernaturali, scilicet illustrationibus actualibus quibus Deus illuminat intellectum eorum ad percipienda et judicanda ea quæ Dei sunt, et fit quod intendant iis quæ dicuntur et prædicantur, sicut Act. 16 : *Dominus aperuit cor Lydiæ intendere his quæ dicebantur a Paulo*, quodque in eis observent et judicent esse divinam credibilitatem ad quæ tandem sequitur fides. Ratio est, quia, licet absolute loquendo intellectus vi sua naturali possit apprehendere credibilitatem motivorum, cum tamen ista sunt præambula et dispositiones ad fidem tanquam ad fidem, debent esse ejusdem ordinis cum ipso fine et principali actu seu forma. Unde, quamvis Deus absolute possit commovere subito voluntatem et elevare intellectum ut post apprehensionem harum rerum naturalem eliceret actum fidei, id tamen minus est consentaneum rerum naturalis et communi ac suavi Dei operandi modo, et ideo ita non fit saltem ordinarie. Ita jam laudatus Wiggers : et videtur sententia Auctoris hic q. 2, a. 9, ad 3, dicentis : « Ille qui » credit habet sufficiens inductivum ad cre» dendum; inducitur enim auctoritate di» vinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, et » quod plus est, interiori instinctu Dei invi» tantis. »

Obj. 3° Si mysteria fidei essent evidenter credibilia, sequeretur quod ii quibus æqualiter proponerentur, omnes crederent : *falsum consequens.* Ergo.

R. N. sequelam, tum quia non omnes ad illa debite attendunt, sed, vel ex pravitate affectus, vel ex incuria salutis, vel propter difficultatem credendorum in particulari, ab eorum examine intellectum amovent; tum quia plures ponunt obicem interiori illustrationi, de qua modo.

Petes utrum, ut aliquis credat, debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia?

R. affirmative. Patet ex dictis; alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non æqualis omnibus est necessaria evidentia; quandoque enim sufficit sola vox prædicantis cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem, *ut patet* in pueris et rudioribus credentibus dictis a pastoribus quos sciunt loqui nomine Ecclesiæ, in Indis

credentibus missionariis prædicantibus sine miraculis, in Apostolis sequentibus Christum ad solan. ejus vocationem, antequam ejus miracula vidissent.

Neque tamen inde sequitur superflua esse motiva credibilitatis præter prædicationem Evangelii : tum quia Deus movet unumquemque secundum suam capacitatem et exigentiam; quidam autem sunt capaces discussionis motivorum credibilitatis, ut theologi, non alii, ut pueri et rudes : tum quia Deus regit et movet homines ad supernaturalia modo convenienti naturæ humanæ; modus autem conveniens naturæ humanæ perveniendi ad fidem est per motiva credibilitatis, quæ cum discusserint pastores et docti, eaque rudioribus proponunt nomine Ecclesiæ, hi ex illorum suppositione et apprehensione in communi, ideoque propter illa, adjuti aliunde vel habitu fidei, vel illustratione actuali, *ut diximus*, credunt. Unde, sicut prædicatio Evangelii non est superflua, licet Deus absque illa posset solo lumine interiori aliquem vocare ad fidem, ita nec alia credibilitatis motiva. Quod si contingat aliquos sine ullo credibilitatis motivo credere, id extraordinarium est et miraculosum.

At forte dices hoc lumen interius quod adstruimus, esse ipsum spiritum privatum hæreticorum, quem supra rejecimus.

R. N. assumptum. Multiplex enim inter utrumque est discrimen. 1° Hæretici per spiritum privatum judicant hunc articulum esse revelatum et credendum, non solum respectu sui, sed in universali respectu omnium; secus qui, lumine interiori suadente credibilitatem alicujus rei revelatæ, illam credit. 2° Hæretici per spiritum privatum discernunt inter veram et falsam religionem, exclusis omnibus signis et notis : unde, si quæras unde sciant et probent suam religionem esse veram, non nisi ad privatum spiritum recurrunt, quem quilibet fingere potest et nemo probare : nos vero ex variis et notis nostram probamus, nec lumen interius admittimus nisi ut intellectus ejus ope illuminatus rectius judicet credibilitatem eorum quæ credenda sunt. 3° Instructus hoc lumine interiori, non proprie discernit inter revelata et non revelata, sicut hæreticus per spiritum privatum : non enim, v. g. rusticus facit comparationem inter revelata et non revelata, sed lumen interius suadet credibilitatem hujus revelati in se, non comparate ad alia non revelata, quæ non attingit.

ARTICULUS VII.

De articulis et symbolis fidei.

§ I. — *De articulis fidei.*

Q. 1. a. 6. o. — Articulus, græce ἄρθρον, significat quamdam coaptationem aliquarum partium distinctarum : unde credibilia fidei nostræ dicuntur per articulos distingui, in quantum dividuntur in partes habentes aliquam coaptationem ad invicem.

Ibid. — Quamvis omnia quæ in sacris Scripturis continentur sint fide tenenda, attamen, quia propter eorum multitudinem ad certum numerum reduci commode non possunt, non omnia distinguuntur in articulos fidei, sed ea sola quæ habent duas conditiones sequentes : prima est, quod principaliter pertineant ad fidem, ut sunt ea quorum visione beamur in patria, et per quæ ad illam beatitudinem perducimur; secunda, quod habeant aliquam specialem difficultatem ad credendum : sic quod Deus sit mortuus, et quod resurrexit, habent distinctam difficultatem ad credendum, et ideo sunt duo articuli distincti; quod autem sit passus, mortuus et sepultus, unam et eamdem difficultatem habent, et ideo hæc omnia pertinent ad unum articulum : unde articulus fidei definiri potest : *Propositio catholica primario ad fidem pertinens, et specialem habens difficultatem ad credendum.*

Petes 1° utrum credibilia convenienter distinguantur per articulos?

Ibid.—*R. Affirmative.* Sic enim distinxerunt Apostoli et concilia : 1° ut esset facilior instructio fidelium; 2° ut in omnibus credentibus esset uniformitas; 3° ut in promptu esset fidei professio adversus hæreticos.

Petes 2° quot sint articuli fidei?

Ibid. a. 8. o. — *R.* Quidam numerant quatuordecim, quidam duodecim; et utrique convenienter.

Ibid.— *Prob.* Articuli fidei sunt qui per se et primario pertinent ad fidem, *ut dictum est*, scilicet ea quorum visione beamur et per quæ ad hanc beatitudinem perducimur : et hæc sunt occultum divinitatis et mysterium incarnationis. Circa primum,

primus articulus est de unitate divinitatis in ordine supernaturali, tres de tribus personis, quintus de operibus divinitatis in esse gratiæ, scilicet de iis quæ spectant sanctificationem animæ, quæ sunt sanctitas Ecclesiæ, communio sanctorum et remissio peccatorum; septimus de resurrectione carnis et vita æterna. Circa mysterium Incarnationis, primus articulus est de conceptione seu incarnatione Christi; secundus, de ejus nativitate ex virgine; tertius, de ejus passione, morte et sepultura; quartus, de descensu ad inferos; quintus, de resurrectione; sextus, de ascensione; septimus, de adventu in ultimo judicio.

Ibid.—Qui vero duodecim tantum numerant, tres articulos de tribus personis sub uno comprehendunt, et articulum glorificationis in duos distinguunt, unum de resurrectione carnis, alterum de glorificatione animæ. Similiter ex parte humanitatis, duos articulos conceptionis et nativitatis sub uno comprehendunt. Et hic duodenarius numerus est communior in usu fidelium, eumque statuit Catechismus romanus.

Dices 1° Non minus pertinet ad fidem quod credamus Deum omniscientem quam omnipotentem : item mysterium Eucharistiæ est unum ex præcipuis credibilibus, et habet specialem difficultatem ad credendum. Ergo.

Ibid. ad 2. — *R. ad primum*, quod potentia in habentibus intellectum non operatur nisi secundum voluntatem et cognitionem ; et ideo omnipotentia Dei includit quodam modo omnium scientiam et providentiam ; non enim posset omnia quæ vellet in istis inferioribus agere, nisi ea cognosceret, et eorum providentiam haberet.

Ibid. ad 6. — *Ad secundum*. In sacramento Eucharistiæ duo possunt considerari : unum scilicet, quod sacramentum est ; et hoc habet eamdem rationem cum aliis effectibus gratiæ sanctificantis : aliud est quod miraculose ibi corpus Christi continetur ; et sic concluditur sub omnipotentia, sicut et omnia alia miracula quæ omnipotentiæ attribuuntur.

Petes 3° utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint ?

Ibid. a. 7. o. — *R.* non crevisse quoad substantiam, sed quoad explicationem.

Prob. prima pars. Omnes articuli fidei implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, partim ex natura rei, partim ex divina institutione, scilicet ut credatur lumine supernaturali fidei Deus, et quod habeat providentiam circa hominum salutem : etenim in esse divino continentur ex natura rei omnia quæ existunt in Deo et spectant nostram beatitudinem ; in fide providentiæ continentur ex divina ordinatione omnia quæ ad salutem generis humani fiunt a Deo. Ergo. Unde S. Aug. in Psal. 50, *Tempora*, inquit, *variata sunt, non fides :* et S. Leo, Serm. 3, de Nat. cap. 4 : *Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec sero est impletum quod semper est creditum.*

Secunda pars constat, quia plura sunt in posterioribus explicite cognita, quæ a prioribus non nisi implicite cognoscebantur : *In aliis enim generationibus*, inquit Apostolus, Ephes. 3, *non est agnitum filiis hominum sicuti nunc est revelatum sanctis Apostolis ejus et Prophetis in spiritu.*

Et quamvis Apostolis et forte antiquis Patriarchis et insignioribus Prophetis omnia necessario credenda fuerint explicite revelata (quod videtur certum de Apostolis ex illa promissione Christi, Joan. 16, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*), non erant tamen passim ab omnibus explicite cognita, sicut fuerunt postea, sive quia non omnibus explicite et in particulari proponebantur, eo quod tunc non erat necessaria explicita eorum cognitio, et sufficiebat quod crederentur implicite cum aliis, sive quia aliquando explicite proposita, e memoria exciderant in posterioribus. Unde tot summorum pontificum et conciliorum definitiones circa res fidei, quibus tamen definitionibus non conduntur novi articuli fidei, sed declaratur quod in S. Scriptura et traditione continetur, et ita credendum explicite quod passim antea credebatur tantum implicite, quia nondum constabat in S. Scriptura vel traditione contineri. Quapropter ante definitionem Ecclesiæ erat jam de fide, et oppositum tenentes errabant in fide, inculpabiliter tamen, quia Ecclesia nondum proposuerat ut revelatum et fide tenendum.

Dices contra secundam partem. Juxta S Thomam, hic a. 7, ad 4, qui fuerunt Christo propinquiores, sive ante, ut Joannes Baptista, sive post, ut Apostoli, plenius

cognoverunt mysteria fidei : ergo non crescunt articuli fidei quoad explicationem ; alioquin qui nunc existunt haberent pleniorem explicationem quam qui erant Christo propinquiores.

R. ex hoc argumento tantum sequi quod primi Ecclesiæ duces et pastores, scilicet Apostoli et Evangelistæ, et forte ii qui immediate ipsis successerunt, explicationem habuerint rerum fidei notitiam, quam præsens Ecclesia in omnibus suis membris, quod non negamus ; non vero quod totum Ecclesiæ corpus tunc habuerit explicationem rerum fidei notitiam quam nunc post innumeras Ecclesiæ definitiones et explicationes ex Apostolorum scriptis et traditionibus depromptas, ut explicuimus in probatione. Unde errant hæretici, dum dicunt Ecclesiam senescere ; hoc ipso enim quo accepit consummationem gratiæ per Christum et plenitudinem Spiritus sancti post ejus ascensionem, eam semper conservat, atque in ea quasi in juventute perseverans, doctrinam sibi traditam custodit.

§ II. — *De symbolis fidei.*

Petes 1° quid sit fidei symbolum ?

R. esse summam articulorum fidei qui omnibus credendi proponuntur.

Explicatur. Symbolum est vox græca duo significans : primum, collationem plurium rerum in communi, ut pecuniæ vel cibi et potus, quo sensu Proverb. 23 dicitur: *Dantes symbola consumentur ;* secundum, signum quo milites ab aliis distinguuntur, vel quo in contractibus loco syngraphorum veteres utebantur. Hoc utrumque convenit Symbolo fidei, Apostoli enim et Patres illud ediderunt conferendo in unum quod quisque sentiebat, et est signum seu tessera qua distinguuntur fideles ab fidelibus.

Petes 2° an conveniens fuit articulos fidei redigi in symbolum?

Ibid. a. 9. o.—*R. affirmative,* tum ut facilius possent omnibus proponi et memoria teneri, tum ut fideles dignoscerentur per unius fidei professionem.

Petes 3° quot sint fidei symbola in Ecclesia ?

R. esse tria celebriora : primum Apostolorum, secundum Niceæ in primo concilio œcumenico contra Arium negantem divinitatem Verbi editum, deinde auctum in altero concilio generali Constantinop. contra Eunomium negantem processionem Spiritus sancti et contra Macedonium negantem ejus divinitatem ; tertium quod dicitur S. Athanasii, ab Ecclesia receptum.

Petes 4° quare plura symbola proponuntur in Ecclesia ?

R. in omnibus eamdem contineri veritatem ; sed, occurrentibus hæresibus, quædam oportuit distinctius explicari, ut munirentur fideles contra hæreticorum versutias.

Ibid. ad 6.— Observat S. Doctor quod, quia symbolum Nicænum seu Constantinop. est explicativum symboli Apostolorum, et fuit conditum fide jam manifestata et Ecclesia pacem habente, ideo publice cantatur in missa. Symbolum autem Apostolorum, quia tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in prima et in completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum et futurorum.

DIGRESSIO I HISTORICA.

UTRUM SYMBOLUM QUOD DICITUR APOSTOLORUM, SIT AB APOSTOLIS EDITUM ?

Quidam præsertim ex hæreticis dicunt hoc symbolum vocari Apostolorum, non quod sit ab illis traditum, sed quia continet doctrinam Apostolicam. Contra quos

Dico. Symbolum quod dicitur Apostolorum ab Apostolis traditum, non scripto, sed ore, cordibus et memoriæ fidelium commendatum.

Prob. prima pars. S. Irenæus, l. 1 adversus Hæreses, c. 2, dicit : « Ecclesia enim » per universum orbem usque ad fines terræ » seminata, et ad Apostolis et a discipulis » eorum accepit eam fidem quæ est in » unum Deum Patrem omnipotentem, etc. »

S. Ambros. lib. 10, Epist. 81, ad Siricium : « Credatur, inquit, symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana integrum » semper custodit et servat. »

Cœlestinus, lib. Epist. ad Nestor. vocat istud symbolum ab Apostolis traditum.

Concilium, Ephesinum in Relatione ad Theodosium Augustum, dicit : « Fides initio quidem a sanctis Apostolis tradita, postea vero a trecentis decem et octo Patribus » in metropoli Nicæna exposita. »

Ruffinus, in præfatione Expositionis Symboli ad Laurentium : « Apostoli, inquit, » discessuri ac invicem normam sibi prius

» futuræ prædicationis in commune con-
» stituunt, ne forte alii alio adducti diver-
» sum aliquid his qui ad fidem Christi invi-
» tantur, exponerent : omnes igitur in uno
» positi et Spiritu sancto repleti, breve is-
» tud futuræ sibi, ut diximus, prædicatio-
» nis indicium in unum conferendo, quod
» sentiebat unusquisque componunt, atque
» hanc credentibus dandam esse regulam
» statuunt. »

S. Leo, Epist. 13, ad Pulcheriam Augustam : « Siquidem, inquit, ipsius catholici
» symboli brevis et perfecta confessio, quæ
» duodecim Apostolorum totidem est sig-
» nata sententiis, tam instructa sit muni-
» tione cœlesti, ut omnes hæreticorum opi-
» niones solo ipsius possint gladio detrun-
» cari. »

S. Maximus, Hom. de Traditione symboly, « Apostoli, inquit, Ecclesiæ Dei mys-
» terium symboli tradiderunt, ut, quia sub
» uno Christi nomine credentium futura
» erat diversitas, signaculum fidei inter fi-
» deles perfidosque discerneret. »

Confirmatur. Juxta regulam a S. Augustino traditam lib. 4 de Bapt. contra Donatist. c. 24 : « Quod universa tenet Eccle-
» sia, nec conciliis institutum, sed semper
» retentum est, non nisi auctoritate apos-
» tolica traditum rectissime creditur. » Atqui a nullo concilio aut pontifice hoc symbolum editum reperitur. Ergo.

Prob. secunda pars. S. Hier. Epist. 61, ad Pammach. « Symbolum, iuquit, fidei
» et spei nostræ, quod ab Apostolis tradi-
» tum, non scribitur in charta aut atra-
» mento, sed in tabulis cordis carnali-
» bus. »

Ruffinus in Expositione Symboli ait : » Idcirco hæc non scribi chartulis aut mem-
» branis, sed requiri credentium cordibus
» tradiderunt, ut certum esset hæc nemi-
» nem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. »

S. Petrus Chrysologus, Serm. 62: « Symbolum fidei sola fide firmatur, non litteræ sed spiritu creduturi, et mandatur cordi non chartæ. »

Et hinc præoccupatur objectio contra primam partem conclusionis, scilicet quia Symbolum non fuit ab Apostolis scripto, sed ore tantum traditum ; ideo non habetur ut pars S. Scripturæ canonicæ, et de illo Apostoli in suis scriptis mentionem non fecerunt.

Obj. insuper contra eamdem partem. Si Symbolum esset ab Apostolis traditum, constaret ubique iisdem verbis : atqui ita non est: Orientale enim, Aquileiense et Romanum diversis verbis, modo paucioribus, modo pluribus constant. Ergo.

R. standum esse symbolo Romanæ Ecclesiæ, quæ illud *integrum semper custodit et servat*, ut dicit S. Ambros. citatus : in aliis vero quædam adjecta sunt majoris explicationis gratia contra novas hæreses, quæ tamen implicite continentur in Romano. Ita Ruffinus in expositione Symboli: « Prius-
» quam, inquit, incipiam de ipsis sermo-
» num virtutibus disputare, illud non im-
» portune commonendum puto, quod in
» diversis Ecclesiis aliqua in his verbis in-
» veniuntur adjecta. In Ecclesia tamen ur-
» bis Romæ hoc non deprehenditur factum:
» quod ego propterea esse arbitror, quod
» neque hæresis ulla illic sumpsit exor-
» dium... In cæteris autem locis, quantum
» intelligi datur, propter nonnullos hære-
» ticos addita quædam videntur, per quæ
» novellæ doctrinæ sensus crederetur ex-
» cludi.

Inst. In symbolo Romano omittitur articulus de *vita æterna* : ergo non est integrum

R. N. conseq. Quia iste articulus continetur implicite sub resurrectione carnis : et ideo S. Th. q. 1, a. 8, *ut vidimus supra*, ex hoc utroque unum tantum articulum componit qui spectet opus gloriæ. Desunt etiam hæ particulæ in symbolo Aquileiensi.

Occasione articuli X hujus 1 quæst. in qua S. Th. docet pertinere ad auctoritatem summi pontificis finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, plures auctores hic disserunt de regulis fidei ; sed cum hæc materia sit amplissima, reservamus illi tractatum integrum post præsentem.

DIGRESSIO II HISTORICA.

UTRUM SYMBOLUM QUOD DICITUR S. ATHANASII SIT GENUINUM EJUS OPUS ?

Dico 1° Probabile est symbolum quod dicitur S. Athanasii, esse ejus opus.

Probabilitas hujus sententiæ petitur ab auctoritate graviorum scriptorum qui istud symbolum tribuunt S. Athanasio, sci-

licet synodus Augustodunensis anno 670, Ratramnus l. 2 contra Græcos, Hincmarus in suis Capitularibus, duo antiquissima manuscripta quæ testatur se vidisse Uusserius Epist. ad Gerardum Vossium, Abbo Floriacensis in Apologetico ad reges Francorum Hugonem et Robertum, Eugenius IV in decreto Unionis, et plures alii, quos brevitatis causa omitto, sed præ cæteris S. Th. qui hic a. 10, ad 3, dicit: « Athanasius » non composuit manifestationem fidei per » modum symboli, sed magis per modum » cujusdam doctrinæ: sed quia integram fi- » dei veritatem ejus doctrina continebat, » auctoritate summi pontificis est recepta, » ut quasi fidei regula habeatur. »

Dico 2° Probabile est symbolum quod dicitur S. Athanasii non esse genuinum ejus opus. Ita recentiores critici, qui fundantur in sequentibus argumentis negativis.

1° Nullus auctor Athanasio coævus aut suppar hujus symboli meminit: non ipse Athanasius in suis Apologiis, non S. Greg. Nazian. in Orat. de Laudibus Athanasii, aut quivis alius hujus temporis. Equidem S. Nazian. in Oratione citata laudat confessionem fidei ab Athanasio factam et oblatam Joviniano imperatori; at hæc non erat symbolum, sed epistola synodica nomine episcoporum Ægypti, quæ Nicænum symbolum complectitur. Quidam dicunt S. Hilarium in fragmentis meminisse hujus symboli sub nomine Athanasii; sed constat hoc S. Hilarii opus esse adulteratum.

2° Non conveniebat his temporibus condere novum symbolum, cum Ariani et Semiariani passim male audirent eo quod in suis pseudosynodis nova fidei symbola cuderent: unde ipse Athanasius in Epist. ad Antiochenos Nicænum symbolum ut sufficientissimum commendat.

3° Si istud symbolum esset S. Athanasii, illud procul dubio S. Cyrillus Alexandrinus, synodi Ephesina et Chalcedonensis, et S. Leo laudassent adversus Nestorianos et Eutychianos; similiter, in posterioribus sæculis, Latini contra Græcos negantes processionem Spiritus sancti a Filio: atqui tamen altum fuit de illo silentium in his circumstantiis. Ergo.

4° In antiquis pene omnibus probatæ fidei manuscriptis operum S. Athanasii istud symbolum desideratur.

5° Qui tribuunt hoc symbolum S. Athanasio, non conveniunt quando et qua occasione illud composuit: quidam dicunt eum illud composuisse Treviris latitans in puteo ob insidias Arianorum; sed silentium scriptorum ecclesiasticorum, Theodoreti, Socratis, Sozomeni, Metaphrastis et aliorum de isto Athanasii secessu in puteum, probat esse fabulam, maxime si attendatur quod Athanasius missus fuerit Treviros a Constantino, ut furori Arianorum subduceretur, et a Maximo, episcopo Trevirensi, Arianorum hoste infensissimo, humanissime fuerit acceptus tanquam strenuus fidei confessor. Alii dicunt istud symbolum ab Athanasio fuisse compositum Romæ, ut Julio papæ probaret fidem suam de qua accusabatur ab Arianis. Verum et id quoque falso supposito nititur: non enim Athanasius accusatus fuit de fide coram Julio, sed quod frumenta a Constantino in Ægyptum et Libyam missa surripuisset, quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium causa fuisset, quodque, a synodo damnatus, sedem contra canones recepisset.

Ad testimonia S. Thomæ, Eugenii IV et aliorum pro opposita sententia, *respondetur* eos hoc symbolum S. Athanasio tribuisse, quia ejus nomine inscribitur; an autem esset verum ejus opus non expendisse secundum accuratiores criticæ leges, quia id ad eorum institutum non pertinebat.

Si quæras quis, juxta hanc secundam sententiam, sit hujus symboli auctor?

R. eos verisimilius conjicere qui illud tribuunt Vigilio Taspensi in Africa; quia solebat opera sua contra hæreticos emittere sub nomine antiquorum Patrum, ut majorem vim haberent. *Id patet* de Dialogo adversus Arianos et Sabellianos quem sub nomine Athanasii edidit, ut ipse scribit in præfatione hujus Dialogi.

DISSERTATIO II.

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ, ADVERSUS INCREDULOS, VULGO DEISTAS.

Increduli seu deistæ dicuntur qui Ens supremum seu verum Deum agnoscunt, sed negant eum quidquam revelasse hominibus, ideoque religionem christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his quæ sive Deum,

sive seipsos, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus et veritatis et vitæ regulam ac judicem agnoscunt.

Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem; dicuntur *Materialistæ*: alii animam rationalem spiritualem et immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas. Deumque mala punire aut bona præmiare. Alii contra sentiunt. Quidam justitiam et injustitiam non nisi verba reputant, summamque regulam in propria utilitate reponunt. Alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum et æquales secundum dictamen rationis subjiciunt. Nec mirum si sic inter se scindantur, cum enim, *ut dixi*, unam rationem pro duce et regula habeant, quisque pro nutu suæ rationis systema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem totius religionis eversivum et his temporibus invalescentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur et error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam studiosæ juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero religionem christianam esse divinam, a Deo revelatam atque institutam, hoc enim posito, palam sequitur omnia quæ proponit credenda, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, providentia divina circa res humanas, immortalitas animæ, leges morum, peccatum originale, æternitas pœnarum, resurrectio mortuorum, sacramenta, etc., esse vera, eisque certam et indubitatam fidem esse adhibendam, non obstante eorum incomprehensibilitate; Deus enim nec falli nec fallere potest, ut concedunt ipsi deistæ; sicque evanescunt omnia illorum figmenta et sophismata. Et cum hi solam rationem audiunt, etiam sola ratione eos impugnabo, exponendo præcipua motiva credibilitatis religionis christianæ quibus nemo, nisi humanæ rationis lunem in se extinguat, resistere potest.

Sic ergo argumentor. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, quam 1° Prophetæ longe antea prænuntiarunt; 2° quam ejus auctor et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et patentissimus miraculis confirmarunt; 3° denique quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata: atqui hæc est religio christiana: ergo. *Majorem negare non possunt* Deistæ; tria enim assigna ta sunt evidentissima divinitatis argumenta: sola ergo *minor est probanda*. Unde in ejus probationem sit.

ARTICULUS I.

Vaticinia Prophetarum de religione christiana et ejus auctore.

Vaticinia religionis christianæ continentur in libris Moysis et aliorum Prophetarum.

1° Deus locutus est Moysi, eique religionem judaicam revelavit, *ut patet* Exod. 19. Porro, si religio judaica sit vera et revelata, ergo Christus est Messias: ergo religio christiana quam instituit et cujus religio judaica erat fundamentum, est vera et revelata.

2° In libris Moysis et Prophetarum prænuntiatur Messias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio, et alia huc spectantia, vocatio gentium, rejectio Judæorum, abolitio templi et sacrificii, substitutio novæ legis et novi sacrificii, etc. Atqui hæc omnia ad amussim verificata sunt de Jesu Nazareno, auctore legis christianæ: ergo ipse est Messias, ergo vera et divina ejus religio.

Prob. min. 1° Noster Christus natus est adempto sceptro a Juda, juxta vaticinium Jacob, Genes 49; tempore statuto in 70 hebdomadibus Danielis, Daniel. c. 9.; ante destructionem secundi templi, et prædixerant Aggæus c. 2, et Malachias, cap. 3. 2° Natus est in Bethleem, ut prænuntiatum erat. Mich. 5; ex tribu Juda et familia David, Isai. 11; ex virgine, Isai. 70. 3° Adventum ejus præcessit qui pararet vias ejus, Malach. 3. 4° Fecit Miracula, ut prædixerat Isai. cap. 61. 5° Venditus est triginta argenteis quibus emptus est ager figuli, ut prædixit Zachar. cap. 11. 6° Conspuitur et cæditur in faciem, Isai 50. 7° Flagellatus fuit, Psal. 34 et 138. 8° Manus et pedes ejus fuerunt perforati Psal. 21. 9° Fuit crucifixus inter latrones, Psal. 53. Divisa sunt ejus vestimenta, missa sorte in togam, Psal. 21. Pendens in cruce fuit felle potatus, Psal. 68. Eo moriente sol deliquium passus est,

Amos cap. 8. Resurrexit, Psal. 30. Ascendit in cœlum, Psal. 67. Misit Spiritum sanctum, Joel. 2. 10° Vocavit per Apostolos gentes ad suam religionem et idololatriam destruxit, ut prædictum erat Genes. 20, 22 et 40; Isai. 2, 19 et 49; Zachar. 13, et alibi. 11° Novum sacerdotium substituit levitico, novam legem legi Mosaicæ, ac tandem Judæos rejecit, ut prænuntiatum est passim in Prophetis, Isai. Jerem. Ose. Amos. Mich.

Hæc omnia latius exposita require in priori nostro opere tract. de Incarnat. dissert., art. 3.

Quid ad hæc deista? Dicetne Moysen esse fabulatorem et impostorem, qui falsa et ficta pro veris fraudulenter venditavit Israelitis?

Sed contra 1° Moyses coram quæ narrat ipsos Israelitas testes oculatos appellat. Narrat plagas Ægypti Israelitis videntibus innoxias; narrat ipsos transiisse columes per mare Rubrum, Ægyptiis in eo submersis; narrat manna cœlitus ipsis datum per quadraginta annos, per id tempus eorum vestes non fuisse detritas; narrat legem ipsis divinitus datam in monte Sinai inter fulgura et tonitrua; narrat se in eorum sublevamen elicuisse fontem de rupe; Datan et Abiron, ipsis spectantibus, vivos in terra fuisse absorptos, ut prædixerat; legi durissimæ ipsos subjicit, etiam sub pœna mortis in certis capitibus; narrat se jussisse occidi per levitas viginti et quinque millia hominum propter idololatriam, et plura alia. Si ergo hæc omnia falsa sunt et Moyses pro veris fraudulenter venditavit Israelitis, necesse est Moysen fuisse stultum qui speraret se posse persuadere Israelitis eos vidisse quæ non viderant, et inde eos legi durissimæ subjicere; Israelitas pariter fuisse stultos qui crederent se vidisse quæ non viderant, et inde se subjicerent legi durissimæ.

2° In memoriam factorum et prodigiorum quæ narrat Moyses, instituta fuerunt tunc festa et sacrificia quæ etiam nunc scrupulose servantur a Judæis. Quis autem credat gentem integram instituisse festa et sacrificia pro eventibus sibi non certo notis aut fabulosis, et ea per tot sæcula tam religiose observare?

3° Moyses non solum facta et prodigia narrat, sed multa prænuntiat futura quæ ex sola Dei voluntate pendent, et quæ fuerunt adimpleta; similiter alii Prophetæ: non est autem impostoris nec cujusvis alterius hominis prædicere futura quæ ex sola Dei voluntate pendent.

Reponet forte neque Moysen neque Prophetas unquam extitisse, aut si extiterint, libros qui ipsis tribuuntur non esse ipsis proprios, sed post natum christianismum ab aliquo impostore fuisse fabricatos.

Sed contra 1° Tam certum est extitisse Moysen et Prophetas et scripsisse ea quæ ipsis tribuntur, quam certum est extitisse Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Ciceronem, Virgilium, et scripta quæ eis tribuuntur esse ipsis propria: de his autem nullus dubitat, propter constantem traditionem, cui nihil opponi potest: ergo nec de illis dubitare licet.

Item, tam certum est Moysen et Prophetas extitisse et opera quæ eorum nominibus inscribuntur esse ab illis scripta, quam certum est extitisse et nunc existere gentem Judaicam, quæ illos ut Prophetas et sanctos semper coluit et colit, et eorum scripta ut divina summa diligentia semper custodivit et custodit. Existere autem et extitisse gentem Judaicam ante ortum christianismum universo orbi notum est.

2° Aristeus, unus ex legatis Ptolemei ad Eleazarum summum Judæorum pontificem cujus liber extat in Bibliotheca Patrum, tom. 7; Joseph et Philo, uterque Judæus, referunt vetus Testamentum ex hebræo græcum fuisse translatum a septuaginta interpretibus sub Ptolemæo, rege Ægypti, ducentis annis ante Christum natum. Item historici profani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Sallustius, Quintus Curtius, mentionem faciunt de lege, templo et bellis Judæorum.

3° Qua arte iste impostor potuisset persuadere Judæis hanc esse historiam et legem suæ gentis divinitus traditam, de qua nihil unquam audivissent, quæque multa illis probrosa contineret, et durissima præcipit; atque ab eis obtinere tam scrupulosam hujus legis durissimæ observantiam qualem nunc etiam profitentur? Quisquis sane id tentasset, dubio procul ceu fanaticus a Judæis habitus fuisset.

4° Si vetus Testamentum sit opus recentis impostoris, idem dicendum erit de novo, cum istud non sit nisi explicatio et adimpletio veteris. Christusque sæpe provocat

Judæos ad Moysen et Prophetas veteris Testamenti.

5° Dicant deistæ quis fuerit iste impostor, cujus conditionis, generis et religionis? An Judæus, an Samaritanus, an Christianus? Si Judæus, nihil obtinuisset a Samaritanis, Judæorum hostibus infensissimis. Similiter si Samaritanus, respectu Judæorum. Insuper neuter inservisset in his libris quæ nationi Judaicæ et Samaritanæ adeo sunt ignominiosa, eorum scilicet crimina, ingratitudines, idololatria, et punitiones. Si Christianus, quomodo a Judæis et Samaritanis, hostibus pariter Christianorum infensissimis, acceptus fuisset?

Item dicant quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iste impostor; quos primo deceptit; quomodo Judæi, Samaritani, Christiani toto orbe dispersi, statim et simul fuerant instructi exemplaribus omnium istorum librorum, in omni lingua, hebraica, syriaca, chaldaica, græca, prout erant nascente christianismo. Ad hæc obmutescunt deistæ. Agnoscant ergo sua figmenta, et seipsos prodere impostores, dum ficti impostoris caustis causam agunt.

Maneat itaque inconcussum libros Moysis et Prophetarum esse genuina ipsorum opera, vaticinia quæ continent de religione christiana et ejus auctore esse divina et revelata, consequenter religionem christianam esse veram, divinam et relatam; nullum quippe est efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinæ quam vaticinia de illius auctore et veritate, siquidem nullus nisi Deus aut divino spiritu afflatus possit diu ante futura contingentia quæ ex sola Dei voluntate pendent cum omnibus suis circumstantiis prædicere, juxta illud Isai. 41 : *Annuntiate quæ ventura sunt, et scienus quia dii estis.*

Si opponas paganismum etiam habuisse sua oracula,

R. 1° nulla unquam oracula sive a sacerdotibus idolorum, sive a pythonibus, sive a dæmonibus per idola prodiisse de eventu futuro qui ex sola Dei voluntata penderet, sicut oracula christianismi, sed fuisse vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quæ ipsi facturi erant, vel de futuris naturalibus quæ ex circumstantis conjecturaliter prænuntiabant; et ideo de illis ipse Cicero, l. 2. de Divinat. dicit quod erant *partim falsa, partim casu vera.*

2° Oracula quæ futurum spectabant erant ambigua, ita ut quidquid evenisset verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis Delphici datum Creso regi Lydiæ, quod *si transiret flumen Halys magna regna perdit:* an sua, an aliena? hoc restabat devinandum. Item istud ejusdem Apollinis datum Pyrrho consulenti de eventu belli contra Romanos: *Aio te, Æacida, Romanos vincere posse*, quod æque significat Græcos posse vinci a Romanis, ac Romanos posse vinci a Græcis.

3° Hæc paganismi oracula cessarunt nascente Christo et proficiente christianismo. Suidas verbo Augustinus, Suetonius in Octavio, Nicephorus l. 1, c. 17, referunt Apollinem Delphicum, postquam diu mutus mansisset, tandem Cæsari Augusto ipsum consultenti coactum fuisse respondere sic :

> Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
> Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum:
> Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Notum est Apollinem Daphniticum in suburbio Antiochiæ diu pariter obmutuisse non obstantibus sacrificiis iteratis Juliani Apostatæ, ac tandem illi respondisse causam sui silentii esse quosdam mortuos in vicino loco sepultos : hi autem erant SS. martyres, inter quos S. Babylas.

Tertullianus in Apolog. affirmat quemlibet Christianum primo occurrentem posse reddere dæmones mutos et eos e corporibus ejicere, provocatque Romanos ut experimentum faciant, et consentit hunc Christianum morti addici, si deficiat. Pariter Lactant. l. de Vera Sap. refert omnem Christianum signo crucis dæmones mutos efficere, et e corporibus expellere.

ARTICULUS II.

Miracula Christi et Apostolorum, item promissiones Christi adimpletæ in confirmationem religionis christianæ.

§ I. — *Quædam quæstiones circa miracula breviter resolvuntur*

Petes 1° quid sit miraculum?

R. Miraculum est effectus omnipotentiæ divinæ contra leges communes et supra omnes vires totius naturæ, seu, ut dicit S. Th. præter ordinem totius naturæ. — 1. p. q. 110. a. 4. o. — Unde neque angeli, neque dæmones, neque ulla quævis creatura potest propria virtute facere verum mira-

culum, sed solus Deus, qui, cum contendo naturam illi libere leges constituit, sic solus illis potest ad nutum derogare. Neque inde sequitur quod Deus mutetur, ut stupide fingit Spinosa; non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, sed facit in tempore quod ab æterno decrevit facere.

Ibid. ad 1. et 2. 2. q. 178. a 1. ad. 1. — Quando ergo angeli vel sancti dicuntur facere miracula, non est sensus quod habeant in se virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula : cum enim principium operandi miracula se extendat ad omnia quæ supernaturaliter fieri possunt, nihil est aliud quam omnipotentia divina quæ nulli creaturæ communicari potest. Et aliunde sequeretur quod possent facere miracula quando vellent, quod est falsum : *patet* ex interrogatione Apostolorum, Matth. 17 : *Quare nos non potuimus ejicere illum*, scilicet dæmonem? Item Elisæus non potuit suscitare filium viduæ per sui baculi applicationem. Item Paulus petiit a se removeri stimulum carnis, nec obtinuit. Sensus est ergo, quod ad eorum sive postulationem, sive vocem, sive contractum alicujus ad se pertinentis, Deus operetur miraculum, utens iis rebus tanquam instrumentis.

Petes 2° utrum omnia quæ videntur aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula?

Ibid. 2. a. 2. o. — *R. negative.* Quædam enim non sunt vera facta, sed phantastica quibus ludificatur homo, ut videatur ei aliquid quod non est. Quædam sunt quidem vera facta, seu veræ res, sed non habent rationem veri miraculi, quatenus fiunt virtute aliquarum causarum naturalium nobis ignota; et ideo non dicuntur miracula simpliciter, sed quoad nos tantum. Hæc duo facere possunt dæmones, et magi ope dæmonum. Hujusmodi fuerunt miracula magorum in Ægypto, et erunt miracula Antichristi, de quibus Apostolus dicit 2 Thessal. 2, quod ejus adventus erit *secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus.* Solus autem Deus, *ut dixi*, facit vera miracula quæ omnem totius naturæ virtutem superant.

Petes 3° quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturæ nobis ignota, ideoque esse verum miraculum?

R. triplicem esse regulam. *Pro prima*, suppono esse quosdam effectus, qui, communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis, reputantur superare omnes totius naturæ vires et vere miraculosi, qualis est, v. g. resurrectio mortui : quovis e loco, quovis tempore resurgat homo vere mortuus, ut erat, v. *g.* Lazarus, nemo est qui non reputet verum et proprie dictum miraculum; unde illud cæci nati Joan. 9 : *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati : nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Hoc supposito, *dico.* Quando est talis effectus qui, communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis, censetur miraculosus, certo tenendum est esse verum miraculum : quia hic sensus tam constans et tam universalis omnium hominum cujusvis temporis et nationis, attenta infinita Dei bonitate, sapientia et veracitate, non potest esse falsus; alioquin Deus, qui est auctor sensus communis et rationis, aut nos deciperet, aut permitteret nos decipi, absque eo quod ullo medio possemus dignoscere errorem et ab eo liberari : quod repugnat infinitæ ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, maxime si sit error circa aliquod dogma.

Pro secunda regula, suppono vera miracula esse testimonia divina alicujus veritatis inducendæ aut confirmandæ. Hoc supposito, *dico.* Miraculum factum in nomine Dei creatoris, in assertionem alicujus dogmatis, nunquam potest esse falsum, nec inducere in errorem; quia infinitæ Dei bonitati, sapientiæ et veracitati repugnat 1° quod permittat suum nomen interponi ad substituendum falsum miraculum pro vero; 2° quod patiatur suum nomen adduci in testem mendacii ex quo homines necessario et invincibiliter inducerentur in errorem, contra id quod debent Deo et est necessarium suæ saluti : nihil enim habent homines quod opponant miraculo facto in nomine Dei creatoris, in attestationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoscuntur vera miracula ex doctrina et moribus eorum qui illa operantur, et ex effectibus singularibus et permanentibus qui ex his miraculis sequuntur : si nempe qui operantur miracula tradant doctrinam Deo honorificam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitæ sociali adfaventem, si iidem

vitam et mores ad hujus doctrinæ normam accurate componant; denique, si ex his miraculis sequantur permanenter cultus supremi Numinis, eversio cultus dæmonum, reformatio morum conformiter ad rectam rationem, concordia civium et vita socialis : impossibile est enim quod hujusmodi miracula fiant auctore dæmone in sui perniciem. Hæc regula desumpta est ex Origene, lib. 2 contra Celsum.

Petes 4° unde dignosci possit factum miraculosum quod narratur, non esse suppositum et fabulosum?

R. tunc censeri verum et non suppositum, 1° quando est factum exterius, oculis vel auribus pervium; 2° quando est factum coram multis videntibus seu audientibus attentis, et omnes facti circumstantias mature perpendentibus; 3° quando in memoriam hujus facti tunc erecta sunt monumenta publica et onera imposita quæ perdurant : ex his, inquam, conditionibus simul positis certo eruitur veritas facti.

§ II. — *Facta sunt vera miracula in confirmationem religionis christianæ.*

Jam dixi de miraculis Moysis in confirmationem legis a Deo ipsi traditæ, quæ erat fundamentum legis evangelicæ.

Miracula facta a Christo et Apostolis in confirmationem religionis christianæ continentur in libris novi Testamenti, scilicet quatuor Evangeliis SS. Math. Marci, Lucæ et Joannis; Epistolis SS. Pauli, Judæ, Jacobi et Joannis; et in Actis Apostolorum a S. Luca scriptis.

Tria nobis hic præstanda sunt adversus incredulos : primum, hos libros esse genuinos Apostelorum, quorum nomina referunt; secundum, facta quæ narrant esse vera; tertium, esse vera miracula.

PRIMUM.

Libri novi Testamenti non sunt supposiii.

Hos libros non esse suppositos sed proprios eorum quorum nominibus inscribuntur constat 1° ex fide publica et constanti traditione quæ semper suis auctoribus illos adjudicavit, nemine unquam, sive ex Judæis, sive ex paganis, sive ex hæreticis, reclamante, quamvis maxime illorum interesset id denegare. Hujusmodi autem fidei publicæ et constanti traditioni certa fides adhibetur, nisi contrarium evincat peremptoria ratio, quæ deest incredulis.

2° Dicant deistæ, si hi libri non sint Apostolorum, quis illos fabricavit, et quo tempore; an viventibus Apostolis, an post illorum mortem? Non ipsis viventibus, alioquin certo contra fraudem reclamassent. Non post eorum mortem; nam extant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi, qui cum Apostolis vixerunt; item, opera SS. Justini et Irenæi, qui fuerunt discipuli priorum discipulorum Apostolorum; et hi omnes libros novi Testamenti adscribunt Apostolis, et sic omnes deinceps usque ad nos.

Item, dicant qua arte iste fabricator potuit persuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Thessalonicensibus et Philippensibus Epistolas quæ nomine S. Pauli inscribuntur, fuisse ab eo scriptas, et ad se directas, de quibus nihil umquam audivissent?

3° Hi libri continent religionem qua nulla est sublimior, nulla purior, nulla sanctior, nulla austerior : ergo non sunt opus alicujus impostoris. Item, continent veritates et mysteria quæ superant captum rationis humanæ et quæ proinde ab ipsa attingi et excogitari non potuerunt absque revelatione, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, peccatum originale, resurrectio mortuorum, etc.

SECUNDUM.

Facta quæ narrant sunt vera.

Constat 1° quia alioquin facile et aperte mendacii argui potuissent. Ea enim narrant in medio Jerosolymæ ubi plurima fuerunt peracta, et paucis post annis ab eorum eventu, ita ut tot testes mendacii habuissent quot adhuc erant tunc homines a morte Christi superstites. Matthæus enim scripsit Evangelium novem circiter annis post Christi mortem, deinde cæteri.

2° Quia, pro asserenda veritate eorum quæ narrant, mortem oppetiere. Nemo autem est adeo stultus ut mortem oppetat pro asserendo facto quod scit esse falsum, nisi aliquid melius post mortem speret; quid autem melius post mortem sperare poterant impostores?

3° Plurima ex his factis agnoverunt vera ipsi christianæ religionis hostes, Judæi et pagani. Inprimis quotquot ex Judæis et paganis exempli sunt religionem christia-

nam, ea omnia indubie ut vera agnoverunt: hi autem sunt et fuerunt innumeri ex omni gente et conditione. Suetonius, de imperatore Claudio, cap. 44, narrat edicto hujus imperatoris pulsos fuisse Roma Judæos qui sequebantur religionem Christi, quod factum legitur in Actis Apost. c. 18. Tacitus, Annal. lib. 15, c. 44, refert Christum subiisse mortem sub Pontio Pilato Judææ gubernatore, imperante Tiberio, prout refertur in Evangelio. Celsus, quo nullus fuit infensior religionis christianæ adversarius, agnoscit Christum sanasse claudos et cæcos: en ejus verba apud Origen. qui illum impugnavit, l. 2 cont. Cels. *Credidistis ipsum esse Dei filium, eo quod claudos et cæcos sanavit.* Similiter Julianus Apostata, apud Cyrill. l. 6, fatetur Christum sanasse claudos et cæcos, et liberasse energumenos. Phlegon, qui florebat in aula Adriani imperatoris circa medium secundi sæculi, in Hist. Olympiad. l. 13, refert eclypsim solis et terræ motum qui contigerant moriente Christo, ut legimus Matth. c. 27. Thallus, alter paganus antiquior Phlegone, lib. 3 Histor. Syriac. narrat hanc eclypsim contigisse anno decimo octavo imperii Tiberii, quo passus est Christus. Hæc duo testimonia Phlegonis et Thalli simul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Justinus et alii contra Celsum, Porphyrium et Julianum, qui ad hæc obmutescebant.

4° Constat de veritate istorum factorum ex regula § præcedenti posita. Hæc enim facta sunt exteriora oculis et auribus pervia : facta sunt coram multis videntibus vel audientibus, attente et mature omnes circumstantias perpendentibus. Denique in eorum memoriam instituta sunt monumenta publica, scilicet festa solemnia, quæ ab exordio usque nunc permanent, et impositæ obligationes, scilicet legis evangelicæ. Hæc autem veritatem factorum asserunt, *ut dictum est.*

TERTIUM.

Ista facta sunt vera miracula.

Prob. ex triplici regula § 1 posita, et aliis momentis. 1° Inter illa facta, plura sunt quæ juxta constantem et universalem omnium hominum sensum, superant vires totius naturæ et habentur pro veris miraculis, ut sunt suscitatio Lazari et filiæ Jair, ipsa Christi resurrectio, multiplicatio quinque panum quibus satiantur quinque millia hominum, missio Spiritus sancti, subita transmutatio discipulorum in alios viros, donum linguarum et miraculorum eis concessum, etc. Hæc, inquam, et similia, juxta communem omnium hominum sensum, habentur pro veris miraculis : ergo talia sunt; sensus enim communis omnium hominum non potest esse falsus, *ut dictum est.*

2° Omnia ista miracula facta sunt a Christo et Apostolis, in nomine Dei, in attestationem dogmatum religionis christianæ : ergo non possunt esse falsa nec inducere in errorem, ut fert secunda regula.

3° Christus et Apostoli eorumque successores, qui hæc miracula patrarunt, tradebant doctrinam Deo dignam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitæ sociali faventem : vitam suam et mores ad hujus doctrinæ normam adamussim componebant, et ex eorum miraculis innumeri homines omnium nationum facti sunt et permanent eorum doctrinæ sectatores, eorum vitæ imitatores, supremi Numinis religiosi cultores, charitate inter se concordes, dæmonum hostes et victores : impossibile est autem, *ut dictum est in tertia regula*, hæc miracula facta fuisse auctore dæmone in suæ dominationis destructionem.

4° Quotquot ex Judæis et paganis religioni christianæ nomen dederunt, hæc facta ut vera miracula agnoverunt : inter illos autem erant viri maximæ eruditionis et perspicacissimi ingenii, ut S. Justinus martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Aristides, Melito, Athenagoras, etc. Hi, inquam, et alii non nisi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam religionem sensibus faventem exuerunt, ut novam sensibus plane repugnantem induerent, et pro era plurimi mortem subirent. Quis porro sanæ mentis hujusmodi testibus fidem non adhibeat, potius quam hesternis quibusdam incredulis qui non nisi ex pravitate cordis, et nulla fulti ratione, miracula nostra impugnant? Adde quod ipsimet imperatores pagani veritatem miraculorum Christi agnoverint et venerati sint. His motus Tiberius, Christum detulit senatui, ut numero deorum adscriberetur; quod abnuit senatus, eo

quod non esset auctor hujus consilii. Ita refert. Tertull. in Apologetico ipsi Senatui Romano oblato. Lampridius, auctor paganus, in vita Alexandri Severi, narrat imperatorem Adrianum plura templa absque idolis erexisse, eo animo ut illa templa Christo consecraret, sed a proposito fuisse deterritum, ne, se id faceret, omnia alia templa desererentur, et omnes Christi religionem amplecterentur, prout responderant oracula. Refert iterum idem Lampridius, ibid. Alexandrum Severum habuisse in suo palatio oratorium in quo Christum adorabat et illi sacrificia offerebat.

5° Non solum Apostoli miracula Christi ut vera narrant, et se pro eorum veritate asserenda morti et suppliciis offerunt, sed insuper testantur se ab eo accepisse virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula, vel non : si fecerint, nobis sufficit; si non fecerint, ergo sponte se pro impostoribus palam exhibebant. Quis credat? nisi supponas illos fuisse omnino mente captos.

Omitto innumera alia miracula, quæ successores Apostolorum et sancti viri, invocato Dei vel Christi nomine, quovis tempore et ubique fecerunt in confirmationem religionis christianæ. Plurima referunt SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Annales ecclesiastici et alii probati auctores. Item, nullus declaratur sanctus, nisi invictissime probetur edidisse vera miracula. Quæ omnia si neges, nulla stabit vera historia, et omnia inter fabulas erunt recensenda.

6° Denique, si quis proterve neget vera miracula in confirmationem religionis christianæ, agnoscat omnium miraculorum maximum, quod hæc religio, quam art. seq. describemus, absque miraculis totum mundum pervaserit. Ita, post S. Aug. argumentatur Auctor 1 cont. Gent. c. 6 : « Cum constet, inquit, Romanum impe» rium universumque orbem tot potenti» bus viris, philosophis, oratoribus refer» tum, Christi doctrinæ ante repugnantem, » ad eam postmodum fuisse conversum : » quæro, an virtute signorum et prodigio» rum, ab antiquis ritibus, diuque obser» vata religione, in hanc novam et inaudi» tam, sit hæc facta mutatio? Si fateberis » mundum ad hanc persuasionem tractum » fuisse vi miraculorum, quibus contradi» cere nequaquam poterat, fateri oportebit » a Deo auctore miraculorum, *et qui facit* » *mirabilia magna solus*, religionem hanc » processisse : sin autem, negas ullis mira» culis mundum ad hanc recipiendam fidem » fuisse provocatum, negando miracula in» gens miraculum ingeris. Quid enim po» test dici mirabilius, quam Romanum im» perium totamque gentilitatem, religio» nem quam tam acriter impugnabant, » subvertereque moliebantur, desertis pa» ternis ritibus, nullis visis signis miran» disque operibus, sponte suscepisse, et in » ea retinenda tam constantes fuisse? »

Opponunt deistæ plura miracula facta a gentilibus, et inde inferunt non posse probari veritatem religionis christianæ ex miraculis. Sic, inquiunt, magi in Ægypto virgas suas in serpentes converterunt, et ranas produxerunt; sic Vespasianus sanavit cæcum et claudum; sic Apollonius Thyanæus, inter plura miracula, resuscitavit puellam mortuam.

R. 1° Nego ullum verum miraculum unquam factum fuisse a gentibus : tum quia nullum factum est, in nomine Dei creatoris, quod est tessera veri miraculi; tum quia quæ referuntur non superant vires naturæ, aut sunt falsa et supposita.

Quantum ad prodigia magorum Ægypti, plures volunt fuisse tantum ludificationes sensuum. Alii et communius cum S. Th. existimant fuisse quidem veras ranas et veros serpentes, non quos magi supra omnes virtutes totius naturæ produxerint, sed quos ex seminibus in elementis dispersis, applicando virtute naturali activa passivis, — 1. p. q. 14. a. 4. et ad 2. — effecerunt, ut fieri potest in his quæ ex putrefactione nascuntur, ut docet S. Th. post. vel aliunde asportatos exhibuerunt, quod videtur probabilius.

Sed et qua fronte deistæ audent opponere miranda a magis in Ægypto peracta veris Moysis miraculis, cum ex eadem S. Scriptura constet Moysen vicisse magos, ita ut illius serpens horum serpentes devoraverit, et cum perventum est ad quartum prodigium, steterit iners ars magorum, et coacti fuerint dicere de miraculis Moysis : *Digitus Dei hic est?*

Quæ de Vespasiano referuntur, nullo teste, sed fama incerta nituntur. Insuper claudus et cæcus quos dicitur sanasse, non erant,

medicorum judicio, naturaliter insanabiles, ut refert ipse Tacitus, lib. 4, n. 81.

Quantum ad Apollonium, unus Philostrates centum et amplius annis post Apollonii mortem, ejus historiam fabulis refertam scripsit, istamque cujusdam puellæ suscitationem ex rumoribus incertis, absque ullo testimonio refert, nec constat ex ejus narratione vere mortuam fuisse puellam; deinde Apollonium habitum fuisse impostorem inde evincitur, quod nullum sectatorem habuerit, nec sectam fecerit.

D. 2° *Dato* quod Deus, propter causas sibi notas, faceret aliquod miraculum in paganismo, nunquam illud faceret in confirmationem idololatriæ; id enim repugnat ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, *ut supra diximus*. Miracula vero Christi, Apostolorum et successorum facta sunt invocato nomine Dei, in confirmationem divinitatis Christi, ejus missionis et religionis ab ipso institutæ.

§ III. — *Prophetiæ et promissiones Christi adimpletæ.*

1° Christus promisit se tertia die resurrecturum, Joan. 2, Matth. 20, et alibi. 2° Promisit se post mortem conversurum ad se gentes, et Judæos rejecturum, Joan. 12, Matth. 8 et 22; et Luc. 13. 3° Promisit Apostolis se facturum illos piscatores hominum, Matth. 4, Marc. 1, Luc. 5; se missurum illis Spiritum sanctum, Joan. 15; se collaturum illis donum sapientiæ, fortitudinis et linguarum, Luc. 21, Joann. 15 et 16, et Matth. 6. Tandem promisit se illis adfuturum usque ad consummationem sæculi. Hæc omnia præstare non potest nisi solus Deus; præstitit Christus: resurrexit die tertia, convertit ad se gentes, et rejecit Judæos, hæc ad oculum patent; fecit apostolos piscatores hominum, misit illis Spiritum sanctum, concessit illis donum linguarum, sapientiæ et fortitudinis; denique adfuit, adest, aderit illis, id est suæ Ecclesiæ indefectibili, usque ad consummationem sæculi: ergo Christus est Deus; ergo vera et divina ejus religio.

ARTICULUS III.

Modus mirabilis et plane divinus quo Christiana religio fuit fundata et propagata.

Ut tota vis hujus argumenti bene percipiatur, plura sunt observanda.

1° Hæc religio celerrime diffusa est: Paulus enim, ad Coloss. 1, v. 6, ait jam, tempore suo, Christi fidem in universo mundo crescere et fructificare; Justinus martyr, qui florebat initio secundi sæculi, in Dialogo cum Triphone, dicit nullum esse genus hominum apud quos non colatur. Similiter Irenæus, lib. 1, c. 3; Tertull. lib. cont. Judæos, c. 7; et Plinius junior, qui etiam florebat ineunte secundo sæculo, lib. 10, Epist. 97, ad Trajanum: *Non civitates tantum*, inquit, *sed vicos atque agros superstitionis istius* (christianæ) *contagio pervagata est.*

2° Introducta et propagata est per paucos piscatores, homines plebeios, rudes, ignaros, pauperes et contemptibiles; non, ut aliæ religiones, armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiæ humanæ, sed sola Christi virtute et sapientia, juxta illud Apost. 1 Cor. 1: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quæ non sunt* (id est, quæ pro nihilo reputantur) *ut ea quæ sunt* (id est, quæ pro maximo habentur) *destrueret.*

3° Hæc fidei doctrina talis est, ut potius hominibus videretur stultitia quam sapientia, nimirum, quod homo inter opprobria in crucem actus et mortuus sit verus Deus colendus, quod resurrexerit, quod non sit aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine hujus hominis crucifixi: unde Apost. 1 Cor. 1: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis, Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Talis est, inquam, hæc religio et doctrina, quæ nihil conducit ad terrenam felicitatem, quæ passiones refrænandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet; quæ nihil nisi lacrymas, pœnitentiam, mortificationem inculcat, nihil in hoc mundo promittit nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliationes, tormenta, cruces.

4° Sub hujus religionis apparenter stultæ, tam duræ et asperæ, jugo, hi pauci piscatores contemptibiles subjecerunt non indoctos solum et simplices, sed viros doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc.; neque

solum plebeios, sed ipsos principes, reges, imperatores.

5° Denique, hæc religio atque doctrina propagata est et crevit in mediis persecutionibus, impugnantibus principibus et magistratibus, contradicentibus philosophis, sæviente diabolo atque omni suppliciorum genere contranitente; et quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit ac prævaluit, ita ut sanguis martyrum factus sit semen christianorum.

Quis sanæ mentis, si ad hæc attendat, non cognoscat religionem qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam et propagatam, non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis? Neque enim fieri potuit ut doctrina a sapientia humana tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera et dura, orbem universum tam celeriter pervaderet, et inter persecutiones, tormenta et contradictiones hominum et dæmonum, reciperetur a principibus et eruditis, idque per paucos piscatores, pauperes et rudes, nisi Deus efficacissime operatus fuisset, tam in eis qui illam prædicarunt quam in eis qui illam receperunt.

His positis, resumo argumentum initio dissertationis factum. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, 1° quam Prophetæ longe antea prænuntiarunt; 2° quam ejus auctor et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et miraculis patentissimis confirmarunt; 3° denique, quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata: atqui hæc est religio christiana: ergo ratio suadet, imo cogit, nisi sit inversa et turbata, agnoscere religionem christianam esse veram, a Deo revelatam et institutam: *Majorem nemo sanæ mentis negare potest: minorem invicte probavimus.* Stat itaque inconcussa *conclusio*, proindeque necessum est ut vel deista nuntium remittat rationi, vel agnoscat religionem christianam esse veram et divinam.

DISSERTATIO III.

DE ACTU INTERNO ET EXTERNO FIDEI.

D. Th. Q. 2 et 3.

Duplex distinguitur actus fidei, unus internus, quo assentimur certo et firmiter veritatibus a Deo obscure revelatis propter ejus auctoritatem; et dicitur *credere*; alter externus, quo exhibemus signum aliquod hujus interioris assensus: et dicitur *confessio:* juxta illud Rom. 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* De utroque dicemus in præsenti dissertatione, et primo de actu interno: unde sit

ARTICULUS I.

Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem?

Hic. q. 2. a. 2. o. — Credere dicitur tripliciter, scilicet credere Deo, credere Deum et credere in Deum; propter triplicem respectum quem fides habet ad suum objectum: vel enim respicit Deum ut objectum formale quo, et sic dicitur credere Deo; vel respicit Deum ut objectum formale quod, et sic dicitur credere Deum; vel tandem respicit Deum ut finem in quem tendit, et dicitur credere in Deum. Itaque credere Deum est credere Deum esse; credere Deo est credere ipsi aliquid revelanti; credere in Deum est credendo tendere in ipsum ut in ultimum finem propter quem credere volumus.

Duplex est necessitas, scilicet medii et præcepti, de qua jam non semel dixi; et ut breviter repetam: illud dicitur necessarium necessitate medii ad salutem sine quo, etiamsi inculpabiliter omisso, salus haberi non potest, sive ex natura rei, sive ex institutione divina; ut est gratia pro omnibus, baptismus in re pro parvulis, pœnitentia pro peccatoribus. Dicitur autem necessarium necessitate præcepti, quod quamvis non sit medium absolute necessarium, quia tamen est præceptum, est necessario observandum, ita ut ejus omissio voluntaria sit peccatum, quod salutem impedit. In hoc et sequenti articulo quæstio est de necessitate medii.

Ibid. a 2. o. — *Dico* 1° Fuit omni tempore necessarium omnibus adultis necessitate medii ad salutem credere fide supernaturali aliquid supra rationem naturalem.

Prob. 1° ex S. Scriptura. Apost. Hebr. 11, dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Apostolum autem loqui de fide supernaturali constat, quia loquitur de

fide, quam paulo ante in eodem capite definiverat, quod sit *sperandarum rerum substantia, et argumentum non apparentium :* hæc autem fides est supernaturalis, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, et res non apparentes humana ratione investigari non possint.

Marci ultimo Christus dicit : *Qui non crediderit, condemnabitur :* et ibi est sermo de fide in Evangelium, consequenter de fide supernaturali. Item Joan. 3 : *Qui non credit, jam judicatus est*, fide item divina : additur enim : *Quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.*

Prob. 2° ex Trid. sess. 6, cap. 7, ubi, cum dixit baptismum esse sacramentum *fidei*, addit, *sine qua nulli unquam eontigit justificatio :* annotandæ sunt hæ particulæ, *nulli* et *unquam*, quibus aperte significatur necessitas medii pro omni tempore. Et cap. 8, dicit : *Fides est salutis humanæ initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Ex omnibus his auctoritatibus habemus quod, esto Deum posse hominem salvare absque sui cognitione et amore, noluerit tamen : idque congruenter hominis naturæ, *ut patebit ex ratione sequenti* : unde

Prob. 3° *ratione.* Necessarium est necessitate medii ad salutem, quod homo, qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum in quem tendit et media quibus ad illum pervenitur : atqui hæc cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem seu fidem. Ergo.

Prob. min. Finis ultimus in quem homo tendit est supernaturalis, scilicet consortium gloriæ Dei; media quibus ad illum pervenitur sunt pariter supernaturalia, scilicet actus virtutum supernaturalium fidei, spei et amoris : media enim debent proportionari fini : atqui hunc finem et hæc media non potest homo cognoscere per rationem naturalem, sed per solam revelationem ; ratio enim naturalis non dictat Deum velle admittere hominem ad consortium suæ gloriæ, neque explicat hæc media quibus ad illud pervenitur. Ergo.

Dico 2° Fuit omni tempore necessarium necessitate medii ad salutem, credere fide supernaturali determinate et explicite hæc duo, scilicet Deum esse auctorem gratiæ et remuneratorem gloriæ. *Patet* ex Apostolo laudato cap. 11 Hebr. dicente : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit* : in quibus duobus credibilibus cætera continentur, ut dictum est superius. Apostolum autem loqui de Deo et remuneratore in ordine supernaturali, scilicet quod sit auctor gratiæ et remunerator gloriæ, constat, tum quia cum dicit *credere oportet* loquitur, ut jam notavimus, de fide supernaturali, quam antea definierat, quod sit *rerum sperandarum substantia et argumentum non apparentium ;* tum quia postea in eodem capite dicit de Abraham, quod cum aliis SS. Patribus *meliorem patriam appeteret, id est cœlestem ;* et de Moyse, quod, thesauro Ægyptiorum contempto, *aspiciebat in remunerationem*, utique cœlestem.

Hinc colliges non sufficere ad salutem quod quis credat in communi et in confuso quidquid credit aut docet Ecclesia, si interim nihil determinate et in particulari de Deo cognoscat aut credat; quia absque particulari et explicita cognitione quod Deus existat, quod sit remunerator bonorum et malorum vindex, non potest ipsum debite colere, neque actiones suas in eum ut in finem dirigere.

Obj. 1° Quamvis baptismus sit necessarius ad salutem, potest tamen homo salvari per illius votum absque eo quod re suscipiatur : ergo similiter de fide.

R. N. conseq. Disparitas est, 1° quod baptismus re susceptus non sit initium salutis, fundamentum et radix justificationis, sed aliquid prius supponat, saltem fidem, in qua includitur votum baptismi : at fides, juxta Tridentinum citatum, est initium salutis, fundamentum et radix justificationis, et ideo nihil supernaturale supponit in quo ejus votum includatur. 2° Susceptio realis baptismi, cum sit quid externum, potest variis modis impediri, non sic actus internus fidei; et ideo Christus voluit sufficere baptismum in voto, non fidem in voto : quod, juxta observationem S. Bernardi Epist. 77 ad Hugonem, *patet* ex ejus verbis Marci ultimo : cum enim dixit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, non subjungit : *Qui non crediderit et non baptizatus fuerit, condemnabitur*, sed solum : *Qui non crediderit, condemnabitur ;* aperte significans fidem in rem esse necessariam, non

tamen baptismum in re. Adde quod, si fides in voto sufficeret ad justificationem, *a fortiori* charitas in voto sufficeret, quippe quæ supponit fidem et spem : id autem nemo unquam dixit.

Inst. Cognitio Dei naturalis continet implicite quod sit provisor et justificator hominum : atqui fides implicita quandoque sufficit : ergo.

R. N. maj. Quæ enim sunt ordinis supernaturalis et non nisi supernaturaliter cognosci possunt, non continentur in iis quæ sunt ordinis naturalis et naturaliter cognoscuntur.

Obj. 2° Apost. Rom. 2, dicit : *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, atqui ad salutem sufficit observare legem, juxta illud Christi Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* : ergo.

R. juxta S. Aug. l. de Spiritu et Litt. c. 2 ; Fulgentium, de Incarnat. c. 26 ; S. Thomam, 1, 2, q. 109, a. 4, ad 2, hæc Apostoli verba intelligi de gentibus conversis ad fidem operantibus ex gratia ; et τὸ *naturaliter* non sumi prout opponitur gratiæ, et prout idem est ac viribus naturæ ; sed prout opponitur legi Mosaicæ ; ita ut sensus sit : Gentes quæ legem scriptam non habent, ea quæ legis sunt faciunt naturaliter, id est, sine adminiculo legis Mosaicæ, sed per naturam sola Christi gratia adjutam. Quod si cum quibusdam aliis intelligas de gentibus infidelibus, et τὸ *naturaliter* viribus naturæ solius ; sensus est, quod quædam legis opera faciant propriis viribus, sed non omnia.

Obj. 3° Tempore legis naturæ quidam fuerunt salvati : atqui in lege naturæ nulla erant præcepta nisi naturalia, nulla Dei cognitio nisi naturalis. Ergo.

R. N. min. Dicitur enim lex naturæ, quia excludebat legem scriptam, non præcepta supernaturalia fidei, spei et amoris ; hæc enim inspirata primum fuere Adamo, et ab eo ad posteros, non scripto quidem, sed ore transmissa.

Inst. S. Justinus cap. 28 Apolog. dicit Socratem esse salvum, eumque vocat martyrem, et Orat. ad Antonium appellat christianos eos antiquos philosophos qui vixerunt secundum rationem. Ergo.

R. quod, si Socrates et alii quidam antiqui philosophi sint salvi, Deus eis ante mortem infuderit fidem seu cognitionem supernaturalem : sed communior sententia tenet eos non esse salvos ; tum quia quibusdam virtutibus moralibus miscerent gravia vitia : sic ipse Socrates, qui ab aliquibus dicitur iracundus et ebriosus, instante morte jussit immolari gallum gallinaceum Æsculapio, ut refert Rollin, tom. 4, *Hist. ancienne*, p. 44 ; tum quia ut plurimum virtutem non nisi ex vana gloria colebant. Justinus autem vocat Socratem martyrem lato sensu, attenta sola causa mortis : fuit enim damnatus eo quod unum esse Deum doceret in scholis. Appellat antiquos philosophos christianos, non quod essent proprie christiani, si fide carebant, sed improprie, quatenus in praxi virtutum moralium ipsos christianos æquabant, aut etiam aliquando superabant.

Repones. Cornelius, Act. 10, erat justus antequam fidem haberet, siquidem Petrus ad eum missus sit ut ipsum de fide instrueret. Ergo.

Hic q. 70. a. 4 ad 3. — *R. N. ant.* Jam enim credebat Cornelius antequam Petrus ad eum accederet, sed erat plenius in fide instruendus, et ideo ad eum Petrus missus est.

ARTICULUS II.

Utrum, in hoc statu legis evangelicæ, fides explicita Incarnationis et Trinitatis sit necessaria necessitate medii ad salutem ?

Credere aliquid explicite, est illud credere sub propriis et particularibus terminis sub quibus nobis proponitur : sic credit explicite mysterium Incarnationis qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam et Christum esse Deum et hominem ; credit explicite mysterium Trinitatis qui credit Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse unum Deum et tres personas. Credere autem aliquid implicite, est credere in alio, sive ut in principio universaliori in quo continetur, sive ut in sensu magistri cui adhæretur, sive ut in umbra et figura, quæ scitur habere significationem, quamvis res significata clare non cognoscatur.

Hic q. 2. a. 7. o. — *Suppono* 1° ante resolutionem, quod ante peccatum, Adam habuerit fidem explicitam Incarnationis, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem ; non enim fuit præscius sui peccati futuri. Ita colligit Au-

ctorex hoc quod Adam, afflatus Spiritu sancto, dixit Genes. 2: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ:* et hoc Apost. Ephes. 5, dicit sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia, quatenus, ut explicat S. Hieron. in hanc epistolam, Christus reliquit Patrem suum Deum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, et venit in terras propter Ecclesiam quam sibi desponsavit.

Ibid. et ad 3. — *Suppono* 2° post peccatum, ante promulgatum Evangelium, fuisse omni tempore necessariam necessitate medii ad salutem aliquam fidem Incarnationis. *Patet* 1° ex Apost. Galat. 2, dicente: *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi;* 2° ex S. Petro, Act. 4: *Non est*, inquit, *in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri*: propositio est universalis, ad nullum tempus restricta. 3° Nos non salvamur absque fide Incarnationis: atqui eadem est fides nostra et antiquorum ante legem evangelicam, juxta illud Pauli 2 Cor. 4: *Habentes eumdem spiritum fidei;* in quæ verba S. Aug. Epist. 89: « Non diceret, inquit, eumdem spiritum » fidei, nisi admonens etiam antiquos justos » habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est in» carnationis Christi. » Quod repetit alibi pluries S. Doctor. 4° Sicut necessaria est redemptio Christi, ita et fides illius; per fidem enim applicatur redemptio, juxta illud Rom. 3: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes.* Atqui redemptio Christi est et fuit omnibus pro quovis tempore post peccatum necessaria necessitate medii ad salutem, ut docet Apost. Rom. 5: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Ergo.

Ibid. ad 3.—*Suppono* 3° ante Evangelium sufficienter promulgatum, fidem implicitam Incarnationis communiter sufficientem fuisse: « Si qui tamen, inquit Auctor » citatus in margine, salvi fuerunt quibus » revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris, quia, etsi non » habuerunt fidem explicitam, habuerunt » tamen fidem implicitam in divina provi» dentia, credentes Deum esse liberatorem » hominum secundum modos sibi placi» tos: » idque constat ex Apostolo, qui ad Galat. 3 dicit: *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eamdem fidem, quæ revelanda erat;* et ad Ephes. 5, loquens de mysterio Incarnationis, ait: *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum sicuti nunc revelatum est SS. Apostolis ejus et Prophetis in spiritu;* et ad Coloss. 1: *Quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* Adde quod, juxta eumdem Apostolum, 1 Cor. 10, *Omnia in figura contingebant illis.* Et ita sentiunt S. Aug. l. 19 contra Faustum, Epist. 89, et alibi; S. Chrysost. Hom. 37 in Matth. S. Bernardus, Epist. 77 ad Hugonem Victorinum, et alii Patres.

Dixi, *communiter sufficientem fuisse*, id est, minoribus et communi populo. quantum enim ad majores, videtur quod tenerentur saltem necessitate præcepti habere fidem aliquo modo explicitam Incarnationis, quia, cum offerrent sacrificia Christi præfigurativa, et legerent atque interdum explicarent prophetias de Christo venturo, videntur utrorumque significatum aliquo modo cognoscere debere, licet non ita distincte et explicite sicut nunc post peractum mysterium: unde Auctor in 4 d. 25, q. 2, a. 2, q. 2, dicit quod « post » peccatum ante Christum majores habe» bant fidem Redemptoris explicite, mino» res implicite. »

Superest itaque quæstio de statu legis evangelicæ, circa quam est quadruplex sententia: prima absolute negat in hoc statu necessaria messe ad salutem fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis: secunda affirmat esse absolute necessariam: tertia, quæ est Cano et Bannes, distinguit inter primam et secundam salutem, id est, inter justificationem et gloriam; negat esse necessariam ad justificationem, concedit esse necessariam ad gloriam: quarta dicit esse per se necessariam ad utramque salutem, per accidens tamen ratione ignorantiæ invincibilis posse suppleri per fidem implicitam, Primam sententiam duabus primis conclusionibus impugnabimus; tertiam, conclusione tertia; quartam in *sol. obj.* Unde

Dico 1° Post Evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Incarnationis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Est probabilior et communior: intellige

tamen de necessitate non ex natura rei, alioquin eadem fuisset omni tempore, sed de necessitate ex institutione et voluntate Dei pro hoc statu legis gratiæ. Idem dicendum de sequenti conclusione.

Prob. 1° ex S. Script. Christus, Joan. 3, dicit : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat : sed habeat vitam æternam.* Atqui aspectus serpentis erat medium necessarium ad sanitatem corporalem : ergo et fides in Christum ad sanitatem spiritualem : ipsum autem loqui de fide explicita *patet* ex his quæ ibidem subdit. *Qui*, inquit, *credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* τὸ *nomine* designat personam; τὸ *unigeniti Filii Dei* distingui a cæteris personis. Ergo loquitur de fide explicita, et quidem absolute necessaria; quia qui non credit, jam judicatus est.

Marci ultimo dicitur : *Prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crederit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.* Est ergo absolute necessarium ad salutem credere Evangelium : Evangelium autem continet explicite mysterium Incarnationis : unde S. Bernardus, Epist. citata 77 ad Hugon. scribens, in hunc locum dicit, ut jam observavi : « Caute igitur et vigilanter non repe- » tivit : Qui vero baptizatus non fuerit, » sed tantum, *qui vero non crediderit, con-* » *demnabitur*, innuens solam interdum » sufficere fidem ad salutem, et sine ipsa » sufficere nihil. » Quibus verbis declarat S. Doctor baptismum posse aliquando suppleri, fidem vero Evangelii quæ, *ut dixi*, est explicita, non posse per aliud suppleri.

Joan. 14, Christus dicit : *Creditis in Deum, et in me credite;* ubi parem exigit fidem de seipso ac de Deo : atqui fides explicita de Deo est necessaria necessitate medii : ergo et de Christo. Plura alia similia leguntur in Evangelio et in Epistolis Pauli.

Prob. 2° *ex Patribus et concilio Trid.* Præter S. Bernardum, de quo jam dictum est, S. Augustinus, l. de Corrept. et Grat. c. 7 : « Ab hac damnatione, inquit, non » se liberabunt qui poterunt dicere se non » audiisse Evangelium » ubi loquitur de fide explicita, quia loquitur de fide Evangelii, et necessitatem adstruit absolutam atque inexcusabilem, etiam ex ignorantia invincibili, quod importat necessitatem medii.

S. Th. hic a. 7, o, ubi initio loquitur de eo quod est necessarium necessitate medii, in fine sic concludit : « Post tempus gratiæ » revelatæ, tam majores quam minores » tenentur habere fidem explicitam de » mysteriis Christi : » et adhuc expressius in 3, d. 25, q. 2, a. 2, q. 2 : « Post adven- » tum Christi, inquit, omnes, tam majo- » res quam minores, tenentur ad creden- » dum explicite; et si aliquis instructionem » non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex » culpa sua remaneret. » Ergo aperte sentit fidem explicitam esse necessariam necessitate medii et non tantum præcepti; alias si instructione careat, excusaretur ab hoc præcepto, quod non admittit S. Doctor, sed recurrit ad medium extraordinarium revelationis, quod tunc esset debitum.

Trid. sess. 6, cap. 6, agens de dispositione ad justificationem et de iis quæ ad illam sunt credenda, dicit : « Disponuntur » autem ad ipsam justitiam dum, excitati » divina gratia et adjuti, fidem ex auditu » concipientes, libere moventur in Deum, » credentes vera esse quæ divinitus revelata » et promissa sunt; atque illud imprimis a » Deo justificari impium per gratiam ejus, » per redemptionem quæ est in Christo » Jesu. » Porro, si sit necessarium *imprimis* hoc credere de redemptione per Christum, ergo nihil magis necessarium : ergo hæc fides explicita de Christi redemptione est inter prima credibilia reponenda, et præ cæteris necessaria, consequenter necessitate medii.

Confirmatur ex symbolo S. Athanasii, ubi, cum explicuit mysteria Trinitatis et Incarnationis, concludit : *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Prob. 3° *ratione.* Perfectior fides Incarnationis requiritur in nova lege, in qua istud mysterium est peractum et revelatum, quam in veteri lege in qua erat velatum, ut ostendimus in tertia suppositione : atqui in veteri lege fides implicita Incarnationis erat necessaria necessitate medii, *ut* etiam *pro-*

bavimus in secunda suppositione : ergo in nova lege est necessaria explicita.

Q. 2. a. 8. o. — *Dico* 2° Post Evangelium sufficienter promulgatum, fides explicita Trinitatis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Prob. 1° ex cap. ultimo Marci, *ut in prima probatione conclusionis præcedentis.* — **Ibid.** — 2° Fides explicita Incarnationis est necessaria necessitate medii, *ut patet ex præcedenti conclusione :* atqui non potest haberi fides explicita Incarnationis, nempe quod Filius Dei sit incarnatus et conceptus de Spiritu sancto, absque fide explicita Trinitatis. 3° Incarnatio est tantum objectum secundarium fidei nostræ, Trinitas est primarium : atqui in nova lege requiritur fides explicita objecti secundarii : ergo *a fortiori* et primarii. *Prob.* 4° ex symbolo S. Athanasii, *ut in prima conclusione ;* 5° denique ratione jam facta pro præcedenti conclusione. Perfectior fides requiritur de hoc mysterio in nova lege in qua est expresse revelatum, quam in veteri in qua erat velatum : atqui in veteri requirebatur fides de eo implicita : ergo in nova requiritur fides explicita.

Dixi in utraque conclusione, *post Evangelium sufficienter promulgatum*, quia, ab adventu Christi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, idem censendum est ac de tempore præcedente Incarnationem, scilicet satis fuisse fidem implicitam de Christo ; quia non debet reputari medium ad salutem necessarium quod non est sufficienter promulgatum : id namque repugnat Dei bonitati et suavi ejus providentiæ, ut arguit S. Bernardus Epistola citata : ii tamen quibus erat in particulari promulgatum Evangelium, tenebantur ex præcepto ad fidem explicitam. Quando autem sufficienter fuit pro omnibus promulgatum Evangelium, incertum est : probabile est id contigisse quadragesimo circiter anno post Christi ascensionem, quando templum Jerosolymitanum et respublica Judæorum per Romanos fuerunt subversa.

Dico 3° Fides explicita utriusque mysterii est necessaria necessitate medii, non solum ad secundam salutem, scilicet glorificationem, sed etiam ad primam, scilicet justificationem.

Prob. 1° ex locis S. Scripturæ, Joan. 3 et Marci ultimo, citatis pro *prima conclusione*, et præsertim ex Tridentino laudato, in quibus agitur non solum de glorificatione, sed etiam de justificatione. Item, in eodem cap. 3 Joan. Christus non solum dicit, quod *qui incredulus est Filio non videbit vitam*, sed addit quod *ira Dei manet super eum*, id est, remanet peccator et injustus.

2° Justus est filius Dei adoptivus et hæres gloriæ : ergo, si fides implicita sufficit ad justificationem, sufficit etiam ad gloriam : quod non admittunt adversarii.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Juxta Apost. Hebr. 11, sufficit ad salutem duo credere explicite, scilicet quod Deus sit, et quod inquirentibus se sit remunerator. Ergo.

Ibid. a. 8. ad 1. — *R. N. ant.* Non enim dicit Apostolus quod sufficiat, sed quod oporteat illa duo credere explicite : fuit ergo necessarium omni tempore illa duo credere explicite ; sed non est sufficiens omni sempore.

Obj. 2° Illud non est medium necessarium ad salutem sine quo homo potest justificari : atqui sine fide explicita mysteriorum Incarnationis et Trinitatis, homo potest in lege evangelica justificari : ergo. *Min. patet* in Cornelio, qui dicitur religiosus ac timens Deum, imo et justus, licet tamen non haberet fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis ; ut enim de illis instrueretur Petrus ad eum missus est, Act. 10 et 11. Ergo.

Hic q. 10. a. 4. ad 3. — R. *N. min. Ad probationem* de Cornelio duplex est responsio : prima, quod fuerit justificatus per fidem implicitam, quia nondum erat sufficienter promulgatum Evangelium ; unde missus est Petrus, ut illum plenius de fide instrueret : ita sentit Auctor citatus in margine. Neque obstat quod Angelus dicat Cornelio quod Petrus *Loquetur ipsi verba in quibus salvus erit*, ut refertur Act. c. 11, quia, cum tunc instabat præceptum fidei, quæ in locis vicinis jam prædicabatur, nec eam Cornelius posset diu ignorare, missus est Petrus ad ipsum, tum ut eam citius disceret et in gratia cresceret, tum ne propter ignorantiam futuram, forte culpabilem a justitia exciderel : unde recte dictum est illi, quod Petrus illum ea doceret in quibus salvus esset.

Altera responsio est, quod Cornelius non fuit justificatus antequam Petrum audiret :

et ita videtur sentire S. Augustinus, de Prædest. Sanct. c. 7, ubi dicit de Cornelio: « Si posset sine fide Christi esse salvus, non » ad eum ædificandum mitteretur architec- » tus Petrus. » Dicitur autem religiosus ac timens Deum propter quasdam ejus dispositiones ad justificationem, quomodo dicimus peccatores, dum pœnitentes se disponunt ad justificationem, religiose ac timorate vivere. Nec obstat quod etiam dicatur justus: sic enim dicitur ab iis quos miserat, qui non intelligebant in quo consisteret vera justitia: adde intelligebant justitiam generali et vulgari modo, secundum quam homo bene morigeratus dicitur justus.

Quidam conantur utramque responsionem conciliare, dicendo quod Cornelius vixit cum legis translatio fieret, et ideo fuit justificatus per fidem implicitam ante promulgationem Evangelii; sed promulgato Evangelio, quod instabat, debuerit ex præcepto habere fidem explicitam, ut salvus fieret.

Obj. 3° Qui habet fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ, potest absque fide explicita Incarnationis et Trinitatis habere veram contritionem et perfectam Dei dilectionem : atqui hæc sufficiunt ad justificationem. Ergo.

R. D. maj. Potest attenta rei natura, C. attenta divina ordinatione, N. statuit enim Deus nemini dare in nova lege gratiam efficacem veræ contritionis et perfectæ delectionis, quin prius aut simul infundat lumen fidei explicitæ, *ut constat ex probationibus conclusionis.*

Inferes. Ergo arctior est via salutis in nove lege quem in veteri, in qua homines poterant cum sola fide explicita Dei ut auctoris gratiæ et remunerationis gloriæ justificari.

R. N. illationem. Quia in nova lege abundantior est gratia quam in veteri, et Deus æque facile potest sive per se, sive per angelos, sive per homines infundere fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis, sicut fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ, quam omnes requirunt ad salutem.

Obj. 4° plures casus in quibus videtur sufficere ad salutem fides implicita, seu in voto, Incarnationis et Trinitatis, alioquin dicendum foret legem evangelicam esse duriorem et viam salutis pluribus esse occlusam. 1° Puer enutritus in sylvis, aut inter barbaras nationes, si sequatur ductum rationis in fuga mali et prosecutione boni, justificabitur, secundum D. Thomam : atqui tamen nihil audivit de Evangelio. 2° Puer perveniens ad primum instans rationis, si convertatur ad Deum, justificabitur, secundum eumdem S. Thomam : atqui tamen non potest in instanti instrui de præfatis mysteriis. 3° Sunt adeo rudes et stupidi, ut non possint concepto apprehendere hæc mysteria : idem dic de mutis et surdis a nativitate : atqui non potest dici quod salus sit illis impossibilis. Ergo.

Propter hæc argumenta, quidam, ut observavimus, censent quod, licet fides explicita istorum mysteriorum sit per se absolute necessaria, per accidens tamen ratione ignorantiæ invincibilis, possit suppleri per fidem implicitam. Sed hæc responsio displicet, 1° quia auctoritates et rationes conclusionem nostrarum probant necessitatum fidei explicitæ absolute et in omni casu relegantur; 2° quia etiam posset dici quod fides implicita Dei ut auctoris gratiæ et remuneratoris gloriæ sufficeret; 3° quia est contra S. Augustinum citatum *in probatione primæ conclusionis*, et contra D. Thomam qui in casibus recurrit ad extraordinariam revelationem, quæ non est necessaria si fides implicita sufficeret. Unde.

R. 1° *retorquendo argumentum.* Fides explicita Dei ut auctoris gratiæ, remuneratoris gloriæ, malorum vindicis et immortalitatis animæ, est secundum omnes necessaria necessitate medii ad salutem : atqui tamen contingere potest quod ista fides explicita desit in casibus objectionis, sicut fides explicita Incarnationis et Trinitatis; neque ideo lex evangelica debet dici durior et via salutis pluribus occlusa. Ergo.

Q. 14. de verit. a. 11. ad 1. — *R.* 2° *ad singula. Ad primum.* « Certissime tenen- » dum est, inquit Doctor noster, quod ei » (de quo in casu) per internam inspira- » tionem revelaret ea quæ sunt ad creden- » dum necessaria, vel aliquem fidei prædi- » catorem ad eum dirigeret, sicut misit » Petrum ad Cornelium, » et Philippum ad eunuchum reginæ Candacis.

Ad secundum. Instans rationis non est physicum sed morale, habens aliquam durationem in qua sive a Deo, sive ab angelo,

ve ab homine potest puer instrui : et quamvis hujusmodi instructiones in utroque casu sint extraordinariæ, non tamen debent dici miraculosæ, quia connaturaliter sequuntur a voluntatem Dei salvandi hominem et ad obligationem credendi explicite.

Ad tertium. Non requiretur ad fidem intelligentia, sed assensus : unde S. Aug. l. cont. Epist. fundamenti, cap. 4, *Turbam*, inquit, *non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Nullus autem est adeo hebes et stupidus, qui, auxilio gratiæ adjutus, non possit mysteria Incarnationis et Trinitatis saltem in confuso et quoad substantiam apprehendere. Quod si neges, ii sunt anumerandi infantibus et amentibus, qui sine fide actuali persolam fidem habitualitem in baptismo susceptam salvantur.

Inst. 1° Juxta conclusiones nostras, fides explicita horum mysteriorum non est necessaria nisi post promulgatum sufficienter Evangelium : atqui non est sufficienter promulgatum iis de quibus currit præsens objectio. Ergo.

R. N. min. Ut enim lex aliqua censeatur sufficienter promulgata, non requiritur quod cuilibet particulari et in quolibet loco promulgetur ; sed sufficit quod sit promulgata in principalibus locis nationis seu provinciæ : unde notitia legis potest ad alios pervenire : sic autem fuit promulgatum Evangelium, juxta illud Rom. 10 : *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Inst. 2° Evangelium non promulgabitur sufficienter nisi in fine mundi, juxta illud Matth. 24 : *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Ergo.

R. N. ant. 1° Ex verbis enim apud Matthæum sequitur tantum quod non adveniet consummatio sæculi antequam sufficienter sit promulgatum Evangelium in toto mundo, non vero quod non promulgabitur nisi instante consummatione. 2° *Dato* futuram tunc universaliorem promulgationem, non sequitur antea non fuisse sufficientem.

Obj. 5° *specialiter contra tertiam conclusionem.* S. Augustinus, lib. 1 ad Simplicianum, q. 2, dicit : « In quibusdam tanta » est gratia fidei quanta non sufficit ad ob» tinendum regnum cœlorum, sicut in ca» techumenis, sicut in ipso Cornelio ante» quam sacramentorum participatione in» corporaretur Ecclesiæ : in quibusdam » vero tanta, ut jam corpori Christi et sanc» to Dei templo deputentur. » Ergo potest dari fides sufficiens ad justificationem quæ non sufficiat ad regnum cœlorum obtinendum.

R. N. conseq. Quippe quæ nullatenus sequitur ex verbis S. Augustini : dicit enim S. Doctor in prioribus verbis posse esse talem fidem inchoatam et imperfectam, qualis reperitur in catechumenis et peccatoribus se disponentibus ex auxilio gratiæ ad gratiam justificationis, quæ non sufficiat ad regnum cœlorum ; sed non dicit quod sufficiat ad justificationem : quinimo contrarium asserit in verbis posterioribus, in quibus agnoscit eamdem fidem quæ sufficiat ut quis deputetur sancto Dei templo, id est, regno cœlorum, et ut corpori Christi per justificationem incorporetur.

Ex dictis colliges eos qui præfata mysteria Incarnationis et Trinitatis quoad substantiam ignorant, etiamsi invincibiliter, esse absolutionis incapaces, et omnes confessiones in hac ignorantia factas esse nullas et iterandas, neque sufficere ea aliquando credidisse, si de facto nunc ignorentur. Huc faciunt sequentes propositiones ab Innocentio XI damnatæ. « Absolutionis capax est » homo quantumvis laboret ignorantia mys» steriorum fidei, et etiamsi per negligen» tiam etiam culpabilem nesciat mysterium » sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis » Domini nostri Jesu Christi : » est 64. » Sufficit illa mysteria semel credidisse : » est 65.

ARTICULUS III.

Cæteræ difficultates circa actum fidei internum expenduntur.

§ I. — *Quæ sint credenda necessitate præcepti ?*

Dico. Omnes fideles in hoc statu legis evangelicæ tenentur ex præcepto obligante sub peccato mortali credere explicite, saltem quoad substantiam et præcipuas circumstantias, 1° omnes articulos contentos in Symbolo Apostolorum ; 2° omnia præcepta Decalogi et Ecclesiæ ; 3° orationem Dominicam ; 4° sacramenta necessario suscipienda, quæ sunt tria, baptismus, eucharistia et pœnitentia.

Ratio primæ partis est, 1° quia Apostoli ex præcepto Christi tenebantur illos artica-

los docere explicite, juxta illud Marci ultimo : *Prædicate Evangelium omni creaturæ ;* et ideo hoc symbolum composuerunt antequam inciperent prædicare : ergo inest fidelibus obligatio illos credendi; inutile namque foret præceptum instruendi, si non sit obligatio credendi; 2° quia nemo censetur verus christianus, nisi credat præcipua fidei christianæ capita, qualia sunt quæ continentur in symbolo Apostolorum ; 3°-ex praxi Ecclesiæ, quæ olim nullum admittebat ad baptismum qui antea non recitaret hoc symbolum. 4° Ita præcipitur cap. Baptizandos de Consec. q. 4. Unde Catechismus Romanus, p. 1, c. 1, n. 2 : « Quæ » primum, inquit, christiani homines teno nere debent, illa sunt quæ..... sancti » Apostoli, divino Spiritu afflati, duode» cim Symboli articulis distinxerunt. »

Ratio secundæ partis est, quia quilibet fidelis tenetur præcepta Decalogi et Ecclesiæ servare : ergo et illa scire, seu credere.

Ratio tertiæ partis petitur 1° ex necessitate cognoscendi ea quæ a Deo petere debemus : hæc autem continentur in oratione Dominica ; 2° ex communi sensu theologorum et fidelium, qui vix pro christiano haberent qui hanc orationem nesciret : unde S. Aug. Serm. 265, alias 215 : « Nescio, » inquit, qua fronte se christianum dicat » qui paucos versus in Symbolo vel oratione » Dominica parare dissimulat » ; 3° ex Innocentio III, cap. *Deùs qui* de Pœnit. et Remiss.

Ratio quartæ partis est, quia hæc sacramenta rite suscipere non potest qui ea et dispositiones ad illa requisitas ignorat.

Q. 2. a. 7. o. — Dixi, *saltem quoad substantiam et præcipuas circumstantias*, quia, ut ait Auctor, subtiles considerationes circa hæc mysteria tenentur aliqui magis vel minus explicite credere, secundum quod statui et officio uniuscujusque competit ; magis pastores, doctores, prædicatores, confessarii, qui aliis instruendis sunt deputati, quam fideles de populo.

Neque etiam erit peccatum mortale, si quis ex negligentia non sciat quæ continentur in conclusione memoriter et eo ordine quo recitantur communiter, modo facta inquisitione, aut data occasione illis utendi, statim intelligat, credat et recte respondeat : erit tamen peccatum veniale propter quosdam textus juris qui ista memoriter teneri præcipiunt, quos tamen de obligatione sub peccato veniali communius intelligunt theologi, Navarrus, Layman, Lopes et plures alii. Ab omni autem peccato excusatur qui propter hebetudinem mentis aut memoriæ labilitatem ea memoriter retinere non potest. Quomodo confessarius debeat se gerere erga pœnitentes ignorantes quæ scire tenentur, require in tract. de Pœnitentia.

§ II. — *Quandonam obliget præceptum fidei?*

Suppono 1° præceptum fidei obligare per se, et non solum per accidens ratione alterius : dantur enim præcepta per se de actibus aliarum virtutum, quidni de actibus fidei ? Neque Christus dixit, Qui non crediderit quando erit pœnitendum aut aliquod aliud præceptum observandum, sed simpliciter et absolute, Qui non crediderit, condemnabitur. Unde Innoc. XI condemnavit hanc propositionem : *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.*

Suppono 2° duplex esse præceptum fidei, unum affirmativum, assentiendi veritatibus revelatis ; aliud negativum, non negandi fidem susceptam seu agnitam : hoc secundum obligat pro semper, non primum, sed determinato tempore, sicut alia præcepta affirmativa : quo autem tempore ?

Dico 1° Præceptum fidei affirmativum obligat per se adultum rationis compotem statim moraliter ac credenda et credendi motiva ipsi sufficienter proponuntur : quia fides est medium necessarium ad salutem, *ut diximus :* tenetur autem adultus statim moraliter adhibere medium suæ saluti necessarium, præsertim cum, si non credat, periculum sit ne agnitæ veritati positive dissentiat, sicque peccet contra præceptum negativum. Adde quod, cum hoc præceptum per se aliquando obliget, non possit assignari tempus convenientius, quam primum instans vitæ moralis, aut sufficientis illuminationis.

Hinc colliges puerum fidelem inter fideles enutritum pervenientem ad usum rationis, et apprehendentem mysteria fidei tanquam a Deo revelata, teneri elicere actum fidei ; similiter infidelem qui, propositis fidei nostræ mysteriis et motivis credibilitatis, certo aut probabilius cognoscit fidem nostram esse veram, et alias sectas esse

falsas: unde Innocentius XI damnavit hanc propositionem. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Secus, si probabilius reputet suam sectam esse veram; debet enim prudenter credere. Quod si dubitet et existimet nostram esse tutiorem, debet eam amplecti; si neutra appareat tutior, in dubio tenetur sub peccato mortali diligenter inquirere de veritate, alias ignorantia veræ fidei fiet ipsi voluntaria et culpabilis. Nec dubito plures esse hujus conditionis hæreticos, præsertim qui versantur inter catholicos. Ista pendent ex dictis de probabilitate in 1, 2.

Dixi, *statim moraliter;* quia quoad pueros, non est nimis scrupulose cum ipsis agendum; sæpe enim accidit quod, etiam adepto usu rationis, mysteria fidei non sufficienter ipsis proponantur, aut quod non apprehendant obligationem gravem credendi; unde raro peccant contra hoc præceptum non eliciendo statim actum fidei.

Quantum vero ad infideles adultos quibus plene et sufficienter fides est proposita, quamque saltem probabiliorem judicant, citius contra hoc præceptum affirmativum peccabunt si brevi non assentiantur, eo magis quod, *ut jam dixi*, instet periculum dissentiendi positive veritatibus revelatis et sufficienter cognitis, sicque peccandi non solum peccato omissionis contra præceptum affirmativum, sed etiam peccato commissionis, scilicet hæresis, contra præceptum negativum non negandi veram fidem agnitam. Quanta autem mora requiratur ut sit mortaliter culpabilis, judicio prudentis relinquitur.

Utrum vero præter hunc casum præceptum affirmativum fidei obliget per se? Multi affirmant, fundati præsertim in condemnatione propositionum sequentium ab Innocentio XI; prima: *Satis est actum fidei semel in vita elicere:* est 17: altera: *Sufficie illa mysteria* (scilicet Trinitatis et Incarnationis) *semel credidisse:* est 65. Adferunt etiam rationes, 1° quod juxta S. Scripturam justus ex fide vivat; 2° quod præcepta aliarum virtutum, spei, charitatis, etc., pluries obligent, quidni et fidei? Hinc dicunt hoc præceptum fidei per se obligare in periculo mortis in quo obligant præcepta spei et charitatis, et homo attingit suum terminum; item, quando urget gravis tentatio contra fidem quæ superari non potest absque actu fidei (videtur tamen in hoc casu obligatio per accidens, *ut mox dicam*); item, pluries in vita: sed quoties? mire variant. Quidam dicunt singulis diebus dominicis et festis, alii singulis mensibus, alii semel in anno, alii in majoribus solemnitatibus, alii aliter.

Opposita sententia etiam plurium tenet quod, posito semel assensu fidei, ejus præceptum affirmativum non amplius obliget per se; quia neque ex S. Scriptura neque ex aliqua lege ecclesiastica potest assignari tempus determinatum in quo per se obliget. Et aliunde, cum sæpe obliget per accidens, non videtur necessitas adstruendi obligationem per se. Ad propositiones damnatas, respondent juste damnari, quia sunt universaliores, nec distinguunt inter obligationem per se et per accidens, cum tamen certum sit sæpius occurrere obligationem per accidens.

Verum hæc responsio non videtur satis firma: istæ enim propositiones in sensu suorum auctorum sunt intelligendæ de obligatione per se, cum nullus unquam negaverit obligationem per accidens pluries eliciendi actum fidei, sicque in eodem sensu damnatæ: unde prima sententia tutior est et tenenda in praxi, sic ut quisque fidelis saltem in solemnioribus festis aut circa illorum tempora, vi hujus præcepti obligantis per se eliciat actum fidei circa omnia revelata.

Dico 2° Præceptum affirmativum fidei obligat per accidens quoties urget aliquod aliud præceptum quod sine fide impleri non potest; quia qui tenetur ad finem tenetur ad media. Non tamen tenetur in hoc casu exprimere in confessione omissionem actus fidei, si illi defuerit; quia, cum hoc præceptum non obliget per se et ratione sui, sed ratione alterius, sufficit istius alterius omissionem exprimere, ut jam alibi observavimus.

Hinc inferes hoc præceptum fidei affirmativum obligare per accidens, quando quis tenetur pœnitere, suscipere aliquod sacramentum, elicere actum spei, charitatis, religionis, ut orare, missam audire, seu celebrare, etc. In his tamen non videtur necesse quod interveniat actus fidei expressus et in actu signato quo quis dicat: Credo Deum esse quem nunc oro, Credo sacramentum esse quod nunc suscipio; sed

sufficit quod implicite etiam actu exercito credat, quatenus ex notitia fidei sciens Deum esse, Redemptorem esse, hoc esse sacramentum, etc., intendit Deum orare, diligere, sacrum celebrare, sacramentum suscipere, etc. Item obligat per accidens hoc præceptum quando urget gravis tentatio contra fidem aut alteram virtutem quæ non nisi expresso fidei actu superari potest. Quamvis enim, si tentatio sit contra fidem, obligatio sit directe ex virtute fidei, non tamen directe ex præcepto affirmativo, sed ex periculo deserendi fidem, ideoque directe ex præcepto fidei negativo.

§ III. — *Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis?*

Hic q. 2. a. 1. ad 3. — *Dico.* Ad assensum fidei requiritur pia motio voluntatis.

Probatur 1° Quia Rom. 10, dicit Apost. *Corde creditur ad justitiam,* id est, voluntate movente intellectum ad credendum, ut explicat S. Doct. ibid. lect. 2. Et colligitur ex usu S. Scripturæ juxta quam cor pro voluntate sumi solet : unde S. Aug. tract. 26 in Joan. ait : *Intrare quisquis ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens.*

2° Intellectus non determinatur nisi vel ab objecto evidenti, vel a voluntate : atqui ad assensum fidei non determinatur ab objecto quod est necessario obscurum et inevidens : ergo.

Ibid. q. 1. a. 4 — 3° Actus fidei est liber tam quoad exercitium quam quoad specificationem, scilicet in ratione assensus potius quam dissensus : ergo indiget motione voluntatis qua determinetur intellectus ad assensum potius quam ad dissensum. *Ant. constat* tum ex Trid. sess. 6, cap. 6, mox citando; tum quia inter eos qui audiebant Christum et Apostolos prædicantes et miracula facientes, quidam credebant, quidam non credebant, Act. 28; tum denique quia actus fidei est meritorius, *ut dicam infra.*

Dices 1° Ad actum fidei humanæ non requiritur motio voluntatis : ergo nec ac actum fidei divinæ.

R. posse negari ant., sed, *eo dato, N. conseq.* Disparitas est, quod actus fidei divinæ sit supernaturalis et longe firmior et difficilior actu fidei humanæ, et ideo ad hunc sufficere potest quædam evidentia moralis orta ex testimoniis, discursu et effectibus, quæ non sufficit ad actum fidei divinæ ; quo enim res est firmius credenda et difficilior et magis supra cursum ordinarium, eo plura et efficaciora requiruntur ad determinandum intellectum ad credendum : unde in difficilioribus et singulariter extraordinariis non raro dicimus : *Non possum credere, Nisi videro, non credam ;* aut non nisi cum formidine oppositi credimus.

Dices 2° Dæmones credunt, Jacobi 2 : atqui non credunt ex pia motione voluntatis : ergo.

R. D. ant. Dæmones credunt fide naturali, *C.* fide christiana et divina, *N.* Credunt ergo dæmones non propter Dei auctoritatem, quod essentialiter requiritur ad fidem christianam, sed coacti evidentia signorum, quæ, propter majorem intellectus perspicaciam, longe melius quam nos apprehendunt : sic nos ipsi, si convicti motivis credibilitatis assensum præberemus rebus fidei præcise propter illa et non propter primam veritatem, fides nostra non foret supernaturalis et christiana.

Dices 3° Voluntatis non est movere intellectum quoad specificationem, sed quoad exercitium tantum : ergo.

R. D. ant. Quando objectum evidentia sua determinat intellectum, *C.* secus, *N.* Est enim inter voluntatem et intellectum quædam sympathia et connexio qua sibi invicem suas virtutes communicant : unde, sicut voluntas communicat intellectui ut per imperium moveat ad exercitium alias potentias, sic intellectus communicat voluntati ut moveat quoad specificationem, quando deest evidentia in objecto intellectus.

Dixi, *pia motio,* quæ nempe sit ab auxilio gratiæ; alioquin non foret supernaturalis, et initium salutis esset a nobis, quod est damnatum in Semipelagianis : unde concilium Arausic. 2, can. 5, definit contra ipsos *credulitatis affectum esse gratiæ donum ;* et Trid. sess. 6, cap. 6, quod peccatores divina gratia excitati et adjuti..... « libere moventur in Deum credentes, » etc. Non est tamen amor charitatis, ut contendunt quidam Neoterici ; alioquin peccator non posset elicere actum fidei, quod est damnatum ab Alexandro VIII, in hac propositione : « Quando in magnis peccatoribus » deficit omnis amor, deficit etiam fides, et, » etiamsi videantur credere, non est fides

» divina sed humana ; » item in Quenello propos. 51 : « Fides non operatur nisi per » charitatem ; » et proposit. 52 : « Fides non » est absque amore et fiducia. » Quid enim prohibet quominus credam inimico quem aliunde veracem reputo ?

Est ergo hæc pia motio complacentia quædam seu affectus, non erga bonitatem divinam in se, quod requiritur ad amorem charitatis, sed erga summam Dei veracitatem, vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ea firmitate quæ superet omnem firmitatem ortam ex quovis actu humano scientifico vel experimentali.

Petes 1° utrum actus fidei possit esse meritorius ?

Ibid. a. 9. o. — *R. affirmative*, quia est supernaturalis et potest habere omnes alias conditiones requisitas ad meritum. Unde Apost. Hebr. 11, dicit quod sancti *per fidem adepti sint repromissiones.*

Petes 2° utrum ratio inductiva ad credendum, seu motiva credibilitatis, minuant meritum fidei ?

Ibid. a. 10. o. — *R.* Si motiva credibilitatis se habeant antecedenter ad assensum fidei, id est, si illum causent per modum rationis formalis sicut divina veritas, ita ut propter illa assentiam sicut propter divinam auctoritatem, minuunt meritum fidei ; quia in hoc consistit meritum fidei, quod intellectus motus a voluntate se subjiciat Deo revelanti, seu credat propter solam auctoritatem seu veracitatem Dei, quæ est illius ratio formalis seu objectum formale quo. Quapropter, si motiva credibilitatis concurrant in eodem genere causæ ad actum fidei, minuunt ejus meritum ; si vero motiva credibilitatis se habeant consequenter ad assensum fidei, id est, si illum non causent per modum rationis formalis, sed inducant tantum intellectum ut credat propter solam divinam auctoritatem, non minuunt meritum fidei, quia ejus objectum formale retinet totum suum influxum et est causa adæquata assensus fidei : sicut, dum magister proponit discipulo principia, discipulus assentitur principiis propter eorum veritatem et non propter propositionem magistri, quamvis necessaria fuerit propositio magistri ut discipulus intelligeret et apprehenderet principiorum veritatem. Igitur *antecedenter et consequenter* in textu Auctoris non intelliguntur de anterioritate et posterioritate temporis, sed de causalitate et non causalitate : sicque babes quod semper debeant præcedere tempore motiva credibilitatis, ut quis prudenter credat, sed quod non debeant ingredi rationem formalem assentiendi ; alioquin minuitur meritum fidei.

ARTICULUS IV.

De actu fidei externo.

Hic q. 3. a. 1. o. — *Supponoactum* fidei externum, qui dicitur *confessio*, ut annotavi supra, esse actum ab ipsa fide elicitum et non solum imperatum ; quia actus dicitur ab aliqua virtute elicitus qui, licet non sit in eadem potentia ac illa virtus, ab ea tamen regulatur et dirigitur immediate, hoc est, nullo alio habitu mediante, *ut patet* in omnibus actibus exterioribus virtutum · atqui confessio exterior fidei a fide regulatur et dirigitur immediate, nullo alio habitu mediante : ergo. Nec obstat quod confessio exterior fidei possit fieri ab eo qui nondum habet habitum fidei, quia suppositio nostra intelligitur de eo in quo est habitus fidei : ista tamen confessio illius qui nondum habet habitum fidei dicitur nihilominus actus fidei, quia ad illam disponit, et versatur circa ejus objectum, sicut eleemosyna facta ab eo qui non habet habitum misericordiæ, dicitur nihilominus actus misericordiæ.

Difficultas est de præcepto actus fidei externi, quod est duplex, sicut diximus de actu interno, unum negativum, non negandi fidem ; alterum affirmativum, confitendi fidem.

§ I. — *De præcepto actus fidei externi negativo.*

Dico. In nullo unquam casu, etiam vitandæ mortis, licet fidem corde retentam ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri seu simulare.

Est contra Helcesaitas, qui, teste Eusebio lib. 6 Hist. cap. 31, docebant fidem in persecutionibus posse ore negari, modo corde servaretur ; item contra Priscillianistas, teste eodem Eusebio, ibid. cap. 70, apud quos erat vulgatum axioma : *Jura, perjura, secretum prodere noli* ; item contra nonnullos hujus temporis politicos, qui in ea sunt opinione, licitum esse cujusvis religionis ritus exercere, modo vera fides firma maneat in corde.

Constat 1° ex verbis Christi, Matth. 18, et Lucæ 12, ubi dicit : *Qui me negaverit coram hominibus negabo eum coram Patre meo ;* et Apost. 2 Timoth. 2 : *Si negaverimus , et ille negabit nos.* Est ergo præceptum divinum negativum non negandi fidem: ea est autem natura præcepti negativi quod semper et pro semper obliget.

2° Negare fidem , est dicere Deum revelasse falsum , vel fidei dogmata non revelasse : atqui utrumque est mendacium Deo injuriosum : ergo nunquam licitum

Hic q. 111. a. 1. o.—Dixi 1° *ore vel facto,* quia utrinque et mendacium cum hac sola differentia quod mendacium *facto* dicatur simulatio.

Dixi 2° *vel falsam simulare , seu exterius profiteri;* quia falsam fidem seu religionem simulare et exterius profiteri, perinde est ac veram negare ; qui enim se verbo dicit aut facto exhibet Calvinistam , se negat catholicum.

Id apprime intelligebat Eleazarus, 2 Machab. 6, qui recusavit carnes porcinas manducare , et ita semper intellixit Ecclesia , quæ Libellaticos tanquam reos negatæ fidei habuit , eo quod pecunia obtinerent libellum testantem ipsos sacrificasse idolis (quod non tamen fecerant) , ut sic se a tormentis redimerent.

Si petas quandonam in praxi quis censeatur facto simulare aut profiteri exterius falsam religionem ?

R. et sit regula generalis. Usupare signa, ritus, cæremonias, vestes, actiones quæ sunt primario distinctiva sectæ a secta , seu quæ sive ex se, sive ex institutione , sive ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei , est illam falsam fidem exterius profiteri; et ideo nunquam licitum. Quæ vero distinguunt primario non sectam a secta, sed gentem a gente, seu quæ per accidens tantum indirecte et secundario sunt significativa professionis falsæ fidei, quamvis sint vitanda ne demus aliquibus occasionem credendi nos negasse fidem, subsistente tamen justa necessitatis causa huic deceptioni præponderante, possunt licite usurpari, quia hoc non est absolute falsam fidem profiteri. Ex hac regula rite intellecta et applicata multos casus resolves : quosdam referam.

Hinc igitur *inferes* 1° flectere genua coram idolo, ei thus adolere , etiamsi intentio dirigatur ad occultum crucifixum , gestare imaginem Mahumeti in collo appensam, sumere cœnam Calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare , pulsare organa , contrahere matrimonium coram ministro benedicente nuptias secundum ritum suæ sectæ , nunquam esse licitum ; quia hæc sunt primario distinctiva sectæ a secta , et primo per se falsæ religionis significativa.

Dices 1° Naaman Syrus, permittente Elisæo, simulavit adorare cum rege idolum in templo Remmon, lib. 4 Reg. 5 ; Jehu, ibid. 10, finxit se velle adorare Baal ut ejus sacerdotes interficeret , et ibidem laudatur ; S Ambrosius, Serm. 69 , laudat S. Eusebium Vercellensem , qui simulavit se esse Arianum ut filium ab hac hæresi avocaret. Ergo.

Ad primum, communis responsio est , quod quamvis Naaman usus sit verbo *adorare* alloquendo Elisæum, nihil tamen aliud petierit quam ut posset præstare regi obsequium civile, in aliis casibus etiam præstari solitum , scilicet regem sustentare honoris causa , dum adoraret in templo Remmon ; quod non est magis illicitum quam dum famuli catholici comitantur dominas aut dominos hæreticos ad templum , deferentes eorum libros, sedes, extremitatem togæ, etc.: hæc enim non sunt protestativa falsæ religionis, sed obsequia civilia. Nec tamen inde sequitur esse pariter licitum sustentare herum furantem ; hæ cenim sustentatio nullatenus ordinatur ad honorandum herum , non enim fur assumit socium ut honoretur , sed ad solum finem malum, nempe furtum ; et ideo est mala. At sustentatio de qua agitur ex usu et institutione ordinabatur ad honorandum regem ; et ideo non mala.

Altera responsio, quæ videtur textui conformior, est quod Naaman non petierit ab Elisæo an sibi liceret adorare seu sustentare regem adorantem, sed ut, casu quo id adhuc faceret, quod illicitum sciebat, Elisæus oraret ut Deus ipsi ignosceret. Cui respondit Elisæus : *Vade in pace :* quasi dixisset : Orabo pro te. Hunc sensum aperte indicat textus, qui sic est : *Hoc solum est*, inquit Naaman ad Elisæum , *de quo deprecaris Dominum pro servo tuo : quando ingredietur Dominus meus templum Remmon ut adoret , et, illo innitente super manum meam , si adoravero in templo Remmon adorante eo* ut

eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei : vade in pace.

Hic q. 111. a. 1. ad 2. — *Ad secundum.* Non est necesse simulationem Jehu excusari a peccato vel mendacio quia malus fuit, utpote ad idololatria Jeroboam non recedens : commendatur tamen et temporaliter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal. Similiter *ad tertium.* S. Ambrosius laudat in S. Eusebio zelum veræ fidei, sed non simulationem.

Inferes 2° e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam Turcicam, aut etiam quam *turbantem* vocant, ad occultandam fidem. Quamvis enim nunquam licitum sit fidem negare, licet tamen eam quandoque celare et dissimulare ; nec illa vestis est primario ad distinctionem religionis, sed gentis ; nec eam assumit catholicus ut credatur profiteri religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi et inquirendi de religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum quæ non sunt destinatæ præcise usibus suæ religionis ; idem de earum vexillis in bello, ut sic decipiantur et vincantur. Propter datas rationes probabilius arbitramur quod deferre in Italia pileum flavum, sicut ferunt Judæi, non sit simulare eorum religionem, adeoque nec illicitum ex causa. Item, licitum est interesse sepulturæ hæreticorum exhibendo eis honorem civilem. Item, arbitramur licitum esse in terris hæreticorum, ad evitandum grave malum, non audire sacrum diebus dominicis et festis, et etiam, saltem probabilius, edere carnes diebus prohibitis ; quia id posse catholicos variis de causis non ignorant hæretici, adeoque nulla inde exterior et apparens fidei negatio : quod si aliqui aliter suspicentur, per accidens est, et potest esse justa causa permittendi seu negligendi eorum suspicionem ; excipe nisi in contemptum religionis ad id adigerentur, aut in professionem falsæ sectæ incitarentur. Item, non est illicitum contrahere matrimonium coram magistratu hæretico, aut etiam ministro, tanquam coram testibus tantum : audire conciones hæreticorum eo fine ut eorum errores refutentur, seclusa prohibitione aut scandalo, non est illicitum ; ex levitate ei curiositate, stantibus iisdem conditionibus et simul secluso periculo subversionis, est peccatum veniale tantum. Sicut enim hæreticus audiens conciones catholicorum non ideo censetur catholicus, ita nec catholicus audiens conciones hæreticorum censendus est hæreticus. Item, non est reus negatæ fidei qui negat se esse sacerdotem aut religiosum, potest enim esse catholicus et non sacerdos aut religiosus. Sicus, si negaret se catholicum aut papistam, ubi nomine papistæ intelligitur catholicus. Quantum ad idolothyta, propter scandalum non licet ea manducare, secluso scandalo licet ; ita colligitur ex Apostolo, 1 Cor. c. 8 et 10.

Inferes 3° contra Tertullianum, non esse per se illicitum fugere in persecutione : quia non est sibi negatio fidei, quin potius quædam ejus professio ; per hoc enim testatur fugiens se esse fidelem, et, ne fidem in tormentis perdat, se, patriam, bona, parentes et amicos derelinquere. Id nedum verbo docuit Christus, dicens Matth. 10 : *Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam,* sed et facto confirmavit, fugiens Judæos volentes eum lapidare : cujus exemplum imitati sunt S. Paulus in sporta demissus, 2 Cor. 11 ; S. Petrus eductus e carcere ab angelo, S. Athanasius et plures alii sancti. Idem dic de solutione mulctæ impositæ catholicis a rege hæretico.

Dixi *per se,* quia per accidens posset esse illicitum fugere : ut si pastor esset necessarius ovibus, fugere non posset, etiamsi mors immineret ; nam *bonus pastor animam ponit pro ovibus suis.* Etiam e converso posset esse per accidens obligatio fugiendi, puta, si vita fugientis esset necessaria bono communi.

§ II. — *De præcepto actus fidei externi affirmativo.*

Hic q. 3. a. 2. o. — *Dico.* Ex præcepto Christi, tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri.

Prob. Christus, Matth. 10, dicit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo ;* Luc. 9 : *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet.* Et Apost. Rom. 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Ibid. — Auctor hic duos casus assignat in quibus hoc præceptum affirmativum fidei confitendæ obligat, scilicet, « quando » per omissionem hujus confessionis subtra-

» heretur honor debitus Deo, et etiam uti-
» litas proximis impendenda : puta, si ali-
» quis interrogatus de fide taceret, et ex hoc
» crederetur, vel quod non haberet fidem,
» vel quod fides non esset, vel alii per ejus
» taciturnitatem averterentur a fide. » S. Doctorem sequuntur omnes theologi, et merito; supposito enim præcepto fidei confitendæ aliquando obligante, non possunt assignari casus in quibus urgaet magis ejus observatio, quam hi duo quos assignat S. Thomas.

Recte observat Sylvius verbum *subtractionis* apud D. Thomam non accipi mere negative pro eo quod est non exhibere honorem Deo, vel non impendere utilitatem proximo; alioquin confessio fidei semper esset in præcepto, siquidem dum exercetur Deus honoratur, et dum omittitur aliquis honor subtrahitur Deo; sed accipi contrarie aut privative, ita scilicet quod censeatur subtrahi honor Deo debitus ex defectu confessionis quando inde vel Deus magna afficitur injuria, vel magnus aliquis honor qui ad eum pervenire poterat ex confessione negligitur. Similiter utilitas proximo impendenda subtrahitur quando per omissionem confessionis aliquis a fide avertitur vel retardatur, aut aliquo magno commodo spirituali privatur de quo non potest opportune aliter pro loco et tempore provideri.

Hinc inferes 1° interrogatum de fide ab auctoritate publica, sive privatim sic publice, teneri etiam cum periculo vitæ ingenue, sine tergiversatione et ambiguitate respondere, et fidem confiteri; non quia tyrannus habet verum jus interrogandi, sed quia est præceptum Christi locis citatis in probatione, præsertim cum loco citato Matth. jubeat nos non timere eos qui occidunt corpus, quod intelligi non potest de non neganda fide pro conservanda vita, sed de confessione expressa : paulo enim ante ibidem dixerat : *Tradent enim vos in concilis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus : cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* : loquendum ergo, non tacendum. Insuper, quid hoc esset aliud quam Christum et ejus sermones erubescere? Et ita semper intellexit Ecclesia in martyribus, qui, a tyrannis interrogati, fidem confessi sunt cum vitæ dispendio. *Et ratio est*, quia ex confessione fidei in hoc casu magnus honor obvenit Deo et fidei, fideles in ea firmantur et sæpe infideles convertuntur; cum e contra, si omittatur, magna Deo et fidei irrogatur injuria et infirmi in fide vacillant. Cum enim infideles apprehendant christianos in hoc casu teneri fidem confiteri, ex omissione statim credunt eos non habere fidem, aut fidem non esse veram : unde merito damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : « Si a potestate » publica quis interrogetur, fidem ingenue » confiteri, ut Deo et fidei, gloriosum con» sulo, tacere ut peccaminosum non dam» no : » est 18.

Dixi, *a potestate publica*, quia interrogatus ab aliquo privato, per se loquendo et secluso scandalo, non tenetur confiteri, sed potest uti æquivocatione, aut dicere : Quid ad te? quis te constituit judicem; tum quia non inde tantus honor subtrahitur Deo, tum quia infideles non apprehendunt fidelem teneri in hoc casu fidem confiteri, sicut cum interrogatur ab eo qui potestate publica fungitur : unde, ex negata confessione non reputant ipsum carere fide, aut fidem non esse veram, sed ipsum hujusmodi interrogationem contemnere; sicque neque honor Dei aut fidei, neque salus proximi periclitantur. Neque etiam dicendus est erubescere Christum, nisi qui ipsum non confitetur quando tenetur confiteri.

Inferes 2° videntem conculcari eucharistiam, crucifixum, imagines aut reliquias sanctorum, Deum aut fidem contemni, hæreticis colloquiis adstantium fidem periclitari, teneri contradicere et fidem confiteteri, si sic ista possit impedire : sic enim exigunt honor Dei, indemnitas fidei et salus proximi.

Inferes 3° quod si princeps aut magistratus hæreticus præciperet ut omnes catholici se proderent, certam vestem aut signum ferendo, quo dignoscerentur esse christiani, hi non tenerentur obedire nec sic suam fidem confiteri, quia istud præceptum foret nimis vagum, nec quis nisi personaliter interrogatus tenetur confiteri : sicque apprehendunt ipsi infideles. Unde nullus ex antiquis tyrannis hunc modum dignoscendi Christianos adhibuit : quapropter ex non observatione hujus legis colligi non potest inobedientes esse christianos, aut eorum

fidem non esse veram ; sicque honor Dei et fidei non periclitatur.

Huc usque de præcepto divino fidem confitendi · ex præcepto autem ecclesiastico in Tridentino, sess. 24, cap. 22, de Reformat. et in bulla Pii V *Sacrosancta* tenentur professionem fidei edere omnes promovendi ad beneficia curam animarum habentia et ad canonicatus aut dignitates cathedrales ; item doctores et professores in academiis.

DISSERTATIO IV.

DE HABITU, SUBJECTO, CAUSIS ET EFFECTIBUS FIDEI.

D. Th. QQ. 4, 5, 6, 7.

ARTICULUS I.

De habitu fidei, per quæstiunculas.

Petes 1° utrum fides recte definiatur ab Apostolo, Hebr. 11 : *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium?*

Hic q. 4. a. 1. o.—*R.* hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimam, quia continet omnia quæ pertinent ad fidei definitionem, *ut patebit ex sequenti explicatione.*

Ibid. — Dicitur *substantia* græce ὑποστασις, seu subsistentia : partim quia fides est inchoatio, basis et fundamentum spei nostræ ; substantia enim est substratum omnibus qualitatibus : partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certo assentire ac si essent præsentes.

Ibid. — Dicitur *argumentum non apparentium*, sumpto argumento pro ejus effectu, seu, ut habet alia littera, *convictio.* Sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhærendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmiter adhæret veritatibus non apparentibus propter auctoritatem Dei revelantis.

Dicitur *non apparentium*, tum quia objectum fidei est non visum, tum ut significetur plura ad fidem pertinere quæ non sperantur, ut sunt bona præterita et mala peccatoribus obventura, v. g. infernus.

Ibid. — Per hanc definitionem fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. Per hoc quod dicitur *substantia rerum sperandarum*, distinguitur a fide humana, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam. Per τὸ *argumentum*, distinguitur ab opinione, suspicione et dubitatione. Per τὸ *non apparentium*, distinguitur a scientia et intellectu primorum principiorum.

Ibid. — Si quis ergo hæc verba in formam definitionis reducere velit, potest dicere quod fides sit « Habitus mentis, quo » inchoatur vita æterna in nobis, faciens in» tellectum firmiter assentiri non apparen» tibus propter auctoritatem Dei revelan» tis : » et hæc definitio coincidit cum hac altera quæ communiter circumfertur : « Virtus divinitus infusa, per quam intel» lectus firmiter assentitur iis quæ a Deo » revelata sunt, propter ipsius revelantis » auctoritatem. »

Petes 2° utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto ?

Ibid. — *R. affirmative*, quia credere, quod est proprium fidei, est actus intellectus, cum versetur circa verum ut tale, sed quia fides pertinet ad intellectum secundum quod movetur a voluntate, *ut dictum est*, Auctor addit debere etiam esse habitum in voluntate, scilicet charitatem, ut actus fidei sit absolute et omnimode perfectus, id est, ut naturaliter procedat ab utraque potentia et sit meritorius ; non tamen ut sit perfectus in ratione assensus, ad hoc enim sufficit firma adhæsio intellectus ex pia motione voluntatis absque habitu.

Petes 3° utrum charitas sit forma fidei ?

Ibid. a. 3. o. et ad 2. — *R.* non esse formam intrinsecam et essentialem ; hæc enim est ordo ad suum objectum ; sed est forma extrinseca et accidentalis, quatenus per charitatem fides, sicut omnes aliæ virtutes, ordinatur ad ultimum finem supernaturalem, sicque ex charitate habet quod suus actus sit perfectus et meritorius : unde illud Jacobi : *Fides sine operibus mortua est.*

Quamvis autem id verificetur etiam de aliis virtutibus, illud tamen Auctor specialiter docet de fide ; quia in S. Scriptura justus dicitur prius et potius vivere ex fide quam ex aliis virtutibus : unde, ut ostenderet unde fides haberet quod esset viva, docet specialiter id habere ex charitate : et hinc fluxit apud theologos communis distinctio fidei in finem vivam, seu formatam, et informem.

Petes 4° ntrum fides informis sit virtus ?

R. quod sit vera virtus, sed imperfecta.

Prob. prima pars. 1° Quia est principium

boni actus determinans intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis : unde, quamvis non faciat habentem simpliciter bonum in genere moris, quod est proprium virtutis perfectæ, facit tamen bonum in suo genere, scilicet intellectivo. 2° Quia competit ei definitio virtutis : est namque bona qualitas mentis qua bene vivitur ; est enim, ut dicebam modo, principium boni actus, et qua nemo ut principio male utitur. 3° Est idem habitus cum fide formata, ut mox dicam. Adde præcepta non dari nisi de actibus virtutum ; datur autem præceptum de actu fidei informis, Hebr. 11 : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.*

Ibid. a. 5. ad 3. — *Patet secunda pars*, quia fides informis non facit hominem simpliciter bonum ; licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, scilicet vitam æternam ; sicque non habet statum et modum perfectæ virtutis.

Dices contra primam partem. S. Th. hic q. 4, a. 5, o, postquam dixit fidem formatam esse virtutem, addit : « Fides autem informis non est virtus ; quia, etsi actus fidei » informis habeat perfectionem debitam ex » parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis. » Ergo.

R. S. Thomam loqui de virtute perfecta. Id aperte *constat* ex eodem art. ad 3, ubi dicit quod « fides formata et informis non » differant specie sicut in diversis speciebus » existentes ; differunt autem sicut perfec- » tum et imperfectum in eadem specie : » unde fides informis, cum sit imperfecta, » non pertingit ad perfectam rationem vir- » tutis. » Eodem sensu intelligendus est S. Augustinus, cum l. 4 cont. Jul. c. 3, dicit non esse veram virtutem nisi in justo.

Petes 5° utrum fides dicenda sit virtus intellectualis ?

R. S. Thomas videtur negare in pluribus locis : sed intelligit S. Doctor virtutem intellectualem illam quæ perficit intellectum secundum proportionem naturæ, ut scilicet sit efficax ad objectum conspiciendum, vel in se vel per resolutionem ad id quod in se conspicitur, ut loquitur in 3, d. 23, q. 2, a. 3, q. 3 : quo sensu fides, quæ est de obscuris, non est virtus intellectualis. Atsi accipiatur virtus intellectualis generaliter pro ea quæ perficit intellectum in ordine ad verum, sive naturale, sive supernaturale, negari non potest quod fides sit virtus intellectualis, cum certum sit rerum divinarum cognitionem esse maximam illius pertectionem.

Petes 6° utrum sit idem habitus fidei formatæ et informis ?

Ibid. a. 4. o. — *R. affirmative. Patet* ex D. Th. mox citato. *Ratio est*, quia habitus non distinguuntur nisi secundum illud quod per se ad habitum pertinet : atqui distinctio fidei formatæ et informis non sumitur secundum illud quod per se pertinet ad fidem, sumitur enim secundum charitatem quæ est in voluntate, cum ydes sit in intellectu. Ergo. *Confirmatur.* Fides formata et informis non differunt objecto. Ergo.

Hinc inferes fidem manentem essentialiter eamdem, posse de formata fieri informem ut dum justus peccat mortaliter ; et e contra informem posse fieri formatam ut dum peccator justificatur.

Dices. Animal mortuum non potest idem essentialiter manens fieri vivum : atqui fides informis est mortua. Ergo.

Ibid ad 2. — *R. N. conseq.* Disparitas est, quod forma qua animal est vivum est ipsi intrinseca et essentialis, scilicet anima, et ideo mortuum non potest fieri vivum idem manens, sed est aliud specie quod est vivum et quod est mortuum : sed forma qua fides dicitur viva non est ipsi intrinseca et essentialis, sed extrinseca, scilicet charitas.

Inst. Opus mortuum non vivificatur ; ergo nec fides mortua.

In 3. d. 23. a. ult. ad 1. — *R. N. conseq.* Disparitas est, quod opus transeat, et ideo non potest iterum sumi ut vivificetur ; habitus autem fidei informis manet : unde adveniente charitate potest vivificari.

Petes 7° utrum fides sit prima inter virtutes ?

Hic a. 7. o. — *R.* esse primam per se ordine generationis, quia cognitio finis est prior ordine generationis ejus intentione et electione ; nihil enim volitum quin præcognitum : atqui per fidem habetur cognitio finis, per spem et charitatem intenditur, et per virtutes morales eliguntur media. Ergo.

Hinc, juxta SS. Patres et Trid. sess. 6, cap. 7 : *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis*

Ibid. - Dixi, *per se*, quia per accidens potest aliqua virtus esse prior fide, quatenus scilicet est removens prohibens; removere enim prohibens pertinet ad causam per accidens : sic fortitudo removens inordinatum timorem impedientem fidem, humilitas removens superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei, sunt per accidens priores fide; non sunt tamen perfectæ virtutes, imo nec essentialiter virtutes christianæ sine fide, vel actuali, vel habituali.

Dixi, *ordine generationis*, tum quia possunt simul tempore, infundi, tum quia ordine dignitatis charitas præcedit juxta illud Apost. 1 Cor. 13 : *Major autem horum est charitas.*

Petes 8° utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus?

Certitudo de qua hic agitur est firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile. Potest oriri vel ex sola motione voluntatis determinantis intellectum ad inhærendum alicui objecto independenter ab alio legitimo motivo, ut contingit in hæreticis, qui quandoque firmius adhærent suis erroribus quam catholici veritatibus fidei : et hæc est impropria certitudo, quæ magis debet dici pertinacia quam certitudo. Vel oritur hæc firmitas ex efficacia medii, seu motivi determinantis intellectum ad assentiendum veritati : et hæc est propria certitudo de qua quæritur. Unde

Q. 4. a. 8. o.— *R.* Fides est certior quoad se omnibus cognitionibus naturalibus, non quoad nos.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Fides habet certitudinem ex divina veritate quæ falli non potest, et quæ veritatibus revelatis certo applicatur per Ecclesiam infallibilem; cognitiones vero naturales habent certitudinem ex naturali lumine rationis, quod (quamvis objectum circa quod versatur quandoque sit certum) est tamen per peccatum tenebris involutum et errori obnoxium, non certum an recte rebus apprehensis applicetur. Ergo

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Illud dicitur magis certum quoad nos, quod intellectus plenius consequitur, quod est illi magis connaturale et proportionatum, quodque ipsum magis satiat et quietat, licet aliunde minus certo assentiatur. atqui cognitiones naturales sunt magis connaturales et proportionatæ intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant et quietant, propter rerum evidentiam in qua ultimo quiescit intellectus humanus, quam fides, quæ est de obscuris et inevidentibus : unde fit quod, quamvis ex parte motivi sit certissima, patiatur tamen ex parte subjecti quosdam motus indeliberatos dubitationis propter debilitatem ingenii nondum videntis veritatem. Ergo.

Et bene nota, hoc solo sensu explicato, juxta S. Thomam, fidem dici minus certam quoad nos, non vero, ut quidam male intelligunt, hoc sensu quod intellectus magis certificetur per lumen naturale quam per lumen fidei : unde concludit S. Doctor quod fides sit *simpliciter* certior, alia vero certiora *secundum quid :* et q. 10, de Verit. a. 12, ad 6 : « Illa, inquit, quæ sunt fidei, » certissime cognoscuntur secundum quod » certitudo importat firmitatem adhæsio- » nis; nulli enim credens firmius adhæret » quam his quæ per fidem tenet. Non au- » tem cognoscuntur certissime secundum » quod certitudo quietationem intellectus » in re cognita (evidenter scilicet) impor- » tat. »

Dices. Fidelis non est minus certus de hac disjunctiva : *Deus est trinus, vel non est trinus*, quam de hac parte determinata, *Deus est trinus;* nihil enim est certius hoc principio : *Quodlibet est vel non est*, in quo fundatur hæc disjunctiva : atqui disjunctivæ assentitur lumine naturali, parti determinatæ lumine fidei. Ergo.

R. D. min. Disjunctivæ assentitur lumine naturali solo, *C.* adjuncto lumine fidei, *C.* Ex hoc enim quod fide teneat Deum esse trinum, magis firmatur ad assentiendum toti disjunctivæ. Quod si quæstio esset de disjunctiva cujus pars non esset revelata et quæ solo lumine naturali cognosceretur, dicendum est quod ejus assensus simpliciter esset minus certus quam assensus fidei; *quod inde patet* quia fidelis potius negare disjunctivam quam articulum quem fide tenet. Cum autem dicitur nihil esse certius hoc principio : *Quodlibet est vel non est*, esto verum sit de certitudine quoad nos orta ex evidentia, ut explicuimus, non tamen simpliciter et ex parte motivi. Insuper, non defuerunt etiam doctissimi qui revocaverunt in dubium an per potentiam Dei absolutam istud principium non possit esse

falsum : sed nec necesse est ad veritatem responsionis quod possit esse falsum; dantur enim gradus in certitudine, et potest una esse major altera, quamvis neutrius objectum possit esse falsum. Denique non est tam certum lumen rationis debite applicari veritati naturali, quam est certum lumen fidei applicari per Ecclesiam veritati revelatæ.

Plura huc spectantia require in tract. de Deo, dissert. procemiali, art. 7, præsertim obj. 2.

Petes 9° utrum fides sit discursiva?

R. negative. Quia, sicut eadem visione videmus colorem et lucem, sic eodem actu assentimur rei revelatæ et revelationi; objectum enim fidei est res revelata, non materialiter, sed formaliter ut revelata : in discursu autem assensus principiorum realiter distinguitur ab assensu conclusionis.

ARTICULUS II.

De habentibus fidem.

Superiori articulo diximus fidem subjectari in intellectu, ut in subjecto quo; quæritur nunc de subjecto quod, et in quibus personis reperiatur : 1° an fuerit in angelo et homine in prima sui conditione? 2° an sit in peccatoribus? 3° an in dæmonibus et damnatis? 4° an in beatis et animabus in purgatorio? 5° an in hæreticis?

Hic q. 5. a. 1. — *Dico* 1° In angelis ante confirmationem et lapsum, et in primis parentibus ante peccatum, fuit fides.

Ibid. — *Prob.* ex Apost. Heb. 11, dicente : *Accedentem ad eum oportet credere :* atqui angelus et homo in prima sui conditione erant in statu accedendi ad Deum : ergo fide indigebant. *Confir.* Angeli ante confirmationem et lapsum, et primi parentes ante peccatum, erant in via ad beatitudinem et peregrinabantur a Domino : qui autem sunt in via ambulant per fidem et non per speciem, ut docet Apostolus, 2 Cor. 5. Ergo. Cum autem S. Augustinus dicit l. 11 de Civit. c. 9, quod natura angelica nunquam sit peregrinata, intelligit quod nunquam fuit extra statum gratiæ.

Dico 2° Fides remanet in peccatore qui non committit peccatum infidelitatis.

Prob. 1° ex Apost. 1 Cor. 13, ubi dicit. *Si habuero omnem fidem.... charitatem autem non habuero, nihil sum ;* quibus verbis aperte supponit charitatem posse separari a fide remanente, sicque fidem posse esse in peccatore.

2° Ex Tridentino sess. 6, can. 8, sic definiente : « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem....anathema sit. » Unde hæc conclusio est de fide. Huc facit hæc propositio 18 ab Alexandro VIII damnata : « Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, » item hæc Quenelli : « Fides non est absque amore et fiducia. »

3° *ratione.* Non omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius : sic qui furatur non ideo desinit credere Deum esse primam et infallibilem veritatem in dicendo. Ergo.

Quando autem SS. Patres dicunt non esse fidem aut ullam virtutem sine charitate, loquuntur de fide viva et virtutibus in esse perfecto, ut jam monuimus.

Ibid. a. 2. o. et ad 2. — *Dico* 3° In dæmonibus et damnatis non remanet fides infusa et supernaturalis.

Prob. Dæmones et damnati sunt spoliati omnibus donis gratuitis, præsertim iis quæ ordinantur ad beatitudinem, quam nec sperant nec sperare possunt : atqui fides est donum gratuitum ex sua natura ordinatum ad beatitudinem; est enim, secundum Apostolum, *sperandarum substantia rerum*, et secundum Tridentinum, initium salutis, radix et fundamentum justificationis. Ergo. *Confirm.* Ad fidem supernaturalem requiritur pia motio voluntatis, seu bonus affectus credulitatis erga primam veritatem revelantem : atqui nulla est in dæmonibus et damnatis pia motio voluntatis, nulla bona voluntas, quippe quæ est firmata in malo; et quamvis id quod agunt sit quandoque ex objecto proximo bonum, illud tamen semper agunt ex prava intentione finis, sicque est semper malum.

Dices 1° Jacobi 2, dicitur : *Dæmones credunt et contremiscunt.* 2° Fides non amittitur nisi per peccatum infidelitatis : atqui peccatum dæmonum et peccatorum fidelium non est peccatum infidelitatis; ergo. 3° Character remanet in damnatis fidelibus : quidni et fides? 4° Dæmones et christiani damnati cognoscunt in inferno veritates supernaturales quas cogno-

verunt in via, puta Deum esse trinum : et esto habeant evidentiam revelationis, id non nocet licet, ut dictum est superius : atqui has veritates cognoscere non possunt nisi per fidem, quæ sola est supernaturalis inter virtutes intellectuales : ergo. 5° S. Th. infra q. 18, ponit differentiam inter fidem et spem, quod fides remaneat in damnatis, non spes. Ergo.

R. ad primum. Dæmones credunt fide infusa ex pia motione voluntatis, *N.* fide naturali et quodammodo coacta, tum ex evidentia signorum, quæ perspicaci mentis acumine penetrant, tum miserabili experientia qua Deum vindicem sentiunt, *C.* Neque refert quod S. Jacobus comparet eorum fidem cum fide peccatorum, quæ est vera fides infusa ; tenet enim comparatio, non quoad utriusque fidei naturam, sed quoad utriusque sterilitatem, quia neutra sufficit ad salutem, cum utraque sit sine operibus. *Solutio patet ex textu.*

Ibid. ad 1.—*Dixi* cum Auctore, *quodam modo coacta*, quia non videtur quod fides dæmonum sit simpliciter coacta, ita ut ipsis nulla remaneat libertas negandi veritates fidei, sed aliquo modo et moraliter tantum eo fere modo quo projectio mercium metu naufragii dicitur coacta : cum enim non habeant evidentiam rerum revelatarum, sed tantum evidentiam in attestante, hæc non simpliciter cogit ad assensum rei revelatæ, quæ semper manet in se obscura, ut superius dictum est.

Ad secundum, D. Fides non amittitur in viatoribus nisi per peccatum infidelitatis, *C.* in iis qui sunt in termino, *N.* Amittitur enim in iis tum ex defectu piæ motionis voluntatis, tum ex subtractione divinæ misericordiæ quæ illam conservabat.

Ad tertium, N. conseq. Disparitas est, quod fides sit propter operationem salutis, cujus est initium et fundamentum : cum ergo in damnatis non sit nec initium nec spes salutis, nulla est fides ; character autem non est determinate ad bonum opus, sed potentia indifferens ad bonum et malum : unde nihil obest quin remaneat in damnatis ad eorum confusionem et distinctionem ab infidelibus, sicut remanet in beatis ad eorum gloriam ; comparatur enim signo militari quod relinquitur in victis ad eorum confusionem, et victoribus ad eorum gloriam ; fides autem comparatur armis quibus spoliantur victi. Adde quod character sit indelebilis, non fides.

Ad quartum, N. min. Fides enim qua dæmones et damnati credunt et cognoscunt veritates supernaturales, licet dici possit supernaturalis ex parte objecti, est tamen naturalis ex parte motivi seu principii ; est enim acquisita vel ex statu viæ, vel ex rerum eventu, vel ex prophetiis impletis, vel ex pœnis quas sentiunt : sicut, si quis ex motivo mere naturali, puta, ex relatione parentum aut alicujus viri docti, crederet mysteria nostra, licet hujus fidei objectum foret supernaturale, ipsa tamen in se et ex parte principii foret naturalis.

Ad quintum. S. Thomas non dixit quod in damnatis remaneat fides infusa, sed simpliciter fides, scilicet naturalis et acquisita, cum nec talis spes in eis remaneat, quia spei etiamsi naturalis objectum est bonum sperantis apprehensum ut futurum, quale non est in damnatis.

1. 2. q. 67. a. 3. o. — *Dico* 4° Fides non remanet in beatis ; bene tamen in animabus purgatorii.

Ibid. in arg. s. c. — *Prob. prima pars* 1° ex Apost. 1 Cor. 13, dicente : *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus ; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est :* id est, cum venerit visio, evacuabitur fides : unde S. Aug. l. 14 de Trinit. c. 2 : « Neque enim, inquit, jam » fides erit (in patria) qua credantur quæ » non videntur, sed species qua videantur » quæ credebantur. »

Ibid. o. — *Prob.* 2° Destructo objecto formali fidei, non subsistit fides : atqui in beatis destruitur objectum formale fidei ; est enim objectum formale fidei prima veritas non visa, quæ intuitive videtur a beatis ; ergo.

Hinc manet probata secunda pars. Animæ enim in purgatorio (idem dicendum de patribus qui erant in lymbo) nondum fruuntur visione beata, sicque remanet in ipsis objectum formale fidei, scilicet prima veritas non visa. Adde quod sperent beatitudinem ; fundamentum autem spei est fides, cum nemo speret beatitudinem nisi credat se posse illam adipisci.

Dices contra primam partem 1° Irenæus, l. 2, c. 47, et Tertul. l. de Pudicitia, videntur docere fidem remanere in beatis. 2° Beati credunt futurum judicium, corpo-

rum resurrectionem et plures alias fidei veritates. 3° Paulus in raptu vidit essentiam divinam et tamen non amisit fidem. 4° Remanent in beatis plures virtutes morales, v. g. fortitudo, temperantia, etc., licet nullus erit earum actus, sed ad ornamentum tantum : quidni fides, quæ est nobilior virtutibus moralibus ?

R. ad primum, Irenæum et Tertullianum posse intelligi de fide non secundum rationem formalem quæ est de non visis, sed secundum aliquid sui, scilicet secundum firmam certitudinem quæ remanebit : unde Irenæus dicit : *Semper fides quæ est ad magisterium nostrum, permanet firma*, quasi diceret : Cognitio de Deo remanet firma.

Ad secundum N. ant. Beati enim hæc et alia cognoscunt vel intuitive in verbo, vel extra verbum per proprias species.

Hic q. 175. a. 3. — *Ad tertium.* Paulus in raptu non amisit fidem habitualem, quia visio non fuit ipsi permanenter communicata sicut beatis, sed transeunter tantum ; non habuit tamen actum fidei incompossibilem cum actuali visione.

3. p. q. 7. a. 3. ad 1. — *Ad quartum, N. conseq.* Disparitas est quod, licet fides sit nobilior virtutibus moralibus, quia versatur circa nobilius objectum, importat tamen imperfectionem respective ad illud, scilicet inevidentiam, et ideo non potest esse ornamentum in beatis, qui vident clare istud objectum ; virtutes autem morales, cum non habeant imperfectionem respective ad suum objectum, possunt esse ornamentum in beatis.

Hic q. 5. a. 3. c. — *Dico* 5° Fides, sive habitualis sive actualis, non remanet in hæretico, qui vel unum tantum fidei articulum pertinaciter discredit. Est communis cum Auctore contra paucos.

Prob. 1° Apost. Galat. 5, v. 5, iis qui sustinebant observantiam legalium esse necessarium ad salutem, dicit : *Evacuati estis a Christo*, id est, a spiritu fidei, ut explicat versu sequenti. Tridentinum, sess. 6, cap. 15, *Asserendum est*, inquit, *non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur*, etc., quælibet autem hæresis etiam circa unum tantum articulum est infidelitas.

Prob. 2° *ratione.* Cessante objecto formali a quo habitus et actus specificantur, cessant et destruuntur habitus et actus : atqui in hæretico qui pertinaciter negat vel unum articulum fidei, cessat objectum formale fidei tam habitualis quam actualis. Ergo. *Prob. min.* Objectum formale fidei sive habitualis sive actualis est prima veritas in dicendo ut manifestata per Ecclesiam : atqui qui negat pertinaciter unum articulum fidei, non credit alios quos tenet, propter primam veritatem ut manifestatam per Ecclesiam ; alioquin et hunc quem negat crederet, cum sit etiam sicut alii revelatus a prima veritate et propositus ut talis ab Ecclesia : sed hunc rejicit et illos tenet ex proprio judicio et propria electione. Unde S. Aug. lib. 17 cont. Faust. cap. 3, alloquens Manichæos : *Qui*, inquit, *in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.*

Dices. Hæreticus hunc articulum negat, non quia credit Deum seu primam veritatem fallibilem in revelando, sed quia non apprehendit illum articulum ut revelatum : alios autem tenet, quia apprehendit illos ut revelatos, sicque in iis quos credit salvatur debita submissio primæ veritati. Neque enim necesse est ad fidem quod credam primæ veritati ut manifestatæ per Ecclesiam, cum Deus per alia media quam per Ecclesiam possit fidem infundere, ut per Prophetarum testimonia, per miracula, per lumen interius, etc., sicut infudit Adæ, Abrahæ, Melchisedech, Apostolis, et adhuc nunc infundit infantibus per baptismum.

Sed contra. 1° Quamvis non negemus propositionem Ecclesiæ non esse absolute necessariam ad veram fidem saltem privatam, et eam posse a Deo infundi per alia media assignata, nulla tamen est ratio dicendi quod hæreticus de quo est quæstio per hæc media illam habeat, et, si illam haberet, esset animo paratus ad credendum omnia quæ ipsi ut revelata proponerentur per Ecclesiam, cujus infallibilitas est etiam de fide. Quæro itaque unde noscit hunc articulum quem negat non esse revelatum, et hunc quem credit esse revelatum, cum uterque proponatur ut revelatus ab Ecclesia, quæ est medium ordinarium ex quo constat de revelatione ? Nihil aliud prorsus assignare potest quam proprium judicium quo sibi persuadet hunc esse revelatum et non istum : unde dici non potest quod unum credat propter primam veritatem,

siquidem prima veritas sit utrique æqualiter applicata per Ecclesiam.

2° Qui negat articulum fidei ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesiæ in proponendis et discernendis revelatis : atqui hæc Ecclesiæ infallibilitas est articulus fidei a prima veritate revelatus in S. Scripturis : ergo negando hunc articulum negat primam veritatem esse infallibilem in revelando, sicque cessat absolute in eo motivum formale fidei pro omnibus ; cum enim istud motivum sit indivisibiliter unum et idem, dum cessat pro uno cessat pro omnibus, sicut si quis probet decem conclusiones ex uno principio, qui illud negaret in una negaret in omnibus.

Prob. 3° ab inconvenienti. Si hæreticus negans unum articulum retineat fidem, esset fidelis ; dicitur enim fidelis qui habet fidem : atqui consequens est contra sensum communem. Ergo.

Respondent non habere integram fidem, sed partem tantum ; fides enim est totum integrale constans partibus, et ideo non debet dici fidelis.

Sed contra. Licet fides ex parte objecti sit totum integrale, quatenus respicit plura a Deo revelata, in ratione tamen habitus et qualitatis, est una et simplex in unoquoque credentium ; quia inclinat ad assentiendum pluribus sub uno et eodem indivisibili motivo, scilicet propter primam et infallibilem veritatem in dicendo. Unde vel perit totus et integer in hæretico, vel remanet totus et integer : si primum, habemus intentum ; si secundum, sequitur inconveniens oppositum.

Solvuntur objectiones contra ultimum conclusionem

Obj. 1° Apostoli in triduo mortis scandalum passi, amiserunt fidem in Christum, neque tamen ideo amiserunt fidem circa alia mysteria, puta circa Trinitatem. Item, Marci ultimo Christus exprobrat illis *incredulitatem et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt ;* et S. Thomas dicitur *incredulus :* atqui tamen non amiserunt prorsus et in omnibus fidem. Ergo. Idem dic de Moyse, qui dubitavit an posset habere aquam ex silice, et de Zacharia, qui non credidit se habiturum filium.

R. ad primum. Apostolos in triduo mortis scandalum passos fuisse, non negando interius Christum, sed non confitendo exterius

Ad alterum. Apostoli redarguuntur, Moyses et Zacharias puniuntur non quod essent pertinaces in negando aliquo articulo fidei sufficienter revelato, sed quod tardi essent ad credendum quod erat sufficienter revelatum ut tenerentur credere sub veniali, non tamen sufficienter ut tenerentur credere sub mortali : unde hærebant sine pertinacia et cum animo parato ad credendum omnia aperte et sufficienter revelata, sicque non erant hæretici.

Obj. 2° S. Aug. l. de Unico Baptismo, c. 5, Judæo ad Ecclesiam accedenti dicit : « Tene fidem resurrectionis mortuorum si- » cut tenebas, sed crede jam Christum re- » surrexisse a mortuis, quod non credebas. » Et similiter hæretico : « Tene christianum » baptismum in nomine Patris et Filii et » Spiritus sancti, sicut tenebas ; sed ag- » nosce Christi Ecclesiam, toto, sicut pro- » phetatum est, orbe crescentem, cui sa- » crilega voce maledicebas. » Ergo Judæus, juxta S. Augustinum, habebat veram fidem resurrectionis mortuorum, et hæreticus baptismatis.

R. D. conseq. Ergo Judæus et hæreticus, juxta S. Augustinum, habent veram fidem naturalem et acquisitam, *C.* supernaturalem et infusam innixam divinæ auctoritati ab Ecclesia propositæ, *N.* Hanc esse mentem S. Aug. constat, quia ibidem pariter dicit idololatræ : « Tene ab uno vero Deo » mundum conditum esse, quod tenebas ; » sed noli credere Deos esse ligna et lapides » et ipsius mundi particulas quas colebas : » sicut autem fides istius idololatræ qua credit Deum esse mundi conditorem, non est supernaturalis et infusa, ita nec fides Judæi et hæretici.

Inst. S. Aug. l. de Patientia c. 26, dicit patientiam schismatici, qui ne Christum neget patitur tribulationes, esse donum Dei : ergo ejus fides est supernaturalis.

R. quod fides schismatici sit donum Dei ex parte objecti ; si enim Deus non revelasset mysteria fidei, numquam ea cognovisset : non est autem donum Dei ex parte principii seu motivi credendi ; non enim credit propter divinam veritatem revelantem, alias omnia crederet. Unde *D. conseq.* Hujus fides est supernaturalis ex parte objecti, *C.* ex parte principii, *N.*

Obj. 3° Hæreticus post hæresim eadem firmitate et facilitate credit articulos quos tenet ac ante : atqui hæc firmitas et facilitas non possunt provenire nisi ab habitu fidei. Ergo.

R. N. min. intelligendo de fide supernaturali ; nam contingit quod hæretiti eadem firmitate et facilitate credant et tueantur non solum articulos fidei, sed ipsos suos errores, ita ut aliquando pro iis asserendis moriantur. firmitas ergo hæc provenit ex sola pertinacia voluntatis, facilitas autem provenit ex habitu fidei acquisito, sive, juxta aliquos, per actus præcedentis fidei, non qua supernaturales, sed qua vitales ; sive, juxta alios, per act. fidei naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti ; sæpe enim fidelis, vel ex instructione parentum, vel ex doctrina catechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus fidei, qui, cum sint naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti ; sæpe enim fidolis, vel ex instructione parentum, vel ex doctrina catechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus fidei, qui, cum sint naturales ex parte principii, generant habitum pariter naturalem, qui remanet in hæresi.

Inst. 1° Hæretici dicunt se recipere quatuor Evangelia ut verbum Dei, et se assentiri contentis in eis propter auctoritatem Dei revelantis : non est autem ratio cur arguamus eos mendacii. Ergo.

R. Sic equidem dicunt hæretici et sic existimant : unde non arguimus eos mendacii, sed falluntur : cum enim prima veritas sit infallibilis simpliciter et in omnibus, qui hanc infallibilitatem negat in uno non credit alia propter illam. Hanc autem negat hæreticus in articulo quem discredit, *ut probatum est ;* tum quia, cum prima veritas sit æqualiter omnibus applicata, non potest esse ratio cur unum credat dum alterum negat, sed hujus ratio est proprium judicium ; tum quia negando unum articulum ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesiæ quæ est Deo revelata, sicque negat primam veritatem esse in omnibus infallibilem.

Inst. 2° Possum fide humana credere homini dicenti unum, et non credere dicenti aliud : ergo similiter in fide divina.

R. N. conseq. Disparitas est 1° quod homo non sit universaliter infallibilis in dicendo secus Deus ; 2° quod auctoritas hominis dicentis non sit solum motivum credendi ea quæ dicit, sed etiam eorum verisimilitudo ; quædam autem sunt aliis verisimiliora. At in fide divina tota ratio credendi est prima veritas infallibilis in revelando.

Inst. 3° Possum errare circa aliquam conclusionem unius scientiæ, et tamen non amittere habitum istius scientiæ circa alias conclusiones : ergo similiter.

Hic a. 3. ad 2. — *R. N. conseq.* Disparitas est, quod in diversis conclusionibus uniu scientiæ sint diversa media per quæ probantur, quorum unum potest cognosci sine alio ; unde homo potest scire quasdam conclusiones ignoratis aliis : at omnibus articulis fidei fides inhæret propter unum medium, nempe propter primam veritatem propositam nobis per Ecclesiam ; et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.

Inst. 4° Possum servare unum mandatum et non aliud, puta, audire sacrum et non jejunare : ergo similiter possum credere unum articulum et non alios.

Ibid. ad 3. — *R. N. conseq.* Disparitas est fere eadem, quia scilicet diversa mandata possunt observari saltem quoad substantiam propter diversa motiva proxima, puta, propter honestatem cuique propriam : at unicum est fidei motivum, nempe prima veritas revelans infallibiliter in omnibus, quam ideo qui rejicit in uno rejicit in omnibus.

Inst. 5° Possum servare unum mandatum ex motivo communi omnibus, et non aliud : sic possum audire sacrum ob auctoritatem Dei jubentis, et non jejunare ; possum diligere unum proximum propter Deum, et non alium ; possum ex motivo justitiæ solvere uni, et non alteri : ergo pariter possum credere unum articulum propter primam veritatem, et non alium.

Ibid. — *R.* 1° *N. ant.* Si enim ex perfecta obedientia, seu propter solam auctoritatem Dei jubentis, unum mandatum observaret, omnia servaret ; si ex solo Dei amore unum proximum diligeret, omnes diligeret ; et si ex solo amore justitiæ uni solveret, solveret et alteri. Ab his ergo generalibus motivis decidit qui unum mandatum transgreditur, et hoc sensu dicitur Jacobi 2 : *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* 2° *Dato*

ant. *N. conseq.* Disparitas est, quod in observatione mandatorum occurrere possint plura obstacula erga unum et non erga aliud; at in articulis fidei, hoc ipso quo creduntur propter divinam auctoritatem, non est difficilius unum credere quam aliud.

Inst. 6° Unus actus contrarius habitui, v. g. temperantiæ, non destruit illum : ergo unus actus hæresis contrarius habitui fidei non destruit illum.

R. N. conseq. Disparitas est, quod unus actus contrarius habitui acquisito, puta temperantiæ, non tollat rationem formalem ejus objecti; unus autem actus hæresis tollit rationem formalem objecti fidei, *ut probatum est.* Unde quidam inutiliter hic laborant in inquirendo quomodo unus actus hæresis destruat habitum fidei : an physice, an moraliter, an per modum causæ formalis vel efficientis, an mediate, vel immediate? *Patet* enim *ex dictis* ipsum destrui ad destructionem objecti sui formalis : cum ergo hæreticus, negans unum fidei articulum, neget primam veritatem, et per hunc actum physice destruat in suo intellectu objectum fidei, eodem modo destruit mediate habitum fidei.

Dices. Theologia remanet in hæreticis : ergo et fides. *Patet conseq.* quia theologia nititur principiis divina fide creditis.

R. N. ant. saltem loquendo de theologia quæ sit ejusdem rationis cum nostra; quia, licet habeat idem objectum formale quod, non habet tamen idem objectum formale quo, nimirum virtualem et mediatam revelationem : objectum autem formale quod non specificat nisi ut substat objecto formali quo. Vide dissert. procem. ad tract. de Deo, a. 5, sub finem.

Ibid. a. 4. o. — *Petes* utrum fides possit esse major in uno quam in alio?

R. non posse esse majorem ex parte objecti formalis, quod in omnibus est unum et simplex, nempe prima veritas, sed posse esse majorem tum ex parte objecti materialis, quatenus unus plura credit explicite quam alter; tum ex parte subjecti, scilicet intellectus, qui certius et firmius altero adhæret primæ veritati, et voluntatis, quæ promptius et devotius se submittit Deo revelanti

Neque solum fides potest esse major in uno quam in altero, sed in eodem divers tempore, quia idem potest modo firmius, modo minus firmiter, modo devotius, modo minus devote rebus divinis assentiri. Unde Apostoli, Luc. 17, dicebant Christo : *Adauge nobis fidem*, et nos in collecta dominicæ XIII post Pentecosten oramus : *Ea nobis fidei, spei, charitatis augmentum.*

S. Th. q. 6, probat fidem non solum formatam, sed etiam informem esse a Deo, tum quoad credibilia quæ ab ipso solo revelari possunt, tum quoad assensum qui est supernaturalis. Ista constant ex his quæ diximus in tract. de Gratia contra Pelagianos et Semipelagianos. Q. 6, probat duplicem esse effectum fidei, timorem scilicet tum servilem cum filialem, et purificationem cordis. Ex apprehensione mali pœnæ per fidem causatur timor servilis; ex apprehensione mali culpæ causatur timor filialis. Per fidem secundum se removetur impuritas erroris, per fidem autem formatam removetur impuritas affectus.

DISSERTATIO V.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Fidei opponitur infidelitas, confessioni fidei opponitur blasphemia. De hoc utroque vitio dicendum in præsenti dissert. Unde sit

ARTICULUS I.

De infidelitate in communi, per quæstiunculas.

Hic q. 10. a. 1. o. — Infidelitas in communi est carentia fidei : et est vel negativa, vel primativa, vel contraria. Infidelitas negativa, est carentia fidei in eo qui nihil audivit de fide, vel non audivit sufficienter. Privativa, est carentia fidei in eo qui audivit sufficienter de fide, et non vult ei assentiri, absque eo tamen quod contrarium asserat. Contraria, est carentia fidei in eo qui, sufficienter de fide instructus, non solum detrectat illam amplecti, sed etiam contrarium asserit et errorem positivum contra fidem sustinet. Equidem Auctor hic duas tantum infidelitates numerat, negativam et contrariam, sed contrariam paulo latius intelligit, prout comprehendit etiam privativam; dicit enim ibidem : « Potest in» telligi infidelitas secundum contrarietа» tem, qua scilicet aliquis repugnat auditus

» fidei : » en infidelitas proprie contraria ; » vel etiam contemnit ipsam : » en privativa

Petes 1° utrum infidelitas sit peccatum ?

R. 1° Infidelitas mere negativa non es peccatum, sed pœna peccati.

Prob. 1° Christus, Joan. 15, dicit de Judæis : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent ;* quod exponens S. Aug. tract. 89 in Joan. dicit quod Christus loquatur de peccato quo non crediderunt in Christum : infidelibus autem negative Christus neque per se neque per suos ministros locutus est, saltem sufficienter. 2° Nemo peccat omittendo quod facere non potest : atqui qui nihil audiverunt de fide, aut non audiverunt sufficienter, non possunt credere, juxta illud Rom. 10 : *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Perinde est ac si diceret : Credere non possunt. 3° Hæc propositio 65 inter Baianas : *Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, damnata est a S. Pio V et Gregorio XIII.

Si dicas omnem infidelitatem esse voluntariam in Adamo, item et voluntate propria ; quia dantur omnibus auxilia sufficientia ad fidem, *R. quantum ad primum*, omnem infidelitatem, prout pertinet ad peccatum originale cujus est pars, esse voluntariam in Adamo : at hoc voluntarium in capite non sufficit ad constituendum peccatum personale distinctum ab originali, quod hic quæritur, ad illud enim requiritur voluntarium proprium et personale. *Secundum* plene solutum est in tract. de Deo, — Ibid. — dissert. 7, art. 8, obj. 5. Require.

R. 2° Infidelitas privativa et contraria est peccatum : 1° quia neno condemnatur nisi propter peccatum : *Qui* autem *non credideriit condemnabitur*, Marc. ultimo ; 2° quia fides est medium necessarium ad salutem. Ergo is cui sufficienter proponitnr, tenetur eam acceptare.

Ibid. a. 2. — *Petes* 2° utrum infidelitas sit in intellectu ?

R. esse in intellectu tanquam in subjecto, pendere tamen a voluntate movente : quia quæ privative vel contrarie opponuntur sunt in eodem subjecto : fides autem cui infidelitas opponitur est in intellectu tanquam in subjecto, dependens tamen a voluntate movente. Ergo.

Ibid. a. 3. o. — *Petes* 3° utrum infidelites sit maximum peccatorum ?

R. esse ex genere suo gravius omnibus peccatis quæ sunt contra virtutes morales ; quia est magis directe contra Deum, quem virtutes theologicæ habent pro objecto, quam peccata quæ sunt contra virtutes morales.

Dixi, *ex genere suo*, quia ex circumstantiis peccata contra virtutes morales possunt esse graviora. Dixi etiam, *peccatis contra virtutes morales*, quia si quæstio sit de peccatis oppositis virtutibus theologicis, docet Auctor infra q. 34, a. 2, odium Dei, quod opponitur charitati, esse gravius ; de quo loco citato.

Ibid. a. 4. o. — *Petes* 4° utrum omnia infidelium opera sint peccata ?

R. negative. Hanc quæstionem ex professo et pro meritis expendimus in tract. de Gratia, dissert. 3, a. 3, § 2. Require ibi.

Ibid. a. 5. o. — *Petes* 5° quot sint species infidelitatis ?

R. Si infidelitas attendatur secundum errorem in diversis quæ pertinent ad fidem, sunt quidem plures species infidelitatis, sed indeterminatæ quoad numerum ; possunt enim errores in infinitum multiplicari.

Si vero infidelitas attendatur secundum comparationem ad fidem, sunt tres species infidelitatis, nempe paganismus, judaismus et hæresis ; quia peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei : tripliciter autem quis potest reniti fidei. Vel enim renititur fidei quam nondum professus est se suscipere ut veram, et est infidelitas paganorum, qui sic dicti sunt a pagis in quos, ab urbibus mandato imperatorum christianorum expulsi, se recipiebant ut colerent sua idola ; antea gentiles dicebantur : vel renititur fidei quam professus est in figura, et est infidelitas Judæorum : vel tandem renitittur fidei quam professus est in manifestatione veritatis, et est infidelitas hæreticorum.

Dixi, *quam professus est se suscipere*, quia ad judaismum vel hæresim videtur non requiri quod revera susceperit fidem in figura vel veritate manifestata, sed sufficere si exterius professus fuerit se suscipere : unde infantes hæreticorum non baptizati, qui ideo nunquam fidem susceperunt, dicuntur hæretici, eo quod secundum æstimationem profiteantur cum parentibus fidem Christi ; item Ariani et Paulinianistæ,

uamvis non vere baptizati, propter eamdem rationem dicebantur a conciliis hæretici.

Ad paganismum pertinent athæi, deistæ et Mahumetani; quia nunquam professi sunt se suscipere, sive in figura sive in veritate, fidem Christi: licet enim Mahumetani agnoscant Christum ut prophetam, non tamen eum agnoscunt ut Deum.

Apostasia non videtur distingui ab hæresi nisi secundum magis et minus; quia apostata deserit totam fidem quam professus est, hæreticus partem tantum: intellige *objective*. Similiter ad unam ex prædictis possunt reduci aliæ infidelitates.

Utrum autem hæ species distinguantur essentialiter, an accidentaliter tantum, dissentiunt theologi. Quidam volunt esse distinctionem accidentalem tantum, quia omnes conveniunt in ea ratione formali, scilicet reniti fidei, seu nolle acquiescere Deo revelanti, in quo sita est essentia infidelitatis; differunt autem tantums ecundum modos accidentales, ratione quorum infidelitas censetur magis vel minus voluntaria, magis vel minus extensa. Ita Wiggers.

Alii ponunt distinctionem essentialem, quia existimant hos diversos modos renitendi fidei constituere diversam rationem formalem in objecto fidei; quia, inquiunt, quando terminus a quo inducit diversam habitudinem erga terminum ad quem, ex illis simul junctis sumitur diversitas specierum essentialium, eo quod talis habitudo mutet rationem formalem objecti. Sic alia est species fornicationis illius qui castitatem professus est, alia illius qui non est professus. Ita Sylvius.

Cæterum, quidquid sit de ista levi speculatione, quantum ad praxim conveniunt utriusque sententiæ patroni has diversas species esse exprimendas in confessione, sicut et determinatos errores, puta, quod negaverit Trinitatem aut Incarnationem, quod professus fuerit Lutheranismum vel Calvinismum; propter graviorem aut leviorem malitiam.

Ibid. a. 6. o.—*Petes* 6° quæ species infidelitatis sit gravius peccatum?

R. quod in infidelitate duo possunt considerari, *ut dictum est*, quorum unum est comparatio ejus ad fidem, et ex hac parte aliquis gravius peccat contra fidem qui fidei renititur susceptæ, quam qui renititur fidei nondum susceptæ; sicut gravius peccat qui non implet quod promisit, quam si non impleat quod nunquam promisit: et secundum hoc hæresis est gravior judaismo, et judaismus paganismo. Aliud quod in infidelitate consideratur, est corruptio eorum quæ ad fidem pertinent: et secundum hoc, cum in pluribus errent gentiles quam Judæi, et Judæi quam hæretici, gravior est infidelitas gentilium quam Judæorum, et Judæorum quam hæreticorum, nisi forte quorumdam, puta Manichæorum, qui circa credibilia plus errant quam gentiles. Harum tamen duarum gravitatum prima præponderat secundæ quantum ad rationem culpæ; quia infidelitas habet rationem culpæ, *ut dictum est*, magis ex hoc quod renititur fidei, quam ex hoc quod non habet ea quæ sunt fidei; hoc enim videtur magis ad rationem pœnæ pertinere: unde, simpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum est pessima.

Petes 7° utrum sit licitum disputare de fide cum infidelibus?

Ibid. a. 7. o.—*R.* 1° Attento jure naturæ, peccat 1° qui, fide semel suscepta, disputat tanquam dubitans de fide, et veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; quia dubius est in fide et infidelis: cap. *Dubius* extra de hæreticis. Dixi, *fide semel suscepta*. Qui enim numquam fidem suscepit, et incipit dubitare, licite disputat ad inquirendam veritatem; imo etiam fidelis qui eo fine disputat ut de veritate quam paratus est amplecti plenius instruatur, licet dubitando peccet, non videtur tamen peccare ex eo quod disputet. 2° Peccat qui disputat cum scandalo infirmorum, quorum scilicet fides ex disputatione magis quassatur quam firmetur; 3° qui non est satis doctus ad argumenta infidelium solvenda.

Ibid.—E contra, attento eodem jure naturæ, sufficienter eruditus licite et laudabiliter disputat cum infidelibus ad confutandos eorum errores, aut ad exercitium coram iis qui ex disputatione possunt proficere; imo ad id tenetur, si ex ejus silentio fides infirmorum veniat in discrimen: sic fecerunt Stephanus, Act. 6; S. Paulus, ibid. 9, et plures alii.

R. 2° Attento jure ecclesiastico, prohibitum est sub pœna excommunicationis omnibus laicis disputare de fide sive publice sive

privatim » ita cap. *Quicumque* de Hæreticis in 6, ubi Alexander IV ait : « Inhibemus » ne cuiquam laicæ personæ liceat publice » vel privatim de fide catholica disputare : » qui vero contra fecerit, excommunicatio- » nis laqueo innodetur. »

Circa hoc decretum plura sunt observanda. 1° Observandum est eo non solum disputationem cum infidelibus prohiberi, sed omnem disputationem de fide catholica.

2° Per *laicos* non intelligi illiteratos, ut quidam volunt, sed eos qui communiter intelliguntur laici, scilicet qui non sunt clerici vel Deo consecrati, ut habetur 12, q. 1. Unde, quamvis fratres conversi dicantur laici ad distinctionem eorum qui sacris ordinibus initiantur, non sunt laici simpliciter, sed ecclesiasticæ personæ, cap. *Non dubium* de Sentent. Excommunicat. et cap. *Quisquis* 17, q. 4. Quapropter, quamvis illis non competat, sicut nec monialibus, disputare de fide propter insufficientiam, præfato tamen decreto nec illi nec istæ ligantur.

3° Pœnam excommunicationis non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, ut notat Glossa in idem caput, et ipsa verba indicant : et ideo Serra post Cajetanum, Ledesma et alios, docet quod hoc decretum non obliget sub mortali ; quia, inquit, lex quæ aliquid sub pœna excommunicationis, suspensionis aut similis censuræ, non latæ, sed ferendæ sententiæ, non obligat ad mortale, nisi quis post sufficientem monitionem contumax fuerit, aut aliunde constet de voluntate contraria legislatoris.

4° Cum odiosa et pœnalia non sint extendenda, sed potius restringenda, τὸ *disputare* est accipiendum formaliter dum fit ad persuadendum, seu, ut ait Cajetanus, « quando vel fides defendenda, vel confu- » tandus error, vel dubium de fide occur- » rit : » non vero materialiter, cum fit honoris vel exercitii causa, sive publice sive privatim. Sic videmus quotidie in publicis disputationibus laicos arguere et respondere in materiis fidei.

5° Cum eodem Cajetano, quod in casu necessitatis vel magnæ utilitatis, ut si hæretici fideles perverterent et non adessent ecclesiastici qui fidei partes defenderent, liceret per epiikiam laico docto disputare. Item etiam extra hunc casum liceret in iis locis in quibus ista lex consuetudine contraria est abrogata, ut videtur esse in multis locis in quibus hæreses grassantur.

ARTICULUS II.

Utrum infideles sint cogendi ad fidem?

Inter infideles, ut jam vidimus, quidam numquam susceperunt fidem, ut pagani et Judæi ; quidam illam aliquando susceperunt, ut hæretici et apostatæ, item quidam subduntur principibus christianis, quidam non.

Ibid. a. 8. o. — *Dico* 1° Infideles qui nunquam susceperunt fidem, sive subdantur principibus christianis, sive non, nullatenus sunt cogendi ad fidem ; possunt tamen cogi ut non impediant fidem, fideive prædicationem, blasphemiis, malis suasionibus, aut apertis persecutionibus.

Prob. prima pars. Nemo potest legitime cogere alium nisi habeat in eum jurisdictionem : atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in eos qui numquam susceperunt fidem, juxta illud 1 Cor. 5 : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* unde, Trid. sess. 14, cap. 2, declarat quod « Ec- » clesia in neminem judicium exercet, qui » non prius in ipsam per baptismi januam » fuerit ingressus. » Similiter principes christiani nullam etiam jurisdictionem habent in extraneos ; in subditos autem licet habeant potestatem ipsos gubernandi politice, non tamen eos cogendi ad finem : quo enim jure illam haberent? non jure naturali, quia præceptum fidei est supernaturale ; non jure divino, nullum enim hujus potestatis extat vestigium in S. Scriptura vel traditione ; imo, ex modo quo Christus misit Apostolos ad prædicandum fidem, contrarium prorsus colligitur : mittit enim illos, Matth. et Luc. 10, non ut milites armatos, sed ut agnos in medio luporum ; jubet ut non portent sacculum neque peram, ut in patientia possideant animas suas, ut omnibus apprecentur pacem ; quod si aliqui neque eos neque Evangelium recipere velint, non mandat ut vim adhibeant, sed simpliciter ut exeant et excutiant pulverem de pedibus suis : et cum, Luc. 9, Samaritani Christum noluissent recipere, ideoque Jacobus et Joannes vellent eos igne cœli consumere, increpando dicit illis Christus : *Nescitis cujus spiritus estis.* Ergo.

Confirmatur. Ecclesia, cui nota est voluntas Christi, prohibet ne infideles vi com-

peliantur ad fidem. Concilium Toletanum IV, occasione regis Sisebuti qui Judæos compulerat ad baptismum, zelum ejus laudans, sed factum improbans, sic statuit can. 57 : « De Judæis præcipit S. synodus nemini deinceps vim inferre.... Ergo » non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius » impellendi. » Innocent. III, cap. *Majores* de Baptismo exponens præfatum canonem : « Est, inquit, religioni christianæ » contrarium, ut semper invitus et penitus » contradicens ad servandam christianitatem aliquis compellatur. » Cœlestinus III, cap. *Sicut Judæi*, tit. de Judæis : « Statuimus, inquit, ut nullus invitos vel » nolentes Judæos ad baptismum venire » compellat. » Unde Gregorius l. 2 Epist. 50 : « Nova, inquit, atque inaudita est » hæc prædicatio quæ verberibus regis » exigit fidem. »

Dices. Princeps christianus potest cogere suos subditos ut deserant idololatriam : ergo et ut amplectantur fidem.

R. N. conseq. Disparitas est, quod colere plures et falsos deos sit contra legem naturæ, cujus custos et defensor est quilibet princeps in suis subditis ; alioquin nulla lege posset illos constringere, cum nullæ leges humanæ obligent nisi quatenus derivantur a lege naturali ; et hinc laudatur Constantinus quod idolorum templa destruxerit : at lex fidei est supernaturalis, ad quam non se extendit potestas sæcularis.

Cætera argumenta quæ contra hanc primam conclusionis partem objici solent et possunt, soluta habes dissert. 3, de Bapt. a. 4. Vide.

Prob. secunda pars. Ecclesia habet jus et mandatum a Christo prædicandi Evangelium in universo mundo : si ergo hanc prædicationem impediant barbari, possunt principes christiani contra eos bellum movere, rebelles domare, sibique subjicere, non quidem ut eos ad credendum cogant, sed ut tueantur jura Ecclesiæ violata, et innocentes defendant, tam eos qui jus habent prædicandi quam eos qui habent jus audiendi : unicuique enim a natura competit jus defendendi innocentes.

Dices. Si principes christiani possunt compellere barbaros non sibi subditos ut non impediant fidem blasphemiis, ut fert conclusio et docet S. Th. sequitur quod possint compellere omnes barbaros et etiam non sibi subditos ut deserant idololatriam, quia justa S. Thomam infra q. 94, a. 3, ad 2, idololatria est blasphemia : atqui *consequens est falsum.* Ergo.

R. N. sequelam. Ad probat. D. Idololatria est blasphemia materialiter et facto, *C.* formaliter et verbo, *N.* Quando autem S. Doctor dicit posse cogi infideles ut non impediant fidem blasphemiis, intelligit, et nos cum ipso, de blasphemia formali, quæ consistit in verbis, ut docet infra q. 13, a. 1.

Ibid. — *Dico* 2° Infideles qui aliquando fidem susceperunt, ut hæretici et apostatæ, possunt corporaliter compelli ut impleant quod promiserunt, et servent quod semel susceperunt.

Prob. 1° Ex jure, cap. *Contra Christianos* de Hæreticis in 6, cap. *Majores* de Baptismo, et cap. *de Judæis* D. 45, desumpto ex concilio Toletano 4, decernitur ad fidei christianæ observantiam cogendos esse etiam illos qui metu vel necessitate baptismum susceperunt, et eos qui in infantia baptizati sunt, quamvis nunquam proprio actu illam professi fuerint. Idem definit Trid. sess. 7, can. 14. Porro, si qui in infantia baptizati sunt, aut metu vel necessitate ad fidem servandam sint cogendi, quanto magis alii desertores ? Sententiam contrariam, quam aliquando tenuerat S. Augustinus, revocavit Epist. 48, his verbis : « Nam mea » primitus sententia erat neminem ad unitatem fidei esse cogendum... sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, demonstrantium superabatur exemplis ; nam » primo opponebatur civitas mea, quæ cum » tota esset in parte Donati, ad unitatem » catholicorum timore legum imperialium » conversa est. »

2° Qui fidem profitentur et baptizantur incorporantur Ecclesiæ, ut ejus subditi, eo se obligant ad hanc fidem servandam : ergo a superioribus compelli possunt ut suæ obligationi satisfaciant ; sin minus, puniri corporaliter, sive per principes suos, sive per alios quibus Ecclesia aut proprius princeps id commiserit.

Dices. S. Th. in hoc eodem articulo 6, probat infideles qui nunquam susceperunt fidem non esse cogendos, quia voluntatis est credere : atqui eadem ratio militat pro hæreticis. Ergo.

Respondet ipse Doctor ibid. ad 3 : « Sicut » inquit, vovere est voluntatis, reddere » autem necessitatis ; ita accidere fidem est » voluntatis, sed tenere eam acceptam est » necessitatis : et ideo hæretici sunt compel- » lendi ut finem teneant. »

Petes utrum ritus infidelium sint tolerandi ?

Ibid. a. 11. o. — *R.* 1° Ritus infidelium principibus christianis subditorum per se loquendo non sunt tolerandi, quia infideles, etiam qui nunquam fidem susceperunt, servando suos ritus peccant contra legem naturæ, cujus, ut jam dixi, custos et defensor est princeps in suis subditis ; qui autem fidem susceperunt, ut sunt hæretici, subjiciuntur Ecclesiæ et principibus christianis, etiam in iis quæ spectant fidem quam professi sunt, ideoque Ecclesia et principes tenentur in eis impedire peccata contra professionem fidei.

Dixi, *infidelium principibus christianis subditorum*, quia quoad alios non subditos qui nunquam susceperunt fidem, neque Ecclesia, neque principes christiani ullam habent in eos jurisdictionem, etiam quoad peccata quæ sunt contra legem naturæ, nisi essent in damnum proximi, ut si eorum ritibus occiderentur innocentes : unusquisque enim, ut jam dicebam, habet jus defendendi innocentes.

Ibid. — *R.* 2° Per accidens, ad vitanda scilicet pejora mala, aut ne impediantur majora bona, possunt tolerari ritus infidelium : quia humanum regimen derivatur a divino, et debet ipsum imitari ; Deus autem permittit aliqua mala ne, eis sublatis, majora bona tollerentur, vel pejora mala sequerentur : ergo similiter in regimine humano. Unde S. Aug. l. 2 de Ordine, cap. 4, dicit : *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Ibid. — *Hinc inferes* recte tolerari ritus Judæorum ; quia, cum in iis olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, et quasi in figura repræsentatur nobis quod credimus. Quantum ad ritus aliorum, attendendum est, *ut dixi*, ad mala quæ ex eorum prohibitione sequerentur, et ad bona quæ impedirentur.

Quærit Auctor hic a. 12, utrum pueri Judæorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi ? Quam quæstionem resolvimus cum S. Doctore negative dissert. 3 de Bapt. a. 4. Require ibi.

ARTICULUS III.

De hæresi.

§ I. — *Quid et quotuplex sit hæresis ?*

Hæresis est vox græca electionem importans : quia hæreticus proprio judicio eligit credendum quod vult. Huic affinis est vox *secta*, dicta a sectando specialem opinionem. Et quamvis utraque vox possit sumi in bonam partem, usu tamen S. Scripturæ, Patrum et omnium theologorum sumitur in malam partem.

Colligitur hic q. 11. a. 1. — *Dico* 1° Hæresis est *error pertinax fidei manifeste contrarius in eo qui fidem Christi in veritate professus est.*

Hæc definitio constat genere et differentia : error est genus, cæteræ particulæ sunt differentia. Explicatur.

Dicitur *error*, id est positivus assensus falsi, seu dissensus veri. Dicitur *error contrarius fidei ;* quia hæresis est vitium oppositum fidei ; unde error, quantumvis pertinax, contrarius veritatibus humanis non est hæresis. Dicitur *manifeste contrarius fidei*, quia, si quis teneret aliquid contrarium fidei, de quo certum et manifestum non foret quod illi esset contrarium, non esset hæreticus saltem formalis : illud autem est certo et manifeste de fide, quod est manifeste et certo a Deo revelatum, sive privatim, sive in S. Scripturis, sive in definitionibus Ecclesiæ, et quod tanquam de fide tenent omnes catholici. Dicitur *contrarius fidei* simpliciter, et non *catholicæ fidei*, ut multi ponunt ; quia arbitramur esse vere hæreticum qui repugnaret veritati privatim, sed sibi manifeste a Deo revelatæ. Sicut enim accidentale est fidei quod credat Deo revelanti privatim, vel publice per Ecclesiam, ut constat de fide Prophetarum et Apostolorum, quibus privatim revelata sunt mysteria nostræ fidei ; sic accidentale est hæresi quod repugnet seu dissentiat Deo revelanti, privatim vel publice, modo constet de revelatione : attamen non haberetur hæreticus ab Ecclesia, nec subiiceretur pœnis hæreticorum ; hæ enim non sunt statutæ ab Ecclesia, nisi in eos qui suæ seu catholicæ fidei sunt rebelles. Dicitur *error in eo qui fidem Christi in veritate professus*

est ; ut distinguatur hæresis a paganismo et judaismo.

Dicitur denique *error pertinax:* et hæc particula indiget majori explicatione; quia est proprius character hæreseos. Pertinacia est obstinata adhæsio propriæ sententiæ contra fidem sufficienter manifestatam, ita ut aliquis contradicat fidei non ex ignorantia, neque propter rationes sufficienter moventes, sed sciens et volens ex sola motione malæ voluntatis, seu præcise quia vult; ita ut de illo dici possit quod de pertinacibus in aliis materiis dici solet: *Stat pro ratione voluntas.*

Hujusmodi pertinaciam requiri ad hæresim *patet*, tum ex ipso nomine; est enim, ut diximus, electio; tum quia, sicut ad fidem requiritur pia motio voluntatis inclinans intellectum ad assentiendum certo veritati obscure revelatæ, ita ad hæresim, quæ fidei opponitur, requiritur prava affectio voluntatis ad dissentiendum pertinaciter veritati per Ecclesiam propositæ: tum ex jure, cap. *Dixi*, cap. *Qui in Ecclesia*, causa 24, q. 3, et Clement. *Ex gravi*, l. 5, de Usuris, ubi non agnoscuntur pro hæreticis nisi qui fuerint pertinaces in negando aliquo articulo fidei; et concilium Lateran, sub Innocentio III, excusat ab hæresi abbatem Joachim, eo quod non fuerit pertinax: tum ex S. Augustino, qui l. 4 contra Donat. c. 16, de errante circa fidem dicit: « Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatæ sibi doctrinæ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. » Et l. 3 de Anima, cap. ultimo: « Ista si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt quot opiniones numerantur. » Hinc in proverbium transiit istud dictum ejusdem S. Doctoris, *Errare potero, hæreticus non ero*, defectu scilicet pertinaciæ. Idem S. Th. q. 8 de Malo et in cap. 11. 1 Cor. lect. 4.

Hinc inferes 1° quod ad pertinaciam non requiratur diuturnitas temporis, neque quod quis sit pluries canonice monitus, sed sufficit dissensus voluntarius fidei per Ecclesiam sufficienter propositæ, quod potest haberi in instanti.

Inferes 2° eum qui ex ignorantia, etiam culpabili, crassa et supina, repugnat fidei, paratus tamen assentiri si esset instructus, non esse hæreticum formalem; quamvis enim mortaliter peccet contra præceptum fidei affirmativum, ignorando voluntarie quæ debet scire, non est tamen pertinax. Imo neque peccaret si ignorantia ejus esset involuntaria et inculpabilis, ut contingit esse inter catholicos rudes, aut qui a parentibus et pastoribus incuriis negliguntur, et etiam inter enutritos apud hæreticos, qui nihil unquam de fide catholica, aut non nisi irrisiones et blasphemias contra illam audierunt, nec ullo dubio hac in re pulsantur; ita ut si alia necessitate medii credenda teneant, et sint animo parati cætera credere si debite proponerentur, non videantur esse extra viam salutis. Nec obstat quod extra Ecclesiam non sit salus; ii enim ratione baptismatis, item fidei quam habent, et internæ dispositionis cætera credendi, dici possunt esse in Ecclesia.

Quod si ignorantia esset affectata, saltem eo fine ut liberius erret in fide, aut quia contemnit auctoritatem Ecclesiæ, ita ut etiamsi ipsi constaret de ejus mente, nollet tamen acquiescere, is esset pertinax et hæreticus formalis.

Contra hucusque dicta de pertinacia *dices*. Ad alia peccata sufficit voluntarium in causa; sic qui occidit hominem ex ignorantia culpabili, est vere homicida: ergo similiter in hæresi. *R. N. conseq.* Quia alia peccata non dicuntur ab electione sicut hæresis, ad quam ideo non sufficit voluntarium commune, quo omne peccatum debet esse voluntarium, sed requiritur voluntarium speciale et pertinax oppositum fidei.

Inferes 3° ad pertinaciam et hæresim formalem non esse necesse quod quis agnoscat dogma quod tenet esse falsum, et oppositum esse verum et revelatum; alias aut nulli aut rarissimi essent hæretici, quippe qui communiter æstimant sua dogmata esse vera et revelata, contraria esse falsa et non revelata: nec enim fieri potest quod quis dissentiat vero agnito tali, nisi indirecte divertendo mentem ab ejus consideratione, ut forte contigit hæresiarchis Luthero et Calvino; sed sufficit quod veritatem ab Ecclesia infallibili propositam neget. Nec obstat quod etiam non agnoscat auctoritatem infallibilem Ecclesiæ in proponendis veritatibus revelatis, sufficit quod possit et debeat eam agnoscere; tot enim ac tanta sunt illius motiva, ut non nisi voluntarie cæcutiens et pertinax eam negare possit: et hinc

Inferes 4° pertinaciam hæresis non esse

immediate et directe contra veritatem revelatam et veracitatem Dei revelantis : ut enim jam dicebam, hæretici nolunt agnoscere se sentire contra veritatem revelatam et Dei veracitatem, quin e contra contendunt suos errores esse veritates a Deo revelatas. Est igitur pertinacia hæresis immediate et directe contra auctoritatem infallibilem Ecclesiæ proponentis veritates revelatas, quam possunt et debent agnoscere, et quam pertinaciter negant : et quia Ecclesia infallibiliter proponit veritates a Deo revelatas, mediate et indirecte pertinacia hæresis est contra illas, deinde contra revelationem, ac demum contra primam veritatem revelantem.

Inferes 5° eum esse formaliter hæreticum qui negat aliquam veritatem quam putat esse ab Ecclesia propositam et definitam, quæ tamen non est; quia effectu est pertinax contra auctoritatem Ecclesiæ.

Petes 1° utrum qui negaret conclusionem theologicam, v. g. qui in hoc syllogismo : *Omnis homo est risibilis : Christus est homo*, negaret hanc conclusionem : *Ergo Christus est risibilis*, esset hæreticus?

R. Vel agnoscit connexionem hujus conclusionis cum præmissis, vel non : si non agnoscat nullo modo est hæreticus; quia iste conclusio non est immediate revelata, nec consequenter de fide : si vero connexionem hanc cognoscat, est hæreticus præsumptive seu illative; quia hoc ipso quo est ipsi evidens connexio inter præmissas et conclusionem, negando conclusionem censetur negare alterutram præmissarum, non naturalem quæ est evidens, ergo alteram quæ est de fide.

Petes 2° utrum dubius in fide sit hæreticus?

Videtur quod non; quia dubius non habet errorem in intellectu, cum nec assentiat nec dissentiat : dubium enim est suspensio inter assensum et dissensum.

Ante resolutionem, distinguendum est duplex dubium : unum negativum, alterum positivum : negativum, quod quidam vocant in actu exercito, est quando quis apprehensa utraque partes opposita, an hoc sit verum vel falsum, neutri assentiens, absque ullo actu positivo suspensus manet : positivum, quod alii vocant in actu signato, est quando quis similiter apprehensa utraque parte opposita neutri assentiens, actu positivo judicat rem esse dubiam et incertam.

Suppono 1° quod qui involuntarie dubitat, non consentiendo dubio, sed illud per actum fidei prompte repellendo, meritum sibi acquirat; si negligenter se habeat ad repellendum sine periculo consensus, peccat venialiter : et talia sunt ordinarie dubia simplicium.

Suppone 2° quod qui voluntarie dubitat de articulo fidei ex ignorantia etiam crassa et supina, paratus illi assentiri si non ignoraret, peccat quidem mortaliter ratione ignorantiæ graviter culpabilis, sed non peccato hæreseos, quia non est pertinax.

His notatis et suppositis, ad petitionem factam inter varias auctorum sententias.

R. 1° Qui deliberate dubitat dubio positivo de aliquo articulo fidei sufficienter proposito ab Ecclesia, v. g. qui judicat dubium esse an detur purgatorium, an Christus sit in eucharistia, cum tamen sciat ita tradi et credi a tota Ecclesia, est formaliter hæreticus, quia, licet non neget veritatem de qua dubitat, judicat tamen positive eam et infallibilitatem Ecclesiæ non esse certas; sicque habet errorem positivum et pertinacem in intellectu, si non explicite contra veritatem fidei de qua dubitat, saltem contra ejus et infallibilitatis Ecclesiæ firmitatem et certitudinem quæ est fidei essentialis, per quod solvitur argumentum initio positum. Et de illo dubitante verificatur quod in jure dicitur : *Dubius in fide est infidelis*, incurritque excommunicationem papæ reservatam, non secus ac alii hæretici.

R. 2° Qui de aliquo articulo fidei sufficienter ab Ecclesia proposito dubitat dubio negativo tantum, id est, suspendit præcise judicium sine ullo positivo actu, quia, v. g. vult nunc aliis attendere, vel non vult in re tanta modo defatigare caput, vel vult inquirere motiva commodius et suavius assentiendi, aut propter simillia motiva, non est formaliter hæreticus; quia, cum non habeat judicium, illud enim suspendit, non habet errorem positivum in intellectu. Neque videtur per se peccare saltem mortaliter, secluso periculo consensus in dubium positivum, nisi tunc urgeat præceptum affirmativum fidei.

Si tamen talis suspensio judicii procederet ex motione voluntatis propter difficultates propositas ab intellectu, non judicante

tamen, quasi iis territæ et veritæ deceptionem; quidam non improbabiliter existimant ibi includi malitiam hæreseos, ita ut suspensio subsecuta ad illam malam motionem voluntatis, sit quoddam virtuale et implicitum judicium de incertitudine objecti fidei. Cæterum res est admodum periculosa; neque dubium est quin voluntarium dubium negativum facile possit transire in positivum, aut ex illo oriri.

Dico 2° Hæresis dividitur 1° in materialem et formalem: formalis est quam definivimus et huc usque explicuimus; materialis est error hominis baptizati contra veritatem fidei ex ignorantia et sine pertinacia. *Patet ex dictis.*

2° Dividitur hæresis in internam tantum, externam tantum, et in internam et externam simul. Interna tantum est error voluntarius contra fidem in sola mente sistens et nullo signo exteriori manifestatus; externa tantum est cum quis ore vel facto negat fidem corde retentam; interna et externa simul, quæ est hæresis completa, est quæ mente concepta verbo vel signo exterius manifestatur, etiamsi nemo adsit, modo sit tale signum ut, si quis adesset, statim intelligeret negari articulum fidei; de quo plura modo.

3° Hæresis externa dividitur in occultam et manifestam: occulta est quæ nulli vel paucis innotescit; manifesta, quæ multis nota est.

§ II. — *De pœnis hereticorum.*

Pœnæ hæreticorum sunt duplicis generis: quædam sunt spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, privatio omnis beneficii, jurisdictionis et dignitatis ecclesiasticæ, item et sepulturæ ecclesiasticæ; aliæ sunt corporales, ut confiscatio omnium bonorum, exemptio subditorum a juramento fidelitatis, infamia et pœna capitis. Pœnæ temporales pertinent ad forum sæculare: unde, iis omissis, dicemus tantum de spiritualibus.

Dico 1° Neque hæreticus materialis, neque mere internus, neque mere externus incurrit excommunicationem et alias pœnas spirituales hæreticorum.

Prima pars patet. Hæreticus enim materialis non est vere et formaliter hæreticus, quia non est pertinax.

Secunda pars etiam constat; quia, licet hæreticus mere internus sit in foro conscientiæ et coram Deo vere hæreticus, non est tamen talis in foro externus et coram Ecclesia, quæ non judicat de internis; et ideo pœnis ab ea decretis in hæreticos non subjicitur.

¶ Quod opponi posset ex concilio Toletano et Tridentino, aliisque juribus, quibus sub pœna anathematis prohibetur non solum aliter *prædicare et docere*, sed etiam *sentire et credere*, solutum habes dissert. 4 de Legib. art. 1, obj. 2; nimirum per *prædicare* et *docere* intelligi auctores et fautores hæreseos, per *sentire* vero et *credere* intelligi eos qui præfatis assentiuntur, assensu tamen exterius expresso. Confer locum citatum.

Tertia pars pariter constat; quia hæreticus mere externus, ut qui vel metu, vel spe lucri, vel ex ira, aliove simili motivo, fide corde retenta, profert propositionem hæreticam, crucifixum aut sanctorum imagines conculcat, cultum idolo exhibet, hæreticorum cœnæ communicat, etc., quamvis gravissime peccet, non est tamen revera hæreticus; quia hæresis est error mentis; pœnæ autem ecclesiasticæ non feruntur nisi in eos qui revera sunt hæretici. Neque refert quod qui occidit hominem ex metu vel spe lucri, vere sit homicida: disparitas est, quod ad homicidium sufficiat occisio hominis absque legitima auctoritate; ad hæresim autem requiritur error in mente.

Et hi omnes consequenter possunt absolvi a quolibet confessario, nisi externus ab Ecclesia, quæ non nisi exteriora judicat, et per exteriora de interioribus præsumit, esset publice denuntiatus ut hæreticus; tunc enim propter scandalum foret vitandus, nec nisi Ecclesiæ reconciliatus deberet absolvi,

Λ*ico* 2° Hæreticus internus, hoc ipso quo suam hæresim exterius distincte et assertive manifestat, etiamsi nullo audiente aut vidente, incurrit excommunicationem soli papæ reservatam, cap. *Excommunicamus* de Hæreticis, cap. *Noverit* de Sententia excommunicat. et in bulla Cœnæ.

Dixi 1° *distincte manifestat;* id est verbo, vel scripto, vel facto, aliove nutu seu signo quod vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex consuetudine, vel ex circumstantiis distincte et determinate hæresim significat; ut si mente sentiens Christum non esse in eucharistia, dicat vel scribat: Christus non est in eucharistia, aut hostiam sacram conculcet, aut in eam spuat, aut non genuflec-

tat, aut caput non aperiat dum elevatur, si tamen hæc duo ultima appareant fieri deliberate : secus, si signum sit indifferens ad significandum hæresim vel aliquid aliud mente conceptum, ut si in eodem casu dicat simpliciter, *Non est*, aut femur percutiat, vel caput inclinet, etc., quia revera non manifestat suam hæresim, cum hæc signa sint æquivoca.

Dixi 2° *assertive manifestat*, id est animo asserendi et profitendi suam hæresim : unde non incurrit excommunicationem qui suam hæresim confessario vel alteri aperit causa consilii aut instructionis tantum ; iste enim actus exterior non est malus, sed bonus, neque ideo ab Ecclesia tam gravi pœna puniendus.

Item non incurrit excommunicationem qui in somno vel plena ebrietate suam hæresim exprimeret. Nec obstat quod qui in ebrietate occidit hominem possit puniri et excommunicari : disparitas est, quod hæresis consistat et compleatur in intellectu, et quod verba non sint hæresis, sed illam tantum significent ; non possunt autem illam ut præsentem significare nisi ab ea procedant et imperentur, quod non contingit in dormiente vel ebrio verba hæretica proferente : at homicidium, licet supponat voluntarium in se vel in causa, consistit tamen et completur in actu exteriori : unde, hoc ipso quo actus exterior est voluntarius in causa, ut in eo qui solet rixari in ebrietate, habet rationem veri homicidii, sicque potest puniri et excommunicari.

Item non incurrit excommunicationem qui manifestat se professum fuisse calvinismum vel habere propositum profitendi, quia non manifestat hæresim quam habet, sed quam habuit aut habebit : neque qui exprimit hæresim ut aliorum, non ut suam, etiamsi ipse interius eam teneat ; neque qui disputando suam internam hæresim asserit, si ex disputatione appareat quod non ex animo asserat, sed disputative tantum.

Dixi 3° *etiamsi nullo audiente aut vidente ;* suffieit enim esse tale signum est quo, si quis adesset, statim intelligeret negari fidem, ut explicui supra : talis enim hæresis pertinet ad forum exterius Ecclesiæ, sicque subjacet excommunicationi, quæ est fori exterioris ; quod autem probari non possit non est quod secundum se non sit fori exterioris, ed per accidens defectu testium.

Quantum ad alias pœnas spirituales hæreticorum, quidam censent hæreticos manifestos non hoc ipso privari suis beneficiis, sed requiri sententiam judicis, quia cap. *Ut commissi* de Hæret. in 6, pontifex dicit esse privandos, aut privatos declarandos : alii volunt hoc ipso privari titulo beneficii, sed non possessione.

Quantum ad sepulturam ecclesiasticam, Sylvius hic censet hæreticum manifestum debere illa privari ante sententiam judicis ; quia cap. *Quicumque* de Hæreticis, decernitur indefinite hæreticos, credentes, receptatores, defensores et fautores esse privandos sepultura, et qui aliter facere præsumpserint excommunicantur. Verum, supposita veritate hujus sententiæ, arbitror esse intelligendam de hæreticis et aliis assignatis ita manifestis, ut nulla tergiversatione et nullo juris suffragio possent excusari, quod rarum puto in praxi : alioquin præberetur materia litibus et contentionibus.

Quantum ad irregularitatem, quidam volunt incurri statim ac hæresis fit exterior, licet maneat occulta, ex eodem cap. *Quicumque :* alii volunt debere esse notam et manifestam, quia Bonifacius VIII, cap. *Statutum* 2, eod. tit. de Hæreticis, videtur interpretari laudatum caput *Quicumque* quoad irregularitatem de hæreticis manifestis et probatis.

Neque solum hæretici incurrunt irregularitem, sed ipsis credentes, eorum receptatores et fautores, imo et ipsorum filii usque ad secundam generationem si pater moriatur in hæresi, usque ad primam si mater moriatur in hæresi, utroque capite citato. *Quicumque* et *Statutum*.

Gravior est difficultas de privatione jurisdictionis : unde sit

§ III. — *Utrum omnes hæretici manifesti priventur jurisdictione, sic ut non possint valide absolvere?*

Suppono 1° hæreticos occultos retinere jurisdictionem, alioquin foret continua anxietas conscientiarum. Aliunde posito errore communi, qui currit in hæresi occulta, Ecclesia confert jurisdictionem, ut diximus in tractatu de Pœnitentia.

Suppono 2° tempore D. Thomæ omnes hæreticos manifestos privari jurisdictione : ita absolute resolvit S. Doctor infra q. 39, a. 3, o. Quæstio est igitur de jure recentiori in concilio Constantiensi. Unde

Dico. Hæretici etiam manifesti, nisi sint nominatim denuntiati, aut nisi ipsi recedant ... Ecclesia retinent jurisdictionem et valide absolvunt.

Prob. ex bulla *Ad evitanda scandala*, Martini V, in concilio Constantiensi, in qua, prout refertur a S. Antonino 3, p. tit. 25, c. 2, sic statuitur : « Ad evitanda scandala et multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenere præsentium misericordiam indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus, in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, præter textu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia aut censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, vel contra collegium, vel universitatem, ecclesiam, vel locum certum, vel certam terram a judice publicata et denuntiata specialiter et expresse : constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. » Deinde excipit solum notorios percussores clericorum. Ex quibus sic arguitur : Ecclesia concedit fidelibus ut possint recipere sacramenta ab hæreticis non denuntiatis expresse et nominatim : ergo eis relinquit jurisdictionem ad validam sacramentorum administrationem, alioquin nulla foret concessio facta fidelibus.

Confirmatur ex hodierna totius Ecclesiæ praxi. Nemo enim putat hodie vitandos esse Lutheranos et Calvinistas notorie hæreticos et excommunicatos ; nemo vitat suum pastorem, etiam quoad receptionem sacramentorum, quamdiu relinquitur in suo beneficio, quamvis sit omnium aut saltem plurium judicio manifestus Jansenista et Ecclesiæ definitionibus rebellis : et sic de cæteris.

Dixi in conclusione, *vel nisi ipsi ab Ecclesia recedant*, tum quia hoc ipso quo recedunt ab Ecclesia renuntiant ejus jurisdictioni, quam ideo Ecclesia non censetur illis contiuuare ; tum quia concilium loquitur de hæreticis inter catholicos versantibus, quatenus si vitandi essent manifestiante denuntiationem, generarentur pericula animarum et anxietates conscientiarum, dum non constaret esse manifestos, aliis affirmantibus, aliis negantius, ut de facto contingit in casu Jansenismi, et difficillimum sit laicis discernere certo an aliquis sit manifeste hæreticus vel non, cum materia hæreseos, ut plurimum, superet eorum captum. Quibus de causis, concilium merito statuit solos denuntiatos esse vitandos : hæ vero causæ cessant dum ipsimet hæretici ab Ecclesia recedunt.

Neque ex dictis sequitur nullum pariter esse censendum peccatorem publicum, nisi denuntiatum, sicque nulli peccatori nisi denuntiato denegandam esse eucharistiam. Disparitas est enim 1° quod lex et praxis Ecclesiæ requirant denuntiationem pro hæretico ut privetur jurisdictione, non in ipsius favorem, sed quia id exigit utilitas et tranquillitas fidelium : non requirit autem denuntiationem Ecclesia ut quis censeatur peccator publicus et a communione repellendus, quia id non exigit utilitas et tranquillitas fidelium. 2° Non pertinet ad fideles judicare de jurisdictione ministrorum, et id sæpe ipsis foret impossibile, sed pertinet ad superiores qui illam concedunt ; pertinet autem ad ministros judicare suscipientibus sacramenta.

Obj. 1° Hæc bulla non reperitur in actis concilii Constantiensis. Ergo.

R. referri a S. Antonio concilio coætaneo, et ab omnibus passim auctoribus.

Inst. 1° Hæc bulla refertur partim a concilio Basileensi, sess. 20, et Lateran. sess. 11, cum majori exceptione ; declaratur enim esse vitandos omnes notorie excommunicatos, quacumque de causa sint excommunicati. Ergo.

R. hanc additionem ab his conciliis factam non esse usu receptam : unde Domini Soto in 4, d. 22, q. 1, a. 4, postquam retulit hæc concilia, dicit : « More et usu Ecclesiæ receptissimum est, ut non vitemus nisi illas duas excommunicationum species (scilicet nominatim denuntiatos, et notorios percussores clericorum) quas prædictum concilium (Constantiense) jussit..... Et ita absque ullo metu tenendum est. » *Et patet ex confirmatione conclusionis.*

Inst. 2° Bulla non loquitur de hæreticis, sed de excommunicatis tantum. Ergo.

R. D. ant. Bulla non loquitur explicite de hæreticis, *C.* implicite, *N.* Loquitur enim bulla de omnibus excommunicatis

absque ulla exceptione, hæretici autem sunt excommunicati : ergo loquitur saltem implicite de hæreticis.

Inst. 3° Quamvis in dicta bulla dicatur quod non sint vitandi manifeste excommunicati in administratione sacramentorum, non tamen licet ministrare illis sacramenta etiamsi non sint denuntiati : ergo nec ab illis recepere.

R. D. ant. Non licet ministrare illis sacramenta, attento jure divino et naturali, *C.* attento jure ecclesiastico, *N.* Conferre sacramenta excommunicato manifesto prohibetur jure naturali et divino ; quia est manifesta profanatio sacramenti nulli utilis : prohibetur etiam jure ecclesiastico sub censura. Bulla itaque tollit prohibitionem Ecclesiæ, ita ut censuram non incurreret qui sacramenta ministraret hæretico manifesto non denuntiato : at non tollit nec tollere potest obligationem juris divini et naturalis. Receptio vero sacramentorum ab excommunicato potest esse utilis et necessaria, et prohibetur tantum ab Ecclesia, quæ prohibitio tollitur per dictam bullam et Ecclesiæ praxim. Nec refert quod peccent ministrando sacramenta, sicut omnes alii mali ministri; penes enim illos est ut convertantur et non peccent, subestque legitima causa negligendi eorum peccatum.

Inst. 4° Bulla loquitur de suspensis sicut de excommunicatis; loquitur enim de omnibus censuris : atqui manifeste suspensus, licet non denuntiatus, non retinet jurisdictionem : ergo nec manifeste excommunicatus.

R. 1° *quosdam negare min.* tum propter paritatem factam, tum quia æque est necessarium ad tranquillitatem conscientiarum quod suspensus manifestus non denuntiatus retineat jurisdictionem, quam excommunicatus manifestus non denuntiatus ; quia, sicut, seclusa declaratione Ecclesiæ, vix constare potest an aliquis sit manifeste excommunicatus, aliis sæpe affirmantibus, aliis negantibus, et inde natum est sequi anxietatem conscientiarum et turbationem fidelium si non retineat jurisdictionem ; ita similiter de manifeste suspenso, si non declaretur ab Ecclesia. 2° Juxta alios disparitas est, quod excommunicatio non privet jurisdictione, nisi in quantum privat communicatione fidelium ; hoc ipso ergo quo conceditur communicatio, relinquitur jurisdictio : at suspensio immediate tollit jurisdictionem ; unde confiteri manifeste suspenso est confiteri manifeste non confessario. Prima solutio magis arridet et videtur conformior intentioni bullæ, intelligendo nimirum de suspenso per legem generalem; nam si personaliter suspendatur per sententiam particularem, non est casus bullæ, et est nominatim denuntiatus, certoque privatur jurisdictione : si tamen sententia maneret secreta, propter errorem communem haberet in exercitio jurisdictionem.

Obj. 2° Hæreticus, etiam ante excommunicationem, non est amplius in Ecclesia nec ejus membrum : ergo privatur jurisdictione Ecclesiæ.

R. N. conseq. Alioquin sequeretur quod hæreticus occultus, qui non est amplius membrum Ecclesiæ, etiam amitteret jurisdictionem : cum itaque hæreticus non denuntiatus, seu ab Ecclesia non recedens, sit adhuc intra ipsam, non simpliciter, sed secundum quid et quoad exteriorem professionem, Ecclesia propter utilitatem fidelium ei continuat suam jurisdictionem. Vide plura huic argumento affinia dissert. 5 de Sacrament. in genere, a. 3, inter objectiones a ratione, obj. 1.

Inst. Hoc ipso quo papa fieret hæreticus manifestus, amitteret jurisdictionem : ergo similiter alii hæretici.

R. Dato ant. N. conseq. Disparitas est, quod alii accipiant ab Ecclesia suam jurisdictionem, quam ipsis continuat donec denuntientur : at summus pontifex suam non habet ab Ecclesia, sed a Christo : nullibi autem est delaratum quod Christus illam continuet pontifici manifeste hæretico, cum id possit innotescere Ecclesiæ, et Ecclesia de alio pastore possit sibi providere. Communior tamen sententia tenet, quod pontifici etiam manifeste hæretico Christus ex speciali dispensatione, propter bonum commune et tranquillitatem Ecclesiæ, continuet jurisdictionem donec ab Ecclesia declaretur manisfeste hæreticus.

Cæterum, observandum est quod, cum hæretici et alii excommunicati peccent sacramenta ministrando (in nullo enim per laudatam bullam relevantur, quippe quæ tota est in favorem fidelium, ut eorum periculis et anxietatibus obvietur), non liceat eos adire pro sacramentorum receptione, nisi ex legitima causa; tum quia periculum

est ne sua jurisdictione abutantur in perversionem fidelium; tum quia ex præcepto charitatis et religionis tenemur, quando commode possumus, impedire peccatum proximi et irreverentiam sacramenti. Quæ sint legitimæ causæ vide dissert. 5 de Sacrament. in genere, a. 6, concl. 2.

§ IV. — *Quis possit absolvere ab hæresi?*

Quidam existimant episcopum posse absolvere ab hæresi occulta, ex Trid. sess. 24, cap. 6 de Reformat. ubi dicitur : « Liceat » episcopis..... in quibuscumque casibus » occultis, etiam apostolicæ Sedi reservatis » delinquentes, quoscumque sibi subditos in » diœcesi sua, per seipsos aut vicarium ad » id specialiter deputandum, in foro con» scientiæ gratis absolvere, imposita pœ» nitentia salutari. Item in hæresis crimine » in eodem foro conscientiæ, eis tantum et » non eorum vicariis sit præmissum. »

Verum communior et tutior sententia tenet huic facultati a Tridentino concessæ esse derogatum per bullam *Cœnæ*, prout edita est post Tridentinum a Sixto V, Gregorio XIII, Clemente VIII et Paulo V, non solum quoad hæresim, sed etiam quoad alios casus in hac bulla contentos. Sic enim legitur : « A prædictis sententiis nullus per » alium quam per Romanum pontificem, » nisi in mortis articulo constitutus..... ab» solvi posset, etiam prætextu quarumvis » facultatum et indultorum quibuscumque » personis ecclesiasticis, sæcularibus... per » nos et dictam Sedem, ac *cujusvis con*» *cilii decreta*, verbo, litteris, aut alia qua» cumque S. Scriptura in genere et in specie » concessorum. » Adde Tridentinum non legebatur : *Prætextu indultorum per cujusvis concilii decreta concessorum*, sed *prætextu cujuscumque privilegii, vel concessione apostolica;* ut constat ex S. Antonino 3, p. tit. 25, cap. 72, et Summa Angelica, verbo excommunicatio 6, casu 31. *Ex quo patet* posteriores pontifices, addendo *cujusvis concilii decreta*, respexisse ad indultum concilii Tridentini. Quapropter videtur dicendum quod, extra periculum mortis, solus pontifex, aut is cui commiserit, possit absolvere ab hæresi occulta et ab aliis casibus etiam occultis bullæ *Cœnæ*, in locis in quibus hæc bulla viget.

Si dicas in pluribus diœcesibus inter casus episcopis reservatos reponi hæresim, *R.* ita esse tum quia olim erat ipsis concessum ab ea absolvere, tum quia solent episcopi a summis pontificibus obtinere facultatem absolvendi per se vel per alios ab hæresi etiam manifesta, *ut patet* ex bulla Gregorii XIII ad episcopos Belgii, an. 1576, et praxi episcoporum.

Petes utrum saltem virtute jubilæi possint confessarii absolvere ab hæresi occulta? *R.* juxta plurium sententiam, posse quando in bulla jubilæi comprehenduntur etiam casus bullæ *Cœnæ*. Attamen, quia plures testantur hunc esse stylum curiæ Romanæ, ut hæresis non comprehendatur sub generali clausula casuum bullæ *Cœnæ*, tutum non arbitror absolvere ab hæreri occulta virtute jubilæi, nisi in bulla fiat expressa mentio de illa, aut saltem evidenter indicetur : ut si bulla diceret, sicut quædam dixerunt, concessionem absolvendi *non suffragari hæreticis aut schismaticis specialiter declaratis aut condemnatis;* id enim aperte innuit suffragari occultis. Et ita se resolvisse dicit Sylvius in jubilæo Innocentii X, anno 1644.....

§ V. — *De libris hæreticorum et aliis prohibitis.*

Suppono tanquam certum, Ecclesiam habere jus prohibendi et condemnandi libros hæreticorum et alios perversam doctrinam continentes; habet quippe jus invigilandi deposito fieri et impediendi ne fideles, quorum salus ipsi commissa est, pervertantur : ad hæc autem necessariumest removeri libros hæreticorum et alios fidei et morum corruptivos. Et hæc fuit constans ejus praxis a primis sæculis. Sic concilium Nicænum jussit comburi libros Arii, texte Socrate l. 1, c. 6, et Nicephoro l. 8, c. 18; Valentiniani et Marciani edicto, quod legitur actione 3 concilii Chalcedonensis, Nestorii libri pariter addicuntur igni. Item cap. *Fraternitatis* de Hæreticis prohibentur libri Pelagii. In synodo Constantiensi libri Joannis Hus et Wicleffi etiam traditi sunt igni. Ante hæc omnia, tempore Apostolorum, *multi ex eis qui fuerunt curiosa sectati contulerunt libros et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium;* Act. 19.

Permittuntur tamen libri paganorum et quorumdam antiquorum hæreticorum, ut Tertulliani; quia, cum errores quos conti-

nent sint noti et antiquati, nulli scandalo esse possunt, et aliunde prosunt, sive propter elegantiam styli, sive propter antiquitatis notitiam.

Dico. Excommunicantur excommunicatione papæ reservata « hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis apostolicæ scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore. » Ita in terminis bullæ *Cœnæ*, necnon plures pontificum constitutiones, Pii IV constitut. 77, Sixti V constitut. 74, Clementis VIII constit. 36, apud Cherubinum.

Suppono quod ista lex sit pœnalis et in materia odiosa, adeoque non extendenda, sed potius restringenda, et secundum rigorem terminorum intelligenda. Nec refert quod sit favorabilis fidei, sufficit quod sit odiosa respectu libertatis humanæ; alioquin nulla foret lex odiosa, cum nulla sit quæ non faveat bono communi. Explicatur itaque ista lex.

Dicitur 1° *libri*, id est, opus ea quantitate compositum, ut prudentum judicio censeatur liber. Quidam requirunt decem folia, sive illud opus sit typis impressum, sive manuscriptum, modo sit per modum operis completi etlibri typis mandata. Manuscripta enim etiam vocantur libri; sic erant ante inventionem artis typographicæ, et sunt plures bibliothecæ, quæ constant, ut plurimum, libris manuscriptis, sive etiam sit totum simul compactum, sive sit folium aut pars a libro separata; quia, cum totum nihil aliud sit quam ejus partes, toto prohibito prohibentur ejus partes. Secus, si esset folium errans quod non esset pars alicujus libri, ut epistola, professio fidei, concio; hæc enim non veniunt nomine libri. Posset tamen incurrere excommunicationem non reservatam, latam regula decima Indicis Romani contra legentes non solum libros, sed « etiam scripta hæreticorum, vel » cujusvis auctoris, ob hæresim vel ob falsi » dogmatis suspicionem damnata et prohibita; » ut dicam infra.

Dicitur 2° *libri hæreticorum* formaliter qua hæreticorum; unde non incurreret excommunicationem bullæ *Cœnæ* legens librum illius qui ante vel post compositionem libri fuit hæreticus, incurreret tamen excommunicationem non reservatam Indicis, si liber fuit prohibitus propter hæresim aut suspicionem falsi dogmatis: *patet* ex textu supra citato. Idem dicendum de libro auctoris catholici cui hæreticus scholia et notas annexuit: remanet quidem liber catholici, sed sunt scripta hæretici. Nullam autem censuram incurrit qui legit libros non baptizatorum, quia non sunt hæretici.

Dicitur 3° *hæresim continentes*: ad quod non videtur sufficere quod tractando ex professo de aliqua materia, puta, de navigatione, de agricultura, de historia, inserat aliquam propositionem hæreticum transeunter, nihil adferendo pro aut contra, alioquin vix ullus liber hæreticorum posset legi; sed videtur requiri quod, licet incidenter, theologice tamen asserat hæresim, eam aliquo saltem modo probando, aut argumenta solvendo.

Dicitur 4° *vel de religione tractantes*: quamvis igitur non contineat hæresim, sufficit quod de religione tractet, puta, explicando S. Scripturam, dogmata fidei, casus conscientiæ, etc. Dicitur autem de religione tractare, non qui incidenter et occasione data aliquam propositionem aut levem digressionem inserit, etiamsi probando et defendendo, modo non contineat hæresim, sed qui ex professo et instituto de fidei et religionis doctrina agit et disserit, quamvis sine hæresi.

Has duas ultimas observationes intellige de hæreticis et non de hæresiarchis, quorum libri secunda regula Indicis, cujuscumque sint argumenti, prohibentur in eorum detestationem et odium.

Dicitur 5° *legentes*, etiamsi tantum oculis et non voce; quia hoc est legere, licet non sit recitare. *Legentes*, inquam, et non solum audientes, etiam, saltem probabiliter, si unus puta famulus ex heri mandato ipso legeret; quia adhuc in rigore non legit, verba autem hujus legis pœnalis in omni rigore sunt accipienda: posset tamen peccare contra jus naturæ propter periculum perversionis et etiam incurrere excommunicationem, si non ut legens, saltem ut defendens. Item *legentes* intelligibiliter et idiomate sibi noto: unde probabilius arbitramur legentem idiomate sibi ignoto non incurrere excommunicationem, non quia in hoc casu cessat finis legis, qui est periculum subversionis, ut quidam autu-

mant, fatemur enim non cessare legem cessante ejus fine in aliquo particulari casu; sed quia existimamus hunc casum nunquam a legislatore fuisse comprehensum sub lege: præsumitur enim quod legislator nunquam intenderit hunc casum ex quo nullum posset esse periculum perversionis. Nec obstat quod prohibeatur simplex retentio sine lectione: disparitas est, quod retentio possit esse occasio lectionis scandalosæ, non lectio idiomate ignoto. Item *legentes* in materia sufficienti ad peccatum mortale; gravitas autem vel levitas materiæ in hoc peccato sicut in aliis desumenda est ex fine legis, qui hic est periculum subversionis. Unde, qui incidens in hæresim legit paucas lineas, peccat mortaliter et incurrit excommunicationem; secus si, advertens materiam esse indifferentem, puta historicam, legit paginam, quie in primo casu non in secundo, se exponit perinulo subversionis et contra totum finem legis agit. Confer quæ dixi dissert. 8 de Peccatis a. 3, § 3, sub finem.

Dicitur 6° *legentes scienter*: unde, qui legeret librum hæreticorum ignorans etiam ignorantia crassa et supina, vel hunc librum esse hæreticorum, vel esse prohibitum legere libros hæreticorum, vel esse prohibitum sub excommunicatione, illam non incurreret; quidam addunt, etiamsi ignorantia sit affectata, propter istam particulam, *scienter*. Pro quo vide quæ dissert. 5 de Peccatis, a. 7.

Dicitur 7° *aut retinentes*, sive ad legendum, sive ad ornatum, sive ob antiquitatem, sive ad insolvendum merces, aut ad alium quemlibet usum; quia illorum librorum retentio est continua occasio præsentibus et futuris eos legendi cum periculo lapsus: intellige tamen retinentes sufficienti tempore ad peccatum mortale, quod desumi debet, *ut dictum est* de lectione, ex fine legis, qui est idem, scilicet periculum subversionis vitandum; nam ex retentione sequitur periculum legendi, et ex lectione periculum subversionis. Confer dissert. 8 de Peccatis prius citatam.

Dicitur 8° *imprimentes*, quales censentur omnes proxime concurrentes ad impressionem, ut disponentes typos, tingentes atramento, madefacientes chartas, premente orcularia, corrector foliorum, director impressionis; non vero conficientes et vendentes typos, chartas, atramentum, quia remote tantum concurrunt.

Dicitur 9° *defendentes*, ut qui librum laudant, commendant, verbo vel scripto defendunt, occultant, aut alio modo impediunt ne deferatur aut comburatur.

Dico 2° Qui legit non solum hæreticorum libros, sed cujusvis auctoris scripta titulo hæresis prohibita, incurrit excommunicationem non reservatam. Qui vero libro alio titulo prohibitos legit, peccat, sed non incurrit excommunicationem.

Ita regula decima Indicis concilii Tridentini his verbis: « Si quis libros hæreticorum vel cujuscumque auctoris scripta ob » hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit » sive habuerit, statim excommunicationis » sententiam incurrat. Qui vero libros alio » nomine interdictos legerit aut habuerit, » præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur. »

Ulterius prohibetur lectio bibliorum et controversiarum inter catholicos et hæreticos vulgari idiomate, sine licentia episcopi aut inquisitoris, regula quarta et sexta Indecis præfati; item, librorum qui res lascivas seu ob scœnas ex professo tractant, narrant aut docent, regula septima; et plurium aliorum in eodem Indice. Verum observant auctores hunc Indicem non esse quoad. omnia in toto rigore receptum.

Petes utrum qui legit in libris catholicorum quædam dicta exscripta ex libris hæreticorum vel aliorum auctorum damnatorum, peccet et incurrat excommunicationem?

R. negative; quia imprimis non sunt libri hæreticorum, et quamvis possint dici eorum scripta, seu pars libri prohibiti, usu tamen recepto reputantur propria auctorum catholicorum in quorum libris sunt inserta, tanquam earum partes, et sic apprehendit sensus communis. Unde praxis omnium auctorum catholicorum est ut, occasione data, fragmenta hæreticorum vel aliorum auctorum damnatorum exscribant in suis operibus, sive ut eorum mens ac doctrina dignoscatur, sive ut eorum errores refutentur, sive etiam ut veritati asserendæ deserviant, quando nempe depromuntur ex libris prohibitis, sed auctorum aliunde catholicorum, qui, licet in quibusdam lapsi,

sæpe tamen in pluribus egregie pro veritate scripserunt et decertarunt.

ARTICULUS IV.

De apostasia

Hic. q. 12. a. 1. o. — Apostasia græce idem est ac latine discessio seu desertio. Si generaliter sumatur, omne peccatum potest dici apostasia, quia est discessio a Deo et ejus mandatis. Specialiter autem sumpta, est discessio a bono quod quis solemniter professus est, et est triplex, apostasia a fide, a religione, et ab ordine.

Ibid.—*Dico* 1° Apostasia a fide est desertio totius fidei et per hoc distinguitur ab hæresi, quæ est desertio fidei quoad partem tantum. Hæc autem distinctio non est essentialis, eadem enim est definitio hæresis et apostasiæ, nimirum error pertinax in intellectu, in eo qui fidem in veritate manifesta suscepit. Quod vero apostata deserat totam fidem et hæreticus partem tantum, facit distinctionem accidentalem secundum magis et minus. Attamen, secundum communiorem sententiam de circumstantiis notabiliter aggravantibus confitendis, aperiendum est in confessione an fuerit apostasia vel hæresis; an apostata ad paganismum, vel judaismum, vel athæismum recesserit. Apostatarum a fide pœnæ eædem sunt ac pœnæ hæreticorum.

Dico 2° Qui religionem approbatam quam tacite vel expresse professus est, sine legitima superiorum licentia deserit cum animo non redeundi, etiamsi non dimisso habitu, est apostata : quia, sicut habitus non facit monachum, sed professio vitæ religiosæ, sic dimissio habitus non facit apostatam, sed recessus a vita religiosa. Quod si dimittat habitum, ipso facto excommunicatur cap. *Ut periculosa*, tit. ne Clerici et Monachi, in 6, l. 3. Si vero non dimittat habitum, jure communi non excommunicatur; sed unusquisque consulere debet leges sui ordinis : in nostro Prædicatorum ordine, excommunicatur ipso facto dist. 1, cap 20, litt. *A*. Item, si temere dimittat habitum, animo scilicet vagandi, etsi cum voluntate redeundi, non est quidem apostata, attamen ipso facto excommunicatur cap. citato *Ut periculosa*.

Si vero non temere et causa vagandi, sed ex legitima causa dimittat habitum, sive intra claustrum, puta causa somni, quietis, infirmitatis, etc., sive extra claustrum, puta metu mortis incedendo per terras infidelium, vel causa vitandi scandali incedendo noctu, aliave causa rationabili, non peccat nec incurrit excommunicationem; quia laudatus canon est tantum contra dimissionem habitus temerariam quæ sit materia apta evagationi. « Ut periculosa, inquit, religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacite vel expresse professus, in scholis vel alibi temere habitum suæ religionis dimittat..... Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto. » Dimissio autem habitus ex causa rationabili non est temeraria. Imo, etsi temere et sine causa legitima dimitteret intra claustrum ibi remanendo, non incurreret excommunicationem, quia non foret materia apta divagationi.

Multi tenent quod religiosus qui temere et sine causa occultat habitum extra claustrum, ut nihil appareat, sit excommunicatus; quia talis occultatio est quædam moralis dimissio et apta materia vagandi. Posset forte reponi quod non sit stricte dimissio, et quod ista lex pœnalis sit stricte intelligenda; sed nolim contradicere sententiæ communi.

Dico 3° Qui ab ordine sacro sine legitima dispensatione retrocedit ad statum sæcularem, est apostata et peccat mortaliter; quia deserit statum cui per Ecclesiam erat solemniter mancipatus, et quem deserere vetant plures canones, pœnis impositis contra transgressores.

Qui vero recedit a minoribus, non est apostata, nec per se loquendo peccat; quia nullo jure huic statui adstringitur, sed se habet sicut novitius in religione, quam libere potest deserere.

ARTICULUS V.

De blasphemia.

Ibid. q. 13. a. 1. o. — Blasphemia est vox græca significans idem ac latine maledictio. Sumitur a theologis pro maledictione derogante excellenti bonitati, præcipue divinæ. Unde

Ibid. — *Dico* 1° Blasphemia definiri potest : *Cordis vel oris locutio, qua per modum convicii dicitur aliquid derogans excellentiæ divinæ bonitatis;* seu brevius : *Contumeliosa contra Deum locutio.*

Explicatur. Dicitur 1° *cordis vel oris*, quia utroque loquimur, et dæmones, qui nonnisi mente loquuntur, blasphemant.

Dicitur 2° *per modum convicii :* per quod distinguitur ab infidelitate simplici, quæ consistit in assensu contra fidem. Ad blasphemiam autem non requiritur assensus contra fidem, sed sufficit quod de Deo dicatur aliquid per modum convicii.

Neque ad id requiritur, *quod bene nota*, explicita et expressa intentio Deum conviciandi et inhonorandi, sed sufficit virtualis et implicita, quatenus per verba, aut per modum ea pronuntiandi, juxta communem apprehensionem, Deus dehonoratur et contemnitur. Unde non assentior iis qui dicunt non esse blasphemiam, sed tantum vanum usum divini nominis, quando quis indignando, non Deo, sed homini, profert caput, mortem, sanguinem Dei et similia ; ista enim verba eo modo pronuntiata sunt Deo contumeliosa, licet alterius occasione prolata : consequenter ibi est virtualis et implicita intentio dehonorandi Deum. Et alioquin raræ admodum forent blasphemiæ, cum tamen reputentur frequentissimæ. Unde S. Th. hic a. 2, ad 3, dicit quod, qui subito ex aliqua passione in verba blasphema prorumpit advertens ad eorum significationem, blasphemiam mortalem committat ; qui autem hæc et similia profert non modo contumelioso, sed vel recitative vel historice, non est blasphemus : unde specialiter attendendum est ad modum pronuntiandi.

Dicitur *derogans excellentiæ divinæ bonitatis :* et hoc fit non solum quando directe contra Deum aliquid contumeliose dicitur, sed etiam contra sanctos et res sacras non quidem secundum se, sic enim non esset proprie blasphemia, sed vitium irreligiositatis duliæ oppositum, sed cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum. — **Ibid. ad 2.** — Sicut enim, inquit Auctor, Deus in sanctis suis laudatur in quantum laudantur opera quæ Deus in sanctis facit, ita et blasphemia quæ fit in sanctos ex consequenti in Deum redundat. Qui ergo diceret S. Petrum esse impium et damnatum, B. Virginem esse meretricem, esset blasphemus ; qui vero loqueretur de illis non prout sancti sunt, sed prout fuerunt homines in terra, v. g. si nominaret S. Petrum calvum, S. Crispinum sutorem, non esset proprie blasphemus, cum hic nullus sit respectus ad Deum : sed si ista proferret ex odio et indignatione, peccaret mortaliter contra duliam et observantiam debitam sanctis ; si autem ex joco vel levitate, esset peccatum veniale.

Ibid. ad 3. — Itaque blasphematur 1° denegando Deo quod ipsi convenit, vel asserendo de eo quod ipsi non convenit : et hoc sive fiat enuntiative, sive optative, sive imperative, sive sermone imperfecto, ut dicendo : Deus est injustus, Deus non curat res humanas, Utinam non puniat peccata, non sit omnipotens aut omniscius, pudeat ipsum ista facere, dispereat, sit maledictus ! Vah ! Dei potentiam, Vah ! qui destruis templum Dei, etc. ; 2° tribuendo quod ei convenit, sed irrisorie et quasi quid vituperabile, ut nominando contemptibiliter membra Christi aut sanctorum ; 3° tribuendo creaturæ quod est proprium Deo, ut omnipotentiam : quia quidquid est proprium Deo Deus est : tribuere ergo creaturæ quod est proprium Deo, est Deum dicere creaturam ; 4° nominando contemptibiliter sanctos et res sacras ; 5° factis æquivalentibus verbis contumeliosis, ut spuere in crucifixum, in imagines sanctorum, projicere sanguinem in cœlum, ut fecit Julianus Apostata.

Ibid. o. — *Dico* 2° Blasphemia dividitur 1° in hæreticalem et non hæreticalem : hæreticalis est, quæ asserit aliquid contrarium fidei, aut negat aliquid ad fidem pertinens ; non hæreticalis est quæ, licet nihil contra fidem aperte contineat, ea tamen quæ sunt fidei contemptibiliter et contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert.

Divid. 2° blasphemia in eam quæ est secundum opinionem seu errorem intellectus tantum, non adjuncta detestatione seu odio voluntatis, ut dum Calvinista dicit Deum esse causam peccati ; in eam quæ est ex sola detestatione voluntatis, seu odio in Deum absque errore saltem explicito intellectus, ut qui profert contumeliose caput aut sanguinem Christi ; et in eam quæ simul est secundum falsam opinionem intellectus et malitiam voluntatis, seu Dei odium, et hæc est perfecta et completa blasphemia. Prima et tertia, *ut patet*, sunt hæreticales, non secunda.

Quantum ad praxim, observant communius auctores quod, quamvis tantum inter

blasphemias hæreticales et non hæreticales sit differentia essentialis, accusandi tamen sunt in confessione diversi modi blasphemiæ, an fuerint directe contra Deum, an contra sanctos tantum; inter sanctos, an contra beatam Virginem; item, an fuerint ex intentione expressa inhonorandi Deum, an ex implicita tantum; an tributum sit Deo quod non habet, negatum quod habet, aut exprobratum quod habet, etc., idque propter graviorem malitiam in uno modo quam in alio.

Ibid. a. 2. o. et ad 3. — *Dico* 3° Blasphemia est ex genere suo gravissimum peccatum mortale, nec fieri potest veniale ex parvitate materiæ, sed solum ex indeliberatione involuntaria actus.

Ibid. in arg. s. c. — *Patet prima pars* ex gravissimis pœnis quibus punitur. In veteri lege, Levit. 24, blasphemus lapidabatur; in jure canonico plures pœnæ statuuntur contra blasphemos, quas si refugiant sepultura ecclesiastica sunt privandi; cap. *Statutum*, Tit. de maledicis et alibi. — **Ibid. o.** — 2° Quia graviter repugnat charitati, cum sit contra excellentiam divinæ bonitatis. Item opponitur fidei et religioni, ut mox dicam.

Patet etiam secunda pars; quia, quantumvis quid secundum se leve dicatur ut Deus dehonoretur et vilipendatur, est semper gravissimum malum.

Ibid. ad 3. — *Patet pariter tertia pars;* quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto vel tanto peccato; quia ex ea fit quod actus non sit perfecte humanus. Unde, si quis subito ex aliqua passione prorumpat in verba blasphemiæ, priusquam attendat ad eorum significationem peccat tantum venialiter, et non est proprie blasphemia.

Dixi *indeliberatio involuntaria*, qua si sit ex consuetudine quam blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excedat a mortali, quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Au hoc advertant confessarii.

Petes cui virtuti opponatur blasphemia?

Ibid. a. 1. o. — *R.* 1° Certum est blasphemiam exteriorem hæreticalem opponi confessioni fidei, quia, sicut confessione fidei asseritur aliquid conveniens divinæ excellentiæ, ita blasphemia exteriori asseritur aliquid illi repugnans. Et de sola hac blasphemia hæreticali. Auctorem loqui hic a. 1, plures censent; quia in aliis blasphemiis nihil falsi continetur. Alii tamen volunt etiam in aliis blasphemiis falsum contineri, sicque opponi etiam confessioni fidei; quia, quamvis in eis vera de Deo proferat blasphemus, illa tamen reputat vel vituperabilia quæ non sunt, vel possibilia quæ fieri non possunt, vel decentia quæ non decent; et sic in iis est falsum, scilicet ex intentione blasphemantis.

R. 2° Omnis blasphemia opponitur religioni, quia religio habet pro objecto formali cultum et honorem Deo reddendum, blasphemia vero Dei inhonorationem. Nec ob stat si opponatur confessioni fidei, ut dictum est; potest enim idem vitium opponi diversis virtutibus sub diversa ratione. Sic itaque blasphemia opponitur confessioni fidei, quatenus continet implicite vel explicite falsum de Deo; opponitur religioni, quatenus est Dei inhonoratio.

Advertant confessarii, dum audiunt blasphemiam hæreticalem, interrogare pœnitentem an interius senserit sicut expressit: si sic enim, cum sit hæresis interna et externa, a nullo absolvi potest nisi a summo pontifice vel ejus delegato.

TRACTATUS

DE REGULIS FIDEI.

Numerantur quinque regulæ fidei : duæ inanimatæ, scilicet S. Scriptura et traditio ; tres animatæ, scilicet Ecclesia, summus pontifex et concilium generale.

DISSERTATIO I.

DE SCRIPTURA SACRA.

ARTICULUS I.

Quid sit, et an sit Scriptura sacra?

Scriptura sacra variis nominibus insiguit tur. Imprimis dicitur Scriptura *sacra*, seu Litteræ *sacræ*, tum ratione auctoris, qui est Deus, tum ratione materiæ, quæ sunmysteria fidei. 2° Dicitur *Testamentum*, quia Deus in ea nobis declarat suam voluntatem, et filiis hæreditatem relinquit, scilicet beatitudinem æternam. 3° Dicitur *Biblia*, id est libri antonomastice.

Dico 1° Scriptura sacra est verbum Dei scriptum.

Intellige τὸ *Dei* non per modum puri genitivi, ut cum dicitur *liber Petri*, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur *lex Cæsaris*, *testamentum Petri* : ita ut sensus sit, quod Scriptura sit verbum Dei ab ipso scriptum, non immediate per se, sed ipso dictante per scriptorem sacrum tanquam per calamum vivum : unde David, Psal. 44, se vocat *calamum scribæ velociter scribentis*.

Itaque τὸ *verbum Dei* in hac definitione est genus in quo convenit Scriptura sacra cum *traditionibus* ; per hanc autem particulam, *scriptum*, ab illis differt. Quamvis enim traditiones possint scripto mandari, vel a Patribus, vel a pontificibus, non tamen sunt verbum Dei ab ipso scriptum. Similiter, si Deus approbaret aliquem librum, licet foret infaillibilis auctoritatis, non esset tamen verbum Dei scriptum nec Scriptura sacra.

Dico 2° Existit Scriptura sacra et divina.

Prob. 1° auctoritate infallibili Ecclesiæ, quæ in variis conciliis, et ultimo in Tridentino, Scripturam quam habemus proponit nobis ut sacram et divinam. Ergo. Supponit argumentum infallibilitatem Ecclesiæ de qua infra.

2° Illa scriptura est vere divina 1° quæ plura futura longe ante prædixit prout revera et adamussim fuerunt postea impleta ; 2° quæ mirabili et stupendo modo annuntiata est et propagata in toto mundo per homines pauperes, rudes et idiotas, quamvis plura contineat supra rationem et contraria sensibus ; 3° quæ infinitis prope miraculis est confirmata ; 4° quæ innumerabilium martyrum sanguine fuso est sigillata et defensata ; 5° quam tot populi, tot nationes, repugnante licet natura, contradicentibus principibus, magistratibus et philosophis, acceptarunt ; 6° denique, quæ est adeo pura et sancta, ut nihil nisi malum prohibeat, nihil nisi bonum jubeat : atqui hujusmodi est Scriptura quam dicimus sacram et divinam ; pro quo vide quæ latius dixi de motivis credibilitatis fidei nostræ. Ergo.

3° Deus est necessario ab hominibus colendus ut auctor naturæ et gratiæ : nescit autem homo qua ratione, quo ritu Deus velit coli, nisi Deus ipse manifestet : id ergo Deus manifestavit hominibus. At quomodo manifestavit? vel per spiritum privatum, vel per viros sanctos, Prophetas et Apostolos a se delegatos : non per spiritum privatum, quia non est certus, sed varius, et sæpe sibi contrarius, unum uni suadens, alteri oppositum, *ut patet* in hæreticis qui eo ducuntur : ergo per viros sanctos a se delegatos, Prophetas et Apostolos, qui ve-

ritates a Deo sibi revelatas litteris mandaverunt et nobis transmiserunt.

Dices. Apost. 2 Corinth. 3, dicit : *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Ergo non datur scriptura sed id solum pro verbo Dei habendum est quod cuique privatim inspirat.

R. N. conseq. Per *litteram* enim Apostolus intelligit legem Mosaicam, et per spiritum, gratiam novæ legis; sensus igitur illius est : Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non nudam legem vobis proponendo, sed etiam conferendo gratiam qua lex impleatur, quatenus ad prædicationem nostram Deus vobis gratiam infundit. Littera enim, id est lex, occidit occasionaliter, dum, difficilia præcipiendo, gratiam illa adimplendi ex se non confert; spiritus autem, id est gratia, vivificat, quatenus confert vim adimplendi præcepta, et sic perveniendi ad vitam.

ARTICULUS II

Utrum singula Scripturæ verba sint a Spiritu sancto dictata?

Suppono omnes Scripturæ sententias esse a Spiritu sancto inspiratas et dictatas, juxta illud 2 Timoth. 3 : *Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum*, et alioquin omnis Scripturæ nutaret auctoritas; posset enim sententiis non revelatis subesse falsum, et cum incertum foret quæ essent inspiratæ et quæ non, nulli certo fides adhiberi posset. Quæstio est igitur, an non solum sententiæ, sed phrases, stylus, singula verba sint a Deo inspirata et dictata?

Dico. Probabilius videtur ad rationem Scripturæ sacræ requiri quod non solum sensus et sententiæ, sed etiam singula verba sint a Spiritu sancto dictata. Est communior, quam fecit suam academia Lovaniensis in sua censura contra Lessium.

Prob. 1° *ex Scriptura.* Jerem. 36, Judæis quærentibus quomodo Baruch ex ore Jeremiæ hos sermones scripsisset, respondit Baruch : *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento*, ubi *ipso legens* innuit etiam verba ipsi a Deo inspirari. Psal. 44, Scriptor sacer se dicit *calamum scribæ velociter scribentis*, id est Spiritus sancti; calamus autem nulla verba scribit, nisi ad quæ movetur a scriba Christus Matth. 5, attenuit ad unum iota et unum apicem tanquam ad quid divinum. Apostolus, 2 Timoth. 3, *Omnis Scriptura*, inquit, *divinitus inspirata, utilis est*, etc. Non dicit omnis doctrina, omnis sententia, sed, omnis Scriptura.

Prob. 2° *ex Patribus.* S. Chrysost. Hom. 22 in Genes. « Nihil hic scriptum est, inquit, quod non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt; neque vel syllabæ vel apiculus est in sacris litteris in cujus profundo non sit grandis thesaurus. » S. Aug. Epist. 14, dicit « se nullius hominis libris tantum deferri quantum divinis litteris, non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasimque dictantis, qui est Spiritus sanctus. » S. Gregor. in præfatione Moralis Exposit. in Job dicit : « Ipse hæc scripsit qui hæc scribenda dictavit. »

Prob. 3ª *ratione.* Scriptura sacra est scriptura Dei, seu verbum Dei a Deo scriptum, ut diximus articulo præcedenti : atqui, si Deus dictet tantum sensus et sententias, non ipsa verba, scriptori quo tanquam calamo utitur, non poteret dici scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, eo scilicet modo quo scribit, sed erit scriptura hominis, et verbum ad homine scriptum, *ut patet.* Ergo.

Confirmatur 1° Sensus et sententiæ definitionum quas edunt concilia generalia, sunt dictatæ et inspiratæ a Deo, juxta illud Apostolorum in primo concilio : *Visum est Spiritui sancto :* atqui tamen non sunt Scriptura sacra, quia nempe verba non dictantur a Spiritu sancto, sed relinquuntur arbitrio hominum. Ergo.

Confirmatur 2° Epistola cujus rex dictasset sensus et sententias, sed ipse eam non scripsisset, posset quidem dici epistola et mandatum regis, hoc est, nomine et jussu regis scriptum, sed non esset scriptura regis, neque verbum a rege scriptum : ergo similiter, licet Deus inspiret sensus et sententias alicujus libri, si tamen ipse non scribat, eo saltem modo quo scribit, dictando verba homini quo utitur tanquam calamo, iste liber poterit dici mandatum, aut etiam, si vis, epistola Dei, id est nomine Dei scripta, sed non erit scriptura Dei, nec verbum a Deo scriptum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ad verum alicujus verbum ab altero prolatum vel scriptum sufficit ut ad illum referatur omnis sensus, nihilque asseratur nisi quod principalis ille dixit aut dixit, etsi non iisdem verbis materialibus: ergo pariter ad essentiam Scripturæ sufficit quod Deus omnem veritatem scribendam mandaverit, etsi singula verba non dictaverit. *Prob. ant.* Ipse Christus et Evangelistæ, citando Scripturas ut verbum Dei scriptum, sæpe sensum tantum referunt, et non ipsa verba. Ex pluribus hæc duo exempla accipe: Matthæus, cap. 3, v. 17, loquens de baptismo Christi, dicit: *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui;* Lucas vero, cap. 3, v. 22, dicit: *Et vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi:* et tamen una tantum vox, non utraque audita est. Item Christus, Matth. 26, citans Zachariam prophetam dicit: *Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis,* cum tamen apud Prophetam, cap. 13, v. 7, legatur: *Percute pastorem et dispergentur oves.* Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. ant. Christus et Evangelistæ, citando Scripturas ut verbum Dei, sæpe tantum sensum referunt et non verba, referendo de præterito, *C.* sic enim intelligitur referri tantum substantiam verborum; asserendo de præsenti, *N.* sic enim intelligitur ipsa verba referri. Solutio fundatur in sensu et intelligentia communi: si enim, referendo factum vel dictum præteritum, dicam: Iste dixit hæc, scripsit hæc, audientes intelligunt hæc dixisse aut scripsisse quoad substantiam et non quoad ipsa verba. Unde, si duo, narrantes idem factum vel dictum præteritum, conveniant in sensu licet non in verbis, dicuntur idem narrare. At si dicam de præsenti: Hæc sunt verba Petri, Hæc sunt verba tua, designo non tantum sensum, sed etiam ipsa verba; et sic audientes intelligunt. Cum ergo et Christus et Evangelistæ referant de præterito, sufficit ut sensu conveniant: at dicimus de præsenti, Scriptura sacra est scriptura Dei, est verbum Dei et a Deo scriptum; quod non potest verificari, nisi etiam verba ipsa scripserit, seu dictaverit.

Obj. 2° Eodem sensu dicitur Scriptura divina, quo sensu dicuntur litteræ regiæ, bullæ pontificiæ, etc.; atqui litteræ dicuntur regiæ et bullæ pontificiæ, quamvis sint tantum quoad sensum et sententiam dictatæ secretario, relicta ejus arbitrio verborum forma, modo a rege vel pontifice subsignentur et sigillo alterutrius muniantur. Ergo.

R. N. ant. Sed eo sensu dicitur Scriptura sacra quo sensu dicitur scriptura regis, non est autem scriptura regis nisi ab eo sint verba. *Confer confirmationem secundam tertiæ probationis conclusionis.* Vel *D. ant.* Eodem sensu dicitur Scriptura sacra quo dicuntur formaliter litteræ regiæ, *C.* quo dicuntur auctoritative litteræ regiæ, *N.* Itaque litteræ quarum sensus rex indicavit, sed quas ipse non scripsit, dicuntur quidem regiæ auctoritative, quia ejus nomine et mandato sunt scriptæ; at non sunt nec dicuntur formaliter litteræ regiæ, si ipse eas non scripserit: jam autem Scriptura est et dicitur formaliter Scriptura sacra et verbum Dei scriptum.

Obj. 3° Auctor 2 lib. Machab. in fine petit veniam si quid minus digne scripserit; similiter auctor Ecclesiastici in prologo, et in fine ejusdem prologi, dicit se et laborem, et diligentiam, et multam vigiliam adhibuisse ad compositionem sui libri: hæc autem non dicerentur si Spiritus sanctus dictaret sacris scriptoribus omnia et singula verba.

Item Apost. 1 Cor. 1, dicit: *Præcipio non ego, sed Dominus;* et paulo post: *Cæteris dico ego, non Dominus:* ergo non ex Spiritu sancto, sed ex seipso hoc ultimum profert.

Item S. Lucas, in præfatiuncula ad suum Evangelium, dicit se scripturum quæ audivit ex ore Apostolorum; sec etiam Marcus scripsit Evangelium; alii Evangelistæ dicunt quandoque se vidisse quæ referunt: atqui in his non erat opus ut verba singula dictarentur a Spiritu sancto. Ergo.

Item S. Paulus, 2 ad Timoth. 4, petit a Timotheo ut adferat secum penulam (est autem penula palliolum contra pluvias), sæpe salutat hunc et illum, plura refert quæ ipsum personaliter spectant: in his autem non videtur Spiritus sanctus dictasse singula verba. Ergo.

Respondent quidam quod, quamvis ut plurimum verba Scripturæ sint a Spiritu sancto dictata, sæpe tamen, præsertim in

familiaribus et notis permitti sacris scriptoribus ut utantur pro arbitrio verbis suis, cum speciali tamen assistentia Spiritus, ne quid falsum aut indecens proferant.

Sed contra. Ex hac responsione sequitur quod libri canonici non sint Scriptura sacra quoad omnes suas partes, cum tamen Ecclesia in concilio Trid. sess. 4, cap. 1, omnes nobis proponat ut Scripturam sacram in singulis suis partibus, et ita apprehendant omnes fideles. Unde, hæc solutione omissa,

R. 1° ex his argumentis ut plurimum pariter inferri etiam ipsas sententias non esse a Deo dictatas, ut attendenti patebit; ideoque cum nimis probent, nihil probant.

R. 2° *ad singula. Ad primum, N. min.* Spiritus sanctus enim se accommodavit genio, stylo et affectionibus cujusque scriptoris sacri, sicque concurrit dictando singula, ac si ipse scriptor de suo scripsisset: est quidem calamus Spiritus sancti, sed calamus vivus et liber, quem ideo secundum ejus modum movet Spiritus. Hoc itaque posito, Spiritus sanctus movit auctores 2 Machab. et Ecclesiastici ut peterent veniam, non de falsitate, sed de stylo minus polito, ut forte nonnullis videbatur, idque præ modestia et secundum loquendi modum scriptoribus familiarem. Quantum ad laborem in scribendo, ad eum movit Spiritus sanctus: aliunde potuit scriptor ignorare se a Spiritu sancto moveri.

Ad secundum, N. conseq. Sensus enim Apostoli est, quod Dominus non dicat ut Dominus, præcipiendo conjugi ad fidem converso ut maneat cum uxore infideli, potest enim illam deserere, sed quod ipse Paulus id consulat, consilio tamen quod sit a Spiritu sancto: unde ibidem postea dicit: *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.*

Ad tertium, N. min. Id enim necessarium erat non solum ad certitudinem supernaturalem, quæ longe major est certitudine sensuum, sed etiam ut quæ scriberent, haberent dignitatem Scripturæ sacræ: movit autem Spiritus sanctus ut etiam significarent se vidisse, non ut inde major certitudo secundum se haberetur; sed respective ad ethnicos, quibus ignotus erat Spiritus sanctus. Si namque Apostoli, evangelizando gentibus, dixissent simpliciter: Hoc revelavit Spiritus sanctus, nihil obtinuissent; sed dicendo: Testamur quod vidimus, quod contrectavimus, fidem audientium sibi conciliant, ut postea instructi credant propter Dei revelationem.

Ad quartum, N. min. Ut enim diximus, Spiritus dictator se accommodavit genio, desideriis, affectionibus et necessitatibus scribentium, quasi de suo scriberent.

Inst. Sicut Deus non deest in necessariis, ita nec redundat in superfluis: atqui superfluum videtur quod Deus de novo supernaturaliter infundat quod jam naturali notitia cognitum erat sacris scriptoribus. Ergo.

R. 1° hoc argumento probari nec ipsas sententias a Spiritu sancto fuisse dictatas 2° *N. min.* Id enim, ut jam dixi, necesse erat ut narrata haberent certitudinem fidei et dignitatem Scripturæ sacræ.

Si reponas ex sola inspiratione sententiarum haberi certitudinem supernaturalem: Ita quidem, sed non habetur dignitas et excellentia Scripturæ sacræ. Sicut, si Deus approbaret aliquem librum, esset quidem certitudinis infallibilis, non esset tamen Scriptura sacra. Idem dic de definitionibus conciliorum, ut jam observavimus.

Obj. 4° Traditio divina est etiam verbum Dei: atqui in traditione divina non dictantur singula verba: ergo.

R. N. min. de traditione divina in suo fonte. Nunc quidem traditio dicitur, non quod singula verba sint in Ecclesia, sed quia derivatur ab illis verbis; nec aliud intelligitur quando dicitur, Hoc vel illud est traditio. Sic, cum dico, v. g. Traditio est quod liber Job sit canonicus, nemo apprehendit quod Deus dixerit hæc verba: *Liber Job est canonicus*, sed quod id substantialiter declaraverit. At quando dicimus, Hæc est scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, omnes intelligunt non solum sensum, sed etiam verba esse a Deo.

Obj. 5° ex Patribus. S. Basilius l. 5 sent. Eunom. c. 17, in hoc ponit discrimen inter Spiritum sanctum et scriptorem creatum, quod scriptor creatus non semper ea quæ Dei sunt loquatur, sed quandoque sua; quæcumque autem Spiritus loquitur sunt Dei. S. Aug. l. 2 de Consensu Evang. c. 14, dicit de Evangelistis: *Variant locutiones, salva tamen substantia.* Et S. Th. 2, 2, q. 176, a. 2, ad 1, dicit Epist. S. Pauli ad Hebr. hebraice scriptam, esse elegantiorem aliis ejusdem Apostoli epistolis græce scri-

ptis, quia *quantum... ad ornatum et elegantiam locutionis... instructus erat in propria lingua, non in aliena.* Ergo.

R. ex his nihil evinci pro sententia opposita. *Ad primum ;* Sensus Basilii est quod, quamvis scriptor creatus loquatur, etiam quoad verba materialia, ex motione et inspiratione, quædam tamen quandoque proferat quæ non scit ex revelatione, sed vel ex auditu, vel visu, vel scientia humana; at vero Spiritus sanctus nunquam loquitur nisi ex divina æternaque scientia. Adde hoc argumento probari non solum non omnia verba, sed nec omnes sententias esse a Deo inspiratas. *Ad secundum.* Dicit S. Aug. Evangelistas variare locutiones, sed non negat id fieri ex motione Spiritus sancti. *Ad tertium.* Nihil aliud ex verbis S. Thomæ colligi potest quam quod Spiritus dictator se genio et stylo Pauli scribentis hebraice accommodaverit.

ARTICULUS III.

De divisione Scripturæ sacræ.

1° Scriptura sacra dividitur in vetus et novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum sacrorum qui promittunt liberatorem venturum cum præceptis antiquæ legis. Novum Testamentum est collectio librorum sacrorum qui promissum liberatorem præsentem exhibent cum præceptis novæ legis.

Libri canonici veteris Testamenti erant olim, juxta canonem Judæorum, viginti duo tantum, secundum numerum litterarum alphabeti hebraici. Juxta vero canonem Ecclesiæ sunt quadraginta quinque, scilicet Pentateuchus seu quinque libri Moysis, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, id est Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus et secundus : omnes numero quadraginta quinque.

Libri novi Testamenti sunt, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri apostoli duæ; Joannis apostoli tres; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una; et Apocalypsis Joannis apostoli : omnes numero viginti septem. Summatim tam veteris quam novi Testamenti sunt septuaginta duo. Ita Trid. sess. 4, cap. 1, ubi, post recensitos hos omnes libros prout recensuimus, sic statuit : « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. »

Hunc porro Canonem, seu numerum librorum canonicorum, concilii Trid. patres acceperunt ab Eugenio IV in concilio Florentino, Eugenius IV a Gelasio papa in concilio Romano septuaginta episcoporum, Gelasius ab Augustino lib. 2 de Doctrina Christiana c. 8, Augustinus ab Innocentio I, anno 405, Epist. 3 ad Exuperium, in qua scribit hos omnes libros ut divinos et canonicos esse suscipiendos, secundum traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam; Innocentius a concilio Carthaginensi 3, can. 47, et ex traditione, ut dicit.

Observandum duntaxat in concilio Carthaginensi non fieri mentionem libri Baruch, quia sub Jeremia, cujus erat amanuensis, comprehenditur; et ideo solebant antiqui illum citare sub nomine Jeremiæ, ut observat Cano lib. 2, de Locis theologicis.

Sunt autem apocryphi tertius et quartus liber Esdræ, tertius et quartus Machabæorum, Oratio regis Manasses captivi in Babylone, Appendix libri Job ubi describitur ejus genealogia, præfatiuncula Threnorum quæ incipit · *Et factum est, etc.* Epistola Jesu ab Abagarum regem, Evangelia quæ sub nomine Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, Nicodemi et aliorum circumferuntur.

2° Dividuntur libri canonici tam veteris quam novi Testamenti in protocanonicos et deuterocanonicos. Protocanonici sunt de

quibus nunquam fuit dubitatum; deuterocanonici sunt de quibus ante Innocentium I et concilium Carthaginense tertium ab aliquibus fuit dubitatum, et hi sunt ex veteri Testamento, Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Hymnus trium puerorum Dan. 3, Historia Susannæ et Draconis Daniel. 13 et 14, Oratio Azariæ, Oratio Jeremiæ circa finem Threnorum, primus et secundus Machabæorum. Ex novo Testamento deuterocanonici sunt, caput ultimum Marci ab eo loco *Surgens Jesus;* historia de sudore Christi sanguineo et de ejus confortatione per angelum, Lucæ 22; historia de muliere adultera, Joan. 8; hæc verba ex Epistola prima Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* tota Epistola S. Pauli ad Hebræos, Epistola Jacobi et Judæ, secunda Petri, tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis. Cæteri omnes hic non nominati sunt protocanonici.

Petes utrum libri deuterocanonici sint æqualis auctoritatis ac protocanonici?

R. affirmative. Quia tam in illis quam in istis est eadem prima veritas loquens et eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat quod de deuterocanonicis aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est; istud enim dubium non fuit positivum ex parte Ecclesiæ, quasi illos judicasset aut declarasset dubios, sed ex parte quorumdam Patrum, quod dubium in illis aliquandiu toleravit Ecclesia, donec tandem, re plenius discussa et elucidata traditione, illos in Canone inseruit.

ARTICULUS IV.

De variis Scripturæ sacræ versionibus.

Suppono 1° vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraice, exceptis libris Tobiæ, Judith, Esdræ et Danielis, qui tempore captivitatis Babylonicæ fuerunt scripti chaldaica lingua Babyloniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabæorum, qui juxta Hieronymum scriptus est græce; quidam idem opinantur de libro Sapientiæ, erat enim lingua græca familiaris Judæis.

Novum autem Testamentum scriptum est primitus græce, excepto S. Matthæi Evangelio, quod fuit scriptum hebraice seu syriaco. Idem tenent de Epistola ad Hebræos S. Hieronymus, Theodoretus et alii communius contra Origenem et Clementem Alexandrinum.

Suppono 2° Scripturam sacram veteris Testamenti hebraice scriptam, tempore captivitatis Babylonicæ non quidem ex integro periisse, ut quidam dicunt, sed ex parte fuisse dissipatam et vitiatam, et ab Esdra Sancto Spiritu afflato post captivitatem fuisse restitutam.

Suppono 3° nulla nunc Scripturæ sacræ exstare autographa seu textus originales, sed apographa tantum, seu exemplaria et versiones in alias linguas. Præcipuæ versiones sunt chaldaica, syriaca, græca et latina.

Versio chaldaica.

Versio seu potius paraphrasis chaldaica veteris Testamenti facta est a tribus rabbinis, juxta quosdam quadraginta duobus circiter annis ante Christum: at alii, ex silentio Origenis, Epiphanii et Hieronymi de paraphrasi chaldaica, colligunt non exstitisse ante tempora Hieronymi: sed quidquid sit, constat nullius esse auctoritatis, cum scateat Judæorum fabulis et Talmudistarum nugis. Est autem discrimen inter versionem et paraphrasim, quod in versione verba auctoris transferantur in aliud idioma de verbo ad verbum, in paraphrasi autem magis sensus de sensu quam verbum de verbo exprimitur: unde hæc paraphrasis chaldaica vulgo vocatur *Targum*, id est interpretatio.

Versio syriaca.

Syriaca lingua nata est apud Judæos captivos, ex hebraica et chaldaica; cum enim discerent linguam vernaculam Babyloniorum, quæ erat chaldaica, nec facile illam pronuntiarent, sed aliquid de suo hebraismo retinerent, effecta est tertia lingua ex utraque mixta, quæ a regione dicta est syriaca, et quæ postmodum fuit vulgaris et materna apud Judæos e captivitate reduces, dictaque est hebraica: illa Christus et Apostoli usi sunt; in ea Evangelium Matthæi et Epistola ad Hebræos fuerunt scripta. Exstare versionem syriacam veteris Testamenti certum est: at quo vel quibus auctoribus, et quo tempore prodierit, incertum est.

Versio græca.

Multæ fuerunt versiones græcæ. Prima et præcipua est quæ dicitur Septuaginta interpretum; quamvis enim fuerint septuaginta duo, attamen numero rotundo dicuntur septuaginta. Anno itaque ante Christum natum circiter 230, instante Ptolomæo Philadelphio, rege Ægypti, Eleazarus, Judæorum pontifex ad ipsum misit septuaginta duos Judæos hebraice et græce peritissimos, sex ex qualibet tribu, qui libros veteris Testamenti ex hebræo in græcum verterent, novæ et locupletissimæ regis Ægypti bibliothecæ annumerandos. Ita refert Aristæus, unus ex legatis Ptolomæi ad Eleazarum.

S. Irenæus, l. 3, c. 35; S. Justinus, in Orat. Exhortat. ad Gentes; Clemens Alexand. l. 1 Stromat. S. Cyrillus, Catechesi 4, et alii Patres communius dicunt singulos in singulis cellulis inclusos insigni miraculo Scripturam ex hebræo græce iisdem plane verbis reddidisse. Addit Justinus se apud Alexandriam cellularum vestigia vidisse. Attamen hanc historiam ridet et negat Hieronymus, l. 2 cont. Ruf. in præfat. in libros Paralip. ubi ait: *Nescio quis primus auctor Alexandria septuaginta cellulas mendacio suo struxerit.* Nititur autem Hieronymus testimonio Aristæi, qui præsens erat, et, rem totam prout vidit referens, cellularum non meminit, sed e contra dicit *quod singulis diebus usque ad horam nonam conferendo, suam interpretationem absolverunt.* Exstat liber Aristæi in Bibliotheca Patrum, tomo 7; et ne diceretur ab aliquo juniore suppositus, plura ex illo citant Joseph, Philo, Eusebius, et alii, quæ in eo de verbo ad verbum leguntur.

Cæterum, vera sit aut falsa hæc historia, omnes saltem conveniunt hanc versionem non sine speciali Spiritus sancti assistentia fuisse peractam, tum propter mirabilem tot hominum in easdem sententias et in eadem verba consensum, qui humanitus videtur impossibilis, tum quia opus integrum brevissimo tempore, spatio scilicet septuaginta duorum dierum, perfecerunt.

Neque enim solum Pentateuchum, ut quidam putant, interpretati sunt, sed omnes libros veteris Testamenti, exceptis forte duobus libris Machabæorum et ecclesiastici, quod quidam censent nondum tunc fuisse conscriptos. Id autem constat, quia Christus, Apostoli et Evangelistæ civant Psalmos et Prophetas juxta versionem Septuaginta; et ipse Hieronymus commentans in Prophetas passim citat versionem Septuaginta, eamque explicat; et lib. 2 adversus Ruf. c. 7: « Universi tractatus mei, in» quit, horum testimoniis texti sunt: com» mentarii in duodecim Prophetas et meam » et Septuaginta editionem edisserunt. » Unde, cum in procemio in Traditiones Hebraicas, et in cap. 16 Ezech. videtur dicere contrarium, vel loquitur ex aliorum sententia, vel subdubitans, re nondum plene discussa. Adde quod non sit verisimile Ptolomæum, voluminum hebræorum novæ bibliothecæ suæ inserendorum cupidissimum, solo Pentateucho fuisse contentum et alios non expetiisse.

Neque his obstat quod Aristæus et quidam alii antiqui dicant a Septuaginta translatos fuisse libros legis, qui sunt Pentateuchus: nomine enim librorum legis non veniunt soli libri Moysis, sed omnes libri veteris Testamenti. Sic Christus, Joan. 10, dicit: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis;* et cap. 5: *Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*: quæ tamen in Psalmis leguntur. Et Apostolus, 1 Cor. 14, citans Isaiam, *In lege*, inquit, *scriptum est.*

Secunda versio græca est Aquilæ, circa annum Christi 130; tertia, Theodotionis, circa annum Christi 184; quarta, Symmachi, circa annum Christi 200. Aquila, natione Græcus, ex christiano factus est judæus: Theodotion, ex christiano factus marcionita, deinde judæus: Symmachus, samaritanus, tum judæus, exinde christianus, ac tandem ebionita. Unde eorum versiones, quoad ea quæ spectant capita fidei, nullius sunt ponderis.

Quinta versio græca est anonyma inventa in Jericho, unde dicta Jericuntina; sexta, etiam anonyma, reperta Nicopoli, unde dicta Nicopolitana.

Ad faciliorem omnium harum versionum usum, Origenes fecit *Tetrapla, Exapla* et *Octapla*. Tetrapla sunt volumen cujus quælibet pagina constat quatuor columnis: prima continet versionem Septuaginta, secunda Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis. In Exaplis quælibet pagina habet sex columnas in quarum pri-

ma reponitur textus hebraicus litteris hebraicis ; in secunda idem textus græcis characteribus ; in quatuor aliis quatuor priores versiones. In Octaplis quælibet pagina habet octo columnas ; in sex primis continentur quæ in Exaplis, in duobus ultimis quinta et sexta versiones anonymæ.

Deinde, cum versio Septuaginta in multis esset adulterata, Lucianus Martyr novam versionem aggressus est, quæ fuit in usu a Constantinopoli ad Antiochiam, ut testatur S. Hieronym. in præfat. in Paralip. item alteram adornavit Hesychius, presbyter Jerosolymitanus, plurium monachorum pater : seu potius uterque versionem Septuaginta in multis corruptam emendavit : unde a pluribus eorum versiones non distinguuntur a versione Septuaginta.

Versio latina.

Innumeræ fuerunt, teste S. Hieronymo in præfat., in Josue, et S. Aug. l. de Doctrina Christiana, c. 11, versiones latinæ ; sed inter illas una erat præcipua et in communi usu Ecclesiæ, cujus auctor ignoratur. S. Augustinus vocat *Italam* quia latinam, S. Hieronymus *Communem*, S. Gregorius *Veterem* et *Vulgatam*. Alteram adorsus est S. Hieronymus, qui vetus Testamentum ex hebræo transtulit in latinum, et novum latinum emendavit atque græcæ fidei restituit, ut ipsemet dicit in fine libri de Scriptoribus Ecclesiasticis. « Novum Testamen» tum, inquit, græcæ fidei restitui, vetus » juxta hebraicum transtuli. » Et hæc versio seu editio S. Hieronymi dicta est nova.

Hæ duæ versiones aliquam contentionum materiam subministrarunt, dum unaquæque suos haberet fautores. S. Augustinus citatus cum pluribus stabat pro Itala seu veteri quoad vetus Testamentum, quia, ut dicebat, erat *verborum tenacior cum perspicuitate sermonis ;* S. Isidorus autem cum aliis stabat pro nova S. Hieronymi, donec tandem paulo post tempora S. Gregorii, qui adhuc utraque utebatur, ex his duabus sit una conflata, quæ dicta est *Vulgata communis*, qua nunc utitur Ecclesia : non sic tamen quod in singulis libris utraque sit permixta, sed quia in ea aliqua veteris Testamenti leguntur ex versione S. Hieronymi, scilicet Pentateuchus, libri Josue, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobiæ, Judith, Esther, Esdras, Prophetæ omnes, Cantica Canticorum, Proverbia, Ecclesiastes et Job ; cæteri ex versione antiqua seu Itala, excepto quod Psalterium, quamvis sit ex eadem versione, legamus ut emendatum a S. Hieronymo. Quantum ad novum Testamentum, totum est ex versione antiqua, sed ut emendatum et græcæ fidei restitutum a S. Hieronymo jussu Damasi papæ, *ut patet* ex ejusdem S. Hieronymi præfatione in quatuor Evangelia. Hæc est itaque Vulgata editio a tot sæculis communi Ecclesiæ usu probata et recepta, quam concilium Trident. sess. 4, c. 1, declaravit authenticam.

Omitto versiones in linguas vernaculas : tot sunt enim quot diversæ rationes, Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, Flandrica, Polona, Anglica, etc., etc.

ARTICULUS V.

De autoritate textus hebraici et græci, necnon editionis Septuaginta.

Suppono codices hebræos et græcos ante Christum, imo et post Christum ante S. Hieronymum, non fuisse notabiliter depravatos ; tum quia Christus et Apostoli, qui alia crimina Scribis et Pharisæis exprobrarunt, istud falsationis Scripturarum, quod fuisset maximum, non tacuissent ; tum quia versio Vulgata veteris Testamenti pro majori parte est S. Hieronymi ex hebræo, et novi versionem idem S. Hieronymus correxit juxta exemplaria græca : Vulgata autem editio est authentica : ergo hucusque manserunt integri substantialiter textus hebraicus et græcus.

Unde, dum quidam Patres objiciunt Judæis falsationem S. Scripturæ, id non est intelligendum generaliter, sed vel de aliquibus particularibus Judæis falsificantibus suos proprios codices, vel de levibus erratis quæ moraliter vitari non possunt in tam frequenti codicum descriptione et tanto temporis spatio, sive scribarum oscitantia, sive ignorantia, sive inadvertentia, præsertim in hebraicis, ubi aliquando litteræ sunt sibi valde similes : et ideo dixi non esse notabiliter depravatos.

Dico. Textus hebraicus et græcus, prout nunc extant, non sunt authentici nec irrefragabilis auctoritatis, sunt tamen ad plura utiles.

Prob prima pars. 1° Quia Ecclesia suo

judicio irreformabili illos non probavit, non authenticos declaravit, sicut declaravit authenticam editionem Vulgatam.

2° Quia non manserunt integri, sed pluribus et gravibus scatent erroribus. Inter alios sequentes accipe, Zachariæ 9, in Vulgata legitur : *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ*, etc. Quibus verbis graphice describitur adventus Christi in Jerusalem : in hebræo autem loco *salvator* legitur *salvatus*, qua brevi et simplici mutatione totum hoc testimonium de Christo evertitur. Item Psal. 15, v. 10, in Vulgata legitur : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* ex quo S. Petrus, Act. 2, Judæis probat Christi resurrectionem : in hebræo autem legitur : *Non dabis sanctos tuos ad videndam foveam;* qua lectione evanescit testimonium resurrectionis Christi. Item Isaiæ 9, legitur in Vulgata : *Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus*, etc. quæ omnia apprime Verbo incarnato conveniunt : at in hebræo pro *vocabitur* legitur *vocabit;* sicque non Christo, sed Deo vocanti conveniunt.

Quantum ad textum græcum, inter varios errores, desideratur in multis codicibus caput ultimum Marci ; item in multis desiderantur hæc verba 1 Joan. 5 : *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* quod fraude factum notat S. Hieronymus in præfat. in septem Epist. canonicas : in codicibus autem in quibus hæc verba reperiuntur, loco *Et hi tres unum sunt* substitutum est : *Et hi tres in unum sunt;* quod de unitate consentientis voluntatis ad sensum Arianorum posset intelligi. Item Joannis 7, loco *Nondum erat Spiritus datus*, legunt Græci : *Nondum erat Spiritus sanctus.*

Prob. secunda pars. Textus hebraicus et græcus sunt utiles, 1° ad firmandam in multis latinam Vulgatam ; 2° ad corrigendos typographorum errores ; 3° ad determinandam dubiam Vulgatæ significationem. 4° Dum ex varietate codicum dubitatur quæ sit Vulgata lectio, ut textibus hebræis et græcis juvamur ad eam cognoscendam. 5° Valent ut verborum vis et proprietas melius percipiatur, et quæ sunt obscura et difficilia facilius intelligantur.

Dices 1° *contra primam partem.* Jura præscribunt recurrere ad textus hebraicos et græcos, cap. *Ut veterum* D. 9 ; cap. *Jejunium* D. 76, et cap. *De quibus* D. 20. Ergo.

R. Neque nos negamus recurrendum esse ad textus hebraicos et græcos in casibus assignatis *in probatione secundæ partis conclusionis*, non vero tanquam ad regulam infallibilem juxta quam cuique privato liceat corrigere vel impugnare lectionem Vulgatæ. Insuper duo primi textus juris citantur ex S. Hieronymo qui, loquitur de textibus fontalibus quales erant suo tempore adhuc sinceri : similiter tertius textus, qui tribuitur Innocentio I ; sedebat enim Innocentius I tempore S. Hieronymi. Adde Innocentium I per *divina scripta græca*, ad quæ dicit esse recurrendum, probabilius non intellexisse textum græcum Scripturæ, alioquin non omisisset hebraicum, sed scripta conciliorum et Patrum græcorum, quæ tunc nondum erant in latinum versa.

Dices 2° Aqua purior est in fonte quam in rivulis : atqui textus hebraicus et græcus sunt fontes ex quibus versiones latinæ tanquam rivuli promanarunt : ergo.

R. D. maj. Aqua purior est in fonte quam in rivulis per se, *C.* per accidens, *N.* Si enim contingat fontem turbari et rivum a fonte sejungi, erit aqua purior in rivo quam in fonte ; sic est autem in casu : fontes hebræi et græci sunt turbati, et ab illis præcisus est textus Vulgatæ.

Quod diximus de textibus hebraicis et græcis, idem dicendum est de versione Septuaginta. Quamvis enim in suo principio fuerit authentica et etiam aliquandiu post Christum esset magnæ auctoritatis in Ecclesia, nunc tamen non est authentica nec irrefragabilis auctoritatis, tum quia Ecclesia non declaravit authenticam, tum quia tempore S. Hieronymi erat jam notabiliter vitiata. *Patet* ex ipso Hieronymo, qui in præfatione in I. Paralip. dicit : « Si Septuaginta interpretum pura et ut ab eis in græcum versa est editio permaneret, superflue me, Chromati episcoporum sanctissime atque dilectissime, impelleres ut hebræa tibi volumina latino sermone transferrem. » Et in cap. 30 Isaiæ et 5. Ezech. « Datur mihi suspicio, inquit, non

» eos errasse a principio, sed paulatim scriptorum vitio depravatos. »

Non refert quod Sixtus V, anno 1586, versionem græcam Septuaginta a se correctam jubeat *ut ab omnibus recipiatur et retineatur*; non enim jubet eam recipi ut authenticam, sed, ut dicit, ut utilem, *ad Latinæ Vulgatæ editionis et veterum Patrum intelligentiam.*

ARTICULUS VI.

De auctoritate Vulgatæ editionis.

Dico. Vulgata editio, eaque sola, est authentica et certa fidei regula.

Prob. Hæc et sola versio est authentica, quam authenticam solemni decreto declaravit universalis Ecclesia; est enim Ecclesia regula infallibilis discernendi Scripturam divinam, ut probavimus dissert. 1 præced. tractatus, a. 2, et probabimus adhuc infra: unde illud notum S. Augustini contra Epist. Fundamenti, cap. 5: *Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ auctoritas.* Atqui Ecclesia solemni decreto declaravit editionem Vulgatam authenticam, et ita de illa sola pronuntiavit, non de textibus hebraicis aut græcis, nec de quacumque alia versione: ergo. *Prob. min.* ex concilio Trid. sess. 4, cap. 1, ubi, post enumeratos omnes libros veteris et novi Testamenti, sic decernit: « Si quis autem libros » ipsos integros cum omnibus suis partibus, » prout in Ecclesia catholica legi consue» verunt et in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. » Et c. 2: « Insuper, » inquit, sacrosancta synodus, considerans » non parum utilitatis accidere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editioni» bus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda » sit innotescat, statuit et declarat ut hæc » ipsa vetus et Vulgata editio, quæ longo » tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo » illam rejicere quovis prætextu audeat vel » præsumat. » Et infra: « Decernit et statuit ut post hoc sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et Vulgata editio, quam emendatissime imprimatur. »

Equidem fatemur concilium non instituisse comparationem inter Vulgatam ex una parte et textus originales ac omnes aliæ versiones ex altera, sed tantum inter Vulgatam versionem et alias versiones latinas, *ut patet ex textu*; sicque concilium non reprobasse positive et formaliter hoc decreto textus hebraicos et græcos et versiones alias a latinis: at nihilominus verum est quod de sola Vulgata et non de textu hebraico vel græco, nec de quacumque alia versione, pronuntiaverit, quod sit authentica.

Hanc vocem *authenticum* a jure mutuati sunt theologi. Authenticum autem in jure, est *scriptum aliquod quod ex se fidem certam et infallibilem facit in judicio, et supremæ est auctoritatis, ut a nullo rejici vel in quæstionem verti debeat.* Sic, v. g. testamentum manu testatoris scriptum et signatum, est authenticum; item copia aut versio hujus testamenti quam notarii publici aut magistratus testantur esse conformem autographo, est authentica: et hoc sensu nostra Vulgata est declarata authentica, id est, conformis in sententiis autographo seu textui originali, consequenter irrefragabilis auctoritatis et certa fidei regula, tanquam verum Dei verbum.

Dixi *regula fidei* et non judex, quæ duo male confundunt hæretici. Sic, v. g. testamentum defuncti est regula et norma hæreditatis dispensandæ; sed si oriatur inter hæredes controversia de vero sensu testamenti, ipsum testamentum non erit judex, sed homo intelligentia et auctoritate præditus, cui partes litigantes acquiescere tenebuntur. Pariter verbum Dei seu Scriptura sacra Vulgatæ editionis est regula et norma fidei, sed si oriatur controversia de ejus vero sensu, consequenter de aliquo fidei dogmate, non ipsa erit judex, sed Ecclesia aut summus pontifex, de quo iterum infra.

Dices 1° Si sola Vulgata latina sit authentica, sequitur quod Ecclesiæ Orientales, quæ græca, vel syriaca, vel æthyopica versione utuntur, Scripturam veram et verum Dei verbum non habeant.

R. eas posse facile habere corrigendo suas versiones secundum Vulgatam: nec dubium quin Ecclesiæ Orientales catholicæ id præstiterint.

Dices 2° Vulgata in pluribus non est conformis fontibus hebraicis et græcis. *Ergo.*

R. D. ant. Non est conformis fontibus

vitiatis prout nunc exstant, *C.* fontibus puris ut olim exstabant tempore S. Hieronymi, *N.* Insuper quandoque videtur difformitas, licet nulla sit quoad sensum; aut si sit, inde sæpe provenit quod una vox hebraica aut græca habeat plures significationes, quarum unam elegit interpres, alteram assumit lector.

Inst. S. Hieronymus in suis Commentariis quandoque indicat quædam potuisse aliter aut melius verti quam sint in Vulgata editione. Ergo.

R. intelligendum esse S. Hieronym. de minutioribus quæ non variant sensum. Aliunde Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, existimavit S. Hieronymum plus divinitus adjutum fuisse in sua versione quam in suis Commentariis, et ideo ejus versionem retinendam judicavit.

Dices 3° Illa versio non est authentica quæ pluribus scatet mendis et erratis : atqui talis est versio Vulgata latina. Ergo.

Propter hoc argumentum gravis est difficultas inter theologos in quibus nostra Vulgata editio sit authentica: an in omnibus, an in aliquibus tantum, et in quibus?

Omnes conveniunt esse authenticam in iis quæ spectant fidem aut mores, sic quod nihil contineat fidei aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi. Et hinc tria infert noster Melchior Cano l. 2, de Locis Theologis cap. 13 : primum, si qua morum et fidei quæstio inter catholicos exoriatur, eam definiri oportere per latinam hanc veterem editionem; secundum, in fidei et morum disputatione non esse nunc temporis ad hebraica græcave exemplaria provocandum, nec ex eis certam controversiarum fidem esse faciendam; tertium, in his quæ ad fidem et mores pertinent, non esse latina exemplaria per hebraica vel græca corrigenda. Hæc celebris et laudatus theologus.

Sed an hic sistat editionis Vulgatæ authenticitas? Multi affirmant, negant alii, voluntque etiam in historicis et aliis esse authenticam, sic quod nihil falsi contineat. Utriusque sententiæ momenta proponam.

Rationes primæ sententiæ sunt, 1° quia Trid. citatum, postquam declaravit Vulgatam authenticam, jubet ut post hoc emendatissime imprimatur : ergo supponit in ea esse vitia et menda. Et post correctionem Sixti V et Clementis VIII, adhuc in ea reperiuntur errata, ut aperte innuit Clemens VIII, in Diplomate suæ editioni præfixo, dicens in hac Vulgata Editione visa esse nonnulla mutanda, quæ consulto mutata non sunt, idque communiter agnoscunt eruditi. 2° Quia Andreas Vega, qui concilio Tridentino interfuit, lib. 5 de Justificat. cap. 9, dicit quod concilium « Eatenus voluit eam authen» ticam haberi, ut certum omnibus esset » nullo eam fœdatam errore ex quo per» niciosum aliquod dogma in fide et mori» bus colligi posset, atque ideo adjecit, ne » quis illam quovis prætextu rejicere aude» ret. » Et addit quod cardinalis S. Crucis qui illi sessioni præfuit, pluries ipsi testatus fuerit, *nihil amplius Patres voluisse firmare.*

Rationes secundæ sententiæ sunt, 1° quia Trid. sess. 4, cap. 1, jubet sub anathemate omnes libros S. Scripturæ « cum omni» bus suis partibus... prout in veteri Vul» gata editione habentur, pro sacris et ca» nonicis suscipi : » ergo nulla pars, nulla propositio continet falsum.

2° Concilium, cap. 2, statuit ut nemo illam Vulgatam rejicere quovis prætextu audeat : atqui, si quid falsum contineret, posset rejici in sententia adversariorum, eo prætextu quod neque ad fidem neque ad mores pertineat.

3° Si Vulgata contineret falsum etiam in minoribus, Ecclesia, quæ jubet nos ea uti et pro sacra habere quoad omnes suas partes, induceret in errorem, etsi non perniciosum : absurdum est autem istud consequens. Quamvis enim non sit absurdum quod aliquis error in iis quæ non spectant fidem aut mores irrepat inter fideles, absurdum est tamen quam maxime, quod Ecclesia, quæ est columna veritatis et quam Christus docuit omnem veritatem, inducat fideles in hujusmodi errores.

4° Juxta communem sensum omnium et theologorum et fidelium tritamque fidei definitionem, omnia revelata in Scripturis sacris et nobis ab Ecclesia proposita pertinent ad fidem; docentur enim omnes etiam pueri in scholis fidem esse donum Dei ac lumen quo illustratus homo credit omnia quæ Deus revelavit et per Ecclesiam nobis credenda proposuit; perperam ergo et male patroni prioris sententiæ distinguunt in Scripturis sacris ab Ecclesia propositis quæ-

dam quæ pertinent ad fidem et quædam quæ non pertinent. Aut dicant quid intelligunt per pertinentia et non pertinentia ad fidem: an forte sola substantia mysteriorum, ut Incarnationis, pertinet ad fidem; et non circumstantiæ, ut quod angelus Gabriel missus fuerit ad B. Virginem, quod pastores adoraverint in præsepio, quod auditus sit concentus angelorum, quod B. Virgo visitaverit Elisabeth, quod Magi stella duce venerit ab oriente? etc. Attamen, et hæ circumstantiæ sunt pariter revelatæ et ab Ecclesia propositæ, sicut ipsa mysterii substantia. Quod si hæ circumstantiæ etiam pertineant ad fidem, cur non omnia alia æque revelata et ab Ecclesia proposita?

5° Si Vulgata editio non sit authentica et fidei regula in historicis et aliis minoribus, poterit quisquis absque labe hereseos negare omnia historica novi et veteris Testamenti: in novo, historiam mulieris adulteræ et mulieris peccatricis, resurrectionem Lazari, curationem cæci nati et paralytici, immissionem dæmonum in porcos, et sexcenta alia, maxime integra fere Acta Apostolorum; in veteri, libros Regum, Judith, Tobiæ, Esther, Judicum, Josue, Machabæorum, etc. Qui autem hæc negantem ferat, aut catholicum credat? *Neque dicas* hæc non posse negari, quia reperiuntur etiam in textibus hebraicis et græcis et in aliis versionibus: *respondebit*, enim, neque textus hebraicos et græcos, neque alias versiones, sed solum Vulgatam sibi esse ab Ecclesia datam pro regula fidei.

Ad primum rationem primæ sententiæ respondent, hæc menda quæ tempore Tridentini erant in Vulgata, et quæ post correctionem Clementis VIII adhuc reperiuntur, esse levia scriptorum aut typographorum aut temere emendantium errata, non interpretis, quæque ex collatione codicum et ex antecedentibus et sequentibus corrigi possunt, sicque non impedire quominus sit authentica et fidei regula tam in rebus fidei et morum quam in aliis; alioquin nulla foret unquam S. Scriptura authentica, cum sit moraliter impossibile ut copia seu versio sit ita conformis suo autographo quin irrepat aliquod leve mendum scriptoris aut typographi. Neque Ecclesia, Vulgatam *veterem* probando, probavit errata scriptorum aut typographorum, aut male emendantium; hæc enim non sunt partes, sed vulnera Vulgatæ veteris. Neque tamen cuiquam privato licet corrigere mendum typographi quod communiter legitur in editionibus Vulgatæ; sed illud debet proponi iis ad quos pertinet, ut accedente auctoritate Ecclesiæ emendetur.

Si dicas non esse verisimile correctores *consulto* et de industria præteriisse errata scribarum, typographorum et male emendantium: et tamen citata præfatio bibliorum dicit, *consulto relicta immutata quæ mutanda videbantur*.

Respondent id esse verisimile, tum quia dicunt correctores in eadem præfatione, se ista præteriisse *ad offensionem populorum vitandam*, potuissent autem offendi populi ex correctione quorumdam erratorum, etiamsi essent tantum scribarum, typographorum aut emendantium; tum quia non constabat esse errata: dicunt enim insuper correctores, se ea non emendasse, « quod » facile fieri posse credendum est, ut majo» res nostri, qui ex hæbræis et græcis la» tina fecerunt, copiam meliorum et emen» datiorum librorum habuerint quam ii qui » post illorum ætatem ad nos pervenerunt, » qui fortasse, tam longo tempore identi» dem describendo, minus puri atque in» tegri evaserunt. »

Si reponas eosdem correctores addere pro tertia ratione quod ipsis « propositum » non fuit novam aliquam editionem cude» re, vel antiquum interpretem ulla ex » parte colligere vel emendare: » quibus significatur ea mutanda quæ non fuerunt mutata, esse errata interpretis.

Respondent id non absolute significari, sed conditionaliter tantum et ex suppositione, 1° quod vere essent errata, de quo ipsis non constabat, ut dictum est; 2° quod essent errata interpretis, quod non affirmant.

Ad secundam rationem respondent magis standum esse definitioni Ecclesiæ, quam relationi unius theologi.

Hanc secundum sententiam tenent Lorcas, Turrianus, quos citat et sequitur Sylvius lib. 1 Controv. q. 2, a. 13; Bonfrerius Præloq. cap. 15, lect. 3; Basilius Pontius q. 3, cap. 2; Annatus in Apparatu lib. 2, a 5, et alii plures.

Attamen, quia prima sententia videtur communior, ejus responsiones ad rationes secundæ sententiæ hic subjicio. Itaque

Ad primam respondent concilium loqui de insignioribus Vulgatæ partibus, puta libris, capitulis et versiculis, non autem de singulis illius verbis aut voculis.

Ad secundum. Merito prohibet Tridentinum Vulgatam sub quocumque prætextu rejicere, quia, quamvis contineat quædam levia errata, non licet privata auctoritate ea corrigere, sed expectandum est judicium Ecclesiæ. Vel intelligendum est concilium non licere eam rejicere quoad ea quæ fidem et mores spectant.

Ad tertiam, patet responsio ex dictis, scilicet quod Ecclesia jubeat Vulgatam haberi pro sacra quoad partes insigniores, præsertim quæ spectant fidem et mores, non quoad minutiora; et ideo non inducit in errorem.

Ad quartam. Hæc minutiora errata quæ non spectant fidem aut mores, non proponuntur nobis ab Ecclesia ut revelata : doctrinam autem fidei et morum dicunt ea esse omnia quæ spectant mysteria religionis nostræ, consilia divinæ voluntatis, quæ fidem et religionem juvant, pietatem alunt, mores informant : non autem pertinere ad fidem et mores quædam nomina locorum, urbium, fluminum, plantarum et similia.

Ad quintam. Fatentur hæc salva fide non posse negari, tum quia sunt insigniores partes et libri integri, qui ex decreto Ecclesiæ pro canonicis habentur, tum quia in his historicis plurima sunt quæ spectant consilia divinæ voluntatis, pietatem et mores.

Juxta has duas ultimas responsiones, paucis videntur differre ambæ sententiæ.

ARTICULUS VII.

Utrum liceat legere Scripturam sacram in lingua vulgari ?

Dico 1° Lectio Scripturæ sacræ in lingua vulgari non est per se mala, nec absolute prohibita ab Ecclesia.

Prob. Quia si versio in lingua vulgari sit fidelis, eadem est substantialiter ac hebraica, græca, vel latina; neque ulla lex in Ecclesia extat, qua absolute prohibeatur. Calumniantur ergo Ecclesiam hæretici, dum clamitant eam eripere filiis suis panem spiritualem, et testamentum Patris sui.

Dico 2° Stante lege, non est omnibus promiscue licitum legere Scripturam sacram in lingua vulgari, sed iis solum quibus id concessum est ab episcopis aut inquisitoribus, vel a suis prælatis, si agatur de regularibus.

Ita regula quarta Indicis concil. Trid. his verbis : « Cum experimento manifestum sit, » si sacra biblia vulgari lingua passim sine » discrimine permittantur, plus inde, ob » hominum temeritatem, detrimenti quam » utilitatis oriri, hac in parte judicio episcopi aut inquisitoris stet, ut cum consilio » parochi vel confessarii, bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem » in vulgari lingua eis concedere possint, » quos intellexerunt ex hujusmodi lectione » non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem » in scriptis habeant. Qui autem absque » tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius bibliis ordinario » redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero qui » prædictam facultatem non habenti biblia » idiomate vulgari conscripta vendiderint, » vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab episcopo » convertendum amittant, aliisque pœnis » pro delicti qualitate episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero nonnisi facultate » a prælatis suis habita ea legere aut emere » possint. » Quam regulam Pius IV, bulla *Dominici Gregis* data anno 1564, et Clemens VIII, bulla *Sacrosanctum* 1593, præfixis ipsis Indici observari mandarunt.

Hujus autem legis æquitatem probat ipsa ratio quam profert regula, nempe quod « experimento manifestum sit, si sacra bi» blia vulgari lingua passim sine discrimine » permittantur, plus, ob hominum temeri» tatem, detrimenti quam utilitatis oriri. » Enimvero, cum in S. Scripturis plura sint intellectu difficilia, ut ipse S. Petrus Epist. 2 c. 3, expresse et specialiter testatur de Epistolis S. Pauli, et quædam apparenter contradictoria, plebeii, ut plurimum illitterati, ex S. Scriptura male intellecta in varios abirent errores; quod experientia comprobatum est, cum inde omnes fere hæreses natæ sint. Deinde, quis putas sensus erit rustici aut mulierculæ legentis in Osea : *Fac tibi filios fornicationum ;* in Canticis : *Osculetur me osculo oris sui ;* item adulterium Davidis, incestum Thamar, quod Joseph inebriaverit fratres suos, quod Sara, Rachel et Lia dederint ancillas suas in concubinas viris suis, etc., nonne apprehendet

ut licita quæ sunt pessima, et ad ea patranda provocabitur, aut S. Scripturam ut mendacem rejiciet? Et ideo Christus monet Ecclesiam in Apostolis : *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis.* Quæ verba S. Chrysost. Hom. 12 Oper. Imperfecti, interpretatur de mysteriis fidei in S. Scriptura. Insuper periculum est ne versiones S. Scripturæ in linguam vulgarem sint infideles, ut jure præsumitur de versionibus hæreticorum, et constat de famosa versione Montensi, toties a summis pontificibus reprobata, cujus sexaginta millia exemplaria anno 1691 feruntur jam distributa fuisse. Tandem, si biblia vulgari lingua passim permitterentur, contingeret quod jam suo tempore damnabat S. Hieronymus, Epist. ad Paulinum, ubi dicit : « Sola scri» pturarum ars est quam sibi passim omnes » vindicant... hanc garrula anus, hanc de» lirus senex, hanc sophista verbosus, hanc » universi præsumunt, lacerant, docent an» tequam dicant. » Cui præcecinerat Apost. 1 ad Timoth. 1 dicens : *Nolentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant.*

Dices 1° Christus Joan. 5, generaliter monet Judæos ut scrutentur S. Scripturas; et SS. Patres hortantur fideles, imo quasi præcipiunt legere Scripturas; inter alios Chrysostomus, Hom. 9 in Epist. ad Colloss: « Audite, inquit, obsecro sæculares » omnes... comparate vobis biblia animæ » pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum » Testamentum acquirite. » Ergo.

R. ad primum, in textu non haberi, Scrutemini, sed scrutamini, quod Estius et alii plures interpretes intelligunt indicative, id est, Inquiritis et legitis S. Scripturas. Verum *esto* intelligatur imperative, Christus ibi alloquitur scribas et pharisæos, qui callebant linguam S. Scripturæ, scilicet hebraicam; lingua enim vulgaris tunc erat syriaca, et cum nollent ejus divinitatem agnoscere, remittit eos ad S. Scripturas ut confundantur : unde nihil inde contra conclusionem.

Ad secundum, SS. Patres hortantur fideles ad lectionem S. Scripturarum, quia tunc inde uberes fructus sperabant ob docilitatem legentium, quod his temporibus sperari non potest saltem in pluribus, ut infelici experientia notum est. Mutatis ergo circumstantiis, Ecclesia prohibet uno tempore quod permisit altero.

Dices 2° Lectio Scripturæ sacræ in lingua vulgari est æque bona et utilis ac in lingua latina : ergo non magis illa quam ista debet prohiberi.

R. D. ant. Est æque bona et utilis, etc., et est æquale periculum abusus in utraque, *N.* et non est æquale periculum abusus, *C.* Qui enim intelligunt linguam latinam, communiter sunt doctiores aliis, et recurrere possunt ad interpretes pro intelligentia S. Scripturæ. Insuper rarius occurrunt versiones latinæ infideles quam vernaculæ.

Inst. 1° S. Scriptura est testamentum et epistola Dei ad nos, pro nostra omnium instructione : atqui non est æquum prohibere filiis legere testamentum patris, et subditis legere epistolam ad eos directam pro eorum instructione. Ergo.

R. 1° *N. suppositum minoris.* Non enim prohibetur absolute lectio S. Scripturæ in lingua vulgari, sed tantum requiritur conditio ut cum fructu legatur et removeatur abusus : neque ii in quibus non reperitur conditio sinuntur ignorare quæ ex illo testamento et ex illa epistola illos spectat, sed de iis instruuntur per pastores, catechistas et prædicatores. 2° *D. min.* Non est æquum, etc., si ex lectione, etc., non sequatur gravius inconveniens, *C.* secus, *N.* Et sic ageretur in civilibus.

Inst. 2° Juxta S. Augustinum, prædicanda est prædestinatio, etsi aliqui inde offendantur. Ergo.

R. N. conseq. 1° Quia S. Augustinus id dixit contra Pelagianos, qui negabant necessitatem gratiæ, in quo casu necessaria erat ad eos revincendos prædicatio prædestinationis; nihil autem simile in nostro casu occurrit. 2° Prædicatio prædestinationis inspirat homini humilitatem, Dei amorem, fiduciam in ejus misericordia, atque intimum sensum de ejus supereminenti altitudine ac supremo et universali dominio. Ad hæc autem non requiritur necessario lectio Scripturæ sacræ, sed haberi possunt per pastores, confessarios et pias lectiones.

Inst. 3° Fit abusus in vino, in eucharistia et in pluribus aliis quæ tamen non prohibentur : ergo.

R. neque prohiberi absolute, ut jam toties dixi, lectionem S. Sripturarum, sed requiri conditionem ut caveantur abusus, quod pa-

titer fieri posset circa vinum, eucharistiam et alia. Non fit tamen circa vinum, quia generalior est ejus convenientia; neque circa eucharistiam, quia est præceptum Domini de ea sumenda : secus quoad utrumque de lectione S. Scripturæ. Deinde quid simile habemus circa eucharistiam; etenim, propter diminutionem charitatis et mores corruptos, nunc non probatur tam frequens usus eucharistiæ quam in primitiva Ecclesia.

Petes 1° utrum saltem pastores, concionatores et ii qui ad hæc munia disponuntur, possint legere S. Scripturam in lingua vulgari ?

Respondet probabilius *affirmative* Sylvius, lib. 1 Controv. q. 2, a. 14, dicitque hanc sententiam esse communi virorum doctorum et proborum usu probatam. Rationem adfert ex ipso concilio Trid. in cujus sess. 22, cap. 8, prælatis mandatur ut inter missarum solemnia exponant per se vel per alios aliquid ex eis quæ in missa leguntur, ut sunt Epistolæ et Evangelia. Non est autem consultum quod quilibet parochus aut concionator ista vertat in linguam vulgarem, tum quia non omnes sunt hujus capaces, tum quia id magnam varietatem et confusionem pareret in Ecclesia. quapropter ii videntur habere licentiam ab ipso concilio.

Petes 2° utrum qui curæ animarum non deputantur, sciunt tamen linguam latinam, possint legere S. Scripturam in vulgari lingua ?

R quosdam affirmare : contrarium tamen ut probabilius tenet laudatus Sylvius, quia hi videntur comprehendi in prohibitione generali ; lex enim dicit generaliter regulares (inter quos multi callent linguam latinam) non posse legere aut emere biblia lingua vulgari edita, nisi obtenta facultate a suis prælatis, et id forte quia versiones vulgares sunt frequentius vitiatæ : cæterum intellige nisi usus contrarius prævaluerit, ut jam dicturus sum. Itaque

Dixi in conclusione, *stante lege ;* quia in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit, et in quibusdam penitus abrogavit. Sic in his partibus et in pluribus aliis sine scrupulo leguntur vernacule Epistolæ et Evangelia missæ, Officium hebdomadæ sanctæ, Compendia historiæ veteris et novi Testamenti ; bibliopolæ vendunt omnibus promiscue biblia in lingua vulgari, non inquirentes an qui emunt habeant licentiam in scriptis. Denique in Gallia, Germania, Hollandia promiscue leguntur ab omnibus biblia vernacula, scientibus et non contradicentibus episcopis, imo quibusdam hanc lectionem suadentibus. Neque repugnat aliquam legem vigere in uno territorio et non in alio.

« Quid autem facere debeamus nos, in» quit P. Henno, tract. de Virtutibus d. 2, » q. 1, a. 5. concl. 3, aliique Gallis vicini » (degebat tunc Tornaci in Belgio) apud » quos sunt innumera biblia gallica, saltem » novi Testamenti, in omnibus fere familiis » honestioribus dispersa ; apud quos, in» quam, aliqui episcopi et pastores plurimi, » non solum novi Testamenti lectionem per» mittunt, sed præcipiunt aut insinuant ? » Certe nec scio, nec video, nisi quod in illis » servet unusquisque ecclesiæ suæ morem » receptum. » Prudenter tamen laudatus theologus monet non esse facile permittendam lectionem veteris Testamenti, nisi viris id intelligentibus, et cavendum esse a versionibus adulteratis.

ARTICULUS VIII.

De Scripturæ sacræ sensibus.

Sensus S. Scripturæ nihil est aliud quam verborum ejus immediata mediatave significatio a Deo intenta.

1. p. q. 1. a. 10. o. — *Dico* 1° Duplex est in genere sensus Scripturæ sacræ, litteralis seu historicus, et mysticus seu spiritualis.

Ibid. — *Prob.* Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia quod ipsæ res significatæ per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis ; illa vero significatio qua res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis seu mysticus, qui super litteralem fundatur et eum supponit : sic, hæc vox, *manna*, significat litteraliter cibum levem ; iste autem cibus levis significat mystice eucharistiam.

Sensus litteralis dicitur a D. Thoma et passim a theologis historicus, non quod sem-

per historiam referat, *ut patet* in hac propositione : *Diliges Dominum Deum tuum*, sed ad distinctionem sensus mystici qui fundatur in historia seu re gesta ; et quia quælibet propositio sensus litteralis inserta est historiæ tanquam pars ejus.

Dico 2° Duplex est sensus litteralis, unus proprius et grammaticalis, alter improprius et metaphoricus. Sensus proprius et grammaticalis est is quem verba ex sua primaria significatione significant ; sic leo proprie et grammaticaliter significat animal rugibile : improprius et metaphoricus est, dum verba ad impropriam significationem transferuntur propter aliquam similitudinem ; sic in hac propositione : *Vicit leo de tribu*, leo significat improprie et metaphorice Christum.

Ibid. — *Dico* 3° Triplex est sensus spiritualis seu mysticus, scilicet allegoricus, moralis seu tropologicus et anagogicus : quia, vel res significatæ per verba significant aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem, et est sensus allegoricus respondens fidei : vel significant aliquid pertinens ad mores, et est sensus moralis respondens charitati ; vel significant aliquid pertinens ad Ecclesiam triumphantem seu æternam beatitudinem, et est sensus anagogicus respondens spei. Hi tres sensus cum litterali exprimuntur his tritis versibus :

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Inter alia sit exemplum : hæc vox *Jerusalem*, juxta S. Hieronymum, in cap. 16 Ezech. litteraliter significat urbem Palestinæ, allegorice significat Ecclesiam militantem, moraliter animam justi, anagogice Ecclesiam triumphantem.

Dices 1° Hi tres sensus continentur etiam sub litterali ; istud enim : *Et Verbum caro factum est*, pertinet ad fidem seu Ecclesiam militantem ; istud : *Diliges Dominum Deum tuum*, pertinet ad mores ; et istud : *Ibunt justi in vitam æternam*, pertinet ad Ecclesiam triumphantem.

R. ita quidem esse, sed non sunt sensus mystici ; nos autem, modum loquendi SS. Patrum et interpretum sequentes, omisso sensu litterali, dividimus, et bene, sensum mysticum in has tres species.

Dices 2° Sensus metaphoricus videtur pertinere ad sensum mysticum ; dum enim dicitur : *Vicit leo de tribu Juda*, per leonem animal, quod est res significata, significatur Christus. Ergo.

R. N. ant. et ejus probationem. Non enim per leonem, ut est res, in hac propositione, significatur Christus ; alioquin verum esset quod leo, verum animal, vicisset ; sensus enim litteralis est semper verus : sed per hanc vocem, *leo*, translatam propter similitudinem ad sensum improprium, significatur immediate Christus. Itaque sensus litteralis significatur per verba, ut verba sunt proprie vel improprie sumpta ; sensus autem mysticus significatur per res, ut res sunt. Quod ut melius percipiatur, observandum est, quod jam dixi, in omni sententia S. Scripturæ reperiri sensum litteralem, cum sit fundamentum spiritualis, et ideo eo secluso nullus foret sensus : sensus autem litteralis semper est verus, cum Spiritus sanctus non possit dicere falsum. Quando ergo sensus proprius et grammaticalis est falsus seu repugnans, tunc sensus litteralis est improprius et metaphoricus : sic, cum Christus, Matth. 5, dicit : *Si oculus scandalizat te, erue eum*, sensus proprius et grammaticalis est repugnans, alioquin revera esset eruendus oculus ; sed est sensus litteralis metaphoricus, quatenus τὸ *oculus* significat quidquid nobis est æque pretiosum ac oculus. E contra, cum dicitur Psal. 77 : *Pluit illis manna*, manna litteraliter significat cibum levem, et hic sensus litteralis grammaticalis est verus : iste autem cibus levis significat mystice eucharistiam, *ut jam dictum est.*

Petes 1° ad quem sensum pertineat parabolicus ?

Ibid. ad 3. — *R.* pertinere ad sensum litteralem metaphoricum ; quia parabola nihil est aliud quam integra sententia seu propositio, quæ propter similitudinem (parabola enim est sermo similitudinarius) transfertur ad significandum aliquid aliud a proferente intentum ; ut cum Christus, Matth. 13, dixit : *Exiit qui seminat, seminare ;* voluit per istam sententiam parabolicam significare prædicationem Evangelii, ut ipse postea explicavit.

Petes 2° utrum omnis textus S. Scripturæ habeat sensum litteralem ?

Ibid. o. — *R.* ex dictis, semper habere proprium vel improprium, alioquin careret omni sensu, cum spiritualis endetur

in litterali. Unde, si quidam SS. Patres videntur negare in quibusdam textibus sensum litteralem, intelligendi sunt de sensu proprio et non metaphorico.

Petes 3° utrum idem textus S. Scripturæ possit habere plures sensus litterales?

Ibid. — *R. affirmative.* Quia, cum auctor Scripturæ sacræ sit Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens si etiam in una littera S. Scripturæ plures sint sensus litterales. Sic illud Isaiæ 53 : *Generationem ejus quis enarrabit?* SS. Patres intelligunt ad litteram de æterna Verbi generatione, et de temporali ejus incarnatione. Unde non est mirum si quandoque versiones etsi sinceræ discordent, dum unus interpres assumit unum sensum, et alter alium, utrumque legitimum.

Petes 4° an quatuor sensus assignati, litteralis et triplex mysticus, possint reperiri in uno textu S. Scripturæ?

R. affirmative. Patet in hac voce *Jerusalem*, de qua supra.

Petes 5° an in quolibet textu S. Scripturæ isti quatuor sensus reperiantur?

Quod. lib. 7. a. 15. — *R. negative,* sed quandoque quatuor, quandoque tres, quandoque duo, quandoque solus litteralis reperitur. Sic in his : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, Honora patrem tuum*, et in pluribus aliis similibus, nullum est fundamentum sensus mystici : unde multum hallucinantur qui, dum in omnibus S. Scripturæ textibus sensus mysticos quærunt et non inveniunt, ridicule S. Scripturas contorquent.

Petes 6° quis sensus sit potior, an litteralis, an mysticus?

R. esse excedentes et excessos. Litteralis prævalet 1° quoad prioritatem, quia est fundamentum mystici; 2° quoad generalitatem, quia reperitur in omnibus; 3° quoad certitudinem : etenim certo constat de sensu litterali non mystico, nisi dum a scriptore sacro asseritur, aut per Ecclesiam declaratur; sensus enim mystici quos proferunt SS. Patres non sunt nisi probabiles : unde ex solo sensu litterali aut mystico, per aliam S. Scripturam vel Ecclesiam asserto, deduci potest efficax argumentum. Ex alia parte sensus mysticus prævalet 1° quatenus regulariter significat res præstantiores, 2° Principaliter intenditur a Spiritu sancto : sic narratione factorum in veteri Testamento, Christus principaliter intenditur : unde sensus litteralis comparatur corpori, mysticus animæ. Quando ergo S. Th. 1 p. q. 1, a. 10, o, dici sensum litteralem esse quem auctor intendit, intelligit de prima et proxima ac certiori intentione, non de præcipua et nobiliori dum occurrit.

Petes 7° utrum sensus S. Scripturæ sit obscurus?

R. esse obscurum in multis locis. Est contra hæreticos. *Patet* ex ipsa S. Scriptura. S. Petrus, Epist. 2, c. 3, loquens de Epistolis S. Pauli, dicit : *In quibus quædam sunt difficilia intellectu.* Act. 8, Philippo interroganti ennuchum an intelligeret Isaiam quem legebat? respondet eunuchus : *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Lucæ 24, Christus discipulis euntibus in Emmaus S. Scripturas interpretatur. Luc. 18, Apostoli nihil horum intellexerunt quæ dicebat Christus, et plura alia.

Idem probant tot commentaria SS. Patrum et interpretum ad explicandam S. Scripturam, tot contentiones hæreticorum inter se de vero sensu S. Scripturæ; si enim sit apertus, ut volunt, cur non omnes conveniunt? cur aliter Lutherani, aliter Calvinistæ intelligunt?

Dices 1° Psal. 18 et 118, S. Scriptura dicitur lux et lucerna. 2° Deuteron. 3, dicitur mandatum non esse supra hominem, nec procul ab eo. 3° Apost. 2 Cor. 4, dicit : *Si apertum est Evangelium, iniis qui pereunt est opertum.* 4° Discrimen quod est inter vetus et novum Testamentum est, quod vetus sit liber signatus, Isai. 19, et novum sit liber apertus, Apoc. 5. 5° S. Chrysost. Hom. 3 in 2 ad Thessal. dicit : « Omnia clara sunt et » plana ex Scripturis divinis, quæcumque » necessaria sunt manifesta sunt. » Ergo.

R. ad primum. S. Scriptura dicitur lux et lucerna, non quia facile intelligitur, sed quia intellecta mentem illustrat. *Ad secundum.* Non ibi agitur de intellectione S. Scripturæ, sed de adimpletione mandatorum Dei, quæ est facilis, non per vires naturæ, sed per Dei gratiam. *Ad tertium.* Apostolus ibi non loquitur de S. Scriptura, sed de Evangelio voce prædicato et explicato. *Ad quartum.* Vetus Testamentum dicitur liber signatus, quia mysteria futura in eo figurate contenta non intelligebantur; no-

vum autem dicitur liber apertus, quia ista mysteria per Christum sunt adimpleta et declarata. *Ad quintum.* S. Chrysost. loquitur de S. Scriptura, prout continet præcepta moralia tantum: ipsum autem agnoscere in pluribus aliis obscuritatem S. Scripturæ constat ex Hom. 10, et 40 in Joan. imo ex ipsa Homilia quæ objicitur.

Petes 8° quare sensus S. Scripturæ sit obscurus?

R. ex ipsa conditione et altitudine rerum, ut sunt mysteria fidei quæ continentur in S. Scripturis, et ex modo quo proponuntur per metaphoras, tropos et figuras, naturaliter sequi obscuritatem; sed nec defuerunt motiva ut modo obscuro proponerentur. — *Ibid.* ad 2.— 1° Quia id est utile ad tollendum fastidium; ad ea enim quæ sunt difficilia major surgit attentio quæ fastidium tollit. 2° In hoc tollitur occasio superbiendi, dum homo in ipsa intelligentia S. Scripturæ difficultatem patitur. 3° Per hoc veritas fidei ab irrisione infidelium defenditur. Unde Christus, Matth. 7, dicebat: *Nolite sanctum dare canibus.* 4° Id conducit ad majestatem et reverentiam S. Scripturæ, vilesceret enim si facile intelligeretur.

Petes 9° cujus sit judicare de vero sensu S. Scripturæ?

Inter hæreticos, quidam dicunt judicem sensus S. Scripturæ esse ipsam S. Scripturam; quidam, spiritum privatum; catholici autem dicunt esse Ecclesiam. Itaque

R. 1° S. Scriptura non potest de suo sensu judicare. 1° Quia, quando controvertitur de sensu S. Scripturæ, ipsa S. Scriptura et ejus sensus est objectum et materia controversiæ: ergo non potest esse judex; nemo enim unquam somniavit rem controversam esse judicem controversiæ. 2° Judex in aliqua controversia debet partes litigantes audire, sententiam ab ipsis audiendam et excipiendam proferre, et posse illos compellere ad acquiescendum sententiæ; alias frustraneum esset judicium: atqui S. Scriptura hæc præstare non potest. ergo. 3° Si S. Scriptura sit tam clara et aperta ut sufficiat pro erudendo ejus vero sensu, ut prætendunt hæretici, quare ergo ipsi a tot annis disputant de vero sensu plurimorum textuum S. Scripturæ, inter alios de illo celebri: *Hoc est enim corpus meum?* Vel ergo non legunt S. Scripturam, vel sunt pertinaces contra agnitam veritatem.

Dicunt. S. Augustinus, l 2 de Doctrina Christ. c. 6, dicit: « Nihil fere de illis ob- » scuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur: » ergo S Scriptura potest se ipsam explicare. *R. N. conseq.* 1° Quia S. Aug. non dixit simpliciter *Nihil*, sed, *fere nihil;* ideoque supponit esse quædam quæ nullibi per alia clariora explicantur, ut revera sunt plurima in Prophetis, præsertim in Ezechiele, in Epistolis Pauli et in Apocalypsi; 2° Quia incertum est quænam sint illa clariora per quæ obscura explicentur; alioquin cur hæretici ad illa clariora non recurrerent in suis disputationibus?

R. 2° Spiritus cujusque privatus, non potest esse judex de vero sensu S. Scripturæ, 1° quia non habet auctoritatem compellendi partes ad acquiescendum suæ sententiæ; 2° quia est varius in variis, incertus et sæpe sibi contrarius: dictat Lutherano hunc sensum esse verum, dictat Calvinistæ contrarium; dicit Lutheranus se bonum habere spiritum, negat Calvinista: quis litem dirimet? 3° Nullus est aut fuit unquam hæreticus qui non prætendat se bono spiritu duci: si ergo cujusque privatus spiritus sit judex de vero sensu S. Scripturæ, admittendæ sunt omnes hæreses ut veræ, nihil enim nisi verum a bono spiritu procedere potest.

R. 3° Judex de vero sensu S. Scripturæ est Ecclesia; quia, ut infra probabimus, est infallibilis tam in proponendis Scripturis canonicis, quam in judicando de vero earum sensu. De hac responsione fusius dissert. subsequenti.

Petes 10° an non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem S. Scripturæ?

R. communiter assignari sequentes: prima, sensus quem verba in propria significatione accepta important, si non sit absurdus, nec dogmatibus fidei aut morum honestati repugnans, est sensus litteralis. Colligitur ex S. Augustino, lib. 3 Doctrinæ Christ. cap. 10, et ex lib. 8 de Genesi ad Litt. cap. 7.

Secunda, sensus litteralis est quem Ecclesia vel unanimis Patrum consensus habet pro litterali: ex concilio Trid. sess. 4, cap. 2.

Tertia ad intelligentiam S. Scripturarum adhibenda est vitæ mundities, frequens,

humilis et devota oratio, collatio antecedentium et sequentium, locorum similium et variorum exemplarium, atque assidua Patrum et interpretum lectio.

Petes 11° quid sit sensus accommodatitius?

R. Quod sit sensus quem verba S. Scripturæ habent, non ex intentione Dei, aut scriptoris sacri, sive literaliter sive mystice, sed ex intentione hominis ea applicantis ad significandum aliquid simile illi quod exprimitur in S. Scriptura. Unde non est sensus S. Scripturæ, sed hominis detorquentis veram significationem S. Scripturæ ad aliud propter similitudinem ; sicut si quis hæc verba Rebeccæ dicta de Jacob et Esau, Genes. 25, *Major serviet minori*, applicaret natu minori alicujus familiæ, cui natu major servire debeat.

Hoc sensu accommodatitio plura dicta de sapientia æterna applicat Ecclesia divæ Virgini, plura dicta de Noe, Moyse et Aarone, Eccli. 44 et 45, ut : *Inventus est justus et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio ; Non est inventus similis illi. Similem illum fecit in gloria sanctorum ; Statuit illi testamentum æternum et dedit illi sacerdotium*, applicat SS. confessoribus pontificibus.

Petes 12° utrum liceat cuique privato usurpare verba S. Scripturæ in sensu accommodatitio ?

R. in rebus bonis et ex bono fine licitum esse, modo tamen non proferetur ut sensus S. Scripturæ. In nugis, jocis, adagiis, irreligiosum est; in falsis, scurrilibus, adulationibus, detractionibus, impudicis, impium et sacrilegum.

DISSERTATIO II.

DE TRADITIONIBUS.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit traditio, et quantæ auctoritatis ?

Traditio generaliter est doctrina ab uno alteri scripto vel voce communicata. Unde Apost. 2 Thessal. 2 : *Tenete, inquit, traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam*, id est, sive voce, sive scripto. Dicitur *doctrina*, quia traditio hic non sumitur pro actu transmittendi, sed pro re transmissa.

Specifice autem sumpta traditio, prout distinguitur a S. Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata. Est vel bona, vel mala, vel inutilis. Item, vel spectat politiam civilem, vel fidem et mores fidelium. Hic agitur de traditione bona spectante fidem et mores fidelium.

Dico 1° Traditio sic sumpta definiri potest : *Doctrina ad fidem et mores christianos pertinens, viva voce a suo auctore communicata*. Dicitur, *a suo auctore*, quia non obstat traditioni, si, semel a suo auctore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur. Hujusmodi sunt baptismus parvulorum, perpetua virginitas B. Mariæ, jejunium quadragesimale, celebratio festorum Paschæ et Pentecostes, et plura alia.

Dico 2° Traditio ex parte originis dividitur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam. Divina, est quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, viva voce ad posteros communicata est. Apostolica, est quam Apostoli auctoritate apostolica tanquam Ecclesiæ præfecti instituerunt. Ecclesiastica, est quam concilia aut summi pontifices aut SS. Patres introduxerunt.

Observandum tamen hæc vocabula, *divina, apostolica, ecclesiastica*, quandoque a SS. Patribus confundi : etenim traditiones divinas interdum vocant apostolicas et ecclesiasticas, quia, licet sint immediate a Deo, per Apostolos promulgatæ sunt, et per Ecclesiam ad nos transmissæ. Interdum etiam apostolicas ecclesiasticas vocant divinas, non quod sint immediate a Deo, sed quia Apostoli aut Ecclesiæ prælati eas instituerunt, inspirante Spiritu sancto ut instituerent, vel quia eas instituerunt auctoritate a Deo accepta, vel quia ad exemplum Christi eas instituerunt, ut, v. g. jejunium quadragesimale.

Ratione materiæ, traditio dividitur in dogmaticam et moralem, seu ritualem. Prima versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia, septem sacramenta, B. Mariam fuisse ante et post partum virginem, etc. Secunda spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale, celebrandum festum Paschæ, etc.

Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine et suffocato, trina immersio in baptismo ; et in perpe-

tuam, quæ instituta est ut perpetuo duratura, ut baptismus parvulorum, validitas baptismi ab hæreticis collati.

Dico 3° Traditio divina est infallibilis auctoritatis et fidei regula; quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura sacra: scriptura sacra autem non est infallibilis auctoritatis et fidei regula, quia est scripta, sed quia est verbum Dei. Unde Trid. sess. 4, cap. 1, declarat se *pari affectu et reverentia suscipere ac venerari* traditiones divinas ac Scripturam sacram. Ex quo colliges ex traditione divina firmum et efficax posse formari argumentum, sicut ex S. Scriptura divina.

Traditio apostolica tantæ est autoritatis quantæ sunt decreta apostolica. Traditionis vero ecclesiasticæ ea est auctoritas, quæ est legum ecclesiasticarum: unde traditiones apostolicæ et ecclesiasticæ patiuntur dispensationem, derogationem et abrogationem.

Petes quæ sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam?

R. 1° Regula dignoscendi traditionem in communi, ea est quam statuit S. Aug. lib. 4 contra Donat. c. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum est, sed semper retentum, non nisi apostolica auctoritate traditum certissime creditur.*

R. 2° Regula dignoscendi traditionem divinam, prout ab apostolica distinguitur, est: si Ecclesia tenet aliquid tanquam de fide, aut aliquid quod non nisi a Deo potest institui, esse servandum, est traditio divina nobis per Apostolos transmissa. Ratio est, quia Ecclesia errare non potest: ergo quod dicit esse de fide aut esse servandum, ita est. *Subsumo.* Atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum, neque id quod a solo Deo potest institui vere dicitur servandum, si a Deo non sit institutum. Ergo. Sic sunt traditiones divinæ, baptismus parvulorum, validitas baptismi hæreticorum, perpetua virginitas B. Mariæ, tria sacramenta, baptismum, confirmationem et ordinem esse initerabilia, etc.

Dixi, *per Apostolos nobis transmissa:* quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novas revelationes, sed omnia fide tenenda revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum sanctum dictantem et docentem omnia juxta promissiones ipsis facsa a Christo, Joan. 14 et 16. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum, et fide divina credendum, non condit novum articulum fidei, id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum; sed declarat quod id quod non noscebatur esse fidei ita nunc esse habendum, ut jam alibi observavimus.

Altera regula dignoscendi traditionem divinam est: quando Patres priorum sæculorum tenent unanimiter tanquam de fide aliquid non scriptum, et oppositum damnant ut hæreticum, est traditio divina.

Quæstio hic potissimum est de traditionibus divinis, quas non esse admittendas contendunt hodierni hæretici, Gnosticorum, Valentinianorum et Marcionitarum in hoc exempla secuti: unde Calvinus, lib. 4 Instit. c. 2, § 8, hanc regulam statuit: « Esto hoc firmum axioma, non aliud » habendum esse verbum Dei cui detur in » Ecclesia locus, quam quod lege primum » ac Prophetis, deinde scriptis apostolicis » continetur. » Unde sit

ARTICULUS II.

Utrum traditiones divinæ sint necessario admittendæ?

Dico. Præter Scripturam sacram, necessario sunt admittendæ traditiones divinæ.

Prob. 1° ex S. Scriptura. Apost. 2 Thessal. 2, dicit: *State et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam*, id est, sive voce, sive scripto; et loquitur de traditionibus divinis et ad fidem pertinentibus, quia hortatur ibi Thessalonicences ut permaneant in fide. Unde S. Chrysost. ad hæc verba ait: « Hinc patet quod » non omnia per epistolam tradiderunt » (Apostoli), sed multa etiam sine litteris: » eadem vero fide digna sunt tam illa quam » ista: itaque traditionem quoque Ecclesiæ » fide dignam putamus: traditio est, nihil » quæras amplius.» Idem Apost. 2 Tim. 1: *Formam habe*, inquit, *sanorum verborum quæ a me audisti.* In quæ verba S. Chrysost. citatus iterum ait: « Non modo per litteras, » sed etiam verbis discipulo quæ essent » agenda dictavit, quod plurimis et aliis in » locis ostendit dicens (2 Thessal. 2), sive » per verbum, sive per epistolam quasi per » nos missam.» Item, cap. 2: *Tu ergo, fili*

mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere : hæc autem vocabula, *quæ a me audisti per multos testes*, aperte indicant Apostolum loqui de traditis voce, non scripto.

Prob. 2° ex SS. Patribus. Præter Chrysost. jam citatum, Dionysius, de Eccles. Hierarch. c. 1, de Apostolis loquens, dicit : « Primi illi nostri muneris sacerdotalis duces.... summa illa et supersubstantialia, » partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, nobis tradiderunt. »

Irenæus l. 3, c. 3 : « Traditionem Apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire. » Et cap. 4 : » Quæ sunt Ecclesiæ cum summa diligentia deligere, et apprehendere veritatis traditionem : et si de aliqua modica quæstione disputatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis sumere de præsenti quæstione quod certum et liquidum est ? Quid autem, si neque Apostoli reliquissent nobis S. Scripturas : Nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant ecclesias ? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes, fabricatorem cœli et terræ et omnium quæ in eis sunt, per Jesum Christum, Dei filium. »

Tertullianus, de Corona Militis, c. 4, post enumeratas quasdam observantias christianæ religionis de baptismo, de oblationibus pro defunctis et similibus, dicit : « Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturam nullam invenies : traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo conservatrix et fides observatrix : rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexit disces. »

Origenes, in cap. 6 Epist. Rom. « Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulis baptismum dare. »

S. Basilius, de Spiritu sancto, c. 27, ait : « Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto, recepimus ; quorum utraque parem vim habet ad pietatem. » Et Hom. 28 contra Sabellium, Arium et Anomæos : « Et ne Spiritum sanctum, inquit, a Patre et Filio separes, absterreat te dominica traditio ; Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, martyres confirmarunt ; satis tibi sit ut dicas quemadmodum S. Cyrillus (Catechesi 5). Videte itaque, fratres, ut servetis traditiones quas nunc accepistis, et in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis. »

Epiphanius, Hæresi 61 : « Oportet ex traditione uti, non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi ; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus, *sicut tradidi vobis.* » Et Hæresi 69 : « Respondete nobis, Arii discipuli : ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum, et admirabilis est dictio scilicet : ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite ; neque enim lex, neque Prophetæ, neque Apostoli. »

S. Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos, cap. 4 : « Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret ; nam et multa alia quæ per traditionem in ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. »

S. Augustinus, lib. 4 contra Donatistas, cap. 24, tradit regulam pro dignoscendis traditionibus ; vide art. præcedenti. Lib. 2, cap. 7, loquens de non rebaptizandis hæreticis : « Multa, inquit, quæ non inveniuntur in litteris eorum (Apostolorum), neque in conciliis posteriorum, et tamen, quis per universam Ecclesiam custodiuntur, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. » Lib. 3 contra Maximin. cap. 3 : « De testimonia ubi adoratur Spiritus sanctus, quasi non eis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum ? Et tamen verum est. »

Plures alios Patres omitto, qui legi possunt apud controversistas.

Prob. 3° Ecclesia aliquando stetit solis traditionibus sine Scriptura: ergo traditiones non sunt rejiciendæ. *Prob. ant.* Tempore legis naturæ, ab Adamo ad Moysen, nulla fuit scriptura, sed ex sola traditione habebatur fides de creatione mundi, de futura vita, de remedio peccati originalis, de cultu Dei, etc. Tempore legis scriptæ a Moyse ad Christum, licet plura fuerint scripta, erat tamen sola traditio de remedio peccati originalis pro fœminis, de divinitate librorum canonicorum et de multis aliis: unde: Deuteron. 32, dicitur: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit, majores tuos, et dicent tibi.* Et Eccli. 8: *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis.* In nova autem lege, antequam Apostoli et Evangelistæ post ascensionem Christi scriberent aliquid, stetit Ecclesia et fides Christi solis traditionibus. Ergo.

Prob. 4° Multa sunt fide divina credenda quæ et ipsi hæretici credunt, quæ tamen non continentur expresse in S. Scriptura, sed sola traditione tenentur; ut quod Pater sit ingenitus, quod parvuli sint baptizandi, quod baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi, quod Deipara ante et post partum manserit virgo, quod sint quatuor Evangelio et non plure, etc. Hæc, inquam, et multa alia fide divina creduntur in Ecclesia, hæc ipsi hæretici credunt, et tamen non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur; imo ipsorum principium, quod firmissime credunt, *nihil esse recipiendum nisi in Scriptura expressum*, non invenitur in Scriptura. Ergo, velint nolint, traditiones admittere coguntur.

Confirmatur. Unde sciunt hæretici Scripturam quam tantopere commendant esse sacram et divinam? Non ex ipsa Scriptura, id namque non dicit, et si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret quod sit divina; non est enim infallibilis, nisi quia divina: ut ergo illi asserenti se esse divinam credam, debet mihi prius aliunde constare quod sit divina, alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, tenerer credere ut Scripturæ divinæ. Ex sola ergo traditione habetur quod hæc et non alia scriptura sit sacra et divina.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Traditiones reprobantur in S. Scriptura: ergo. *Prob. ant.* 1° Deuteron. 4, dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* 2° Apocal. ultimo: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas.* 3° Galat. 1: *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Matth. 15: *Irritum fecistis mandatum meum propter traditionem vestram.* Ergo.

R. N. ant. Ad primum. Moyses prohibet aliquid addi verbo Dei quod loquitur, prava interpretatione illud corrumpendo, alterando, impugnando: non autem prohibet addere aliud verbum Dei, sive scriptum sive traditum, alioquin rejiciendi forent omnes libri canonici scripti post Deuteronomium.

Ad secundum, eadem est responsio. Vel dicendum S. Joannem prohibere ne quid addatur Apocalypsi, quasi esset pars illius: sicut enim noluit rejicere omne aliud verbum scriptum præter Apocalypsim, ita nec traditum

Ad tertium. τὸ *præter* in verbis Apostoli sumitur pro *contra*, ut illud ejusdem Apostoli, Rom. cap. ultimo: observate eos *qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt*, id est contra doctrinam. *Et patet*, tum quia Apostolus ibi reprehendit Galatas, quod se abduci permiserant per falsos apostolos a veritate quam illis annuntiaverat; tum quia alioquin damnaret quæ ipsemet alibi et postea scripsit, item Evangelium et Apocalypsim S. Joannis, quæ post Epistolam ad Galatas scripta sunt. Observat autem S. Chrysost. Apostolum ex industria dixisse *præter* et non *contra*, ut perstringeret non solum eos qui aperte, sed etiam qui occulte docent aliquid contrarium prædicationi Evangelii, quo licet non totum subvertitur Evangelium, ex parte tamen et secundum quid labefactatur. Et ita intelligendus est Theophylactus, dum dicit: *Neque etiam si prædicaverint contraria, intulit Apostolus, sed si prædicaverint aliquid præter id quod prædicavimus*, quo scilicet labefactetur minima pars doctrinæ quam prædicavimus. Idque eo verius est, quod Theophylactus commentaria S. Chrysost. pene de verbo ad

verbum exscribat, S. Chrysost. autem, præter id quod diximus ex ipso, eamdem explicationem habet, Hom. 1 in Epist. ad Galat.

Ob). 2° Sufficit S. Scriptura : ergo inutiles sunt traditiones. *Prob. ant.* Apost. 2 Thimoth. 3, dicit : *Ab infantia sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem quæ est in Christo Jesu : omnis doctrina divinitus inspirata utilis est ad docendum... ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Joan. 20 : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc ; hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut, credentes, habeatis vitam in nomine ipsius.* Ergo.

R. N. ant. Ad primum. Litteræ quas Timotheus didicerat ab infantia erant litteræ veteris Testamenti, tunc enim novum nondum erat scriptum ; poterant autem litteræ veteris Testamenti instruere Timotheum initiative, non consummative. Addit Apostolus omnem doctrinam divinitus inspiratam esse utilem, ut perfectus sit homo Dei ; at non dicit esse sufficientem : sic pietas est utilis ut homo sit perfectus pastor in regimine Ecclesiæ, at non sufficit.

Ad secundum. Evangelista loquitur non de sufficientia doctrinæ, sed miraculorum quæ Christus fecerat, quæ sat numerosa erant ad persuadendum hominibus Christum esse Filium Dei. Ita etiam intelligendi sunt S. Aug. et S. Cyrillus in hunc locum.

Hoc argumentum de sufficientia S. Scripturæ hæretici latissime urgent ex SS. Patribus : omnes referre longum foret : quosdam referam, deinde statuam quasdam regulas generales ad aliorum intelligentiam.

Obj. 3° ex S. Irenæo, qui, lib. 3 adversus Hæreses, c. 1, hæc habet : « Non enim » per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evan» gelium pervenit ad nos : quod quidem » tunc præconisaverunt, postea vero per » Dei voluntatem in S. Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam » fidei nostræ. » Ergo.

R. in primis S. Irenæum non asserere Apostolos scriptis mandasse omnia quæ prædicaverant. Insuper agit ibi contra Marcionistas, qui rejiciebant scripta Apostolorum et illis alia falsa opponebant, dicentes Spiritum sanctum in Apostolis non fuisse locutum, « Sed reperiri veritatem aliquando in » Valentino, aliquando in Marcione, alio» quando in Cerintho, » ut ibidem dicit Irenæus. Non ergo ibi rejicit traditiones S. præsul, sed probat apostolica scripta esse recipienda ex suis auctoribus.

Inst. 1° S. Irenæus, cap. sequenti, redarguit Valentinianas, qui dum S. Scripturis premuntur, confugiunt ad traditiones *quasi non possit inveniri veritas ab his qui nesciunt traditiones.* Ergo.

R. S. Irenæum loqui de traditionibus humanis, qua Valentinia obtrudebant rejectis apostolicis scriptis : addit enim ibidem : Cum autem ad eam iterum traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis ous» toditur, provocamus eos, adversantur » traditioni, dicentes se non solum presby» teris, sed etiam Apostolis existentes sa» pientiores, sinceram invenisse veritatem. » Ad hæc obmutescere deberent hæretici. Attamen

Inst. 2° S. Irenæus, l. 4, cap. 66, dicit inveniri in S. Scripturis *universam actionem et omnem doctrinam et omnem passionem Christi.* Ergo.

R. juxta S. Irenæum omnem doctrinam in S. Scripturis contineri quoad subjectam materiam : probat enim ibi contra Marcionistas, actiones et passionem Christi fuisse prædictas a Prophetis et expositas ab Apostolis, idcoque omnem de his doctrinam contineri in S. Scripturis : « Legite, inquit » ibidem, diligentius id quod ab Apostolis » est Evangelium nobis datum, et legite » diligentius Prophetas, et invenietis uni» versam actionem et omnem passionem » Domini nostri prædictam in ipsis. » Nihil indo contra traditiones. Quanta vero perspicuitate earum necessitatem adstruit S. Irenæus, *patet ex probationibus conclusionis.*

Obj. 4° Tertullianus, lib. adversus Hermogenem, cap. 2, dicit : « Adoro Scriptu» ræ plenitudinem... scriptum esse docent » Hermogenis officina, Si non est scriptum, » timeat væ illud adjicientibus aut detra» hentibus destinatum. »

R. Tertullianum adorare plenitudinem S. Scripturæ, non quoad omnia dogmata in specie, sed quoad illud quod propugnabat

adversus Hermogenem, scilicet Deum creasse mundum ex nihilo et non ex præjacente et cœterna materia produxisso, ut dicebat Hermogenes, contra hæc apertissima S. Scripturæ verba *In principio Deus creavit cœlum et terram*: unde, jure timendum erat Hermogeni *væ* destinatum adjicientibus S. Scripturæ aliquid quod sit ipsi contrarium. *Patet*, si integer textus referatur. « Adoro, inquit Tertullanius, » Scripturæ plenitudinem, qua mihi et factorem manifestat et facta. An autem de » aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse » docet Hermogenis officina. Si non est » scriptum, timeat *væ* illud adjicientibus » aut detrahentibus destinatum. »

Inst. Tertull. lib. de Carne Christi, cap. 7, Hermogenem alloquens, dicit: « Non » recipio quod extra Scripturam de tuo infers. » Ergo.

R. his verbis Tertullianum non rejicere traditiones quas ibid. cap. 2, diserte adstruit, sed quæ ex proprio cerebro et sui erroris officina proferebat Hermogenes, scilicet Judæos, Matth. 12, v. 47, nuntiasse Christo, « tentandi gratia, matrem et fratres quos non habebat: sic interpretabatur Hermogenes, ne humanam Christi generationem fateretur; cui reponit Tertullianus: « Non recipio quod extra Scriptu» ram de tuo infers. »

Obj. 5° Origenes, Hom. 1 in Jeremiam, dicit: « Necesse est nobis Scripturas sanc» tas in testimonium vocare: sensus quippe » nostri et enarrationes sine iis testibus non » habent fidem. » Ergo.

R. Origenem sic loqui non de omni religionis dogmate, sed de singulari quodam Prophetæ oraculo, hoc scilicet: *Ecce ego constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas*, etc. Quod de Jeremia figurate dictum, de Christo esse intelligendum ex testimoniis veteris et novi testamenti probare aggreditur.

Obj. 6° Cyprianus, Epist. 74 ad Pompeium, contra hanc sententiam Stephani: » Nihil innovetur nisi quod traditum est, « (dicit:) Unde ista traditio? Ea facienda » esse quæ scripta sunt Deus testatur. » Ergo.

R. Cyprianum traditionem de non rebaptizandis hæreticis rejecisse, quia illam commentitiam existimabat, in quo erravit, non vero alias quas legitimas putavit.

Obj. 7°. S. Basilius in Asceticis, cap. *de vera et pia fide*, dicit: « Manifestum, hoc » infidelitatis argumentum fuerit et signum » superbiæ certissimum, si quid eorum quæ » scripta sunt aliquid velit rejicere, aut » eorum quæ non sunt scripta introducere. » Ergo.

R. Hæc ultima verba, *aut eorum quæ non sunt scripta introducere*, in quibus est vis argumenti, intelligenda sunt de iis quæ contraria sunt S. Scripturæ aut ab ea aliena, *ut patet* ex sequentibus ibidem.

Inst. S. Basilius, Epist. 80, dicit: *Stemus arbitratui inspiratæ a Deo Scripturæ.*

R. Juxta S. Basilium, standum esse S. Scripturæ, quando aliquod dogma clare exprimit: si autem de aliquo dogmate taceat aut subobscure locatur, non negat S. Basilius recurrendum esse ad traditiones quas diserte asserit locis inter probationes citatis.

Obj. 8° S. Chrysost. Hom. in Psal. 95: « Si quid dicitur absque Scriptura, inquit, » auditorum cogitatio claudicat. » Ergo.

R. sensum S. Chrysostomi esse, quod si aliquid dicatur sine S. Scriptura, ex propria inventione, non ita persuadetur ac si testimonio S. Scripturæ fulciretur; præmiserat enim: « Non oportet quidquam dicere » sine testibus solaque animi cogitatione. »

Inst. S. Chrysost. Hom. 13 in 2 Epist ad Cor. Scripturam sacram vocat *exactam rerum omnium lancem ac normam.* Ergo.

R. S. Chrysostomum non dixisse S. Scripturam, sed legem Dei esse *exactam*, etc. Lex autem verbo scripto et tradito continetur.

Objicitur insuper S. Chrysostomus, ex Homelia 49 Operis Imperfecti, sicut SS. Hieronymus et Ambrosius, ex Commentariis in Epistolas Paulinas: sed hæc opera falso tribui S. Doctoribus conveniunt eruditi.

Obj. 9° S. Hieronymus, in cap. 23 Matth. dicit: « Hoc, quia de Scripturis non habet » auctoritatem, eadem facilitate contem» nitur qua probatur. » Ergo.

R. S. Hieronymum ibi loqui de singulari facto, hoc scilicet, Zachariam filium Barachiæ occisum inter templum et altare esse Zachariam patrem Joannis Baptistæ, quod

aliqui *ex quibusdam apocryphorum somniis* affirmabant : unde non legitimas traditiones, sed apocrypha scripta hic refellit S. Hieronymus.

Inst. 1° S. Hieronymus, in cap. 1 Epist. ad Tit. dicit : « Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem. » Ergo.

R. S. Hieronym. ibi arguere garrulos subversores qui perversam doctrinam *etiam divinis testimoniis roborare* nituntur, sine quibus nullam haberent fidem apud audientes. Quid hoc ad traditiones?

Inst. 2° S. Hieronymus, in 1 cap. Aggæi, habet : « Quæ absque autoritata et testimoniis Scripturarum, quasi traditione apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei. » Ergo.

R. S. Hieronymum ibi rejicere traditiones fictas, ut aperte significant hæc verba, *sponte reperiunt atque confingunt.*

Inst. 3° S. Hieronym. in cap. 1 Micheæ dicit : « Ecclesia Christi.... non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis sanctis. » Ergo.

R. Ecclesiam non exire de S. Scripturis cum admittit traditiones, quia S. Scripturæ commendant traditionum auctoritatem. Insuper agit ibi S. Hieronymus contra hæreticos, qui, perversis interpretationidus S. Scripturas corrumpentes, *domum suam*, non in S. Scripturis, *sed in vicinia Scripturarum* construunt.

Obj. 10° S. Aug. lib. 2 de Doct. Christ. c. 9, ait : « In his quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi. » Ergo.

R. Hunc textum intelligendum esse omnibus quæ ab unoquoque christiano sunt explicite credenda, et quæ ad morum præcepta in genere pertinent, qualia sunt præcepta fidei, spei et charitatis; non vero de omnibus omnino credendis implicite ab unoquoque, explicite vero a pastoribus et doctoribus, nec de singulis præceptis in specie : alias sibi aperte contradiceret S. Augustinus, dum lib. 5 de Bapt. c. 23, scribit : « Sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. »

Inst. 1° S. Aug. lib. 2 de Peccat. Meritis, c. 36 : « Ubi de re obscurissima disputatur, inquit, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. » Ergo.

R. S. Augustinum supponere rem obscurissimam quæ neque in S. Scriptura clare exprimitur nec aperta traditione asseritur; nam si traditio aperte illi faveat, jam desinit esse obscurissima. Hanc esse S. Augustini mentem constat ex eo quod ibi loquatur de quæstione quæ nec Scriptura nec traditione tum dirimi poterat, utrum scilicet anima rationalis a solo Deo crearetur, an simul cum carne a parentibus propagaretur?

Inst. 2° S. Aug. ibid. subdit : « Illud credo quod etiam hinc divinorum eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. »

R. equidem habere clarissima Scripturarum testimonia de his quæ homo ignorare non potest sine dispendio salutis, sed hæc sunt capita fidei christianæ, non omnia omnino fidei dogmata.

Inst. 3° Lib. de Bono Viduitatis, cap. 1, dicit : « Quid igitur amplius te doceam quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit. » Ergo.

R. S. Augustinum non agere ibi de universis fidei dogmatibus, sed de bono viduitatis duntaxat, et quoad hoc dixit quod S. Scriptura sit fidei nostræ regula; quia Apostolus boni illius præstantiam satis explicuerat. Quod si velis intelligi regulam generalem fidei, dicam esse regulam inadæquatam, non adæquatam, nisi adjuncta traditione.

Objicit Rivetus plura ex Catechesibus Cyrilli, quæ probant tantum nihil esse tradendum de præcipuis mysteriis fidei quæ continentur in Symbolo, nisi quod legitur in S. Scripturis. At non negat Cyrillus esse necessariam traditionem ad ipsas S. Scripturas cognoscendas et intelligendas, atque ad probanda dogmata quæ, licet non sint præcipua nec in Symbolo contineantur, pertinent tamen ad fidem.

Hic quoad Patres sisto, ne sim *tædiosus* Sed *ex dictis collige regulas sequentes ad aliorum intelligentiam et solutionem.*

1° Quando Patres dicunt Scripturam sufficere omnia contineri in Scripturis et similia, vel loquuntur in subjecta materia quam tractant, aut de qua disputant contra hæreticos, vel intelligunt omnia promiscue et explicite credenda necessario ab omnibus fidelibus, ut sunt præcipua fidei mysteria, Trinitas, Incarnatio, etc., non vero omnia omnino quæ pertinent ad fidem Ecclesiæ et ab ejus rectoribus et doctoribus explicite creduntur, ut hos libros esse canonicos, Patrem vocari ingenitum, baptismum hæreticorum esse validum, etc., vel S. Scripturam sumunt late pro omni verbo Dei, sive scripto, sive tradito, ut superius explicui.

2° Patres commendando necessitatem et sufficientiam S. Scripturæ, non ideo excludunt traditiones, quin potius illas astruunt, siquidem ipsa Scriptura earum necessitatem asserat.

3° Quando SS. Patres videntur rejicere traditiones, intelligendi sunt de traditionibus falsis, apocryphis, humanis, rejectis vel non receptis ab Ecclesia.

Obj. 11° Quod est mutationi obnoxium non potest esse fidei regula : atqui traditiones sunt mutationi obnoxiæ : ergo. *Prob. min.* Traditiones de melle et lacte baptizatis porrectis, de trina immersione in baptismo, de eucharistia in privatis domibus sumpta, de usu calicis, sunt jam antiquatæ; idem de millenario Christi regno, et de conceptione maculata B. Virginis. Ergo.

R. traditiones primo loco assignatas spectare non fidem, sed disciplinam et ritum tantum, ideoque subjacere correctioni et dispensationi Ecclesiæ. Quantum ad millenarium Christi regnum et conceptionem maculatam B. Virginis, nunquam de iis habita fuit traditio divina aut apostolica, quia de neutro fuit constans, certa omnium aut fere omnium sententia, neque ut talem unquam agnovit Ecclesia, cujus partes sunt traditiones veras a falsis, sicut S. Scripturam veram falsa discernere. Adde immaculatam conceptionem B. Virginis non haberi ab Ecclesia ut dogma fidei, sed ut piam sententiam.

Inst. Testimonium Patrum est testimonium humanum, proindeque insufficiens ad fidem divinam Ergo.

R. fidem nostram divinam niti divinæ revelationi, testimoniis autem Patrum ut testibus tantum hujus divinæ revelationis.

Repones. Sensus Patrum plerumque est obscurus et incertus. Ergo.

R. concesso ant. N. conseq. Quia, sicut Ecclesia ex assistentia Spiritus sancti est infallibilis in discernendis S. Scripturis et earum sensibus, ita in discernendis Patrum sensibus et traditionibus.

Obj. 12° Non est ratio cur sacri scriptores non omnia scripserint, aut unum potius quam aliud scripserint. Ergo.

R. N. ant. Scriptores enim sacri non intenderunt componere summam integram totius doctrinæ christianæ, sed pro diversitate occasionum tradere diversa dogmata et præcepta. Insuper, non conveniebat omnia fidei mysteria scripto tradere, ne ab ethnicis irriderentur, aut a vulgo contemnerentur. Tandem, quæcumque scripsissent Apostoli, semper erat necessaria traditio, ut eorum scripta pro divinis agnoscerentur.

Inst. 1° contra hanc ultimam responsionem, quæ est una ex præcipuis rationibus nostris. Traditio non est necessaria ut Scriptura pro sacra et divina dignoscatur : ergo. *Prob. ant.* Sufficit declaratio infallibilis Ecclesiæ. Ergo.

R. N. ant. Ad probat. N. conseq. Quia, cum Ecclesia non habeat novas revelationes, non declarat infallibiliter aliquam scripturam esse divinam, nisi ex priori revelatione quæ est ipsa traditio.

Inst. 2° Ecclesia declarat infallibiliter traditionem esse divinam sine alia traditione, alias iretur in infinitum : ergo potest declarare Scripturam esse divinam sine traditione.

R. N. conseq. Quia, cum traditio, *ut dixi*, sit ipsa revelatio, est primum principium in rebus fidei ; unde non solum rem revelatam sed etiam seipsam et suum auctorem manifestat, sicut primum principium in philosophicis seipsum manifestat manifestando principiatum, sicut lux seipsam manifestat manifestando colores. At S. Scriptura, cum se habeat tantum ut secundum principium, res quidem contentas manifestat, sed non suum auctorem. *Patet* in humanis : si quis viva voce aliquid declaret, hæc declaratio et rem et suum auctorem manifestat; sed si scribat, scriptura rem scriptam manifestat, sed non suum auctorem. Unde, ut dignoscatur auctor, debet ipse comparere, et declarare hanc esse suam

scripturam et signaturam, quæ declaratio non indiget alia declaratione.

DISSERTATIO III.

DE ECCLESIA.

ARTICULUS I.

Quid sit Ecclesia?

Ecclesia est vox græca, latine *evocatio*, sive quia omnes ad se vocat, ut quidam volunt, sive quia Deus, ut alii, præveniente sua gratia omnes ad eam vocat. Hæc de etymologia nominis.

Quantum autem ad ejus significationem, Ecclesia generalissime sumpta significat quemcumque cœtum, seu congregationem, sive civilem, ut Psal. 106, *Exaltent eum in ecclesia plebis;* sive malam, ut Psal. 25, *Odivi ecclesiam malignantium:* sive bonam, ut Rom. 26 : *Salutant vos ecclesiæ Christi.* Communi vero Scripturarum et SS. Patrum usu, Ecclesia sumitur in bonam partem pro Ecclesia Christi. Unde

Dico 1° Ecclesia Christi generaliter sumpta, secundum omnem statum, locum et tempus, *Est congregatio fidelium in vero Dei cultu adunatorum sub Christo capite:* et sic comprehendit fideles veteris Testamenti, non solum eos qui pertinebant ad synagogam, scilicet Judæos, sed etiam alios fideles extra synagogam, quales erant Job, Melchisedech, etc. Item, comprehendit beatos, etiam angelos in cœlo, animas patientes in purgatorio, et fideles viatores In beatis dicitur Ecclesia triumphans, in animabus purgatorii Ecclesia patiens, in viatoribus Ecclesia militans : non quod sint 3 diversæ Ecclesiæ, sed diversæ partes, seu diversi status ejusdem Ecclesiæ.

Dices 1° Tempore veteris Testamenti Christus nondum venerat. Ergo.

R. Hoc non obstante, fideles veteris Testamenti credebant Christum venturum, et intuitu ejus meritorum futurorum salutem consecuti sunt, et ideo Christus erat illorum caput.

Dices 2° Christus non est caput angelorum, quia sunt diversæ abeo naturæ, neque ex ejus meritis salutem sunt consecuti. Ergo.

R. N. Ant. Ad probationem. Licet non sint ejusdem naturæ specificæ, sunt tamen ejusdem naturæ genericæ; conveniunt enim generice cum Christo quoad animam, quod sufficit ad rationem capitis mortalis; et quamvis ejus meritis non sint salvati, varias tamen ab eo nunc recipiunt influentias, quæ etiam sufficiunt ad rationem capitis, ut diximus in tract. de Incarnatione.

Dices 3° Beati in patria non habent fidem; ergo non sunt fideles.

R. dici fideles a fide quam habuerunt in via, et qua sunt consecuti salutem : sicut dicuntur martyres, non quia patiuntur in cœlo, sed quia passi sunt in terra, et hac passione cœlum meruerunt.

Verum, quia tota præsens dissertatio est potissimum de Ecclesia militante, assignanda ejus definitio : unde

Dico 2° Ecclesia Christi militans, est *Societas fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum participatione, eodem cultu inter se adunatorum, sub uno copite Christo in cœlis, et sub ejus in terris vicario summo pontifice.*

Dicitur *societas fidelium baptizatorum;* quia baptisma est janua Ecclesiæ, nec nisi per illud potest quis fieri membrum Ecclesiæ, ut declarant Florentinum et Trid. sess. 14, cap. 2, et nos alibi probavimus.

Dicitur *in ejusdem fidei professione, etc., adunatorum,* quia, cum Ecclesia sit societas in ordine ad ultimum finem supernaturalem, qui est Dei possessio, adunatio debet esse in mediis ad hunc finem consequendum necessariis, quæ sunt virtutes, sacramenta et cultus Dei.

Dicitur *sub uno capite,* etc, quia Ecclesia in S. Scripturis vocatur civitas, regnum, ovile, corpus : non est autem civitas, regnum, ovile, corpus sine subordinatione civium gubernatori, populorum regi, ovium pastori, membrorum capiti : Christum autem esse Ecclesiæ caput constitutum declarat S. Scriptura, Ephes. 1 : Deus *ipsum dedit caput super Ecclesiam;* et cap. 5 : *Quoniam vir est caput mulieris, sic Christus est caput Ecclesiæ;* de quo plura dixi in tract. de Incarnatione, dissert. 9, a. 1. Qua vero Christus, nunc in cœlis existens, non apparet amplius in terra, debet esse aliquis ejus vicarius, et hunc esse pontificem Romanum constat ex eo quod Christus dixit illi in persona Petri, Joan 21 : *Pasce oves meas,* et ex pluribus aliis de quibus dissert. seq.

Dices. Vacante sede Romana, non est Christi vicarius : ergo tunc deficit Ecclesia,

R. N. conseq. Quia Ecclesia est semper parata recipere vicarium qui eligetur, et illi obedire, sicque censetur semper subesse Christi vicario, et remanet vera Christi Ecclesia.

Observandum hic 1° quod hoc vocabulum *synagoga* significabat apud Judæos quod apud nos significat Ecclesia, cum hoc discrimine, quod Ecclesia sit congregatio filiorum per gratiam; synagoga, congregatio servorum per timorem.

Observandum 2° quod per metonymiam, sumendo continens pro contento, ecclesia etiam significet locum in quem religionis causa conveniunt fideles : sic templa vocamus ecclesias, quo sensu dixit Apost. 1 Cor. 11; *Convenientibus vobis in ecclesiam;* et cap. 14 : *Mulieres in ecclesia taceant.* Eodem sensu locus in quem conveniebant Judæi dicebatur synagoga.

ARTICULUS II.

Qui sint in Ecclesia?

Quæstionem hanc præcedenti immediate subjicio, quia ex notione et definitione Ecclesiæ sequitur et elucescit. De multis autem procedit : 1° de solis prædestinatis; 2° de solis justis; 3° de catechumenis; 4° de hæreticis; 5° de schismaticis et excommunicatis. Unde sit

§ I. — *Utrum omnes et soli prædestinati sint in Ecclesia?*

Dico. Nec omnes, nec soli prædestinati sunt in Ecclesia. Est contra Wiclefistas, et ex parte contra Lutheranos et Calvinistas.

Patet prima pars. Quia absurdum est dicere S. Paulum Ecclesiam persequentem, Judæos judaizantes, ethnicos, Turcas, etc. in sua religione pertinaces, Ecclesiam Christi odio aut ludibrio habentes, esse in Ecclesia : atqui quidam ex istis sunt aut erant prædestinati, id saltem constat de S. Paulo, nec dubium est plures ex Judæis et ethnicis, qui conversi sunt ad fidem, fuisse prædestinatos. Ergo.

Prob. secunda pars. 1° Christus, Matt. 3 comparat Ecclesiam areæ in qua sunt triticum et paleæ igne inextinguibili comburendæ; ibidem 13, sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, in qua non solum boni continentur, sed etiam mali ejiciendi; ibidem 22, convivio nuptiali, in quod intrant qui non habent vestem nuptialem, et ideo mittendi in tenebras exteriores : Apostolus comparat magnæ domui in qua sunt vasa, alia ad honorem, alia in contumeliam. Atqui certum est prædestinatos non esse comburendos igne inextinguibili, non esse ejiciendos, non mittendos in tenebras exteriores, nec esse vasa in contumeliam : ergo non soli prædestinati sunt in Ecclesia.

2° Ii omnes sunt in Ecclesia, qui illam per sacramentum fidei, hoc est baptismum, sunt ingressi : atqui non soli prædestinati sunt baptizati. Ergo.

3° Cum prædestinatio nemini sit cognita, si Ecclesia solis prædestinatis constaret, Ecclesia foret invisibilis, cujus oppositum infra probabimus; neque pastores agnoscere possent suas oves, neque oves suum pastorem.

Dices 1° Arca Noe fuit figura Ecclesiæ : atqui hi soli erant in arca qui erant salvandi ab aquis : ergo hi soli sunt in Ecclesia qui salvandi sunt a damnatione.

R. D. maj. Arca Noe fuit figura Ecclesiæ quantum ad aliquid, *C.* quantum ad omnia, *N.* In duobus arca Noe fuit figura Ecclesiæ. 1° Quod sicut in arca fuerunt animalia munda et immunda, ita in Ecclesia sunt boni et mali. 2° Sicut extra arcam nullus fuit salvatus, sic extra Ecclesiam nullus est salvandus.

Dices 2° Soli prædestinati sunt oves Christi, juxta illud Joan. 10 : *Oves meæ vocem meam audiunt;* et Matth. 25, ubi oves separantur ab hædis. Ergo soli prædestinati sunt in Ecclesia.

R. N. ant. Quamvis enim locis S. Scripturæ citatis per oves significentur soli prædestinati, non sic tamen alibi, ut Joan. 21 : *Pasce oves meas,* et Psalm. 71 : *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ* : quibus in locis non possunt per oves intelligi soli prædestinati, sed omnes qui per baptismum intrant Ecclesiam : alioquin nec Petrus potuisset cognoscere quas oves haberet pascendas, et prædestinati non secus ac reprobi furori Dei subjicerentur.

Subsumes. Atqui istæ oves, quibus significantur alii quam prædestinati, non sunt in ovili seu in Ecclesia : ergo. *Prob ant.* Joan. 10, *Alias oves habeo,* inquit Christus, *quæ non sunt ex hoc ovili.* Ergo.

R. N. ant. Ad prob. Christus ibi loquitur de gentilibus, qui ad fidem erant conver-

tendi, ideoque erant oves secundum prædestinationem : et hi non erant ex hoc ovili, id est, le Ecclesia ex gente Judaica collecta, sed adducendi erant in aliud ovile, hoc est Ecclesiam Christi ex Judæis et gentibus congregandam : sequitur enim : *Et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.*

Dices 3° Ecclesia, Cantic. 4, dicitur *Hortus conclusus, fons signatus.* S. Aug. autem lib. 5 de Baptismo cap. 27, dicit electos esse hunc hortum conclusum et hunc fontem signatum. Ergo.

R. S. Augustinum, dum dicit electos esse hunc hortum, loqui de Ecclesia secundum portionem ejus excellentiorem : neque dicit omnes et solos electos esse in Ecclesia, sed significat tantum quod sic eos concludit, aut aliquando concludet, ut ab illa non recedant. Cæterum, Ecclesia dicitur *hortus*, quia fideles in ea producunt fructus bonorum operum; dicitur *conclusus*, quia munitur Dei et angelorum custodia; dicitur *fons*, quia est fons doctrinæ salutis; dicitur *signatus*, quia illam non intrant pagani et hæretici quamdiu remanent tales.

Dices 4° Apostolus, Hebr. 3, distinguens inter Christum et Moysen quod iste sit servus, ille filius, dicit: *Christus vero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei, usque ad finem, firmam retinemus.* Ergo non sumus in domo Dei, seu Ecclesia, si non perseveremus usque in finem.

R. N. conseq. Ibi enim Apost. hortatur duntaxat Hebræos ad perseverantiam in fide, non obstantibus contradictionibus et persecutionibus, significans nihil eis profuturum membrum Ecclesiæ fuisse, si usque in finem non perseverent.

Dices 5° Joannes, Epist. 1, cap. 2, loquens de iis qui a fide defecerant, dicit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Et S. Aug. lib. de Corrept. et Grat. cap. 9, expendens hæc verba : « Sunt quidam, inquit, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Deo.... Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, et quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. » Ergo qui non sunt prædestinati, etiamsi videantur esse in Ecclesia, non sunt tamen.

R. N. cons. Quia tam Apostolus quam S. Augustinus loquuntur de filiis Dei secundum prædestinationem; unde vere dicunt: Exierunt a nobis, sed non erant ex nobis, seu in Ecclesia, secundum prædestinationem scilicet, quamvis essent secundum fidem et sacramentorum communionem.

Inst. S. Aug. lib. 3 de Doctrina Christiana, cap. 321, dicit: « Non est verum Domini corpus, quod cum illo non erit in æternum. » Ergo.

R. D. ant. Non est verum Domini corpus quod cum illo non erit in æternum, secundum aliqua saltem membra, *C.* quod non erit cum illo in æternum, secundum omnia membra, *N.* S. Augustinus ibi agit contra Ticonium quemdam Donatistam, qui corpus Christi seu Ecclesiam bipartitam recerat, unam prædestinatorum, alteram reproborum, et dicit non esse Christi corpus aut Ecclesiam, cujus aliquod saltem membrum aut pars non sit futura cum ipso in æternum, sicque non esse corpus aut Ecclesiam solorum reproborum. Eodem sensu intelligendum est quod dicit in Psal. 131: « Sunt, inquit, qui non perseverant, non » ergo sunt ipsi Ecclesia; » id est, non sunt pars ea Ecclesiæ quæ cum Christo mansura est in æternum: « Ipsi, inquit, non pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc » domum. »

§ II. — *Utrum soli justi sint in Ecclesia?*

Dico. Non soli justi, sed peccatores etiam manifesti sunt in Ecclesia.

Prob. 1° ex tribus comparationibus areæ, sagenæ et convivii, de quibus conclusione præcedenti, pariter enim probant de peccatoribus ac de non prædestinatis. Adde parabolam decem virginum, cui comparatur Ecclesia; quinque erant fatuæ, et tamen in Ecclesia, a qua tandem ejiciuntur; item figuram arcæ Noe, in qua erant animalia munda et immunda.

2° Christus, Matth. 18, præcipit ut peccator privatim correptus et non emendatus denuntietur Ecclesiæ; quam si non audierit, ab ea ejiciatur: ergo supponit peccatores in Ecclesia. 1 Cor. 5, in Ecclesia Corinthiorum invenitur incestuosus.

3° Christus instituit in Ecclesia sacramentum pœnitentiæ, quo peccatores resurgerent et sanarentur: ergo supponit esse in

Ecclesia peccatores, alioquin frustra esset istud sacramentum.

4° Ecclesia est societas fidelium baptizatorum in eadem fide, sub eodem capite ordinata : atqui peccatores qui nec sunt hæretici, nec schismatici, nec excommunicati, sunt fideles baptizati in eadem fide, sub eodem capite ordinati. Ergo.

Eamdem doctrinam tradunt SS. Patres, Chrysost. in Psal. 39 ; Hieron. contra Lucifer. c. 8 ; Aug. præsertim, quia specialiter opponitur, l. 3 de Doct. Christ. c. 32, tract. 6 in Joan. « Nos fatemur, inquit, in Ecclesia bonos et malos esse, sed tanquam grana et paleam. » Tribus libris contra Epistol. Parmen. Tribus aliis contra Epist. Petil. in quorum ultimo cap. 12, dicit : « Homo sum de area Christi, palea si malus, granum si bonus : non est hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani. » Item in Breviculo collationum contra Donatistas ; et tandem lib. ad eosdem post collat. c. 9 et 10.

Argumenta contra hanc conclusionem require in tract. de Incarnatione, dissert. 9, a. 2, § 1, ubi reperies insuper plures propositiones damnatas Quesnelli, hanc et præcedentis § conclusionem spectantes. Unum tantum argumentum hic addam illic omissum.

Dices. Isai. 35, de Sion, id est, de Ecclesia, dicit : *Non transibit per eam pollutus... non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam ;* et cap. 52 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus... Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Ergo.

R. hæc ad litteram intelligi de temporali persecutione Judæorum. Hortatur itaque Isaias Judæos ut, finito tempore captivitatis, recedant ab infidelibus, prædicitque eos non amplius subjiciendos incircumcisis, neque ab eis suas terras amplius esse vastandas. Mystice autem hæc significant, quod portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, et quod fideles debeant recedere a moribus et religione infidelium.

Insuper observandum est, pro intelligentia quorumdam Patrum, Augustini præsertim, peccatores non esse membra viva et perfecta Ecclesiæ, suo capiti per charitatem unita, sed imperfecta, et, quamvis non mortua, mortificata tamen, sola fide conjuncta : unde, quando dicunt peccatores non esse in Ecclesia, intelligunt non esse in ea ut membra viva et perfecta ; vel sumunt Ecclesiam pro ea parte qua solos justos continet ; quamvis enim non sint duæ Ecclesiæ, sunt tamen quasi duæ ejus partes, altera justorum, altera peccatorum. Insuper juvat audire S. Augustinum, l. 2 Retract. c. 18, ubi ait : « Ubicumque in his libris (contra Donatistas) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa : nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum quotidie dicit : *Dimitte nobis debita nostra.* »

§ III. — *Utrum catechumeni sint in Ecclesia ?*

Dico. Catechumini non sunt re et proprie in Ecclesia.

Prob. 1° Nullus ingreditur Ecclesiam, et fit ejus membrum, nisi per baptismum, *ut dictum est* art. præced. Atqui catechumeni non sunt baptizati : ergo. 2° qui sunt in Ecclesia, capaces sunt sacramentorum Ecclesiæ : horum autem catechumeni non sunt capaces, cum baptismus sit janua ad alia sacramenta, *ut dixi* de Baptismo : ergo. 3° Patres, Tertull. de Præcript. c. 41 ; S. Chrysost. Hom. 24 in Joan. S. Cyrillus, Catechesi 1 ; S. Aug. tract. 11 in Joann. distinguunt fideles a catechumenis.

Dixi *re et proprie :* quia, cum catechumeni postulent ingredi Ecclesiam, et jam habeant fidem et quandoque charitatem, possunt dici esse in Ecclesia proxime et in voto ; sicut si aliquis dicatur esse in domo quia est in vestibulo domus ut statim intret. Et hoc sensu intelligendum est quod alibi dixi, eos pertinere ad Ecclesiam, scilicet inchoative, et ut aspirantes qui se Ecclesiæ legibus sponte subjiciunt ; et ideo salvari possunt. Nec obstat quod extra Ecclesiam non sit salus ; id namque intelligitur de eo qui nec re nec in voto est in Ecclesia, eoque sensu intelligitur S. Aug. tract. 5, in Joan. ubi dicit : *Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ catechumeni,* scilicet voto et proxima dispositione.

Dices 1° Christus influit in catechumenos fidem, quandoque charitatem : ergo sunt membra Ecclesiæ.

R. N. conseq. Quamvis enim Christus influat in omnia membra Ecclesiæ, non ta-

men in ea sola influit : patet non solum in eae chumenis, sed etiam in excommunicatis, si vere eos pœniteat.

Dices 2° Job, Melchisedech et quidam alii erant in Ecclesia Dei : atqui tamen non erant circumcisi : ergo, licet catechumenus non sit baptizatus, est in Ecclesia Christi.

R. N. conseq. Disparitas est, quod circumcisio non fuerit data ut quid necessarium omnibus ad salutem et incorporationem Ecclesiæ Dei, sed uni populo judaico, ut signum fidei Abrahæ qui credidit se futurum patrem Christi promissi ; unde data est pro maribus tantum, et non pro fœminis. Baptismus autem institutus est ut ubique terrarum prædicaretur tanquam quid necessarium ad salutem, et quo omnes Christo et ejus Ecclesiæ incorporarentur.

§ IV. — *Utrum hæretici sint in Ecclesia?*

Dico. Hæretici non solum manifesti, sed etiam occulti et interni, non sic sunt in Ecclesia ut sint vera ejus membra.

Sic propono conclusionem propter hæreticos occultos et internos, de quibus est potissimum difficultas, qui licet sint in Ecclesia secundum quid, id est exterius et apparenter, probabilius tamen arbitramur non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra : sicut si lupus pelle ovina textus reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili ut vera ejus pars.

Prob. 1° Juxta concilium Lateran. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, S. Thomam 3 p. q. 8, a. 4, ad 2 ; Catechismum Romanum 1 p. cap. 10, q. 2, ex S. Augustino, Ecclesia est societas fidelium : atqui hæretici etiam occulti et interni non sunt fideles. Ergo. Neque obstat quod exterius fidem profiteantur, inde namque sequitur tantum quod appareant fideles et pro talibus habeantur, non tamen quod sint.

2° Ecclesia est corpus habens unionem non solum externam, sed etiam internam membrorum inter se et cum capite : atqui hæretici etiam occulti nullam habent unionem internam inter se et cum capite ; fides enim est primum uniens et fundamentum cæterorum.

3° Christus non est caput actuale hæreticorum etiam occultorum : ergo non sunt membra Ecclesiæ. *Prob. ant.* De ratione capitis non solum est supereminentia et perfectio, sed præcipue influxus in membra : atqui Christus nihil influit supernaturale in hæreticos etiam occultos ; quid enim influeret? non fidem qua carent, non ipsam professionem exteriorem fidei, quia Christus non influit in sua membra hypocrisim, simulationem et mendacium, qualis est hæc hæreticorum simulata fides.

Si dicas influere gratias actuales : *contra* 1° quod istæ gratiæ actuales non sint quid permanens ; vinculum autem uniens membra alicujus corporis inter se et cum capite, debet esse aliquid permanens, *ut patet* in naturalibus et civilibus : sic non dicitur aliquis de corpore alicujus familiæ, aut membrum illius, licet soleat eam aliquando invisere. 2° Quia alias sequeretur quod Christus esset etiam caput infidelium non baptizatorum, si quidem in eos etiam influat gratias actuales.

Repones inde sequi hæreticum occultum esse membrum mortuum, non tamen non esse membrum. *R.* neque esse membrum mortuum, sed præcisum ; membrum enim mortuum est adhuc interius connexum cum corpore : at hæreticus etiam occultus non connectitur amplius interius cum corpore, sed seipsum per hæresim abscindit, debetque comparari parti seu membro abscisso latenti sub veste, ratione cujus apparet adhuc membrum, licet non sit : *quod magis patebit* ex S. Augustino. Unde

4° S. Aug. lib. 4 de Bapt. cap. 16, ubi de hæretico occulto qui alicujus emolumenti temporalis causa in catholica unitate manet, dicit : « Non solum separatus habendus est, verum etiam tanto sceleratior » quanto magis errori hæresis et divisioni » unitatis fallaciam simulationis adjungit. » Idem lib. de Unitate Ecclesiæ, c. 25, de occultis hæreticis : « Multi, inquit, tales » sunt in sacramentorum communione cum » Ecclesia, et tamen jam non sunt in Ecclesia. » Et infra : « Antequam visibiliter » excommunicetur, quisquis contra veritatem qua convincitur et arguitur inimicum » gestat animum, jam præcisus est. » Et q. 11 in Matth. de eo qui interius pertinaciter errat contra fidem dicit : « Hæreticus est et » toris est animo, quamvis corporaliter intus » videatur. » Similiter lib. 2 contra litt. Petiliani, c. 108, de iisdem hæreticis occultis : « Nec ideo, inquit, putandi sunt esse in » Christi corpore, quod est Ecclesia, quia

» sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. »

Dices. Juxta Apostolum, 2 Timoth. 2, in magna domo sunt vasa aurea et argentea, lignea et fictilia : atqui magna domus est Ecclesia, vasa lignea et fictilia sunt hæretici, juxta S. Augustinum, lib. 4 contra Donatist. cap. 12. Ergo.

R. N. min. pro secunda parte. Per vasa enim lignea et fictilia non intelliguntur hæretici, sed infirmi et carnales, id est peccatores ; ut interpretatur Cyprianus, Epist. 52. S. Augustinus vero contrarium non dicit ex propria sententia, *ut patet ex probationibus ;* sed permotus auctoritate, ut credebat, Cypriani. « Et istos, inquit, de quibus ait Apostolus, *sermo eorum sicut cancer serpit*, vellem intelligere foris fuisse, » sed Cyprianus ipse me non sinit. » Verum constat, et id ostendunt Lovanienses ad cap. 12 citatum lib. 3, contra Donat. Cyprianum, epistola 52 laudata, per vasa fictilia non intellexisse hæreticos, sed peccatores ; agit enim ibi contra Novatianum, qui Ecclesiam solis justis constare, et peccatores neque ad pœnitentiam neque ad Ecclesiam recipiendos esse dicebat, cui ideo exprobrat S. Præsul ipsum prætendere quod Apostolis non fuit concessum, scilicet agrum dominicum universis zizaniis, et magnam domum omnibus vasis fictilibus expurgare : ubi *patet* quod Cyprianus intelligat per vasa fictilia, peccatores ad sensum Novatiani et non hæreticos : id adeo manifestum, quod in ipsa epistola asserat Novatianum esse extra Ecclesiam ; et nemini non notum est quod rejecerit baptisma hæreticorum, maxime quia non erant in Ecclesia. Quapropter, quidam, salva reverentia S. Augustino debita, dicunt ipsum non satis attendisse ad verba Cypriani ; alii, quod intelligat hæreticos esse in Ecclesia non simpliciter, et tanquam ejus membra, sed secundum quid tantum et apperanter, quatenus vel eamdem fidem exterius profitentur, si sint occulti, vel saltem iisdem sacramentis utuntur, si sint manifesti.

Plura alia argumenta contra hanc conclusionem videri possunt in tract. de Incarnat. 6, a. 2. Ea non repeto, quia quæstio non est tanti momenti, et controversia videtur esse inter theologos magis de modo dicendi quam de re. Aliud esset, si quæstio moveretur juxta systema Jurii, ministri Calviniani, in tract. de Unitate Ecclesiæ, edito anno 1688, qui contendit Ecclesiam universalem complecti in suo sinu hæreticos etiam manifestos, qui non erant circa articulos fidei fundamentales, eosque ideo, nonobstante hæresi, posse salvari.

Verum, ut paucis rem expediam : 1° istud systema Patribus incognitum et adeo usque Jurii tempora inauditum, ipsa sua novitate est reprobandum. Etenim Patres priorum sæculorum omnesque fideles, fatente ipso Jurio, nomine Ecclesiæ catholicæ non intellexerunt nisi unicam communionem a qua excluderentur quicumque hæretici saltem manifesti : dicere autem cum Jurio, eos errasse et falsam Ecclesiæ idæam sibi finxisse, puniendæ temeritatis est, ne dicam insensatæ. Ita sane post sexdecim sæcula soli Jurio reservatum erat scire quid sit Ecclesia. 2° Injustitiæ accusandi forent totius Ecclesiæ Patres et episcopi, qui quoscumque hæreticos a sua communione repellebant, et ad eam atque ad Ecclesiam non recipiebant, nisi ejuratis omnibus hæresibus. 3° Jurius contradicit S. Scripturæ : *Unus Dominus, una fides*, Ephes. 4. 4° Hæreticus circa unum articulum fidei, qualiscumque sit, non habet fidem circa alios, *ut probavimus* tractatu superiori. 5° Tandem, nondum hucusque convenire potuerunt Novatores quinam sint articuli fidei fundamentales.

§ V. — *Utrum schismatici et excommunicati sint in Ecclesia ?*

Dico. Schismatici et excommunicati excommunicatione majori, non sunt in Ecclesia.

Prob. Licet utrique possint retinere fidem, imo excommunicati habere charitatem, si vere pœniteant, de facto tamen sunt ab Ecclesia præcisi ; quia schismatici a capite et a membris voluntarie se separant ; est enim schisma voluntaria scissio : excommunicati auctoritate legitima ab eodem corpore separantur : ergo neutri sunt amplius socii seu consociati ; Ecclesia autem est societas.

Confirmatur. Ecclesia in paraseeve orat pro schismaticis sicut pro hæreticis, ut ad Ecclesiam redeant ; et Christus, Matth. 18, loquens de excommunicato dicit : *Sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.*

Dices 1° Omnes sectæ Orientales, præsertim Ecclesia Græca, sunt schismaticæ ;

durum est autem dicere eas omnes extra Ecclesiam esse. Ergo.

R. N. maj. Plures enim in Oriente et inter Græcos agnoscunt Romanum pontificem : nec omnes qui illum explicite non agnoscunt dicendi sunt schismatici formales ; plures sunt enim qui adhærent animo et affectu Ecclesiæ capiti a Christo instituto, et qui explicite adhærerent Romano pontifici, si instruerentur.

Dices 2° Orto schismate sæculo decimo quarto inter Urbanum VI et Clementem VII, alii adhærebant Urbano, alii Clementi : ergo omnes unius factionis erant schismatici et extra Ecclesiam.

R. N. conseq. Omnes enim tunc adhærebant ei quem bona fide credebant legitimum pontificem, animo parati adhærere illi quem Ecclesia in concilio generali legitimum declarasset.

Dices 3° S. Aug. l. cont. Donatistas post collationem, c. 20, dicit : « A populo Dei » non separamus quos, vel degradando » vel excommunicando, ad humiliorem » pœnitentiæ locum redigimus. » Ergo.

R. S. Augustinum loqui vel de separatione perpetua absque spe reditus et salutis, vel de separatione ab omnibus piis et sanctis qui sunt vere Dei populus et viva Ecclesiæ membra. Pro quo

Observandum est, esse in Ecclesia triplicem communionem : prima, est pure interior et invisibilis per gratiam et charitatem, per quam quis unitur capiti et membris. Secunda, est partim interior partim exterior in sacramentorum participatione, suffragiorum et orationum communicatione et in cura pastorum circa suas oves : quæ omnia, licet sint enteriora, habent tamen effectus internos. Tertia, est pure exterior in externa communicatione sacra vel civili. Itaque excommunicatio privat secunda et tertia communione, sed non privat prima directe et per se : et quamvis supponat hanc privationem ex peccato mortali propter quod fertur, potest tamen peccator vere pœnitere, et sic habere communicationem internam por charitatem cum fidelibus piis et sanctis, qui, *ut dixi,* sunt vere et proprie populus Dei.

Observandum insuper, fuisse olim quasdam species excommunicationis impropriæ, ut quando episcopus denegabat alteri suam communionem, quando alicui episcopo denegabatur consessus in concilio, quando ejus litteræ commendatitiæ non acceptabantur ab aliis et ad illum non dabantur ; sed, cum hujusmodi excommunicationes non procedebant a potestate clavium, atque sæpe in non subditos exercerentur, non erant veræ et propriæ excommunicationes, neque excludebant ab Ecclesia. *Hac observatione* occurres quibusdam factis antiquitatis, quæ contra conclusionem opponuntur.

ARTICULUS III.

Utrum Ecclesia sit visibilis?

Lutherani et Calvinistæ visi sunt primitus agnoscere visibilitatem Ecclesiæ, cujus notæ essent, secundum ipsos, pura verbi Dei prædicatio et sincera sacramentorum administratio. At, cum catholici peterent ab ipsis ut assignarent hanc Ecclesiam visibilem ante suam reformationem, hæserunt illis aquæ. Assignare non poterant Ecclesiam Romanam, a qua tanquam a synagoga Satanæ recesserunt ; aliam invenire non poterant nec possunt, in qua visibiliter omnia dogmata quæ ipsi tenent docerentur. Ut ergo ab hoc laqueo se extricarent, quidam finxerunt duplicem Ecclesiam, unam invisibilem prædestinatorum, alteram visibilem prædestinatorum et reproborum : alii dixerunt Ecclesia, etsi visibilem, tunc pene extinctam fuisse, ita ut non videretur amplius. Misera sane effugia !

Quæstio est de visibilitate præsenti Ecclesiæ per oculos corporeos, cum judicio et certa persuasione quod sit Ecclesia Christi, alioquin foret visibilis materialiter et non formaliter sub ratione Ecclesiæ ; sicut, v. g. qui videret leonem nesciens quid sit leo, videret quidem animal quod est leo, sed non videret formaliter sub ratione leonis.

Duo in Ecclesia attendi possunt : unum interius, quod quidam vocant animam Ecclesiæ, et est fides qua membra Ecclesiæ, inter se et cum capite interiut colligantur : aliud exterius, quod vocant corpus Ecclesiæ, scilicet societas exterior eorum qui publica ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum et pastorum communione conjunguntur. Licet autem id quod est interius sit in se invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis, per suum exterius : sicut, licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facie dicitur visibilis.

Dico. Ecclesia Christi est perpetuo visibilis.

Prob. 1° ex S. Scripturis. Isai. 2, dicitur : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes :* hunc montem S. Hieronymus in hunc locum intelligit Ecclesiam.

Psal. 18 : *Posuit in sole tabernaculum suum*, id est, in manifesto, inquit S. Aug. tract. 2 in Epist. Joan. et tract. de Cantico novo c. 5, utrobique addens per tabernaculum intelligi Ecclesiam.

Matth. 5 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita* : de quo textu S. Aug. l. 2 contra Crescon. c. 36, ait : « Extat Ecclesia cunctis clara et conspicua, quippe » civitas quæ abscondi non potest super » montem constituta. » Item parabolæ areæ, agri, sagenæ, quibus Christus Ecclesiam expressit, aperte significant eam esse visibilem.

Act. 20, episcopi dicuntur positi ut regant Ecclesiam Dei. Paulus ad Galat. 1, fatetur se persecutum fuisse Ecclesiam Dei. Act. 8, legitur suscitatam fuisse persecutionem contra Ecclesiam : non poterant autem regere et persequi Ecclesiam nisi visibilem. Et Matth. 18, frater incorrigibilis denuntiandus est Ecclesiæ, quam si non audierit, habendus est ut ethnicus et publicanus ; quomodo autem potest denuntiari Ecclesiæ et audire Ecclesiam, si sit invisibilis ?

Prob. 2° ex Patribus. Præter SS. Hieronymum et Augustinum jam laudatos, Origenes Hom. 30 in Matth. *Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore, ab oriente usque ad occidentem.* S. Cypri. l. de Unitate Ecclesiæ n. 4 : *Ecclesia Domini luce perfusa est, per orbem totum radios suos porrigit.*

Prob. momentis theologicis. 1° Omnes tenentur accedere ad Ecclesiam, extra quam non est salus, ut fatentur ipsi hæretici : atqui id impossibile foret, si Ecclesia sit invisibilis. 2° Ecclesia est societas hominum, hi autem sunt visibiles. 3° In Ecclesia fit exterior professio fidei, administrantur sacramenta, prædicatur verbum Dei, exercetur jurisdictio per superiores in inferiores, congregantur concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges : hæc autem omnia sunt visibilia. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Juxta Scripturas, Ecclesia est spiritualis, ergo invisibilis. *Prob. ant.* Jerem. 31 : *Dabo*, inquit Deus, *legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum.* Joan. 4 : *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* 1 Pet. 2 : *Superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Hebr. 12 : *Non accessistis ad tractabilem montem.... sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis, etc.* Mons autem est Ecclesia. Luc. 17, Pharisæis Christum interrogantibus quando veniret regnum Dei temporale, ut existimabant, respondit Christus : *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent : Ecce hic, aut Ecce illic : ecce enim regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis et non videbitis : et dicent vobis : Ecce hic et Ecce illic : nolite ire, neque sectemini.* Ex quibus duo colliguntur : primum, quod regnum Dei, quod est Ecclesia, sit intra nos, consequenter spirituale et invisibile ; secundum, quod si Ecclesia esset visibilis, posset dici, Hic aut illic est Christus.

R. D. ant. Ecclesia est spiritualis secundum quid, ratione scilicet formæ interioris quæ est fides, charitas, etc. *C.* simpliciter et absolute, *N.* Est enim corpus constans capite et membris visibilibus. Sic, licet homo sit spiritualis quoad animam, est tamen visibilis per corpus. Insuper Ecclesia potest dici spiritualis ratione sui auctoris, ratione effectuum et finis supernaturalis, quæ omnia sunt spiritualia : quod autem est his modis spirituale, potest esse corporeum et visibile, *ut patet* de sacramentis.

Ad primum. Non agitur ibi de Ecclesia, sed de lege nova comparative ad veterem, et significatur quod lex nova sit lex gratiæ et charitatis, seu ipsa gratia et charitas scripta et diffusa in cordibus ; lex vetus autem sit lex timoris, et quantum ut se tantum extrinsecus sonans : ex quo sequitur, non quod Ecclesia sit invisibilis, sed quod plura invisibilia contineat, nempe virtutes et dona Sancti Spiritus.

Ad secundum. Hæc verba : *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate*, non significant quod omnis cultus exterior sit rejiciendus, siquidem Christus ipse eum in pluribus occasionibus admiserit ; sed

adorabunt in spiritu significat quod sacrificia christianorum non offerentur in uno tantum loco determinato, neque erunt carnalia et ad litteram sicut sacrificia Judæorum, sed quod poterunt offerri ubique et quod procedent ex corde et spiritu charitatis ad quem Deus maxime attendit. *Adorabunt in veritate*, significat quod christiani non adorabunt amplius in figuris, sicut Judæi, sed in re figurata.

Ad tertium. Ecclesia dicitur domus spiritualis, vel ratione formæ interioris, scilicet fidei et charitatis, vel ratione auctoris, finis et effectus, *ut diximus;* est tamen corporea et materialis, cum constet capite et membris corporeis.

Ad quartum. S. Th. et quidam alii intelligunt de Ecclesia triumphante : alii, ut servetur antithesis, intelligunt de Ecclesia generaliter sumpta, quæ, licet qua militans sit visibilis, non tamen qua triumphans.

Ad quintum. Non agitur ibi de Ecclesia, sed per regnum Dei intelligitur gratia seu conformius ad litteram ipse Christus : exponit enim ibi Dominus duplicem suum adventum : de primo dicit quod Messias non venerit cum observatione, id est cum signis et pompa, et quod sit intra ipsos quos alloquebatur, seu in ipsorum consortio et ipsis præsens. De secundo ait : *Dicent* : *Ecce hic, aut, Illic, nolite ire* : id est, nolite credere Antichristo et falsis ejus apostolis.

Obj. 2° Forma Ecclesiæ, nempe fides, est interior et invisibilis : ergo Ecclesia est invisibilis.

R. N. conseq. Ut enim aliquid sit et dicatur visibile, non requiritur quod ex omni parte videri possit, sed sufficit quod ex aliqua parte videatur : sic homo est visibilis, quia secundum faciem externam videtur, licet anima ejus in se non videatur. Idem dic de omnibus substantiis corporeis et visibilibus, in quibus tamen ratio substantiæ non videtur. Sic ergo in Ecclesia forma interior, nempe fides, non videtur in se, sed videtur corpus habens caput et membra visibilia, externa fidei professione, sacramentis, cultu, regimine coadunata.

Inst. Ideo homo est visibilis quia, licet ejus anima in se non videatur, attamen per functiones naturales et necessario cum illa connexas se manifestat, alioquin non videretur homo, sed cadaver; idem dic de substantiis corporeis, in quibus ratio substantiæ per accidentia se manifestat. Atqui ita dici non potest de Ecclesia, quia cum professio exterior fidei, sacramentorum administratio et cætera exteriora, non sint necessario connexa cum fide, *ut patet* in hypocritis, fidem interiorem non manifestant. Ergo.

R. D. min. Exteriora Ecclesiæ non manifestant fidem interiorem in aliquibus particularibus, *C.* in corpore, *N.* Quamvis enim non sit certum quod hic vel ille, qui fidem exterius profitetur, illam intus habeat, est tamen certum, non ratione connexionis naturalis, sed ex ordinatione divina, quod vera fides sit in eo corpore seu societate quæ fidem exterius profitetur, et habet certas notas quod sit vera Christi Ecclesia, de quibus statim.

Inferes. Ergo potest etiam videri cœtus prædestinatorum.

R. 1° *N. suppositum.* Quia nunc non datur cœtus prædestinatorum solorum in unum coadunatus; est enim in hac vita triticum mixtum palea. 2° *Dato supposito, N. illationem.* Quia non sunt certæ notæ cœtum prædestinatorum distinguendi, sicut sunt dignoscendi Ecclesiam seu cœtum fidelium.

Repones. Illæ notæ debent credi et ad faciendam fidem deserviunt : ergo per eas non videtur Ecclesia.

R. notas Ecclesiæ et videri et credi. Videmus signa exteriora; hæc autem esse notas veræ Ecclesiæ credimus ex S. Scripturis et symbolis fidei : et cum deprehendimus societatem cui illæ notæ conveniunt, credimus eam esse veram Christi Ecclesiam. Illæ itaque notæ efficiunt Ecclesiam visibilem, et insuper deserviunt ut hanc Ecclesiam visibilem credamus esse veram Ecclesiam : sic miracula Christi videbantur et ipsum visibilem efficiebant, simulque intuentes movebant ut in eum crederent.

Obj. 3° Quod creditur non videtur : atqui credimus Ecclesiam : ergo eam non videmus.

R. D. maj. Quod creditur non videtur ea parte qua creditur, *C.* ea parte qua non creditur, *N.* Videmus itaque societatem fidelium et credimus eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, regi Spiritu sancto, etc. Sic videmus effusionem aquæ super hominem cum certa verborum forma, et credimus esse sacramentum baptismi; sic S. Thomas vidit humanitatem

Christi et credidit ejus divinitatem, exclamans Joan. 2 : *Dominus meus et Deus meus.*

Petes utrum visibilitas competat sectis hæreticorum ?

R. non competere eo gradu quo competit Ecclesiæ Christi; quia non sunt toti orbi conspicuæ sicut Ecclesia Christi, neque semper fuere visibiles; ante Lutherum enim et Calvinum, ubi videbantur ? Neque insigniora conspiciuntur in eis sicut in vera Ecclesia, perpetua et imperturbata successio suorum pontificum, congregatio conciliorum, ejectio hæreticorum, etc.

ARTICULUS IV.

De notis veræ Ecclesiæ.

Dum agimus cum ethnicis, qui non admittunt S. Scripturas, ut ostendamus eis veritatem religionis ac Ecclesiæ nostræ, procedimus per rationem, proponendo eis motiva credibilitatis, quibus quisque lumen rationis sequens moveri debet ut credat hanc Ecclesiam esse veram, quam tot ac tanta motiva suadent. Dum vero agimus cum hæreticis, qui S. Scripturas admittunt procedimus cum eis ex S. Scripturis et per eas demonstramus veram Ecclesiam habere certos characteres seu notas quibus dignoscatur, atque eas soli Ecclesiæ Romanæ convenire.

Notæ alicujus rei debent esse illi propriæ et non communes, alias non magis illam rem designarent quam aliam, non quod singulæ seorsim debeant esse illi propriæ, sed saltem omnes collective. Item debent esse notiores re quam demonstrant.

Dum dicimus esse certas veræ Ecclesiæ notas, non est sensus quod istæ notæ reddant veram Ecclesiam in se evidentem, alias ab omnibus agnosceretur, et non esset objectum fidei ; credimus tamen Ecclesiam, ergo eam non videmus : sed sensus est, quod istæ notæ reddant Ecclesiam evidenter credibilem, ita ut sit evidenter credibile Ecclesiam cui istæ notæ conveniunt, esse veram Ecclesiam, et culpandus sit qui non credit.

His prælibatis, quæruntur duo : primum, an et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ ? secundum, cui Ecclesiæ competant, an Romanæ, an sectis novatorum ?

§ I. — *An et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ ?*

Dico Quatuor sunt notæ veræ Ecclesiæ, scilicet, quod sit una, sancta, catholica et apostolica. Ita symbolum Constantinop. et partim apostolicum.

Vera Ecclesia est una.

Prob. Cantic. 6 : dicitur : *Una est columba mea.* Joan. 10 : *Fiet unum ovile et unus pastor* ; Ephes. 4 : *Unum corpus.* Luculenter Apost. 1 Cor. 12 : *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa unum tamen corpus sunt, ita et Christus. etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

Eamdem unitatem Ecclesiæ ostendunt parabolæ quibus Christus illam expressit, agri in quo una crescunt zizania cum bono semine, sagenæ quæ una bonos et malos pisces congregat, arcæ quæ bona grana et paleas colligit. Idem dicendum de figuris quibus designata est Ecclesia, scilicet paradisi terrestris, arcæ Noe, domus Raab, et templi Jerosolymitani.

Hanc unitatem late probat Cyprianus, l. de Unitate Ecclesiæ et Epist. 76 ; et Augustinus in suis operibus contra Donatistas, et alibi.

Dicitur autem Ecclesia una, non tantum unitate numerali, quia est unica, sed pluribus aliis titulis, potissimum duobus : 1° unitate concordiæ, seu consensionis in eumdem finem ultimum et in eadem media ad illum, nempe in eamdem fidem præsertim, eadem sacramenta, eumdem cultum et eadem præcepta ad salutem necessaria : *Unus dominus, una fides, unum baptisma,* Ephes. 4 : 2° unitate ordinis, seu dispositionis ordinatæ plurium sub eodem regimine unius capitis : *Unum ovile, unus pastor*, Joan. 10.

Dices 1° Apost. Rom. 16, dicit : *Salutant vos omnes Ecclesiæ.* Ergo.

R. esse plures Ecclesias particulares quæ sunt partes unius universalis, sicut plures provinciæ sunt partes unius regni.

Dices 2° Si unitas Ecclesiæ consisteret in concordia animorum respectu mediorum ad eumdem fidem ultimum, ad eam requireretur charitas : atqui id dici non potest, alias qui non haberet charitatem non esset in Ecclesia. Ergo.

R. D. sequelam Ad eam unitatem requireretur charitas, ut esset perfecta, *C.* ut esset simpliciter unitas, *N.* Hanc enim facit eadem fides.

Inst. Qui habent easdem qualitates, non dicuntur unus, sed similes : ergo nec eadem fides facit unitatem.

R. D. Si hi qui habent easdem qualitates sint entia per se completa, *C.* si sint partes unius totius tendentis in eumdem finem, quales sunt omnes catholici, *N.*

Repones. Consensio animorum reperitur inter Ecclesiæ hostes : ergo unitas concordiæ non est Ecclesiæ nota.

R. D. ant. Consensio animorum in rebus malis reperitur inter Ecclesiæ hostes, *C.* in eodem fine ultimo et eisdem mediis ad illum, *N.* Talis autem est concordia quæ ponitur nota Ecclesiæ.

Dices 3° Diversa regna possunt subjici eidem principi : ergo ex parte unius capitis non habetur unitas Ecclesiæ.

R. N. conseq. Disparitas est, quod diversa regna sint tota integra et per se completa, quibus et per accidens quod unus princeps præsit ; id enim non habetur ex institutione divina aut naturali ; at omnia membra Ecclesiæ, ex institutione divina, sunt per se partes unius totius eidem capiti subditi.

Inst. Unitas ordinis sub eodem capite convenit aliis quam Ecclesiæ : ergo saltem non est nota Ecclesiæ.

R. D. ant. Unitas ordinis sub eodem capite in iisdem rebus et eodem modo convenit aliis quam Ecclesiæ, *N.* in diversis rebus et non eodem modo, *C.* Unitas itaque ordinis sub uno capite in Ecclesia est, quoad regimen ecclesiasticum, in rebus fidei, sacramentorum usu, præceptorum observantia, cultu divino, etc., item ab ipso Christo ducit originem et sine interruptione perseverat : hujus modi autem unitas nulli nisi Ecclesiæ convenit.

Vera Ecclesia est sancta.

Prob. Cant. 6, dicitur *decora, columba, pulchra ut luna, electa ut sol ;* 1 Pet. 2, *genus electum, gens sancta ;* Ephes. 5, *pro ea se tradidit Christus ut illam sanctificaret.* Est autem sancta 1° ratione capitis et sponsi qui est Christus, sanctus sanctorum et fons totius sanctitatis ; 2° ratione finis, scilicet cultus divini, cui per baptismum consecratur ; 3° ratione aliorum sacramentorum, officiorum, cæremoniarum, legum, quæ omnia spirant sanctitatem ; 4° ratione doctrinæ quæ ducit ad sanctitatem acquirendam vel augendam.

Vera Ecclesia est catholica.

Ibid. — Hæc vox *catholicum* est græca, composita ex κατὰ, quod significat secundum, et ex ὅλον, quod significat *totum*, Hinc κάτολον, id est, secundum seu per totum : catholicum igitur idem est ac universale.

Ibid. — Est autem vera Ecclesia catholica, seu universalis, 1° ratione loci, quia est per totum orbem diffusa : Psal. 71 : *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terræ ;* Psal. 18 : *In omnem terram exivit sonus eorum ;* Marc. 16 : *Euntes in mundum universum.* 2° Ratione conditionis personarum : quia cujusvis conditionis personas, sive Judæos, sive gentiles, sive nobiles, sive ignobiles, sive masculos, sive fœminas, denique cujuscumque nationis aut conditionis homines ad se vocat et volentes complectitur : Psal. 2 : *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ ;* Psal. 21 : *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabuntur in conspectu ejus universæ familiæ gentium ;* Marci 16 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ ;* Apocal. 5 : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione ; et fecisti nos Deo nostro regnum.* 3° Ratione durationis : Daniel. 2 : *Suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur ;* Matth. ultimo : *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* 4° Ratione doctrinæ, quia docet quæcumque sunt vel credenda, vel facienda, vel vitanda.

Circa universalitatem loci *observandum est*, posse dupliciter accipi, vel pro diffusione simultanea et permanenti per totum orbem, vel pro diffusione successiva tantum. Si primo modo sumatur, intelligenda est universalitas non in rigore metaphysico, sed moraliter pro diffusione in plures et præcipuas partes orbis, ita ut Ecclesia sit magis diffusa quam quælibet alia secta ; quo sensu Daniel. 2 et 8, dicitur quod Nabuchodonosor occupaverit omnia regna mundi, et quod Alexander imperabit universæ terræ : non quod hi reges revera imperaverint toti orbi, sed pluribus et præcipuis provinciis. Si secundo modo sumatur,

intelligenda est universalitas rigorosè, ita quod Ecclesia, nunc in plures et præcipuas partes diffusa, paulatim et successive diffundetur in alias partes, donec tandem ubique recipiatur, juxta illud Coloss. 1 : *Evangelium in universo mundo est, et fructificat, et crescit :* ubi, juxta Aug. Epist. 80, præsens ponitur pro futuro propter certitudinem effectus, uti frequens est in S. Scripturis : constat enim tunc temporis Ecclesiam non fuisse ubique diffusam.

Circa universalitatem personarum *est etiam observandum*, eam non esse intelligendam de omnibus et singulis personis, sed de omni natione, gente et genere personarum ; non enim omnes et singulæ personæ omnium gentium sunt promissæ, sed omnes gentes ; credit itaque omnis gens in omnibus qui electi sunt, inquit Aug. Epist. laudata.

Dices. Idololatria fuit olim catholica seu universalis : ergo catholicitas non est nota veræ Ecclesiæ.

R. N. ant. 1° Quia idololatria non fuit in omnibus una religio, sed in diversis diversa, cum diversi diversos deos colerent. 2° Non ab omnibus ut vera admittebatur : etenim veri Dei cultores eam rejiciebant, et ipsimet gentilium sapientiores eam observabant, non tanquam veram religionem quæ diis placeret, sed politice tantum, quia legibus præcipiebatur. Ita refert S. Th. Opusc. 70, ex Seneca et S. Aug.

Vera Ecclesia est apostolica.

Ratione scilicet originis et successionis non interruptæ ; quia, fundata a Christo, qui dicitur *Apostolus confessionis nostræ*, Hebr. 3, et ab Apostolis propagata et firmata, atque ab eis derivata, usque nunc perseverat. Unde Christus est fundamentum Ecclesiæ primarium, quo sensu dicitur 1 Cor. 3 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus ;* Apostoli autem fundamentum secundarium : et idcirco Ephes. 2, fideles dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum ;* Apocal. 21 : *Murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum ;* et Christus, Joan. 17 : *Non pro eis* (Apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hanc notam dignoscendi veram Ecclesiam passim urgent Patres, Tertullianus, lib. de Præscript. cap. 32 : « Si » quæ, inquit, Ecclesiæ audent interserere » se ætati apostolicæ, quia sub Apostolis » fuerunt, possumus dicere : Edant ergo » origines ecclesiarum suarum, evolvant » ordinem episcoporum suorum, ita per » successiones ab initio decurrentem, ut » primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum » Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. » S. Hieron. contra Lucifer. cap. ultimo dicit, « in illa esse » Ecclesia permanendum quæ ab Apostolis » fundata usque ad diem hunc durat. »

§ II. — *Cui Ecclesiæ hæ quatuor notæ conveniant ?*

Dico. Hæ quatuor notæ soli Ecclesiæ Romanæ conveniunt, non sectis hæreticorum.

Prob prima pars. 1° Ecclesia Romana est una unitate consensionis in ultimum finem et in eadem media, scilicet eamdem fidem, eadem sacramenta, eumdem cultum, etc. Item, est una unitate ordinis seu ordinatæ dispositionis omnium catholicorum sub eodem regimine unius capitis, Romani pontificis. *Hæc per se patent.* Nec obstat quod catholici doctores in pluribus inter se dissentiant, ea enim in quibus dissentiunt non sunt dogmata fidei, sed opiniones liberæ de quibus Ecclesia nihil definivit : unitas autem quæ ponitur nota Ecclesiæ est unitas fidei.

2° Ecclesia Romana est sancta ratione sui capitis Christi, aliorum suorum fundatorum, Apostolorum scilicet et eorum successorum, SS. Patrum qui illam adversus hæreses defenderunt, et suorum martyrum, qui suo sanguine illam sigillarunt. Est sancta ratione finis, scilicet cultus divini cui tota consecratur, ratione sacramentorum, legum, officiorum, sacrificiorum, cæremoniarum, quæ omnia sanctitatem spirant. Est sancta ratione doctrinæ, quæ non nisi quod in S. Scripturis aut traditione continetur proponit credendum, non nisi virtutem præcipit, non nisi vitia prohibet. Adde in hujus sanctitatis confirmationem innumera miracula a Christo et Apostolis patrata, ac in S. Scripturis relata : deinde ea quæ operati sunt viri sancti et apostolici, quæque referunt Tertul. l. ad Scapulam c. 4, et Apolog c. 5 ; Euseb. l. 5. Hist. c.

5; S. Basilius l. de Spiritu sancto c. 29; S. Hieron. de Viris illustribus; S. Aug. lib. 22 de Civit. cap. 8; deinde plurimi scriptores fide digni. Hæc autem omnia negare, ut proterve faciunt hæretici, quid est nisi omnibus historiis fidem detrectare?

3° Ecclesia Romana est catholica ratione loci et conditionis personarum. Si loquamur de catholicitate permanenti et simultanea, quæ, *ut observavimus*, debet intelligi moraliter pro diffusione in plures et præcipuas orbis partes, plusquam quælibet secta, certum est eam convenire Ecclesiæ Romanæ; hæc enim floret in Europa, in America, in pluribus regnis, provinciis et insulis Orientis; et quamvis non ita nunc, sicut olim, floreat in Africa et in quibusdam provinciis Asiæ et septentrionalibus Europæ, plures nihilominus adhuc reperiuntur in illis veræ fidei et Ecclesiæ Romanæ cultores, ita ut sit longe magis extensa quam quælibet secta. Si loquamur de catholicitate seu universalitate successiva, constat etiam eam convenire Ecclesiæ Romanæ: hæc enim sola ab exordio usque nunc annuntiavit, et annuntiat nomen et Evangelium Christi apud exteras et dissitas nationes, quas in dies sibi aggregat, missis quacumque missionariis, donec tandem in fine mundi compleatur diffusio et universalitas, juxta illud Matth. 24: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Item, est catholica ratione doctrinæ, quippe omnes errores damnat, nullum docet. Tandem ita est catholica, ut semper sic vocata fuerit, et sic adhuc vocetur. Unde S. Aug. contra Epist. fundamenti c. 4: Me, inquit, in Ecclesia Romana « tenet ipsum Catholicæ nomen, » quod non sine causa inter tam multas » hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut » cum omnes hæretici se catholicos dici » velint, quærenti tamen peregrino alicui » ubi ad catholicam conveniatur, nullus » hæreticorum vel basilicam suam vel do- » mum audeat ostendere. »

4° Ecclesia Romana est apostolica, 1° ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ. Ecclesiam priorum sæculorum fuisse apostolicam et Apostolorum doctrinam tenuisse fatentur hæretici; si qua ergo ab illo tempore mutatio accidit in Ecclesia Romana, et ab hac apostolica doctrina defecerit, ostendi possunt quæ in omni insigni mutatione contingunt, quod et quale sit istud novum dogma, quis immutationis et defectionis auctor, quo loco, quo tempore cœpit, quos oppugnatores habuit? Hæc nobis ostendant hæretici in Ecclesia Romana. Quoties aliqua hæresis caput erexit, statim se opposuere catholici, et usque ad sanguinis effusionem verbis et scriptis contra steterunt; et dum Roma, caput mundi, nova sacramenta fingeret, totus mundus quasi somno correptus siluisset! Quis credat? Item Ecclesia Romana est apostolica 2° ratione successionis non interruptæ pastorum suorum ab Apostolis: unde S. Aug. superius citatus dicit: « Tenet me (in Ecclesia » Romana) ab ipsa sede Petri Apostoli, cui » pascendas oves suas post resurrectionem » Dominus commendavit, usque ad præ- » sentem episcopatum successio sacerdo- » tum. »

Confirmatur tota hæc prima pars. Ecclesia Romana in prioribus sæculis et adhuc tempore concillii Constantinopolitani, in quo assignatæ sunt quatuor præfatæ notæ veræ Ecclesiæ, erat vera Christi Ecclesia et competebant illi istæ notæ: id fatentur hæretici. Atqui vera Christi Ecclesia deficere non potest, *ut modo probabimus.* Ergo.

Prob. secunda pars conclusionis. 1° Sectæ hæreticorum non habent unitatem consensionis in una fide. *Patet* 1° ex eorum variationibus in dogmatibus, quas in clara luce posuit illustrissimus Bossuetius; 2° ex tot sectis in quas scissi sunt Lutheranismus et Calvinismus, quæ tamen remanent in eadem universali Ecclesia, secundum ipsos, si non errent circa veritates fundamentales. Imo, anno 1631, in synodo Charentonensi, ex Lutheranismo et Calvinismo facta est una communio et una ecclesia, quamvis notum sit eos in pluribus dogmatibus dissentire, præsertim circa eucharistiam, 3° Cum pro regula fidei privatum spiritum sequantur, tot sunt inter eos opiniones fidei quot capita, et qui hodie credit unum, cras credit contrarium. Non habent etiam unitatem ordinatæ dispositionis sub uno capite; tot sunt enim inter eos capita quot ministri, quippe qui alicui uni non subordinantur, suntque sine missione et jurisdictione, *ut mox dicam.*

2° Non habent sanctitatem 1° Non habent

ex parte suorum auctorum : notum quippe est Lutherum, Calvinum, Zwinglium, etc. non fuisse sanctos, sed pluribus vitiis obnoxios. 2° Non habent ex parte doctrinæ : Deum quippe faciunt auctorem peccati, imo dicunt ipsum ad peccandum cogere, et impossibilia præcipere. Insuper docent plures errores jam olim ab Ecclesia damnatos : cum Simoniacis docent bona opera esse inutila; cum Novatianis, nullum esse pœnitentiæ sacramentum præter baptismum ; cum Donatistis, Ecclesiam solis prædestinatis constare, et esse invisibilem; cum Aerianis, non esse orandum pro mortuis, et episcopum a presbytero non differre. 3° Non habent ex parte principiorum moralium : docent namque solam fidem justificare, nullumque peccatum quantumvis grave, etiamsi adulterium, homicidium, sodomiam habentibus fidem imputari, et ideo quantumvis scelestum, modo credat se esse a Deo electum, nunquam gratiam amittere. Ita Lutherus, de Captivit. Babyl. cap. de Baptismo, Calvinus lib. 5 Institut. cap. 19. Quæ sola duo principia viam aperiunt omnibus vitiis, occludunt virtutibus. Insuper notum eos cœlibatum sacerdotum et vota monastica damnare, claustra et templa diruere, bona monasteriorum invadere, imagines frangere, invocationem sanctorum, satisfactiones et bona opera, jejunia, abstinentias et quidquid sapit mortificationem rejicere.

3° Non habent catholicitatem. 1° Non habent ratione loci, latent quippe in angulo Europæ, in aliis autem mundi partibus, in Asia, in Africa, in America non sunt, aut si quidam in his exteris nationibus reperiuntur, habentur pro hæreticis. 2° Non ratione personarum; cum enim doceant quemque posse in sua religione salvari, modo saltem non erret circa veritates fundamentales, non omnes ad se vocant. 3° Non habent ratione temporis: ante Lutherum enim et Calvinum non erat eorum Ecclesia, et aliquando non defecturam nullum habent fundamentum, imo jam defecisse in Gallia et in multis Belgii provinciis notum est.

4° Non habent apostolicitatem. 1° Non habent ratione doctrinæ ab Apostolis derivatæ, si quidem doceant errores quos vetus Ecclesia apostolica damnavit, *ut diximus*, et fatetur ipse Calvinus, l. 3 Instit. c. 4 et 5 de satisfactionibus, de cœlibatu sacerdotum, de precibus pro mortuis, et de jejunio quadragesimæ. 2° Non ratione successionis apostolicæ in suis pastoribus : cui enim successit Lutherus? cui Calvinus ? Unde merito dicimus ipsis, cum Tertulliano lib. de Præscript. c. 32 : « Edant origines Ecclesiarum » suarum, evolvant ordinem episcoporum » suorum, etc. » ut in fine § præcedentis. 3° Non ratione missionis legitimæ in suis pastoribus ; imprimis non habuerunt missionem ordinariam ; a quo enim illam habuissent? non ab Ecclesia Romana, quando ab ea recesserunt, quia tunc vel erat hæretica, et sic non erat vera Ecclesia habens auctoritatem mittendi, vel non erat hæretica, et sic sectarii sunt schismatici, hæretici et excommunicati, atque ideo omni auctoritate quam in Ecclesia habere potuerunt regendi ecclesias et constituendi legitimos ministros, exciderunt. Aliam societatem vel Ecclesiam a qua habuerint missionem ordinariam assignare non possunt : non etiam habuerunt missionem extraordinariam; hæc enim vel in S. Scripturis exprimi debet, vel miraculis probari, qualis fuit missio Moysis, Prophetarum, Apostolorum et ipsius Christi : quis enim credat homini dicenti se a Deo missum cum auctoritate episcopali, se accepisse potestatem ministros instituendi, institutos deponendi, doctrinam novam annuntiandi, antiquam reformandi, conciliorum definitiones expendendi et rejiciendi, Ecclesiæ antiquos usus improbandi, novos inducendi, atque omnes teneri ei credere ; quis, inquam, credet, nisi missionem tam extraordinariam et tanti momenti signis et miraculis comprobet? Atqui neque Lutherus, neque Calvinus, neque eorum successores hanc missionem ullis miraculis comprobarunt. *Nullus eorum adhuc extitit*, inquit Erasmus in Diatribe de lib. arbit. *qui vel equum claudum sanare potuerit.*

ARTICULUS V.

Utrum Ecclesia possit deficere, seu errare in fide et moribus?

Ecclesia potest duobus modis considerari : 1° ut est congregatio omnium fidelium tam prælatorum quam subditorum ; 2° prout est congregatio prælatorum et doctorum : hæc dicitur Ecclesia representative et docens ; prima dicitur Ecclesia credens. Quæstio est utrum utraque sit infallibilis, prima in credendo, secunda in docendo ;

seu, ut alii dicunt, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem tam activam quam passivam?

Inter hæreticos, quidam, ut observavimus superius, distinguunt inter Ecclesiam invisibilem prædestinatorum, et visibilem compositam ex prædestinatis et reprobis; primam dicunt infallibilem, non secundam; Alii dicunt Ecclesiam visibilem esse absolute indefectibilem, sic tamen obscurari posse ac pene extingui, ut non sit amplius visibilis. *Suppositum* impugnavimus in præcedentibus, asserendo unam Ecclesiam perpetuo visibilem, unde, pro præsentis quæstionis resolutione, contra eosdem,

Dico 1° Ecclesia visibilis non potest deficere aut errare in rebus fidei et morum credendis.

Prob. 1° ex Prophetiis veteris Testamenti. Isai. 6°: *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam; non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Oseæ 2: *Sponsabo te mihi in sempiternum.... et sponsabo te mihi in fide.* Micheæ 4: *In novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium et sublimis super colles, et fluent ad eum populi.... nos autem ambulabimus in nomine Domini nostri in æternum.* Psal. 47: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.* Psal. 88: *In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi; et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.* Psal. 128: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, id est, a tempore quo cœpi esse: *etenim non potuerunt mihi*, scilicet prævalere. In his agi de Ecclesia visibili probant hæ voces, *mons, domus, dies, thronus, expugnare*, etc.

Prob. 2° clarissime ex novo Testamento, Matth. 16: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, utique visibilem in homine visibili fundatam; *et portæ inferri non prævalebunt adversus eam.* Ibidem cap. 28: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Super quæ verba S. Th. in Catena dicit: « Non cum illis solum dixit se futu» rum esse, sed et cum omnibus qui post » illos credunt; non enim usque ad con» summationem sæculi Apostoli mansuri » erant, sed sicut uni corpori fidelibus lo» quitur. » Luc. 1: *Regnabit in domo Jacob in æternum et regni ejus non erit finis.* Alia testimonia proferentur conclusione sequenti.

Prob. 3° ex Patribus. S. Chrysost. Serm. de Pentecost. « Non senescit, inquit, non » contrahitur, et multis oppugnationibus » non opprimitur..... Putas eam te posse » lædere, sed non poteris, Christus enim » propter eam passus est, portæ inferi non » prævalebunt adversus eam. » S. Ambros. lib. de Salomone c. 4: « Etsi (Ecclesia) un» darum fluctibus aut procellis sæpe vexa» tur, nunquam potest sustinere naufra» gium. » S. Hieron. ad cap. 4 Isai. « Super » petram fundata Ecclesia, nulla tempestate » concutitur, nullo turbine ventisque sub» vertitur. » Idem in cap. 4 Amos S. Augustinus lib. de Symb. ad Catechum. c. 6: » Ipsa est Ecclesia sancta.... pugnare potest, » expugnari tamen non potest: hæreses » omnes de illa exierunt tanquam sarmenta » inutilia de vite præcisa, ipsa autem ma» net in radice sua, in vite sua, in charitate » sua, portæ inferorum non vincent eam. » Evidens est SS. Patres loqui de Ecclesia visibili; Ecclesia enim invisibilis non pugnat nec impugnatur, fluctibus et procellis non quatitur, ex illa non exeunt hæreses, etc.

Prob. 3° *ratione.* 1° Extra Ecclesiam non est salus: ergo, si Ecclesia visibilis deficiat, salus fit impossibilis; quis enim Ecclesiam invisibilem ingredi potest? 2° Si Ecclesia possit deficere, nemo erit securus de sua fide, nec ipsi Lutherani et Calvinistæ; potest enim pariter eorum Ecclesia deficere, et unde sciunt non defecisse? cum defectio, ut dicunt, accidat hominibus non advertentibus. 3° Ut articulo præcedenti arguebamus, si Ecclesia Romana defecerit, ut contendunt hæretici, debent assignare in quo defecerit, quo auctore, quo loco, quo tempore; hæc enim omnia notantur in mutatione insigni, qualis hæc foret. Ad hæc autem obmutescunt; fallor: quidam dicunt contigisse anno 600, alii anno 763, alii anno 1200: cui credas? Crede omnes fabulatores et ariolos. Aliunde non sat est designari tempus, debent insuper notari dogmata, locus, auctores, oppugnatores.

Respondent ista notari non posse; quia, inquiunt, defectio non simul et semel con-

tigit, sed successive et hominibus non advertentibus. At hanc responsionem esse miserum, ne dicam fatuum effugium, nemo non videt. Quis enim sibi inducat in animum, dogmata præsentiæ realis, cultus et invocationis sanctorum, horrendas idololatrias aut superstitiones secundum sectarios; necessitatem confessionis auricularis, rem adeo arduam et difficilem, purgatorium, suffragia pro mortuis, vota monastica et plura alia in veram religionem irrepsisse nemine advertente ? Quis, inquam, hæc credat ? nisi supponat omnes homines tunc temporis fuisse stipites, aut somno lethargove correptos.

Dico 2° Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa, sive in unum congregata, errare non potest in rebus fidei et morum proponendis et definiendis.

Prob. ex conclusione præcedenti. Si Ecclesia in suis pastoribus repræsentata, sive per orbem diffusa, sive congregata, posset errare in rebus fidei et morum proponendis, sequeretur quod omes fideles, seu Ecclesia sumpta pro congregatione omnium fidelium, posset errare in credendo et deficere : *falsum consequens, ut probatum est* : ergo *et ant. Prob. sequela.* Quia fideles non credunt nec credere debent aliud, quam quod ipsis proponunt universi pastores ; eos enim instituit Christus ut subditum gregem pascerent, regerent et docerent in rebus fidei et morum, Act. 2 : *Posuit vos episcopos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei ;* Matth. 28 : *Docete omnes gentes*, jussit ut omnes illos audirent et eis obedirent, Luc. 1 : *Qui vos audit me audit ;* Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde quæcumque diximus pro infallibilitate Ecclesiæ in credendo, probant ejus infallibilitatem in docendo.

His adde sequentia : 1° ex S. Scripturis. Christus alloquens Apostolos et in eis eorum successores episcopos, dicit Joan. 14, v. 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ibidem v. 28 : *Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Item cap. 16 : *Cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Apost. 1 Timoth. 3 : *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est Ecclesia Dei, columna et firmamentum veritatis.*

Si dicas ex his testimoniis sequi Ecclesiam nullam unquam ignorasse veritatem, quod tamen patet esse falsum ex novis conciliorum definitionibus : *R.* his testimoniis duo significari : primum affirmativum, nempe quod Spiritus docebit omnem veritatem ; alterum negativum ex affirmativo sequens, scilicet quod non permittet errorem veritati contrarium : istud semper impletur; primum autem, quando Ecclesiæ necessitas vel utilitas exigit ut de aliqua veritate de novo instruatur.

2° Ex Patribus. S. Irenæus, lib. 4, cap. 43 : « Eis, inquit, qui in Ecclesia sunt presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis..... qui episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. » Tertul. de Præscript. c. 21 : « Constat omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. » S. Cyrillus ad Pupinianum : « Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : Qui audit vos me audit ; qui rejicit, me rejicit. » Et Epist. Synod. ad Nestorium : « Hæc est catholica apostolicaque fides, in qua universi Occidentis et Orientis orthodoxi episcopi consentiunt. » S. Hieron. contra Luciferianos : « Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare. » S. Aug. lib. 7 de Bapt. cap. 53 : « Nobis tutum est..... fiducia securæ vocis asserere quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. » Lib. de Unitate credendi c, 17 : « Nolle Ecclesiæ primas dare ; vel summæ impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. » Denique notum est illud ejusdem S. Doctoris, Epist. contra Epist. fundamenti cap. 5 : « Ergo Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. »

Dixi 1° *Ecclesia sive dispersa sive congregata ;* quia, cum promissiones infallibilitatis sint factæ Ecclesiæ, et eadem sit semper Ecclesia, sive dispersa sive congregata, in utroque statu gaudet privilegio infallibi-

litatis. Et certe Christus non intelligebat de Ecclesia congregata in conciliis, cum dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, cum non omnibus diebus, sed rarissime congregentur concilia. Insuper Patres laudati loquuntur de Ecclesia dispersa. De Ecclesia vero congregata redibit sermo dum de conciliis, ubi plura hunc spectantia dicenda reservantur, ne omnia simul confundamus.

Dixi 2°, *In rebus fidei et morum*. Quantum ad mores, intelligenda est conclusio de moribus spectantibus communem omnium fidelium salutem: unde Ecclesia errare non potest, sive definiendo aliquid esse bonum et honestum quod est malum et inhonestum, et e contra aliquid esse inhonestum et malum quod est bonum et honestum, sive præcipiendo aliquid quod communi fidelium saluti sit noxium, aut prohibendo quod illi est necessarium seu utile. *Ratio est*, 1° quia hoc esset errare in fide; fides enim omne virtuosum et honestum approbat, omne vitiosum et turpe reprobat. 2° Esset contra sanctitatem Ecclesiæ. 3° Ecclesia male pasceret fideles, non enim solius fidei, sed etiam morum doctrina pascuntur fideles.

Quantum vero ad mores spectantes personas privatas et facta particularia, quorum cognitio pendet ex testimonio fallibili hominum, Ecclesia potest per ignorantiam errare; ut si conjunctos in facie Ecclesiæ cum impedimento dirimente occulto jubeat simul cohabitare, vel innocentem juridice probatum nocentem excommunicet: in quibus casibus error non est juris, sed facti ab humano et fallibili testimonio dependentis. Eadem ratione errare potest in referendis actis sanctorum. Addit Joannes a S. Thoma, disput. 9, de Fide art. 3, post Suarem et Bannem, Ecclesiam posse errare circa circumstantias, applicationem et executionem legis, puta, nimium præcepta et censuras multiplicando, nimium rigorem in executione exercendo: quia, inquit, hæ videntur pertinere quasi ad prudentiam et directionem legis, magis quam ad ejus substantiam et moralitatem. Idem videtur sentire Cano, lib. 5, de Locis Theolog. cap. 5, q. 4, dicens « se non omnes Ecclesiæ leges » approbare, non universas pœnas, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta commendare: sic enim no» nullas ejusmodi leges esse, in quibus si non » aliud præterea quidquam, at prudentiam » certe modumque desideres. » Verum hæc, si intelligantur de legibus omnes christianos spectantibus, propter reverentiam doctissimorum virorum refero, affirmare non audeo.

De canonisatione sanctorum et de sensu librorum, seu factis dogmaticis, sunt speciales et graves difficultates, de quibus infra. Sed etiam

Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione ordinum religiosorum?

R. in approbatione alicujus ordinis religiosi duo intervenire judicia: primum, hanc religionem esse bonam, Evangelio conformem et perfectioni acquirendæ utilem: in hoc judicio errare non potest Ecclesia, alioquin erraret in communi doctrina morum, cum omnibus hanc religionem proponat ut bonam, et viam ad perfectionem. Aliud est judicium, utrum hic et nunc expediat hunc ordinem admittere? Et de hoc judicio non ita constat esse infallibile, quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet: at saltem temeritatis notam non effugeret qui contra communem Ecclesiæ sensum, erroneum assereret.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° plura ex veteri Testamento, ex quibus constat Ecclesiam aliquando defecisse. 1° Ecclesia defecit in Adam et Eva peccantibus; 2° tempore Noe, *cum cuncta cogitatio cordis esset intenta in malum*, Genes. 6; 3° in deserto, dum omnis populus adoravit vitulum aureum, Exod. 32; 4° tempore Eliæ, 3 Reg. c. 19, ubi Propheta dicit: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus et quærunt animam meam ut auferant eam*: 5° Jerem. 2, dum dixit Deus: *Omnes me dereliquistis*; 6° tempore captivitatis Babylonicæ. 7° Tandem tempore Christi synagoga defecit. Ergo.

R. 1° hæc omnia et plura alia similia non obstare *conclusioni* nostræ quæ est de Ecclesia Christianorum posi Christum natum, et non de Ecclesia veteris Testamenti; et hoc propter duo: 1° quia Ecclesiæ veteris Testamenti non suntfactæ promissiones quales fecit Christus Ecclesiæ novi Testamenti; non enim illi dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consum-*

nationem sæculi; neque, *Portæ inferi non prævalebunt adversus illam* : 2° quia Ecclesia veteris Testamenti non coarctabatur intra synagogam poterat enim extra illam salus haberi, *ut patet* de Job, Melchisedech, Ninivitis et aliis. Extra vero Ecclesiam novi Testamenti non potest haberi salus : unde necesse est ut semper subsistat visibilis. Cæterum non concedimus Ecclesiam veteris Testamenti seu synagogam periisse, nisi eo tempore quo cessare et in novam transmutari debebat; non enim erat perpetuo duratura. Unde ad singula

R. 2° *Ad primum.* 1° Ecclesia fundata in Christo mediatore futuro vel præsenti, de qua est quæstio, non incepit in Adam et Eva ante suum peccatum ; gratia enim quam in sua creatione acceperunt, non fuit ex meritis Christi futuris, ut docuimus in tract. de Incarnatione, sed incepit duntaxat vel in Adam et Eva pœnitentibus, vel, ut alii volunt, in Abel. 2° Ecclesia non extinguitur nisi per peccatum infidelitatis; peccatum autem Adæ et Evæ non fuit infidelitatis, sed inobedientiæ. Nec obstat quod videantur dubitasse de revelatione, dum dixerunt : *Ne forte moriamur;* id enim non dixerunt dubitando de revelatione, sed quia illam acceperunt ut comminatoriam, quasi dixissent : Debemus abstinere ab esu fructus quia Deus posset nos morti addicere sicut minatus est. 3° Si Ecclesia in iis defecit, non solum Ecclesia visibilis, sed etiam invisibilis deficit; in his enim duobus utraque consistebat : sequelam autem non admittunt hæretici.

Ad secundum. Tempore Noe, equidem cuncta cogitatio cordis erat intenta in malum, sed non in malum infidelitatis, quo solo deficit Ecclesia.

Ad tertium. Neque Moyses caput populi, neque Levitæ adoraverunt vitulum : Aaron autem tunc nondum erat creatus pontifex.

Ad quartum. 1° Elias loquitur de solo regno Israel seu Samariæ, non de regno Juda, in quo tunc florebat vera religio. 2° Cum Elias dicit, *Relictus sum solus,* non est sensus quod ipse solus esset fidelis in universo Israel, siquidem Deus ibidem illi dicat : *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal;* sed quod solus Propheta esset relictus, quia omnes alii prophetæ vel erant occisi a Jezabel, vel, in captivitate detenti, causam Dei defendere non poterant.

Ad quintum. Τὸ *omnes* in hoc loco, sicut in pluribus aliis S. Scripturæ locis, non significare omnes omnino et singulos, sed multos : sic Exod. 9 : *Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum.* Philipp. 2 : *Omnes quæ sua sunt quærunt.* Ideoque observat S. Augustinus l. contra Donatistas post Collat. c. 2, morem esse S. Scripturæ, quod Prophetæ et Apostoli reprehendant universum populum quasi omnes essent mali, licet multi sint boni, et quandoque consolentur universum populum quasi omnes essent boni, licet multi sint mali.

Ad sextum. Judæis in captivitate Babylonica liberum fuit observare suam legem ; erat in eis concilium Sanhedrim, ritusque suæ religionis palam exercebant, exceptis sacrificiis quæ in solo templo Jerosolymitano fas erat offerre.

Ad septimum. 1° Tempore Christi defecit synagoga, quia non erat instituta ut in æternum duraret, sicut Ecclesia novi Testamenti, sed usque ad Christum tantum, cujus erat figura : adveniente autem veritate, evanescit figura. 2° Non tam defecit synagoga tempore Christi, quam in melius mutata et excellentiorem statum adepta : etenim pro circumcisione accepit baptismum, pro infirmis et egenis elementis accepit sacramenta quæ sunt vasa gratiæ, pro agno paschali, Christum ipsum, et pro sacrificiis cruentis animalium, sacrificium incruentum Filii Dei.

Inst. 1° Ipsa etiam Ecclesia novi Testamenti interiit tempore passionis Christi, cum non solum synagoga et tota gens Judaica, sed etiam ipsi Apostoli a Christo defecerunt, prout prædixerat illis Christus, Matth. 26 : *Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte :* et ideo in hebdomada sancta unicus cereus remanet accensus, ad significandum scilicet omnes Apostolos, excepta B. Virgine, a fide defecisse; idque asserit S. Bernardus, tract. de Lamentatione virginis Mariæ : *In ipsa sola,* inquit, *in triduo illo fides Ecclesiæ stabat.* Idem videtur sentire S. Aug. in hæc verba Psal. 68, *defecerunt oculi mei :* « A latrone, in» quit, Apostoli victi sunt, qui tunc cre» didit quando a fide defecerunt. »

R. 1° *conclusionem nostram* procedere

de Ecclesia Christi formata, fuit autem formata duntaxat in die Pentecostes. 2° *N. ant. et ejus probationem.* Tempore enim passionis Christi, Joseph ab Arimathæa, Luc. 23; Nicodemus, Joan. 19; Centurio et ii qui Matth. 27 leguntur timuisse et dixisse : *Vere filius Dei erat iste;* viri et mulieres de quibus dicitur Luc. 23 : *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa;* denique ibidem : *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum illud et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur :* ii, inquam, omnes fidem in Christum habebant, quod est etiam verisimile de septuaginta duobus discipulis. Quantum ad Apostolos, passi sunt scandalum, non amittendo fidem, sed eam non confitendo exterius, ut debebant. Equidem alibi Christus arguit eorum incredulitatem, non quod fidem quam de anterioribus habebant, amiserint, sed quia erant tardi ad credendum ejus resurrectionem, quod non erat infidelitas proprie dicta, sed infirmitas venialis; non enim intellexerant quæ dixerat ipse Christus, dum cum eis loqueretur de sua resurrectione. Cerei extincti in hebdomada sancta, ut alibi jam notavi, significant, non Apostolos deficientes, sed Prophetas occisos, et unus qui remanet accensus significat Christum qui semper arsit, conjunctus luci divinitatis. Opus laudatum non est S. Bernardi, quippe continet ineptias : insuper sensus posset esse, quod in B. Virgine fides firmior et magis explicita remanserit quam in aliis. Sensus S. Aug. est, quod Apostoli victi fuerint a latrone in professione exteriori fidei, dum palam dixit : *Domine, momento mei cum veneris in regnum tuum*, a qua fidei professione Apostoli ex metu defecerunt.

Inst. 2° Tempore Arianismi, præsertim in concilio Ariminensi Ecclesia defecit : unde S. Hieronymus, in Dialogo contra Lucifer. dicit : *Miratus est universus orbis se esse Arianum.* Ergo.

R. N. ant. Ad probat. Id dixit S. Hieronymus hyperbolice, ut ex ipso probatur : cæterum hoc tritum hæreticorum argumentum ad fibras usque dilutum cum historia concilii Ariminensis habes in tract. de Trinitate, digress. 3 ad dissert. proœmialem : illuc recurre, ne cogar eadem repetere.

Obj. 2° Aliquando defecturam Ecclesiam testantur S. Scripturæ : ergo. *Prob. ant.* 1° 1 Paralip. c. 15, Azarias propheta dicit : *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero.* 2° Daniel 9 : *Deficiet hostia et sacrificium.* 3° Luc. 18 : *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* 4° 2 Thessal. 2 : *Nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, id est Antichristus : intelligitur autem discessio generalis, alioquin non foret signum Antichristi, cum frequens sit aliquos a fide deficere. Ergo.

R. N. ant. Ad primam probationem. Ista verba intelliguntur de regno Israel seu Samariæ; et *dato* quod intelliguntur de regno Judæ, nihil probarent; quia, *ut dictum est*, Ecclesia universalis non concludebatur intra ecclesiam Judæorum seu synagogam, *ut patet* in Job, Melchisedech, Ninivitis, Centurione, eunucho reginæ Candacis, etc.

Ad secundum. Intelligitur de eversione Jerusalem per Romanos et de cessatione hostiæ legalis, per mortem Christi abolendæ.

At dices apud eumdem Danielem, cap. 12, legi : *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et postea fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta :* atqui per juge sacrificium hic intelligitur sacrificium novæ legis, ibi enim designatur tempus persecutionis Antichristi quæ durabit 1290 diebus, seu annis tribus cum dimidio. Ergo.

R. Juge sacrificium novæ legis, agente Antichristo, auferetur quantum in ipso erit, ita ut nullus publice audebit missam celebrare; at obtinere non poterit ut omnino auferatur, permanebit enim, juxta Apostolum, 1 Cor. 11, donec veniat Christus.

Ad tertiam. Ibi sermo est de fide firma et excellenti quæ in paucis tunc reperietur, ut interpretatur S. Augustinus, lib. de Unitate Ecclesiæ c. 15; vel id dicitur propter multitudinem malorum et paucitatem bonorum.

Ad quartam. Discessio tempore Antichristi erit universalis, quia erit per totum orbem diffusa, non sic tamen ut omnes inficiat.

Inst. S. Ephrem, Serm. de Antichristo : « Omnes, inquit, communi voto parique » sententia summo cum gaudio ipsum (Antichristum) constituent regem. » Et S. Aug. Epist. 80 : « Quando sol obscurabitur et

» luna non dabit lumen suum, et stellæ ca» dent de cœlo, Ecclesia non apparebit. » Ergo.

R. ad primum. S. Ephrem loquitur, non de omnibus absolute, sed de omnibus quos in errorem induxerit Antichristus. *Ad secundum.* Distinguenda est duplex Ecclesiæ conspicuitas : una essentialis, quæ consistit in veræ fidei et religionis professione, in usu sacramentorum et observantia præceptorum Christi ; altera accidentalis, quæ consistit in externo apparatu et splendore, cujusmodi sunt habere templa magnifica, sine metu ad sonum campanarum ecclesias frequentare et officia publica celebrare, abundare ministris, libere prædicare verbum Dei, etc. De hac posteriori perspicuitate, non de prima loquitur S. Augustinus et alii Patres, si forte sint qui eumdem modum loquendi teneant.

Obj. 3° Ecclesia comparatur lunæ : atqui luna potest deficere, et sic deficit ut non appareat amplius. Ergo.

R. D. maj. Ecclesia comparatur lunæ quoad aliqua, *C.* quoad omnia, *N.* In hoc ergo tenet comparatio, 1° quod sicut luna accipit lumen a sole, sic Ecclesia a Christo ; 2° quod, sicut luna successive et paulatim crescit, sic crevit Ecclesia : ita S. Aug. in Psal. 10 et 103 ; 3° quia, sicut luna patitur mutationes, sic Ecclesia modo est in pace, modo procella persecutionis agitatur.

Obj. 4° Ecclesia, sive credendo sive definiendo, est libera : ergo errare potest.

R. D. ant. Tota Ecclesia sive credendo sive definiendo est libera libertate contradictionis, *C.* libertate contrarietatis, *N.* Suppositis enim Christi promissionibus, quamvis possit non credere præcise secundum se, quod sufficit ad libertatem, non potest tamen contrarium fidei credere, quod requiritur ad errorem. Paritas est in Christo, qui, supposita ejus impeccabilitate, erat liber circa mortem a Deo præceptam libertate contradictionis, non contrarietatis, ut explicuimus in tract. de Incarnatione. Alii sic *distinguunt :* Tota Ecclesia est libera physice, *C.* moraliter, *N.* Quia Christus tot gratiis illam illustrat, ut, quamvis singuli possint errare, nunquam tamen omnes simul errent.

Inst. Singuli seorsim sunt liberi, sive libertate contrarietatis, sive physica, tam in credendo quam in definiendo ergo et omnes collective.

R. N. cons. Quia promissiones infallibilitatis factæ sunt omnibus collective, non singulis seorsim : unde a sensu distributivo ad collectivum non valet hic argumentum.

Obj. 5° Potest contingere quod omnes Ecclesiæ pastores sint cæci, ignorantes, corrupti et inducentes in errorem : ergo *Prob. ant.* ex Isai. 56, ubi dicitur : *Speculatores ejus cæci omnes, nesciunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia.* Et Jerem. 8 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt a summo usque ad novissimum.* Ergo.

R. per omnes intelligi multos, phrasi S. Scripturæ familiari, ut prius observavimus ; vel hæc dicta esse de pastoribus legis Mosaicæ, quibus Christus non promisit infallibilitatem sicut promisit pastoribus novæ legis.

Obj. 6° Dum, mortuo summo pontifice, vacat sedes Romana, deficit Ecclesia : ergo. *Prob. ant.* Abscisso capite, deficit corpus. Ergo.

R. N. ant. Ad. prob. D. ant. Abscisso capite naturali, deficit corpus, *C.* abscisso capite morali, quale est summus pontifex, *N.* Non enim est tanta dependentia corporis politici a capite morali, sicut corporis naturalis a capite naturali ; hoc enim abscisso, statim moritur corpus : at non sic de capite morali ; mortuo enim, v. g. rege Galliæ, non deficit monarchia ; similiter, mortuo papa non deficit Ecclesia, sed permanet sedes Romana et societas fidelium sub regimine suorum pastorum, parata acceptare supremum caput eligendum.

Contra infallibilitatem Ecclesiæ circa mores.

Obj. 1° In solis fidei rebus Christus Ecclesiæ suæ promisit infallibilitatem, dum dixit : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Ergo.

R. 1° *N. ant.* Hoc ipso enim quo Christus instituit Ecclesiam suam sanctam, cum officio et obligatione pascendi fideles, ipsam instituit infallibilem circa mores ; alioquin, si in his erraret, nec foret sancta, nec bene pasceret fideles. Item, dum promisit Spiritum sanctum, qui doceret Ecclesiam omnem veritatem, utique necessariam ad salutem, etiam promisit infallibilitatem circa

mores, quia veritas faciendorum non minus est necessaria ad salutem, quam veritas credendorum.

R. 2° *Dato ant. N. conseq.* Quia, si Ecclesia erraret circa mores, approbando aut præcipiendo malum ut bonum, aut et contra, erraret contra fidem; quia, ut diximus, fides approbat omne quod est bonum, et improbat omne quod est malum.

Obj. 2° Si Ecclesia esset infallibilis in doctrina communi morum, sequeretur quod omnes veritates morales quas definiret aut proponeret fidelibus essent de fide : *falsum consequens* : ergo *et ant. Prob. maj. a pari.* Sic, quia Ecclesia est infallibilis circa dogmata, quæcumque circa illa definit aut proponit, sunt de fide. *Prob. min.* Nihil est de fide, quod non sit revelatum in S. Scriptura vel traditione : atqui non omnes veritates morales quas Ecclesia definit aut proponit fidelibus sunt revelatæ in S. Scriptura vel traditione, v. g. quod hic contractus sit usurarius vel simoniacus; id enim eruitur lumine naturali ex ipsa contractus natura. Ergo.

R. N. maj. et ejus probationem. Ratio enim cur dogmata ab Ecclesia definita sint de fide, non est præcise quia est infallibilis circa illa, sed et quia aliunde sunt revelata. Nec quicquam obstat quominus Deus concedat Ecclesiæ infallibilitatem circa non revelata, quando sunt necessaria communi fidelium saluti. Sic Ecclesia est infallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica, et tamen quia factum dogmaticum non est revelatum, juxta probabilem plurium sententiam, non est fidei divinæ, sed ecclesiasticæ tantum, ut infra dicemus. Sic iterum Ecclesia, secundum communem sententiam, est infallibilis in canonisatione sanctorum, et tamen probabilius est non esse de fide quod canonisatus sit sanctus, de quo etiam infra. Multa autem Ecclesia proponit fidelibus quæ non sunt revelata, præsertim præcipiendo vel prohibendo : sic, v. g. præcipit celebrationem festorum, jejunia, auditionem missæ, etc. prohibet eucharistiam dari infantibus, laicos communicare sub utraque specie; et hæc non sunt fidei divinæ, quia non sunt revelata : est tamen semper fidei divinæ, quod Ecclesia in his præcipiendis vel prohibendis errare non possit. Alia autem Ecclesia proponit circa mores quæ sunt revelata, tunc maxime cum procedit definiendo; qua definitione posita, quæ erant tantum de fide quoad se, quia ignorabatur revelatio, fiunt de fide quoadnos. Sic sunt plerumque de fide quæ definivit circa tot propositiones laxioris et strictioris moralis, etiam (ut non omittam exempla instantiæ) circa contractus simoniacos aut usurarios; non enim ejus definitiones in his et similibus soli lumini naturali nituntur, sed maxime his quæ habentur in S. Scriptura vel traditione circa usuram, simoniam et alias materias.

Obj. 3° Ecclesia aliquando mutat suas leges, et quæ uno tempore præcipit altero prohibet, aut e contra : ergo non est infallibilis circa mores.

R. D. ant. Ecclesia aliquando mutat suas leges in his quæ sunt intrinsece bona, vel intrinseca mala, *N.* sicut enim hæc sunt invariabilia, ita leges Ecclesiæ de illis sunt invariabiles; in his quæ spectant disciplinam et quosdam ritus, *C.* quia hæc possunt expedire saluti pro uno tempore, et non pro altero. Unde, quæcumque mutatio accidat. Ecclesia et semper infallibilis in his proponendis.

Obj. 4° Recitatio officii ecclesiatici pertinet ad mores . atqui in eo multa falsa continentur. Ergo.

R D. min. In eo multa falsa continentur contra veritatem historiæ, *C.* diximus autem supra Ecclesiam in historicis, quæ pendent ex testimonio fallibili hominum, posse errare; falsa contra fidem aut bonos mores, *N.* Quod si hujusmodi forte reperiantur in quibusdam breviariis, ea nunquam probavit universa Ecclesia, quippe quæ omnium breviariorum examen non suscepit.

ARTICULUS VI.

Utrum Ecclesia sit supremus judex controversiarum fidei?

Necessitatem alicujus supremi et infallibilis judicis in rebus fidei, cui omnes morem gerere teneantur, probant ipsæ controversiæ quæ de ipsis rebus fidei quotidie emergunt. Res namque fidei sunt abstractæ, sublimes, occultæ, non omnes sunt capaces examinis et discussionis rerum tam sublimium et inevidentium : unde, si non sit aliquis supremus judex, cujus autoritate infallibili contineantur homines, nihil erit fixum in religione, crimus perpetuo fluc-

uantes, omni vento doctrinæ abrepti, disputationes erunt interminabiles, et dum unusquisque in suo sensu abundabit, tot erunt dogmata quod capita.

Inter hæreticos, quidam pro summo judice assignant ipsam Scripturam sacram, quam volunt esse claram et apertam; illi assignant afflatum Spiritus sancti unicuique privato, seu ipsam S. Scripturam secundum hunc privatum spiritum intellectam; illi, ut Brentius, principes sæculares. Nos non negamus Scripturam sacram esse regulam, normam et legem juxta quam dirimendæ sunt controversiæ; sed, cum hæc regula sit mortua, et sæpe circa illam oriantur difficultates quas ipsa dirimere non potest, requiritur ulterius aliqua regula viva, seu potius judex qui supremo et infallibili judicio definiat quid hæc regula mortua ferat et contineat: sicut in humanis lex est regula et norma juxta quam debent lites dirimi, at insuper necessarius est judex qui auditis partibus pronuntiet qua parte stet lex, et cujus sententiæ parere teneantur litigantes.

Supposita Ecclesiæ infallibilitate in rebus fidei definiendis, asserta art. præced. sequitur eam esse hunc supremum judicem controversiarum fidei; idque nos jam non semel probavimus, 1° in tract. præced. dissert. 1, a. 2, ubi ostendimus regulam discernendi revelata non esse ipsam S. Scripturam, neque spiritum privatum, sed ecclesiam; 2° in præsenti tractatu, dissert. 1, a. 8, petit. 9, ubi probavimus quod judicare de sensu S. Scripturæ non sit ipsius S. Scripturæ, neque spiritus privati, sed Ecclesiæ.

Verum, quia hæc questio est summi momenti; posito enim semel quod Ecclesia sit supremus et infallibilis judex controversiarum fidei cum omnes teneantur morem gerere, convelluntur omnes hæreses et sectæ; id cui probe intelligant novatores, non nihil tentant ut hanc veritatem cardinalem concutiant, quapropter; præsuppositis iis quæ jam dixi locis citatis, quæ hunc revocanda sunt, quæstionem iterum examini subjicio, et

Dico. Supremus et infallibilis controversiarum fidei judex non est Scriptura sacra, neque spiritus privatus, neque princeps sæcularis, sed Ecclesia.

Prob. prima pars. 1° Scriptura sacra est obscura et intellectu difficilis, atque in diversas partes trahitur: ut probavimus dissert. 1, a. 8, petit. 7. Ergo opus est aliquo interprete, qui ejus obscuritatem, ambiguitatem et difficultatem tollat.

2° In Scriptura duo sunt, littera et sensus. Circa litteram plurimæ sunt controversiæ: an ea quam habemus sit verum Dei verbum? an sit conformis suo autographo? an hi vel isti libri sint canonici vel non? Lutherus rejicit Epistolam ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi, et Apocalypsim; has Calvinus admittit: quis dirimet controversiam? Non ipsa S. Scriptura; nullibi enim dicit hos libros esse vel non esse canonicos, et quamvis diceret, non teneremur credere nisi aliunde prius constet esse canonicam. Circa sensum: S. Scriptura in varios et contrarios sensus trahitur, de iisque sunt præcipuæ controversiæ. Inter alias celebris est de sensu horum verborum. *Hoc est corpus meum*: Calvinistæ intelligunt in sensu figurato, Lutherani et Catholici in sensu litterali: quis inter illos erit judex? Non ipsa S. Scriptura quæ est objectum et materia controversiæ: ergo quærendus est alius judex, alioquin disputabitur usque ad finem mundi. Dicat Calvinista Lutheranum male intelligere, idem regeret Lutheranus Calvinistæ.

Confirmatur. Judex alicujus controversiæ debet partes litigantes audire, pronuntiare sententiam; et posse partes compellere ad acquiescendum sententiæ; alias frustraneum esset judicium: hæc autem præstare non potest S. Scriptura. Ergo.

3° Multa sunt fide credenda quæ non continentur in S. Scriptura: ipsa canonicitas, ut ita dicam, Scripturarum, baptismus infantium, validitas baptismi hæreticorum, perpetua virginitas beatæ Mariæ virginis, et plura alia quæ nobiscum admittunt sectarii. Unde S. Aug. l. 5 de Bapt. contra Donatist. c. 23: « Sunt, in» quit, multa quæ tenet universa Ecclesia, » et ob hoc ab Apostolis præcepta bene cre» duntur, quanquam scripta non reperian» tur. » In his autem clarum est Scripturam non posse esse judicem: ergo. Confer dissert. 1 citatam præsentis tract. a. 8, petit. 7 et 9.

Prob. secunda pars. 1° Judex in aliqua causa debet esse publicus, partibus litigantibus notus, eas audire, ab ipsis audiri, et

habere auctoritatem illas compellendi ut stent judicio, alioquin nihil proderit: atqui ista non competunt spiritui privato cujusque, *ut patet*. Ergo.

2° Judex in aliqua controversia debet esse unus, non varius, non incertus, non sibi contrarius: atqui spiritus privatus est varius in variis, incertus et sæpe sibi contrarius; dictans unum uni et contrarium alteri: sic dictat Lutherano hos libros esse canonicos, dictat Calvinistæ non esse canonicos; dictat Lutherano hæc verba: *Hoc est corpus meum*, esse intelligenda de præsentia reali; dictat Calvinistæ esse intelligenda de præsentia spirituali et figurata. Dicet Calvinista Lutherano eum non duci bono spiritu, idem reponet Lutheranus Calvinistæ: quis erit judex? In æternum disputabunt, sicut jam a ducentis annis disputant.

Confirmatur. Quæro a Lutheranis et Calvinistis quomodo Socinianos, qui ex eis exierunt et errant circa Trinitatem et Incarnationem, aliosve hæreticos revincere poterunt et ab errore convertere? Non per Scripturas, nam et illi hæretici illas admittunt, sed secundum suum privatum spiritum intellectas: at quomodo probabunt eos male intelligere Scripturas? Dicent forte eos non habere spiritum bonum? verum hoc isti negabunt. Evidens est itaque quod hoc novo commento præcludatur via conversioni hæreticorum et aperiatur omnibus hæresibus.

3° In omni republica bene ordinata est judex publicus, qui legem interpretatur et secundum illam omnes controversias dirimit, nec permittitur cuiquam privato legem secundum suum spiritum et libitum interpretari, alias omnia susdeque subverterentur. Id norunt ipsi hæretici: quanto magis ergo id debet admitti in Ecclesia quam Christus instituit et ordinavit! Nisi velis esse tot fidei dogmata quot capita, eaque, ut plurimum, sibi contraria, et tolerandas esse omnes hæreses; quo nihil est absurdius. Ergo.

4° Non omnes sunt capaces examinare et discutere res fidei quæ sunt obscuræ, abstractæ et sublimes · ergo nec eas definire per suum spiritum privatum. *Si dicas* id haberi ex Spiritu sancto cuique privato inspirante et revelante quid sit fidei vel non; *at contra*. 1° Omnes contendunt habere hanc inspirationem et revelationem, et tamen non omnes idem sentiunt: ergo Spiritus sanctus contraria revelat. 2° Si unicuique in quolibet casu Spiritus sanctus revelet quæ sunt fidei. omnes gaudebunt privilegio immediatæ revelationis, sicut Prophetæ et Apostoli et alii auctores sacri; item, omnes, etiam stupidissimi, absque studio et labore, in intelligentia legis et Scripturæ evadent doctissimi et doctoribus ipsis doctiores. Aliunde hic non agitur de revelatione privata, sed de communi toti Ecclesiæ circa eamdem et communem fidem.

Confirmatur. Insolentissimæ præsumptionis est, quod plebeius ignarus, sartor, sutor, rusticus, muliercula prætendat se melius intelligere legem et Scripturam, quam præclarissima et doctissima totius orbis ingenia, sive dispersa, sive in synodis congregata: sic est autem, si privatus cujusque spiritus sit supremus judex controversiarum fidei.

Dices. Quando concilium Synagogæ negavit et condemnavit Christum, non fuisset insolentissimæ præsumptionis reus, sed plurimum laudandus, privatus Judæus qui a judicio synagogæ dissensisset et Christum pro Messia agnovisset: ergo similiter nunc in controversiis fidei. Ita respondebat olim pseudominister Claudius illustrissimo et doctissimo Bossuetio, in colloquio privato.

R. N. conseq. Multiplex est disparitas. 1° Quia non erant factæ Synagogæ promissiones infallibilitatis, sicut Christi Ecclesiæ. 2° Quia Synagoga, quæ ad Christum usque tantum erat duratura, tunc deficiebat, imo jam defecerat. 3° Et præcipue, quia erat tunc alter supremus et visibilis judex controversiarum in materia fidei, cui omnes obedire et adhærere tenebantur, nempe ipse Christus, qui palam et omnibus fidem prædicabat, et missionem suam probabat voce e cœlo delapsa coram populo, Joannis testimonio, Scripturarum et prophetiarum explicatione, ac innumeris et patentissimis miraculis: non ergo ille secutus fuisset spiritum privatum, posthabito judicio infallibili supremi et visibilis judicis, sed laudandus fuisset cum Apostolis, septuaginta duobus Discipulis et pluribus aliis qui adhærebant Christo; sicque istud exemplum non abstergit maculam insolentissimæ præsumptionis in hæreticis qui concedunt cuilibet particulari ut definitione totius Ecclesiæ possit et debeat ad examen revocare, easque

reformare secundum suum privatum spiritum.

Prob. tertia pars. Nullibi in Scriptura legitur Christum constituisse principes sæculares judices controversiarum fidei, non enim illis, sed Apostolis et eorum successoribus dixit: *Euntes docete*, etc., aut quid simile. Est quidem princeps, juxta Apost. Rom. 12, Dei minister, non ut judicet Ecclesiam, sed ut eam defendat: unde scribebat celebris Osius Constantio imperatori: « Nec te rebus misceas ecclesiasticis, nec » nobis his de rebus præcepta mandes; sed » a nobis potius hæc discas: Tibi Deus im- » perium tradidit, nobis ecclesiastica con- » credidit. » Id agnoverunt religiosi imperatores, Constantinus in concilio Nicæno, apud Eusebium l. 3 de Vita Constantini, cap. 10; Theodosius junior, in Epist. ad synodum Ephes. Basilius imperator in 8 synodo.

Quarta pars sequitur ex dictis. Necesse est agnoscere regulam vivam et judicem supremum controversiarum fidei, ut ostendimus initio articuli: atqui is non est Scriptura sacra, non privatus spiritus, non princeps sæcularis, ergo Ecclesia: nihil enim aliud est assignabile.

Confirmatur 1° Is jure assignator judex supremus controversiarum, qui est infallibilis in iis definiendis: atqui talis est Ecclesia, *ut probatum est* art. præced. ergo. *Confir.* 2° ex praxi Ecclesiæ tempore Apostolorum. Cum exorta est controversia de legalibus observandis a gentibus conversis, non fuit terminata per solam Scripturam, neque per spiritum privatum, neque per principem sæcularem, sed per Ecclesiam Jerosolymis congregatam. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Quæ objiciunt hæretici contra obscuritatem Scripturæ, require dissert. 1 hujus tractatus a. 8, petit. 7 et 8; quæ objiciunt pro sufficientia Scripturæ, dissert. præced. a. 2, obj. 2. Quantum ad id quod objiciunt, nos committere circulum vitiosum probando veracitatem infallibilem Ecclesiæ per Scripturam, et veritatem Scripturæ per Ecclesiam, plene dilutum habes tract. præced. dissert. 1, a. 2. Ibi enim ostendimus veracitatem infallibilem Ecclesiæ non probari primo ex S. Scriptura, sed ex notis et motivis credibilitatis, sicque ex illa parte nullum committi circulum; deinde ostendimus quod, posita veracitate Ecclesiæ ex motivis credibilitatis, credamus veritatem S. Scripturæ quam nobis proponit ut regula discernens revelata, veritates autem contentas in S. Scriptura credamus propter Dei revelantis auctoritatem; et quia S. Scriptura continet infallibilitatem Ecclesiæ, illam firmius credimus propter Dei veracitatem, tanquam propter formale motivum fidei: unde non est circulus formalis et vitiosus, sed materialis tantum, quia non reditur ad idem sub eadem ratione. Ecclesia in ratione causæ applicantis probat veritatem S. Scripturæ: S. Scriptura, in ratione causæ formalis, probat veracitatem Ecclesiæ. Exemplum posuimus in ministro qui defert litteras regias. Confer locum citatum. Præterea

Obj. 1° Act. 17, de Beroensibus dicitur: *Susceperunt verbum cum omni aviditate* (a Paulo), *quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Joan. 5, Christus dicit Judæis: *Scrutamini Scripturas..... illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ergo omnia dogmata ad unius S. Scripturæ normam debent expendi.

R. N. conseq. Ad primum. Cum Beroenses audivisent Paulem annuntiantem mortem et resurrectionem Christi ex testimoniis veteris Testamenti, illud scrutabantur, non quasi dubitantes de fide, quam miraculis probaverat Paulus; *nam cum omni aviditate susceperant verbum* Dei; sed ut magis confirmarentur in fide, videntes ea quæ Paulus prædicabat esse consentanea iis quæ longe ante prædixerant Prophetæ. Sic licite catholici intelligentes scrutantur Scripturas, non dubitantes de sua fide, sed ut Ecclesiæ consensum cum S. Scripturis cognoscant, et inde magis firmentur in fide; quanquam nec dubitantibus prohibeatur inquisitio veritatis, si fiat cum humilitate et docilitate

Ad secundum. Vox græca ἐρεύνατε est anceps potestque esse indicativi modi *scrutamini*, vel imperativi *scrutemini*. Si primum, Christus exprobrat Judæis, quod frustra legerent S. Scripturas, cum illæ de ipso haberent testimonium, et tamen nollent credere; si secundum, postquam Christus probasset Judæis testimonio Joannis et Patris, nec non miraculis, se esse messiam a Deo promissum, culpat eos quod nollent

credere ; et ideo , ut confundantur, remittit ad S. Scripturas , quæ apertum de ipso habent testimonium. Ex quo sequitur , quod hæretici, qui nolunt credere Ecclesiæ , sint culpandi sicut Judæi , qui nolebant credere Christo, et ut confundantur remittendi sunt ad S. Scripturas in factis apertis. Hæc sane nihil eis prosunt , quin potius nocent.

Obj. 2° 1 Joan. 2, v. 27, dicitur : *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis : et non necesse habeas ut aliquis doceat vos , sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus , et verum est, et non est mendacium.* Ergo afflatus Spiritus sancti cuique privato est interpres S. Scripturæ , et judex controversiarum fidei.

R. N. conseq. Non enim hic loquitur S. Joannes de quæstionibus dubiis et controversis , sed de mysteriis fidei certis , quæ quilibet fidelisbet de scire, et quæ ipsi, quos alloquitur , sciebant ex Apostolis , seu ex unctione quam in baptismo et confirmatione acceperant : unde , v. 21 , dixerat : *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Neque excludit instructionem doctorum et pastorum , sed pseudoapostolorum et pseudodoctorum , de quibus , v. 18 , dixerat : *Nunc antichristi multi facti sunt ;* et v. 26, immediate præcedente eum qui objicitur : *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos :* alioquin, cur ipsemet Joannes hac prolixa Epistola instrueret fideles ? cur Christus posuisset in Ecclesia sua pastores et doctores ?

Inst. 1° Jerem. c. 31 , v. 3 et 34 , Deus , loquens de tempore legis evangelicæ, dicit : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam... Et non docebit ultra vir proximum suum , et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum ; omnes enim me cognoscent a minimo eorum usque ad maximum.* Ergo idem quod ante.

R. sensum esse, legem veterem esse scriptam in lapidibus ad terrorem; legem novam esse per gratiam scriptam in cordibus ad amorem ; est enim spiritualis et animo insculpta : omnes erunt instructi et cognoscent Dominum , vir non docebit ultra proximum ; id est. non opus erit magno labore , nec prolixa et molesta instructione externa ad persuadendam hominibus veri Dei cognitionem , sicut in veteri lege, dum prophetæ clamabant : *Cognosce Dominum* , et parum proficiebant ; dum rabbini et doctores legis mare et aridam percurrebant ut facerent unum proselytum quia in nova lege , Deus sic illuminabit mentes et movebit corda per gratiam, ut omnes facile et brevi cognoscent , ut contigit Apostolis prædicantibus, qui non tam prædicatione quam miraculis, Deo insuper intus illuminante et corda movente , plura hominum millia convertebant : unde illud Act. 2 : *Compuncti sunt corde* , et cap. 16 : *Deus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet his quæ dicebantur a Paulo.* Erunt ergo , juxta Prophetam , omnes instructi in fide veri Dei : at non propterea omnes statim intelligent omnia quæ in S. Scripturis continentur ; est enim una omnium christianorum fides , sed non est una omnium intelligentia.

Eodem collimant plura alia S. Scripturarum testimonia quæ opponunt hæretici ; hæc, v. g. quibus dicitur homines doceri a Deo , Isai. 54 et Joan. 6 ; Deum omnibus postulantibus sapientiam affluenter dare , Jacobi 1 ; oves Christi vocem ejus audire , Joan. 10; homines non debere vocari rabbi; unum esse magistrum Christum, Matth. 23.

His enim et similibus testimoniis non aliud significatur quam quod , dum pastores exterius instruunt et prædicant , Deus interiori gratia mentem illustret et cor moveat ut credamus, sine quo inutilis foret exterior prædicatio : idque longe uberius præstat in nova lege quam in veteri. At vero inde excludi ministerium exterius Ecclesiæ , prædicando , instruendo , interpretando , commentum est prorsus ridiculum ; ut quid enim ipsi Apostoli tanto zelo prædicabant , tot litteras pro instructione fidelium scripserunt ? ut quid Christus pastores et doctores in sua Ecclesia instituit , *ut jam supra dicebam ?* ut quid ipsi hæretici docent et prædicant ? Unde S. Aug. tract. 3 in Epist. Joan. « Videte, inquit, fratres, magnum sa- » cramentum : sonus verborum nostrorum » aures percutit , magister intus est. Nolite » putare quemquam aliquis discere ab ho- » mine ; admonere possumus per strepitum » vocis nostræ , si non sit intus qui doceat , » inanis fit strepitus noster... Cathedram in » cœlo habet qui corda docet : propterea ait » et ipse in Evangelio : *Nolite vobis dicere* » *magistrum in terra , unus est magister* » *vester Christus* , » qui scilicet intus doceat.

Inst. 2° 1 Thessal. 5, v. 21, dicitur : *Om-*

nia probate, quod bonum est tenete ; 1 Joan. 4, v. 1 ; *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt;* Joan. 7, v. 17: *Si quis voluerit voluntatem ejus* (scilicet Dei) *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquor ;* 1 Cor. 2, v. 15: *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Ergo quisque ex privato spiritu, maxime si sit probus et justus, potest intelligere S. Scripturas, et judicare de rebus fidei.

R. N. conseq. Ad primum et secundum. Ibi est sermo de dubia revelatione : erant enim tunc inter christianos qui, quasi prophetantes, nova tanquam revelata proferebant ; erant et pseudoprophetæ, qui falsa pro veris suggerebant. De his recte monet uterque Apostolus, omnia probare, et quod bonum est, id est sanæ et christianæ doctrinæ consentaneum, tenere. At de his quæ erant certa, et ab Ecclesia definita ac probata, ut erant quæ ipsi Apostoli docuerant, non dicit Paulus, Probate, sed, *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam.*

Ad tertium. Sensus est, quod probitas multum conducat ad cognoscendum an aliqua doctrina sit ex Deo, tum quia Deus probis et amicis copiosiores illustrationes infundit, tum quia probi et justi carent certis impedimentis cognoscendi S. Scripturam et veritates fidei, qualia sunt passiones excæcantes hominum mentes, et corda eorum depravantes : unde Christus, Joan. 5, dicebat Pharisæis : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis?* Non est autem sensus, quod quisquis privatus, hoc ipso quo est probus, possit per se intelligere omnia S. Scripturæ arcana et difficilia : quot enim rustici probi, quot fœminæ sanctæ, quibus hoc intelligentiæ donum non est concessum ! et inter SS. Patres, qui certo erant probi et justi, numquid aliqui erraverunt?

Ad quartum. Spiritualis judicat omnia, id est, non solum terrena, sed etiam cœlestia. Dixerat prius Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei* : unde cum addit, *Spiritualis autem*, id est, fide instructus *judicat omnia*, scilicet non solum terrena et naturalia, ut animalis homo, sed etiam cœlestia, seu supernaturalia fidei ; *et ipse a nemine*, qui non est spiritualis, *judicatur*, id est argui et condemnari potest, non ergo inde sequitur quod homo spiritualis, seu fidelis omnia omnino et divina et terrena possit judicare : res est evidens in exemplis mox productis ; sunt viri simplices, plebeii et rustici, sunt et mulieres ad sensum Apostoli spirituales : num isti et istæ possunt de omnibus omnino terrenis et cœlestibus, temporalibus et supernaturalibus judicare? SS. Patres fuere admodum spirituales, an non aliqui male judicarunt?

Obj. 3° Christus, Joan. 5, v. 34, dicit : *Ego autem non ab homine testimonium accipio :* atqui acciperet testimonium ab homine, si Ecclesia esset judex S. Scripturæ et controversiarum fidei : ergo.

R. Christum non accipere testimonium ab homine, quasi illo indigeat ut probet suam divinitatem et suam missionem, habebat enim testimonium Patris et miraculorum, ut ibidem dicit : accipit autem testimonium ab homine, scilicet Joanne Baptista, propter Judæos, ut sic ad fidem perducerentur ; quia testimonium Joannis Baptistæ, quem consuluerant de adventu messiæ, plurimi faciebant. Non ergo Christus hic rejicit omne testimonium humanum in controversiis fidei, ut fingunt hæretici, sed solum declarat se sui causa non indigere, nostri vero causa esse adhibendum quoties necessarium vel utile fuerit, sicut hic ipse adhibuit propter Judæos. Adde judicium Ecclesiæ non debere censeri pure humanum, cum sit ex ductu et inspiratione Spiritus sancti.

Inst. 1° Si Ecclesia judicet de S. Scriptura, erit supra S. Scripturam : *absurdum consequens.* Ergo.

R. D. maj. Si Ecclesia judicet de S. Scriptura, quoad veritatem eorum quæ S. Scriptura continet, erit supra S. Scripturam, *C.* si judicet de S. Scriptura, tantum quoad sensum ejus legitimum, *N.* Non ergo Ecclesia judicat an ea quæ continentur in S. Scriptura sint vera vel falsa ; notissimum est enim ipsi omnia esse vera ; sed judicat quis sit sensus ejus legitimus : ex quo non magis est supra S. Scripturam, quam judex interpretans legem sit supra legem aut legislatorem.

Inst. 2° Si Ecclesia sit supremus judex controversiarum fidei, dominabitur fidei nostræ : atqui hoc est contra Apostolum, 2 Cor. 1, v 23, ubi dicit : *Parcens vobis,*

non veni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri : nam fide statis. Ergo.

R. 1° *N. sequelam maj.* Neque enim Apostolus, neque Ecclesia, ex hoc quod sit supremus judex controversiarum fidei, dominantur fidei nostræ; sed sunt duntaxat instrumenta quibus Deus utitur ut ipse dominetur fidei nostræ.

R. 2° *N. min.* Non enim sensus Apostoli est, quod non velit aut non debeat dominari supra fidem Corinthiorum, sed quod, ob fidem quam ab ipso didicerant, non velit in eos usurpare dominationem in propria sua commoda, ut domini temporales : sic ergo accipe verba Apostoli : *Parcens vobis, non veni ultra Corinthum*, ne cogerer auctoritate apostolica corrigere crimina quibus quidam ex vobis sunt obstricti ; *non quia dominamur fidei vestræ*, id est, non quia, ob fidem quam vobis prædicavimus et ministerio nostro accepistis, velimus nos gerere ut dominos vestros et potestate nostra abuti in privata commoda, sed quod *adjutores* esse velimus gaudii vestri, procurando vobis consolationem per correctionem eorum qui sua malitia vos offendunt. Ita S. Anselmus apud Tirinum, et communiter interpretes. Nihil horum juvat sectarios.

Obj. 4° Ut plurimum ignoratur a fidelibus quodnam sit judicium Ecclesiæ circa res fidei : ergo Ecclesia non potest esse regula fidei.

R. judicium Ecclesiæ de his quæ omnes fideles tenentur credere explicite, ut, Deum esse trinum, esse incarnatum, animam esse immortalem, usus sacramentorum, etc., facile cognosci ex singulorum fide et praxi, quæ circa se ea produnt. Quantum ad ea quæ omnes explicite credere non tenentur, puta, hunc librum esse canonicum, possunt rescire a pastoribus.

Inst. Non constat inter catholicos cui hæc suprema auctoritas definiendi res fidei competat, an soli Romano pontifici, an episcopis sine pontifice, an soli Ecclesiæ congregatæ in conciliis, an etiam dispersæ; an sufficiat consensus tacitus episcoporum, an requiratur expressus, etc. ergo statui non potest Ecclesia tanquam judex supremus controversiarum fidei.

R. N. conseq. Quia duo constant apud catholicos, quæ sufficiunt ad substantiam quæstionis : primum, judicem controversiarum fidei non esse Scripturam sacram, neque spiritum privatum, neque principem sæcularem, sed Ecclesiam ; secundum, ipsam Ecclesiam repræsentari per summum pontificem cum majori parte episcoporum Cætera pertinent non ad substantiam, sed ad modum quæstionis ; de quibus infra.

ARTICULUS VII.

Utrum Judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis, sit infallibile ?

§ I. — *Prænotanda.*

Movetur hæc quæstio occasione libri Jansenii, episcopi Iprensis. Cum Innocentius X, constitutione quæ incipit *Cum occasione*, data tertio maii 1653, quinque famosas propositiones extractas ex libro Jansenii cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, damnasset, fautores Jansenii hanc damnationem admiserunt, dixeruntque has quinque propositiones, ut jacent, esse hæreticas, verum eas non reperiri in libro Jansenii, aut in ejus sensu non esse damnatas.

Ut hoc effugium præcluderet Alexander VII, bulla quæ incipit *Ad sacram*, data decima sexta octobris 1656, constitutionem Innocentii X confirmans et innovans, declaravit has quinque propositiones ex libro Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, esse excerptas, ac in sensu ab auctore intento damnatas. Tum, ad instantiam Ludovici XIV, formulam edidit cui tenerentur subscribere episcopi et alii, in qua expresse dicitur has quinque propositiones esse excerptas ex libro Jansenii, et in sensu ab auctore intento damnatas.

Hanc constitutionem ut eluderent Jansenistæ, confugerunt ad distinctionem facti et juris, dixeruntque Ecclesiam esse infallibilem in quæstionibus juris definiendis, at non id quæstionibus facti ; sicque persistunt in sua priori cavillatione, scilicet doctrinam propositionum damnatam, esse hæreticam, sed eam falso attribui libro Jansenii, et hoc vocant factum

Novum effugium non ita pridem excogitavit theologus Belga in opusculo cui titulus, *Via pacis* : distinguit inter sensum *Quis*, et sensum *Qualis*, Sensus *Quis*, seu grammaticalis, est naturalis et obvia significatio alicujus propositionis ; sensus *Qualis*, est qualitas sensus *Quis* : an sit verus

vel falsus, orthodoxus vel hæreticus. Concedit judicium Ecclesiæ de sensu *Qualis*, esse infallibile, non de sensu *Quis*, dicitque de facto errasse definiendo sensum *Quis* quinque propositionum esse sensum Jansenii, et illum damnando quasi esset Jansenii. Verum non advertit iste auctor Ecclesiam non posse judicare de sensu *Qualis*, nisi judicet prius de sensu *Quis*, et ipsum supponat; non enim potest dicere hanc propositionem : *Mandata Dei sunt impossibilia*, continere sensum hæreticum, nisi prius cognoscat quid significet, aut quem sensum habeat ista propositio.

Si dicas Ecclesiam posse judicare qualis sit sensus alicujus propositionis absque eo quod cognoscat quis sit ejus sensus, dicendo v. g. hanc propositionem hoc vel illo sensu intellectam esse hæreticam, tunc enim judicat qualis sit sensus et non quis sit.

R. 1° Ecclesiam non solere sic condemnare propositiones, nisi quando sunt ambiguæ, sed regulariter damnare propositionem determinate secundum suum sensum naturalem et obvium, in quo casu debet hunc sensum cognoscere : neque obstat quod possimus judicare de sensu *Qualis* totius Scripturæ sacræ, absque eo quod cognoscamus quis sit ejus sensus; disparitas est enim, quod Scriptura sacra non sit materia controversa, sed hoc ipso quo nobis constat esse Scripturam sacram, seu Dei verbum, certa fide cognoscimus omne quod in illa continetur esse verissimum. At quæ definit Ecclesia circa sensum librorum et propositionum sunt materiæ controversæ, quæ subjiciuntur ejus examini et judicio; judicium autem supponit notitiam causæ.

R. 2° Si Ecclesia sit fallibilis in judicando quis sit sensus propositionis quam condemnat, est pariter fallibilis circa sensum. *Quis* propositionum, quibus explicat quo sensu hæc propositio damnatur : non enim est magis infallibilis circa sensum *Quis* propositionum quas profert, quam circa sensum *Quis* propositionum quas interpretatur et judicat, cum sit utroque eadem ratio : sicque non teneor credere hanc propositionem hoc vel illo sensu intellectam esse hæreticam, quamvis id dicat Ecclesia; quia forte errat circa sensum *Quis* propositionum, quibus id judicat et proponit; est enim infallibilis, ut vult objiciens, circa sensum *Quis* propositionum.

Cæterum, quæstio procedit de sensu *Quis* et *Qualis* propositionum, scriptorum, librorum præsertim Jansenii : intellige sensum *Quis*, seu grammaticalem theologice sumptum, id est, in ordine ad hoc ut cognoscatur an contineat veritates fidei et morum, an eis contradicat? utrum sensus ejus libri sit sensus quinque propositionum, isque hæreticus? quod, *ut dixi*, vocant factum.

Factum autem triplex communiter distinguitur : unum personale et particulare, v. g. an Titius commiserit crimen, an sit legitime ordinatus? etc., aliud generale, quod spectat totam Ecclesiam, v. g. an canonisatus sit vere sanctus? an Benedictus XIV sit summus pontifex? an concilium Tridentinum sit œcumenicum? tertium dogmaticum seu doctrinale, an aliquis liber, aliqua epistola, aliqua propositio contineat veram vel falsam doctrinam? Sic v. g. utrum mandata Dei sint impossibilia? abstrahendo ab omni propositione verbali vel scripta, est quæstio juris et dogmatis; utrum autem hæc doctrina, hic sensus contineatur in ista propositione, in isto libro, puta Jansenii? est quæstio facti dogmatici.

Quantum ad facta particularia et personalia quæ nituntur tantum testimoniis humanis fallibilibus, neque ad regimen totius Ecclesiæ omniumque fidelium salutem pertinent, communis sententia est, Ecclesiæ judicium posse errare. Unde S. Th. Quodl. 9, a. 16, dicit : « In aliis vero sententiis, » quæ ad particularia facta pertinent, ut » cum agitur de possessionibus, vel de cri» minibus, vel de ejusmodi, possibile est » judicium Ecclesiæ errare. » Quantum ad facta generalia, totam Ecclesiam spectantia, dicemus infra. Quæstio itaque nunc est de factis dogmaticis seu doctrinalibus : utrum judicium Ecclesiæ de doctrina, seu sensu alicujus textus, seu scripti sit infallibile?

Defensores Jansenii communiter distinguunt inter textus breves et longos : fatentur judicium Ecclesiæ de sensu et doctrina brevis textus esse infallibile, et ideo admittunt quinque famosas propositiones, prout jacent, esse hæreticas et legitime damnatas; negant autem de sensu seu doctrina textus longi alicujus libri aut epistolæ, et ideo contendunt doctrinam et sensum libri Jansenii esse immunem a censura, Ecclesiamque errasse tribuendo illi sensum et doctri-

nam hæreticam; quippe qui, ut aiunt, nihil aliud continet quam puram S. Augustini doctrinam. Unde, quantum ad hoc Ecclesiæ judicium de facto Jansenii, existimant sufficere si pro eo silentium, ut vocant, respectuosum seu obsequiosum observent, absque eo quod interius credere teneantur doctrinam libri Jansenii esse hæreticam, et ut talem damnare. Hoc autem reprobavit Clem. XI, in bulla *Vineam Domini sabaoth*, data septimo Kal. augusti 1705.

Quantum ad subscriptionem Formularii Alexandri VII, rigidiores Jansenistæ tenent eam non posse fieri simpliciter, absque mendacio et perjurio; alii molliores, posse fieri simpliciter, eo prætextu quod, ut sibi fingunt, cadat super dogma quoad assensum interiorem, et super factum quoad obsequiosum silentium, præsertim post pacem Clementis IX, contra sensum obvium Formularii.

Non est itaque quæstio an liber cui titulus *Augustinus Jansenii*, sit genuinus Jansenii fœtus, an illi suppositus : hoc factum est mere personale et historicum, de quo non judicat Ecclesia, sed de sensu et doctrina hujus libri, qui sub nomine Jansenii circumfertur, sive sit illius, sive non.

Neque est quæstio utrum quinque famosæ propositiones totidem verbis contineantur in libro Jansenii, sed utrum sensus propositionum sit sensus libri.

Neque tandem quæstio est de sensu personali et interno quem habuit Jansenius scribendo hunc librum, an revera habuerit in mente sensum quem verba quibus usus est præ se ferunt : id quidem jure præsumitur, nisi velis ipsum aut ignarum fuisse qui nesciret significationem naturalem et obviam verborum, vel fallacem qui illam alio detorserit. Cæterum, id non definit Ecclesia, quæ de internis non judicat : unde, cum damnavit quinque famosas propositiones in sensu ab auctore intento, nihil aliud intellexit per sensum ab auctore intentum, quam sensum naturalem et obvium quem verba præ se ferunt, ut declaravit Innocentius XII in brevi ad episcopos Belgii, date sexto februarii 1694. Dicitur autem ab auctore intentus, quia, *ut jam dixi*, præsumitur illum intendisse si, ut supponitur, cognoverit significationem verborum et sincere locutus fuerit.

§ II. — *Resolutio quæstionis.*

Dico. Judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu de factis dogmaticis, est infallibile.

Prob. 1° iisdem S. Scripturæ testimoniis quibus probavimus infallibilitatem Ecclesiæ in quæstionibus juris seu controversiis fidei. Matth. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Ecclesiam; ibidem 28 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Joan. 14 : *Et ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis;* ibidem 16 : *Cum venerit autem ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, ibidem 21 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 1 Timoth. 3 : *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Atqui hæc subsistere non possunt si Ecclesia sit fallibilis circa sensum librorum seu facta dogmatica : ergo. *Prob min.* Pone Ecclesiam revera falli judicando librum hæreticum, puta Institutiones Calvini, continere sensum orthodoxum et doctrinam catholicam, et e contra librum catholicum, puta opera S. Augustini, continere sensum erroneum et doctrinam hæreticam, hocque judicium omnibus fidelibus proponat : fideles credent quæ legent in Institutionibus Calvini, Deum esse auctorem peccati, ipsum impellere ad peccandum, solam fidem justificare, habenti fidem nulla peccata imputari, bona opera esse inutilia, corpus Christi non esse realiter præsens in eucharistia : hæc, inquam, et plura alia impia et hæretica in his Institutionibus contenta credent catholica, et e contra quæcumque S. Augustinus propugnavit contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos, etc. credent hæretica; sicque universa Ecclesia inducetur in errorem, portæ inferi prævalebunt adversus eam, non erit amplius columna et firmamentum veritatis, Christus non erit cum ea omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Spiritus sanctus non docebit illam omnem veritatem et non manebit cum illa in sempiternum, male pascet oves et agnos, præbendo illis pascua venenata pro sanis : ergo. His S. Scripturarum testimoniis concilium V generale probabat suam auctoritatem in condemnandis Tribus Capitulis.

Si dicas quod in hac hypothesi Ecclesia non erraret circa dogma, sed circa factum, seu attributionem dogmatis tali vel tali libro, sicque portæ inferi non prævalerent contra illam :

R. Esto Ecclesiam docentem seu pastores non errare circa dogma, verissimum est tamen quod inducerent omnes fideles in errorem circa dogma ; non enim possunt cognoscere dogma nisi in facto, scilicet in libro, vel propositione quam Ecclesia approbat vel condemnat. Si ergo Ecclesia approbet Institutiones Calvini, fideles omnia quæ in illis continentur acceptabunt ut catholica. Quod si forte quidam doctores privati reclament, et dicant Ecclesiam in hoc judicio errasse, ab omnibus fidelibus reputabuntur tanquam schismatici, temerarii et rebelles solemni Ecclesiæ judicio. Non ergo sufficit ad servandum fidei depositum, et ad officium pastoris et doctoris, quod Ecclesia docens intendat asserere veritatem aut proscribere errorem, sed hæc veritas et hic error reperiri debent in his locis quæ Ecclesia indicat; alias male instrueret et male pasceret fideles, qui sensum interiorem pastorum seu Ecclesiæ docentis penetrare non possunt.

Totum hoc pluribus in locis innuit Apostolus. Ephes. 5 : *Nemo vos seducat inanibus verbis.* 1 Timoth. 6 : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* 2 Timoth. 1 : *Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti in fide... bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis;* ibid. 2 : *Profana autem et vaniloquia devita ; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* His omnibus aperte significat Apostolus depositum fidei perdi, et errorem atque hæresim induci libris, sermonibus et verbis, hoc est factis dogmaticis. Unde Auctor 22, q. 11, a. 2, ad 2: « Per verba, » inquit, quæ quis loquitur suam fidem » profitetur ; est enim confessio actus fidei : » et ideo, si sit inordinata locutio circa ea » quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corrup» tio fidei. »

Confirmatur 1° Dogma proponendum fidelibus est inseparabile a facto, et ita cum eo connexum ut dogma non possit proponi infallibiliter quin factum eadem infallibilitate proponatur : atqui Ecclesia est infallibilis in proponendo dogmate: ergo et in facto dogmatico proponendo. *Min. constat* ex antecedentibus. *Prob. maj.* Quamvis dogma possit mente perpendi et examinari sine facto, non potest tamen proponi fidelibus sive vitandum sive tenendum, absque facto, id est, absque textu propositionis aut libri : quod si sit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, quia forte erat. Ergo.

Confirmatur 2° Christus nunquam deest suæ Ecclesiæ in his quæ sunt necessaria ad depositum fidei custodiendum et ad communem fidelium salutem ; id constat ex ipsius promissionibus, de quibus supra : atqui ad depositum fidei servandum et ad communem fidelium salutem necesse est, ut veram, vel saltem doctrinam in libris expressam, pascua sana et venenata infallibiliter discernere possit, atque controversias quotidie emergentes de sensu librorum supremo judicio componere, *ut ex se et ex jam dictis patet.* Ergo.

Prob. 2° ex usu constanti Ecclesiæ, 1° Concilium nicænum, lib. in Epistola synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, apud Socratem lib. 1, c. 9, dicit : « Placuit concilium communibus suffragiis anathema de» nuntiare et ipsi (Ario) et nefariæ ejus pro» positioni, et verbis sententiisque execra» bilibus quibus usus est ad Filium Dei » blasphemiis onerandum. »

2° Sensum obscurum et involutum libri Pelagii deprehendit et damnavit Ecclesia, ut testatur Innocentius I, lib. Epist. inter Augustinianas 183. « Librum, inquit, qui » ejus esse diceretur evolvimus, in quo mul» ta contra Dei gratiam legimus esse cons» cripta, multa blasphema, nihil quod pla» ceret, et nihil pene quod non penitus dis» pli ceret a quovis damnandum atque cal» candum... Anathematizet ergo ista quæ » sentit, etc. » Innocentii autem judicio acquieverent ducenti quatuordecim episcopi in concilio Africano anno 417, et alii per orbem dispersi.

3° Concilium Chalcedonense, act. 4, declarat hæreticum quicumque non diceret anathema Eutycheti, et act. 8 dixerat Theodoretum esse hæreticum et foras ejiciendum, eo quod post plures instantias nollet simpliciter et sine explicatione dicere anathema Nestorio, quod tamen tandem præstitit. Hoc factum ad rem præsentem omnino pertinens late discussum et vindicatum adver-

sus cavillationes novatorum, require in tractatu de Incarnatione, digress. 2 ad dissert. 4, sect. 5.

4° Concilium V generale, Constantinopolit. 2, act. 8, damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni, vulgo Tria Capitula; imo ad hoc unum et ad damnationem scriptorum Origenis fuit congregatum : neque solum damnavit hæc Tria Capitula ut Nestoriana, sed anathematizavit quicumque ea defenderet, aut excusaret, aut non condemnaret.

5° Concilium Lateranense IV declarat hæreticum qui probaret aut defenderet doctrinam abbatis Joachim in suo libello de Trinitate. Aliud prius concilium Lateranense, sub Martino I, anno 649, can. 18, sic definit : « Si quis secundum sanctos Pa» tres consonanter nobiscum eadem cre» dens, non respuit et anathematizat *anima* » *et ore* omnes quos respuit et anathemati» zat, nefandissimos hæreticos cum omnibus » impiis eorum scriptis, *usque ad unum* » *apicem*, sancta Dei catholica et aposto» lica Ecclesia, hoc est sanctæ et univer» sales quinque synodi..... sit condem» natus. »

6° Concilium Constantiense, sess. ultima, præcribit formulam qua interrogari debeant qui suspecti sunt errorum Wicleffi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga, sic : « Utrum credant quod condemnationes » Joannis Wicleffi, Joannis Hus et Hiero» nymi de Praga, factæ de personis eorum, » libris et documentis per sacrum generale » concilium Constantiense, fuerint rite et » juste factæ et a quolibet catholico pro ta» libus tenendæ et firmiter asserendæ? item, » utrum credant, teneant, asserant Joan» nem Wicleffum de Anglia, Joannem Hus » de Bohemia, et Hieronymum de Praga » fuisse hæreticos, et pro hæreticis nomi» nandos ac deputandos, et libros et doctri» nas eorum fuisse et esse perversas, prop» ter quos et quas et eorum pertinacias per » sacrum concilium Constantiense pro hæ» reticis sunt condemnati? » Nec obstat quod non solum de libris et de doctrina pronuntiet, sed etiam de personis, circa quas tamen potest errare : neque enim circa personas, attento sensu obvio scriptorum illorum, errare potest. Quantum autem ad sensum internum, se hæreticos notorie sua pertinacia prodiderant : unde de personis sub utraque ratione pronuntiare poterat. Denique concilium Trid. sess. 22, can. 6, definit : « Si quis dixerit canonem missæ con» tinere errores, ideoque abrogandum esse, » anathema sit. »

In his omnibus agitur, *ut patet*, de sensu librorum et auctorum, seu de factis dogmaticis, atque in iis definiendis Ecclesia agnoscit suam auctoritatem infallibilem; alioquin quomodo posset declarare hæreticos et anathematizare eos qui judicio incerto et fallibili non acquiescerent? Si vero Ecclesia se in his exhibet infallibilem, ita est indubie; alias erráret in dogmate.

Ad hæc nihil habent quod respondeant Jansenistæ, nisi quod ista facta dogmatica erant clara et aperta, de quibus nulla erat controversia; factum autem Jansenii est obscurum, involutum et valde controversum.

At 1° quibus ista persuadeant non video, nisi forte stipitibus aut mulierculis; nemini enim qui e limine salutavit historiam ecclesiasticam aut theologiam positivam non notum est quot controversiæ, quot dissidia, quot strages occasione istorum factorum Ecclesiam turbaverint; quot episcopi aliunde orthodoxi, vel ex obscuritate factorum, vel ex præjudiciis, vel ex nimia propensione in auctores, ab eorum parte steterint, et ideo ab Ecclesia sint male habiti. 2° Si, hoc ipso quo factum dogmaticum aliquibus videtur obscurum et ab eis in controversiam vocatur, Ecclesia sit in eo definiendo fallibilis, liceatque ejus judicia in dubium et ad examen revocare, nihil erit fixum in Ecclesia, omnes hæreses reviviscent et nulla poterit efficaciter comprimi; nulla est enim aut fuit quæ non habuerit aut habeat suos fautores, et quod uni videtur clarum alteri apparet obscurum. 3° Si infallibilitas in definiendis factis dogmaticis sit Ecclesiæ necessaria, *ut mox probavimus*, longe magis urget hæc necessitas in obscuris quam in claris; ista enim sese produnt, non illa.

Prob. 3° *ratione.* Ecclesia est infallibilis in definiendo quis sit sensus S. Scripturæ et traditionis : ergo et in definiendo quis sit sensus alicujus libri vel propositionis theologice sumptus. *Ant. admittitur ab adversariis et constat.* Hoc ipso enim quo Ecclesia definit infallibiliter nostram Vulgatam esse authenticam seu conformem suo autographo, debet judicare infallibiliter quis

sit ejus sensus et eum esse conformem suo autographo. Aliunde, si Ecclesia errare posset in explicando sensu S. Scripturæ vel traditionis, tota corrueret religio, in S. Scriptura et traditione fundata. *Prob. conseq.* Hoc ipso quo quis cognoscit infallibiliter quis sit sensus alicujus propositionis aut libri, cognoscit eadem infallibilitate quis sit sensus cujuscumque propositionis ipsis conformis aut ipsi contrarius, ubicumque reperiatur : sic, qui cognoscit infallibiliter quis sit sensus hujus propositionis : *Mandata Dei sunt possibilia*, cognoscit eadem infallibilitate quis sit sensus hujus propositionis conformis : *Homo potest implere Dei mandata*, et istius oppositæ : *Mandata sunt Dei impossibilia*. Ergo, si Ecclesia sit infallibilis in definiendo quis sit sensus Scripturæ sacræ et traditionis, est infallibilis in definiendo quis sit sensus cujuscumque propositionis aut libri. *Prob. ant.* Sensus cujuscumque propositionis habet relationem ad quemlibet alium sensum sibi conformem aut sibi oppositum, sique cognitio illius importat duo extrema, scilicet conformitatis vel oppositionis super quæ cadit : relativorum enim eadem est cognitio : ergo hoc ipso, etc.

Confirmatur. Ad eamdem scientiam juris pertinet cognoscere non solum quis sit sensus legum, sed etiam quis sit auctorum interpretantium leges; alias cognoscere non posset an interpretatio sit conformis vel contraria legi : ergo similiter ad eamdem infallibilem Ecclesiæ cognitionem pertinet cognoscere non solum quis sit sensus S. Scripturæ et traditionis, sed etiam quis sit sensus auctorum interpretantium S. Scripturam et traditionem; alias non posset judicare an interpretatio sit conformis vel contrariam S. Scripturæ et traditioni.

Prob. 4° *ab inconvenientibus.* Si Ecclesia sit fallibilis in definiendo quis sit sensus scriptorum, seu in factis dogmaticis definiendis, *sequitur* 1° quod nutet traditio adeoque authenticitas S. Scripturæ in traditione fundata. *Prob. sequela.* Quia traditio non habetur nisi ex scriptis conciliorum et SS. Patrum : ergo, si Ecclesia errare possit in definiendo quis sit sensus illorum scriptorum, nutat traditio in eo fundata. *Explicatur amplius.* Quamvis jus sit Scripturam sacram et traditionem esse verbum Dei, et omnes veritates in eis revelatas esse fide tenendas, est tamen factum dogmaticum, quod nostra Vulgata contineat verbum Dei, quod sensus ejus sit conformis sensui autographi, quod sensus SS. Patrum sit talis vel talis, quod conspirent ad formandam traditionem, quod canones conciliorum, puta Nicæni aut Tridentini, contineant dogmata catholica : hæc, inquam, sunt facta dogmatica, in quibus definiendis si errare possit Ecclesia, corruit tota religio.

Sequitur 2° quod nullus hæreticus, nullus liber quantumvis perniciosus, possit convinci hæreseos et ut talis damnari : dicent enim omnes hæretici, Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Lutherani, Calvinistæ, exemplo Jansenistarum, se omnes hæreses abhorrere, se nihil nisi S. Scripturæ consentaneum scripsisse; quod si Ecclesia aliter eorum libros intellexerit, sit quæstio facti, in quo est fallibilis : sicque resurgent omnes hæreses antiquæ, novæ suscitabuntur, absque eo quod Ecclesia possit illis occurrere efficaciter.

Sequitur 3° quod Ecclesia sit etiam fallibilis in jure; quando enim Ecclesia condemnat aliquam propositionem ut hæreticam, eam damnat in sensu obvio : si ergo Ecclesia erret et non intelligat quis sit sensus obvius, sed alium pro obvio apprehendat, propositio damnata ut hæretica erit catholica in sensu obvio, adeoque damnata ab Ecclesia in sensu catholico.

Prob. 5° *argumento ad hominem.* Admittitis, Jansenistæ, quinque famosas propositiones esse recte damnatas et hæreticas, atque Ecclesiam in his damnandis esse infallibilem : atqui hoc est factum dogmaticum, non secus ac quod textus libri Jansenii sit hæreticus; estque hoc primum factum difficilius resolvendum et minus periculosum quam secundum : ergo. *Prob. min.* 1° Quod sit factum, *patet;* sicut enim est quæstio facti, utrum textus libri Jansenii contineat dogma hæreticum, ita quæstio facti est, utrum textus unius propositionis contineat idem vel simile dogma. Nulla disparitas adferri potest. 2° Quod sit difficilius resolvendum, quia in textu longiori totius libri potest dignosci sensus ex antecedentibus et consequentibus, ex titulo, ex forma procedendi et toto discursu; hæc autem non reperiuntur in brevi textu unius propositionis. 3° Quod sit minus periculo-

sum, quia in simplici propositione nuda et brevi nihil invenitur quod alliciat et incitet ad sui sequelam, sicut allicit liber per annotationes, suppositiones, principia, probationes, refutationes, varios et gratos dicendi modos, per male explicatos aut truncatos aut intrusos S. Scripturæ, Patrum et conciliorum textus, et similia, quæ omnia, juncta cum fama et celebri auctoris nomine, lectores facile et insensibiliter inescant, ac tandem in suas partes attrahunt.

Confirmatur. Secundum vos, Ecclesia infallibiliter approbavit textum S. Augustini, quidni infallibiliter damnavit textum Jansenii, cum textus S. Augustini sit fusior et obscurior textu Jansenii, quippe qui, ut prætenditis, est explicatio S. Augustini?

§ III. — *Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiæ, nisi in rebus fidei: atqui factum dogmaticum, v. g. quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei: ergo. *Prob. min.* Nihil est fidei quod non sit revelatum: atqui non est revelatum quod liber Jansenii contineat errores: ergo.

Huic argumento, quod magni faciunt et quo pro ense et clypeo utantur Jansenistæ, *duplex est responsio,* quarum alterutra ad frangendum eorum contumaciam sufficit.

Prima responsio negat majorem, quæ omnino gratis et absque ullo S. Scripturæ aut traditionis testimonio asseritur; quin potius contrarium constat ex *probationibus conclusionis.* Est enim necessaria hæc infallibilitas in factis dogmaticis, etiamsi non sint fidei nec revelata, ut portæ inferi non prævaleant adversus Ecclesiam, ut Ecclesia permaneat columna et firmamentum veritatis, ut depositum fidei custodiat, bene pascat oves et omnium fidelium saluti provideat: Christus autem non deficit in necessariis suæ Ecclesiæ, cui promisit adesse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, et eam docere omnem veritatem. Hæc itaque infallibilitas, juxta præsentem responsionem, non ex revelatione, sed ex speciali asistentia Spiritus sancti habetur: enimvero contendunt Jansenistæ Ecclesiam judicio infallibili pronuntiassse opera S. Augustini contra Pelagianos et Semipelagianos continere doctrinam catholicam: estne magis revelatum istud factum quam factum Jansenii?

Inst. 1° Si factum Jansenii non sit revelatum, non est credendum fide divina, sed humana tantum: atqui quod creditur fide humana tantum est incertum et errori obnoxium: ergo.

R. factum Jansenii, juxta datam responsionem, non esse credendum neque fide divina neque mere humana, sed fide ecclesiastica, quæ est quasi media inter divinam et humanam, sed firmissima et certissima, utpote innixa speciali assistentiæ Spiritus sancti, et inde infallibilitati Ecclesiæ in his rebus. *Neque dicas* hanc assistentiam esse ipsam revelationem; aliud enim est alicui revelare veritates, aliud auxiliari et adesse ne a veritatibus revelatis deviet: *patet* in definitionibus conciliorum, quibus non fiunt novæ revelationes, alioquin Patres forent scriptores sacri et definitiones eorum forent Scriptura sacra, sed quibus assistit Spiritus sanctus ne errent.

Inst. 2° Quidquid definitur in conciliis, excepta sola fide, retractari potest: ergo, si factum Jansenii non sit fidei, judicium Ecclesiæ circa illud non est infallibile. *Prob. ant.* S. Leo, Epist. ad Maximum Antiochenum, de concilio Chalcedonensi loquens, dicit: « Si quid sane ab his fratribus quos ad synodum vice mea misi, » præter id quod ad causam fidei pertinebat » gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis..... Quidquid enim præter » speciales causas synodalium conciliorum » ad examen episcopale defertur, potest ali- » quam adjudicandi habere rationem. » Quæ verba referens Pelagius II, Epist. ad episcopos Istriæ, addit: « Aperte nobis li- » centia tribuitur, ut quidquid illic (in con- » cilio Chalcedonensi) extra fidei causas de » personis gestum est retractetur; specialis » quippe synodalium conciliorum causa est » fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, » Leone docente, ostenditur, quia nihil ob- » stat si ad judicium revocetur. » Et infra de Epistola Ibæ, quæ est factum dogmaticum, dicit: « Licenter unusquisque eam » reprehenderet, etiamsi episcopi in eodem » concilio residentes suis illam subscriptio- » nibus approbassent. Ergo. »

R. T. ant. Quidquid, excepta fide, definitur in conciliis solutis et a summo pontifice non confirmatis, retractari potest, *C.* in conciliis subsistentibus et a summo pontifice confirmatis, *N.* Concilium autem

Chalcedonense, de quo loquuntur summi pontifices, fuit absolutum act. 6, antequam ageretur de Tribus Capitulis, et non nisi quoad damnationem Eutychianismi fuit a S. Leone confirmatum, *ut probabimus* infra dum specialiter de Tribus Capitulis dicemus.

Inferes. Ergo qui negant factum Jansenii non sunt hæretici.

R. ita quibusdam videri, qui censent eos duntaxat temerarios, inobedientes, rebelles et excommunicatos. Possent tamen dici hæretici, non præcise quia negant factum Jansenii, quod juxta hanc responsionem non est revelatum, sed quia illud negando negant infallibilitatem Ecclesiæ in his definiendis, quæ infallibilitas videtur revelatá et de fide : de quo infra.

Secunda responsio, omissa maj. negat min. Ad probat. Quidam *negant min. juxta tertiam probationem ;* quia, cum sensus S. Scripturæ et traditionis sit revelatus, sensus cujusque libri aut propositionis ipsi conformis vel oppositus est etiam revelatus, quia est eadem relativorum cognitio, *ut dictum est.*

Alii distinguunt eamdem min. sic. Factum Jansenii non est revelatum immediate, *C.* mediate, *N. Solutio explicabitur responsione.*

Subsumes. Atqui quod est tantum mediate revelatum non est objectum assensus fidei, sed theologiæ, *ut diximus* in prima parte. Ergo.

R. D. subsumptum. Quod est tantum mediate revelatum, ut effectus in causa, vel proprietas in essentia, non est objectum fidei, sed theologiæ, *transeat ;* quod est tantum mediate revelatum, ut pars in toto, *N.* Itaque veritas a Deo revelatur dupliciter : 1° immediate in se in particulari, ut hæc : *Deus est trinus, Christus est homo*, 2° mediate in alio, et hoc iterum dupliciter : vel ut effectus in causa, seu proprietas in essentia, ut hæc, v. g. *Christus est risibilis*, revelata est in hac, *Christus est homo*, ut in sua causa; vel ut pars in suo toto, ut hæc, *David peccavit in Adam*, revelata est in hac universali ut pars in toto, *Omnes in Adam peccaverunt. Esto* ea quæ revelatur ut effectus in causa non sint objectum fidei, sed assensus duntaxat theologici, quia effectus continetur tantum virtualiter in causa; quæ tamen revelantur ut partes in toto sunt objectum fidei, quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium quæ in illa formaliter continentur ; in tantum enim propositio universalis est vera in quantum propositiones particulares quas continet sunt veræ : unde, eo ipso quo revelatur formaliter propositio universalis, revelantur etiam formaliter propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est universaliter omnem textum, omnem propositionem, omnem librum ab Ecclesia damnatum, esse vere damnabilem, id namque comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiæ revelata : ergo et hunc textum hujus propositionis, puta Jansenii.

Dixi, *transeat subsumptum*, quia quidam volunt quod, hoc ipso quo aliqua veritas deduci potest ex articulo revelato, etiamsi ut effectus ex causa, ut quod Christus sit risibilis ex hoc quod sit homo, si de facto deducatur per infallibilem Ecclesiæ declarationem, censeatur sufficienter revelatum ut sit de fide; quia Ecclesiæ declaratio est locutionis et revelationis divinæ quædam extensio et complementum : unde est fidei, non quia est virtualiter revelata et vi discursus naturalis deducta, sic enim est objectum theologiæ tantum, sed quia ab Ecclesia infallibili est declarata et ab illo articulo in quo latebat educta, eo fere modo, inquiunt, quo sexta synodus definivit contra Monothelitas esse duas in Christo voluntates, quia sunt duæ naturæ, quod foret fidei etiamsi duæ voluntates non essent formaliter expressæ in S. Scripturis.

Inst. Dato quos sit de fide omnem textum ab Ecclesia damnatum esse damnabilem, non tamen est de fide hunc textum Jansenii damnatum ab Ecclesia esse damnabilem : ergo. *Prob. ant.* Veritas hujus propositionis particularis. *Hic textus Jansenii est damnabilis*, non cognoscitur nisi mediante hoc discursu humano : *Omnis textus ab Ecclesia damnatus est vere damnabilis ; atqui textus Jansenii est ab Ecclesia damnatus : ergo textus Jansenii est vere damnabilis.* Atqui cognitio seu assensus veritatis quæ innititur discursui humano non est fidei : ergo. Insuper *minor* hujus syllogismi non est de fide : ergo nec *conclusio*,

quæ, juxta regulas dialectices, sequitur debiliorem partem.

R. N. ant. Ad primam prob. D. min. Assensus veritatis quæ innititur discursui humano ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, *C.* at causæ applicanti motivum assentiendi seu ipsam revelationem, *N.* Non repugnat ergo cognitioni seu assensui fidei quod supponat aliquem discursum non tanquam motivum propter quod præbeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicetur huic particulari subjecto; *ut patet* in hac propositione, *David peccavit in Adam*, quæ, licet sit fidei, indiget tamen, ut credatur, hoc discursu: *Omnes posteri Adami in ipso peccaverunt: atqui David est ex posteris Adami: ergo David in Adamo peccavit.* Iste discursus non est causa seu motivum propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis. *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subjecto, scilicet Davidi; et ista revelatio est motivum cur credam Davidem peccasse in Adam; ita in nostro casu.

Ad secundam probat. N. hanc regulam dialectices habere locum in discursu mere applicativo; quia propositio universalis quæ ponitur in *majori* non est causa propositionis particularis quæ ponitur in *conclusione*; cum, *ut dictum est*, propositio universalis nihil aliud sit quam omnes propositiones particulares: *minor* autem naturalis hæc: *atqui textus Jansenii est damnatus ab Ecclesia*, est tantum explicatio *majoris* universalis et ejus applicatio ad hoc determinatum subjectum: unde, si propositio universalis sit de fide, non obstante *minori* naturali, *conclusio* particularis in *majori* contenta, ut pars in toto, erit etiam de fide.

Repones. In hoc syllogismo: *Omnis hostia rite consecrata est adoranda: atqui hæc hostia est rite consecrata: ergo est adoranda*, quamvis *conclusio* contineatur in *majori* de fide, ut pars in toto, non est tamen de fide propter *minorem* naturalem: ergo similiter in casu nostro.

R. N. conseq. Quia, ut aliqua propositio particularis contenta in universali de fide, sit quoad nos de fide, debet nobis certo constare eam contineri in universali de fide: certo autem nobis constat per solemne Ecclesiæ judicium, textum Jansenii esse ab ea damnatum; at non ita constat hanc hostiam esse rite consecratam: si tamen nulla sit ratio dubitandi quin sit consecrata, potest adorari, quia ad hoc sufficit judicium prudentiale seu practice verum.

Urgebis. Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei: atqui factum Jansenii non continetur in verbo Dei: ergo. Item, Ecclesia non habet novas revelationes, nec articuli fidei successione temporum crescunt: atqui hæc duo videntur admittenda, si factum Jansenii sit revelatum et fidei divinæ. Ergo.

R. harum instantiarum solutiones fluere ex dictis. Ad primum, D. min. Factum Jansenii non continetur in verbo Dei explicite et immediate. *C.* implicite et mediate, *N.* Continetur enim in hac universali propositione revelata: *Omnis textus ab Ecclesia damnatus, est damnabilis. Ad secundum.* Hæc revelatio universalis mox dicta non est nova, sed fuit ab initio; consequenter damnatio textus Jansenii non est novus articulus fidei, sed explicatio et applicatio revelationis universalis ad particulare et determinatum subjectum: sicut, cum nascitur homo, est de fide quod peccaverit in Adam, non est tamen nova revelatio neque novus articulus fidei, sed explicatio tantum et applicatio hujus revelationis universalis, *Omnes peccaverunt in Adam*, ad particulare et determinatum subjectum. Confer. dicenda art. ultimo seq. diss.

Insistes. Tria capitula evant facta dogmatica: atqui non pertinebant ad fidem: ergo. *Prob. min.* ex S. Leone et Pelagio II, citatis in prima *instantia prioris responsionis.* Item Pelagius I, Epist. ad Childebertum Francorum regem, dicit quæstionem Trium Capitulorum *esse extra fidem.* Pelagius II, altera Epistola ad episcopos Istriæ, vocat quæstiones de Tribus Capitulis superfluas: et S. Gregorius, Epist. ad Constantium Mediolanensem, loquens de Tribus Capitulis, ait, *pro nulla re scissuram factam esse.* Ergo.

Pro solutione hujus et sequentis instantiæ, consulenda sunt quæ infra dicemus de causa Trium Capitulorum. His nunc suppositis,

R. D. maj. Tria Capitula erant facta dogmatica ex aliqua parte, *C.* ex omni parte, *N.* Utrum scripta Theodoreti et Ibæ continerent hæresim Nestorianam, erat factum dogmaticum; utrum vero Theodorus posset post mortem anathematizari in quinto con-

cilio, et expediret damnare scripta Theoreti et Ibæ, sub eorum nominibus, de quibus maxime fervebat disputatio, non erat factum dogmaticum, sed privatum et personale. Igitur de Tribus Capitulis et hac parte consideratis loquuntur pontifices in *Instantia*. Insuper, occasione Trium Capitulorum motæ sunt variæ aliæ quæstiones quas Pelagius II potuit vocare superfluas; item, et quia de rebus ab Ecclesia definitis superfluum est disputare, cum tunc non disputatio sed obedientia requiratur.

Persistes. S. Gregorius, Epistola ad episcopos Hiberniæ, loquens de quinta synodo, in qua Tria Capitula fuerant condemnata, dicit « nihil de fide convulsum esse vel ali» quatenus immutatum, sed de quibusdam » solummodo personis esse actitatum » : et Pelagius II, Epist. ad episcopos Istriæ, loquens de his quæ in eadem quinta synodo peracta fuerant, dicit: *Nihil nunc nisi de personis agitur*. Atqui constat in ea quinta synodo actum fuisse de sensu librorum Theodori, Theodoreti et Ibæ : ergo hujusmodi facta sunt pure personalia et ad fidem non pertinent.

R. vere dixisse S. Gregorium nihil de fide convulsum fuisse in quinta synodo, quia illæsa mansit auctoritas concilii Chalcedonensis pro qua pugnabant Occidentales : at non dixit nec dicere potuit nihil in ea de fide actum fuisse, siquidem decem prima capita contineant anathematismos contra varias hæreses. Dixerunt ergo. SS. pontifices actum esse tantummodo in hoc concilio de personis, 1° quia nulla facta est nova definitio fidei, sed priores tantum fuerunt confirmatæ; 2° quia quæstio præcipue mota erat de personis Theodori, Theodoreti et Ibæ : utrum scilicet Theodorus, in pace Ecclesiæ defunctus, posset anathematizari, et scripta Theodoreti et Ibæ, quos orthodoxos agnoverat concilium Chalcedonense, deberent damnari, eorum nominibus appellatis : ita ut de sensu scriptorum seu Trium Capitulorum (quod erat factum dogmaticum ad fidem pertinens) vix disputaretur nisi respective ad personas : utrum, ut mox dicebam, deberent damnari sub eorum nominibus; pauci enim admodum Occidentales defendebant sensum obvium scriptorum. Ad hæc igitur recipientes SS. pontifices, dixerunt illic actum fuisse de personis tantum.

Itaque, juxta hanc *secundam responsionem*, factum Jansenii est credendum fide divina, et censendi sunt hæretici qui illud negant, non solum quia inde convincuntur negare infallibilitatem Ecclesiæ, sed etiam quia istud factum est revelatum, sicut revelatum est quinque famosas propositiones continere hæreses, Institutiones Calvini esse hæreticas, canones concilii Tridentini asserere dogmata fidei, textum Vulgatæ esse conformem suo autographo et continere verbum Dei, quis sit sensus Patrum conspirans ad fundandam traditionem : sicut, inquam, hæc sunt fide divina credenda, et hæreticus foret qui ea negaret, ita qui factum Jansenii negat. Atque eo titulo Theodoretus fuit a concilio Chalcedonensi declaratus hæreticus, quia, post plures expostulationes, nolebat dicere sine explicatione anathema Nestorio.

Cæterum, juxta *utramque responsionem*, constat non sufficere silentium obsequiosum erga factum Jansenii, sed assensu interiori fidei sive divinæ sive ecclesiasticæ esse credendum, atque Formulario Alexandri VII absque exceptione, limitatione aut explicatione esse subscribendum, ut declaravit Clemens XI, bulla *Vineam Domini sabaoth;* eosque esse perjuros qui sine isto assensu interiori dictæ Formulæ simpliciter subscribunt.

Obj. 2° Ecclesia non potest judicare quis sit sensus alicujus libri, nisi dependenter a regulis grammatices: atqui Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem. Ergo.

R. Omissa maj. D. min. Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem simpliciter et absolute, *C. min.* in quantum necesse est ut non erret circa sensum librorum theologice sumptum, *N.* Quia Deus providens de aliquo fine, providet de requisitis ad illum : sic, v. g. quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei regula, puta concilio œcumenico, errare etiam non potest in agnoscendo pro baptizatis, sacerdotibus et episcopis, eos qui illud componunt : unde Ecclesia in casu non dependet a regulis grammatices, sed de eis judicat ex speciali assistentia Spiritus sancti : et partim propter hanc rationem potest *negari major*, partim quamvis aliqua propositio impingeret in regulas grammatices, puta hæc: *Mandata Dei sunt impossibiles*, posset nihilominus Ecclesia judicare quis sit ejus sensus

theologice sumptus, an significet dogma conforme vel contrarium fidei? et ideo *omisi majorem*.

Obj. 3° Sexta synodus generalis erravit circa sensum epistolarum Honorii, damnando illum ut hæreticum : et ita docent Bellarminus et Baronius. Ergo.

R. N. ant. Non enim Honorius fuit condemnatus in ea synodo ut hæreticus sententia, sed ut fautor hæreseos, de quo latissime vide tract. de Incarnat. digress. hist. ad dissert. 18, sect. 4.

Quantum ad Bellarminum et Baronium, 1° hoc dixerunt obiter, non discussa ex professo præsenti quæstione, quæ tunc non ventilabatur, præsertim cum ipsi doceant Ecclesiam esse infallibilem in aliis factis non revelatis, ut in canonisatione sanctorum. 2° Errorem circa sensum epistolarum Honorii non tribuunt toti concilio, sed Græcis tantum. 3° Non respexerunt factum Honorii ut dogmaticum, sed ut personale et criminale; agebatur enim in concilio de persona Honorii, an declarandus esset hæreticus ex sensu epistolarum; non autem an iste sensus contineret dogma toti Ecclesiæ proponendum ut fugiendum vel tenendum; non enim monothelismus fuit damnatus in sensu Honorii. 4° Denique, quæcumque fuerit in hoc sententia eminentissimorum scriptorum, nihil nos cogit ut contra in victissimas probationes nostras illi adhæreamus, non enim fuerunt infallibiles ; et sicut objicientes, qui adeo illorum auctoritatem in hac parte extollunt, ab illis in multis aliis doctrinæ capitibus discedunt, fas quoque nobis erit ab hac eorum sententia, si erronea fuerit, discedere.

Obj. 4° Ecclesia in pluribus casibus retractavit suum judicium de factis dogmaticis, seu sensu librorum et propositionum : ergo non est irreformabile. *Prob. ant.* 1° In concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum reprobavit vocem ὁμούσιον. approbavit in concilio Nicæno contra Arium. 2° Hæc vox *Christipara* ante concilium Ephesinum erat catholica, post concilium fuit suspecta hæreseos. 3° Hanc propositionem, *Una est in Christo natura incarnata*, approbavit Ecclesia in S. Cyrillo, damnavit in Eutychianis. 4° Hormisdas papa hanc propositionem, *Unus de Trinitate crucifixus est*, ut Eutychianam rejecit in monachis Scythis, eam probavit Joannes II. 5° Julius papa et concilium Sardicense approbaverunt librum Marcelli Ancyrani (d'Angoury), quem postea S. Basilius, Chrysostomus et tota Ecclesia rebrobaverunt ut hæreticum. 6° Zozimus papa agnovit catholicum librum Cœlesti prius damnatum in concilio Carthaginensi et quem ipse postea damnavit. Ergo. De Tribus Capitulis dicam specialiter § sequenti.

R. N. ant. Ad primum, secundum et tertium, D. Ecclesia unam et eamdem propositionem materialiter sumptam et secundum diversum sensum damnat et approbat, *C.* eamdem propositionem formaliter et secundum eumdem sensum, *N.* Itaque una et eadem vox seu propositio naturalis, respective ad circumstantias, conditionem et eventum suorum auctorum, potest habere diversos sensus etiam obvios quorum unus sit orthodoxus, alter hæreticus : unde, absque retractatione et fallibilitatis labe, approbat eam secundum sensum orthodoxum, reprobat secundum sensum hæreticum. Sic damnavit ὁμούσιον in sensu Sabellii et Pauli Samosateni qui fingebant aliquam divisionem in natura divina, sicut in humanis filius natura divisus a patre dicitur ejusdem substantiæ cum illo : approbavit contra Arianos qui negabant esse ejusdem individuæ naturæ cum Patre, sed ipsi inferiorem. Vocem *Christipara* sensu Nestocii qui negabat in Christo unionem hypostaticam reprobavit; at, exclusa omni suspicione hæresis Nestorianæ, sensu catholico probatur. Approbavit in S. Cyrillo, hanc propositionem, *Una est in Christo natura incarnata*, quia sola divinitas assumpsit naturam humanam, quod intelligebat S. Cyrillus; reprobavit in Eutychianis qui inde volebant probare naturarum confusionem.

Ad quartum. Hormisdas nunquam judicio publico damnavit ut hæreticam hanc propositionem, *Unus de Trinitate crucifixus est*, sed eam rejecit et cohibuit ut intempestivam, inutilem, inquietam et multorum dissensionum causam ; quippe quam monachi Scythæ proprio judicio et tanta pertinacia tuebantur, ut Nestorianismi reos accusarent quotquot huic propositioni subscribere renuebant. Cum autem postea Joannes II cognovit eam catholico sensu intelligi a Græcis, approbavit.

Ad quintum, *N.* librum Marcelli Ancyrani præcise ut in se erat fuisse hære icum

et ut talem ab universa Dei Ecclesia damnatum, ut late probat noster Natalis Alexander sæculo 4, dissert. 29. Verum est quidem aliquos Patres hunc librum damnasse, sed ipsos probat deceptos fuisse ob distantiam locorum aut temporum, eisque opponit judicium Julii papæ et concilii Sardicensis. Insuper dici potest quod liber Marcelli, dum fuit a concilio Sardicensi et Julio papa approbatus, nihil fidei contrarium contineret, quia articulos de quibus arguebatur non proponebat assertive, sed disputative tantum et per modum quæstionis resolvendæ, ut testantur Patres synodi Sardicensis; postea vero quæ nude proposuerat in aliis operibus asseruit : unde, fraude detecta, merito prior liber fuit damnatus a pluribus Patribus, non præcise ut in se continebatur, sed respective ad errores posteriores assertos : propositio enim quæ secundum se est vera, ut prolata ab hæretico potest esse falsa; sic ista propositio, *Pater major me est*, in ore Christi erat verissima, in ore Arii falsa et hæretica propter errores manifestos quibus convincitur intendere sensum hæreticum.

Ad sextum. Zozimus nunquam judicio solemni librum Cœlestii ut catholicum approbavit, sed, attenta ejus ficta protestatione adhærendi decretis Innocentii et corrigendi quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, eum benigne excepit et ejus fidem laudavit; non tamen eum communioni restituit nec ab hæreseos nota absolvit, donec de causæ statu ab Africanis certior fieret : horum vero responsis acceptis et fraude detecta, diem dixit Cœlestio ut coram synodo se sisteret : verum aufugit Cœlestius, in quem et Pelagium sententiam condemnationis pronuntiavit Zozimus, qua, deposito errore, perpetuæ pœnitentiæ subjiciebantur. Confer dicenda diss. seq. a. 6, § 2.

Obj. 5° Clemens IX admisit ad pacem Ecclesiæ quatuor episcopos, scilicet Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem et Aletensem, qui in suis mandatis docuerant sufficere pro facto Jansenii obsequiosum silentium, et tantum ab eis exegit ut subscriberent et subscribi curarent Formulæ Alexandri VII, quod ipsi præstiterunt sed inserta in secretis actibus verbalibus distinctione juris et facti, et declarantes assensum mentis dogmati deberi, facti vero solam reverentiam silentii. Ergo.

R. Clementem IX hos episcopos non admisisse ad pacem, nisi quia cum fundamento existimavit et supposuit eos Formulæ Alexandri VII subscripsisse simpliciter sine ulla exceptione aut limitatione, ut ipsimet episcopi illi significaverant. Id constat 1° ex brevi dato ad eosdem episcopos, in quo sic loquitur pontifex : « Cum ingenti » obsequii nobis et huic S. sedi apostolicæ » testatione significabatis vos juxta præ» scriptum litterarum apostolicarum, sin» cere subscripsisse et subscribi fecisse..... » Nam, prædecessorum nostrorum consti» tutionibus firmissime inhærentes, nul» lam circa illud explicationem aut restric» tionem admissuri unquam fuissemus. » 2° Ex brevi ejusdem Clementis IX ad regem Galliæ dato vigesimo octavo septembris 1668. « Cum lætitia, inquit pontifex, co» gnovimus in simplici ac pura subscrip» tione Formularii quatuor illorum episco» porum obedientiam. » Quod autem acta verbalia non innotuerint pontifici non mirum, erant enim secreta.

Inst. 1° Episcopus Catalaunensis, in declaratione quam anno 1668 misit ad Clementem IX, ipsi aperit quis fuerit sensus horum quatuor episcoporum in suis actis verbalibus, scilicet : « Quod ad pontificiam » de facto sententiam pertineret videri eam » episcopis cum reverentia excipiendam, » sed intra eos fines quos in ejusmodi cau» sis cardinales Baronius, Bellarminus, Ri» chelius, Palavicinus et patres Sirmundus » et Petavius determinant, nimirum, ne » quid pronuntietur, scribatur, doceatur » ut ipsi contrarium. De Formula vero, eos » profiteri sinceritate et fide quæ esse maxi» ma posset ei subscripsisse, et quinque » propositiones tum damnasse tum dam» nandas curasse, sine ulla exceptione aut » limitatione, in quolibet sensu in quo ab » Ecclesia damnatæ fuissent. » Ita refert cardinalis Rospigliosius, cap. 162 suæ Relationis : ergo non latuit pontificem hos quatuor episcopos perstitisse in sua sententia de silentio obsequioso pro facto Jansenii.

R. summum pontificem verisimiliter intellexisse de facto Jansenii personali, utrum sensus propositionum esset sensus internus Jansenii; quia, cum declaratio dicat eos Formulario subscripsisse, « et quinque pro» positiones tum damnasse tum damnandas

curasse, sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent, » Ecclesia autem eas damnaverit in sensu a Jansenio intento, non potuit pontifex credere eos ad obsequiosum silentium restringere reverentiam debitam facto dogmatico Jansenii, nisi supponendo eos pugnantia loqui : unde observat cardinalis Rospioglosius, cap. 162 suæ Relationis, hanc declarationem *dissimulare* sententiam quatuor episcoporum.

Inst. 2° Innocentius XII, brevi dato ad episcopos Belgii sexta februarii 1694, dicit sufficere si damnentur quinque propositiones in sensu obvio quem verba præ se ferunt, nulla facta mentione sensus Jansenii : ergo.

R. D. ant. Nulla facta mentione explicita sensus Jansenii, *transeat*, implicita, *N.* Dicit enim « se firmissime inhærere constitutionibus suorum prædecessorum Innocentii X et Alexandri VII, easque in suo robore semper permansisse..... eos quî ad juramentum adigendi sunt illud præstare debere sincere, absque ulla distinctione, restrictione seu expositione, damnando eas propositiones in sensu obvio quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnaverunt summi pontifices. » Summi pontifices autem Innocentius X et Alexander VII eas damnarunt in sensu a Jansenio seu auctore intento.

Obj. 6° *plura simul* brevitatis causa. 1° Ecclesia, secundum D. Th. et omnes theologos, est fallibilis in quæstionibus facti. 2° Si admittatur quod sit infallibilis circa quædam facta quæ referuntur, ideo est quia erant evidentia : factum autem Jansenii est obscurum. 3° Licet Ecclesia sit infallibilis in textibus brevioribus, non tamen in longioribus. 4° Non est credibile Ecclesiam legisse totum librum Jansenii, nisi ex consilio cardinalium et theologorum, qui, aut ex ignorantia aut ex passione contra Jansenium, potuerunt errare. 6° Non solet Ecclesia, damnando propositiones, damnare textum ex quo sunt excerptæ, nec id requiritur ad conservandum depositum fidei, modo hæreses et falsa dogmata ab omnibus damnentur. 7° Textus Jansenii non continet nisi puram S. Augustini doctrinam quam Ecclesia approbavit. 8° Omnes ecclesiæ per orbem dispersæ, excepta Gallicana, non acceptarunt constitutiones pontificias quoad factum Jansenii, sed quoad jus tantum ; non enim librum Jansenii expenderunt. 9° Ecclesia nullo decreto suam in factis dogmaticis infallibilitatem definivit : ergo saltem non est de fide. Verum hæc levia sunt et facile ex dictis diluuntur : unde

R. ad primum, Ecclesiam esse fallibilem in quæstionibus facti particularis et mere personalis, quod pendet ex testimoniis fallibilibus hominum, non vero in quæstionibus facti doctrinalis, quod ex sola libri inspectione pendet, concurrente assistentia Spiritus sancti.

Ad secundum 1° Infallibilitas Ecclesiæ in factis dogmaticis non petitur ex eorum evidentia, alias Ecclesia potiori privilegio non gauderet quam stupidissimus hominum, sed, ut mox dicebam, ex assistentia Spiritus sancti ipsi a Christo promissa in iis quæ spectant communem fidelium salutem. 2° Si tibi et mihi sit obscurum factum Jansenii, Ecclesiæ illud damnanti est evidens. 3° Textus S. Augustini est obscurior textu Jansenii, et tamen primum, juxta adversarios, Ecclesia irreformabiliter approbavit. 4° Factum Nestorii erat obscurum Theodoreto, ut ipse scribit Andreæ Samosateno, et tamen concilium Chalcedonense ipsum coegit dicere anathema Nestorio.

Ad tertium. Facilius est e contra ferre judicium de textu longiori quam de breviori, *ut patet ex ultima probatione.*

Ad quartum. Impostura est et insolens calumnia dicere Ecclesiam in re tanti momenti cæco et præcipiti modo processisse, præsertim cum Alexander VII, qui omnibus conferentiis adfuerat, testetur causam Jansenii tanta diligentia et accuratione examinatam fuisse, ut major desiderari non possit. Insuper textus S. Augustini fusior est textu Jansenii, et tamen, juxta objicientes, Ecclesia sufficienter legit textum S. Augustini, ut ipsum approbaret ; quidni sufficienter legit textum Jansenii ut ipsum damnaret ?

Ad quintum. Quamvis pontifex soleat requirere sensus cardinalium et theologorum, non tamen inde præcise, sed ex assistentia Spiritus sancti suam mutuat infallibilitatem.

Ad sextum. Solet etiam Ecclesia damnare textus et libros auctorum unde excerptæ sunt falsæ propositiones, quando id necessarium judicat in efficaciorem hæreseos era-

dicationem : sic egit contra Eutychetem, Nestorium, Pelagium et plures alios; idque erat necessarium in casu Jansenii, quia plures, damnando propositiones, defendebant librum ut orthodoxum, sicque pariter ac ante grassabatur hæresis et eludebatur judicium Ecclesiæ.

Ad septimum. Falsissimum est textum Jansenii nihil aliud continere quam S. Augustini doctrinam, nec ulla hujus S. doctoris propositio allegari potest quæ naturali et obvio sensu, attentis antecedentibus et consequentibus, non sit contradictoria aut dissona sensui quinque famosarum propositionum. Insuper fateor S. Augustini scripta esse ab Ecclesia approbata, sed non omnia eodem modo : quædam approbatione speciali, ut sunt ea quæ spectant gratiam et prædestinationem contra Pelagianos et Semipelagianos; quædam approbatione generali, sicut approbata sunt opera SS. Hilarii, Athanasii, Ambrosii, etc., quæ approbatio generalis indicat tantum hos SS. doctores strenue Ecclesiam et religionem defensasse, ardentissimo zelo ejus puritatem prosecutos fuisse, et nullam in eis suspicionem esse de hæresi voluntaria : sed non impedit quin in decursu temporis Ecclesia possit in eorum operibus aliquem errorem auctori involuntarium deprehendere.

Ad octavum, N. Omnes enim ecclesiæ per orbem dispersæ acceptarunt constitutiones summorum pontificum contra Jansenium absque ulla limitatione aut exceptione : ergo quoad jus et quoad factum. Neque est necesse quod omnes expenderint librum Jansenii, sed sufficit quod ecclesia Romana majori qua potuit diligentia illum expenderit, et ejus judicio acquieverint aliæ ecclesiæ.

Ad nonum. Quidam respondent infallibilitatem Ecclesiæ circa facta dogmatica esse quidem de fide quoad se, sed non esse de fide obligante; quia, *ut fert instantia*, Ecclesia id non definivit. Verum alii censent esse de fide etiam obligante, quia, licet Ecclesia expressis verbis eam non definierit, facto tamen seu usu constanti et praxi definivit, anathematizando et declarando hæreticos qui suis decretis circa facta dogmatica resisterent : quæ agendi ratio constans et perpetua debet censeri sufficiens suæ infallibilitatis definitio, tum quia iniquum foret declarare hæreticos et anathematizare eos qui decreto fallibili assensum recusarent, tum quia alias infallibilitas Ecclesiæ in quæstionibus fidei non foret de fide obligante, cum non conceptis verbis, sed solo usu constanti et praxi sit pariter definita.

§ IV. — *Solvuntur objectiones petitæ ex causa Trium Capitulorum.*

Obj. 1° Concilium Chalcedonense approbavit Tria Capitula; concilium V Constantinopolitanum secundum, ea damnavit : atqui Tria Capitula sunt facta dogmatica. Ergo. *Pro hujus et sequentium argumentorum solutione*, præmitto compendiose historiam Trium Capitulorum, de quibus tot fuerunt motus et contentiones in Ecclesia inter Orientales et Occidentales

Synopsis historica Trium Capitulorum.

I. Tria famosa Capitula sunt scripta et personæ trium episcoporum, scilicet Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni.

II. Cum in concilio Chalcedonensi, in quo fuit damnatus Eutyches, Theodoretus et Ibas (erat enim tunc defunctus Theodorus), post anathema dictum Nestorio, admissi fuissent ad communionem, non damnatis a concilio scriptis Theodoreti, quæ erant Nestoriana, nec reprobata, licet lecta, epistola Ibæ ad Marim Persam, quæ erat referta laudibus Theodori a quo Nestorius hæresim suam hauserat, Nestoriani hæc tria scripta, scilicet Theodori, Theodoreti et Ibæ vulgarunt, contenderuntque fuisse in concilio Chalcedonensi approbata.

III. Eutychiani e contra, præsertim Acephali, ut auctoritatem concilii Chalcedonensis quæ damnaverat Eutychem deprimerent, contendebant hæc Tria Capitula esse Nestoriana, et ope Theodori Cæsariensis obtinuerunt a Justiniano imperatore, ut illa publico edicto proscriberet, quod ille fecit, motus zelo pacis, suumque edictum ad totius imperii episcopos, cui subscriberent, transmisit : et hinc origo gravis dissidii quod Vigilium papam et Orientales cum Occidentalibus commisit.

IV. Edicto Justiniani subscripserunt plures ex Orientalibus, subscribere recusarunt Occidentales, præsertim Africani, ne læderetur auctoritas infallibilis concilii Chalce-

donensis, in quo errore facti existimabant hæc Tria Capitula fuisse approbata. Interim Vigilius papa Constantinopolim advenit, et eos qui edicto Justiniani subscripserant a sua communione suspendit, quam tamen illis post aliquot menses, agente Theodora imperatrice, restituit.

V. Justinianus imperator obtinet a Vigilio ut cum episcopis causam Trium Capitulorum discutiat : convenerunt in urbem regiam plus quam septuaginta episcopi ; sed, cum hi maxime inter se dissiderent, dixit Vigilius se seorsim suam sententiam dicturum : visis ergo singulorum votis ad se delatis, anno 548, decretum tulit quod *Judicatum* appellavit, quo Tria Capitula proscribebat, non absolute, sed sub hac restrictione, *salva in omnibus concilii Chalcedonensis auctoritate.*

VI. Hoc *Judicatum* ægre tulerunt Occidentales, præsertim Africani et Illyrici, causamque Trium Capitulorum palam defendere cœperunt : qua de causa Vigilius cum imperatore de concilio generali congregando egit, quod Romæ congregari optasset pontifex, sed tamen quod, instante Justiniano, Constantinopoli et Occidentalibus et Orientalibus æquo numero congregandum indixit, prohibita interim omni disputatione circa Tria Capitula.

VII. Cum autem tardarent Occidentales, nec tamen sine illis Vigilius sineret concilium celebrari, Justinianus moræ impatiens, eodem Theodoro Cæsariensi suadente, novum edictum tulit adversus Tria Capitula quod in ecclesia Constantinopolitana et alibi appendi jussit : quod indigne ferens Vigilius, convocatis qui in urbe erant episcopis, prohibuit sub pœna privationis communionis ecclesiasticæ huic edicto morem gerere ; qua de causa male ab imperatore habitus, fugit Chalcedonem, donec imperator placatus, revocato edicto, causam hanc ad concilium futurum remisit.

VIII. Congregatum est autem concilium anno 553, patrum centum et sexaginta quinque, cui adesse recusavit Vigilius, licet iterato honorifice invitatus, eo quod pauciores adessent Occidentales. Præfuit illi, absente Vigilio, Eutychius Constantinopolitanus. Interea Vigilius, novo opere edito, quod vocavit *Constitutum*, iterum Trium Capitulorum defensionem suscepit, non quidem quoad dogmata, sed quoad personas, contendens scripta non debere damnari sub nominibus auctorum. Hoc non obstante, concilium anathemate confixit Tria Capitula, appellatis auctorum nominibus : hanc censuram simul et concilium post sex menses circiter approbavit et confirmavit Vigilius, epistola data ad Eutychium concilii præsidem et præjacentem synodum. Hanc epistolam primus publici juris fecit illustrissimus de Marca ex regia bibliotheca, cujus authenticitatem probat Natalis Alexander, sæculo 6, cap. 2, a. 9 ; et dissert. 3, eodem sæculo, pluribus aliis testimoniis probat Vigilium hoc concilium confirmasse Illud pariter confirmarunt ejus successores, Pelagius I, Pelagius II, et S. Gregorius, qui multum allaboraverunt ut extingueretur schisma Venetiorum et Istriæ episcoporum, occasione hujus concilii ortum, quod putarent, *ut jam dixi*, hæc Capitula fuisse in concilio Chalcedonensi probata. His præmissis, ad argumentum

R. 1° *N. ant. pro prima parte.* Tria namque Capitula neque approbata neque reprobata fuere in synodo Chalcedonensi, sed omissa et neglecta, seu proposita non ut judicialia, sed ut historica tantum. In primis de Theodoro Mopsuesteno qui obierat et de ejus scriptis nulla mentio facta est, nisi quod in epistola Ibæ, quæ fuit recitata et non probata, ut mox dicam, quædam ejus laudes continerentur. De scriptis Theodoreti et epistola Ibæ nullum synodus tulit judicium, sed earum personas duntaxat admisit ad consessum, postquam pœnitentiæ signa dederunt et anathema dixerunt Nestorio atque S. Leonis epistolæ subscripserunt. Synodus V autem damnavit scripta et personam Theodori Mopsuesteni qui fuerat auctor Nestorianismi, et in quo eum obiisse constabat ex testimonio suæ ecclesiæ, quæ nomen ejus e sacris dypticis expunxerat ; scripta vero Theodoreti et Ibæ sub eorum nominibus damnavit, at eorum personas in pace Ecclesiæ defunctas anathemate non confixit : et sic nulla est inter utramque synodum contradictio.

Inst. 1° Relecta epistola Ibæ, legati Sedis apostolicæ dixerunt Ibam orthodoxum, ut habetur in actis. Ergo.

R. legatos Sedis apostolicæ dixisse quidem Ibam orthodoxum, sed non ejus epistolam orthodoxam : quæ duo multum differunt. Unde *D. ant.* Dixerunt Ibam ortho-

doxum, attento dogmate epistolæ, *N* attenta retractatione epistolæ, *C*. Cum enim objicerent illi quidam monachi S. Cyrillum ab eo vocatum fuisse hæreticum, respondit : « Donec S. Cyrillus semetipsum interpretatus fuerat, quia Orientale concilium » eum vocabat hæreticum et ut hæreticum » eum condemnavit, hæreticorum eum et » ego putabam : postquam vero adunatæ » sunt ecclesiæ et sua capitula interpretatus » est, omnes eum communicatorem habui» mus. » Quibus aperte declarat se revocare quæ dixerat in sua epistola contra S. Cyrillum : et cum aliunde epistolæ S. Leonis ad Flavianum subscripsisset et anathema dixisset Nestorio, ideo declaratus est orthodoxus.

Hanc porro epistolam concilium Chalcedonense non potuisse sine aperta contradictione approbare ostendit Pelagius II, epistola ad episcopos Istriæ, dicens : « In gestis » namque ejusdem synodi et scriptis Leonis » Cyrillus prædicatur ; in epistola vero Ibæ » Cyrillus in Apollinaris dogma corruens » reprobatur. In gestis Nestorius ut Redemptoris nostri adversarius, jure damnatus » ostenditur ; verbis vero epistolæ damnatus injuste memoratur... In gestis ac definitionibus fidei unus Filius Jesus Christus dicitur ; at, juxta doctrinam Theodori » atque Nestorii, Deus tacetur : et in gestis » synodi nusquam Theodorus veritatis doctor dicitur ; in verbis vero epistolæ idem » cujus blasphemias supra protulimus veritatis doctor clamatur ; qui si vera dixit, » falsa erunt quæ de veritate synodus protulit. Quisquis igitur qui epistolam quæ » Ibæ dicitur ostendere quod sit de synodo » nititur, quid aliud quam gesta ejusdem » synodi destruere conatur ? » Unde concilium V : « Quomodo, inquit, præsumunt » aliqui ipsam impiam epistolam suscep» tam fuisse a S. concilio Chalcedonensi ? » Et Vigilius, in confirmatione quintæ synodi : « Absit ut tam horrendas blas» phemias patres Chalcedonenses approbarint. »

Inst. 2° Maximinus Antiochenus, in concilio Chalcedonensi, ipsam Ibæ epistolam agnovit orthodoxam his verbis : *Orthodoxa est ejus declarata dictatio ;* et Ferrandus, diaconus Carthaginensis, epistola ad Pelagium et Anatolium ecclesiæ Romanæ diaconos, asserit epistolam Ibæ non potuisse damnari a quinta synodo, absque synodi Chalcedonensis injuria. Ergo.

R. ad primum, in conciliis non unius aut alterius interlocutionem attendi, sed quod ab omnibus aut majori parte definitur, ut observatum est in quinta synodo, act. 6. *Ad Ferrandum,* non mirum quod ita fuerit locutus ; fuit enim Trium Capitulorum acerrimus defensor : et insuper scripsit ante quintam synodum, cujus auctoritas doctoris privati auctoritate præponderat.

R. 2° *ad principale argumentum.* Dato Tria Capitula fuisse probata in concilio Chalcedonensi, potuerunt nihilominus ad examen revocari et damnari a quinta synodo, absque læsione infallibilitatis Ecclesiæ in his factis : quia, concepta definitione fidei act, 5, absolutum fuit concilium Chalcedonense ; quæ vero postea circa præfatas quorumdam episcoporum causas acta sunt non habent vim concilii, nec a S. Leone sunt probata. Id autem probatur 1° quia episcopi, post actionem 6, petierunt ab imperatore licentiam redeundi ad suas ecclesias : *Supplicamus,* inquiebant, *dimitte nos, pie Imperator :* quos tamen retinuit Justinianus pro dirimendis litibus privatis quorumdam episcoporum, inter quos causa Theodoreti acta est, act. 8 ; causa Ibæ, act. 9 et 10 ; 2° quia S. Leo, epistola ad Maximinum Antiochenum, de synodo Chalcedonensi dicit, quod si a legatis suis aliquid gestum sit præter id quod pertinet ad causam fidei : id est ad Eutychianæ hæreseos damnationem, nullius sit ponderis. Vide textum *inst.* 2 *obj.* 1 § præced. 3° quia Pelagius II, epistola ad episcopos Istriæ, testatur plerosque codices præcos vetustiores sex tantum actiones synodi Chalcedonensis referre ; 4° quia S. Greg, lib. 2, Epist. 10, dicit : « De tribus personis de » quibus post terminum synodi Chalcedo» nensis (attende post terminum, id est » post actionem 6) actum fuerat, tempori» bus Justiniani (id est in quinta synodo), » ventilatum est, » Et lib. 3, Epist. 37, dicit : In quinta synodo actum est « de his » personis de quibus in Chalcedonensi con» cilio nihil continetur ; » quia nempe ac» tione 6 absolutum erat concilium.

Inst. 3° Vigilius, in suo Constituto, de Ibæ epistola dicit, *ipsam rectissimo et piissimo sensu intellectam,* irreprehensam manere. Ergo.

R. Vigilium non dixisse Ibæ *epistolam*, sed *fidem irreprehensam manere*, quia scilicet in concilio Chalcedon. mentem suam aperuerat, et quæ in hac epistola contra Cyrillum errore facti scripserat retractaverat, ut jam dixi : en verba Vigilii in suo Constituto, tom. 5 Conc. Labb. col. 372 : « En, verbis epistolæ viri venerabilis Ibæ » rectissimo ac piissimo intellectu prespec- » tis, et ex gestis apud Eustathium habitis, » et ex ipsius Ibæ episcopi a præsentibus » *intentione discussa*, Patres nostros in » Chalcedone residentes, justissime ortho- » doxam ejus viri venerabilis Ibæ episcopi » *pronuntiasse fidem et reprehedstonem Cy-* » *rilli*, quam humanitus per errorem intel- » ligentiæ evenisse cognoverant; *congrua* » *satisfactione purgatam.* » Quando ergo Vigilius, ex epistola Ibæ, *rectissimo et piissimo intellectu*, ejus fidem orthodoxam fuisse pronuntiat, id intelligit, *ut patet*, habita ratione explicationis et retractationis injuriarum in Cyrillum, quam præsentibus Chalcedonensibus fecerat.

Obj. 2° Plures Occidentales, præsertim Hispani, diu recusarunt acceptare concilium V, licet tamen communione conjuncti essent cum ecclesi Romana et aliis ecclesiis istud concilium acceptantibus : ergo ejus judicium contra Tria Capitula non habebatur infallibile.

R. N. conseq. Consensus enim et judicium totius Orientis et reliquarum ecclesiarum Occidentis præter paucas, præsertim ecclesiæ, prævalet alicujus provinciæ dissensui, ut dicit Vincentius Litrin. 1 p. Commonit. cap. 4. Hunc autem dissensum Hispaniarum non probarunt summi pontifices, sed ex œconomia tolerarunt ad tempus Cum enim Hispani recusarent acceptare quintum concilium ex errore facti tantum, quia putabant esse contrarium synodo Chalcedonensi, et illud palam non impugnarent, sed modeste prætermitterent, neque Nestorianismo faverent, neque a communione ecclesiæ Romanæ et aliarum ecclesiarum se separarent, sed e contra, et reverentia erga S. Sedem, et charitate erga alios episcopos, se ad pacem comparatos ostenderent, spes erat ut, errore facti deposito, an sententiam totius Ecclesiæ acceederent, quod progressu temporis effectum est. His ergo de causis prudenter egit Ecclesia, dissimulando ad tempus eorum resistentiam, ne in apertum schisma erumperent, præsertim cum istæ causæ, ut jam observavi, non sint tanti momenti in Ecclesia quam ubi agitur de capitibus fidei.

Inst. Ipse S. Gregorius videtur non agnovisse auctoritatem infallibilem V concilii in causa Trium Capitulo rum. Ergo. *Prob. ant.* S. pontifex, in epistola ad Theodelindam, Longobardorum reginam, quatuor tantum synodos œcumenicas se recipere profitetur, dicto anathemate illi qui eas non recipit. Ergo.

R. N. ant. Omnibus enim notum est quantum S. pontifex egerit ut hoc V concilium ubique reciperetur. *Ad probat.* Sic egit S. Gregorius ex prudenti œconomia : prius enim Constantio episcopo Mediolanensi direxerat litteras pro regina, in quibus quintam synodum honorifice commendabat; has litteras non reddidit Constantius, et significavit summo pontifici quod regina, Trium Capitulorum condemnationi contraria, commendatione quintæ synodi offendebatur : alias rescripsit S. Gregorius, in quibus prudenter siluit de quinta synodo, ne reginæ animum magis exacerbaret, volens eam ratione potiusquam auctoritate vincere; quod tandem obtinuit, tunc præsertim cum nondum omnium consensu esset recepta quinta synodus et de ejus auctoritate adhuc disputabatur.

Obj. 3° Saltem negari non potest quin Vigilius papa admodum variaverit in causa Trium Capitulorum, eaque modo approbaverit, modo damnaverit : ergo non est irretractabile judicium Ecclesiæ circa facta dogmatica.

R. Vigilium nunquam Tria Capitula quoad sensum obvium textuum approbasse, quod est proprie factum dogmaticum, sed tantum variasse circa personas : utrum scilicet persona Theodori defuncti deberet anathematizari, et scripta Theodoreti et Ibæ sub eorum nominibus deberent damnari. Hæc autem variatio non fuit inconstantiæ, sed prudentis œconomiæ, ut patebit ex serie gestorum Vigilii.

Primo itaque Vigilius se opposuit edicto Justiniani condemnantis Tria Capitula, tum quia non erat imperatoris res Ecclesiæ et fidei dirimere, tum quia hujus edicti auctores erant Eutychiani seu Acephali, mediante Theodoro Cæsariensi, ut sic facilius detrahere possent auctoritati concilii

Chalcedonensis, in quo fuerat damnatus Eutyches.

Deinde Vigilius, in suo *Judicato*, damnavit Tria Capitula, ut præveniret schisma in quod propendebant Orientales, nisi horum Capitulorum damnationi subscriberet pontifex. Addidit tamen prudenter, *salva in omnibus auctoritate concilii Chalcedonensis*, partim ne irritaret Occidentales, qui timebant ex hac censura minui auctoritatem concilii Chalcedonensis, partim ut reprimeret Acephalos, qui ea censura abutebantur ad detrahendum eidem concilio.

Postea Vigilius recusavit damnare ea Capitula in synodo cum solis Græcis, quin imo edito *Constituto* ea vindicavit, non quidem sic, quod ea absolute et secundum se spectata pura et orthodoxa definierit; in eodem enim *Constituto* septuaginta capita Theodori damnat et alia quæ in scriptis Theodoreti et Ibæ possunt occurrere orthodoxæ fidei minus congrua; sed hoc sensu quod vetaret ea damnari expressis nominibus auctorum : idque totum prudenter, ne scilicet offenderet Occidentales, sine quibus Græci contra pacta ad hujus causæ discussionem processerant, quique, propter auctoritatem concilii Chalcedonensis, Trium Capitulorum damnationi refragabantur.

Tandem, eadem semper œconomia et prudentia usus Vigilius, sex circiter mensibus post peractam synodum, eam probavit et Tria Capitula, expressis auctorum nominibus, damnavit, ut Orientales a schismate in quod propendebant, propter recusatam hujus synodi confirmationem, retraheret, et quia actis quintæ synodi palam omnibus et aperte erat demonstratum hæc Capitula potuisse sic damnari absque ulla synodi Chalcedonensis injuria.

Addo pro clausula, causam Trium Capitulorum non solum non nocere conclusioni nostræ, sed e contra præbere illi invictissimum argumentum. Etenim Occidentales Trium Capitulorum defensionem non susceperunt, neque eorum damnationi diu restiterunt, nisi quia existimabant ea fuisse probata in concilio Chalcedonensi, cujus judicium infallibile retractari non posset : neque ab eis in hoc ultimo dissentiebant Orientales, sed volebant tantum ea non fuisse probata in concilio Chalcedonensi, quod multis ostendunt in actis quintæ synodi. Una ergo erat omnium et Occidentalium et Orientalium sententia, Ecclesiam in definiendis factis dogmaticis esse infallibilem.

CONSECTARIUM.

De appellatione a constitutione Unigenitus *ad concilium generale futurum.*

Supposita infallibilitate, non summi pontificis, a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscunt ii contra quos hic agimus, sed Ecclesiæ in controversiis fidei et facti dogmaticis definiendis, quam in duobus articulis præcedentibus asseruimus, sequitur non esse licitum appellare a constitutione *Unigenitus* Clementis XI, damnante centum et unam propositiones Paschasii Quesnelli, ad futurum concilium generale : quod hoc *brevi et patenti argumento probatur.*

Non est licitum appellare a judicio infallibili et irreformabili : atqui constitutio *Unigenitus* est judicium infallibile et irreformabile : ergo. *Prob. min.* Constitutio *Unigenitus* est judicium Ecclesiæ : atqui judicium Ecclesiæ est infallibile et irreformabile in dogmatibus et factis dogmaticis definiendis, *ut late probavimus* in duobus præcedentibus articulis : ergo. *Prob. maj.* Ecclesia universa constitutionem *Unigenitus* acceptavit, et acceptando fecit suam : ergo. *Ant. constat* 1° ex ipso Clemente XI, qui in litteris *Pastoralis officii* dicit : *Quam* (constitutionem) *universa Ecclesia veneratione debita complectitur;* 2° ex testimoniis omnium fere ecclesiarum totius Europæ, Italiæ, Siciliæ, Venitiorum, Genuæ, Pedemontii, Sabaudiæ, Germaniæ, Belgii, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Hispaniarum et Portugaliæ; academiarum Salmanticensis, Lovaniensis, Coloniensis, Duacenæ, Conimbricensis etc. Extant autem hæc omnia testimonia in institutione pastorali eminentis. card. de Bissy, tom. 3; in institutione 2 illustriss. D. Languet, tunc episcopi Suessionensis, nunc archiepiscopi Senonensis; et in opere cui titulus : *Réfutation du Mémoire publié en faveur de l'appel des quatre évêques*, approbante eminentiss. cardinali d'Alsace, archiepiscopo Mechlinensi. Quantum ad Galliam, ubi quæstio mota est, centum et decem episcopi hanc constitutionem acceptarunt, decem recusarunt, et quatuor tantum ad futurum concilium

generale appellarunt. Ex academiis, viginti quatuor in eodem regno, tres tantum, Parisiensis, Remensis et Nanetensis acceptationem prius factam revocarunt. Ergo.

Mirum est quot effugia excogitaverint appellantes, ut vim hujus argumenti eluderent. Igitur

Dicunt 1° equidem Ecclesiam in conciliis congregatam esse infallibilem, at non dispersam.

R. hoc assumptum esse falsissimum et aperte contradicens Christi promissionibus : promisit enim Christus se futurum cum Ecclesia *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi :* numquid omnibus diebus congregantur concilia ? numquid Ecclesia dispersa non est vera Christi Ecclesia quæ deficere non potest? Quinimo, Ecclesia in concilio congregata non est infallibilis, nisi quia repræsentat universam Ecclesiam dispersam : ergo *a fortiori* hæc est infallibilis : adde quod alias Christus non satis providisset suæ Ecclesiæ ; donec enim congregaretur concilium generale, quod quandoque non nisi post sæcula potest congregari, grassarentur hæreses et totam Ecclesiam inficerent. Insuper plurimæ et longe plures hæreses fuerunt infallibiliter et irreformabiliter damnatæ per Ecclesiam dispersam, quam per congregatam in conciliis : unde S. Aug. lib. 4 contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 12, Pelagianis objicientibus quod *simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est*, respondet sic : « Aut vero congregatione » synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando » nisi synodi congregatione damnata sit, » cum potius rarissimæ inveniantur propter quas damnandas necessitas talis exterit, multoque sint atque incomparabiliter plures quæ, ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ, innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur : orbem quippe catholicum, quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur ; cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum de illis competens suffi- ciensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint conterendi sint. » De iisdem Pelagianis, postquam duobus conciliis provincialibus accesserat sententia Romani pontificis, dicebat Serm. 131, olim 2 de verbis Apostoli, idem S. Augustinus. « Jam enim de hac causa duo concilia missa » sunt ad sedem apostolicam : inde enim » rescripta venerunt : causa finita est; utinam aliquando finiantur error! »

Dicunt 2° ex silentio episcoporum non posse certo erui eorum consensum tacitum alicui constitutioni pontificiæ, aut cæterorum episcoporum definitioni, cum possent esse variæ aliæ rationes silendi, v. g. timor, cupiditas, ambitio, etc. Ergo.

R. 1° in casu non esse amplius quæstionem de consensu tacito, cum habeatur consensus expressus omnium fere ecclesiarum. 2° *N. ant.* Deus enim nunquam permittit quod episcopi circa falsum dogma publice fidelibus propositum ex quovis motivo humano sileant, cum id vergeret in defectionem Ecclesiæ et in scissionem unitatis in fide, quæ est hujus Ecclesiæ vinculum : unde S. Aug. Epist. 55, alias 119, c. 19 : « Ecclesia Dei, inquit, ea quæ sunt contra » fidem vel bonam vitam non approbat, nec » tacet, nec facit. » Dum ergo aliqua constitutio pontificia, aut plurium episcoporum definitio in rebus fidei seu morum, per Ecclesiam diffunditur, qui silent episcopi censentur consentire. Nec alio modo quam consensu tacito acceptatæ fuerunt constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, librum *Maximes des saints*, et plures aliæ constitutiones circa propositiones damnatas.

Nec refert quod damnata sit hæc propositio ab Alexandro VII, 1665 : « Si liber » sit alicujus junioris ac moderni, debet » opinio censeri probabilis, dum non con- » stat rejectam esse a Sede apostolica tanquam improbabilem. » Aliud enim est de opinione alicujus privati auctoris, aliud de definitione publica episcopis nota : hic periculum urget, non illic.

Instant. Soli episcopi Europæ acceptarunt.

At unde id sciunt ? Et *esto*, quid inde ? Numquid concilium Tridentinum (idem dic

de pluribus aliis) non est œcumenicum, quia illi non adfuerunt episcopi Americæ et Indiarum orientalium ? Numquid constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, etc., non sunt acceptatæ ab Ecclesia, quia forte non fuerunt missæ ad Indos aut Americanos ? Sufficit ergo acceptatio expressa Ecclesiæ in ea parte mundi in qua residet supremum ejus caput et est major episcoporum multitudo, quia inde potest aliis innotescere. Nec satis Christus providisset suæ Ecclesiæ, si expectari deberet consensus illorum qui in extremis mundi partibus morantur. Ita respondebat S. Augustinus Juliano lib. 1 contra Julian. c. 4 : « An ideo, inquit, contemnendos putas, » quia Occidentalis ecclesiæ sunt omnes, » nec ullus est in eis commemoratus a no- » bis Orientis episcopus ?..... Puto eam » partem orbis sufficere debere, in qua pri- » mum Apostolorum suorum voluit Domi- » nus gloriosissimo martyrio coronare. Cui » Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si » audire voluisses, jam tunc periculo- » sam juventutem tuam Pelagianis laqueis » exuisses. »

Dicunt 3° Episcopi non acceptarunt libere constitutionem, quidam metu Inquisitionis, omnes metu excommunicationis latæ in non acceptantes.

R. 1° metum sive Inquisitionis, sive excommunicationis non auferre libertatem in acceptanda constitutione, sicut metus pœnarum inferni aut suspendii non aufert libertatem in observandis legibus, sive divinis, sive humanis. 2° Christus promisit quod portæ inferi, id est terrores, percussiones, exilia, incarcerationes, secures, patibula, omnia tormenta diaboli, non prævalerent adversus Ecclesiam : prævalerent autem, si metu Inquisitionis aut excommunicationis episcopi acceptarent falsa dogmata.

Instant. Saltem extra Galliam episcopi acceptarunt constitutionem ex motivo infallibilitatis papæ : atqui istud motivum est falsum : ergo acceptatio in eo fundata est illegitima et nulla.

R. 1° *N. conseq.* Quia infallibilitas Ecclesiæ non innititur motivis et rationibus quibus episcopi moveri possunt ad judicium ferendum in rebus fidei, sed assistentiæ Spiritus sancti sibi promissæ, qua stante, fieri non potest quod Ecclesia, aliquo principio decepta, inducatur in errorem, alias portæ inferi prævalerent adversus illam, et Christus non esset cum illa omnibus diebus : sufficit ergo quod Ecclesia definierit, quavis ratione inducta id fecerit; quia errare non potest definiendo. 2° Si valeret instantia, nutarent bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ, imo nihil foret fixum in Ecclesia, neque ipsorum conciliorum generalium decreta forent fidelibus regula fidei. Quot enim et quam variæ rationes et deliberationes singulorum, antequam deveniatur ad definitionem ! Si ergo lata definitio pendeat ex rationibus et motivis singulorum episcoporum definientium, necesse erit illa scrutari an vera vel falsa sint, ut definitio habeat vim legis et regulæ : hoc autem semel admisso, concutitur Ecclesia a fundamentis, et non habet amplius ubi pedem certo figat. 3° In concilio quod petunt Appellantes, juxta instantiam, adesse non poterunt episcopi extra Galliam ; quia fere omnes imbuti sunt opinione infallibilitatis summi pontificis, aut tenebuntur ingrediendo concilium hanc suam sententiam exuere, quod est absurdum. Aderunt ergo huic concilio solus Pontifex et episcopi Gallicani : eritne concilium generale ? Fallor, nec Pontifex nec episcopi Gallicani adesse poterunt; sunt enim partes in lite summus pontifex qui constitutionem tulit, episcopi Gallicani centum et decem qui illam acceptarunt, quatuordecim qui illam recusarunt : convocandi ergo erunt Americani, Asiani, Africani (si forte nihil audierunt de bulla), et hi soli sine capite sedentes constituent concilium generale ? Papæ ! quanta absurda ! et quantis chimæris pasci ament appellantes ad concilium generale impossibile et plane chimæricum !

Dicunt 4° Papa prohibet examinare suam bullam : ergo episcopi non acceptarunt ut judices.

R. id nos non legere neque in bulla, neque in litteris *Pastoralis officii*.

Instant. Saltem exigit omnimodam obedientiam bullæ : ergo non fuit licitum episcopis illam examinare.

R. N. conseq. Saltem si intelligatur de propositionibus contentis in bulla ; dirigitur enim bulla ad fideles secundum cujusque conditionem : episcopi autem sic sunt subditi papæ, ut sint etiam cum et sub illo doctrinæ judices : pontifex igitur, ut superior,

exigit ab omnibus fidelibus, consequenter ab episcopis ut subditis, obedientiam suæ constitutioni, sicut legislator in civilibus exigit obedientiam suæ legi; ita ut episcopi teneantur acceptare constitutionem ut legem pontificiam, non tamen ut legem Ecclesiæ, nec prohibentur ut judices doctrinæ examinare, si non bullam ipsam, saltem propositiones in ea damnatas, et si quid inveniant fidei minus consonum, illud reverenter exponere pontifici; quod cum non fecerint, exceptis admodum paucis, lex pontificia facta est lex Ecclesiæ.

Nec refert quod papa nunquam revocet quod semel pronuntiavit ex cathedra, id enim signum est quod nunquam docuerit ex cathedra aliquid contra fidem aut mores; non enim permitteret Spiritus sanctus, qui semper adest Ecclesiæ, quod episcopi omnes acceptarent doctrinam fidei aut moribus contrariam. Denique bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ, sub eodem tenore latæ sunt; quo tamen non obstante, sic acceptatæ sunt ab Ecclesia, ut sint modo leges Ecclesiæ et fidei regulæ.

Porro hæc omnia et alia similia effugia elegantissime et solidissime vana et insufficientia ostendit illustrissimus D. Languet, archiepiscopus Senonensis, in sua secunda Institutione pastorali n. 19, his verbis jam ab aliis ante me usurpatis, et sic latine reditis: « Prætenditis ergo (alloquitur Appellantes) papam errasse in ista bulla, eum » subruisse *primum præceptum, primumque* » *Symboli articulum;* decreto sanctissimi » patris convulsa jacent *amor ejusque potentia*: vobis assentior. Ecclesia Romana, » quæ non reclamavit, imo palam decretum » illud suo suffragio confirmavit, in eorum» dem errorem societatem venit: annuo. » Ecclesia Gallicana fere tota subscripsit, » vi quidem ad id faciendum adacta fuit, » si ita vobis placet; fecit tamen. Flandriæ » episcopi præoccupatis suis opinionibus » abrepti fuerunt; etenim ad eorum con» sensum debilitandum, nulla, quæ illata » fuerit, violentia allegari potest. Episcopi » Hispaniæ sunt *in intolerabili errore* de » infallibilitate..... hoc largior; sit etiam » hæresis formalis, si desideretur. Veneti » et Siculi episcopi pontificis auctoritati ser» viliter subjecti sunt, adversus eum mutire » non audent. Episcopi Italiæ, Hispaniæ, Portugaliæ, etc., coguntur ab Inquisi» tione. Ecquid porro est ista Inquisitio? an » tribunal quoddam Mahumetanorum aut » Hugnotorum? Omne illud quod vobis col» libitum fuerit mihi quidem perinde est. » Quid dicetur de episcopis Germaniæ, Po» loniæ, Bohemiæ et Hungariæ, de electo» ribus Imperii, etc. Sunt aut ignorantes, » aut politici; rem non examinarunt, aut » si examinaverint, veritatem prodiderunt » et errori subscripserunt. Totum transmit» to, totum ad momentum concedo: con» cludamus: ergo pontifex et omnes illa» rum nationum episcopi, alii ignorantia, » alii servientes tempori, fere omnes fragi» litate, violentia, metu, prævention e (proh » Deus! condona has blasphemias in spon» sam tuam ejusque angelos effusas) acquie» verunt constitutioni *fidem, mores et disci» plinam evertenti*. Ubi igitur Ecclesia? ubi » est a quinque annis? quo abiit ista infalli» bilitas, ista visibilitas, ista universalitas » quam in ministerio suorum pastorum pos» sidebat? Jam per ministerium, per ipso» rummet pastorum decisionem error trium» phat. In quibus ergo subsistit illa Eccle» sia? Subsistit in quatuordecim episcopis, » nonnullis presbyteris, in populo quodam » reclamante, et hoc intra unius regni ter» minos, et quidem ne vel centesimam » regni istius partem constituunt populus » ille et presbyteri isti.... Tantum illi sunt » fideles, discipuli veritatis et defenso» res fidei. Ministerium ergo corruptum, » annihilata est Ecclesia? Nam Ecclesia » pendet a ministerio, inquit D. Nicolle, et » ejus duratio, juxta D. Bossuet, annexa est » infallibilitati pastorum. Illud corpus col» lapsum est, et Ecclesia cum illo: vasti hu» jus corporis una tantum superest particu» la in quodam mundi angulo. En quo vo» bis necessario deveniendum est; alioquin » deserenda vobis erunt omnia principia » adversus prætensos reformatores propu» gnata. Ad hæc erubescitis, infremitis, » consequentias illas detestabimini; sed ex» horreatis licet, eo vobis deveniendum est, » aut, quod est objectum desiderii mei, fi» nem imponetis futilibus vestris objectio» nibus, ut recognoscatis in illa concordia » patrum legem quam sequi debetis. »

Dicunt 5° Episcopi non sunt unanimes in sua acceptatione; alii acceptarunt simpliciter, alii relative ad suas explicationes. Ergo

R. omnes acceptasse simpliciter, nullum relative, relatione scilicet restringente bullam ad suas explicationes, quasi sensus bullæ foret erroneus, aut non posset habere alium sensum legitimum quam sensum explicationum ; sed adjunxerunt explicationes suæ acceptationi, tantum ut prævenirent abusus bullæ qui fieri possint : acceptatio autem hoc sensu relativa, non impedit acceptationem simplicem : sic acceptamus simpliciter S. Scripturam, eam tamen explicamus contra falsas hæreticorum interpretationes et ad instructionem fidelium : non vero ut restringamus ejus sensum ad nostrum, quasi ipsius sensus foret falsus, aut non posset esse legitimus alius a nostro.

Dicunt 6° Constitutio damnat vago et indeterminato modo centum et unam propositiones respective ut falsas, erroneas, male sonantes, scandalosas, hæreticas, etc., atqui hujusmodi constitutio non potest esse regula fidei : ergo. *Prob. min.* Fides debet habere objectum fixum : atqui incertum nobis relinquitur quæ propositio sit erronea, quæ scandalosa, quæ hæretica, etc. Ergo.

R. N. min. Ad prob. D. min. Nobis incertum relinquitur quæ propositio sit erronea, quæ hæretica etc., et hoc est objectum constitutionis, *N.* et non est objectum constitutionis, *C.* Non ergo constitutio obligat ut credamus hanc vel illam propositionem in particulari, vel scandalosam, vel hæreticam, etc., sed ut credamus nullam esse super quam non cadat aliqua qualificatio, nec ullam esse qualificationem quam non mereatur aliqua propositio, uno verbo, omnes has propositiones esse defectuosas, et nullam posse sustineri : hoc autem objectum est fixum et determinatum. Sit paritas : medicus expertissimus et fide dignus monet convivas omnia fercula convivii esse venenata, non explicando qualitatem veneni quod cuique ferculo competit, an sit frigidum, an calidum, an statim necans, an causans languorem, etc., objectum fidei humanæ in convivis est, quod hæc fercula sint vitiata et vitanda, et hoc sufficit ut nullus ex eis quidquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualitate venenorum. Similiter in nostro casu : Ecclesia non exigit quod credam aut dicam hanc propositionem esse hæreticam, illam male sonantem istam scandalosam, etc., sed solum quod habeam omnes ut defectuosas et jure damnatas, quarum nullam ideo possim sustinere. Insuper non aliter damnatæ sunt propositiones Wicleffi et Joannis Hus in concilio Constantiensi, propositiones Baii, libri *Maximes des saints*, et aliæ ; quo non obstante, constitutiones adversus illas sunt ab Ecclesia acceptatæ ut regulæ fidei.

Dicunt 7° posse contingere quod major pars episcoporum cum summo pontifice, paucis admodum exceptis ex adverso reclamantibus, errorem definiat ac pertinaciter defendat : ergo ex acceptatione constitutionis a majori parte episcoporum nihil potest extundi pro ejus infallibilitate. *Prob. ant.* ex concilio Ariminensi et Seleuciensi, ubi major pars episcoporum hæresi Arianæ subscripsit. Ergo.

R. N. ant. quod est totius religionis eversivum : hoc enim semel admisso, Ecclesia non est amplius catholica, *ut patet*, nec visibilis ; cui enim parti credent fideles, si non majori auctoritati ? Debebunt discutere cujusque rationes, cum discussionis sunt ut plurimum incapaces, et suo privato spiritui fidere, quod est basis hæreseos Lutheranæ et Calvinisticæ : et his hæreticis nobis fallibilitatem Ecclesiæ objicientibus, nihil quod respondeamus habebimus. Unde S. Augustinus ex professo probat contra Donatistas, Ecclesiam apud eos non esse, quia, licet inter eos numerarentur trecenti episcopi, hi tamen erant pauci comparative ad cæteros, et concludebantur intra limites Africæ. Insuper nullus hæreticus, nulla hæresis poterit unquam damnari ; nulla enim est causa adeo perversa quæ non inveniat aliquos patronos.

Ad probationem. Inprimis falsum est patres Seleucienses subscripsisse Arianismo, nihil enim eo in concilio, ob sententiarum dissensionem, fuit definitum. 2° Falsum est patres Ariminenses subscripsisse hæresi Arianæ : subscripserunt namque formulæ secundum se catholicæ, sed qua, propter omissionem ὁμούσιον ex fraude Arianorum, hi abutebantur. 3° Falsum est majorem partem episcoporum totius Ecclesiæ huic perfidiæ Arianæ subscripsisse. 4° Tandem falsum est patres Ariminenses, quoad suam subscriptionem, conjunctos fuisse summo pontifici : Liberius enim papa, jam a biennio sibi redditus et Romam redux, fidem

Nicænam palam profitebatur et propugnabat. Primum et quartum constant ex omnibus historicis, secundum et tertium probavimus in tract de Trinit. digress. 3 ad dissert proœm. Illuc recurre.

Observandum tantum est quod, dum quidam Patres dicunt tempore conciliorum Ariminensis et Seleuciensis omnes, paucis exceptis, tempori obsecundasse, et peste seu perfidia Ariana fuisse infectos, vel non loquantur de universa Ecclesia, sed de quibusdam provinciis Asianis, in quibus maxime grassabatur hæc hæresis; vel intelligant pestem Arianam pervasisse omnes provincias, et ubique esse diffusam, non tamen infecisse omnes; vel loquantur hyperbolice et per exaggerationem, propter multitudinem illorum qui videbantur defecisse; vel tandem per hæresim seu perfidiam Arianam intelligebant formulam subdolam cui subscripserant patres Ariminenses, quæ, licet esset in se catholica, favebat tamen Arianis, qui ea abutebantur propter omissam vocem *consubstantialis*. Vide locis citatis de Trinitate

Instant. Non quod tenet major pars Ecclesiæ semper est verum, aut saltem de fide: sic communius tenetur in Ecclesia conceptio immaculata B. V. et tamen non est de fide. Ergo.

R. D. ant. Non quod tenet major pars Ecclesiæ semper est de fide, si non sit definitum, et sic Ecclesiæ propositum, *C.* si sit definitum, et sic Ecclesiæ propositum. *N.* Unde *patet disparitas.*

Dicunt 8° Plures propositiones Quesnelli iisdem plane terminis leguntur in sanctis Patribus: ergo hi etiam sunt damnandi.

R. D. ant. Plures propositiones iisdem plane terminis et eodem sensu leguntur in sanctis Patribus, *N.* sensu diverso, *C.* Sensus enim alicujus propositionis eruitur, non ex solis verbis quibus componitur nude spectatis, sed spectatis respective ad circumstantias et conditionem auctoris et temporis: unde *N. conseq.*

Dicunt 9° Summus pontifex non declaravit Appellantes hæreticos.

R. eos declarasse ab Ecclesiæ communione separatos, quod valde est affine. Quod si aliud non expresserit pontifex, id fecit ex prudenti œconomia, sperans fore ut Appellantes lenitate potius quam severitate essent revocandi.

Instant. Galli diu recusarunt acceptare concilium Nicænum II, in causa imaginum, et concilium Florentinum: atqui tamen non habiti sunt pro hereticis Ergo.

R. Gallos convenisse in dogmate cum concilio secundo Nicæno, nec illud recusasse nisi ex errore facti, quod putarent ab eo decretum fuisse imaginibus cultum latriæ sicut Deo, illudque habebant pro concilio nationali Græcorum, et a summo pontifice esse confirmatum ignorabant. Vide quæ latius hac de re dixi in tract. de Incarnatione, dissert. 23, a. 3, § 3, obj. 2. Quantum ad concilium Florentinum, neque Galli unquam illi obstiterunt quoad definitionem fidei, de quo infra.

Dicunt 10° Pater Quesnellus fuit damnatus inauditus. Item, cur, toties rogatus, pontifex noluit explicare suam contitutionem?

R. ad primum. Non agebatur de persona Quesnelli, nec quidem fuit nominata; sed agebatur de ejus libro: liber autem est simul sui accusator, testis et patronus, et ad eum probandum vel damnandum sufficit legere, et sensum intelligere. Unde, quidquid dixisset Quesnellus, forte probasset suam mentem et intentionem fuisse rectam, at non sensum obvium sui libri esse orthodoxum.

Ad secundum. Pontifex explicavit suam bullam, dum in litteris *Pastoralis officii* declaravit per eam non damnari sententias in scholis catholicis tradi solitas. Quibus non sufficit hæc explicatio, non suffecissent ampliores. Aliunde non tam explicationem quam revocationem petebant. « Silebat sacer ordo, inquiebat Facultas theologica » Parisiensis in instrumento suæ appellationis, pro sua in S. Sedem et sanctissimum » D. Clementem filiali observantia ac reverentia, et sperabat fore ut Sanctitas sua, » tantis malis commota, prædictam tandem » constitutionem revocaret. » Item, vel explicationes fuissent conformes proprio sensui bullæ vel difformes: si prius, illas rejecissent ut ipsam bullam, aut explicationem explicationum petiissent, et sic sine fine; si posterius, jactassent bullam indiguisse emendatione, et esse reformatam, novamque, priori reprobata, editam esse.

Pluribus supersedeo: quia, morientibus Appellantibus, nec aliis qui illos imitentur insurgentibus, defervescunt contentiones,

ita ut nunc communiter et absque ulla contradictione admittatur constitutio ut lex dogmatica, seu, ut dicit Benedictus XIII in concilio Romano, ut regula fidei, non hoc sensu quod contineat prima et præcipua elementa fidei, sicut Symbolum Apostolorum, sed quia fidelis debet juxta illam se gerere in his quæ continet, et credere ea quæ damnat esse legitime damnata, sicut credit dogmata Calviniana, a Tridentino damnata, esse legitime damnata. Qui tamen plura videre cupit, adeat Instructiones pastorales eminentiss. cardinalis de Bissy et illustris. archiep. Senonensis. Vindicavimus olim scholam nostram a propositionibus Quesnellianis in opere Gallico cui titulus : *Le Thomisme vengé de sa prétendue condamnation par la constitution Unigenitus.* Vide si lubet.

ARTICULUS VIII.

Utrum Ecclesia sit infallibilis in canonisatione sanctorum?

Canonisatio est publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate et gloria alicujus hominis defuncti. Istud autem testimonium est per modum judicii, quod homini canonisato decernuntur honores qui cum Deo regnantibus debentur, scilicet, quod inscribatur in sanctorum catalogo, quod in publicis Ecclesiæ precibus invocetur, quod in ejus memoriam Deo templa erigantur, sacrificium offeratur, horæ canonicæ recitentur, dies festi celebrentur, ejus imago cum radiis qui denotent ejus gloriam depingatur, et ejus reliquæ publice honorentur.

In hoc differt canonisatio a beatificatione, 1° quod canonisatio sit ultima et definitiva sententia de sanctitate et gloria alicujus, non vero beatificatio; post eam enim requiruntur adhuc novæ informationes, ut perveniatur ad canonisationem. 2° Beatificatio non tam est sententia quam indulgentia, seu permissio, ut alicui deferatur cultus religiosus, non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua provincia vel religione : unde pontifices in bullis canonisationis dicunt : *Definimus, decernimus, mandamus*, etc., in bullis vero beatificationis dicunt : *Indulgemus, concedimus*, etc.

Quamvis canonisatio sanctorum, quoad modum qui nunc servatur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper quoad substantiam, ita quod nullus sanctus coleretur sine prævia discussione et approbatione illius sanctitatis, ut constat ex Optato Milevitano, lib. 1 contra Parmen. ubi significat illicitum fuisse venerari reliquias alicujus *hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati*, id est, nondum approbati et recepti : si autem sic pro martyribus, *a fortiori* pro aliis sanctis. Hæc vero discussio et approbatio, seu canonisatio, fiebat ab episcopo vel primate pro suis ecclesiis tantum, sed cultus in eis institutus ex populorum devotione, accedente consensu tacito vel expresso summi pontificis, sæpe extendebatur ad alias ecclesias.

Verum, cum in hoc quidam episcopi aliquando modum excessissent, aut aliunde irrepsissent abusus in cultu sanctorum, ita ut quandoque impii in certis locis colerentur pro sanctis, Alexander III, cap. *Audivimus* de reliquiis et veneratione sanctorum, jus canonisandi sanctos soli Sedi apostolicæ reservavit, et ipse S. Bernardum et S. Thomam Cantuariensem canonisavit.

Dico. Ecclesia est infallibilis in canonisatione sanctorum.

Quodlib. 9. a. 16. o. — Est communior et probabilior, videturque aperte esse D. Thomæ, Quodlibeto 9, a. 16. Ibi quærit S. Doctor utrum omnes sancti qui sunt per Ecclesiam canonisati, sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno; et cum in corpore articuli statuisset tanquam certum, quod judicium Ecclesiæ universalis in his quæ ad fidem pertinent errare sit impossibile, addit : « In aliis vero sententiis quæ » ad particularis facta pertinent, ut cum » agitur de possessionibus, vel de criminibus vel de hujusmodi, possibile est judicium errare propter falsos testes : canonisatio vero sanctorum medium est inter » hæc duo. Quia tamen honor quem sanctis » exhibemus quædam professio fidei est, » qua sanctorum gloriam credimus, pie » credendum est quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit. » *Ad primum.* « Summus pontifex, cujus est canonisare sanctos, potest certificari de statu » alicujus... præcipue per instinctum Spiritus sancti. » *Et ad secundum.* « Divina » providentia præservat Ecclesiam, ne in » talibus, per fallibile testimonium hominum fallatur. » Cum ergo in his S. Doctor

certitudinem judicii Ecclesiæ repetat ex divina providentia et instinctu Spiritus sancti, quem constat falli aut fallere non posse, apertum est ipsum sentire Ecclesiam absolute esse infallibilem in canonisatione sanctorum. Cum autem dicit *hoc esse pie credendum*, non vult significare aliter posse contingere, sed eam infallibilitatem Ecclesiæ in canonisatione sanctorum non esse ita certam sicut certa est ejus infallibilitas in rebus fidei, de qua paulo ante locutus fuerat; hæc enim est certa certitudine fidei, non ita prima, saltem ut multis videtur De quo infra.

Prob. 1° Ecclesia est infallibilis in communi doctrina morum : atqui canonisatio sanctorum videtur pertinere ad communem doctrinam morum : ergo. *Prob. min.* Ecclesia, canonisando aliquem, obligat fideles ut eum habeant pro sancto, eumque ipsis proponit ut colendum et imitandum : atqui hæc videntur spectare mores. Ergo.

Confirmatur. Ecclesia est sancta : atqui, si proponeret colendum et imitandum impium et damnatum, eum que ut talem haberent fideles, id graviter derogaret sanctitati Ecclesiæ. Ergo.

Prob. 2° Si Ecclesia falleretur in canonisatione sanctorum, id cederet id gravem ejus despectum et inhonorationem, eam enim irrederent dæmones, dum viderent quos damnationis socios habent a fidelibus coli et invocari tanquam Dei amicos et ejus gloriæ consortes : atqui non est verisimile Deum in similibus suam Ecclesiam deserere. Ergo.

Quod hic dicimus de canonisatione videtur dicendum, licet non eadem certitudine, de beatificatione ; quia, licet in beatificatione non definiat ultimate, concedit tamen et approbat cultum hujus vel illius : in qua concessione et approbatione si erraret, suæ infallibitati in doctrina morum, suæ sanctitati et suo honori derogaret eodem fere modo quo dictum est de canonisatione.

Dices 1° Nullus potest esse ita certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se ; quia *Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est*, 1 Cor. 2 : atqui nullus potest esse certus de seipso, an sit in statu salutis ; *Nemo enim scit utrum sit dignus odio vel amore*, Eccle. 9. Ergo.

Ibid. ad 1. — *R. D. maj.* Nullus potest esse ita certus, etc. seclusa assistentia Spiritus sancti, *C.* ea supposita, *N.* Dicendum itaque quod summus pontifex, cujus est canonisare sanctos, potest certificari de statu alicujus, non solum per inquisitionem vitæ et attestationem miraculorum, sed præcipue per instinctum Spiritus sancti, qui *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Inst. Ecclesia in canonisatione sanctorum innititur testimonio humano, quod est fallibile : ergo.

Ibid. ad 2. — *R. D. ant.* Innititur testimonio humano tantum, *N.* item et præcipue divinæ providentiæ, quæ præservat Ecclesiam ne in talibus fallatur, *C.*

Dices 2° Multi honorantur ut sancti qui non sunt : ergo. *Prob. ant.* Severus Sulpitius, in vita S. Martini, narrat latronem pro sancto honorari. Alexander III citatus refert hominem in ebrietate occisum pro sancto coli. In Martyrologio Usuardi recensetur inter sanctos Eusebius Cæsariensis, quem constat fuisse Arianum, imo Arianorum principem, juxta S. Hieronymum lib. 2 adversus Rulin. c. 14. Item opponuntur hæc verba S. Augustini : « Multa corpora » honorantur in terra, quorum animæ tor» quentur in gehenna. » Ergo.

R. D. ant. Multi honorantur ut sancti ab aliqua particulari ecclesia, qui non sunt, *C.* ab universa Ecclesia, *N.* Et sic intelligenda sunt quæ proponuntur in objectione. Adde quod verba quæ citantur ex S. Augustino, juxta Sylvium, in eo non reperiantur, possent insuper intelligi de cultu civili, ut de magnificis sepulcris, de orationibus funebribus et similibus.

Inst. Martyrologia proponuntur toti Ecclesiæ : ergo.

R. D. ant. Martyrologia proponuntur toti Ecclesiæ, ut omnes quos referunt colantur ut sancti a tota Ecclesia, *N.* ut noscantur qui in certis locis colantur, *C.* Unde Ecclesia aliquando emendat Martyrologia.

Dices 3° Nullum est inconveniens quod aliquis non sanctus, qui creditur sanctus, colatur ut sanctus : ergo. *Prob. ant.* Cultus alicujus sancti, cum sit actus virtutis practicæ, nempe religionis, regulari debet judicio practice etsi non speculative vero : atqui ad veritatem judici practici sufficit quod, attentis circumstantiis, prudenter judicetur hunc esse sanctum, licet revera non sit : paritas est in hostia non consecrata, quæ,

cum prudenter judicatur consecrata, adoratur ut talis. Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. maj. Cultus alicujus sancti debet regulari judicio practice vero, supposito judicio Ecclesiæ speculativo, *C.* eo secluso, *N.* Ideo enim fidelis judicat practice aliquem esse colendum, quia judicavit Ecclesia hunc esse sanctum : est autem grave inconveniens quod Ecclesia erret in tali judicio quod spectat omnes fideles ; id enim repugnat, *ut probatum est*, ejus infallibilitati in doctrina morum, ejus sanctitati et honori. *Et hinc patet disparitas*, Ecclesia enim non judicat hanc hostiam esse consecratam. Altera disparitas est, quod Christus adoretur sub speciebus ; quod si non sit, ut creditur, sub illis, subsistit tamen et est verum objectum adorationis ; at si colatur sanctus qui non est, non erit objectum cultus, sed potius execrationis. *Si dicas* Deum etiam coli in sanctis, ita est, sed etiam sancti coluntur et invocantur.

Inst. 1° Ecclesia potest errare in proponendis reliquiis absque gravi inconvenienti : ergo in proponendis sanctis.

R. N. conseq. Disparitas est, quod sanctus sit objectum directum cultus, cultus autem reliquiarum directe fertur in sanctum qui sit revera sanctus.

Inst. 2° Sic Ecclesia proponit aliquam ut sanctam, sicut proponit illam ut virginem : atqui errare potest in qualitate virginitatis : ergo.

R. 1° *D. maj.* Sic Ecclesia proponit aliquam ut sanctam, sicut proponit illam ut virginem, si ita exprimat, *C.* secus, *N.* Non autem ita exprimit Ecclesia, nisi specialibus miraculis constet de virginitate ; sed communiter proponitur ut sancta. Verum est quidem quod, si non constet non fuisse virginem, assumatur officium de virgine, quia præsumitur virgo : quod si ita non sit, ista error non est tanti momenti, nec majus est inconveniens quod aliquid indebitum tribuatur alicui vere sanctæ, quam quod subtrahatur ei debitum, legendo officium de vidua. 2° *Omissis præmissis*, *N. conseq.* Quia longe majus est inconveniens pro tota Ecclesia, quod quæ non est sancta proponatur ut sancta, quam quod quæ non est virgo proponatur ut virgo, modo sit revera sancta, subsistit enim tunc verum objectum cultus.

Dico 2° Non videtur esse de fide quod Ecclesia sit infallibilis in canonisatione sanctorum, consequenter neque quod ab Ecclesia canonisatus sit sanctus et beatus.

Ibid. o. — *Prob. prima pars*, 1° ex Auctore, qui judicium Ecclesiæ in canonisatione sanctorum ponit medium inter judicium Ecclesiæ de rebus fidei et judicium de factis particularibus, et dicit, non quod sit de fide, sed sit *pie credendum quod in his judicium Ecclesiæ errare non possit*.

2° Quamvis sit fide certum Ecclesiam esse infallibilem in communi doctrina morum, non est tamen eadem fide certum canonisationem sanctorum pertinere ad communem doctrinam morum, neque id omnes concedunt. Ergo.

3° Nulla extat Ecclesiæ definitio de sua infallibilitate, ut fidei divinæ, in canonisatione sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc sequitur secunda pars. Si enim non sit de fide quod Ecclesia sit infallibilis canonisando aliquem, ergo *a fortiori*, neque quod iste canonisatus sit sanctus, cum aliunde id non sit revelatum neque immediate, *ut per se patet*, neque mediate in ipsa infallibilitate Ecclesiæ ; cum, *ut dictum est*, non sit certa de fide.

Dices. S. Th. citatus dicit quod *honor quem sanctis exhibemus sit quædam professio fidei qua sanctorum gloriam credimus* : atqui fides qua credimus gloriam sanctorum est divina : ergo fides qua credo hunc sanctum et illi exhibeo honorem, est divina.

R. N. conseq. Ex hoc enim quod fides de gloria sanctorum in communi, quam protestor exhibendo illis honorem, sit divina, quia gloria sanctorum in communi est revelata, non sequitur quod fides de isto particulari canonisato, quam protestor exhibendo illi honorem, sit divina, quia non est revelatum quod iste sit sanctus.

Itaque credimus infallibilitatem Ecclesiæ in canonisatione sanctorum, et hunc quem canonisat esse sanctum et beatum, non fide divina, neque pure humana et fallibili, sed fide ecclesiastica infallibili fundata in assistentia Spiritus sancti.

Neque dicas hanc assistentiam Spiritus sancti esse ipsam revelationem ; aliud enim est assistere alicui ne erret loquendo, aliud revelare illi quid loquatur : *patet* in definitionibus conciliorum, quibus assistit Spiritus sanctus ne errent definiendo, et tamen

non insis revelat suas definitiones, alioquin Patres forent scriptores sacri, et definitiones eorum forent scriptura sacra et verbum Dei, *ut jam alibi observavimus.*

Hinc inferes quod, qui negaret aliquem ab Ecclesia canonisatum esse sanctum et in gloria, non esset hæreticus, sed esset 1° temerarius, quia contradiceret communi Ecclesiæ sensui in re fundatissima, et cujus oppositum non habet idoneum fundamentum : *Insolentissimæ est insaniæ*, inquit S. Aug. Epist. 118, *disputare an sit faciendum quod tota Ecclesia facit;* 2° esset scandalosus, quia retraheret fideles a cultu sanctorum; 3° impius, quia faceret injuriam Ecclesiæ et ipsis sanctis; 4° saperet hæresim sectariorum qui irrident canonisationes quas facit Ecclesia, et negant cultum ac invocationem sanctorum.

DISSERTATIO IV.

DE SUMMO PONTIFICE.

ARTICULUS I.

De primatu sancti Petri.

Suppono 1° Christum ascendentem in cœlum non abdicasse omnem potestatem quæ ipsi data est in cœlo et in terra, sicque remanere caput Ecclesiæ principale; est enim Sacerdos in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, influens in nos charismata gratiarum et potens per semetipsum salvare accedentes ad Deum. unde non habet in terris successorem; successor enim est, qui sic succedit in locum alterius ut iste alter non habeat amplius auctoritatem quam prius habebat.

Suppono 2° Christum, subtrahendo fidelibus suam præsentiam corporalem, non sic sibi suam potestatem retinuisse, ut vicarium sui visibilem in terris pro regimine Ecclesiæ non reliquerit : Ecclesia enim, cum sit corpus visibile, indiget rectore qui in casibus emergentibus videri, adiri et audiri possit.

Quærimus itaque quem Christus instituit sui vicarium et caput totius Ecclesiæ, cum potestate illam regendi? an unum Petrum? an omnes ex æquo Apostolos? Hoc ultimum prætendunt novatores, ex odio in Romanam ecclesiam : cum enim pontifex Romanus non habeat aliam jurisdictionem quam eam quam habuit Petrus cujus est successor, si Petrus nullam habuerit in Apostolos, et ex æquo cum illis sit Ecclesiæ præfectus; ita Romanus pontifex non habet primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam, sed cum episcopis, inter quos est sicut primus inter pares.

Circa medium sæculi præteriti, prodierunt duo libelli coæquantes Paulum Petro in regimine Ecclesiæ, et constituentes duo capita quæ coalescerent in unum : hos confixit Innocentius X, vigesimo quarto januarii 1647. Igitur contra hos omnes,

Dico. Petrus, isque solus, est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiæ : sive, soli Petro concessus est a Christo primatus, non solum honoris et dignitatis, sed potestatis et jurisdictionis in Apostolos et universam Ecclesiam.

Prob. 1° ex duplici loco S. Scripturæ. Primus est Matth. 16, ubi Christus Petro, præ cæteris Apostolis confitenti quod esset Filius Dei, extemplo vices et præmium confessionis rependens, dicit ipsi : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est; et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Quibus verbis sensu obvio acceptis, significatur primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet fundamenti et clavium; quod enim est in ædificio fundamentum, hoc est in corpore caput, in civitate rector, rex in regno, paterfamilias in domo, et cui traduntur claves, ipse instituitur rex aut gubernator civitatis. *Subsumo.* Atqui hæc verba nulli alteri ex Apostolis quam Petro convenire possunt : ergo. *Prob. min.* Nullus præter Petrum confessus fuerat divinitatem Christi, nullus præter ipsum poterat dici *Simon Barjona*, seu filius Jonæ; nullus præter ipsum vocatus est *Cephas*, quod interpretatur saxum, petra seu rupes. Non enim dixit Christus, ut habet versio latina : Tu es Petrus, sed syriace loquens : *Tu es Cephas*, hoc est, Tu es saxum seu petra, et super hoc saxum seu hanc petram, ubi pronomen *hanc* manifeste indicat petram de qua prius facta est mentio, quasi diceret : Tu es petra super quam

ædificabo Ecclesiam meam : ideo autem latinus interpres vertit, *Tu es Petrus*, et non, *Tu es petra*, quia secutus est codicem græcum, qui habet πέτρος; græce vero tam πέτρος quam petra significant lapidem, et visum est interpreti latino convenientius homini tribuere nomen masculinum *Petrus* quam fœmininum *petra*. Ergo his verbis soli Petro concessus est primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere Patres : Oregines, Hom. 5 in Exod. Tertull. de Præscript. c. 21; S. Basilius, ad cap. 2 Isaiæ; Nazianzenus, Orat. 21; S. Chrysost. Hom. 2 de pœnit. in Psal. 50; S. Cyrillus Alexan. l. 2 in Joan. c. 12; Epiphanius, hæresi 59; 59; Cypr. Epist. 40, 57 et 71; S. Hieron. adversus Pelagian. c. 4; S. Hilarius, c. 26 in Matth. Denique S. Augustinus, quem opponunt sectarii, in Psal. 69 : « Petrus, inquit, qui paulo » ante eum confessus erat Filium Dei, et in » illa confessione appellatus erat petra su» per quam fabricaretur Ecclesia, etc. » Et serm. 29 de Sanctis : « Solus inter Apos» tolos meruit audire : *Amen dico tibi quia tu* » *es Petrus, et super hanc petram ædificabo* » *Ecclesiam :* dignus certe qui ædificandis » in domo Dei populis lapis esset ad funda» mentum, columna ad sustentaculum, cla» vis ad regnum. » Confer quæ dicam in *solutione primi argumenti.*

Alter locus Evangelii est Joan. 21, ubi Christus quod promiserat Petro Matth. 16 citato, propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem : *Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Constat 1° hæc verba, ut ante, non posse alteri convenire quam Petro, designatur enim nomine proprio et patris, *Simon Joannis;* ter ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trinæ negationi; ipsum interrogando excludit cæteros dicens : *Diligis me plus his?* ideoque ipse Petrus proprio et non aliorum nomine respondit : *Tu scis, Domine, quia amo te,* cum aliunde scire non posset an alii ipsum diligerent. Constat 2 universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam : non enim committit illi has aut illas oves seu agnos, sed indefinite *oves meas, agnos meos :* omnes autem fideles sunt oves Christi vel agni; per agnos significabitur populus, per oves pastores. Unde S. Bernard. lib. 2 de Consid. cap. 8 : « Cui, in» quit, non dico episcoporum sed etiam » Apostolorum sic absolute et indiscrete » totæ commissæ sunt oves? Si me amas, » Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel » illius populos civitatis aut regni? Oves » meas, inquit. Cui non planum non desi» gnasse aliquas, sed assignasse omnes? Ni» hil excipitur ubi distinguitur nihil. » Et Eucherius Lugdunensis, vel alter antiquus episcopus Gallicanus, Serm. de Natali Apostolorum Petri et Pauli : « Prius, inquit, » agnos, deinde oves commisit ei; quia non » solum pastorem, sed pastorum pastorem » eum constituit; pascit igitur Petrus agnos, » pascit et oves, pascit filios, pascit et ma» tres, regit et subditos et prælatos; om» nium igitur pastor est, quia præter agnos » et oves in Ecclesia nihil est. » 3° Constat his verbis Petro summam potestatem in omnem Ecclesiam, quia ad officium pastoris pertinet non solum gregi cibum præbere, sed ipsum ducere, reducere, tueri, regere, corrigere, etc. « Pascere oves, in» quit auctor in Catena, est credentes in » Christo, ne a fide deficiant, confortare, » terrena subsidia, si necesse est, subditis » providere, et exempla virtutum sub verbo » prædicationis impendere, adversariis ob» sistere, errantes subditos corrigere. »

Atque item hunc locum exponunt communiter SS. Patres, præter jam citatos, Origenes, in cap. 6 Epist. Rom. Ambrosius, lib. 10 in Lucam ad cap. 24; Gregorius Magnus, lib. 4 Epist. 32, etc.

Prob. 2° traditione quam testantur Patres laudati et concilium Chalcedonense, act. 3, ubi dicitur de S. Petro : *Qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum. Patebit* adhuc amplius ex dicendis art. subseq.

Prob. 2° ex prærogativis Petro concessis. 1° Ex nominis mutatione : cum enim antea vocaretur Simon, jussit Christus ut vocaretur *Cephas,* id est saxum, petra, vel rupes super quam fundaret Ecclesiam. 2° Ex eo quod regulariter in S. Scriptura, Matth. 10, Marc. 3, Luc. 6, Act. 1, primus inter Apostolos recenseatur, non ratione vocationis aut ætatis; Andreas enim ejus frater fuit prius vocatus, et secundum Epiph. hæresi 51, erat natu major : ergo ratione auctoritatis et primatus. 3° Ex eo quod S.

Scriptura loquatur de Petro ut de capite : sic Marci 1 : *Simon et qui cum illo erant* Lucæ 8 et 9 : *Dixit Petrus ; et qui cum illo erant ;* Act. 2 : *Petrus et undecim ;* ibid. 5 : *Petrus et Apostoli.* 4° Primum concilium in electione S. Mathiæ convocavit, Act. 1. In alio concilio, de observatione legalium, primus sententiam dixit.

4. Cont. Gent. c. 76. — *Prob.* 4° *ratione theologica.* Christus in Ecclesia instituit regimen monarchicum, in quo unus extat supremus princeps, qui plena auctoritate rerum summam administrat : ergo non instituit ex æquo omnes Apostolos totius Ecclesiæ principes et rectores, sed unum duntaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus ? *ut ex dictis patet :* nec alium assignant hæretici.

Prob. multipliciter ant. Ecclesia, Daniel. 2, comparatur regno ; Cantic. 6, exercitui ordinato; 1 Pet. 3, navi; Joan. 10, ovili : atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur. Ergo.

Ibid. — 2° Nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum *per quem reges regnant et legum conditores justa decernunt,* Proverb. 8 : atqui optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum : ergo. *Prob. min.* ex fine regiminis, qui est pax et unitas subditorum : atqui unus est congruentior causa unitatis et concordiæ quam multi, quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniuntur ; manifestum est enim quod plures non possunt unire et concordare, nisi ipsimet aliquo modo conveniant et uniantur. Ergo.

Ibid. — 3° Quamvis populi distinguantur per diversas diœceses et civitates, tamen sicut Ecclesia est una, ita oportet esse unum populum christianum : sicut ergo in uno populo speciali unius Ecclesiæ requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiæ caput.

Ibid. — 4° Ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant : atqui contingit oriri difficultates circa ea quæ sunt fidei; per diversitatem autem sententiarum quæ a diversis oriri possunt, divideretur Ecclesia, nisi per unius sententiam in unitate conservaretur : ergo requiritur ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit.

Ibid. — 5° Ecclesia militans ex triumphante derivatur per similitudinem : unde Joannes, Apocal. 21, *Vidit Jerusalem descendentem de cœlo:* atqui in Ecclesia triumphante unus præsidet omnibus, qui etiam in toto universo præsidet, scilicet Deus. Ergo.

Ibid. — *Si quis dicat* in Ecclesia esse unum caput, scilicet Christum : *R.* id non sufficere; quia, licet Christus semper sacramenta ministret et perficiat, juxta illud Joan. 1 : *Hic est qui baptizat*, cum tamen suam præsentiam corporaliter visibilem substracturus esset, constituit ministros, qui sacramenta visibiliter ministrarent : ergo similiter oportuit quod aliquem constitueret qui, loco sui, universalis Ecclesiæ curam gereret.

Si reponat. Ad perfectionem regiminis politici, non est necesse quod in universo sit tantum unus monarcha : ergo similiter in regimine spirituali totius Ecclesiæ. Item Deus non præfecit ab initio regem populo suo Israelitico. Ergo.

R. ad primum. Disparitas est, quod non sit necesse in universo esse unum tantum regnum: Ecclesia vero, in universo diffusa, est unum regnum, quod ideo regi debet per unum. 2° Non est necesse quod totus orbis iisdem legibus regatur: at tota Ecclesia debet idem credere, iisdem sacramentis uti, et eadem Christi præcepta servare, quæ omnia fieri non possunt, nisi sit unum Ecclesiæ caput.

2. q. 105. a. 1. ad 2. — *Ad secundum.* Quamvis regnum sit optimum regimen populi si non corrumpatur, quia tamen, propter magnam potestatem quæ regi conceditur, de facili degenerat in tyrannidem, nisi perfecta sit virtus ejus cui talis potestas conceditur ; Judæi autem crudeles erant et in avaritiam proni, per quæ vitia maxime homines in tyrannidem decidunt ; ideo Deus a principio Israelitis regem non instituit cum plena potestate, sed judicem et gubernatorem in eorum custodiam.

Ibid. — Verum, quia ad bonitatem regiminis confert quod populi illud ament, quia sic facilius servatur pax ; illud autem amant cum in eo habent aliquam partem, ut in aristocratia et democratia ; ideo potest dici quod regimen Ecclesiæ monarchicum sit

aliquo sensu temperatum ex aristocratia et democratia : aristocratia, quatenus sub supremo capite plures optimates principantur, ut patriarchæ, archiepiscopi et episcopi; democratia, quatenus hujusmodi principes spssunt eligi ex omnibus; et sic omnes aliquam partem habent in Ecclesiæ regimine.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ex cap. 16 Matth. laudato, nihil erui potest pro primatu S. Petri. Ergo. *Prob. ant.* 1° Quia per has particulas, *et super hanc petram*, non intelligitur S. Petrus, sed Christus ipse, juxta illud 1 Cor. 10: *Petra autem erat Christus*, et illud ibid. cap. 3 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus;* et juxta S. Aug. qui tract. ult. in Joan. dicit : *Super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam;* et Serm. 13 de verbis Domini : *Tu es ergo Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam; super me ædificabo te, non me super te.* Ergo.

Prob. 2° *idem ant.* Esto hæc verba ad Petrum aliquo modo referri, non tamen ad ejus personam, sed ad ejus fidem seu confessionem, ita ut sensus sit : Et super hanc confessionem Petri ædificabo Ecclesiam meam : ita S. Hilarius, lib. 9 de Trinit. *Super hanc igitur*, inquit, *confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.* Similiter S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4 de Trinitate, et S. Chrysost. Hom. 55 in Matth. Ergo.

Prob. 3° *idem ant.* Ista verba : Tibi dabo claves regni cœlorum, non referuntur ad personam Petri singulariter, sed ad Ecclesiam, ita ut claves sint collatæ Petro nomine Ecclesiæ, juxta illud S. Augustini, tract. 50 in Joan. *Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam significavit.* Ergo.

R. N. ant. Ad primam probat. N. ant. Nam 1° ut observavimus, pronomen relativum *hanc* in his verbis, *et super hanc petram*, denotat petram de qua prius facta est mentio : de Christo autem non est facta mentio sub nomine petræ, sed sub nomine Filii Dei vivi; bene de Petro sub nomine petræ. *Tu es Cephas*, seu *petra.* 2° Si intelligatur de Christo, fit sensus involutus et intricatus, scilicet : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, id est super me, *ædificabo Ecclesiam meam, et tibi* Petro *dabo claves regni cœlorum;* quo nihil est intricatius, a sensu naturali magis alienum. 3° Post confessionem Petri et hæc verba, *Beatus es, Simon Barjona*, Christus adjecit : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, tanquam clausulam præcedentium, et ut præmium confessionis Petri, *ut patet :* ergo ad ipsum referuntur, et non ad Christum. 4° Si ad Christum referuntur, non dixisset ædificabo, sed ædifico, quia jam tunc in se ædificaverat Apostolos et discipulos multos. Ex quibus *patet* hunc sensum esse prorsus contortum, a sensu obvio alienum, et ideo nullatenus admittendum : adde quod sit contrarius interpretationi communi SS. Patrum, ut vidimus.

Ad primam auctoritatem. Ex eo quod, loco citato Apostoli, per petram intelligatur Christus, non sequitur quod ubicumque petra ponitur intelligatur Christus; est enim proprium nominibus metaphoricis, ut secundum diversas circumstantias diverso sensu accipiantur : sic aliquando in S. Scriptura, sub nomine leonis, Christus intelligitur, non tamen ubicumque ponitur leo significatur Christus; hic autem per petram non significari Christum sufficienter probatum est.

Ad secundam auctoritatem. Apostolus loquitur ibi de primario et principali fundamento, non de secundario et ministeriali, alias sibi contradiceret, cum Ephes. 2 dicat : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.*

Inferes. Ergo saltem cæteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiæ, et sic nihil habemus speciale pro Petro, ex cap. 16 Matth.

R. D. illatum. Cæteri Apostoli sunt cum Petro fundamenta secundaria Ecclesiæ, sed diverso jure, *C.* eodem jure, *N.* Itaque cæteri Apostoli sunt et dicuntur fundamenta Ecclesiæ, quatenus doctrinam evangelicam sibi revelatam ubique disseminarunt, miracula ediderunt, Spiritum sanctum contulerunt, ecclesias fundarunt, eas rexerunt, episcopos instituerunt; sed hæc præstiterunt ut apostoli et delegati jure extraordinario, Petrus autem jure ordinario, ut pastor ordinarius et supremum caput, cui cæteri Apostoli subordinabantur, et ipse illis non subordinabatur : et hoc est quod illi soli, cap. 26 Matth. promittitur, cum

illi soli præ aliis et coram aliis dicitur : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ut interpretantur communiter SS. Patres, ut hucusque vidimus et videbimus infra. Hinc S. Hieronymus, lib. 1 cont. Jovin. cap. 14 : « Licet, inquit, super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio. » Confer *solutionem quartæ object.* de S. Cypriano.

Ad S. Augustinum. Equidem S. Doctor utramque expositionem tradidit, idque ipse agnoscit, lib. 1 Retract. cap. 21, ubi neutram alteri præponit, sed judicio lectoris relinquit : *Harum duarum sententiarum*, inquit, *quæ sit probabilior eligat lector*, dicitque nostram *cantari ore multorum in versibus S. Ambrosii;* et cum sit longe conformior textui, ut probatum est, eamque communiter tradant SS. Patres, omnino præferenda est.

Si petas cur S. Augustinus hanc alteram expositionem, ut in instantia, pluribus in locis tradiderit ?

Respondent quidam id contigisse ex ignorantia linguæ hebraicæ seu syriacæ. Ratio enim quam loco citato Retract. adfert S. Doctor, cur hæc verba, *et super hanc petram*, ad Christum et non ad Petrum retulerit, est, quia, inquit, *non est dictum illi* (Petro) *tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus*, existimans *Cephas* non significare petram, sed aliquid derivatum a petra, quasi petrinum, ut saxeum a saxo; hacque de causa latinum interpretem vertisse *Tu es Petrus*, et non, *Tu es petra*. Et quia Ecclesia super petram et non super aliquid petrinum erat ædificanda, existimavit S. Augustinus per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum, de quo dictum est, *petra erat Christus:* si ergo S. Doctor advertisset *Cephas* nihil aliud significare quam petram aut saxum, et Christum dixisse, *Tu es petra, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, procul dubio expositionem nostram ubique secutus fuisset.

Respondet noster Natalis Alexander, dissert. 4 sæculi 1, § 3, obj. 1, S. Augustinum hæc verba, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, retulisse ad Christum, quia contra Donatistas agebat, qui sacramentorum vim in ministrorum sanctitate collocabant : unde timens ne, si Ecclesia in Petro fundata diceretur, homines de sanctitate ministrorum Ecclesiæ præsumerent, ac super eos spiritale fundarent ædificium, totam fundamenti rationem ad Christum revocavit. Hoc scrupulo adductum S. Augustinum, eam amplexum fuisse interpretationem, constat ex loco in objectione laudato Serm. 13 de verbis Domini, ubi post verba ibidem recensita subjungit : « Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipse est Petrus; et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram : Ego autem sum Christi. » Quamobrem addit paulo post laudatus Alexander : « Illa S. Augustini expositio eo tantum spectat, ne existimemus Petrum propria virtute et seorsim a Christo Ecclesiam ædificasse. » Christum itaque causam principem et præcipuum in ædificatione Ecclesiæ fundamentum S. Augustinus agnoscit, sed S. Petrum fundamentum esse a Christo secundum, præcipui ministerii ratione, minime diffitetur : unde hoc ipso in loco S. Petrum vocat *primum et præcipuum Apostolorum*, et ejus *apostolatus principatum* verbis magnificis commendat. Hucusque laudatus auctor, quibusdam omissis, cujus explicationi favent etiam ultima verba in objectione : *Super me ædificabo te, non me super te*, quæ innuunt S. Augustinum negare tantum S. Petrum esse fundamentum primarium Ecclesiæ.

Ad secundam probat. ant. T. ant. Hæc verba, *super hanc petram*, etc., referuntur ad confessionem Petri, ut ad causam meritoriam promissionis, *C.* ut ad subjectum cui fit promissio, *N.* Quando ergo SS. Patres dicunt hæc verba referri ad confessionem Petri, seu super confessionem Petri Ecclesiam ædificari, non sumunt confessionem in abstracto et seorsim a Petro, sed in concreto pro Petro confitente, ita ut confessio sit ratio propter quam promittatur hæc prærogativa, Petrus vero persona cui promittitur. Sic, dum S. Hieronymus, Epist. 61, de eodem Petro loqueus dicit super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem, non negat corpus Petri vere ambulasse super aquas, sed vult hoc miraculum non agilitati corporis Petri, sed ejus fidei esse tribuendum : ita in nostro casu.

Unde ipse Hilarius, cujus verba objiciuntur apud S. Thomam in Catena, dicit : *Dignum plane confessio Petri præmium consecuta est;* et postea : *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum*

Ad tertiam probat. ant. S. Augustinus dicit claves esse collatas Petro nomine Ecclesiæ, quia illas non accepit ut privata persona, sed ut caput Ecclesiæ et propter ejus utilitatem ; quod autem conceditur capiti propter corpus, censetur corpori concessum. Unde ipse S. Augustinus, tract. 124 in Joan. dicit : *Petrus Apostolus, propter apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat, figurata quadam generalitate, personam.* Figurata autem expositio non impedit veritatem historiæ. Sic, juxta eumdem S. Augustinum, in Psal. 108, Judas erat figura malorum, sicut Petrus ratione primatus erat figura Ecclesiæ : sicut ergo Judas vere personaliter prodidit Christum, ita Petrus vere personaliter accepit claves.

Inst. Saltem verba Christi ad Petrum ad omnes Apostolos referri debent. Ergo. *Prob. ant.* Christus interrogabat omnes : *Vos autem quem me esse dicitis?* et Petrus nomine omnium respondet : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ergo et ipse Christus respondet Petro et in ipso omnibus aliis quos interrogaverat : *Beatus es, Simon Barjona*, etc.

R. N. ant. Ad probat. N. conseq. Quia 1° Christus respondens confessioni Petri, omni modo significat se Petrum specialiter alloqui ; appellat ipsum omnibus propriis nominibus quibus ab aliis distinguitur, nomine nativitatis, *Simon*, nomine patris, *Barjona*, nomine quod illi imposuit, *Cephas ;* dicit illi specialiter præ aliis : *Tibi dabo ;* assignat causam promissionis, scilicet eminentem confessionem a Deo inspiratam quam ipse solus fecit : potuissetne magis specialiter ipsum ab aliis distinguere, designare, indicare? possetne scriba vel notarius specialius designare hominem quem vult intelligi in testamento vel actu publico? 2° Quamvis Christus omnes interrogaverit, quamvis Petrus omnium nomine responderit, non tamen provinciam ab aliis acceperat sic respondendi, nec quidquam alii ad ejus responsum concurrerant, cum non caro et sanguis, sed Pater cœlestis ipsi revelasset ; sed ex proprio fundo, ex proprio merito, ex proprio sibi facto privilegio respondit, supplens aliorum defectum . unde ipsi soli et non aliis assignari debet privilegium responsionis Christi. Enim vero, si rex belliduces congregatos de re bellica interroget, et uni aliorum nomine apte respondenti rex dicat : Creo te mareschallum, num forte omnes erunt creati mareschalli? an non ipse solus respondens?

Repones. Christus alibi, scilicet Matth. 18, cæteris Apostolis parem ac Petro contulit potestatem, cum illis dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo*, etc. Ergo.

R. 1 N. ant. Potestas enim clavium, Matth. 16, tradita Petro, est quid majus et superius ad solam potestatem ligandi et solvendi, quippe quæ est tantum actus inadæquatus clavium, ut late probat Cajetanus, de Primatu summi pontificis cap. 5 et 7. Igitur collatio clavium cœlorum tribuit potestatem faciendi omnia quæ ad regimen cœlorum pertinent, et tollendi omnia impedimenta quæ ejus ingressum prohibent ; ad hoc autem necessarium est aliquando veritates fidei determinare, hæreses damnare, schismata compescere, concilia convocare, principes religioni noxios deterrere, hunc monere, illi jubere aut prohibere, etc. Hæc autem non continentur sub præcisa ratione ligandi et solvendi, quæ sunt tantum actus judiciales, vel in foro conscientiæ.

R. 2° *Esto* per illa verba Matth. 18 : *Quæcumque solveritis*, etc. Apostolis parem ac Petro potestatem esse promissam (non enim tunc fuit collata, cum tunc nondum erant episcopi, sed Joan. 20, cum Christus dixit illis : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*, etc. *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata*, etc.), alia tamen et alio modo Apostolis et Petro promissa et collata est : Apostolis ut delegatis, Petro ut pastori ordinario ; illis dependenter et subordinate Petro, huic independenter et supreme. Eccur enim, ut jam observavi, Matth. 16, soli Petro coram aliis dicitur : *Tibi dabo claves*, etc., et Joan. 21 : *Pasce oves meas*, idque ob singularem ejus fidem et dilectionem, si nihil præ cæteris acceperit?

Obj. 2° Neque ex his verbis Joan. 21, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, aliquid evinci potest pro primatu Petri : ergo. *Prob. ant.* Quod Christus dixit Petro,

Pasce oves meas, omnibus dixit : ergo. *Prob. ant.* 1° Quia ipse Petrus, Epist. 1, cap 5, dicit episcopis : *Pascite qui in vobis est gregem ei ;* et Act. 20, Paulus dicit : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* 2° Quia S. Augustinus, lib. 6 de Agone Christiano, cap. 30 : *Cum ei*, inquit, Petro scilicet, *dicitur, ad omnes dicitur, Amas me ? Pasce oves meas.* Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. ant. Quod Christus Petro dixit, *Pasce oves meas*, omnibus dixit, quantum ad gregem determinatum, *transeat ;* quantum ad omnes generaliter, sicut dictum est Petro, *N.* Unde ipse Petrus in Epistola non dicit simpliciter, *Pascite gregem*, sed *pascite gregem qui in vobis est*, id est, gregem particularem vobis commissum : et hoc sensu etiam intelligendus est S. Augustinus, nisi cum aliis sic intelligas, *dicitur ad omnes*, id est, ad omnes Petri successores, non ad omnes Apostolos. Cæterum constat de mente S. Augustini, qui, lib. de Pastoribus, cap. 13, dicit : *Multi erant Apostoli, et uni dicitur, pasce oves meas.*

Obj. 3° plura ex S. Scripturis. 1° Christus, Matth. 28, et Joan. 20, æqualiter mittit omnes Apostolos, et omnibus pariter dicit : *Sicut misit me vivens Pater et ego mitto vos, euntes ergo docete omnes gentes*, etc. 2° Lucæ 22, Apostolos de primatu contendentes redarguit ; si autem Petro fuisset collatus primatus, de illo non fuisset contentio, et Christus non sic increpasset, innuens nullum esse inter eos altero majorem, sed Petrum indicasset. 3° Act. 8, Petrus missus fuit ab Apostolis : non est autem superioris mitti ab inferioribus. 4° Non legitur Petrum ullum actum jurisdictionis exercuisse in Apostolos. 5° Dum nominantur Apostoli, Petrus non semper ponitur primo loco : sic Epist. Galat. 2 : *Jacobus et Cephas et Joannes ;* 1 Cor. 9 : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicuti et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas ;* Joan. 1 : *Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ et Petri.* Ergo.

R. ad primum, ex missione Apostolorum sequi eos pares fuisse Petro in ratione apostolatus, non in ratione officii pastoralis. *Patet ex præcedentibus.*

Ad secundum. Christus redarguit Apostolos contendentes de primatu temporalis dominationis, ex ambitione quæsito, *ut patet* ex verbis subjunctis, *reges gentium dominantur eorum*, scilicet cum sæculari fastu, intendentes propriam gloriam et propriam utilitatem magis quam bonum commune ; *vos autem non sic.* Porro Petrus non quæsierat primatum ex ambitione, et erat primatus spiritualis, quem nondum satis intelligebant Apostoli, præsertim cum tunc nondum esset ipsi collatus, sed tantum promissus.

Ad tertium. Apostoli miserunt Petrum non imperio, sed consilio ; non jubendo, sed consulendo et suadendo : sicut capitula quandoque mittunt suos præpositos, imo regis consiliarii regem pro rerum gerendarum gravitate ex exigentia.

Ad quartum. 1° *N. ant.* Nam S. Petrus convocavit Apostolos in electione S. Mathiæ, et primus dixit sententiam in concilio de observatione legalium. Insuper non omnia quæ fecit Petrus scripta sunt. 2° *Dato ant. N. conseq.* tum quia, cum Apostoli, a Spiritu sancto ducti, optime se gererent, non erat opus quod Petrus in eos suam exerceret jurisdictionem ; tum quia ab actu ad potentiam non valet argumentum negative.

Ad quintum. 1° *N. conseq.* Quia, licet non semper Petrus ponatur primo loco, sæpius tamen ponitur *ex probationibus conclusionis.* 2° Non obstant quæ opponuntur : in primo textu, Jacobus ponitur primo loco, quia quæ ibi narrantur peracta erant Jerosolymis, ubi Jacobus erat episcopus ; secus in aliis. Sic idem Apostolus, eadem Epistola ad Galat. 1, refert se post annos tres ascendisse Jerosolymam videre Petrum ; non dicit Jacobum, quamvis tunc esset Jerosolymarum episcopus. Et ideo S. Ambrosius ad hæc verba : « Dignum erat, » inquit, ut videret Petrum, quia primus » erat inter Apostolos cui delegaverat Sal» vator curam ecclesiarum. » Et S. Hieronymus ibid. venit Paulus videre Petrum, « non discendi studio, sed honoris priori » Apostolo deferendi. » Item S. Chrysost. Homil. 37 in Joan. « Quia os Apostolorum » Petrus erat, princeps et vertex ipsius » cœtus, propterea Paulus ascendit eum » videre præ aliis. » Secundus textus non nocet nobis, sed potius favet : arguit enim

im Paulus a majori ad minus, et dicit : Si Apostoli et, quod plus est, Cephas circumducunt mulierem sororem quæ temporalium curam gerat, cur non mihi liceret? In tertio textu agitur de levi facto historico, non pertinente ullo modo ad apostolatum, nempe ex qua civitate erat Philippus; in narratione autem historica non attenditur scrupulose ad dignitatem.

Obj. 4° ex Patribus. 1° S. Clemens, lib. 1 Dispositionum, apud Euseb. lib. 2 Hist. c. 1, dicit : « Petrus, Jacobus et Joannes, post » ascensionem Salvatoris, quamvis ab ipso » fuerint omnibus pene prælati, tamen non » sibi vindicabant primatus gloriam, sed » Jacobum, qui dicebatur Justus, Aposto- » lorum episcopum statuerunt. » 2° Hesychius Jerosolym. presbyter, in oratione in Jacobum fratrem Domini, vocat Jacobum Apostolorum caput et in capitibus verticem, eique tribuit primas in concilio Jerosolymitano. 3° S. Cyprianus, lib. 2 de Unitate Ecclesiæ, dicit : « Hoc erant utique cæteri » Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed » exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » 4° S. Ambrosius, lib. de Incarnat. c. 4, dicit : « Hic (S. Petrus) ubi audivit, *Vos autem quem me esse dicitis*, loci » non immemor sui, primatum egit, primatum confessionis utique, non honoris, » primatum fidei, non ordinis. » Ergo.

R. ad S. Clementem, juxta communem eruditorum opinionem, ejus textum apud Eusebium esse interpolatum ; quamvis enim sic legatur in codice Basileensi, attamen in codice Coloniensi et aliis codicibus quos vidit et contulit Valesius, non legitur *primatus* nec *Apostolorum*, sed *Jerosolymorum episcopum*. Similiter, apud Nicephorum, lib. 2, c. 3, sic legitur : « Petrus, et Jacobus, et Joannes, quos Dominus præcipuo » dignatus fuerat honore, post ascensionem » ejus gloriam non affectarunt, sed Jacobum » justum Hierosolymorum episcopum elegerunt. »

Ad Hesychium. Ibi agit oratorem, non sacræ Scripturæ interpretem : ideo verba ejus accipienda sunt hyperbolice dicta, si quidem ipse, in Oratione in S. Andræam, apud Photium in Bibliotheca cod. 269, dicat de Petro : *Tu vocaberis Cephas, ante confessionem merces, antequam prædicares coronam accepisti ;* nec latebat hunc auctorem, sæculo quinto aut sexto quo floruit, episcopum Jerosolymitanum inter patriarchas ultimum locum habere.

Ad S. Cyprianum, D. Dicit cæteros Apostolos fuisse pares Petro consortio honoris et potestatis, in ratione apostolatus, *C.* in ratione episcopatus seu officii pastoralis, *N.* Vel cum aliis, fuerunt pares quoad amplitudinem rerum gerendarum, *transeat ;* quoad modum agendi, *N.* Itaque, quoad auctoritatem apostolatus, fuerunt cæteri Apostoli pares Petro, quia poterant ubivis gentium prædicare, sacramenta ministrare, Spiritum sanctum impertiri, miracula edere, libros sacros scribere, fundare ecclesias, leges condere et episcopos creare, sed ut delegati et jure extraordinario, atqui S. Petro subordinati : Petrus autem hæc poterat ut pastor ordinarius, jure suo ordinario, aliis Apostolis non subordinatus, ita ut ipse eorum legibus non adstringeretur, cum ipsi legibus Petri tenerentur, si quas tulisset pro sedando schismate, hæresi comprimenda, vel aliter pro communi Ecclesiæ bono : eo fere modo ac si papa mitteret legatum ad Indos Orientales, cum plena potestate faciendi omnia quæ videbuntur necessaria vel utilia his missionibus, ipse posset quod papa potest, sed diverso jure, ille ut delegatus et jure extraordinario, papa ut pastor ordinarius et jure ordinario. Hanc esse mentem Cypriani indicant ipsa verba objecta : « Sed, inquit, exordium ab unitate » proficiscitur, et primatus Petro datur, ut » Ecclesia una monstretur. » Habet ergo Petrus primatum pro servanda unitate Ecclesiæ, quæ servari non posset si non esset primatus auctoritatis et potestatis ad sedandas dissensiones, schismata tollenda et alia mala quæ Ecclesiæ unitatem lædere possent removenda. Item, eodem lib. 2 de Unit. Ecclesiæ, aperte pronuntiat hæc Christi verba, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, referri personaliter ad Petrum, et *super unum Petrum esse ædificatam Ecclesiam.*

Itaque in tribus potestas Petri præcellit potestati cæterorum Apostolorum : 1° quod esset in Petro, tanquam in pastore ordinario, ad suos successores transmittenda ; in Apostolis autem esset ut in delegatis, quatenus necessaria erat exercendo apostolatui in universo mundo, nec ob locorum dis-

tantiam facile poterant in casibus emergentibus Petrum convenire; 2° quod potestas Petri se extenderet supra cæteros Apostolos, non potestas Apostolorum supra Petrum; 3° quod Petrus poterat ferre leges generales pro tota Ecclesia, Apostoli autem particulares pro ecclesiis quas fundabant.

Ad sanctum Ambrosium. In verbis citatis, S. doctor respexit tantum ad illam celebrem confessionem qua præ cæteris divinitatem Christi confessus est, *ut patet* ex primis verbis instantiæ : *Ibi audivit, vos autem quem me esse dicitis?* In qua quidem confessione non egit primatum honoris et ordinis, sed non sequitur quod non obtinuerit et alibi non egerit.

Obj. 5° Saltem inter Petrum et Paulum videtur fuisse omnimoda æqualitas primatus : ergo. *Prob. ant.* Apostolus, Galat. 2, v. 5, dicit *se neque ad horam cessisse subjectione;* v. 7, quod *sibi sit creditum Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis;* id est, quod, sicut Petrus erat institutus Apostolus Judæorum, ita ipse Paulus esset institutus Apostolus gentium; v. 9, quod *Jacobus, Cephas et Joannes.... dexteras dederint ipsi et Barnabæ societatis;* v. 11, quod *Petro restiterit in faciem,* quod non auderet facere nisi se non imparem sentiret, ut dicitur cap. *Paulus* 2 q. 27. Ergo.

R. N. ant. Præter enim probationes concludionis, quæ militant de Paulo sicut de cæteris Apostolis, Innocentius X, ut jam innui, vigesimo quarto januarii 1647, hanc propositionem : « Sanctus Petrus et » S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, » qui unum efficiunt; vel sunt duo Ecclesiæ » catholicæ coriphæi, summa inter se uni» tate conjuncti; vel sunt geminus Eccle» siæ vertex, qui in unum divinissime coa» luerunt; vel sunt duo Ecclesiæ summi » pastores ac præsides, qui unicum caput » constituunt, » ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit.

Ad primam probationem. Non de Petro ibi loquitur Paulus, sed de falsis fratribus, de quibus versu præcedenti, qui volebant eum et quos docebat adigere ad observantiam legalium.

Ad secundam. Hæc partitio inter Petrum et Paulum erat quoad prædicationem et Apostolatum tantum, sic ut initio Petrus curam Judæorum gereret, Paulus gentium, quia tunc alio modo erat agendum cum Judæis, qui observabant legem, et alio cum gentibus, qui non observabant; non vero quoad officium pastorale et potestatem. Ita S. Hieron. in cap. 2 ad Galatas. Neque ita fixa fuit hæc partitio, quin et Petrus gentibus et Paulus Judæis prædicaverit.

In Com. *super hunc locum.*— *Ad tertiam.* Sensus ejus non est, quod Jacobus, Cephas et Joannes dederint Paulo locum honoris, et eum agnoverint superiorem, alioquin idem dicendum foret de Barnaba; sed sensus est, qeod junctis invicem manibus in signum societatis et unionis, admiserint quod Petrus prædicaret Judæis, Paulus et Barnabas gentibus.

Ad quartam. Nihil inde sequitur; licet enim inferiori resistere superiori erranti cum aliorum scandalo, et talis erat error Petri, non in doctrina, sed in conversatione, ut alibi explicuimus. *Ad textum juris,* Sylvius dicit in quibusdam exemplaribus citari ex S. Hieronymo, in aliis ex S. Augustino, et in neutro inveniri. Cæterum posset explicari de paritate in apostolatu, non in jurisdictione.

Inst. 1° ex SS. Patribus. S. Epiphanius, hæresi 17, dicit : *Romæ primi omnium Petrus et Paulus Apostoli pariter et episcopi fuerunt.* S. Cyrillus Jerosolym. Catechesi 6 illuminat. tit. de hæresi, dicit Petrum et Paulum esse *capita Ecclesiæ.* S. Leo, Serm. 1 de Natali Apostolorum, vocat eos Romanæ urbis patres ac pastores. S. Greg. lib. 1 Dialog. cap. 12 : *Paulus,* inquit, *Apostolus Petro Apostolorum primo frater.* B. Petrus Damianus, Opusc. 53, cap. 4, dicit Paulum *præsidere omnibus ecclesiis ad instar Christi.* Ergo.

R. his omnibus nihil aliud significari, quam quod Paulus cum Petro fundaverit ecclesiam Romanam, quod fuerit Petro coadjutor in regimine illius ecclesiæ, et quod in ea, tanquam extraordinarius, munus episcopale de consensu Petri exercuerit. Unde

Ad S. Epiphanium. Dicit Paulum fuisse episcopum Romæ; quia, *ut dictum est,* fuit Petri coadjutor in illius fundatione et regimine, in eaque munus episcopale de

consensu Petri exercuit : secundum jura autem, eadem est cathedra episcopi et coadjutoris, quia eadem est utriusque auctoritas.

Ad S. Cyrillum. Natalis Alexander, dissert. 4 in primum sæculum, dicit Cyrillum vocasse quidem Petrum et Paulum prælatos et protastas, nusquam vero capita Ecclesiæ nuncupasse : imo, cum de S. Petro seorsim loquitur Cyrillus, Catechesi 11, ipsum vocat, non protastam tantum, sed prototastam, id est, primum præsidem et præfectum apostolici cœtus. Aliunde posset intelligi quod sit caput Ecclesiæ cum Petro ratione apostolatus, et quia fuit illi coadjutor, non ratione potestatis ordinariæ.

Ad S. Leonem. Vere Petrus et Paulus sunt pastores et patres Romanæ urbis, quia Romanos in fide genuerunt, et eos sana doctrina paverunt, non vero quia æqualem potestatem habuerunt : cum ibid. S. Leo dicat Romam *per beati Petri sedem caput orbis effectam*, non dicit *per beati Pauli sedem*, quod non omisisset si parem in utroque auctoritatem agnovisset.

Ad S. Gregorium. Nihil colligi potest ex eo quod dicat Paulum fratrem Petri in principatu apostolico. Nam summus pontifex appellat episcopos fratres, quibus tamen potestatem æqualem suæ non tribuit : sunt et regis fratres qui non regnant cum illo. Est ergo Paulus frater Petri, sed natu et auctoritate minor : seu, si vis cum aliis, est frater et æqualis in principatu apostolico, ut dicit S. Gregorius, non in principatu pastorali.

Ad B. Petrum Damianum. Dicit Paulum videri omnibus ecclesiis præsidere, tum quia, ut dicit ipse S. doctor, *nullam specialiter tenet cathedram*, sicque Romana non est ipsi assignanda ; tum ratione prædicationis, quia *in omnibus fidei semen sparsit*, ut dicit iterum idem Damianus, non vero ratione auctoritatis ordinariæ.

Inst. 2° ex usu Ecclesiæ. 1° Summi pontifices se dicunt successores Petri et Pauli ; 2° in convocatione conciliorum et aliis, utuntur his verbis : *Auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, qua nos quoque in terris fungimur ;* 3° in diplomatum pontificiorum sigillis effigies SS. Petri et Pauli exprimi solet ; 4° et in eis quandoque Petrus, quandoque Paulus dexteram tenet, ut perfecta inter utrumque æqualitas designetur. Ergo

R. N. conseq. Ad primum. Pontifices se dicunt successores Petri et Pauli ; quia Paulus cum Petro fundavit et rexit ecclesiam Romanam, tanquam ejus coadjutor, et cum, *ut dixi*, sit eadem cathedra et eadem auctoritas pastoris et coadjutoris, utriusque pontifices Romani se dicunt successores.

Ad secundum. Propter eamdem rationem, in convocatione conciliorum et aliis, interponunt auctoritatem Petri et Pauli, item et ratione patrocinii : unde quidam dixerunt, *et B. Virginis ;* alii, *et omnium sanctorum.*

Ad tertium. Propter easdem rationes, exprimuntur in sigillis diplomatum effigies Petri et Pauli : brevia tamen sub annulo Piscatoris, id est solius Petri, obsignantur nec aliter recipiuntur in Gallia.

Ad cap. 1. Epist. ad Galat. Lect. 2. — *Ad quartum, respondet* S. Thomas, quia præsens vita signatur per sinistram, futura vero per dexteram ; quia ista est cœlestis, illa vero temporalis : ideo Petrus, qui vocatus est a Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in bulla in sinistra parte ; Paulus vero, qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, ponitur in parte dextera. *Respondet* B. Petrus Damian. Opusc. 53, cap. 1, ideo Pauli effigiem poni a dexteris, quia erat de tribu Benjamin ; Benjamin enim hebraice nuncupatur latine filius dextræ. *Respondent* alii dexteram non esse semper locum honoratiorem in Ecclesia : nam in concilio Chalcedonensi Dioscorus, mox deponendus, sedebat ad dexteram, et legati pontificis ad sinistram ; item in sinistro cornu altaris legitur Evangelium ; item, olim dum fœminæ in ecclesia seorsim a viris orabant, collocabantur a dextris, et viri a sinistris : unde videtur usum Ecclesiæ in sacris ritibus obtinuisse, ut sinistra dexteræ præferretur, forte ad exprimendam conversionem Gentium, quæ Judæis dexteram tenentibus prælatæ sunt. Adde quod in pictis et sculptis imaginibus id quod est sinistrum sit dexterum et sinistrum sub diverso respectu ; respectu imaginis est sinistrum, respectu inspicientium est dexterum : et sic inde nihil erui potest

ARTICULUS II.

De sessione S. Petri Romæ.

Hanc quæstionem historicam hic propono, quia ab ea pendet primatus Romani

pontificis a Petro derivatus, articulo sequenti asserendus. Quidam itaque inter Calvinistas negant Petrum Romam venisse; alii Romam venisse concedunt, sed negant fuisse episcopum Romanum; alii tandem dicunt quod, *esto* fuerit episcopus Romanus, hanc ecclesiam non rexerit usque ad obitum, sed quod eam deseruerit sicut Antiochenam; consequenter Romanum pontificem non esse Petri successorem in ejus primatu.

Pro faciliori intelligentia hujus quæstionis et quarumdam *objectionum solutione*, præmitto chronologiam vitæ S. Petri. S. Petrus quatuor ferme annis a passione Christi mansit in Judæa: anno quarto, qui fuit Tiberii ultimus, Antiochiam se contulit, ibique sedem erexit, ex chronico Eusebii et Alexandrino. Septem annis mansit Antiochiæ episcopus, ex S. Gregorio, lib. 6, Epist. 37 ad Eulogium. Hinc profectus, anno a passione Christi undecimo, rediit Jerusalem, et illic ab Herode in vincula conjectus est diebus azymorum. Inde paulo post, ab angelo liberatus eodem anno, qui erat Claudii secundus, Romam perrexit, ibique sedem constituit in ævum mansuram. Septimo Romanæ sessionis anno, Claudii nono, passionis Christi decimo octavo, Roma discedere coactus est, edicto imperatoris exilium adversus omnes Judæos decernentis. Eodem anno, Jerosolymam venit, et ibi congregato concilio interfuit. Claudio e vivis sublato, Romam rediit, ibique passus est anno decimo quarto et ultimo Neronis, sessionis Romanæ vigesimo quinto. His præmissis contra hæreticos,

Dico. S. Petrus Romam venit ibique Ecclesiam fundavit, quam ad obitum usque rexit.

Prob. prima et secunda pars 1° ex ipsius S. Petri Epistola prima, c. 5, ubi dicit: *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus*: atqui per Babylonem Romam intelligit: ergo. *Prob. min.* 1° ex Papia, Apostolorum discipulo, qui apud Eusebium, lib. 2 Hist. c. 14, dicit: « Quam quidem Epistolam ibi (Romæ) perscriptam ostendit, dum civitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat: » Salutat vos ecclesia nostræ electionis consors, quæ est Babylone, et Marcus filius meus; » et ex S. Hieronymo, qui in Catalogo Script. Ecclesiast. in Marco dicit: « Petrus in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, » Salutat, inquit, vos ecclesia quæ est in » Babylone coelecta. » 2° Quia nomine Babylonis in Epistola Petri intelligi non potest neque Babylon Assyriorum, siquidem, teste Josepho, lib. 18 Antiq. c. 12, omnes Judæi qui erant in Babylone Assyriorum tempore Caii fuerint expulsi vel occisi; neque Babylon Ægyptiorum, quæ tunc erat locus obscurus, et quæ a Strabone, lib. 17, vocatur castellum: restat ergo quod intelligatur Roma, quæ dicta est Babylon, seu confusio, quia, inquit S. Leo, Serm. 1 de Apostolis Petro et Paulo, *Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus*, quamque ideo S. Joannes in Apocalypsi passim designat sub nomine Babylonis.

Ideo autem, inquit Natalis Alexander, S. Petrus Romam proprio nomine non designavit, quia, recenter e carcere Jerosolymitano fuga elapsus, nolebat locum suæ commorationis esse omnibus notum, consultumque volebat saluti christianorum qui Romæ degebant, ne si ejus Epistola in manu gentilium incidisset, audito quod essent Romæ multi christiani, in eos persecutionem commovissent.

Cæterum, dum S. Petrus et S. Joannes nomine Babylonis Romam designant, non ecclesiam intelligunt, sed urbem, quæ, ut modo observavi, dicta est Babylon, quia tunc omnium gentium serviebat erroribus: unde nihil inde inferre possunt heterodoxi contra ecclesiam Romanam.

Prob. 2° Juxta caput ultimum Act. et Epist. ad Rom. c. 1, multi erant christiani Romæ antequam Paulus eo veniret, dicit enim laudata Epist. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo..... Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc*: a quo autem, nisi a Petro, hæc multitudo præceptis fidei imputa est? Et hoc testantur Euseb. lib. 2 Hist. c. 13, dicens: « Sub » ipso Claudii imperio... Dei providentia... » Apostolorum..... principem Petrum Romam versus, ad ejusmodi pestiferam vitæ » corruptelam delendam, quasi manu deduxit; » Paulus Orosius, l. 7, c. 4. Claudius, inquit, ab Augusto quartus,

» regnum adeptus est, mansitque in eo ar
» nos quatuordecim : exordio regni ejus,
» Petrus Apostolus Domini nostri Jesu
» Christi Romam venit, et salutarem cunc-
» tis credentibus fidem fideli verbo docuit...
» exinde christiani Romæ esse cœperunt; »
S. Leo, Serm. de SS. Apostolis Petro et Paulo : « Beatissimus Petrus, princeps apo-
» stolici ordinis, ad arcem Romani destina-
» tur imperii, ut lux veritatis quæ in om-
» nium gentium revelabatur salute, effica-
» cius se ab ipso capite per totum mundi
» corpus effunderet; » et infra : « Ad hanc
» ergo urbem tu, beatissime Apostole Petre,
» venire non metuis, trophæum crucis
» Christi Romanis arcibus inferens, quo te
» divinis præordinationibus anteibat et ho-
» nor potestatis et gloria passionis. »

Confirmatur 1° S. Marcum Romæ scripsisse Evangelium, prout ibi S. Petrum prædicantem audiverat, testantur Clemens Alexandrinus, in lib. Hypotiposeon; Eusebius, lib. 2 Hist. c. 14 vel 15, secundum diversas editiones; S. Hieronymus, in Catalogo Script. Ecclesiast. in Marco. 2° Petrum Romæ Simonem Magum vicisse testantur Arnobius, lib. 2; Hegesippus, lib. de Excidio Jerosol. cap. 3; S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 6; S. Hieron. in Catal. Script. Ecclesiast. in Petro; S. Ambrosius, in concione de Basilicis hæreticis; S. Augustinus, lib. de Hæresibus, cap. 1; et alii.

Prob. tertia pars et simul confirmatur duæ primæ partes, 1° ex Eusebio in chronico ad annum Christi quadragesimum quartum : « Petrus Apostolus, inquit, na-
» tione Galilæus, christianorum pontifex
» primus, cum primum Antiochenam ec-
» clesiam fundasset, Romam proficiscitur,
» ubi Evangelium prædicans viginti quin-
» que annis ejusdem urbis episcopus perse-
» verat; » et ex S. Hieronymo, in Catalogo Script. Ecclesiast. in Petro : « Simon Pe-
» trus, inquit, post episcopatum Antioche-
» nensis ecclesiæ, et prædicationem disper-
» sionis eorum qui de circumcisione credi-
» derant; in Ponto, Galatia, Cappadocia,
» Asia et Bithynia, secundo Claudii anno,
» ad expugnandum Simonem Magum Ro-
» mam pergit, ibique viginti quinque annis
» cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad
» ultimum Neronis, id est decimum quar-
» tum; » quo anno martyrio coronatus est.

2° S. Petrus certo Romæ martyrium subiit; constat autem ex dictis quod Romanam ecclesiam fundaverit ejusque sedem tenuerit, et nullibi legitur quod, post dimissam sedem Antiochenam, alibi quam Romæ sedem habuerit : ergo ad obitum usque sedem Romanam tenuit. *Prob. ant.* scilicet quod Romæ martyrium subierit : id testatur Tertull. Scorpiaci c. 14 : « Vitas
» Cæsarum legimus, inquit, orientem fidem
» Romæ primus Nero cruentavit : tunc Pe-
» trus ab altero cingitur, cum cruci adstrin-
» gitur; » item, de Præscript. c. 36 et alibi. Hesesippus, lib. de Excidio Jerosol. c. 1, dicit Petrum Romæ *cruci adjudicatum inversis vestigiis*. Euseb. lib. 2 Hist. c. 24, dicit Petrum Romæ *suffixum cruci*. S. Hieronymus, in Catalogo Script. Ecclesiast. in Petro, postquam Petri crucifixionem a capite inverso retulit, subdit : « Sepultus Ro-
» mæ in Vaticano juxta viam Triumpha-
» lem, totius urbis veneratione celebratur. »
Similiter alii plures.

Prob. 3° Quotquot ex Patribus catalogum Romanorum pontificum texuerunt, originem successionis a S. Petro ducunt : sic Optatus Milevit., lib. 2 cont. Parmen. « Ca-
» thedra unica est, inquit, quæ est prima
» de dotibus... sedet prior Petrus, cui suc-
» cessit Linus, Lino successit Clemens, Cle-
» menti Anacletus, etc. Julio Liberius, Li-
» berio Damasus, Damaso Siricius, hodie
» qui noster est socius, cum quo totus orbis
» commercio formatarum in una commu-
» nionum societate concordat. Vestræ ca-
» thedræ vos originem reddite, qui vultis
» vobis sanctam Ecclesiam vindicare. » Similiter S. Augustinus, in Epist. ad Generosum 165 : « Petro successit Linus, Lino
» Clemens, Clementi Anacletus, etc. Da-
» maso Siricius, Siricio Anastasius : in hoc
» ordine successionis nullus Donatista epi-
» scopus invenitur. » Item omnes Patres sedem Romanam vocant cathedram Petri, successorem Petri, *ut patebit* art. sequenti : ergo Petrus Romæ sedit, eamque Ecclesiam usque ad mortem rexit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Adventus Petri Romam pugnat cum Scripturis sacris : ergo. *Prob. ant.* Paulus scribens ad Romanos, cap. 16, jubet multos suo nomine salutari, Petri autem non meminit. 2° Quando Paulus Romam advenit, oc-

currerunt ei fratres, Act. 28; nulla mentio Petri. 3° Ibid. Judæi rogant Paulum, ut dicat quid sentiat de secta christianorum : ergo nondum audiverant Petrum prædicantem. 4° S. Paulus, qui suam Jerosolymis et Antiochiæ cum Petro conversationem refert Epist. ad Galat. 1 et 3, non indicat se eum vidisse Romæ. 5° S. Lucas, qui in Actibus historiam Apostolorum conscripsit, nullibi refert profectionem Petri Romam. Ergo.

R. 1° *generaliter* argumenta negativa nullius esse ponderis, ubi adsunt positiva in contrarium, alias nutarent præipua fidei nostræ mysteria : sic arguere liceret Christum non fuisse circumcisum, quia circumcisionis non meminit Matthæus; non fuisse præsentatum, quia de præsentatione silet S. Marcus; stollam non apparoisse magis, quia id non refert Lucas, etc.

R. 2° *ad singula. Ad primum.* Epistola ad Romanos scripta fuit dum Petrus adhuc exulabat Roma edicto Claudii; ex capite namque ultimo, ubi Apostolus nominat quosdam Corinthios, colligitur scriptam fuisse Corinthi, dum illac pertransiret pergens Jerusalem, ubi erat adhuc Petrus, qui cum Paulo et aliis adfuit concilio quod tunc celebratum est de observantia legalium. Et quamvis plures christiani jam tunc Romam rediissent, *ut patet* ex eodem capite 16, non sequitur Petrum rediisse, quia, cum esset auctor conversionis Judæorum, propter quam latum fuerat edictum, non debebat suum in urbem reditum ita maturare. Insuper ex argumento nihil sequitur, nam Paulus scribens ad Ephesios non salutat Timotheum, scribens ad Hebræos non salutat Jacobum, et tamen Timotheus erat Ephesiorum episcopus, et Jacobus Hebræorum.

Ad secundum. Non omnis ecclesia Romana Paulo advenienti obviam venit, sed quidam tantum aliorum nomine, cum tunc urgeret adhuc persecutio. Adde quod forte tunc Roma aberat Petrus; non enim erat illic ita affixus, quin interdum in varias provincias, secundum impulsum Spiritus sancti, proficisceretur, et inde Romam rediret, relictis in absentia sua Cleto et Lino, vicariis suis, ut testatur Epiphanius Hæresi 27.

Ad tertiam. N. consequ. Non enim rogant Paulum ut eos de secta christianorum doceret, siquidem, cum prius ad ipsos scriberet, decebat: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo;* sed, cum scirent ipsum in lege doctissimum, optabant ipsum audire disserentem de religione christiana et de ejus cum lege Mosaica concordia. *Respondet* Bellarminus, hæc verba esse quorumdam Judæorum qui nondum fidem susceperant.

Ad quartum. Non potuit Paulus, in Epistola ad Galatas, dicere se Petrum vidisse Romæ, cum tunc nondum illuc appulerat; scripta enim fuit Epistola ad Galatas ante Epistolam ad Romanos, teste S. Chrysostomo, præfat. in Epist. ad Rom.

Ad quintum. Institutum Lucæ, in Actibus Apostolorum, fuit præsertim describere acta Pauli : unde non est mirum si profectionem Petri Romam non retulerit, maxime cum de ipso etiam Paulo multa omiserit, ut profectionem S. Pauli Jerosolymam ut videret Petrum utriusque convictum Antiochiæ, iter Pauli in Galatiam, et alia. Non ergo omnia quæ vel Apostolos, vel etiam ipsum Paulum spectant complexus est S. Lucas, ut observat S. Hieron. lib. 1 in cap. 2 ad Galat.

Inst. 1° S. Paulus, in pluribus Epistolis Romæ datis, quædam scribit de iis qui erant Romæ, quæ Petro, si ibi sedisset, injuriosa forent : ergo. *Prob. ant.* 1° Ad Philipp. 2, dicit : *Omnes quæ sua sunt quærunt.* 2° Ad Coloss. ultimo : *Hi soli* (scilicet Aristarchus, Marcus et Justus, quos prius nominaverat) *sunt Adjutores mei in regno Dei.* 3° 2 Timoth. 4 : *In prima mei defensione, nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerunt.* Ergo.

R. N. ant. Ad primam probationem. Paulus ibi loquitur tantum de illis quos ad Philippenses mittere poterat, *ut patet ex textu,* de quorum numero non erat Petrus ipsi superior. *Ad secundam.* Loquitur ibi Paulus de suis domesticis, qui ipsi ministrare solebant. *Ad tertiam.* Loquitur de iis qui causam ejus apud Cæsarem juvare poterant, de quorum numero non erat Petrus, æque ac Paulus Cæsari invisus. Adde *τὸ omnes* apud Paulum sæpe significare multos.

Inst. 2° Dissentiunt auctores in epocha adventus Petri Romam; alii enim dicunt advenisse initio Claudii, alii anno secundo, alii anno quarto, alii decimo quarto, alii imperante Nerone : atqui dissensus ancto-

rum in referenda historia est magnum ejus falsitatis indicium. Ergo.

R. D. min. Dissensus auctorum in referenda historia, quoad substantiam, est ejus falsitatis indicium, *C.* in referenda historia, quoad circumstantias, *N.* Sic nihil certius est inter christianos Christi morte, nihil incertius tempore quo mortem subiit. Tertullianus cum quibusdam tenet mortuum esse anno Tiberii quinto decimo, ætatis suæ trigesimo; Eusebius et alii, anno Tiberii decimo octavo, ætatis trigesimo tertio; S. Irenæus, ætatis quinquagesimo; recentiores plerique, anno trigesimo quarto; quidam, anno trigesimo septimo. Similiter ergo, *esto* quod sit dissensus auctorum circa epocham adventus Petri Romam, conveniunt tamen omnes quoad ipsum adventum, et sic non est in eo falsitas: communior tamen opinio tenet advenisse secundo anno Claudii; nec dissentiunt qui dicunt initio Claudii, quia duo anni respective ad tredecim, et amplius quibus regnavit Claudius, possunt dici ejus regni initium.

Inst. 3° contra hanc epocham. Petrus non venit Romam anno secundo Claudii: ergo. *Prob. ant.* 1° S. Petrus erat adhuc Jerosolymis quando Paulus venit ut ipsum videret, anno a conversione tertio, qui erat sextus a passione Christi (conversus est enim anno tertio a passione Christi), et quando iterum venit deferens collectas ad sublevandum famem quam vaticinatus fuerat Agabus, et quæ contigit sub Claudio, Act. 12. Insuper S. Gregorius tradit S. Petrum septem annis fuisse Antiochiæ inter has duas Pauli profectiones; fuit etiam pluribus annis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bythinia; nec enim uno mense vel annoin tot locis potuit prædicare: ergo non potuit venire Romam anno secundo Claudii, qui erat undecimus a passione Christi, siquidem, juxta chronologiam assignatam, effluxissent jam plusquam tredecim. 2° Petrus anno secundo Claudii erat Jerosolymis in vinculis jussu Herodis, nec inde invasit nisi anno sequenti: ergo non venit Romam anno secundo Claudii. 3° Petrus adfuit concilio Jerosolymitano, anno saltem a passione Christi decimo octavo: ergo idem quod ante 4° Denique refert Eusebius ex Thrasea martyre, Christum mandasse Apostolis ne ex Jerusalem ante annos duodecim recederent; annus autem iste duodecimus incidit in annum tertium Claudii. Ergo.

R. hæc omnia cohærere, si quæ mendose objiciuntur corrigantur, et attendatur ad chronologiam vitæ S. Petri quam initio articuli posuimus. In primis Calvinus falso refert conversionem Pauli ad annum tertium a passione Christi, contigit enim anno primo, ut tradit S. Th. in cap. 2. Galat. lect. 1, et docent scriptores ecclesiastici. Petrus itaque a passione Christi, ut jam observavimus, mansit Jerosolymis annis quatuor circiter, quo tempore potuit eum illic videre Paulus anno a conversione tertio: deinde Petrus mansit Antiochiæ annis septem, non quasi ibi alligatus, sed eo temporis intervallo Pontum, Asiam, Bythiniam, Galatiam, Cappadociam, etc., peragrans: septimo autem anno nondum completo, rediit Jerusalem, ubi ab Herode conjectus est in vincula: eodem anno contigit fames prædicta ab Agabo, ut colligitur ex Act. 11, et ex Dione lib. 6, qui illam refert ad annum 795 ab urbe condita, qui erat annus undecimus a passione Christi et secundus Claudii; sicque Paulus, ascendens tunc Jerosolymam ad deferendas collectas, potuit illic videre Petrum: liberatus autem fuit Petrus, non anno sequenti, ut dicit instantia, neque hoc innuitur Act. 12, sed eodem anno quo et Romam perrexit, scilicet undecimo a passione Christi et secundo Claudii: deinde, septimo sessionis Romæ anno, Claudii nono, hujus imperatoris edicto pulsus, venit Jerusalem, ibique concilio de observantia legalium adfuit, anno a passione Christi decimo octavo.

Quod autem opponitur ex Thrasea apud Eusebium, de mandato Christi facto Apostolis ne ante duodecim annos discederent Jerosolymis, supposita veritate relationis Eusebii, istud mandatum intelligitur de quibusdam, non de omnibus; certum est enim ex Act. 8, 9 et 10, Petrum Samariam, Lyddam, Joppem et Cæsaream peragrasse, imo et sedisse Antiochiæ pluribus annis antequam conjiceretur in vincula, consequenter ante annum duodecimum.

Si opponas in Chronico Eusebii legi Petrum sedisse Antiochiæ annis viginti quinque: *R* esse errorem typographi, qui pro quinque posuit viginti quinque (quamvis enim dicamus sedisse septem annis, intelligimus quinque completos et duos inchoatos), vel totum numerum ex integro esse addi-

tum, quia in pluribus manuscriptis Eusebii in bibliotheca Vaticana asservatis, et in editione græco-latina Scaligeri hæc epocha non reperitur.

Inst. 4° Josephus, qui vixit tempore Neronis, et Romæ suam historiam scripsit, non meminit martyrii S. Petri, cum tamen esset christianorum amicus. Item, S. Clemens, scribens ad Corinthios, et loquens de martyrio SS. Petri et Pauli, non dicit eos Romæ passos fuisse. Item S. Augustinus, Epist. 86, fabulis accenset certamen Petri Romæ cum Simone Mago. Ergo.

R. ad primum, Josephum id tacuisse, quia, ut ipse dicit, lib. 2, c. 11, voluit præterire scelera Neronis, ne historia sua displiceret imperatoribus quibus eam dicabat.

Ad secundum. 1° Intentum Clementis id non exigebat, disserebat enim de invidia cui erant obnoxii Corinthii; et ut probet quanta mala incitaverit, adfert exemplum martyrii SS. Petri et Pauli, notare autem locum passionis non pertinebat ad invidiam. 2° Id tunc satis notum erat christianis, ideoque inutile fuisset illud notare. Adde quod neque Joseph neque Clemens dicant passum esse Jerosolymis, quod tamen asserunt adversarii.

Ad tertium. S. Augustinus non negat hanc historiam, sed negat quod consuetudo jejunandi sabbatis Romæ originem traxerit ex jejunio quod S. Petrus præmisit certamini cum Simone Mago : *patet ex textu.*

Obj. 2° *Esto* Petrus Romam venerit, eam tamen ecclesiam non fundavit : ergo. *Prob. ant.* Sub Tiberio, qui fuit prædecessor Claudii, sub quo dicimus Petrum venisse Romam, erant jam ibi christiani : ergo. *Prob. ant.* ex Orosio, qui, lib. 7, cap. 4, refert senatum, regnante Tiberio, edicto constituisse *exterminandos urbe Christianos.* Ergo.

R N. ant. Ad prob. N. ant. Ad probat. Istud edictum quod refert Orosius, spectabat duntaxat christianos quos, negotiorum suorum causa, Romam adventare contingebat; nullos enim tunc Romæ morari testatur ipse Orosius, eodem cap. 4.

Inst. Lib. 1 Recognitionum S. Clementis, legitur Barnabam tempore Tiberii Christum Romæ prædicasse. Ergo.

R. libros Recognitionum, qui sub nomine S. Clementis circumferuntur, esse apocryphos et nullius ponderis. Aliunde constat quod, antequam Petrus cœlesti visione admonitus fuisset, Act. 10, de Fide gentibus prædicanda, nullus Apostolorum id muneris obire ausus fuerit : ex eo autem tempore Barnabas Paulo individuus comes adhæsit, saltem usque ad concilium Jerosolymitanum, quod anno Claudii nono contingit.

ARTICULUS III.

De primatu Romani pontificis.

Lutherani et Calvinistæ, a Romana sede proscripti, tanto furore in primatum Romani pontificis debacchati sunt, ut eorum nonnulli ipsum Antichristum appellare non erubuerint.

Opusc. 1. cont. errores Græc. c. 63. et seqq.—*Dico.* Romanus pontifex habet primatum auctoritatis in universam Ecclesiam. *Est de fide.*

Prob. 1° ex duobus articulis præcedentibus. Tota auctoritas Petri qua pastoris et rectoris totius Ecclesiæ, quæ fuit suprema, transmissa est in ejus successorem : atqui Romanus pontifex est successor Petri : ergo. *Maj. constat*, quia, cum Christus Ecclesiam fundaverit in æternum duraturam, debuit in ea formam regiminis perpetuam instituere, quæ moriente Petro non cessaret, sed ad ejus successores transiret. *Min. etiam constat ex art. præcedenti.* Petrus enim, *ut probatum est*, sedit Romæ, eam Ecclesiam fundavit atque ad mortem usque rexit : ergo Romanus pontifex est Petri successor : id pariter testantur concilia et Patres mox citandi; unde quæcumque probant primatum Petri, probant simul primatum Romani pontificis. Require art. 1.

Pob. 2° ex conciliis. Concilium Sardicense, anno 347, in epistola synodica ad Julium papam : « Hoc optimum, inquit, et » valde congruentissimum videbitur, si ad » caput, id est, Petri Apostoli sedem, de » singulis quibusque provinciis referant do- » mini sacerdotes. »

In concilio Ephesino, anno 431, act. 1, patres in Nestorium sic pronuntiant : « Coac- » ti per sacros canones et epistolam sanc- » tissimi patris nostri comministri Cœlesti- » ni, Romanæ ecclesiæ episcopi, lacrymis » subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra » eum sententiam necessario venimus. » Ubi patres fatentur se cogi per pontificem : ergo agnoscunt in eo specialem auctoritatem. Ibid. act. 3, Philippus presbyter, apostolicæ Sedis legatus, nullo reclamante, dixit:

« Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fidei deique columna et Ecclesiæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, quæ ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet »

In concilio Chalcedonensi, anno 451, Paschasinus, unus ex legatis summi pontificis, initio dixit : « Beatissimi atque apostolici viri papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus, Alexandrinorum episcopus, non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est... aut ille egrediatur, aut nos eximus... Lucentius, vicarius sedis apostolicæ, dixit : Judicii sui necesse est eum (Dioscorum) dare rationem, quia, cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, et synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam factum est. »

Actione 2, postquam lecta fuit S. Leonis epistola, « Reverendissimi episcopi clamarunt : Hæc patrum fides : Hæc Apostolorum fides: Omnes ita credimus : Orthodoxi ita credunt : Anathema ei qui non ita credit : PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST : Apostoli ita docuerunt. »

Actione 16, gloriosissimi judices dixerunt : « Ex his quæ gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo archiepiscopo conservari. »

Tandem patres Chalcedonenses S. Leonem rogant, ut suo consensu confirmare dignetur quæ statuerunt : « Rogamus igitur, inquiunt in relatione synodi, ad eumdem S. Leonem, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. »

In concilio sexto generali, Constantinop. III, anno 680 patres in litteris synodicis ad Agathonem, quæ extant post act. 18, sic Romanum pontificem alloquuntur : « Maximi morbi majoribus indigent auxiliis: atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem, Itaque tibi, ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit relinquimus stanti super firmam fidei petram. Libenter perlectis vestræ confessionis litteris, a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus... hæreticorum nefariam doctrinam... anathematibus inter fecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata. » Et infra : « Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus : quam ut iterum per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. »

Concilium Constantiense, anno 1414, damnat hanc Wicleffi sententiam : « Quod papa sit summus pontifex, est ridiculum : et Christus nec in Petro, nec in alio, talem approbavit dignitatem; » item hunc articulum decimum Joannis Hus : « Nec Romanus pontifex est caput Ecclesiæ; » et hunc vigesimum septimum : « Non est scintilla apparentiæ quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam. » Unde Martinus V, in bulla contra præfatos hæreticos, jubet interrogari suspectum : « Utrum credat quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? »

Concilium Florentinum, anno 1439, ubi in pluribus collationibus ventilata fuit inter Orientales et Occidentales quæstio de primatu Romani pontificis quem a schismate Photii negabant Orientales, tandem communi utriusque partis consensu, sic definivit in decreto Unionis : « Definimus sanctam apostolicam Sedem et Romanum pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quem-

» admodum etiam in gestis œcumenico-» rum conciliorum et in sacris canonibus » continetur. »

Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7 : « Merito, inquit, pontifices maximi, » pro suprema potestate sibi in Ecclesia » universa tradita, causas aliquas criminum » graviores suo poterant peculiari judicio » reservare. »

Prob. 3° ex SS. Patribus. S. Irenæus, lib. 3 adversus hæreses, cap. 3, dicit : « Ad » hanc enim ecclesiam (Romanam), prop-» ter potentiorem principalitatem, necesse » est omnem convenire Ecclesiam. » Idem, apud Euseb. lib. 5 Hist. c. 24, adhortatur Victorem papam, ne Asiaticos episcopos, ob controversiam de Paschate, a communione suspendat : consequenter agnoscit in ipso supremam potestatem.

Tertullianus, lib. adversus Praxeam initio, scribit Romanum pontificem revocasse litteras communicationis quas ecclesiis Phrygiæ damnatis, et Montanistis ab episcopis Phrygiæ dederat pro Montanum, suadente Praxea, damnasse. Et in lib. de Pudicitia, quamvis in hæresim tunc lapsus, vocat Romanum pontificem, *pontificem maximum et episcopum episcoporum* : et, licet forte id dicat irridendo, loquitur tamen secundum morem hujus temporis.

S. Stephanus papa S. Cypriano, Firmiliano et aliis Orientalibus contra rebaptizationem restitit, intentatis censurarum minis : quod fecit, inquit Vincentius Lirin. in Commonit. 1 adversus hæreses c. 5, « dignum..... existimans, si reliquos omnes » tantum fidei devotione vinceret quantum » loci auctoritate superabat. »

S. Cyprianus ipse ecclesiam Romanam cæterarum omnium radicem et matrem agnoscit, Romanumque pontificem ut vinculum sacerdotalis collegii ac unitatis centrum veneratur; Epist. 45 ad Cornelium Romanum pontificem de Polycarpo Hadrumentino : « Scimus, inquit, nos hor-» tatos esse ut Ecclesiæ catholicæ radicem » et matrem agnoscerent et tenerent..... » placuit..... ut per omnes isthic positos » litteræ fierent, sicut fiunt, ut te universi » collegæ nostri, et communicationem » tuam, id est catholicæ Ecclesiæ unitatem » probarent firmiter ac tenerent. » Et Epist. 67, rogat Stephanum papam ut, pro auctoritate, injungat episcopis Gallicanis ut a sua communione ejiciant Martianum episcopum Arelatensem, qui ad Novatiani patres transierat : « Dirigantur, in-» quit, in provinciam et ad plebem Arelate » consistentem a te litteræ quibus, abs-» tento Martiano, alius in locum ejus subs-» tituatur. »

S. Dionys. Alexand. de hæresi accusatus, se purgavit apud Romanum pontificem, ut refert S. Athan. lib. de Synodis Arimini et Seleuciæ.

Concilia Orientalia irrita habebantur nisi auctoritate Romani pontificis firmarentur, quod occasione concilii Antiocheni ab Arianis habiti testatur Socrates, lib. 2. Hist. c. 4. « Julius Romanus episcopus, inquit, » neutique aderat, neque quemquam, qui » ejus locum suppleret, eo misit, idque cum » canon ecclesiasticus jubeat non oportere » absque sententia episcopi Romani de-» creta Ecclesiæ sancire. » Et Sozomenus, l. 3. Hist. c. 9, scribit « Legem esse ad » sacerdotii dignitatem spectantem, quæ » pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præ-» ter sententiam episcopi Ramani consti-» tuuntur. »

Julius papa S. Athanasium a sede sua detrusum restituit, et in communionem suscepit, ejusque hostes ad apostolicum tribunal vocavit, secundum usum jam longo tempore firmatum, ut constat ex ipsius Julii verbis quæ refert S. Athanasius, Apolog. 2 : « An ignari estis, inquit pontifex ad » Orientales scribens, hanc consuetudinem » esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc » quod justum est definiri possit..... Nunc » autem nos, quos certiores minime fece-» runt, postquam jam egerint quid lubuit, » suffragatores suæ damnationis, cui non » interfuimus, esse volunt. Non ita se ha-» bent Pauli ordinationes, non ita Patres » docuerunt, sed fastus iste et novum stu-» dium est. » Legendi hac de re Socrates, lib. 2 Hist. c. 11, et Sozomenus, lib. 3 Hist. c 7.

Liberius papa Eustachium Sebastenum a concilio Melitinensi exauctoratum in suam sedem restituit, ex S. Basilio, Epist. 74 ad episcopos Orientales.

S. Chrysostomus rogat Innocentium I, ut sententiam exauctorationis in se a Theophilo Alexandrino latam rescindat. Sic epistola prima loquitur : « Scribite, precor, » et auctoritate vestra decernite hujusmodi

» impie gesta, nobis absentibus et judicium » non declinantibus, nullius esse roboris. » Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ cen» suræ subjicite : nos autem insontes, ne» que convictos, neque deprehensos, neque » illius criminis reos comprobatos, ecclesiis » nostris jubete restitui. »

S. Ambrosius, Epist. 78, monet Theophilum ut judicium suum de dissidiis Antiochenæ ecclesiæ mittat ad pontificem Romanum, sine cujus approbatione nullius foret roboris.

S. Hieronymus, Epist. 57 ad Damasum papam : « Quanquam, inquit, tui me ter» reat magnitudo, invitat tamen humani» tas. A sacerdote victimam salutis, a pas» tore præsidium ovis flagito. Cum succes» sore Piscatoris et discipulo crucis loquar : » ego, nullum primum nisi Christum se» quens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ » Petri communione consocior : super il» lam petram ædificatam Ecclesiam scio ; » quicumque extra hanc domum agnum » comederit, profanus est ; si quis in arca » Noe non fuerit, peribit regnante diluvio... » Non novi Vitalem, Meletium respuo, » ignoro Paulinum. Quicumque tecum non » colligit, spargit, hoc est, qui Christi non » est, Antichristi est..... Quamobrem, ob» testor beatitudinem tuam per Crucifixum, » per mundi salutem, per ὁμούσιον Trinita» tem, ut mihi litteris tuis, sive tacenda» rum, sive dicendarum hypostaseon detur » auctoritas. »

S. Augustinus variis in locis primatum Romani pontificis asserit, Epist. 157, lib. 1 ad Bonif. cap. 1, et Epist. 162 : « In Ro» mana ecclesia, inquit, semper apostolicæ » cathedræ viguit principatus. »

S. Prosper, carmine de Ingratis :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

S. Bernardus, lib. 2 de Consideratione, cap. 8, ad Eugenium papam sic loquitur : « Quis es? Sacerdos magnus, summus pon» tifex. Tu princeps episcoporum, tu hæres » Apostolorum, tu primatu Abel, guberna» tu Noe, patriarchatu Abraham, ordine » Melchisedech, dignitate Aaron, auctori» tate Moyses, judicatu Samuel, potestate » Petrus, unctione Christus. Tu es cui cla» ves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt » quidem et alii cœli janitores et gregum » pastores ; sed tu tanto gloriosius quanto » et differentius præ cæteris nomen hæredi» tasti : habent illi assignatos greges, sin» guli singulos ; tibi universi crediti, uni » unus ; nec modo ovium, sed et pastorum » omnium tu unus pastor. Unde id probem » quæris? Ex verbo Domini ; cui enim, non » dico episcoporum, sed etiam Apostolo» rum, sic absolute et indiscrete totæ com» missæ sunt oves? Si me amas, Petre, » pasce oves meas. Quas? illius aut illius » populos civitatis, aut regionis, aut regni? » Oves meas, inquit. Cui non planum, non » designasse aliquas, sed assignasse omnes? » Nihil excipitur ubi distinguitur nihil..... » Ergo, juxta canones tuos, alii in partem » sollicitudinis, tu in plenitudinem potes» tatis vocatus es ; aliorum potestas certis » arctatur limitibus ; tua extenditur in ipsos » qui potestatem super alios acceperunt. » Nonne, si causa extiterit, tu episcopo cœ» lum claudere, tu ipsum ab episcopatu » deponere, etiam et tradere satanæ potes! » Stat ergo inconcussum privilegium tuum, » tam in datis clavibus quam in ovibus com» mendatis. » Nihil sane laculentius, nihil fortius in rem nostram proferri potest. Non enim S. doctor tantum primatum Romani pontificis magnifice asserit, sed et probat iisdem momentis quibus probamus primatum S. Petri, consequenter et ejus successoris Romani pontificis.

Alios et plures omitto, ne longior sim, unus tantum restat audiendus, scilicet Gerson, academiæ Parisiensis cancellarius, cujus testimonium omittere piaculum foret ; quia, ubi agitur de prærogativis Romanæ sedis, nulli potest esse suspectus. Itaque

Gerson, de Statibus Ecclesiasticis, consideratione prima, super statu Romani pontificis sic habet : « Status papalis institutus » est a Christo supernaturaliter et imme» diate, tanquam primatum habens monar» chicum et regalem in ecclesiastica hierar» chia ; secundum quem statum unicum et » supremum, Ecclesia militans dicitur una » sub Christo. Quem primatum quisquis » impugnare, vel diminuere, vel alicui » ecclesiastico statui particulari coæquare » præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæ» reticus est, schismaticus, impius atque » sacrilegus ; cadit in hæresim toties dam» natam a principio nascentis Ecclesiæ us-

» que hodie, tam per institutionem Christi » de principatu Petri super alios Apo» stolos, quam per traditionem totius Ec» clesiæ in sacris eloquiis et generalibus » conciliis. »

Addo clerum Gallicanum, qui in conventu habito Parisiis anno 1681, de Romano pontifice sic loquitur : « Caput est Ecclesiæ, » centrum unitatis ; obtinet ille in nos pri» matum auctoritatis et jurisdictionis sibi a » Christo Jesu in persona Petri collatum. » Qui ab hac veritate dissentiret, schisma» ticus, imo et hæreticus esset. »

Addo et sacram Facultatem Parisiensem, quæ, anno 1542, in sua censura contra Lutherum, hunc habet articulum vigesimum tertium : « Nec minus certum est » unum esse jure divino summum in Eccle» sia Christi militante pontificem, cui om» nes christiani parere tenentur. » Anno 1617, in censura contra Spalatensem, dicit : « Propositionem qua ille asseruerat Roma» nam ecclesiam jure divino auctoritatem » in alias ecclesias non habere, hæreticam » esse et schismaticam. » Et anno 1683, in præfatione censuræ alicujus propositionis ad se a senatu Parisiensi missæ, dicit : « Episcopum Romanum esse jure divino » summum in Ecclesia principem, cui om» nes christiani parere teneantur, et qui » immediate a Christo, non honoris solum, » sed potestatis ac jurisdictionis primatum » habeat in tota Ecclesia. »

Ex his itaque conciliis, SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis habemus sedem Romanam esse cathedram Petri, Romanum pontificem esse successorem Petri, Romanos pontifices causas fidei ut supremos judices diremisse, appellationes dejectorum episcoporum recepisse, restituisse suis sedibus immerito exauctoratos, mulctasse censuris aliarum ecclesiarum etiam Orientis antistites, vel eos communione donasse, concilia probasse vel respuisse, jus denique dixisse cæteris patriarchis et episcopis : hæc autem esse primatus jurisdictionis invictissima argumenta nemo non videt.

Et hinc sic formo argumentum : Ea est ac semper fuit ab initio constans Ecclesiæ fides, Romanum pontificem esse successorem Petri, esse supremum totius Ecclesiæ pastorem et caput : atqui Ecclesia errare non potest in agnoscendo suo supremo pastore et capite, alias portæ inferi adversus illam prævalerent. Ergo.

Post hæc quis patienter ferat quis ? non excandescat, dum audit sciolos ex inferiori clero insolenter dictitantes Romanum pontificem non esse nisi primum inter pares, nullam in aliis diœcesibus habere jurisdictionem, nec quidem in privata parochia posse sacramenta administrare absque licentia parochi ? De his quid dicam ? Dicam cum Gersonio, clero Gallicano et sacra Facultate Parisiensi, quos ut suos magistros in aliis venerantur, esse schismaticos, hæreticos, impios et sacrilegos.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex S. Scriptura. Apostolus, ad Ephes. 4, recensens omnes ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, non meminit unius summi pontificis : *Ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Similiter 1 Cor. 12. Ergo.

R. 1° Apostolum his in locis non agere de gradibus ecclesiasticæ hierarchiæ, enumerat enim in utroque loco prophetas, evangelistas, dona linguarum, gratias curationum, etc., quæ non pertinent ad ecclesiasticam hierarchiam : quæ enim sunt ecclesiasticæ hierarchiæ, permanenter in Ecclesia semper perseverant ; sed agit de variis charismatibus et donis quibus nascens Ecclesia a Spiritu sancto sub his initiis ornabatur. 2° *N. conseq.* Non enim omnia in omnibus S. Scripturæ locis referuntur ; et si in his locis de summo pontifice sileatur, alibi exprimitur.

Inst. Apostolus, loco citato ad Ephes. repetit unitatem Ecclesiæ ab uno Christo, una fide, uno spiritu ; nec unius capitis visibilis meminit : *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una fide vocationis vestræ, unus Dominus, una fides.* Ergo.

R. 1° per unum corpus, scilicet visibile, exprimi sufficienter unum caput visibile ; non enim potest esse unum corpus, nisi sit in eo unum caput quod cæteris membris præsideat. 2° *Dato ant. N. conseq.* ut ante ;

quia, si ibi non exprimatur unum caput, exprimitur alibi.

Obj. 2° ex conciliis. Canon 6 concilii primi Nicæni sic habet : « Antiqua consuetudo » servetur per Ægiptum, Libyam et Pen» tapolim, ut Alexandrinus episcopus ha» rum omnium habeat potestatem : quia et » urbis Romæ episcopo parilis mos est : si» militer autem et apud Antiochiam, etc. » Quibus verbis videtur coarctari potestas Romani pontificis ad certas provincias, sicut potestas Alexandrini episcopi : alioquin non esset legitima comparatio quam instituunt patres Nicæni inter episcopum Alexandrinum et Romanum, si Alexandrini potestas intra Ægyptum, Libyam et Pentapolim constringeretur, et Romani auctoritas in orbem universum diffunderetur. Ergo.

R. 1° hoc canone non solum non infirmari, sed potius firmari primatum Romani pontificis. Cum enim in concilio Chalcedonensi, act. 16, Paschasinus, S. Sedis legatus, contra canonem 28 ejusdem concilii clandestine factum in præjudium Romanæ sedis, præfatum canonem Nicænum in hunc modum retulisset : « Trecentorum octode» cim patrum canon sextus : quod ecclesia » Romana semper habuit primatum : te» neat autem et Ægyptus ut episcopus » Alexandriæ omnium habeat potestatem, » quoniam et Romano episcopo hæc est con» suetudo, etc. » Nullus reclamavit, sed judices e contra dixerunt : « Perpendimus » omnem quidem primatum et honorem » præcipuum secundum canones antiquæ » Romanæ archiepiscopo conservari. » Accedit quod ante et post concilium Nicænum, summi pontifices jus primatus in universa Ecclesia exercuerint, *ut patet ex probationibus conclusionis*, absque eo quod canonum infractores habiti fuerint. Itaque

R. 2° *D. ant.* Coarctatur potestas Romani pontificis, ut est Romanus pontifex et Petri successor, *N.* ut est patriarcha Occidentis, *C.* Ad cujus intelligentiam, observandum est plures esse in Romano pontifice prærogativas. 1° Est episcopus ordinarius urbis Romæ et ejus territorii ; 2° est metropolitanus Romanæ provinciæ ; 3° est primas, seu, ut olim dicebatur, exarcha seu metropolitanus major provinciarum Italiæ, cui metropolitani inferiores subordinantur ; 4° est patriarcha Occidentis ; 5° est totius Ecclesiæ caput et supremus pastor. Comparatio igitur quam concilium Nicænum instituit inter Romanum episcopum et Alexandrinum, non est quoad omnia jura Romani pontificis, sed quoad jura patriarchalia tantum, quorum præcipuum erat jus ordinationum præsertim metropolitanorum in toto patriarchatu. Huic canoni occasionem dedit Meletius : cum enim antiquam consuetudinem, secundum quam episcopus Alexandrinus in Ægypti, Libyæ, Pentapolis diœcesibus sacras ordinationes celebraret, aut celebrandi licentiam daret, schismate focto, turbasset Meletius ; concilium Nicænum, canone sexto edito, asserta voluit episcopi Alexandrini et aliorum privilegia.

Inst. 1° Dignitas patriarchalis est posterior concilio Nicæno, nec in eo canone fit mentio patriarcharum, sed metropolitanorum tantum : ergo comparatio inter episcopum Romanum et Alexandrinum non est quoad jura patriarchalia.

R. D. ant. Dignitas patriarchalis est posterior Nicæno quoad nomen, *C.* quoad rem, *N.* Ante concilium enim episcopus Alexandrinus fruebatur juribus patriarchalibus, in quibus turbaverat ipsum Meletius Lycopolitanus, qui in istis provinciis ordinationes facere attentabat ; usurpatum est autem in canone nomen metropolitani, quia tunc erat commune non solum metropolitanis ordinariis, sed etiam primatibus et patriarchis.

Inst. 2° Jus præcipuum patriarcharum erat, ut dictum est, jus ordinationum metropolitanorum in omnibus provinciis patriarchatus : atqui episcopus Romanus non ordinabat omnes metropolitanos Occidentis, puta remotiores Africanos, Gallos, Hispanos, etc., ergo comparatio non fit quoad jura patriarchalia.

R. D. min. Non ordinabat omnes metropolitanos Occidentis, nec habebat jus ordinandi, *N.* et habebat jus ordinandi, *C.* Ordinabat itaque regulariter per se metropolitanos in Italia, in remotioribus autem partibus, per suos vicarios vel primates, juxta consuetudinem certarum ecclesiarum, cui derogare non volebant pontifices. Hac de re fusius Natalis Alexander, dissert. 20, sæcul. 4.

Inst. 3° Canon 6 Nicænus, juxta versionem Rufini, restringit potestatem Romani

pontificis ad *ecclesias suburbicarias*, id est, quæ Roma distant mille centum passibus, aut quæ continentur intra decem provincias vicario Romæ subjectas : atqui potestas Romani pontificis, ut patriarchæ Occidentis, ad omnes provincias Occidentis se extendit : ergo comparatio non est quoad jura patriarchalia.

R. 1° in his quæ sedem Romanam spectant, nullam fidem esse adhibendam Rufino, quippe qui per Anastasium summum pontificem fuerat Romanæ ecclesiæ communione privatus. Insuper nota est ex S. Hieronymo ejus temeritas in interpolandis auctoribus.

R. 2° per ecclesias suburbicarias intelligi in Rufino omnem Occidentem : tempore enim Cæsaris Augusti universus orbis erat suburbicarius, id est, urbis Romæ potestati subjectus : imperio autem diviso tempore Constantini et ejus filiorum, Oriens fuit suburbicarius Constantinopoli novæ Romæ, et Occidens suburbicarius antiquæ Romæ, et sic erat sub Arcadio et Honorio, quibus imperantibus scribebat Rufinus. Vide Morinus, lib. 1. Exerc. Ecclesiast. exercit. 30.

Obj. 3° ex S. Cypriano S. doctor, Epist. ad Quintum dicit : « Neque enim quisquam » nostrum episcoporum se episcopum con» stituit : » atqui, si summus pontifex haberet primatum super alios episcopos, esset episcopum episcoporum. Ergo.

R. 1° S. Cyprianum ubi non loqui de Romano pontifice, sed tantum de Africanis episcopis, qui in concilio Carthaginensi quæstionem de rebaptizandis hæreticis agitabant, *ut patet ex textu.* 2° *Esto* his verbis indirecte sugillaret Romanum pontificem, nullius sunt momenti quæ tunc in illum subiratus effutiit : *satis dixi* dum de Baptismo.

Inst. 1° S. Cyprianus ibidem docet episcopos a solo Deo esse judicandos : atqui, si summus pontifex esset episcopus episcoporum, posset illos judicare. Ergo.

R. 1° ut ante, non esse alicujus ponderis ea quæ dixit Cyprianus in hac quæstione de rebaptizandis hæreticis, in qua erravit. 2° Intelligit Cyprianus de internis et occulta cordis intentione, quæ a solo Deo judicari potest ; cum enim dissentirent episcopi circa rebaptizandos, et vellet Cyprianus unicuique esse liberum hac de re opinandi, quam, ut alibi dixi, reputabat esse meræ disciplinæ, dicit neminem esse judicandum aut inculpandum, sed expectandum Dei judicium de intentione et rationibus sic vel sic opinandi cujusque : nisi forte velis Cyprianum sensisse neque a concilio generali episcopum in externis posse judicari, quod foret absurdum et tanto viro injuriosum. Cæterum Cyprianum agnovisse in episcopo Romano potestatem judicandi alios episcopos constat evidenter ex illius Epist. 67 ad Stephanum, quem hortatur ut Martianum Arelatensem episcopum, qui ad Novatianos defecerat, in ordinem redigat, et alium in ejus locum instituat. *Vide probationes conclusionis.*

Inst. 2° Cyprianus in eadem epistola se parem agnoscit Romano pontifici in regimine Ecclesiæ : dicit enim Stephano : « Cui » rei nostrum est consulere et subvenire, » frater charissime, qui divinam clemen» tiam cogitantes, et gubernandæ Ecclesiæ » libram tenentes, etc. » Ergo.

R. S. Cyprianum velle tantum ipsius esse, ut membri, subvenire consilio et sollicitudine corpori Ecclesiæ in periculo constitutæ, non autem esse ipsius, ut capitis, subvenire auctoritate, maxime quoad præcipua, qualis erat depositio episcopi Arelatensis.

Inst. 3° S. Cyprianus improbavit ut nullam restitutionem Basilidis sedi Asturicensi, factam a Stephano papa contra exauctorationem factam ab episcopis Hispaniæ. Ergo.

R. D. ant. Improbavit ut nullam, defectu potestatis in Stephano. *N.* ut nullam, defectu justitiæ, quia erat subreptitia. *C. Patet* ex Epistola Cypriani ad clerum et plebem Asturicensem, in qua de Basilide dicit : « Romam pergens Stephanum colle» gam nostrum longe positum, et gestæ rei » ac veritatis ignarum fefellit. » Et : « Ne» que tam culpandus est ille (*Stephanus*) » cui negligenter obreptum, quam hic » (*Basilides*) execrandus qui fraudulenter » obrepsit. » Quinimo, inde *firmatur conclusio*, cum habeamus episcopos in Hispaniis sede pulsos, ad sedem Romanam confugere ut restituantur.

Obj. 3° ex denegato pontifici Romano appellationum jure. Si Romanus pontifex haberet primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, posset ad eum ex toto orbe christiano appellari : atqui *falsum consequens* : ergo *et ant.*

Prob. min multipliciter. 1° Damasus papa, cum synodo Occidentalium, recusavit cognoscere absque Orientalibus causam Maximi Constantinopolitani in prima synodo Constantinopolitana, seu secunda œcumenica, depositi, qui de sua depositione et Nectarii subrogatione apud S. Sedem expostulabat, ut constat ex epistola synodica concilii Italiæ ad Theodosium : ergo Damasus non agnovit in se jus admittendi appellationes.

2° Concilium Milevitanum in Africa, can. 22, prohibet appellationes transmarinas, seu ad sedem Romanam, his verbis : « Si qui provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum : ad transmarina autem qui putarent appellandum, a nullo intra Africam in communione susc ipiantur. » Ergo.

3° Episcopi Africani, inter quos convivebat S. Augustinus, in concilio Carthaginensi VI, anno 418, noluerunt admittere appellationes ad Zozimum papam, quas ejus legati ipsi vindicare contendebant, allegatis canonibus concilii Nicæni.

4 Synodus Quini sexta can. 36, innovans quæ in concilio I Constantinop. can. 3, et in Chalcedonensi can. 17 sancita sunt, decernit eadem privilegia competere sedi novæ Romæ seu Constantinopolis, ac antiquæ Romæ.

5° Justinianus imperator, Novella 123, cap. 22, causas episcoporum reservat metropolitano in casu appellationis, patriarchæ, et ipsorum metropolitanorum causas eidem patriarchæ, semota omni appellatione a sententia patriarchæ. Ergo.

Ante responsionem, juvat revocare in memoriam ea quæ in *probationibus conclusionis* deducta sunt, ex quibus invicte constat jus appellationum ad sedem Romanam semper in Ecclesia viguisse; quibus adde canones concilii Sardicensis, anno 347. Canon tertius sic habet : « Si quis episcoporum in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, et existimet se non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium renovetur; si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt scribatur Julio Romanorum episcopo, et per propinquos provinciæ episcopos, si opus erit, judicium renovetur, et cognitores ipse præbeat. » Quartus canon sic : « Si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus pontifex causa cognita sententiam tulerit. » Et canone 5, vel 7, refertur modus quo Romanus pontifex in similibus causis debet procedere.

Neque dici potest concilium Sardicense novum jus statuisse, cum ante illud jam vigeret, ut constat ex appellationibus Basilidis et S. Athanasii, de quibus in *probationibus conclusionis;* item ex appellatione Marcionis a proprio patre, Ponti episcopo, excommunicati, ad Pium papam, apud S. Epiphan. Hæresi 42; et Fortunati ad Cornelium papam, apud Cyprianum, Epist. 55.

Neque obstat quod dicant patres Sardicenses in tertio canone se ita decernere, ut honorent memoriam S. Petri, id enim perinde est ac si diceretur, quia Romanus pontifex est successor S. Petri, et ea ratione jus appellationum sibi vindicat : unde iidem patres, in epistola synodica ad eumdem Julium, dicunt « Congruentissimum esse si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis provinciis referant sacerdotes, » *ut vidimus inter probationes conclusionis.*

Insuper observandum est quod, quamvis jus appellationum sit primatui Sedis apostolicæ annexum, tamen Romani pontifices illud nec semper nec erga omnes exercuerint, sed juxta usum in pluribus provinciis introductum consenserunt ut simplicium sacerdotum et inferiorum clericorum causæ, vel ab episcopis, vel a conciliis provincialibus, vel a primatibus ultimate definirentur, ne vel occasio præberetur clericis vagandi, vel ne ex nimia appellationum frequentia frangeretur auctoritas episcoporum, et ii qui primo judicaverant immerito vexarentur, atque causæ alioquin faciles, in iongum tempus protraherentur. His præmissis,

R. ad singula. Ad primum. 1° Epistola synodi Occidentalis ad Theodosium multis videtur supposititia. 2° *N. conseq.* Ex eo enim quod Damasus noluerit cognoscere causam Maximi absentibus Orientalibus, non sequitur quod non potuerit. 3° *N. ant.* Revera enim cognovit et diremit causam Maximi, eumque in communionem recepit : « Nihil habemus, inquiunt patres sy-

» nolici in laudata epistola, in quo de ejus » episcopatu dubitare possemus..... Ita- » que Maximum episcopum in communio- » nem receperunt consortia nostra....., nec » ab episcopatus Constantinopolitani puta- » vimus petitione removendum. » Hocque jus confirmant exemplis S. Athanasii et Petri Alexandrini qui ad sedem Romanam appellaverant. Nec obstat quod in eadem epistola dicant Theodosio, concordiam « non » posse aliter convenire, nisi aut is (Maxi- » mus) reddatur Constantinopoli, qui prior » est ordinatus, aut certe super duorum or- » dinatione sit in urbe Roma nostrum Orien- » taliumque concilium. » Sic namque locuti sunt, remittentes de juribus Romanæ ecclesiæ pro bono pacis facilius redintegrandæ, et ad extinguendum ecclesiæ Constantinopolitanæ schisma.

Ad secundum. Concilium Milevitanum non prohibet omnium appellationes, sed presbyterorum tantum, diaconorum, et inferiorum clericorum. *Patet* ex prioribus verbis canonis : « Placuit, inquit, ut pres- » byteri, diaconi, vel cæteri inferiores cle- » rici, in causis quas habuerint, si de judi- » ciis episcoporum suorum questi fuerint, » vicini episcopi eos audiant, quod si ab » eis provocandum, etc. » *ut in instantia.* Sic autem statuit concilium ex usu recepto, consentiente Romano pontifice, propter rationes datas in observatione superiori.

Si dicas in collectione canonum ecclesiæ Africanæ, quæ tribuitur concilio VI Carthaginensi, in eo canone 22 concilii Milevitani, post prohibitionem factam inferioribus clericis appellandi ad Sedem apostolicam, subjungi, *sicut et de episcopis sæpe constitutum est. R.* cum Natali Alexandro, hanc clausulam esse irreptitiam ; quia non habetur in canone Milevitano, neque refertur a Cresconio in sua canonum collectione, nec, si ita esset, eum omisissent patres Africani in concilio VI Carthaginensi, in quo agebatur de appellationibus transmarinis quas ægre ferebant, de quo modo.

Inst. S. Cyprianus, ipse Africanus, Epist. 55 conqueritur de appellatione Fortunati episcopi ad Cornelium papam. Ergo.

R. Fortunatum, cum a S. Cypriano fuit excommunicatus, esse simplicem presbyterum, ac post excommunicationem a paucis hæreticis pseudoepiscopum fuisse ordinatum. *Patet* ex verbis ejusdem epistolæ Cypriani ad Cornelium : « Maxime, inquit, » quando Fortunati nomen jam satis nosses, » qui est unus ex quinque presbyteris jam » pridem de Ecclesia profugis : ... hi quin- » que cum paucis, vel sacrificatis, vel male » sibi consciis, Fortunatum sibi pseudoe- » piscopum cooptarunt. » Non ergo conqueritur S. Cyprianus, quasi dubitans de jure Romani pontificis recipiendi appellationes, sed quod contra usum Africanæ ecclesiæ simplicis presbyteri appellationem recepisset.

Ad tertium. Relictis variis solutionibus, *R.* ecclesiam Africanam non jus, sed usum appellationum ad sedem Romanam, equidem aliquandiu errore facti deceptam, impugnasse ; sed quem, errore non multo post deposito, agnovit et venerata est. *Explicatur.* Cum Apiarius presbyter Africanus appellasset ad sedem Romanam, idque ægre ferrent episcopi Africani, Zozimus papa, in commonitorio quod dederat suis legatis ad concilium Carthaginense, fundabat usum appellationum ad sedem Romanam in *canonibus Nicænis*, qui tamen revera non erant Nicæni, sed Sardicenses: at moris erat apud Sedem apostolicam citare canones Sardicenses sub nomine Nicænorum ; quia concilium Sardicense semper fuit habitum ut appendix concilii Nicæni, eo quod in Sardicensi nullus fidei canon sit editus, sed tantum fides Nicæna confirmata, et ejus defensores vindicati. Hoc autem non attendentes Africani, scrutati sunt undequaque canones concilii Nicæni, tum in codice quem apud se habebant, tum in codicibus asservatis Constantinopoli et Alexandriæ, etc, et cum in iis non reperirent canones citatos a Zozimo, collegerunt usum appellationum ad sedem Romanam fundari in canonibus suppositiis, et ideo illum impugnaverunt, non tamen aliquid in contrarium definiendo, sed rogando Bonifacium et Cœlestinum, successores Zozimi (is enim a discessu legatorum obierat), variis adductis rationibus, ut appellationes Africanorum deinceps non reciperet.

Verum hæc nihil profuerunt, cum ipse Cœlestinus appellationem iteratam ejusdem Apiarii receperit, et ipsimet episcopi Africani, ab errore liberati, Antonii Fussalensis episcopi appellationi ad sanctam Sedem detulerint, ut constat ex ipso S. Augustino, inter Africanos tunc præcipuo, Epist. 209,

olim 261 ad eumdem Cœlestinum, in qua ipsum de omnibus contra dictum Antonium in synodo Africana gestis certiorem facit; et adeo non dubitat quominus summus pontifex ipsum, quamvis a synodo Africana exauctoratum, posset suæ sedi restituere, ut dicat se cogitare de abdicando episcopatu, casu quo iste Antonius suo episcopatui restitui contingat. « Me sane, inquit in eadem epistola, in isto utrorumque periculo » tantus timor et mœror excruciat, ut ab » officio cogitem gerendi episcopatum abscedere, si per eum, cujus episcopatui per » imprudentiam suffragatus sum, vastari » ecclesiam Dei, et, quod ipse Deus avertat, » etiam cum vestantis perditione perire » conspexero. »

Demum, quovis modo se res habuerit cum Africanis in ista contentione, certum est eos nihil obtinuisse, et appellationes ad sedem Romanam, posthac sicut antea, in Africa semper in usu fuisse, *ut constat ex dictis* et ex pluribus aliis exemplis.

Inst. In collectione canonum Africanæ ecclesiæ, canone 96, prohibetur ne a judicibus electis in Africa provocetur. Ergo.

R. eo in canone non agi de causis ecclesiasticis, sed de causis civilibus et criminalibus clericorum, ad quas dirimendas, juxta disciplinam Africanæ ecclesiæ, eligebantur ex clero judices arbitri, nec licebat eas deferre ad judices sæculares, in clericorum dedecus. Ita colligitur ex canone 9 concilii Carthaginensis III, quo prohibetur clericis ne causas suas ad sæcularia tribunalia deferant.

Ad quartum. Synodus Quinti sexta, seu Trullana, nullius est auctoritatis in Ecclesia, quippe quæ fuit Græcorum tantum, nec a summo pontifice probata, et cujus plures canones scatent erroribus. Concilium Constantinop. quod citat, non æquat episcopum Constantinopolitanum Romano, sed præfert Alexandrino et Antiocheno, can. 3, vel 5. « Constantinopolitanæ civi» tatis episcopus, inquit, habere oportet ho» norem post Romanum episcopum, pro» pterea quod sit nova Roma. » Quantum ad synodum Chalcedonensem, quidquid pro primatu Constantinopolitani episcopi statuit irritum est, utpote factum reclamantibus aut absentibus apostolicæ Sedis legatis, nec a S. Leone confirmatum, *ut patet* ex ejus Epistolis 55, 54, 59 et 61, ubi dicit se approbare illa « quæ in causa fidei » in hac synodo definita sunt, non autem » quæ de ambitu episcopi Constantinopo» litani. »

Ad quintum. 1° Non ex legibus imperatorem, sed Ecclesiæ colligenda est ejus disciplina. 2° Intelligit Justinianus de causis episcoporum, non ecclesiasticis, sed civilibus, quæ post judicium patriarcharum erant ad imperatorem devolutæ. Constat enim ex actione 1 et 4 concilii Constantinopolitani sub Menna, ipsum non obstitisse Agapeto papæ qui ad instantiam monachorum cognovit causam Anthimi qui sedem patriarchalem invaserat. De jure appellationum ad sedem Ramanam late et docte Natalis Alexander sæcul. 4, dissert. 28.

Obj. 4° *plura simul.* 1° Episcopi sunt successores Apostolorum sicut summus pontifex, ex S. Cypr. Epist. 42, S. Hier. Epist. 54, S. Aug. in Psal. 44; 2° sunt etiam episcopi successores S. Petri, ex S. Cypr. Epist. 27, S. Hier. Epist. 1; 3° episcoporum auctoritas est immediate a Deo, sicut auctoritas Romani pontificis, Act. 2: *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, et ex SS. Patribus; 4° episcopi sunt vicarii Christi, sicut summus pontifex, ex S. Cypr. Epist. 55, et S. Bern. Epist. 42; 5° episcopi dicuntur a SS. Patribus, S. Clem. l. 6 Constit. Apost. c. 14, S. Ignat. mart. Epist. 6 ad Philadelphios et aliis, universalis Ecclesiæ curam gerere: quibus omnibus evincitur episcopos parem cum Romano pontifice habere potestatem. Unde S. Hieron. Epist. ad Evagrium, ait: « Si » auctoritas quæritur, orbis major est urbe. » Quid mihi profers unius urbis consuetu» dinem? Ubicumque fuerit episcopus, sive » Romæ, sive Constantinopoli, sive Rhegii, » sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem » meriti est et ejusdem sacerdotii. »

R. ad primum. D. ant. Episcopi sunt successores Apostolorum, quoad potestatem episcopatus, *C.* quoad potestatem apostolatus, *N.* Duplex itaque in Apostolis distinguenda est potestas, una apostolatus, quæ erat cum tota plenitudine, utpote necessaria exercendo apostolatui, et hæc fuit ordinaria in S. Petro, ideoque ad successores transmissa; in aliis autem Apostolis extraordinaria, et ideo ad successores non integre transmissa. Alia potestas erat episcopalis, secluso apostolatu et sine plenitu-

dine, et hæc in omnes episcopos est transfusa. Prima innuitur Marci 16 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* altera 1 Petri 5 : *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Constat insuper episcoporum potestatem certis limitibus semper fuisse circumscriptam : unde Apost. Tit. c. 1 : *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Et concilium Nicænum, can. 15, prohibet episcopis *a civitatem in civitate transire.* Idem probat tota antiquitas.

Ad secundum. D. Episcopi sunt successores S. Petri directe, *N.* indirecte, *subdistinguo.* Quoad auctoritatem episcopatus, *C.* quoad auctoritatem primatus, *N.* Cum itaque pauci Apostoli habuerint sedes fixas, episcopi non possunt dici Apostolorum successores, nisi in genere ; non enim possunt dici successores speciales Andreæ, vel Bartholomæi, vel Philippi, etc., præsertim cum plena potestas quæ erat in ipsis extraordinaria, etiam cum ipsis perierit. At Petrus habuit potestatem ordinariam cui succederetur et ad quam, ut ad principalem, omnium prælatorum auctoritas diceret ordinem, qua ratione episcopi dicuntur indirecte Petri successores in auctoritate quidem, non in gradu auctoritatis, in episcopatu non in primatu.

Ad tertium, R. cum Sylvio, l. 4 Controvers. a. 5, Soto, Banne, Bellarmino, etc. *D.* idem *ant.* Auctoritas episcoporum est immediate a Deo, si per auctoritatem intelligatur potestas ordinis, *C.* sicut enim Christus principaliter baptizat, sic principaliter consecrat et confert characterem ; si per auctoritatem intelligatur potestas jurisdictionis, *N.* Hanc enim episcopi habent a Deo, mediante summo pontifice : quia, cum regimen Ecclesiæ sit monarchicum, omnis jurisdictio in uno residet tanquam in capite a quo derivatur in alios, ut dicit S. Leo, Epist. 89 : « Hujus muneris sacramentum, inquit, ita Dominus ad omnium » Apostolorum officium voluit pertinere, » ut in beatissimo Petro, Apostolorum om» nium summo, principaliter collocaret, » ut ab eo ipso, quasi quodam capite, dona » sua velut in corpus omne diffunderet. » Unde episcopi nominati vel electi nullam jurisdictionem habent, nisi a Romano pontifice confirmentur. Et ita censet Auctor in 4, dissert. 20, art. 4, et lib. 4 cont. Gent. cap. 76, ubi ait Christum soli Petro promisisse : *Tibi dabo claves regni cœlorum ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda.* Quidam alii, ut Natalis Alexander, sæc. 1, diss. 4, Gerson. de Statibus Ecclesiasticis, consid. 3, videntur agnoscere jurisdictionem episcoporum esse etiam immediate a Deo, dependere tamen quoad exercitium a summo pontifice, quod non multum differt.

Nec obstat quod dicitur Act. 20 : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos*, etc. Nec enim negamus Spiritum sanctum instituere episcopos, sed mediante supremo Ecclesiæ capite sicut eos quos alloquebatur Apostolus instituerat, mediante Apostolorum ministerio.

Ad quartum, D. Episcopi sunt vicarii Christi, æquo jure cum Romano pontifice *N.* minori jure, *C.* Etenim Romanus pontifex vices Christi gerit in universa Ecclesia et independenter a quovis homine mortali : episcopi vero vices Christi gerunt in suis ecclesiis tantum et dependenter a papa.

Ad quintum, D. Episcopi dicuntur universalis Ecclesiæ curam gerere, ratione charitatis qua præ cæteris tenentur Ecclesiæ præsint, *N. Patet ex dictis.*

Inst. 1° Quilibet episcopus potest in aliena diœcesi uti sua auctoritate. Ergo. *Prob. ant.* ex facto S. Epiphanii Salaminæ episcopi, qui in diœcesi Jerosolymitana, inconsulto Joanne Jerosolymitano episcopo, diaconum et presbyterum ordinavit in monasterio Bethlemitico ; quod factum cum improbasset Joannes, vindicavit ut justum et licitum S. Epiphanius.

R. N. ant. Ad probat. S. Epiphanius ordines contulit in aliena diœcesi, non vi jurisdictionis, sed urgente charitate et necessitate. Cum enim in monasterio Bethlemitico fratrum peregrinorum esset penuria ministrorum, et qui erant idonei recusarent ordinari, nec a Joanne Jerosolymitano possent compelli, tum quia, ab eo tanquam Origenista dissidebant, tum quia ut scribit Epiphanius ad ipsum Joannem, *hoc monasterium ejus provinciæ nihil debebat*, occasionem ex Dei speciali dispensatione nactus Epiphanius, unum etsi repugnantem comprehendit, et diaconum, deinde presbyterum ordinavit, ut ipse narrat in laudata epistola ad Joannem. Quod autem Joannes

dicat se id prohibuisse Epiphanio, respondet in eadem epistola Epiphanius, se nihil de tali prohibitione audivisse.

Inst. 2° S. Athanas. toti Ecclesiæ leges dedit, ex S. Greg. Naz. Item coegit concilium ex episcopis aliorum patriarchatuum, *ut patet* ex epistola synodali cujus inscriptio est hæc : « S. Athanasius cæterique episcopi qui Alexandriæ, ex Italia, Arabia, » Ægypto et Libya hic adsunt. » Ergo.

R. ad primum, S. Athanasium dedisse leges Ecclesiæ docendo, non jubendo. *Ad secundum.* Episcopos qui ex Italia ibi nominantur, non convocaverat auctoritate Athanasius, sed illuc eos miserant Lucifer Calaritanus et Eusebius Vercellensis, tunc summi pontificis in Oriente legati, ut S. Athanasio pro fide laboranti opem ferrent.

Ad verba S. Hieronymi in objectione relata. Non loquitur ibi S. Doctor de auctoritate summi pontificis, sed de auctoritate consuetudinis urbis Romæ, quam dicit esse minorem quam auctoritatem totius Ecclesiæ : agit enim contra consuetudinem a diaconis Romæ introductam, qui cum pauci essent, et thesauro ecclesiastico essent præpositi, se presbyteris præponebant, contra jus et antiquum totius orbis morem. Quod addit, episcopos ubique esse *ejusdem meriti*, intelligendum est de charactere ordinis, non de potestate jurisdictionis. *Confer* textum S. Hieronymi in *probationibus*.

Obj. 5° ab inconvenientibus. Si Romanus pontifex habeat primatum super omnes episcopos et totam Ecclesiam, sequitur 1° quod posset dici episcopus universalis : atqui id negat S. Gregorius, dicitque hoc nomen esse profanum et blasphemum, nullumque suorum decessorum tam profano vocabulo usum fuisse : ita Epist. 36 ad Eulogium Alexandrinum et Anastasium Antiochenum, et Epist. 32 ad Mauritium imperatorem, contra Joannem Constantinopolitanum, qui se patriarcham œcumenicum seu universalem inscribebat. Ergo. Sequitur 2° quod Romanus pontifex posset saltem dici *princeps sacerdotum*, vel *summus sacerdos* : atqui in jure, cap. *Primæ sedis*, dist. 90, prohibetur ne primæ sedis episcopus dicatur *princeps sacerdotum* vel *summus sacerdos*, et additur, *ut nec universalis Romanus pontifex appelletur*. Ergo. Sequitur 3° quod Romanus pontifex posset universos canones abrogare, quod negant Martinus I, Epist. ad Pantaleonem : « Canones, » inquit, ecclesiasticos solvere non possu» mus, qui defensores et custodes cano» num sumus, non transgressores » ; Eugenius III, Epist. 8 ad episcopos Germaniæ : « Contra Deum autem, inquit, et sacrorum » canonum sanctiones, nulli omnino peti» tioni possumus præbere assensum. » Similiter plures alii pontifices, idque constat ex professione fidei quam olim faciebant Romani pontifices dum erant electi, in qua promittebant se sacros canones servaturos : refertur in libro diurno Romanorum pontificum. Ergo. Sequitur 4° quod papa posset solus causas episcoporum dirimere et ipsos deponere, quod est contra canones, juxta quos depositiones episcoporum debent fieri in conciliis provincialibus. Ergo.

R. ad primum. D. sequelam. Posset dici episcopus universalis, id est, qui Ecclesiam universalem regat, *C.* id est, qui sit solus universæ Ecclesiæ episcopus, *N.* Et hoc sensu S. Gregorius dixit hoc nomen esse profanum et blasphemum, non primo sensu : illud tamen absolute recusavit, quia pravo sensui poterat esse obnoxium, et ut hoc humilitatis exemplo Joannis Constantinopolitani superbiam efficacius comprimeret : ita innuit Epistola 36, in qua ait : « Sed nullus unquam decessorum meorum » tam profano vocabulo uti consensit, quia » videlicet, si unus patriarcha universalis » dicitur, patriarcharum nomen cæteris » derogatur. » Similiter Epist. 38 ad ipsum Joannem, et Epist. 32, in qua refert hoc nomen fuisse oblatum S. Leoni a synodo Chalcedonensi, quod ipse eadem ratione recusavit.

Ad secundum. Capite *primæ sedis*, non agitur de summo pontifice, sed de metropolitis Africanis, qui se *principes sacerdotum* et *summos sacerdotes* fastuose inscribebant : hic namque canon laudatur ut sextus concilii Africani. Quod autem additur, *ut nec universalis Romanus pontifex appelletur*, verba sunt non canonis, sed Gratiani, qui plura alia erronea suæ collectioni inseruit. Sed *esto* essent verba canonis, intelligend forent ad *sensum præcedentis solutionis*.

Ad tertium, D. Summus pontifex posset abrogare canones qui spectant fidem, aut jus divinum vel naturale, *N.* hæc enim sunt invariabilia et inconcussa ; canones qui

spectant disciplinam aut jus ecclesiasticum, *subdistinguo*. Posset abrogare, subsistente justa causa, *C.* nulla subsistente causa, *iterum subdistinguo*. Posset valide, *C.* licite, *N.* Et ad hunc sensum intellectis auctoritatibus positis in minori, *N. conseq.* Sicut igitur supremus legislator civilis leges a se vel prædecessoribus suis conditas potest, subsistente causa, abrogare; si vero nulla subsit causa, peccat quidem abrogando, quia potestate uti debet ad ædificationem et non ad destructionem, valide tamen manent abrogatæ, ita ut subditi vi illarum amplius non teneantur, quia leges pendent a voluntate legislatoris: sic dicendum est de summo pontifice, qui est supremus legislator et monarcha in Ecclesia Dei.

Ad quartum, similiter, *D.* Posset solus papa deponere episcopos, si summo jure agat, *C.* si canonibus insistat, quos, *ut dictum est*, non potest sine causa licite abrogare, *N. Solutio patet ex præcedenti.*

ARTICULUS IV.

Quo jure Ecclesiæ pontificatus sit episcopatui Romano annexus?

Suppono 1° ut fide certum, successorem Petri habere jure divino primatum in universam Ecclesiam, id namque revelatum habemus in S. Scriptura: quod enim Christus dixit et dedit Petro, ut pastori Ecclesiæ, dixit et dedit ejus successori; et cum instituerit in Petro pontificatum usque in finem mundi duraturum, qui succedit Petro pontificatum accipit a Christo.

Suppono 2° etiam esse fide, saltem probabilius, stante præsenti rerum statu, Romanum pontificem esse successorem Petri, consequenter eum habere jure divino pontificatum; quia, licet non sit revelatum immediate in se Romanum pontificem esse Petri successorem, est tamen revelatum mediate, et ut pars in toto, sicut præcedenti dissert. dicebamus de factis dogmaticis: quia revelatum est Ecclesiam non posse errare in agnoscendo et acceptando suo supremo capite et pastore, qui sit illi regula fidei et morum, alias portæ inferi prævalerent adversus illam; sicque revelatum est quod is, quicumque sit, quem Ecclesia agnoscit et acceptat pro successore Petri et suo supremo pastore, sit revera talis. Ergo revelatum est quod Romanus pontifex, quem Ecclesia agnoscit et acceptat pro successore Petri et suo supremo pastore, sit vere successor Petri et supremus Ecclesiæ pastor: de qua suppositione ex professo disputabimus art. ultimo hujus dissertationis.

Verum subtilior movetur quæstio, non de ipsa successione, sed de ratione successionis, utrum episcopus Romanus sit ex institutione Christi et jure divino successor Petri et caput Ecclesiæ, quia est Romanus episcopus, ita ut non possit sedem Romanam cum alia commutare, aut manere sine sede, sicut Petrus mansit quatuor aut quinque primis annis: et de hoc est dubium inter theologos; quia, quod Romanus episcopus qua talis sit successor Petri et caput Ecclesiæ, videtur fundatum in facto voluntario Petri qui Romæ sedit usque ad mortem, et non in institutione Christi.

Neque obstat quod dixerimus esse de fide quod Romanus episcopus sit successor Petri et caput Ecclesiæ: aliud enim est successio, aliud ratio successionis, ut jam innuimus: successio quidem est de fide, non ratio successionis. Unde, quærenti an sit de fide Romanum episcopum esse jure divino successorem Petri et caput Ecclesiæ, respondendum est affirmative; quærenti autem an sit de fide Romanum episcopum esse jure divino successorem Petri et caput Ecclesiæ, quia est episcopus Romanus, respondendum est negative: unde in suppositione dixi, *stante præsenti rerum statu*.

Quidam ergo theologi opinantur supremum pontificatum non esse annexum episcopatui Romano ex institutione immediata Christi, sed ex voluntario Petri facto qui, proprio nutu, relicta Antiochia, sedit Romæ usque ad mortem, consequenter jure tantum ecclesiastico et non divino; sicque Ecclesiæ dispositione fieri posse, ut Romanus pontifex sedem Romanam deserat et aliam eligat, aut nulli sedi se mancipet, sicut Petrus fuit quatuor aut quinque primis annis: ita ut ubicumque maneret haberetur supremus Ecclesiæ universalis pastor, et moriens nullum determinatum episcopum haberet, sed quem Ecclesia eligeret, ut contigisset in Petro si primis annis obiisset. Ita Soto in 4, d. 24, q. 2, a. 4. Hæretici autem dicunt primatum esse annexum episcopo Romano gratia principum. Contra quos omnes.

Dico. Probabilius est supremum pontificatum esse annexum episcopatui Romano

ex institutione immediata Christi, consequenter jure divino. Ita Turrecremata, Cajetanus, Bannes, Cano, Sylvius, et communius.

Prob. 1° Supremus Ecclesiæ pontificatus est jure divino annexus episcopatui Romano, si Petrus ex institutione et mandato Christi sedem Romæ fixit : atqui sic esse testantur auctores gravissimi : ergo. *Prob. min.* 1° S. Ambrosius, Epist. 32, contra Auxentium, de S. Petro ita scribit : « Quamvis esset cupidissimus passionis, tamen » contemplatione populi precantis inflexus » est. Rogabatur enim, ut ad instituendum » et confirmandum populum se reservaret. » Quid multa? Nocte, muro egredi cœpit, » et videns sibi in porta Christum occurrere » urbemque ingredi, ait : Domine, quo » vadis? Respondit Christus : Venio iterum » crucifigi..... Intellexit ergo Petrus quod » iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit. Interrogantibus christianis, responsum reddidit, » statimque correptus, per crucem suam » honorificavit Dominum Jesum. » Hanc etiam historiam refert Hegesippus, de Excicio Jerosolymitano lib. 3, c. 3, eamque citat S. Gregorius in Psal. 5 pœnitentialem tanquam indubitatam, his verbis : *Petro ait : Venio Romam iterum crucifigi.* Voluit autem Christus Petrum Romæ pati, inquit Gelasius in decreto de scripturis apocryphis, ut morte Petri primatus in Romana sede firmaretur.

Prob. 2° *prima min.* Idem Gelasius, C. *Quamvis*, D. 11, ait : « Sancta Romana » catholica et apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis præ» lata est, sed evangelica voce Domini et » Salvatoris nostri primatum obtinuit. » Ex quibus verbis S. Th. Opusc. contra impugnantes relig. probat papam habere immediatam jurisdictionem in omnes christianos. Pelagius II, Epist. 1 : « Romana sedes, in» quit, instituente Domino, caput est om» nium ecclesiarum. » Constantinus Magnus, cap. *Constantinus*, D. 96, donans Romanis pontificibus urbem Romam dicit : « Ubi princeps sacerdotum et christianæ » religionis caput ab Imperatore cœlesti » constitutum est, justum non est ut illic » imperator terrenus habeat potestatem. »

Prob. 2° *conclusio a posteriori.* Si supremus pontificatus non esset episcopatui Romano jure divino, sed ecclesiastico tantum annexus, fuisset verisimilius alios translatus, cum urgerent quandoque gravissimæ rationes illum transferendi. Enim vero, tribus primus sæculis, imperatores Romani immaniter sævierunt in summos pontifices, qui vel continuo latitare vel exulare cogebantur, aut morte afficiebantur : neque tamen de transferendo pontificatu cogitatum est. Item plures Romani pontifices Avenione in Gallia per septuaginta annos sederunt, nec tamen sedem ecclesiæ Romanæ sic deseruerunt, ut pontificatum alteri annecterent, ipsique fierent episcopi Avenionenses aut alii. Item Constantinus Magnus, qui nihil non tentavit ut Constantinopolim, quam *novam Romam* voluit appellari, omni ornatu condecoraret, absque dubio et summum pontificatum illi adscribi ab episcopis curasset, si id ab ipsis dependisset.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° cum hæreticis. Primatus annexus est ecclesiæ Romanæ gratia principum sæcularium : ergo. *Prob. ant.* 1° Cap. *Constantinus*, D. 96, Constantinus Magnus, quarta die sui baptismi, Romanæ ecclesiæ pontifici hoc privilegium dedit, ut omnes sacerdotes eum haberent caput sicut judices regem : « Atque, inquit, decernentes san» cimus ut principatum teneat, tam super » quatuor præcipuas, quam etiam super » omnes in universo orbe terrarum eccle» sias Dei. » 2° Juxta Platinam, in vita Benedicti II, Constantinus IV primatum pontifici Romano detulit. 3° Juxta Bedam, lib. de Sex ætatibus, ad annum mundi 4557, Phocas imperator dedit episcopo Romano primatum in Græcos. 4° Valentinianus imperator, Novella 3, dicit primatum fuisse Romano pontifici collatum ab imperatoribus, et a synodis confirmatum propter urbis Romæ amplitudinem. 5° Æneas Sylvius, postea papa Pius II, Epist. 288, dicit : « Ante Nicænum concilium sibi quisque » vivebat, et ad Romanam ecclesiam par» vus habebatur respectus. » Ergo.

R. ad primum. Ex probationibus conclusionis constat Constantinum agnovisse primatum pontifici Romano esse collatum *ab Imperatore cœlesti :* unde, in his quæ objiciuntur, non instituit ex auctoritate novum jus, sed jus divinum promulgat et asserit, ut nemo obedientiam et reverentiam

Romano pontifici debitam exhibere detrectet.

Ad secundum. Constantinus IV non de primatu Romani pontificis loquitur, sed de ejus electione, circa quam cedit juri quod existimabat se habere, et quo usi fuerant ejus prædecessores.

Ad tertium, ut ad primum. Phocas non tribuit episcopo Romano novum jus, sed antiquam declarat et asserit ad comprimendam episcopi Constantinopolitani superbiam, qui se Romano pontifici coæquare volebat.

Ad quartum. Valentinianus non dicit primatum fuisse collatum Romano pontifici ab imperatoribus, sed quod « Sedis apostolicæ primatum S. Petri meritum, qui » princeps erat episcopalis coronæ, et Romanæ dignus civitatis, sacræ etiam synodi firmaverit auctoritas. » Quæ verba significant primatum fuisse Petro a Christo collatum ex merito ejus confessionis, et a sacris synodibus assertum et declaratum.

Ad quintum. Pius II, Epist. citata, aperte asserit primatum Romani pontificis esse ex institutione Christi : « Contra, inquit, nonnullorum temeritatem, quibus » Romani pontificis auctoritas neque necessaria esse videtur, neque ex Christi » institutione : » unde, cum subdit ante concilium Nicænum quemquam sibi vixisse, et ad ecclesiam Romanam parvum habuisse respectum, nihil aliud intendit quam quod, propter crebras persecutiones, vix Romani pontifices exercerent suam potestatem, et propterea episcopos ad sedem Romanam frequentem recursum non habuisse.

Obj. 2° cum quibusdam theologis. 1° S. Petrus habuit primatum ex voluntate et institutione Apostolorum, juxta illud Anacleti, cap. *In novo*, D. 21 : « Cæteri Apostoli cum eodem Petro pari consortio » honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum voluerunt. » Item dicit Julius papa, causa 3, q. 6, cap. *Dudum*. Ergo. 2° Actione 6 concilii Chalcedonensis dicitur, ecclesiam Romanam *a patribus habuisse primatum*, propter imperium quod tunc tenebat : ergo.

R. ad primum. 1° Hæ decretales priorum pontificum a plerisque habentur apocryphæ. 2° *His datis et intellectis ad sensum conclusionis*, sequeretur non solum quod primatus Romani pontificis ut talis, sed nec primatus S. Petri esset ex institutione Christi, quod non admittunt catholici. 3° Nihil aliud volunt hi pontifices quam quod Apostoli acceptaverint ordinationem Christi, et hac ratione voluerint ipsum esse caput. Ita seipsum explicat idem Anacletus, cap. *Sacrosancta*, dissert. 22 : « Licet, inquit, » omnes essent Apostoli, Petro tamen a » Deo concessum est (et ipsi inter se idipsum » voluerunt) ut reliquis omnibus præesset » Apostolus et Cephas, id est, caput et principium teneret apostolatus. » Et Julius, citans cap. *Dudum*, dicit quod ecclesia Romana sit, *Domino instituente, prima et caput omnium cæterarum.*

Ad secundum. Jam diximus acta synodi Chalcedonensis contra primatum Romanæ ecclesiæ nullius esse roboris, utpote definita absentibus aut reclamantibus S. Sedis legatis, et a S. Leone improbata.

Obj. 3° Vel primatus est privilegium locale, vel personale : si primum, semel concessum uni loco in alium transferri non potest, sicque Petrus non potuit illud Antiochia Romam transferre ; si secundum, nulli loco est annexum. Ergo.

R. hoc privilegium 1° fuisse personale, quippe concessum personæ Petri, non ut privato, sed ut pastori Ecclesiæ, ideoque in successores transmittendum ; postea vero probabilius evasisse locale pro urbe Roma, ex mandato Christi facto Petro, sive ante ascensionem, sive cum occurrit ille dicens : *Venio Romam iterum crucifigi.*

Inst. 1° Si Roma funditus subverteretur, non esset amplius episcopus Romanus, et tamen esset aliquis supremus Ecclesiæ pastor. Ergo.

R. N. sequelam. Foret enim adhuc jure Romanus episcopus, sicut sunt modo episcopi *in partibus infidelium*. Insuper credibile est Deum hanc totalem Romæ eversionem non permissurum.

Inst. 2° Quod est juris divini, est de fide : atqui non est de fide quod primatus sit annexus episcopatui Romano : ergo.

R. D. maj. Quod est juris divini, est de fide, si sit de fide certum quod sit juris divini, *C.* si sit tantum probabilius, *N.* Nos autem non dicimus esse fide certum, primatum esse jure divino annexum episcopatui Romano, quia id non habemus revelatum in S. Scriptura vel traditione, sed esse probabilius tantum, ideoque non potest esse de fide quoad nos.

ARTICULUS V.

De infallibilitate seu inerrantia summi pontificis in definiendis quæstionibus fidei et morum.

§ 1. — *Prænotanda.*

Nota. 1° Quamvis conveniant omnes catholici de primatu Romani pontificis, et de certis prærogativis huic dignitati annexis, quarum aliquas art. 3 in fine probationum recensuimus, duæ supersunt gravissimæ difficultates, scilicet, an iste primatus contineat privilegium infallibilitatis et superioritatis ad concilium generale. Utramque quæstionem quidam confundunt; videntur tamen in aliquo differre. Quamvis enim, supposita infallibilitate summi pontificis in quæstionibus fidei et morum, certo constet ipsum in iis non subjici concilio, posset tamen illi subjici quoad alia, puta correctionem, reformationem, depositionem, etc. Quapropter utramque quæstionem, licet iisdem fere fundamentis innixam, et ut plurimum iisdem argumentis impugnatam, seorsim tractabimus : primam, de infallibilitate summi pontificis, in hoc articulo; alteram, de ejus superioritate ad concilium generale, in subsequenti.

Nota 2° hominem qui est papa posse considerari dupliciter, ratione suppositi et ratione officii, seu ut hominem privatum et ut summum pontificem Christi vicarium, et utroque modo consideratum posse loqui. Tunc loquitur ut homo privatus, quando ex propria mente, non ex plenitudine potestatis, librum interpretatur, privatam opinionem aperit, quæstionem tractat et resolvit. Loquitur autem ut pontifex, quando ut supremus Ecclesiæ pastor et caput aliquid proponit toti Ecclesiæ in rebus fidei et morum, obligans omnes fideles, sub pœna hæreseos, ad illud fide divina credendum; et sic dicitur loqui *ex cathedra*, hoc est, ex plenitudine potestatis; quia per cathedram significatur auctoritas docendi et præcipiendi : unde illud Matth. 23 : *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Quidam hanc distinctionem recenter adinventam dicunt : sed, præterquam quod ex natura rei petitur, in omnibus aliquod officium publicum gerentibus reperitur : non enim rex, aut prætor, seu judex, semper agit ex officio ut rex aut judex. Natio Gallica, anno 1305, adhibuit hanc distinctionem in libello dato Clementi V contra Bonifacium VIII, ut videbimus infra.

Nota 3° ad hoc ut papa censeatur loqui ex cathedra, plures ulterius requirere quod definiat libere, et non ex metu aut violentia coactus, fusis ad Deum precibus, præmisso rei definiendæ maturo examine, præhabita consultatione ecclesiæ suæ Romanæ, seu cleri Romani, nunc eminentissimorum cardinalium; quia hæc censentur media ad id munus requisita : neque Christus papam infallibilem constituit, nisi humano modo agentem, secundum quod decet homines gubernari, et mediis ordinariis utentem; neque solent pontifices ex cathedra definire, nisi his mediis adhibitis. Alii tenent hæc, excepta libertate, non requiri; quia, inquiunt, Spiritus sanctus, cujus assistentia Petro et successoribus promissa est, non pendet ab adjutorio humano, ut aliquem illuminet circa fidei veritates, nec legitur assistentiam suam tali auxilio alligasse.

Nos non negamus hæc media requiri, plus tamen aut minus, pro rerum exigentia; sed dicimus non teneri fideles inquirere et scire an sint adhibita : a quo enim id inquirerent et rescirent? Unde, hoc ipso quo a summo pontifice emanat constitutio in rebus fidei et morum, et toti Ecclesiæ directa, obligat omnes fideles ei assensu interiori adhærere sub pœna hæreseos, debent supponere omnia media necessaria fuissa edhibita, nisi manifeste constet de opposito; alioquin nihil esset fixum in Ecclesia, et quilibet posset recusare obedientiam eo prætextu quod non omnia fuerint adhibita, aut saltem quod de hoc non constet. Idque jure supponunt, quia qui promisit infallibilitatem in docendo universam Ecclesiam, non deest mediis ad id necessariis. Sic, quia Deus promisit infallibilitatem concilio generali, hoc ipso quo ab eo emanat decretum fidei, supponimus omnia media necessaria fuisse adhibita, scilicet omnes judices in eo sedentes esse baptizatos, esse presbyteros et episcopos, quæstionem prius fuisse mature discussam, fusas fuisse ad Deum preces, etc., ea scilicet, quam dixi, ratione, quia Deus, qui promisit finem, certo providet de mediis necessariis ad illum.

Nota 4° quæstionem præsentem non esse

de summo pontifice ut homine privato, quem in talem communior sententia tenet posse errare, sed de pontifice ut pontifice, loquente ex cathedra; circa quam est duplex sententia, prima Gallorum, qui, ut plurimum, tenent summum pontificem non esse infallibilem in rebus fidei et morum, nisi accedente consensu Ecclesiæ, sive in concilio generali congregatæ, sive saltem per orbem diffusæ, ex Declaratione cleri Gallicani 1682, cujus tenor sequitur.

Cleri Gallicani de ecclesiastica potestate Declaratio.
Die decimo nono martii 1682

« Ecclesiæ Gallicanæ decreta et libertates » a majoribus nostris tanto studio propu- » gnatas, earumque fundamenta sacris ca- » nonibus et Patrum traditioni nixa, multi » diruere moliuntur; nec desunt qui earum » obtentu primatum beati Petri ejusque » successorum Romanorum pontificum a » Christo institutum, iisque debitam ab » omnibus christianis obedientiam, Sedis- » que apostolicæ, in qua fides prædicatur » et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam » omnibus gentibus majestatem imminuere » non vereantur. Hæretici quoque nihil » prætermittunt, quo eam potestatem qua » pax Ecclesiæ continetur, invidiosam et » gravem regibus et populis ostentent, iis- » que fraudibus simplices animas ab Eccle- » siæ matris Christique adeo communione » dissocient. Quæ ut incommoda propulse- » mus, nos archiepiscopi et episcopi Parisiis » mandato regio congregati, ecclesiam Gal- » licanam repræsentantes, una cum cæteris » viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu » habito, hæc sancienda et declaranda esse » duximus.

» *Primum.* Beato Petro ejusque successo- » ribus Christi vicariis ipsique Ecclesiæ re- » rum spiritualium et ad æternam salutem » pertinentium, non autem civilium ac » temporalium, a Deo traditam potestatem, » dicente Domino; —Joan. 18 36.— *Re-* » *gnum meum non est de hoc mundo*, et ite- » rum: —Luc. 20. 25. — *Reddite ergo quæ* » *sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei* » *Deo:* ac proinde stare apostolicum illud: » —Rom. 13. 1. 2. — *Omnis anima potes-* » *tatibus sublimioribus subdita sit; non* » *est enim potestas nisi a Deo; quæ autem* » *sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui* » *potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* » Reges ergo et principes in temporalibus » nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatio- » ne subjici, neque auctoritate clavium Ec- » clesiæ, directe vel indirecte deponi, aut » illorum subditos eximi a fide atque obe- » dientia, ac præstito fidelitatis sacramento » solvi posse, eamque sententiam publicæ » tranquillitati necessariam, nec minus Ec- » clesiæ quam imperio utilem, ut verbo » Dei, Patrum traditioni et sanctorum exem- » plis consonam, omnino retinendam.

» *Secundum.* Sit autem inesse apostolicæ » Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis » rerum spiritualium plenam potestatem, » ut simul valeant atque immota consistant » sanctæ œcumenicæ synodi Constantiensis » a Sede apostolica comprobata, ipsoque Ro- » manorum pontificum ac totius Ecclesiæ » usu confirmata, atque ab ecclesia Galli- » cana perpetua religione custodita decreta » de auctoritate conciliorum generalium, » quæ sessione quarta et quinta continen- » tur; nec probari a Gallicana ecclesia qui » eorum decretorum, quasi dubiæ sint auc- » toritatis ac minus approbata, robur in- » fringant, aut ad solum schismatis tempus » concilii dicta detorqueant.

» *Tertium.* Hinc apostolicæ potestatis » usum moderandum per canones spiritu » Dei conditos, et totius mundi reverentia » consecratos: valere etiam regulas, mores » et instituta a regno et ecclesia Gallicana » recepta, Patrumque terminos manere in- » concussos; atque id pertinere ad amplitu- » dinem apostolicæ Sedis, ut statuta et con- » suetudines tantæ sedis et ecclesiarum con- » sensione firmatæ, propriam stabilitatem » obtineant.

» *Quartum.* In fidei quoque quæstioni- » bus præcipuas summi pontificis esse par- » tes, ejusque decreta ad omnes et singulas » ecclesias pertinere, nec tamen irreforma- » bile esse judicium nisi Ecclesiæ consensus » accesserit.

» Quæ accepta a Patribus ad omnes ec- » clesias Gallicanas atque episcopos iis Spi- » ritu sancto auctore præsidentes, mittenda » decrevimus; ut idipsum dicamus omnes, » simusque in eodem sensu et in eadem » sententia. » Subscripserunt triginta qua- tuor episcopi et triginta quinque deputati secundi ordinis.

Altera sententia est omnium aliarum na-

tionum, quæ constanter tenent summum pontificem loquentem ex cathedra, eo modo quo explicuimus, independenter a consensu Ecclesiæ, sive congregatæ sive diffusæ, esse infallibilem in quæstionibus fidei et morum dirimendis. Quamvis enim post concilium Constantiense quidam extra Galliam theologi, pauci tamen, contrarium senserint, nunc sententia de infallibilitate papæ, ad sensum nostrum, est, excepta Gallia, *ubique recepta*: sic saltem loquitur Benedictus XIV, qui hodie tam digne clavim Ecclesiæ regit, in litteris datis ad inquisitorem generalem Hispaniarum, die decima tertia julii 1748.

Quamvis autem hanc communem sententiam aperte in S. Scripturis et traditione fundatam existimemus, *ut patebit*, eam tamen ut de fide obligante non proponimus, nec asserimus; quia Ecclesia, cujus est, secundum omnes, certo proponere revelata, nondum eam speciali et expresso decreto solemni definivit; nec ad fidem obligantem sufficit certitudo respectiva revelationis. Unde neque summi pontifices, neque ecclesia Romana cæteræve ecclesiæ, Gallos, qui contrariam sententiam sustinent, pro hæreticis aut schismaticis habent; quinimo, quotquot sane sapiunt, gentem inclytam inter præcipua Ecclesiæ catholicæ membra merito computant.

Nota 5° in definitionibus duo distinguenda esse, intentam definitionem, seu conclusionem, et rationes conclusionis, aliave quæ obiter et occasione data dicunt pontifices. De definitione seu conclusione intenta tantum intelligenda est sententia communis, non de rationibus definitionis, sive de iis quæ obiter et ex occasione dicuntur. « In » decretis pontificiis, inquit celebris noster » Cano, lib. 6 de Locis Theologicis cap. 8, » duo comprimis distinguenda sunt: unum » est tanquam intentio conclusioque de» creti; alterum, quasi ratio et causa a » pontifice reddita ejus rei quam constitue» rit. Atque in conclusione pontifices sum» mi errare nequeunt, si fidei quæstionem » ex apostolico tribunali decernant. Sin » vero pontificum rationes necessariæ non » sunt, ne dicam aptæ, probabiles, ido» neæ, in his nihil est videlicet immoran» dum; non enim pro causis a pontificibus » redditis tanquam pro aris et focis depug» namus. »

§ II. — *Communis sententia asseritur, et invictis S. Scripturæ testimoniis probatur*

Dico. Judicium Romani pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei et morum, est infallibile independenter a consensu Ecclesiæ.

Prob. ex triplici loco S. Scripturæ. *Primus* est Matth. 16, ubi Christus Petro confitenti ejus divinitatem dicit: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. Hæc verba dirigi ad solum Petrum probavimus art. 1, ubi de primatu S. Petri: item pertinere ad successores Petri in Romana sede ostendimus art. 3, ubi de primatu Romani pontificis; cum enim Christus fundavit Ecclesiam in ævum duraturam, fundamentum illius debebat in ævum permanere in Petri successoribus: neque de his est modo difficultas; hæc enim concedunt adversarii, qui ex hoc loco et sequentibus probant nobiscum adversus sectarios primatum S. Petri et Romani pontificis.

Subsumo. Atqui his verbis continetur privilegium infallibilitatis promissum Petro et ejus successoribus: ergo. *Prob. subsumpt.* Privilegium infallibilitatis promissum Petro et ejus successoribus continetur verbis allatis, si ista, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, referantur non solum ad Ecclesiam, sed ad Petrum, seu petram supra quam fundata est Ecclesia: atqui sic est: ergo. *Prob. min.* 1° ex Patribus Origen. in cap. 16 Matth. « Neque ad» versus petram, inquit, super quam Chris» tus ædificavit Ecclesiam, neque adversus » Ecclesiam portæ inferi prævalebunt. » S August. in Psalmo contra partem Donati: « Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri » sede, et in ordine illo Patrum quis cui suc» cessit videte: ipsa est petra quam non vin» cunt superbæ inferorum portæ. » Epiphan. in Anchorato: « Solidæ, inquam, illi petræ » supra quam Ecclesia fundata est, et cui » portæ inferi non prævalebunt. » S. Leo, Epist. 75 ad Leonem Augustum: « Cum » Petrus ex Domini voce audierit: *Tu es* » *Petrus, et super hanc petram ædificabo*

» *Ecclesiam meam*, quis est nisi antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem hujus petræ firmitatem? »

Prob 2° *eadem min. ratione*. Certum est hæc verba, *et portæ inferi*, et referri ad Ecclesiam, et per hæc illi promitti indefectibilitatem : atqui Ecclesia seu ædificium non potest esse indefectibile, si fundamentum cui innititur sit defectibile: ergo. Unde S. Th. in Catena, super hæc verba, *et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, dicit ex Origene : « Non exprimit utrum petræ » non prævalabunt, in qua ædificat Christus » Ecclesiam, aut Ecclesiæ quam ædificat » supra petram : tamen manifestum est » quia nec adversus petram nec adversus » Ecclesiam portæ prævalebunt inferorum. »

Plura huic probationi reponunt adversarii, sed levia et quæ habent solutionem in dictis. Dicunt 1° per petram, secundum omnes Patres et pontifices, intelligi fidem Petri. Ergo.

R. 1° *aperte falsum esse ant.* constat ex Patribus et pontificibus laudatis, tum hic, tum art. 1 et 3. 2° *Dato ant.* nihil contra nos, una enim interpretatio non excludit aliam, sed optime conciliantur, dicendo quod Patres et pontifices non intelligant fidem Petri in abstracto, sed in concreto, nempe Petrum divinitatis fidem profitentem, et hanc fidem fuisse causam meritoriam promissionis, Petrum autem subjectum cui facta est promissio, ut jam diximus art. 1, obj. 1. Confer.

Instant. Si per petram fundamentum intelligatur persona a Petri, sequitur quod inde Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit semper duraturum : *falsum consequens*. Ergo.

R. N. sequelam. Imo, quia Petrus non erat immortalis, et Ecclesia debebat semper manere, ideo quod illi fuit dictum censetur dictum ejus successoribus, in quibus, sicut in ipso, Ecclesia fundata permanet.

Reponunt. Moriente Petro aut papa, juxta sententiam nostram, destruitur fundamentum Ecclesiæ. ergo vel Petrus in sententia nostra debuit esse immortalis, vel ipso moriente necesse est corruat Ecclesiæ ædificium in eo fundamentum.

R. N. conseq. Quia remanet fundamentum primarium, scilicet Christus, a quo in casu sustentatur Ecclesia conservans infallibilitatem fidei passivam.

Inferunt. Ergo idem dici debet, si contingat aliquem pontificem docendo Ecclesiam a fide deficere.

R. N. illationem. Non quod Christus absolute non posset sustentare Ecclesiæ ædificium, non obstante errore Petri aut Romani episcopi ; sed quia non sic disposuit de statu Ecclesiæ : voluit namque Petrum esse fundamentum, caput et pastorem quem ex officio de fide docentem audiret Ecclesia ; ad hoc autem necesse fuit quod semper rectam fidem doceret, nunquam errorem, non vero quod semper viveret ejus successoribus pari infallibilitatis privilegio donatis. Uno verbo, Petrus est fundamentum Ecclesiæ, non præcise vivendo, sed docendo : unde est disparitas. Confer § ultimum sub finem.

Dicunt 2° infallibilitatem esse promissam Ecclesiæ, non Petro.

R. esse promissam utrique, *ut probatum est*, Ecclesiæ tamen per Petrum, non Petro per Ecclesiam ; non enim Petrus est fundatus in Ecclesia, sed Ecclesia in Petro.

Dicunt 3° Petrum et Romanum pontificem esse fundamentum, hoc sensu quod sit executor officii fundamentalis, prædicandæ scilicet et asserendæ fidei, non sic ut illud procul dubio præstiturus sit.

R. Et illud procul dubio præstiturum probant auctoritates allatæ.

Dicunt 4° sensum horum verborum esse, quod quoties Petrus aut pontifex annuntiabunt communem ecclesiarum fidem ex traditione, ejus prædicatio et fides erit fundamentum Ecclesiæ.

R. 1° *et infero*. Ergo nihil speciale Petro promissum est ; de cæteris enim Apostolis, de omnibus episcopis, de quolibet pastore, concionatore, imo de quolibet fideli verum est dicere quod, quoties annuntiabunt communem ecclesiarum fidem ex traditione, eorum fides et prædicatio erit fundamentum Ecclesiæ. 2° Si moveatur nova quæstio spectans fidem, quis judicabit an pontifex annuntiet communem ecclesiarum fidem? 3° Corruit hæc evasio, si non solum fides Petri, sed etiam ipse Petrus sit Ecclesiæ fundamentum, *ut probatum est*. Miror viros eruditos tam levibus momentis detineri.

Secundus locus est Luc. 22, ubi Christus, instante passione, sic Petrum alloqui-

tur : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum ; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* 1° Christus his verbis promittit Petro indefectibilitatem in fide ; pro ea enim rogat, nec dubium est quin fuerit exauditus pro sua reverentia. 2° Hæc verba diriguntur soli Petro, non aliis Apostolis, nec in eis toti Ecclesiæ ; facit enim apertam distinctionem Petri ab aliis Apostolis et a tota Ecclesia, cum dicit : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ;* et, cum immediate dixisset in plurali, *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos*, statim in singulari subjungit : *Ego autem rogavi pro te*, etc., quod non dixisset si omnes Apostolos et in eis Ecclesiam allocutus fuisset ; sed dixisset : *Ego rogavi pro* vobis, *ut non deficeret fides* vestra, *et* vos *aliquando conversi*, etc., imo neque di dicere potuit, cum Ecclesia constet fidelibus, et præter eos nulli sint in Ecclesia fratres qui possint confirmari. 3° Quod præcipuum est, indefectibilitatem promittit Petro, non ut privatæ personæ, sed ut pastori Ecclesiæ, qualem ipsum instituturus erat, secundum promissionem factam Matth. 16, consequenter ejus successoribus : promittit enim illi indefectibilitatem, ut confirmet fratres suos in fide, quod pertinet ad officium pastoris et capitis. Unde hæc propositio copulativa, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, habet vim rationalis, seu causalis, quasi diceret : *Ideo rogavi ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos ;* vel : *Rogavi ut non deficiat fides tua, tu ergo, illa fide indefectibili præditus, confirma fratres tuos.*

Idque testantur SS. Patres qui ex hoc loco inferunt infallibilitatem Romani pontificis in decretis fidei et morum. S. Leo, Serm. 3, relatis verbis citatis Luc. 22, dicit : « Pro fide Petri proprie supplicatur, » tanquam aliorum status certior sit futu- » rus si mens principis victa non fuerit. In » Petro omnium fortitudo munitur, et di- » vinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut » firmitas quæ per Christum Petro tribui- » tur, per Petrum Apostolis conferatur. »

S. Agatho papa, Epist. ad Constantinum imperatorem, quæ lecta et probata fuit in sextasynodo œcumenica : « Consideret ita- » que vestra Clementia quomodo Dominus » et Salvator omnium, qui fidem Petri non » defuturam promisit, confirmare eum tra- » tres admonuit, quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse cunctis est manifestum. »

Leo IX, Epist. I ad Michaelem, patriarcham Constantinopol. « Erit ergo quisquam » tantæ dementiæ, qui orationem illius, » cujus vel est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis » Apostolorum, tam per eumdem Petrum » quam per successores suos reprobata et » convicta, atque expugnata sunt omnium » hæreticorum commenta ; et fratrum corda » in fide Petri, quæ hactenus nec deficit, » nec usque in finem deficiet, sunt confirmata? »

S. Bernardus, Epist. 190 ad Innocentium II : « Oportet ad vestrum apostolatum » referri pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præcipue quæ de » fide contingunt ; dignum namque arbi- » tror ibi potissimum resarciri damna fidei, » ubi fides non potest sentire defectum : » cui enim alteri aliquando dictum est : *Ego* » *pro te rogavi?* etc., ergo quod sequitur a » Petri successore exigitur : *Et aliquando* » *conversus, confirma fratres tuos.* »

Innocentius III, Epist. 209 ad patriarcham Constantinop. : « Pro Petro Dominus » se orasse fatetur, ex hoc innuens manifeste quod successores ipsius a fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed » revocarent magis alios, et confirmarent » etiam hæsitantes ; per hoc sic confirmandi » alios potestatem indulgens, ut aliis neces- » sitatem imponeret obsequendi. »

S. Thomas 2, 2, q. 1, a. 10, probat ex eodem textu infallibilitatem Romani pontificis, ut videbimus infra. His non obstantibus,

Respondent adversarii indefectibilitatem hic promissam Petro transmitti ad ejus successores, non hoc sensu quod quilibet sit in fide indefectibilis, sed hoc sensu quod nunquam futurum sit ut Petri successores, id est, eorum series atque successio, sedesque cui præsint, atque Ecclesia quam docendam et regendam susceperint, a fide deficiant : unde huic fidei nihil oberit, si aliquot pontifices officio defuerint, atque a fide aberrarint ; stat enim Romana fides ab eorum antecessoribus stabilita, ab eorum successoribus vindicanda.

Sed contra. 1° Patres mox laudati ex his verbis probant indefectibilitatem non sedis Romanæ tantum aut Ecclesiæ, sed cujuslibet Romani pontificis. 2 Juxta hanc intelligentiam, promissio indefectibilitatis non soli Petro, sed Ecclesiæ facta est, cujus contrarium *patet ex probatione.* 3° Christus rogavit non tantum ut fides non esset simpliciter et absolute defectura, sed ut non esset defectura in Petro : ergo nec in quolibet ejus successore. 4° Si unus ex Petri successoribus deficiat a fide docendo, non poterit confirmare fratres suos, quod ne unquam contingeret rogavit Christus. 5° Si unus pontifex loquens ex cathedra possit errare et erret in fide, quomodo sedes inviolata permanet ? quomodo fides in ea subsistit ? debet enim sedes audire sedentem, et illi obsequi. Fuit, inquiunt, in antecessoribus, erit in successoribus : *esto*, sed nunc non est. Item, si unus ex successoribus possit errare, cur non plures ? cur non iste et iste ? non enim unus est magis infallibilis quam alter. *Si dicas*, quia facta est promissio successioni, et non singulis successoribus. *At* figmentum est cujus nullum extat fundamentum in textu, quin oppositum exprimit, ut probavimus et testantur SS. Patres. Item, si unus pontifex per viginti annos et amplius errorem doceat, quomodo successor fideles in fide confirmabit, quos errore imbutos reperiet, et quo ipse errore imbutus erit cum cæteris ? Hoc commune adversariorum effugium specialiter adhuc infra confutabimus.

Si dicas Petrum, non obstante Christi oratione, a fide defecisse cum Christum negavit : *R.* Petrum negasse Christum ore tantum non corde, neque tunc fuisse adhuc constitutum caput Ecclesiæ : de quo infra.

Instant ipsa voce *confirmandi* non indicari supremum et indeclinabile judicium : nam, *confirma*, hoc est, quantum in te est enitere ut firmi sint ; *Misimus enim Timotheum*, inquit Apost. 1 Thess. 3, *ad confirmandos vos :* et cuique episcopo dictum est Apocal. 3 : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.* Ergo.

R. nos non ex hac sola voce *confirma*, sed ex tota periodo, *ego rogavi*, etc., *et tu confirma*, etc., probare judicium Romani pontificis esse supremum, indeclinabile et infallibile ; quia his verbis Christus promittit Petro et cuilibet ejus successori indeficientiam in fide, ut confirmet fideles, sicque eorum constituit supremum et infallibilem judicem in rebus fidei, quod dici non potest de Timotheo, aut quovis alio episcopo.

Tertius locus est Joan. 21, *ubi* Christus soli Petro præ cæteris Apostolis totius Ecclesiæ curam committit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Vide art. 1, de primatu S. Petri, ampliorem hujus loci expositionem ad rem nostram. Debet ergo Petrus et quivis ejus successor pascere universam Ecclesiam verbo doctrinæ, illum debet audire Ecclesia et ejus doctrinam sequi ; Ecclesia autem non potest falsam doctrinam sequi, est enim indefectibilis : ergo nec Petrus, nec quivis ejus successor potest Ecclesiæ falsam doctrinam proponere ; et sane absonum foret quod gregi infallibili præficeretur pastor fallibilis, tunc enim potius grex pastorem quam pastor gregem deberet pascere et regere.

Reponunt ex his verbis, *Pasce oves meas*, indicari tantum officium Petri, non autem præstari ut præceptum officium impleatur ; alioquin sequeretur quod Petrus et ejus successor non modo in doctrina nunquam peccaturus esset, sed nec in ulla parte officii pastoralis, cum nulla profecto sit quam non illa vox complectatur.

R. N. ant. Absurdum enim foret, *ut dixi*, gregi infallibili præficere pastorem fallibilem. *Ad probat. N. seq.* 1° Ex his verbis inferimus jure infallibilitatem pontificis in fide proponenda Ecclesiæ, quia Ecclesia est indefectibilis in fide suorum membrorum, cujus indefectibilitas infringeretur si pastor proponeret ipsi falsam doctrinam quam deberet sequi ; at non sic est indefectibilis in moribus suorum membrorum : unde non sic est necesse quod pastor sit impeccabilis in aliis partibus pastoralis officii, sicut in fide proponenda. 2° Quia, quamdiu permanet fides, subsistit compago Ecclesiæ estque radix qua permanente aliæ virtutes reviviscere possunt ; at, ea sublata, non subsistit corpus Ecclesiæ, et omnis ferme spes salutis aufertur : unde id maxime et super omnia debet curare pastor spiritualis, ut fides servetur incorrupta in grege.

Et hinc habes cur cæteri episcopi, qui sunt etiam pastores, non gaudeant privilegio infallibilitatis ; cum enim privato tantum gregi præsint, eorum error Ecclesiam universam non inficeret, sed suum gregem tantum ; et

aliunde, cum sint supremo pastori infallibili subordinati, eorum error ab ipso emendari potest

Confirmatur conclusio argumento ad hominem Theologi Gallicani ex his locis S. Scripturæ citatis probant nobiscum contra hæreticos primatum Romani pontificis supra universam Ecclesiam : quidni infallibilitatem, cum non magis in his locis exprimatur primatus quam infallibilitas ?

§ III. — *Probatur conclusio ex SS. Patribus.*

Præter jam laudatos SS. Patres § præcedenti, sequentes propono.

S. Irenæus, seculo 2. lib. 3 adversus hæreses, c. 3, postquam dixit per traditionem quæ servatur in Ecclesia Romana confundi omnes hæreticos, addit : « Ad hanc enim » Ecclesiam, propter potentiorem princi» palitatem, neeesse est omnem convenire » Ecclesiam, in qua semper ab his qui sunt » undique conservata est ea quæ est ab A» postolis traditio. »

S. Hippolytus, episcopus et martyr circa annum 330, Orat. de coosummatione mundi : « Princeps Petrus, *fidei petra*, quem » beatum judicavit Christus Deus noster, » *ille doctor Ecclesiæ*, ille primus discipu» lorum, ille qui regni claves habet. »

S. Basilius, Epist. 74, de Eustathio episcopo Sebasteno, qui fuerat depositus et ad Liberium papam confugerat, dicit : « Quæ » vero sint illa a beatissimo episcopo Libe» rio proposita, et ad quæ consenserit, no» bis clam est, nisi quod epistolam attulit » per quam restitueretur : eam ubi Tyanæ » synodo exhibuit, in suum locum resti» tutus est. » Adeo tunc episcopi conscii erant infallibilitatis summi pontificis in suis judiciis.

S. Flavianus, epist. ad S. Leonem, ipsum rogat ut condemnationem a se et a concilio latam contra Eutychetem confirmet, quod sufficit ad destruendam hæresim : « Simulque, inquit, decernere dam» nationem adversus eum regulariter fac» tam per propria scripta dignare, confor» tare autem et piissimi Imperatoris fidem : » causa enim eget solummodo vestro solatio » et defensione, qua debeatis consensu pro» prio ad tranquillitatem et pacem cuncta » perducere : sic enim hæreses et turbæ quæ » propter eum factæ sunt, facillime des» truentur, Deo cooperante per vestras sa» cratissimas litteras. »

S. Cyprianus, lib de Unitate Ecclesiæ : « Exordium ab unitate proficiscitur, ut una » Christi Ecclesia et cathedra una monstre» tur... Qui cathedram Petri, super quam » fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia » esse confidit ? » Epist. 55, de Felicissimo et ipsi adhærentibus schismaticis qui Romam confugerant : « Navigare, inquit, » audent et ad Petri cathedram atque ad » ecclesiam principalem, unde dignitas sa» cerdotalis exorta est a schismaticis et pro» fanis, litteras ferre ; nec cogitare eos esse » Romanos, quorum fides, Apostolo præ» dicante, laudata est, *ad quos perfidia » habere non possit accessum.* » Epist. 67, roget S. Stephanum papam ut damnet et deponat Martianum episcopum Arelatensem, qui ad partes Novatiani defecerat, sicque salvet fidem hujus Ecclesiæ : « Diri» gantur, inquit, in provinciam et ad ple» bem Arelatæ consistentem a te litteræ, » quibus, abstento Martiano, alius in lo» cum ejus substituatur, et grex Christi, » qui in hodiernum ab illo dissipatus et vul» neratus contemnitur, colligatur. » De S. Cypriani cum eodem S. Stephano dissidio dicemus *in sol. obj.*

S. Ambrosius, in Psal. 40 : « Ipse est Petrus cui dixit : « *Tu es Petrus et super* » *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* » UBI ERGO PETRUS, IBI ECCLESIA ; ubi » Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna; » et portæ inferi non prævalebunt ei. » Evidenter S. Ambrosius loquitur de successoribus Petri, non enim tunc erat persona Petri cum dicebat, *ubi Petrus, ibi Ecclesia.*

S. Hieronymus, Epist. 57 ad Damasum papam : « Ego, inquit, nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id » est, cathedræ Petri communione conso» cior ; super illam petram ædificatam Ec» clesiam scio ; quicumque extra hanc do» mum agnum comederit, profanus est ; si » quis in arca Noe non fuerit, peribit reg» nante diluvio..... Non novi Vitalem, Me» letium respuo, ignoro Paulinum ; *qui» cumque tecum non colligit, spargit*, hoc » est : quod Christi non est, Antichristi est... » Decernite et si placet, non timebo tres » hypostases dicere. » Et in Expositione Symboli ad eumdem, refertur causa 24,

q. 1, c. 15 : «Hæc est fides, papa beatissime » quam in Ecclesia catholica didicimus, » quamque semper tenuimus, in qua si mi» nus perite aut parum caute forte aliquid » positum est, *emendari cupimus a te, qui » Petri et fidem et sedem tenes ;* sin autem » hæc nostra confessio apostolatus tui judi» cio comprobatur, quicumque me culpare » voluerit, se imperitum vel malevolum, » *vel etiam non catholicum*, non me hære» ticum comprobabit. »

S. Petrus Chrysologus, Epist. ad Eutychetem, quæ refertur p. 1 concilii Chalced. dicit : « In omnibus hortamur te, ut his » quæ a B. papa Romanæ civitatis scripta » sunt obedienter attendas, *quoniam B. Pe» trus, qui in propria sede et vivit et præsi» det, præstat quærentibus fidei veritatem.* » Nos enim, pro studio pacis et fidei, ex» tra consensum Romanæ civitatis episcopi » causas fidei audire non possumus. »

S. Augustinus.

Postquam Innocentius I hæresim Pelagii sententia lata damnasset, S. Aug. Serm. 2 nunc 131 de verbis Aposteli cap. 10, dicit : « Jam de hac causa duo concilia (Carthagi» nense scilicet et Milevitanum) missa sunt » ad Sedem apostolicam : inde etiam re» scripta venerunt; *causa finita est*, uti» nam aliquando error finiatur ! » Et contra Julianum, qui ab iterata damnatione Zozimi, successoris Innocentii, appellaverat ad concilium generale, lib. 1, c. 4 : Puto tibi » eam partem orbis sufficere debere in qua » primum Apostolorum suorum voluit Do» minus gloriosissime martyrio coronare : » cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium » si audire voluisses, jam tunc periculosam » juventutem tuam Pelagianis laqueis exuis» ses. Quid enim potuit vir ille sanctus Afri» canis respondere conciliis, quam quod » antiquitus Apostolica Sedes et Romana » cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?» Et lib. 2 Operis Imperfecti contra eumdem, » cap. 103 : « Quid adhuc quæris examen » quod jam factum est apud apostolicam Se» dem... ! Ergo hæresis ab episcopis non » adhuc examinanda, sed coercenda est po» testatibus christianis. »

His, quibus non parum premuntur adversarii, *reponunt* S. Augustinum, post definitionem Innocentii, dixisse causam Pelagianorum esse finitam, non quod judicium pontificis judicaret absolute et in omnibus infallibile, sed quia 1° accedebat universæ Ecclesiæ consensus; 2° quia error erat apertus, ad cujus condemnationem non requirebatur concilium generale, sed sufficiebat definitio pontificis, præeunte sententia duplicis concilii particularis : *Neque enim*, ait S. Doctor, lib. 4 ad Bonifac. c. 12, *congregatione synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur*

Sed contra primam rationem, S. Augustinus dixit, *causa finita est*, statim post sententiam Innocentii, anno scilicet 417, antequam Zozimus eamdem damnationem iteraret anno sequenti : at vero non Innocentius, sed Zozimus misit ad universos Ecclesiæ episcopos epistolam quæ dicta est *Tractatoria*, cui subscriberent et cui jussit subscribere imperator Honorius, sub pœna depositionis; cujus jussioni omnes paruerunt, exceptis novemdecim, inter quos eminebat Julianus Eclanensis, qui, exemplo hucusque in Ecclesia inaudito, appellaverunt ad concilium universale : nondum ergo accesserat consensus Ecclesiæ universæ, quando S. Augustinus dixit, *causa finita est ;* neque ideo judicium pontificis effectum est infallibile quia consenserunt episcopi, sed e contra jussi sunt illi subscribere quia erat infallibile, *ut patet ex dictis*. Insuper, in locis citatis non recurrit S. Augustinus ad consensum Ecclesiæ, sed ad solam auctoritatem summi pontificis et Sedis apostolicæ, ut inducat Pelagianos ad obediendum.

Contra secundam rationem. Esto hæresim Pelagianam esse apertam perniciem quantum ad dogma peccati originalis, non tamen quoad dogma gratiæ; alibi enim S. August. scilicet lib. de Gratia et Lib. Arbit. c. 1, dicit hoc dogma adeo esse difficile, ut dum asseritur videatur everti liberum arbitrium, et e contra cum asseritur liberum arbitrium videatur negari gratia : unde reliquiæ hujus hæresis in Semipelagianis non nisi diu postea et difficillime potuerunt dissipari. Insuper, potuit S. Augustinus dicere hæresim Pelagianam esse apertam perniciem, quia in duobus conciliis jam fuerat discussa et eliquata. Cæterum, erantne apertæ pernicies Cerdonis et Valentini, Theodoti, Origenis, Montanistarum, Apollinistarum, Joviniani et plurimum aliorum a solis Romanis pontificibus irretracta-

biliter damnatæ? Quis judex inferior rejiciat appellationem ad judicem superiorem eo prætextu quod causa sit sibi aperta? Reponet jure appellans : Tibi aperta est causa, mihi et aliis obscura. Injuria ergo Pelagiani repulsi fuissent ab appellatione quam interposuerunt ad concilium generale, si ab eo summi pontificis sententia sit in aliquo casu reformabilis.

Item, juxta utramque rationem, objicientes non majus privilegium tribuunt pontifici quam cuilibet episcopo aut viro docto; etenim et episcopi cujusvis et viri docti judicium est irreformabile in apertis, aut accedente consensu Ecclesiæ.

Tandem S. Augustinum agnovisse papam esse absolute et semper infallibilem, constat ex pluribus aliis locis : « Numerate sacerdotes, inquit in Psal. contra partem » Donati, vel ab ipsa sede Petri, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte : » *ipsa est petra quam non vincunt superbæ* » *inferorum portæ.* » Et contra Epist. fundam. c. 4 : « Tenet me in Ecclesiæ gremio » ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Domi» nus commendavit, usque ad præsentem » episcopatum successio sacerdotum. » Futile ac insufficiens fuisset S. Augustino istud motivum permanendi in Ecclesia, nisi pro certo habuisset fidem Petri nunquam in ejus successoribus defecturam. Quæ opponi solent ex S. Augustino *videbimus in solutionibus argumentorum*

S. Thomas.

Quærit S. Doctor in hac parte, q. 1, a. 10, utrum ad summum pontificem pertineat fidei symbolum ordinare : est respondet sic : « Dicendum quod nova editio symboli » necessaria est ad vitandum insurgentes » errores. Ad illius ergo auctoritatem per» tinet editio symboli, ad cujus auctorita» tem pertinet *finaliter determinare ea* » *quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa* » *fide teneantur :* hoc *autem pertinet ad* » *auctoritatem summi pontificis*, ad quem » majores et difficiliores Ecclesiæ quæstio» nes referuntur. ut dicitur in Decretal. » extra de Bapt. C. *Majores :* unde et Do» minus, Luc. 22, Petro dixit, quem sum» mum pontificem constituit : *Ego rogavi* » *pro te, Petre, ut non deficiat fides tua ; et* » *tu aliquando conversus, confirma fratres* » *tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides » debet esse totius Ecclesiæ, secundum » illud 1 Cor. 2 : *Idipsum dicatis omnes,* » *et non sint in vobis schismata*, quod » servari non posset nisi quæstio fidei de fide » exorta determinetur per eum qui toti Ec» clesiæ præest. ut sic *ejus sententia a tota* » *Ecclesia firmiter teneatur.* Et ideo *ad so*» *lam auctoritatem summi pontificis* perti» net nova editio symboli, sicut et omni » alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, » ut congregare synodum generalem et alia » hujusmodi. »

Et, cum secundo loco sibi *objecisset* quod Ecclesia universa in conciliis Ephesino et Chalcedonensi prohibuerit ne nova editio symboli fieret, *respondet* : « Ad secundum, » dicendum quod prohibitio et sententia » synodi se extendit ad privatas personas, » quarum non est determinare de fide ; non » enim per hujusmodi sententiam synodi » generalis ablata est potestas sequenti sy» nodo novam editionem symboli facere, » non quidem aliam fidem continentem, » sed eamdem magis explicatam. Sic enim » quælibet synodus observavit, ut sequens » synodus aliquid exponeret supra id quod » præcedens synodus exposuerat, propter » necessitatem alicujus hæresis insurgentis : » unde pertinet ad summum pontificem » *ordinare novum symbolum fidei*, CUJUS » AUCTORITATE SYNODUS CONGREGATUR, » ET EJUS SENTENTIA CONFIRMATUR. »

Item, q. 11, a. 2, ad 3 : « Universalis » Ecclesiæ auctoritas principaliter in sum» mo pontifice » ; dicitur enim 24, q. 1 : « Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror » omnes fratres nostros et coepiscopos non » nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis » auctoritatem referri debere, contra cujus » auctoritatem nec S. Hieronymus, nec S. » Augustinus, nec aliquis sacrorum doc» torum suam sententiam defendit : unde » dicit S. Hieronymus ad Damasum papam : » Hæc est fides, papa beatissime, quam in » catholica didicimus Ecclesia, etc., » ut retulimus § præcedenti. Hæc plana sunt et aperta, nec nos clarioribus terminis sententiam nostram exponimus. Nihilominus

Respondent pontificiæ infallibilitatis osores post Gersonem, S. Thomam concedere pontifici supremam et plenam potestatem ecclesiasticam respective ad singulos fideles et particulares ecclesias, non respective ad

totam Ecclesiam. *Sed contra.* Non est nunc quæstio de potestate ecclesiastica pontificis in universum, de qua art. subseq. licet aperte exprimat hic S. Th. eam esse supremam et plenam respective ad totam Ecclesiam, *toti Ecclesiæ præest*, inquit; sed est quæstio de ejus infallibilitate: formalissime autem docet S. Doctor quod *ad solam auctoritatem* summi pontificis pertineat edere symbolum fidei, et finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

At, inquiunt, per *solam*, intelligit S. Doctor *præcipuam*.

Per fidem numinum, quis unquam *solam* interpretatus est *præcipuam*? si præcipua, non sola; si sola, non præcipua. Dum dico « Ad solam auctoritatem regis pertinet condere leges pro toto regno, quis finget me per solam intelligere præcipuam? Neque juvat quod S. Th. in arg. *sed contra* dicat symbolum esse auctoritate universalis Ecclesiæ editum; norunt enim omnes apud D. Thomam levis esse ponderis probationem desumptam ex argumento *sed contra*: sed nec negamus symbolum esse Ecclesiæ auctoritate editum, verum, juxta S. Doctorem, auctoritate mutuata a summo pontifice, qui *præest toti Ecclesiæ*, et ad cujus *solam auctoritatem* pertinet edere symbolum, congregare et confirmare synodos generales, et gerere omnia quæ pertinent ad totam Ecclesiam.

Sed quid moramur in hac violenta interpretatione refellenda, cum habeamus S. Thomam illam diserte excludentem? « Sicut posterior synodus, inquit q. 10 de Pot. a. 4, ad 13, potestatem habet interpretandi symbolum a priore synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem: ita etiam Romanus pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate *sola* synodus congregari potest, et a quo sententia synodi confirmatur, et ad ipsum a synodo appellatur; quæ omnia patent ex gestis synodi Chalcedonensis: *nec est necessarium quod ad ejus expositionem faciendam universale concilium congregetur.* » *Ad solam* ergo, *ad solam*, et non tantum ad *præcipuam* in generali concilio, summi pontificis auctoritatem pertinet ordinare symbolum fidei, et finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Hæc subodorati sunt perspicacissimi theologi: unde tandem concludunt quod, si S. Thomas concesserit summo pontifici infallibilitatem absolutam et independentem ab Ecclesiæ consensu, *licet* ipsis in doctrina Patrum qui antecesserint, et in posterioribus conc. Constant. decretis tuto quiescere.

Ergone S. Thomas *in doctrina Patrum* cæcutiit, is cujus maxima laus est quod SS. Patrum os fuerit, et omnes in se quasi uno transfuderit? S. Thomas, inquam, de quo celeberrima Parisiensis academia, in decreto sub Stephano episcopo Parisiensi edito, hæc canit: « Divus Thomas fuit universæ » Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma » radians clericorum, fons doctorum, *uni-* » *versitatis nostræ speculum clarissimum* » et candelabrum insigne ac lucens, per » quod omnes qui vias vitæ et scholas doc- » trinæ sanæ ingrediuntur lumen vident. » Plura non urgeo. De concilio Constantiensi dicam art. subsequenti.

§ IV. — *Probatur conclusio ex conciliis et pontificibus.*

De concilio Sardicensi vide art. 3 præcedentem, probat. 2 et obj. 4.

De concilio Ephesino ibidem, probat. 2, vidimus quod patres, *coacti per epistolam Cœlestini papæ*, sententiam in Nestorium dixerint.

Idem Cœlestinus, in commonitorio seu instructione data suis legatis euntibus ad concilium, ipsis præcipit *ut Sedis apostolicæ tuerentur dignitatem, nec se episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippe judices esse deberent:* ita apud Christianum Lupum, variorum Patrum Epist. c. 226. Cuidam recentiori placuit addere interpretando, *cum synodo utique;* sed glossæ obstant verba sequentia: Ad disceptationem *si fuerit deventum, vos de eorum sententiis dijudicare debetis, non subire certamen.*

Idem Cœlestinus, in Epist. ad synodum congregatam, quæ refertur act. 2, pag. 618, dicit: « Direximus pro nostra sollicitudine » sanctos fratres Arcadium et Projectum » episcopos, et Philippum presbyterum no- » strum, qui eis quæ agentur intersint, et » quæ a nobis antea statuta sunt exequan- » tur: quibus præstandum a vestra Sanc- » titate non dubitamus assensum, quando » id quod agitur videatur pro universalis » Ecclesiæ securitate decretum. » Qua epi-

stola perlecta, « omnes reverendissimi epi» scopi simul acclamaverunt : Hoc judi» cium justum est »

Tum ibidem Projectus reverendissimus episcopus et legatus dixit patribus : « Ut » quæ Cœlestinus et dudum ante definire, » et nunc in memoriam revocare dignatus » est, juxta communis fidei regulam, ca» tholicæque Ecclesiæ utilitatem, ad finem » numeris omnibus absolutum deduci ju» beatis. » Firmus, episcopus Cæsareæ, nomine concilii respondit : « Apostolica et » sancta Sedes Cœlestini sanctissimi epi» scopi.... de præsenti negotio *sententiam* » dixit, *regulamque præscripsit* quam nos » quoque secuti..... formam illam *execu» tioni* mandavimus, canonicum apostoli» cumque judicium in illum (Nestorium) » proferentes. »

Quidam vim faciunt in his ultimis verbis, *canonicum apostolicumque judicium proferentes*, et ex eis colligunt sententiam Cœlestini non habitam fuisse a concilio infallibilem, sed ejus judicio canonico et apostolico fuisse subjectam. Quasi vero judicium in executionem legis seu decreti infallibilis non posset dici canonicum et apostolicum !

Verum aliud vehementius urgent, nempe epistolam Cyrilli ad Nestorium, quam solemni judicio expresse probaverat Cœlestinus, deductam fuisse ad Synodi examen et judicium, ipso Cyrillo petente a synodo : *Rectene et inculpate sanctoque illi concilio convenienter hæc scripserim, an secus?* nunquam autem, inquiunt, ita quæsitum aut interrogatum est post ultimum et irreformabile de fide judicium, id enim esset de ipsa fide declarata et explorata dubitare ; et tamen id post Cœlestini judicium factum est.

Huic instantiæ, quam putant invincibilem, R. 1° N. dictam Cyrilli epistolam ad Nestorium fuisse judicio solemni, et, ut dicimus, ex cathedra expresse a Cœlestino definitam et approbatam ; totum enim solemne Cœlestini judicium his circumscribitur verbis in epistola ad Cyrillum : « Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, » nostraque vice et loco cum potestate usus, » ejusmodi non absque exquisita severitate » sententiam exequeris, nempe ut, nisi » decem dierum intervallo ab hujus nostræ » admonitionis die numerandorum nefa» riam doctrinam suam conceptis verbis » anathematizet, eamque de Christi gene» ratione fidem in posterum confessurum se » spondeat, quam et Romana et tuæ Sanc» titatis ecclesia et universa denique religio » christiana prædicat, illico Sanctitas tua » illi ecclesiæ prospiciat. » Nulla ibi mentio epistolæ Cyrilli ad Nestorium, nec in tota epistola. Agnoscit quidem in genere Cœlestinus veram fidem ecclesiæ Cyrilli sicut et universæ Ecclesiæ, et dixerat antea : *Omnia quæcumque sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspicimus.* At, quæso, idne est ex cathedra sententiam ferre de orthodoxia epistolæ quæ nequidem nominatur ? Minime gentium ; hæc enim et similia verba non sunt neque definitio intenta, neque res definita, sed circumstantiæ definitionis, sicut ea quæ dicit Cœlestinus de vera fide ecclesiæ Romanæ et totius religionis, ex quibus absurdum foret dicere quod ex cathedra definierit orthodoxiam ecclesiæ Romanæ et totius religionis. Insuper Cœlestinus sententiam Cyrilli noverat aliunde quam ex dicta ejus epistola ad Nestorium ; plures enim scripserat Cyrillus, duas Nestorio, unam ad quemdam Nestorii studiosum, alteram ad eos qui ægre ferebant quod doctrinam Nestorii impiam diceret, alteram ad clericos Constantinopolitanos, et eas omnes ad Cœlestinum per Possidium miserat, ut declarat in sua epistola ad Cœlestinum : absque fundamento igitur asseritur hæc verba Cœlestini, *omnia quæcumque sentimus, te itidem sentire prospicimus*, esse dicta specialiter de præfata epistola Cyrilli ad Nestorium ; nec potiori jure hæc epistola potest dici solemniter approbata, quam omnes aliæ Cyrilli epistolæ : quod nemo dixerit.

R. 2° *Dato gratis* hanc epistolam fuisse specialiter et expresse solemni judicio approbatam, potuit Cyrillus, absque præjudicio fidei et infallibilitatis pontificiæ, interrogare de orthodoxia suæ epistolæ, non quasi dubius, sed ad magis confundendos hæreticos, certus de ejus orthodoxia, et quod Patres ex sola dictorum intelligentia illi assentirent, quod equidem omnes ordine fecerunt absque ulteriori examine, *ut patet* ex actis, act. 1. Sic ego, nunc plene certus de orthodoxia hujus epistolæ, quibusdam de Cyrilli et Nestorii dissidio disserentibus, absque præjudicio fidei et infalli-

bilitatis pontificis ac concilii, ad majorem elucidationem et Nestorianorum convictionem, possem dicere : Legite hanc epistolam, et dicite an Cyrillus recte senserit, necne ?

De concilio Chalcedonensi etiam eodem art. diximus quod, act. 2, lecta celebri epistola S. Leonis ad S. Flavianum, patres exclamaverint : *Hæc patrum fides... Petrus per Leonem locutus est*, etc. Vide locum integrum art. citato. Item, finito concilio, patres rogant pontificem ut sancita in concilio confirmet et adimpleat. Vide iterum textum ibidem.

Item, S. Leo, in epist. ad concilium, præscribit patribus legem et doctrinam quam sequi debeant : « Nunc, inquit, in » vicariis meis adsum, qui dudum in fidei » prædicatione non desum ; ut qui non » potestis ignorare quid ex antiqua tradi» tione credamus, non possitis dubitare » quid cupiamus : unde, fratres charissimi, » rejecta penitus audacia disputandi contra » fidem divinitus inspiratam, vana erran» tium infidelitas conquiescat : non liceat » defendi quod non licet credi ; cum, secun» dum evangelicas auctoritates, secundum » propheticas voces apostolicamque doctri» nam, plenissime, lucidissime per litteras » quas ad beatæ memoriæ Flavianum epi» scopum misimus, fuerit declaratum quæ » sit de sacramento Incarnationis Domini » nostri Jesu Christi pia et sincera confes» sio. » Non sic profecto scripsisset S. Leo ; si suum judicium a concilio reformabile putasset.

Act. 2, cum magistratus petiissent ut de fide ageretur secundum concilium Nicænum et Constantinop. « Cœropius, reverendissi» mus episcopus Sebastenopolitanus, dixit : » Emerserunt quæ ad Eutychem pertine» bant, et super iis *forma* data est a sanc» tissimo archiepiscopo Romanæ urbis, et » sequimur eum, et epistolæ omnes sub» scripsimus. Reverendissimi episcopi cla» maverunt : Ista omnes dicimus, sufficiunt » quæ exposita sunt, alteram expositionem » non licet fieri : » adeo tenebant judicium S. Leonis irretractabile.

Act. 3, fertur sententia in Dioscorum nomine Leonis, ministerio concilii : « Unde, » inquiunt patres synodici, sanctissimus et » beatissimus archiepiscopus magnæ et se» nioris Romæ Leo, per nos et per sanctam » synodum una cum ter beatissimo et omni » laude digno beato Petro Apostolo, qui est » *petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum*, nudavit eum tam » episcopatus dignitate quam etiam et ab » omni sacerdotali alienavit ministerio. »

Item sanctus Leo, rogatus ut acta hujus concilii confirmaret, confirmavit duntaxat quoad ea quæ ad hæresim Eutychianam spectabant, improbavit autem et rescidit quoad ea quæ privilegia ecclesiæ Constantinop. spectabant.

Opponunt adversarii et multum *urgent* examen celebris epistolæ sancti Leonis ad Flavianum factum a synodo, ex quo inferunt judicium summi pontificis in causis fidei non esse irretractabile.

R. istud examen factum fuisse, non quod synodus suspicaretur ullum in ea epistola errorem ; jam enim antea, *quod bene notandum est*, illi absque examine subscripserat, et sæpe patres clamaverant : « Sicut Leo ita » credimus ; Petrus per Leonem locutus est ; » Epistolæ omnes subscripsimus ; sufficiunt » ad fidem quæ exposita sunt, alteram ex» positionem non licet fieri. » Excipiuntur tantum episcopi Palestini et Illyriciani, qui patiebantur difficultatem circa quorumdam verborum sensum, ut ipsimet dixerunt ; quia scilicet non callebant linguam latinam, sed de quo instructi, pariter epistolæ subscripserunt : factum est ergo istud examen post jam receptam epistolam, ut magis convincerentur Eutychiani, qui eam execrabantur ut Nestorianam, et ut nulla amplius illis esset ratio eam retractandi, quæ consensu totius Ecclesiæ firmaretur, ut dicit ipse sanctus Leo, Epist. 65, ad Theodoretum ; et patres synodici, in relatione ad Marcianum imperatorem : « Credentibus, » inquiunt loquendo de ista epistola, suffi» cit ad utilitatem fidei indiscussa perspec» tio, ad confessionem pii dogmatis devotos » pertrahens animos : hos autem qui doc» trinam rectam pervertere moliuntur, ad » singula quæ male pariunt, oportet oc» currere. »

Unde, quando patres quintæ synodi, collat. 6, ut pararent sibi viam ad condemnationem epistolæ Ibæ, quæ non fuerat discussa nec probata in concilio Chalcedonensi, dixerunt epistolam S. Leonis non fuisse receptam in eodem concilio, sine inquisitione et collatione cum doctrina Pa-

trum, vel erraverunt in facto, *ut patet* ex actis concilii Chalcedonensis; vel intelligunt de secunda receptione, quæ fuit tantum amplior declaratio primæ, ad majorem et efficaciorem confutationem Eutychianorum.

Agatho papa, occasione sexti conc. generalis Constantinop. III, anno 680, scripsit duas epistolas imperatori Constantino Pogonato, primam solus, secundam cum concilio Romano. In secunda secure pronuntiat se suis legatis ad concilium mandasse, ut quæ ipse cum suo concilio definierat non examinarentur tanquam dubia et incerta, sed ut certa et immutabilia publicarentur. « Per nos, inquit, prævidimus dirigere, non » tamen tanquam *de incertis* contendere, » sed ut *certa et immutabilia* compendiosa » definitione proferre. » Et infra, in eos qui contradicerent sententiam condemnationis profert his verbis : « Qui vero *hæc* » *confiteri noluerint*, ut infestos catholicæ » atque apostolicæ confessioni perpetuæ » condemnationis reos esse censemus. » Certissimus profecto de sua infallibilitate erat pontifex qui sic loquebatur, vel imprudentissimus qui, si falsa proferret, a concilio œcumenico statim esset redarguendus : hæc enim epistola lecta fuit in concilio, act. 4, et ab omnibus, act. 8, probata et subscripta, nullo contradicente, excepto uno Macario Monothelita, qui ideo fuit depositus.

In prima epistola, dicit Agatho ecclesiam Romanam et Romanos pontifices nunquam in fide defecisse aut deficere, sed eorum partes esse fratres in fide confirmare. « Spiri- » tales oves Ecclesiæ, inquit loquens de S. » Petro, ab ipso Redemptore omnium ter- » na commendatione pascendas suscepit, » cujus annitente præsidio, hæc apostolica » ejus Ecclesia *nunquam a via veritatis in* » *qualibet erroris parte deflexa est*... Hæc » est enim veræ fidei regula quam in pros- » peris et in adversis vivaciter tenuit ac de- » fendit hæc spiritualis mater vestri tran- » quillissimi imperii, apostolica Christi » Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gra- » tiam a tramite apostolicæ traditionis *nun-* » *quam errasse probabitur*, nec hæreticis » novitatibus depravata succubuit!... Con- » deret itaque vestra tranquilla Clementia, » quoniam Dominus et Salvator omnium, » cujus fides est, qui fidem Petri non defec- » turam promisit, confirmare eum fratres » admonuit, quod apostolicos pontifices » meæ exiguitatis prædecessores confidenter » *fecisse semper* cunctis est cognitum. » *Neque dicas* id intelligendum de successione, et non de singulis pontificibus, alioquin falsum esset quod pontifices id *semper* præstitissent.

Hanc epistolam sicut præcedentem pariter patres susceperunt, act. 18, singuli sigillatim sub ordine assentientes : et in sermone acclamatorio ad imperatorem, concilium universum dicit : « Summus autem » nobis concertabat Apostolorum princeps ; » illius enim imitatorem et sedis successo- » rem habuimus fautorem, et divini sacra- » menti mysterium illustrantem per litte- » ras. Confessionem tibi *a Deo scriptam* » illa Romana antiqua civitas obtulit, et » dogmatum diem a vespertinis partibus » extulit ; charta et atramentum videbatur, » et *per Agathonem Petrus loquebatur*. » Et in epistola ad Agathonem : « Tibi, ut » primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, » quid agendum sit relinquimus *stanti su-* » *per firmam fidei petram*, libenter per- » lectis veræ confessionis litteris a vestra » paterna Beatitudine ad piissimum impe- » ratorem missis, quas, ut a summo Apos- » tolorum vertice, *divine perscriptas agnos-* » *cimus*, per quas exortam nuper multi- » plicis erroris hæreticam sectam depuli- » mus. »

Reponit quidam epistolas Agathonis non fuisse receptas, nisi prævio examine : quia Georgius Constantinopolitanus dixit : « In- » spiciens omnem virtutem earum litte- » rum, et scrutans libros sanctorum, ac » probabilium Patrum cuncta quæ conti- » nent, inveni consentanea eis, et sic pro- » fiteor et credo. » Alii dixerunt : *Inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare et consentio* ; et in eum sensum, inquit, omnes sigillatim subscribunt, nec nisi eo examine probatæ epistolæ Agathonis : ex quo infert definitionem Agathonis non habitam fuisse a concilio infallibilem

R. 1° assumptum non esse ex omni parte verum. Quod Georgius Constantinopolitanus interlocutus fuerit, ut in instantia, verum est; quod *alii* dixerint : *Inveni in nullo eas a sanctis Patribus discrepare*, error est : non enim *alii*, sed alius, unus quippe tantum sic dixit, scilicet Sisinnius Hæracleæ.

Quod additur, *omnes sigillatim in eum sensum dixisse*; gratuitum est, nullus enim id exprimit, sed omnes, præter duos assignatos, simpliciter suffragantur, nulla facta mentione examinis.

R. 2° *Dato* examen præcessisse, *N. illationem.* Non enim quicumque aliquam doctrinam examinat, de ejus veritate dubitat: sic theologi quotidie examinant Scripturas sacras, decreta conciliorum œcumenicorum, ea cum S. Scriptura et traditione conferendo, non quod ullatenus de veritate S. Scripturarum aut decretorum fidei dubitent, sed ut magis ac magis in eis firmentur, sintque omnibus de iis inquirentibus respondere parati, et refractarios revincere magis idonei. Sic patres Ephesini examinaverunt epistolam S. Leonis, nullatenus de ejus veritate dubitantes, ut superius diximus. Item, si facto examine approbavit synodus epistolas Agathonis, ergo approbavit examine facto infallibilitatem Romani pontificis in eis clare assertam.

In septima synodo generali, Nicæna II, anno 787, act. 2, litteræ Adriani papæ ad imperatorem et ad Tarasium patriarcham Constantinopol. fuerunt lectæ, et cum applausu exceptæ. In prima, pontifex jubet inprimis ut ante omnia pseudoconcilium contra sacras imagines « anathematizetur » præsentibus missis nostris, » id est legatis, deinde, « quod unamquamque syno- » dum et sua auctoritate confirmat, et con- » tinuata moderatione custodit. » In secunda, requirit a patriarcha ut fidem ecclesiæ Romanæ « incorrupte, atque incon- » taminate ex profundo cordis et sinceritate » mentis custodire studeat. »

Respondent ut ante, has litteras non fuisse probatas sine examine; et nos hanc responsionem præcedentibus solutionibus excipimus, præsertim cum solus Tarasius dixerit se scrutatum fuisse scripturas, tota vero synodus a legatis interrogata. *Si admitteret litteras sanctissimi papæ senioris Romæ an non?* simpliciter responderit: *Sequimur, et suscipimus, et admittimus.* At, inquiunt, id de irreformabili judicio quæri neque ratio neque fides sinit. Quasi vero esset contra rationem et fidem exigere ab aliquo professionem fidei, aut interrogare de catechismo.

In octavo concilio generali, Constantinop. IV, anno 869, contra Photium, nullus admissus fuit, quin prius formulæ fidei ab Adriano II missæ subscripsisset. In hoc autem formula continentur sequentia: « Quia non » potest Domini nostri Jesu Christi præter- » mitti sententia dicentis: *Tu es Petrus,* » *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam* » *meam.* Hæc quæ dicta sunt rerum pro- » bantur eventibus, quia in Sede apostolica » immaculata est simper servata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo » fide atque doctrina separari minime cu- » pientes, et Patrum et præcipue sanctorum » Sedis apostolicæ præsulum sequentes in » omnibus constituta, anathematizamus » omnes hæreses simul cum Iconomachis. » En in concilio generali admissa infallibilitas Romani pontificis fundata in verbis Christi, *Tu es Petrus*, etc.

In concilio Viennensi, Clemens V, Clementina de Summa Trinit. § *Nos igitur*, definit quod « ad apostolicam considera- » nem *duntaxat* declarare pertinet quæ in » scripturis obscura sunt. »

Respondent quidam per illud *duntaxat* intelligi tantum hæc sine Sede apostolica tractari non posse, alioquin excluderetur concilium, quo approbante ista definiuntur.

Sed contra. Per hanc particulam, Clemens equidem non exclusit concilium generale tanquam quid utile, et hoc sensu id definivit, *approbante concilio;* sed exclusit ut aliquid absolute necessarium, alioquin falsum esset hæc ad Sedem apostolicam *duntaxat* pertinere. Nec mentem definitionis salvat adversariorum interpretatio; quod enim fieri non potest sine Sede apostolica, si tamen aliud ad id necessario concurrere debet, falso dicitur *id duntaxat ad Sedem apostolicam pertinere:* sicut, licet in judicio supremi senatus causa non possit definiri sine præside, aut locum tenente, falso tamen dicerem, ad præsidem *duntaxat* pertinere causam definire; quia etiam alii judices necessario concurrunt ad judicium: secus esset si suprema judicandi auctoritas esset penes solum præsidem et ipse ex abundantia, atque propter majorem utilitatem et convenientiam, assessores assumeret quibus auctoritatem judicandi communicaret.

Clemens VI, ipse Gallus et doctor Parisiensis, quatuordecim doctrinæ articulos Armenis recenter ad fidem catholicam conversis proposuit, quibus deberent subscribere, si Romanæ ecclesiæ integre vellent

consociari. Horum quintus sic erat: « Si » credidisti et credis quod in tantum fue- » rit, sit et erit suprema, et præeminens » auctoritas, et juridica potestas Romano- » rum pontificum, et illorum qui in poste- » rum erunt, ut a nemine judicari potue- » rint, potuerimus, neque in posterum » poterunt, sed soli Deo judicandi servati » fuerint, servemur et servabuntur; et » quod a sententiis et judiciis nostris non » potuerit, neque possit, neque poterit ad » aliquem judicem alium appellari? » Deci- mus tertius sic habebat: « Si credidisti et » adhuc credis solum Romanum pontificem » in dubiis emergentibus circa fidem catho- » licam, posse per determinationem au- » thenticam, cui sit inviolabiliter adhæ- » rendum, finem imponere; et esse verum » et catholicum quidquid ipse auctoritate » clavium sibi traditarum a Christo, deter- » minat esse verum, et quod determinat » esse falsum et hæreticum, tale sit censen- » dum? » Hæc apud Odericum Raynaldum in Annalibus ad 1346 et 1351.

Hujus luculentissimi testimonii vim in- fringere conantur adversarii, ex Diplomate ejusdem Clementis VI, dato septimo Idus decembris 1351, quod pro testamento ulti- mæ voluntatis reliquit, in quo dicit: « Si qua dudum, in minoribus constituti et post- » quam ad fastigium apostolicæ dignitatis » divina bonitas dignanter potius quam » digne provexit, nos disputando, legendo, » prædicando, aut alias contra catholicam » veritatem et fidem, vel bonos mores, ex » lapsu linguæ præcipitanter forte protuli- » mus; revocamus, et volumus pro revo- » catis haberi, et ea omnia apostolicæ Sedis » auctoritati submittimus et supponimus » corrigenda. »

Verum, quid inde contra prius testimo- nium? In illo dicit Clemens pontifices Ro- » manos esse infallibiles quando *per deter- minationem authenticam et ex clavium sibi a Christo traditarum auctoritate*, de fide pronuntiant: hic dicit esse fallibiles quando extra tribunal, *ex lapsu linguæ præcipitan- ter proferunt* aliquid: quod ultro concedi- mus. Unde nullatenus sibi contradicunt hæc testimonia, et primum manet immotum.

Dices Summi pontifices quos hucusque laudavimus, locuti sunt in propria causa: ergo eorum testimonia nihil probant.

R. 1° D. *ant.* Summi pontifices locuti sunt in propria causa, palam et nemine contradicente, *C. ant.* aliis contradicenti- bus, *N. ant. et conseq.* Sic, dum in tota retro antiquitate, episcopi suæ sedis, reges et principes sui throni jura defendebant actis publicis quibus nemo contradicebat, admittebantur eorum testimonia; quidni et pontificum admittantur qui monumentis et actis publicis, quibus nemo suo tempore contradixit, privilegia suæ sedis testati sunt et propugnarunt?

2° Pontifices laudati, non eruditione so- lum, sed vitæ probitate fuerunt conspicui, et plures inter illos sancti numerantur: nulla est ergo ratio suspicandi quod ex superbia et ambitione privilegia infundata et injusta sibi vindicare voluerint.

§ V. — *Probatur conclusio ex Patribus, episcopis et theologis Gallicanis.*

Patres concilii Arelatensis, anno 455, in epistola synodica ad sanctum Leonem, di- cunt: « Apostolatus vestri scriptum (indu- » bie celebrem epistolam ad S. Flavianum), » ita ut symbolum fidei, quisquis sacra- » menta religionis non negligit, tabulis cor- » dis inscripsit, et tenaci, ad confun- » dendos hæreticorum errores ut paratior » sit, memoriæ commendat. » Solius autem est auctoritatis infallibilis condere symbo- lum fidei, ut docet S. Th. supra, nec nisi fides tabulis cordis inscribitur; decretis enim supremæ auctoritatis, quæ non est infallibilis, reverentia debetur, non assen- sus mentis.

Anno 517, S. Avitus, episcopus Vien- nensis, nomine ecclesiæ Gallicanæ, agnoscit summum pontificem ut supremum judicem in causis fidei: sic enim epist. ad Hormis- dam papam scribit: « Quæsumus ergo, » servitio meo juncto, ut quid filiis vestris, » fratribus meis, id est Gallicanis, si con- » sulant, respondere debeam instruatis. » Quia jam securus, non dicam de Vien- » nensi, sed de totius Galliæ devotione, pol- » liceor omnes vestram super statu fidei » captare sententian.. Orate ut sic nos præ- » dictorum confessio fucata non fallat, sicut » ab unitate quam regitis veritas comperta » non separat. »

Anno 567, concilium Turonense ad quod convenerat universa pene ecclesia Gallica- na, post recitatum Innocentii I decretum de Virginibus Deo dicatis matrimonio non

jungendis, can. 20 sic loquitur : « Quis sa- » cerdotum talia decreta quæ a Sede apo- » stolica processerunt agere præsumat.... et » quorum auctorum valere posset prædica- » tio, nisi eorum quos Sedes apostolica ap- » probavit? Patres nostri hoc semper custo- » dierunt quod eorum præcipit auctoritas. » Nos ergo, sequentes quod vel Apostolus » Paulus, vel papa Innocentius statuit, in » canonibus nostris inserentes, statuimus » observandum. »

Respondent more solito hæc decreta non fuisse recepta nisi prævio examine.

Sed contra. Id omnio gratis fictum *patet* ex testibus, quinimo ex eis contrarium palam evincitur. Nam 1° quod recipitur tanquam *symbolum fidei*, ut loquitur concilium Arelatense, non subjacet examini, saltem ut res dubia. 2° S. Avitus ante examinatum decretum promittit obedientiam totius nationis Gallicanæ. 3° Concilium Turonense dicit neminem contra hujusmodi decreta præsumere agere, hæc a Patribus semper custodia fuisse, et se in omnibus ea servaturum. Insuper examen alicujus decreti non semper arguere ejus fallibilitatem diximus paulo ante.

Omitto, brevitatis causa, Hincmarum, sæculo 9, Epist. ad Nicolaum I, et Opusc. de Divortio Lotharii regis; concilium Pontigonense, anno 876, sub Joanne VIII; Ivonem Carnotensem, Epist. 8 ad Richerium archiepiscopum Senonensem, in quo dicit : *Hujus* (Sedis apostolicæ) *judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere;* et plures alios, ut tandem ad ipsam academiam Parisiensem veniamus.

Anno 1324, Stephanus Parisiensis episcopus, occasione bullæ canonisationis S. Thomæ, ejusdem academiæ doctoris, edidit decretum de consensu decani et capituli Parisiensis et magistrorum dictæ universitatis, ut fert edictum, sequentis tenoris : « Nos igitur, attendentes quod sacrosancta » Romana ecclesia *omnium mater et magis- » tra*, in firmissima Petri Christi vicarii » confessione fundata, ad quam velut ad » *universam regulam catholicæ veritatis* » pertinet approbatio et reprobatio doctri- » narum, declaratio dubiorum, determi- » natio tenendorum et confutatio erro- » rum, etc. »

Paucis post annis, eadem academia obtulit Clementi VII, Avenione residenti, quem Gallia pro vero pontifice agnoscebat, tractatum theologicum in quo asserebat et probabat infallibilitatem Romani pontificis in quæstionibus fidei, his terminis : « Prima » conclusio est, quod ad sanctam Sedem » apostolicam pertinet auctoritate judiciali » suprema, circa ea quæ sunt fidei, judicia- » liter definire : et hoc probatur : quia ad » illius, tanquam supremi judicis auctori- » tatem, pertinet in fide judicialiter defi- » nire, cujus fides nunquam deficit : sed » sanctæ Sedis apostolicæ fides nunquam de- » ficit; quia de hac sede dictum est : *Petre, » rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, » Luc. 22. Propter quod dicit S. Cyprianus : » Qui cathedram Petri, super quam fundata » est Ecclesia, deserit, in Ecclesia de se » non esse demonstrat. Et S. Hieronymus » dicit : Super eam fundata est Ecclesia : et » quicumque cum pontifice Romæ non col- » ligit, dispergit. »

Observat noster Serry tractatum hunc manuscriptum in bibliotheca collegii Navarici etiamnum hodie extare; legique in plerisque editionibus ad calcem Magistri Sententiarum, titulo Commentarii adversus errores Fratris Joannis de Montesono.

Respondent adversarii academiam infallibilitatem Sedi apostolicæ tribuere, non Romano pontifici.

Sed contra. Etiam Romano pontifici tribuit, siquidem dicat cum S. Hieronymo : *Qui cum pontifice Romano non colligit, dispergit :* unde, cum Sedem apostolicam exprimit, figurata locutio est, qua Sedes pro sedente accipitur : non enim sedes loquitur aut definit nisi ore sedentis. Insuper quid est Sedes apostolica, nisi summus pontifex cum clero Romano? Non definit autem pontifex ex cathedra nisi ex concilio vel consensu cleri Romani, ut dictum est. Unde, si ipsa Sedes sit infallibilis, infallibilis quoque est pontifex Romanus loquens ex cathedra. De hoc communi adversariorum effugio specialiter adhuc *aram infra*.

Anno 1387, eadem Facultas profitetur infallibilitatem Romani pontificis : sic enim, referente Buleo, Hist. Paris. ad eumdem annum, ipsum alloquitur : « Quidquid dic- » turi sumus, totum correctioni et judicio » Sedis apostolicæ et *sedentis in ea* summi » pontificis humiliter submittimus, dicen- » tes cum beato Hieronymo 24, q. 1 : Hæc

» est fides, pater beatissime, quam in catho-» lica Ecclesia dicimus, in qua, si quid mi-» nus perite, aut minus caute, forte aliquid » positum est, emendari petimus *a te*, qui » Petri fidem et sedem tenes. Non ignora-» mus enim, sed firmissime tenemus, et » nullatenus dubitamus, quod sancta Sedes » apostolica est illa cathedra Petri, supra » quam, eodem S. Hieronymo teste, funda-» ta est Ecclesia, ut habetur in eadem » quæstione, cap. *quoniam vetus;* et sicut » dixit S. Cyprianus, 93, Dist. cap. *Cathe-» dram*. De qua sede in persona Petri Apos-» toli in ea sedentis dictum est : *Petre, ro-» gavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. » 22. Hæc est igitur, ad quam determina-» tio fidei et approbatio veritatis catholicæ » ac hæreticæ pravitatis detestatio maxime » pertinet. »

Ejusdem sententiæ erat tota natio Gallicana, anno 1305, cum regni proceres nationis nomine petebant, dato libello ad Clementem V, ut Bonifacii VIII memoriam damnaret; dicebant enim : « Non quæritur » de hæresi papæ quondam, ut papæ, sed » ut privatæ personæ : *nec enim ut papa » potuit esse hæreticus*, sed ut privata per-» sona : unquam aliquis papa, *in quantum » papa*, fuit hæreticus. » Quo testimonio non solum evincitur conclusio ex mente nationis, sed etiam habetur hanc distinctionem inter papam ut papam, et ut hominem privatum, non esse recens inventum, ut quidam effutiunt.

Anno 1579, clerus Gallicanus, in comitiis generalibus Meloduni adversus Lutheri et Calvini errores, sic præcipit : « Clerici » et laici aperta professione eam fidem pro-» nuntient, quam sancta Romana ecclesia, » *magistra, columna et firmamentum ve-» ritatis*, profitetur et colit. Ad hanc enim, » propter suam principalitatem, necessum » est *omnem convenire ecclesiam*. » Et in fine articulorum subjungitur : « Omnia hæc sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus ex præ-» ceptis populum fidelem institui, et *cer-» tam fidei ac morum correctionis regulam* » constitui oportet, judicio et autoritati » subjicimus. »

Anno 1612, liber Etmundi Richerii contra infallibilitatem et alia jura summi pontificis, ab eadem academia Parisiensis et a conciliis Aquensi et Senonensi damnatus est, et ipse Richerius compulsus ad retractationem, quam 1629 cardinali Richelio obtulit his verbis : « Protester et declaro » me semper voluisse, ac etiamnum velle et » me ipsum, et meum libellum, et quas-» cumque ejus propositiones, omnemque » doctrinam meam ecclesiæ catholicæ Ro-» manæ et Sedis apostolicæ judicio subji-» cere, *quam matrem et magistram eccle-» siarum et infallibilem veritatis judicem » agnosco.* » Hæc ultima verba referri ad Ecclesiam catholicam, et non ad Sedem Romanam, ut quidam volunt, est manifeste contra contectum, *ut patet*, et contra sensum; non enim Ecclesia catholica *est mater et magistra ecclesiarum*, cum Ecclesia catholica non sit aliud quam omnes aliæ ecclesiæ simul sumptæ, non est autem mater et magistra sui ipsius. Aliunde Richerius non negaverat infallibilitatem Ecclesiæ catholicæ, sed Sedis apostolicæ : unde addit : « Quam declarationem profiteor me » libere ac voluntarie dedisse, ut mea *erga » Sedem apostolicam obedientia* cunctis pa-» teat. »

Occasione libri Richerii, academia Pariensis primo decembris eodem anno 1629, decreto solemni sanxit, ut qui deinceps theses essent defensuri, disputationi sequens juramentum præmitterent : « Juro » atque protestor, me nec dicturum nec » scripturum quidquam quod adversetur » sacræ Scripturæ, conciliis œcumenicis, » decretis summorum pontificum, et sta-» tutis almæ Facultatis Parisiensis matris » meæ, quibus adhœreo et me firmiter ad-» hæsurum polliceor. » Refert Hyacinthus Serry, doctor Pariensis, in Opusc. de Rom. pont. edito anno 1732, formulam hujus juramenti etiamnum hodie ita religioso servari, ut, cum non ita pridem quidam baccalaureus verbulum addidisset, seque nihil dicturum jurasset quod adversaretur decretis Romanorum pontificum *communi Ecclesiæ consensu receptis*, gravem ab Academia animadversionem subierit, pœnasque audaciæ dederit.

Anno 1626, comitia generalia cleri Gallicani, articulo 1637 statuunt, « Hortan-» dos episcopos, uti Sedem observent apos-» tolicam, Ecclesiamque Romanam infal-» libili Dei promissione fundatam... Petro » cum clavibus datam *infallibilitatem fidei*, » quam videmus divinæ potentiæ mira-» culo, *in Petri successoribus* ad hodier-

» num usque diem *immobilem* permanere. »

Respondent solita evasione, hæc intelligenda esse non de quolibet Petri successore, sed de serie atque successione, ita ut ipsa series seu successio nunquam deficiat a fide. Sed velim quomodo concipi potest quod series atque successio a fide non deficiat, *et in Petri successoribus fides permaneat immobilis*, si et iste et iste Petri successor in fide deficiat? Numquid successio est in successoribus, et successores constituunt successionem? Plane contorta videtur hæc interpretatio. Quod si per successionem intelligant Sedem apostolicam, ut videntur aliquando intelligere, de hac jam dixi et dicam ad infra.

Anno 1653, octoginta quinque episcopi in comitis congregati, petunt ab Innocentio X judicium de libro Jansenii, hac potissimum ratione quod. « Majores causas » ad Sedem apostolicam referre solemnis » Ecclesiæ mos esset, in qua fides Petri *nunquam deficiens perpetuo conservatur*. » Et anno 1654. gratias agentes eidem pontifici pro condemnatione libri Jansenii, datis litteris dicunt: « Perspectum habemus, non » solum ex Christi pollicitatione Petro facta, » sed ex actis priorum pontificum, judicia » pro sancienda *regula fidei* a summis pontificibus lata super episcoporum consultatione, *divina atque summa* per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenetur, seu » suam episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant: » hoc est, seu consultantium episcoporum consensus accedat, seu non accedat. Ergo Romani pontificis judicium est infallibilis fidei regula independenter a consensu Ecclesiæ.

Ne longior sim, omitto illustriores ejusdem academiæ doctores, Albertum magnum, Alexandrum Halensem, de S. Thoma dixi supra, S. Bonaventuram, Nicolaum Dyranum, Nicolaum Coeffeteum, Gabriolem Albaspineum, Petrum de Marca, Habertium, Hallerium, Mauclerum, Duvallium, etc., qui omnes stant pro infallibilitate summi pontificis. Et quot adhuc nunc pro eadem veritate stant, qui ex obedientia tacent!

§ VI. — *Probatur conclusio ex praxi Ecclesiæ ab exordio.*

Tribus primis sæculis ante concilium primum generale, plures hæretici solius Romani pontificis judico fuerunt irreformabiliter damnati. Anno 150, Cerdon et Valentinus ab Higino, apud Euseb. lib. 1 Hist. c. 10; anno 196. Theodotus a Victore, apud eumdem lib. 5, cap. 17; anno 215, Montanistæ a Zepherino, apud Tertul. lib. de Jejun. c. 1; post concilium Nicænum anno 390, Siricius damnavit Jovinianum; anno 401, Anastasius damnavit Rufinum Origenistam; anno 416, Innocentius I damnavit Pelagium: et hi omnes habiti sunt hæretici ex solius papæ judicio.

Respondent adversarii hos equidem habitos fuisse hæreticos, non tamen ex solius papæ judicio, sed ex accedente consensu Ecclesiæ.

Contra est 1° quod tribus primis Ecclesiæ sæculis, dum ferveret persecutio, et episcopi vel in cryptis et sepulcris latitarent vel carceribus detinebantur, vel exulabant, difficile admodum nec nisi post longum tempus poterat haberi consensus Ecclesiæ, et de illo certitudo: neque tamen interim hærebant fideles quibus innotescebat sententia Romani pontificis, sed ex illa hæreticos damnatos pro damnatis habebant, et definitioni datæ mentis obsequium præstabant. 2° S. Aug. statim post latum Romani pontificis judicium contra Pelagianos, antequam toti Ecclesiæ posset innotescere, aut de ejus assensu posset haberi certitudo, securus pronuntiavit: *Rescripta Roma venerunt, causa finita est.*

§ VII. — *Probatur conclusio rationibus.*

1° Sic arguo cum jam laudato nostro Hyacintho Serry. Istud judicium in materia fidei est irreformabile quod est supremum et ultimum, post quod non datur aliud superius ad quod appellari possit: atqui tale est judicium Romani pontificis loquentis ex cathedra in materia fidei et morum: ergo *Maj. patet. Prob. multipliciter min.* 1° ex tribus pontificibus, Bonifacio I, Gelasio I et Nicolao I. Is, Epist. 8 ad Michaelem imperatorem, sic loquitur: « Patet profecto Sedis apostolicæ, cujus » auctoritate *major non est*, judicium a

» nemine fore retractandum; *neque cui-*
» *quam de ejus liceat judicare judicio.*
» Juxta quod Bonifacius papa Rufo et cæ-
» teris episcopis per Thessaliam constitutis
» scribens ait : *Nemo unquam* Apostolico
» culmini, de cujus judicio non licet re-
» tractare, manus obvias audacter intulit :
» *nemo in hoc rebellis* extitit nisi qui de se
» voluit judicari. » Et B. papa Gelasius;
« Ipsi sunt canones qui appellationes totius
» Ecclesiæ ad hujus Sedis examen volue-
» runt deferri : *ab ipsa vero nusquam pror-*
» *sus appellari debere sanxerunt;* ac per
» illam *de tota Ecclesia* judicare, ipsam ad
» nullius commeare judicium. »

Est qui respondeat his decretis tantum caveri hæc duo : alterum, ne ordinaria negotia post Sedis apostolicæ judicium ad ulteriora judicia referantur; alterum, ne in causis etiam maximis retractentur ea quæ in exequendis statutis conciliaribus hæc Sedes egerit, aut quæ universali firmaque consensione recepta fuerint.

Sed contra testor oculatissimos, si vel verbulum deprehendant in toto textu quod hunc sensum indicet : sufficit illum inspicere *ut pateat* has interpretationes esse mere gratuitas, imo et ipsi aperte contrarias : enimvero, auctoritate Sedis apostolicæ *non est quid majus a quo sit ejus judicium retractandum :* ergo tam in maximis quam in ordinariis, tam in judicandis quam in judicatis exequendis, tam sine quam cum consensu aliarum ecclesiarum, ejus judicium est irretractabile. 2° Nemo unquam ejus judicia retractare ausus est : ergo in quocumque negotio fidei, sive judicando sive judicato, sive aliis probato sive non, est irreformabile. 3° Romana ecclesia debet *de tota Ecclesia judicare, ipsa ad nullius commeare judicium :* ergo in quacumque re fidei judicanda, non expectata Ecclesiæ consensione, stat firmum et a nullo retractabile ejus judicium. Vix est verbum in textu quod has interpretationes non explodat.

Prob. 2° *eadem min.* ex S. Aug. qui, ut vidimus, judicium Innocentii I contre Pelagianos pro finali et irreformabili habuit, dum dixit : *Rescripta Roma venerunt, causa finita est* Id etiam constat ex pluribus aliis Patribus a nobis prius laudatis.

Prob. 3° *eadem min.* 1° Appellans in causa appellationis eximitur a jurisdictione illius a quo appellat, et ab ejus obedientia recedit : atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione summi pontificis, alioquin non esset amplius ejus ovis, consequenter nec fidelis; neque ab ejus obedientia recedere, cum sit supremus omnium rector, pastor et superior : ergo. 2° Judex a quo appellatur non debet dare et designare appellanti judicem ad quem, alias ageret contra seipsum : atqui solius est Romani pontificis indicere, congregare, confirmare et robur tribuere conciliis œcumenicis : ergo judicium Romani pontificis est ultimum in Ecclesia, consequenter infallibile et irreformabile. *Patet conseq.* Quia, si esset tribunal ad quod a papa posset appellari, foret indubie concilium generale.

Prob. conclusio alia ratione. In Ecclesia a Christo bene ordinata debet admitti judex semper permanens et vivens, qui S. Scripturas, traditiones et controversias de fide ac moribus exurgentes infallibiliter interpretetur et dirimat : atqui is non est alius quam Romanus pontifex : ergo. *Prob. min.* Iste judex supremus et infallibilis semper vivens non est cujusque spiritus privatus, non princeps sæcularis, ut olim diximus, non concilium generale; quia, licet pontifice præsidente sit regula infallibilis fidei, non sufficit tamen, quia rarissime et difficillime congregantur concilia generalia, et tamen continuo in Ecclesia oriuntur controversiæ de fide ac moribus, ad quas dirimendas præsto adesse debet judex. Ergo.

Dicunt adesse Ecclesiam universam, cujus consensu accedente fit irreformabile et infallibile judicium pontificis. Ita quarta propositio Declarationis triginta quatuor episcoporum Gallicanorum decimo nono martii 1682, his terminis : « In fide quæs-
» tionibus præcipuas summi pontificis esse
» partes, ejusque decreta ad omnes et ad
» singulas Ecclesias pertinere, nec tamen
» irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ
» consensus accesserit. » Et hæc videtur epocha hodiernæ sententiæ Gallorum, quæ, licet ex hucusque dictis confutata maneat, juvat tamen ex absurdis quæ ex illa sequuntur specialiter eam impugnare. Unde sit

§ VIII. — *Probatur conclusio ex absurdis adversæ sententiæ :*

Si summi pontificis judicium non sit infallibile in quæstionibus fidei et morum nisi

ex consensu Ecclesiæ, *sequitur* 1° quod pontifex infallibilitatem suam mutuet ab Ecclesia, sicque quod Ecclesia non sit fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia; quod Petrus non pascat oves, sed oves pascant Petrum; quod Petrus non confirmet fratres in fide, sed fratres Petrum confirment: quæ sunt aperte contraria S. Scripturis.

Sequitur 2° quod summus pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis quam episcopus minimæ diœceseos: hic enim definiat aliquid de fide et suis diœcesanis proponat credendum, si accedat consensus cæterorum episcoporum, judicium ejus erit infallibile. Idem dici potest de judicio simplicis pastoris aut doctoris: atqui *consequens est absurdum* et a S. Scripturis ac tota traditione prorsus alienum. Ergo.

Sequitur 3° fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum et firmum cui assensu fidei adhæreant. Quæro enim qualis Ecclesiæ assensus requiratur? an totius Ecclesiæ, an majoris partis, an minoris, puta, unius provinciæ vel nationis? Non hoc ultimum; quo jure enim hæc unius provinciæ vel nationis ecclesia conferret pontifici infallibilitatem quam non habet? Non primum, alioquin sufficeret dissensus unius vel alterius episcopi aut fidelis ad infirmandum judicium summi pontificis, sicque nullum unquam erit infallibile. Insuper, quomodo et quando posset haberi consensus episcoporum et fidelium qui sunt in Indiis orientalibus et occidentalibus? Et interim fideles fluctuabunt et hæreses grassabuntur. Non denique secundum: 1° quia, ut modo dicebam de tertio, unde pars Ecclesiæ etsi major, et non tota Ecclesia, habet infallibilitatem quam tribuat pontifici? 2° Quis dinumerabit partes consentientes, ut dignoscatur an major pars adhæreat? quis hunc consensum fidelibus annuntiabit? Id ab exordio Ecclesiæ novimus semel factum occasione bullæ *Unigenitus*, cui tamen nec omnes obediunt. Quid vero de innumeris de quibus id non est factum? quid de futuris de quibus non est credibile quod unquam fiet? Interim nullus fidelis tenebitur assensum fidei præbere decretis pontificiis; nemo enim tenetur nec potest assentire fide divinæ nisi auctoritati quam certo novit infallibilem, quia fidei non potest subesse falsum: sicque quilibet suo arbitrio dimittetur, et, ut modo dicebam, hæreses grassabuntur et vires accipient. 3° Si sufficiat assensus majoris partis, non est quod tanto zelo disputent Galli: cum enim, iis exceptis, omnes aliæ ecclesiæ, ad minus tres partes totius universitatis, agnoscant summum pontificem infallibilem, nullum ab eo dimanat decretum ex cathedra quod non recipiatur a majori parte Ecclesiæ.

At, inquiunt, debet acceptari prævio examine, *D.* Prævio examine, ut intelligatur quid contineat, *C.* ut tanquam dubium aut erroneum reformetur, *N.* Alioquin contingere posset quod tres partes Ecclesiæ cum pontifice errarent in fide, et sola Gallia sine summo pontifice servaret veram fidem. Insuper, unde fideles cognoscere certo poterunt omnes episcopos prævio examine acceptasse? Quousque autem id rescient, fluctuabunt, assensum fidei præbere nec tenebuntur nec poterunt: ubi ergo erit fides Ecclesiæ? ubi Ecclesia?

Liceat insuper paulum expendere terminos celebris Declarationis. Dicitur, *in quæstionibus fidei præcipuas summi pontificis esse partes.* Quæro quæ sint istæ *præcipuæ partes*? an quod summus pontifex præemineat concilio generali? minime, concilio enim generali subjicitur in secundo articulo declarationis: an quod ejus judicium prævaleat judicio concilii provincialis, aut saltem cujuslibet episcopi? nequaquam; juxta enim systema adversariorum, quilibet episcopus habet jus examinandi judicium pontificis, et illud, si non probet, rejiciendi: porro judex qui habet jus recognoscendi, examinandi et improbandi judicium alterius, non se agnoscit illi inferiorem, sed potius superiorem. Dicitur item, pontificis *decreta ad omnes et ad singulas ecclesias pertinere.* At quomodo *ad omnes ecclesias*, si quilibet episcopus possit illud decretum reprobare et supprimere? Et, *dato* quod episcopus illud judicium probet et suis diœcesanis intimet atque ejus receptionem præcipiat; non tenebuntur ideo diœcesani, nec poterunt illud acceptare assensu fidei, donec ipsis innotescat consensus totius vel saltem majoris partis Ecclesiæ, quia eo usque est fallibile et reformabile; assensus autem fidei, *ut dictum est*, præberi non potest nisi veritati certo infallibili: et quomodo ac quando fideles plebeii et rustici cognoscent hunc

Ecclesiæ consensum accessisse? *Patet* ergo evidenter hæc esse verba et nihil amplius.

Petes 1° utrum ista Declaratio sit definitio ecclesiæ Gallicanæ?

R. negative. Quia ex centum et triginta episcopis ecclesiæ Gallicanæ, tantum triginta quatuor huic conventui adfuerunt, nec alii advocati sunt, et qui ab absentibus comprovincialibus missi sunt non habebant auctoritatem de doctrina judicandi et definiendi.

Petes 2° quis fuerit academiæ Parisiensis sensus circa hanc aliquorum episcoporum Declarationem?

Respondet Hyacinthus Serry, ejusdem academiæ doctor, qui circa id tempus stadium licentiæ decurrebat, Opusc. de Romano Pontifice, pag. 265, eam in condendis iis doctrinæ articulis partem nullam habuisse, et in acceptanda hac Declaratione, dum ad ipsam Regis Christianissimi jussu transmissa est, vim non modicam passam esse : cum enim senatus princeps regiique cognitores ad Academiæ comitia se contulissent, ut sancitos doctrinæ articulos a doctoribus recipi et in publicas Academiæ tabulas referri curarent, tam acres inter doctores excitatæ sunt turbæ, dissidia tanta, ut, re infecta, senatus princeps abscesserit. Tum, post dies aliquot, non expectata magistrorum deliberatione, nulloque illorum assensu quæsito, in supremam senatus curiam advocatus est publicus Academiæ notarius et scriba, die decima sexta junii, missisque quibusvis formulis, cleri Gallicani Declarationem Academiæ tabulis inscribere jussus est. Quod vero postea baccalaurei qui stadium licentiæ decurrebant illos ipsos articulos, per aliquot annos, thesibus suis inscripserint ac etiam propugnarint, ut possent ad magisterii gradum promoveri, non Academiæ statutum aut jussum, sed debitum Regi Christianissimo obsequium fecit, qui ita, supplicante clero, solemni edicto mandaverat mense martio. Ita laudatus theologus. *Ex quibus patet* quam avitæ doctrinæ de juribus pontificiis esset adhuc tenax celebris Academia anno 1682.

Petes 3° quem exitum habuerit hæc Declaratio?

R. 1° Innocentius XI, per litteras in forma brevis datas undecimo aprilis ejusdem anni 1682 improbavit, rescidit et cassavit quæ in dictis comitiis peracta fuerant, eaque perpetuo irrita et inania declaravit. Alexander VIII, Innocentii successor, ejus vestigiis inhærens, solemniori constitutione quæ incipit *Inter multiplices*, data quarto augusti 1690, sic decernit: « Motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia et singula quæ tam quoad extensionem juris regaliæ, quam quoad Declarationem de potestate ecclesiastica ac quatuor in ea contentas propositiones, in supra dictis comitiis cleri Gallicani, anno 1682 habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis et decretis, a quibusvis personis, sive ecclesiasticis, sive laicis, quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate fungentibus, editis seu publicatis..... ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab ipso initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri..... tenore præsentium declaramus et decernimus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, acta et gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, improbamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. »

2° Qui his comitiis adfuerant, ad sedes episcopales, sive novas sive alteriores, a Rege Christianissimo nominati, ut diploma pontificium ab Innocentio XII obtinerent, supplices ei litteras dederunt anno 1692, quibus profitebantur se de gestis hujusmodi (nempe comitiorum cleri Gallicani anno 1682) *vehementer quidem et supra omne id quod dici potest, ex corde dolere*, ac quæcumque in præfatis comitiis, sive circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem ecclesiarum deliberata, pro non decretis nec deliberatis habere et habenda esse; serio insuper spondentes se ita in posterum gesturos ut nihil peni-

tus de vera eorum erga sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipsarum ecclesiarum defendendis zelo desiderandum supersit. De qua excusationis formula conventum erat inter administros summi pontificis et Regis Christianissimi, scilicet eminentissimos principes Franciscum Albani et Balduinum Ponciatici ex parte pontificis, et Cæsarem d'Estrées, nec non Tussanum Janson de Forbin, ex parte Regis.

3° Cum Rex Christianissimus dato edicto has quatuor Declarationis propositiones ab omnibus teneri et tradi jussisset, ipse postea ad eumdem Innocentium XII scripsit se nuperrime regium illud edictum, quo in his cleri Gallicani comitiis edita de potestate ecclesiastica Declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum sit ac exploratum. Hæc sunt Christianissimi Regis epistolæ verba gallice : « Je suis bien aise de » faire savoir à votre Sainteté que j'ai donné » les ordres nécessaires, afin que les affaires » contenues dans mon édit du 23 de mars » 1682, concernant la Déclaration faite par » le clergé de mon royaume (à quoi les con» jonctures d'alors m'avaient obligé) n'au» raient point de suite. Et comme je sou» haite non seulement que votre Sainteté » soit informée de mes sentimens, mais aussi » que tout le monde sache, par un témoi» gnage public, la vénération que j'ai pour » ses grandes qualités, je ne doute pas aussi » que votre Sainteté n'y réponde par toutes » sortes de preuves et de témoignages de » son affection paternelle envers moi, etc. » Hæc et præcedentia legimus partim in opusculo cui titulus : *Romani pontificis Privilegia, Venetiis*, 1734, p. 378 et 414, cum approbatione ; partim in altero opusculo Hyacinthi Serry, *De Romano Pontifice*, p. 266 et 267; partim alibi.

§ IX. — *Præcluditur commune et præcipuum effugium adversariorum.*

Quæcumque hucusque ex S. Scriptura, Patribus, conciliis, pontificibus, theologis, etc., pro infallibilitate Romani pontificis protulimus, adversarii accipiunt dicta non de homine sedente in cathedra Petri, sed de ipsa cathedra, de sede Romana, de ecclesia Romana, et, ut quidam dicunt, quod idem est, de serie et successione Romanorum pontificum; ita ut sensus sit cathedram Petri, sedem Romanam, ecclesiam Romanam esse infallibilem et nunquam defecturam in fide; quod si contingat unum pontificem deficere, a successoribus emendabitur, sicque fides remanebit semper in sede Romana, in cathedra Petri, in ecclesia Romana : et in hunc finem laudant illud celebre dictum S. Leonis, Epist. 53 ad Anatolium : *Aliud sunt sedes, aliud sedentes*, et quia alioquin, inquiunt, moriente pontifice deficeret seu periclitaretur fides Ecclesiæ.

Præter illa quibus jam hinc et inde istam intelligentiam confutavimus, præterquam quod plura testimonia quæ protulimus adscribant infallibilitatem non solum sedi aut cathedræ Petri, vel ecclesiæ Romanæ, sed ipsi sedenti et ipsi pontifici, etiam quandoque ejus nomine expresso; præter hæc, inquam,

Quæro nunc tantum quid intelligant per sedem et cathedram Petri seu ecclesiam Romanam? an quæ in ambitu urbis Romæ continetur? an ecclesiam universam seu catholicam? Video enim quosdam intelligere ecclesiam urbis Romæ, alios Ecclesiam universam; imo eumdem modo intelligere ecclesiam urbis Romæ, modo universam, secundum quod argumentis premuntur.

Si intelligant ecclesiam quæ in ambitu urbis Romæ continetur, nunquam summus pontifex aliquid fidei definit ex cathedra, quin habeat ecclesiam urbis Romæ consentientem, tum quia illam consulit in præcipuis ejus membris, tum quia ipsa definitis a pontifice statim annuit : sicque pontifex definiens ex cathedra semper est infallibilis.

Si intelligant Ecclesiam catholicam et universam, contradicunt aperte S. Scripturæ in tribus locis prima probatione allatis, in quibus probavimus dignitatem fundamenti Ecclesiæ, pastoris Ecclesiæ, confirmatoris fratrum, unde sequitur infallibilitas, soli Petro et non toti Ecclesiæ esse traditam. Contradicunt idem traditioni, et toti retro antiquitati, decretis conciliorum et summorum pontificum, patribus, theologis, sibimetipsis; etenim SS. Patres, concilia, pontifices, theologi quos laudavimus, ipsimet adversarii, dicunt ecclesiam Romanam, quam superbæ inferorum portæ non vincunt, ad quam perfidia non potest habere accessum, quam denique agnoscunt

esse infallibilem, esse matrem et magistram omnium ecclesiarum, centrum unitatis ecclesiasticæ, unde sacerdotalis unitas orta est, ad quam omnes ecclesias necesse est convenire; Ecclesiam esse in ea fundatam, plura similia: palam est autem hæc dici non posse de Ecclesia universa, cum præter illam nullæ sint ecclesiæ. Quid enim est Ecclesia universa, quam omnes ecclesiæ simul sumptæ? totum autem non distinguitur a partibus simul sumptis. Non potest ergo dici de Ecclesia universa, quod sit mater et magistra omnium ecclesiarum, sicut non potest dici quod sit pater et magister sui ipsius; neque quod sit centrum unitatis, sicut omnes lineæ non possunt esse centrum cujusque lineæ; neque quod ab ea sacerdotalis unitas oriatur, cum ipsa sit sacerdotalis unitas; neque quod ad eam alias ecclesias convenire necesse sit, cum præter illam, ut dictum est, non sint aliæ; neque quod Ecclesia sit in ea fundata, alias esset in seipsa fundata. Denique dignetur studiosus lector attendere ad testimonia quæ protulimus, vix unum reperiet quo ista exotica interpretatio non confodiatur.

Quantum ad dictum S. Leonis, indubie aliud sunt sedes, aliud sedentes: sedes est nomen auctoritatis, dignitatis et officii; sedens est nomen personæ auctoritatem, dignitatem et officium obtinentis; eoque significatur eum qui habet auctoritatem et officium non semper agere ex auctoritate et officio, sicque Romanum pontificem posse non agere ex officio pontificio, sed se gerere ut privatam personam, quod nihil juvat adversarios nec nobis nocet.

Ad id quod addunt de pontifice mortuo, respondet Cano, lib. 4 de Locis Theologicis, cap. ultimo, quod « Mortuo summo » pontifice una sine dubio Ecclesia manet, » et manet in ea Spiritus veritatis; sed » manca et diminuta, sine Christi vicario » et Ecclesiæ uno pastore, relinquitur. Quo» circa, licet veritas tunc etiam in Ecclesia » sit (non enim est in solo pontifice passive), » at si controversiæ fidei et religionis orian» tur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris » non adeo certa eraut. »

Instant. Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur inde quod Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum ædificium Ecclesiæ in eo fundatum sit in æternum permansurum : *falsum consequens.* Ergo.

R. præter solutionem huic instantiæ jam superius datam, D. sequelam. Si per petram et fundamentum intelligatur persona Petri physice et entitative, sequitur, etc., *C.*, si intelligatur persona Petri moraliter, id est ipsa ejus dignitas, auctoritas, jurisdictio et doctrina, sequitur, etc. *N. sequelam et ejus probationem.* Hæc enim, moriente Petro, virtute perseverant in Ecclesia et ad ejus successores transeunt : sicut, moriente rege, non perit regnum, quia remanent dignitas, auctoritas, jurisdictio, quæ transeunt ad successores.

Petes utrum qui propositionem a summo pontifice damnatam defenderet esset hæreticus?

R. juxta id quod diximus initio, infallibilitatem summi pontificis non esse de fide obligante, quod non esse hæreticus, sed temerarius, nisi forte condemnationi pontificis accederet consensus Ecclesiæ; quia est de fide obligante quod Ecclesia sit infallibilis in proponendis revelatis.

ARTICULUS VI.

Solvuntur objectiones.

Objectiones præcipue petuntur ex inutilitate conciliorum si summus pontifex sit infallibilis, ex dissidio inter SS. Cyprianum et Stephanum, et ex sententiis S. Augustini in hanc rem; ex pluribus pontificibus qui dicuntur errasse, aut se agnovisse fallibiles, aut quos plures ecclesiæ et viri sancti reputarunt fallibiles. Ut hæc omnia ordine solvamus, sit

§ I. — *Solvuntur objectiones petitæ ex inutilitate conciliorum et ex SS. Cypriano et Augustino.*

Obj. 1° Si summus pontifex sit infallibilis in quæstionibus fidei et morum definiendis, inutilia sunt concilia generalia : *falsum consequens :* ergo, *Patet sequela;* quia pontifex, hoc ipso quo est infallibilis, potest se solo absque concilio omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire. Ergo.

R. N. sequelam. Ad probat. D. ant. Summus pontifex potest se solo absque concilio omnes fidei et morum controversias judicio irreformabili definire, et simul potest se solo absque concilio æque efficaciter hæreticorum proterviam reprimere, pertinaciam frangere, tumultus sedare, media execu-

doni definitionum idonea providere, *N.* et hæc se solo non potest æque efficaciter, *C.* et *N. conseq.* Itaque per se absolute non sunt necessaria concilia generalia ad certam et infallibilem veritatis definitionem contra hæreticos; quot enim hæreses ante primum concilium generale Nicænum, et etiam secutis temporibus, a solis pontificibus Romanis absque conciliis generalibus fuerunt irretractabiliter damnatæ! Per accidens tamen sunt quandoque necessaria aut saltem valde utilia, tum ad reprimendam hæreticorum tumultuantium audaciam et eorum pertinaciam frangendam, facilius quippe et cum minori verecundia ceditur omnibus quam uni; tum ad faciliorem et efficaciorem decretorum executionem, quatenus omnes omnium nationum episcopi eis subscribunt et profitentur se illa amplecti et illorum executionem suis diœcesanis demandaturos. Item melius innotescunt singularium provinciarum necessitates et mores, quæque media sunt unicuique adhibenda ad occurrendum gliscenti errori et ad legum ac decretorum observantiam promovendam; quod enim convenit Italiæ vel Germaniæ, forte non proderit Galliæ aut Hispaniæ: sicut enim corporum, ita et morum est varia complexio.

Hinc occurritur variis instantiis quas petunt ex convocatione conciliorum, etiam post jam damnatas a summis pontificibus hæreses. Sic Cœlestinus hæresim Nestorii damnaverat, sed non extinxerat, propter potentissimos Nestorii amicos et defensores; et ideo fuit necessaria convocatio synodi Ephesinæ, ut opportunis remediis hæreticorum vesania comprimeretur, hæresis progressus sisteretur et catholicorum fides muniretur. Sic S. Leo, in epistola celebri ad S. Flavianum, Eutychianam hæresim damnaverat; sed quia Dioscorus et alii in Latrocinio Ephesino eam rejecerant ut Nestorianam, Flavianum verberibus et plagis affecerant atque ejecerant, imo et adversus S. Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari synodum Chalcedonensem, ut hos tumultus sedaret et tot malis occurreret.

Inst. S. Leo permisit suam epistolam in concilio examinari, tanquam *in pleniori concilio*, ut scribit in epist. ad Theodorum imperatorem; et in epistola ad Theodoretum, quæ est 63, gratulabatur sibi quod id quod prius decreverat, *universæ fraternitatis firmaverat assensus.* Ergo.

R. Vidimus art. præced. § 4, patres Chalcedonenses ante examen jam recepisse epistolam S. Leonis et sæpe acclamasse: *Petrus per Leonem locutus est, ita credimus:* unde postea epistolam jam receptam, annuente S. Leone, examinaverunt, non quod suspicarentur inesse illi errorem, *ut patet*, nec quasi haberent auctoritatem illam restruendi, sed ut, veritate intellecta, et ab omnibus admissa, Eutychianorum, qui jactabant illam ut Nestorianam, clamorem sisterent et calumniam depellerent: vide loco citato. Dixit autem S. Leo *pleniori concilio*, idest solemniori, quatenus patres Chalcedonenses in eamdem sententiam cum ipso, tanquam membra cum capite, conspirabant; vel dixit *pleniori*, respective ad Latrocinium Ephesinum, a quo fuerat appellatum. Gratulatur sibi quod *universæ fraternitatis assensus firmaverit* suum decretum, non quod crederet ipsum infirmum, sed quia ex hoc universali assensu majus robur acceperit ad debellandos et conterendos hæreticos, sicut dicimus decreta concilii Nicæni firmari sequentibus conciliis.

Itaque frustra laborant qui, ad infirmandam Romani pontificis infallibilitatem, concilia generalia congerunt quæ hæreses jam a pontificibus damnatas novo judicio damnarunt; hujus enim causa fuit non insufficiens et fallibilis in Romano pontifice judicandi potestas, sed hæreticorum audacia, protervia, contumacia ei facilior definitionum executio.

Obj. 2° S. Cyprianus, doctrina et sanctitate conspicuus, Stephano papæ definienti non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, restitit cum pluribus episcopis Africanis: ergo ipse non agnoscebat summum pontificem infallibilem, nec infallibilis tunc habebatur in Ecclesia.

R. 1° *Quantum ad primum illatum*, non est mirum Cyprianum, qui errabat circa baptismum hæreticorum, errasse circa infallibilitatem summi pontificis: familiare est enim hominibus et humanæ fragilitati consentaneum, ut qui semel errorem induerunt quem auctoritate fultum existimant, non agnoscere auctoritatem a qua proscribitur, hoc delusi principio male intellecto, quod oporteat Deo magis obedire quam hominibus. *Quantum ad secundum illatum*, *illud nego.* Quot enim episcopi

olim conciliis generalibus Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, etc., restiterunt! Indene sequitur concilia generalia non habita fuisse infallibilia ab Ecclesia?

Dices haud dubie hos episcopos fuisse hæreticos, S. Cyprianum autem sanctum. Equidem sanctum et sanctissimum veneramur, at non quia Stephano ejus errorem damnanti restitit, sed quia errorem, ut præsumitur, retractavit, unitatem servavit, in communione Ecclesiæ obiit, fuso pro Christo sanguine. His titulis S. Augustinus ejus culpam attenuat, at non omnino excusat. Vide quæ late de his diximus in digress. hist. ad dissert. 5 de Sacrament. in genere, sect. 3 et 4. Sed, his omissis,

R. 2° *solutione communi. N. utrumque illatum;* quia quæstionem de baptismo hæreticorum iterando S. Cyprianus nunquam apprehendit pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantum; nec illam ut fidei dogma definivit ex cathedra Stephanus. Duplex itaque quæstio hic est distinguenda: prima, an invalidum sit baptisma hæreticorum; secunda, an sint rebaptizandi ab hæreticis baptizati. Prima est speculativa et ad fidem pertinet; secunda est disciplinæ et praxim spectat: Stephanus autem, intacta prima quæstione, secundam prohibuit, jussitque nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius; idque non per decretum solemne toti Ecclesiæ directum, sed per rescriptum in litteris privatis ad S. Cyprianum et collegas; quod sic refert S. Cyprianus, Epist. 74 ad Pompeium (ab eo enim solum illud novimus): « Si quis ergo » a quacumque hæresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus » illi imponatur ad pœnitentiam. » Unde S. Aug. lib. 2 de Bapt. cap. 19: « Consuetudinis robore, inquit, tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere » volentibus novitatem. » Neque etiam illud rescriptum tanquam Sedis apostolicæ decretum ex cathedra habuit S. Cyprianus, siquidem, teste S. Augustino, lib. 2 cont. Donat. c. 7, « Nondum erat diligenter, *tempore Cypriani*, illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia. « Quod autem nondum erat sufficienter pertractatum et discussum non potuit proponi tanquam decretum Sedis apostolicæ et articulus fidei: unde *objectio non militat contra conclusionem*, quæ est de infallibilitate summi pontificis loquentis ex cathedra in controversiis fidei. *Hanc responsionem multis momentis probavimus* digress. mox citata, sect. 1, ubi plura quæ contra objiciunt adversarii præoccupata et soluta reperies. Vide.

Inst. 1° Stephanus definiens non esse rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, supponebat eorum baptisma esse validum; id saltem ex definitione inferri poterat. Ergo.

R. hic non agi de suppositione vel illatione, sed de definitione ex cathedra. Quidquid in mente habuerit Stephanus, constat nihil aliud definivisse quam ut *nihil innovaretur*, sive teneret de fide istud baptisma esse validum, sive tantum ut quid certius haberet. Neque, ut dictum est, id definivit ex cathedra.

Inst. 2° Etsi Stephanus definivisset ex cathedra, tanquam fidei dogma, validum esse baptisma hæreticorum, et ab ipsis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisset illi acquiescere S. Cyprianus. Ergo. *Prob. ant.* ex S. Augustino, lib. 2 de Bapt. cont. Donat. cap. 4, ubi dicit: « Nec nos » ipsi tale quid auderemus asserere, nisi » universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui et ipsi sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur. » Ergo juxta S. Augustinum solius concilii plenarii, et non Romani pontificis judicio acquiescere tenemur.

R. N. conseq. Sensus namque S. Augustini est, quod non auderet asserere, scilicet ut fidei dogma, sicut tunc asserebat cum hæc dicebat contra Donatistas, baptisma hæreticorum esse validum, et non esse rebaptizandos ab eis baptizatos, nisi id definitum fuisset in concilio generali; quia solum concilium generale id definierat ut dogma fidei, et non Stephanus, cujus ætate nondum satis eliquata et discussa erat hæc quæstio, et qui novitati opponebat tantum antiquam consuetudinem, ut dicit ipse S. Augustinus. Unde per hæc xerba S. Augustinus non intendit infallibilitatem judicii pontificii excludere, sed infallibilitatem concilii asserere: sicut, si de propositione a concilio Tridentino definita dicerem: Hanc propositionem non auderem asserere si a concilio Tridentino non esset definita, male quis inde inferret me denegare

infallibilitatem summo pontifici et soli concilio Tridentino tribuere ; nulla enim fit ibi comparatio inter concilium et pontificem, sic ut unum dicatur infallibile, et alter fallibilis, sed sensus planus est : Audeo asserere hanc propositionem, ut doctrinam fidei, quia concilium Tridentinum, quod est infallibile, eam definivit et nullus alius qui sit infallibilis eam definivit.

Deinde attendendum est ad scopum S. Augustini; S. doctor agebat contra Donatistas, qui exemplo S. Cypriani nitebantur et abutebantur; contra quos sic arguit ad hominem : Si hæc quæstio fuisset in concilio plenario eliquata et definita, S. Cyprianus ad quem provocatis, illi contra propriam sententiam acquievisset : quare ergo, cum jam sit per plenarium concilium definita, vos non acquiescitis? Quo argumento nullatenus negatur infallibilitas Romani pontificis.

Cæterum S. Augustinum agnovisse infallibilitatem non solum in concilio plenario, sed etiam in summo pontifice, ausumque fuisse asserere ut dogma fidei quod nondum in concilio plenario fuerat definitum, evidentissime patet in causa Pelagianorum, quam ex solo judicio Innocentii I asseruit esse finitam, nec Pelagianis superesse appellationem ad concilium generale.

Inst. 3° S. Aug. lib. 1 de Bapt. cont. Donat. c. 18, hæc habet : « De baptismi ergo » quæstione jam, quantum arbitror, satis » disserui; et quia hoc manifestissimum » schisma est, quod Donatistarum nomine » nuncupatur, restat ut hoc de baptismo » pie credamus quod universa Ecclesia a sa- » crilegio schismatis remota custodit. In » quantum si aliud alii et aliud alii adhuc » de ista quæstione sentirent, donec uni- » versali concilio unum aliquid eliquatum » sincerumque placuisset, humanæ infir- » mitatis errorem cooperiret charitas unita- » tis, sicut scriptum est, quia *charitas ope- » rit multitudinem peccatorum ;* qua enim » absente cætera inaniter habentur, eadem » præsente quædam venialiter non haben- » tur. » Ergo ut ante solum generalis concilii est infallibile judicium.

R. N. conseq. Loquitur S. Augustinus de causa rebaptizantium pro eo statu in quo erat tempore S. Cypriani, quando nec papa eam definierat quoad doctrinam, nec aliquod concilium generale de ea pronuntiaverat (tempore enim quod loquebatur S. Augustinus erat definita in concilio generali, ut ipse sæpe affirmat) ; dicit itaque quod in hac hypothesi foret quidem peccatum non acquiescere jussioni pontificis et consuetudini generali, sed *si infirmitatis errorem cooperiret charitas*, ut in S. Cypriano (id enim dicit ad ejus aliqualem excusationem), peccatum veniale redderet. *Ex quo patet* S. Cyprianum peccasse resistendo papæ, quod non placet adversariis. Dicit item S. Augustinus, *donec universali concilio aliquid eliquatum esset* : non quod excludat judicium papæ, non enim facit comparationem inter utrumque, ut mox dicebam, et alioquin excluderet pariter judicium Ecclesiæ dispersæ, quod non admittunt adversarii; sed quia post S. Cyprianum causa fuerat definita non a pontifice, sed a concilio generali, et indubie sufficienter. Non negat autem S. Augustinus etiam a pontifice potuisse ultimate definiri, neque id unquam negavit, quin potius contrarium diserte asseruit in causa Pelagianorum et alibi, ut vidimus. Unde, si hos et similes S. Augustini textus ad nostrum sensum non intelligas, ipsum cum ipso conciliare non poteris.

§ II. — *Solvuntur objectiones ab exemplis summorum pontificum qui dicuntur errasse.*

Revocandum est in memoriam quæstionem procedere de summo pontifice loquente ex cathedra in controversiis fidei et morum; ipsum autem loqui ex cathedra, quando ex plenitudine potestatis universam Ecclesiam alloquitur et docet, proponendo ei aliquid fide divina credendum. Quapropter, sive colloquendo, sive disputando, sive interpretando S. Scripturam aut Patres, sive consultando, sive proponendo rationes rei definitæ, sive respondendo litteris aut consultationibus privatis propriam opinionem exponat, non loquitur ex cathedra neque est infallibilis. Hac observatione adhibita, ut plurimum evanescunt adversariorum argumenta ex hoc capite petita. Sit itaque primo,

S. PETRUS, ZEPHERINUS, STEPHANUS I, MARCELLINUS, LIBERIUS.

Obj. 1° S. Petrus dicitur bis errasse in fide : 1° quando negavit Christum tempore passionis ; 2° quando Antiochiæ post ascen-

sionem observavit legalia et gentes coegit judaizare : qua de causa fuit reprehensus a Paulo.

R. ad primum, S. Petrum negasse Christumore tenus, non corde : ita interpretantur communiter SS. Patres : et *esto* corde negaverit, nondum erat tunc pontifex constitutus, nec Ecclesiam universam docebat.

Ad secundum. Petrus deliquit observando legalia, *non falsi prædicatione, sed imprudenti conversatione*, inquit S. Augustinus, Epist. 9 et 19 ad S. Hieronymum ; quatenus advenientibus Antiochiam Judæis, se scrupulosius subducebat mensis gentilium conversorum cum quibus antea convivebat, præbens hoc facto ansam Judæis et gentilibus credendi adhuc necessario observanda esse legalia, quod tamen ipse Petrus nec credebat nec intendebat, cum auctor fuisset decreti ea de re editi in concilio Jerosolymitano ; et ideo reprehendit ipsum Paulus, non quia male docebat, sed quia imprudenter agebat cum aliorum scandalo. Confer quæ de isto facto scripsi in tract. de Religione, digress. hist. ad calcem dissert. 9. Adde quod, etsi Petrus non habuisset privilegium infallibilitatis ut pontifex, habuisset saltem ut Apostolus; omnes enim Apostoli illapsu Spiritus sancti in die Pentecostes sic in fide confirmati sunt, ut nullus posset ab ea excidere.

Obj. 2° Zepherinus, ineunte sæculo tertio, approbavit insanas Montani, Priscæ et Maximillæ prophetias, ex Tertull. lib. contra Praxeam c. 1, ubi dicit « Romanum » pontificem (communis putatur Zepheri» nus) cognovisse prophetias Montani, Pris» cæ et Maximillæ, et propterea litteras » suas misisse ad Montanistas, quas tamen » postea revocare coactus est. » Ergo.

R. Tertulliano puro putoque Montanistæ, dum scripsit contra Praxeam, nullam fidem esse adhibendam. Et *esto* Zepherinum errore facti deceptum dedisse Montanistis litteras communionis, fraude detectas eas revocavit, unde nihil contra nos.

Obj. 3° Stephanus, decreto suo contra rebaptizantes, in errorem oppositum lapsus est approbando promiscue omne baptisma hæreticorum, etiam eorum qui non baptizabant in nomine Trinitatis. Ergo.

R. N. ant. quod ex professo et invicte expugnavimus digress. hist. ad dissert. 5 de Sacramentis in genere, sect. 5. Require.

Inst. S. Cyprianus hunc errorem tribuit Stephano : ergo saltem ipse non credebat eum esse infallibilem.

R. 1° *N. ant.* cujus contrarium loco mox citato probavimus. 2° *Dato gratis ant. N. conseq.* Potuit enim hunc errorem Cyprianus Stephano tribuere, vel quia putavit eum ex cathedra non definivisse, et ejus rescriptum pertinere ad disciplinam ; vel quia æstu disputationis abreptus aliquid humani erga Stephanum passus est, ut fatetur S. Augustinus. Confer resp. 1 ad. obj. 2 § præced.

Obj. 4° Marcellinus, anno circiter 302 in persecutione Diocletani, thus idolis adolevit in templo Isidis et Vestæ, teste Baronio in Annal. et ea de causa congregatum fuit concilium Sinuessanum. Ergo.

R. 1° lapsum Marcellini communius aberuditis reputari commentitium, et concilium Sinuessanum fictitium : ita continuatores Bollandi, Tillemontius, Natalis Alexander, Pagius, etc., contra nitente tamen Cabassutio et Binio. 2° Sed *dato ant.* Quis ita desipiat, ut dicat pontificem metu mortis thura idolis adolentem, universam Ecclesiam docere, ipsi præcipere idololatriam fide divina credendam ? de quo tamen solo est quæstio.

Obj. 5° Liberius subscripsit hæresi Arianæ et damnationi S. Athanasii, cujus causa erat conjuncta cum causa fidei, quatenus erat illius strenuus propugnator, atque communicavit cum episcopis Arianis. Ergo.

R. 1° *N. ant. pro prima parte ;* sed subscripsit Liberius formulæ secundum se catholicæ, ut sat prolixe probavi in digress. hist. ad dissert. procem. tract. de Trinitate: vide. *Ad secundam partem ant.* Subscripsit Liberius damnationi S. Athanasii, quia existimavit ejus causam esse a fidei causa sejunctam, et S. Athanasium fuisse damnatum ob delicta disciplinam et mores spectantia, de quibus fuerat revera accusatus. *Ad tertiam partem ant.* Liberius communicavit cum episcopis Semiarianis, qui se damnasse Arium et esse catholicos simulabant.

R. 2° *Dato ant. quoad omnes suas partes*, nemo somniabit pontificem in exilium actum, minis perterrefactum, libertatis desiderio victum, subscribentem oretenus formulæ Arianæ et damnationi S. Athanasii,

atque cum hæreucis communicantem, locutum fuisse ex cathedra, et ex plenitudine potestatis obligasse universam Ecclesiam subscribere Arianismo; quod solum tamen hic vertitur in quæstione.

ZOZIMUS.

Obj. Zozimus, Innocentii I successor, approbavit ut catholicum libellum Cœlestii Pelagiani, in quo aperte negabat peccatum originale; dicebat enim, ut refert S. August. de Peccato Orig. cap. 2, 3 et 6, quod » Peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, et non » generi humano; quod infantes qui nas» cuntur in eo statu sint in quo fuerit Adam » ante transgressionem.» Addebat in eodem libello Cœlestius: « In remissionem peccato» rum baptizandos infantes non idcirco » diximus, ut peccatum ex traduce firmare » videamur, quod longe a catholico sensu » alienum est; quia peccatum non cum ho» mine nascitur. » Libellum hunc, inquam, in quo tam apertæ hæreses legebantur, a Zozimo dictum fuisse catholicum testatur S. Augustinus citatus. Ergo.

R. 1° *D. ant.* Zozimus libellum Cœlestii in quo negabat peccatum originale approbavit ut catholicum, habita ratione propositionum et dogmatum quæ continebat, *N.* habita ratione mentis, affectus et modi loquendi auctoris qui hunc suum errorem non absolute asserebat, sed ad modum dubitantis tantum proponebat, petens instrui, sensum suum judicio Sedis apostolicæ submittens, paratus corrigere quidquid corrigendum judicaret, *C.* Nihil autem prohibet quominus liber sub tali consideratione quæ pertinaciam ab auctore excludit, possit dici catholicus. Porro hujusmodi fuisse libellum Cœlestii constat ex S. Aug. qui, lib. 2 ad Bonif. cap. 2, refert Cœlestium in libello scripsisse: « Non ego quasi auctor » alicujus dogmatis definita hæc auctoritate statui, sed ea quæ de Prophetarum et » Apostolorum fonte suscepi vestri, apostolatus offerimus probanda judicio, ut si » forte tanquam hominibus quispiam ignorantiæ error irrepserit, vestra sententia » corrigatur. » Et interpellatur a Zozimo de Innocentii litteris qui Pelagium damnaverat, respondit « Se eis consentire, et se » omnia quæ Sedes apostolica damnaret » damnaturum promisit. » His itaque motus Zozimus et horum habita ratione, libellum approbavit, absque eo quod unquam falsum dogma probaverit et peccatum originale negaverit. Hæc responsio est S. Augustini, qui loco citato sic discurrit: « Quæ» nam tandem epistola venerandæ memoriæ papæ Zozimi, quæ interlocutio repe» ritur, ubi præcipit credi oportere sine » ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam » omnino conscripsit. Sed, cum hoc Cœlestius in suo libello posuisset inter illa dunataxat de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est; quia et hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere. » Unde, quisquis responsionem nostram impugnare voluerit, prius expugnet S. Augustinum necesse est.

Instant tamen 1° Zozimus in epistola ad apiscopos Africanos scribit: « Censuimus » innotescere vestræ sanctitati super absoluta Cœlestii fide nostrum examen: » et paulo post de Cœlestii accusatoribus: « Quare intra secundum mensem, aut veniant qui præsentem redarguant aliter » sentire quam libellis et confessione contexuit, aut nihil post hæc tam aperta et » manifesta quæ protulit dubii vestra sanctitas resedisse cognoscat. » Ergo res examine et judicio Zozimi eo redacta erat, et fides a Cœlestio exposita integra et catholica procul dubio haberetur, istud tantum quærendum superesset, an probari possit eum aliter quam libello dixerat docuisse.

R. D. conseq. cum S. Augustino ut ante. Res judicio Zozimi eo redacta erat, ut fides a Cœlestio exposita haberetur catholica, habita ratione ejus mentis, affectus et dispositionis, *C.* habita ratione dogmatum, *N. Patet* ex S. Augustino citato; sicque approbatum fuisse Cœlestii libellum intellexerunt Africani, qui apud S. Aug lib. 2 ad Bonifacium, c. 3, respondent Zozimo: « Non » sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii » episcopi litteris consentire fatebatur, sed » aperte eum debere anathematizare quæ » in suo libello prava posuerat, ne, si id

» non fecisset, multi, parum intelligentes, » magis in libello ejus illa fidei venena a » Sede apostolica crederent approbata, » propterea quod ab illa dictum erat eum » libellum esse catholicum, quam emenda- » ta, propter illud quod se papæ Innocentii » litteris consentire ipse respondeat. » Ex quibus *patet* libellum non fuisse approbatum ratione dogmatum, sed ratione consensus promissi et dati litteris Innocentii: mirum profecto est eos qui tam acriter S. Augustinum urgent, dum putant eum adversari infallibilitati pontificiæ, ipsum nolle audire dum pontifices ab errore excusat.

Inst. 2° Facundus, Hermianensis episcopus, huic ævo proximus, pro defensione Trium Capitulorum lib. 7, c. 3, memorat: « B. Zozimum apostolicæ Sedis antistitem, » contra S. Innocentii decessoris sui senten- » tiam, fidem ipsius Pelagii ejusque com- » plicis Cœlestii, tanquam veram et catho- » licam laudantem, insuper Africanos cul- » pantem episcopos quod ab illis hæretici » crederentur. » Ergo.

R. Facundo Hermianensi viro schismatico, Trium Capitulorum pertinaci defensori adversus quintum concilium generale, nullam esse fidem adhibendam; sed audiendus S. Augustinus, qui in ea ipsa causa fuit actor contra Cœlestium.

Inst. 3° ex ipsomet S. Augustino, lib. 2 citato ad Bonifac. c. 3, ubi, postquam excusavit Zozimum, dicit: « Sed si, quod » absit, ita tunc (post acceptas scilicet con- » cilii Africani litteras) fuisset de Cœlestio » et Pelagio in Romana ecclesia judicatum, » et illa eorum dogmata quæ in ipsis et » cum ipsis papa Innocentius damnaverat, » approbanda et tenenda pronuntiarentur, » ex hoc potius esset prævaricationis nota » Romanis clericis inurenda. » Ergo supponit S. Augustinus possibile esse ut erret Romani pontificis judicium, approbando hæresim.

R. N. conseq. Modus enim iste loquendi hypotheticus non indicat rem possibilem; sæpe enim sic loquimur de rebus quas scimus impossibiles, ut cum trivialiter dicimus: *Si cœlum caderet*, etc. Unde et quandoque adjicimus: *Si per impossibile id contingeret*, etc. Quo sensu dixit Apost. Galat. 1: *Si angelus de cœlo vobis aliter evangelizet, anathema sit:* ex quo non sequitur quod Paulus crediderit angelum posse aliter evangelizare

R. 2° *ad principale argumentum.* Datis omnibus hucusque objectis, nihil sequitur contra nos: constat enim Zozimum approbantem privatim libellum Cœlestii, et scribentem privatas litteras ad episcopos Africanos, universam Ecclesiam non fuisse allocutum, nec eam obligasse ad credendum fide divina non dari peccatum originale, sicque non fuisse locutum ex cathedra, sicut postea locutus est quando, fraude detecta, Pelagium et Cœlestium solemni decreto condemnavit, missa ad omnes totius orbis episcopos condemnationis epistola quæ communiter dicta est *Tractatoria*.

HORMISDAS, VIGILIUS, HONORIUS.

Obj. 1° Hormisdas condemnavit ut hæreticam hanc famosam propositionem: *Unus de Trinitate passus est crucifixus est carne*, a monachis Scythis et pluribus aliis assertam, quam tamen Joannes II ejus successor, in epist. ad Justinianum imperatorem, et synodus quinta, C. 10, approbarunt. Ergo.

N. R. ant. pro prima parte. Non enim Hormisdas hanc propositionem damnavit ut hæreticam, sed eam rejecit ut intempestivam, inquietam et multarum dissensionum causam, seu potius, omisso judicio de ipsa propositione, objurgavit ejus intempestivos assertores, monachos Scythas, qui tanta pertinacia illam tuebantur, ut Nestorianismi accusarent quotquot illi subscribere recusabant; et ideo, in epistola 70 ad Possessorem, vocat eos, non hæreticos, sed turbulentos, pertinaces, contentionum studiis assuetos, novarum cupidos quæstionum, etc.

Respondet noster Serry, *dato* Hormisdam damnasse hanc propositionem ut hæreticam, quod eam sumpserit in sensu formali et reduplicativo, quo sensu est Eutychiana; Christus enim non est passus et crucifixus formaliter et reduplicative, ut Deus et una de Trinitate persona: Joannes autem II et synodus quinta, a quibus probata est, eam sumpserunt in sensu materiali et specificativo et per communicationem idiomatum, atque ita catholicam judicarunt, quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit quæ et passa et mortua est

Obj. 2° Vigilius papa modo probavit, modo improbavit Tria famosa Capitula quæ pertinebant ad fidem; erant enim facta dogmatica. Ergo.

R. De causa Trium Capitulorum et de Vigilio plusquam satis dixi art. 7 præced. dissert. § 4. Require.

Obj. 3° Honorius papa fuit damnatus ut hæreticus in sexta synodo œcumenica. Ergo.

R. 1° *D. ant.* Honorius fuit damnatus ut hæreticus sententia, *N. ant.* ut hæreticus favore, id est, ut fautor hæreticorum, quatenus jussit taceri voces unius vel duplicis voluntatis et operationis in Christo, *C.* Hanc responsionem multis et gravissimis momentis probavimus, et alia quæ spectant Honorium exposuimus in digress. hist. ad dissert. 4 tract. de Incarnat. sect. 4: adeat lector; omnia enim hic repetere non vacat.

GREGORIUS III, STEPHANUS II, NICOLAUS I, STEPHANUS VII, SERGIUS III.

Obj. 1° Gregorius III, respondens Bonifacio Moguntino, dicit virum posse dimittere uxorem quæ præ infirmitate non potest reddere debitum; item dicit baptizatos a paganis vel Judæis esse rebaptizandos: hæc autem esse falsa nullus dubitat. Ergo.

R. ad primum, juxta communem interpretationem, Gregorium loqui de impotentia, non quæ supervenerat matrimonio, sed quæ illud præcesserat, de quo alibi dixi. *Neque dicas* hæc verba Gregorii, *si mulier infirmitate correpta*, significare infirmitatem conjugio jam inito supervenientem: quasi vero mulier non posset dici infirmitate correpta tam ante quam post matrimonium: unde rejicienda est nota Gratiani ad illud decretum, qua dicit *sacris canonibus et evangelicæ doctrinæ adversari.*

Ad secundum. Gregorius dicit baptizatos a paganis et Judæis esse rebaptizandos, quia incertum erat an serio et observata debita forma baptizassent.

Responderi insuper posset hæc rescripta non esse ex cathedra, quia non sunt directa toti Ecclesiæ.

Obj. 2° Stephanus II dicitur approbasse baptismum in vino collatum.

R. hoc Stephani rescriptum esse spurium aut adulteratum, ut pluribus momentis probavi dissert. de Bapt. a. 3, obj. 2. Vide.

Obj. 3° Nicolaus I, in Responsis ad consulta Bulgarorum cap. 105, docet baptisma collatum in nomine Christi esse validum.

Respondi et probavi dissert. citata de Baptismo a. 4, Nicolaum id dixisse non definiendo ex cathedra, sed ex privata sententia: non enim de eo erat interrogatus, sed tantum utrum baptisma collatum a Judæo vel pagano esset validum. Require. Insuper non est de fide baptisma collatum in nomine Christi esse invalidum; sunt enim theologi qui tenent esse validum.

Obj. 4° Stephanus VII acta Formosi, prædecessoris sui, irritavit, et ab eo ordinatos iterum ordinari jussit; Theodorus II et Joannes IX, successores Stephani, acta ejusdem Stephani in Formosum irritarunt; deinde Sergius III acta Formosi iterum irritavit, et acta Stephani probavit: ergo vel Stephanus et Sergius ex una parte, vel Theodorus et Joannes ex altera erraverunt.

R. mirum perfecto objici factum inhumanum et crudele pro definitione summi pontificis ex cathedra. Stephanus ergo et Sergius erravere, non errore prædicationis sed conversationis; sed, ut dicit Spondanus ad annum 897, non errore in fide, sed violenta tyrannide in facto. Stephanus quippe, ex odio in Formosum, quem contendebat non fuisse legitimum pontificem, sed vi et simonia intrusum, jussit exhumari ejus corpus et in Tiberim projici, ejus acta irritavit, et ab eo ordinatos reordinari jussit, non quidem definiendo ex cathedra, sed suo livori indulgendo. Sergius postea, animo pariter exasperato in Formosum contra quem Sedem Romanam invadere tentaverat, et cujus consilio Stephanus sævierat in Formosum, hujus acta pariter irritavit et acta Stephani probavit.

Addo, juxta plures theologos, ordinationes Formosi non fuisse iteratas simpliciter quoad substantiam sacramenti, sed secundum quid tantum, adhibitis scilicet certis cæremoniis quibus ordinati a Formoso, et ideo suspensi, ut prætendebat Stephanus, liberam suorum ordinum executionem reciperent, sicut factum antiquitus ex concilio Toletano IV et variis exemplis probavimus in tract. de Ordine, dissert. 3, a. 2, § 2, inter objectiones. Confer.

COELESTINUS III. ALEXANDER III, BONIFACIUS VIII, BONIFACIUS IX, JOANNES XXII, SIXTUS V.

Obj. 1° Cœlestinus III definivit quod,

cum alter conjugum labitur in hæresim, dissolvatur matrimonium, ut constat ex Innocentio III, cap. *Quanto* de divortiis. Et Alexander III, cap. *Licet* de sponsa duorum, asserit quosdam suos prædecessores judicasse quod, si post matrimonium ratum non consummatum aliud novum matrimonium consummetur, primum dirimatur : utrumque autem est erroneum. Ergo.

R. non omnia pontificum rescripta ad privatorum consultationes pro decidendis privatis casibus conscientiæ, ut jam non semel observavimus, censeri debere ex cathedra pronuntiata; sæpe enim respondent secundum privatam opinionem, non definiendo cum solemnitatibus requisitis, sed simpliciter aperiendo mentem suam. Unde celebris noster Cano, de Locis Theologicis, lib. 5, cap penultimo sub finem, dicit : « Decretales nonnullas constat a posteriori-» bus meliore consilio refutatas, quoniam » non ex firmo decreto, sed ex pontificum » opinione prodierunt. »

Obj. 2° Alexander III, cap. *Cum esset* de testamentis, dicit « Alienum esse... a » divina lege... ut testamenta, nisi quinque » vel septem testium fuerint subscriptione » munita, rescindantur; » falsum autem videtur hoc esse alienum a divina lege.

R. id proferri a pontifice non ut definitionem, sed ut rationem definitionis : id enim solum definit pontifex, nequidem pro toto orbe christiano, sed pro Statu ecclesiastico, duos vel tres testes sufficere ad validitatem testamenti ad causas pias. Nos autem dicimus pontifices infallibiles in definitionibus, non semper in rationibus definitionum, quæ quandoque non sunt cogentes.

Obj. 3° Bonifacius VIII definivit omnia regna mundi Romanis pontificibus subesse in temporalibus, idque in famosa decretali *Unam sanctam* inseruit. Ergo.

R. N. ant. quoad utramque partem. Quantum *ad primam.* Spondanus refert orationem habitam ab eodem Bonifacio VIII in publico consistorio anno 1301, in qua protestatur se nihil tale unquam scripsisse aut somniasse, sed epistolam in qua id continebatur suo nomini suppositam fuisse a Petro Flotta. *Ad secundum.* In decretali *Unam sanctam*, definit tantum *subesse Romano pontifici omnino esse de necessitate salutis;* quod intelligitur in spiritualibus.

Inst. Clemens V in concilio Viennensi hanc decretalem rescidit. Ergo.

R. N. ant. Sed eam exposuit et dixit esse sic intelligendam, ut ex illa nullum præjudicium regi regnoque Galliæ sit illatum.

Ais subjungit Hyacinthus Serry, ipse Gallus et doctor Parisiensis, opusc. jam citato pag. 89 : « Equidem, ut fatear bona » fide quod res est, nonnulla in decretali » *Unam sanctam* obiter inserta sunt, unde » facile colligi possit sensisse Bonifacium » VIII principium christianorum dominia, » sin minus directe, at saltem indirecte Ro-» manorum pontificum auctoritati subesse, » si a fide quam professi sunt ipsi deficiant. » Verum, quidquid ea in parte veritas habeat, de qua meum non est ferre judicium, » fatendum est tamen eam contra fidem » catholicam minime pugnare, imo et a » viris summe catholicis omni retro ætate » fuisse defensam, ac in præsenti defendi. » Ut vel sic pateat nullam violatæ fidei labem Bonifacio VIII inuri posse, quod » ita forte senserit, ac etiam ex cathedra » definierit. »

Obj. 4° Bernardinus Corio, in Historia Mediolanensi, p. 3, narrat Bonifacium IX concessisse indulgentiam, ut qui in domino vicecomitum certam pecuniæ summam in pauperes vel templorum restaurationem erogaret, esset a quocumque peccato absolutus, etsi nec contritus nec confessus, quam ideo vocat *indulgentiam extraordinariam.* Ergo.

R. supposita veritate hujus narrationis, Bonifacium intellexisse de absolutione a peccatis quantum ad pœnas canonicas, ab Ecclesia pro gravioribus criminibus taxatas, non vero quantum ad culpam et pœnam a Deo infligendam. Et quia non solent Romani pontifices per indulgentias a solis pœnis canonicis absolvere, sed etiam a culpis et pœnis a Deo infligendis, ideo historicus vocat hanc indulgentiam extraordinariam.

Obj. 5° Joannes XXII erravit circa visionem Dei facialem quam definivit differri post ultimam corporum resurrectionem. Item idem erravit circa dominium fratrum Minorum, vel saltem Nicolaus III; contraria enim in hac parte definierunt

R. N. utrumque ant. Ad primum. Nihil unquam quantum ad hoc Joannem definivisse ex cathedra, imo probabilius neque ut privatum doctorem id unquam assertive do-

cuisse ex professo probavimus in tract. de Beatitudine, digress. hist. ad dissert. 2. Vide.

Ad secundum. Ostendimus dissert. 2 de Justitia, a. 2, obj. 1, hos pontifices contraria non definivisse in materia fidei. Equidem Joannes XXII, constit. *Ad conditorem*, definit Romanam ecclesiam non habere dominium bonorum quæ conferuntur fratribus Minoribus, quia illud abjecit quod susceperat Nicolaus III. Verum id ad fidem non pertinet. Equidem Joannes, inter rationes suæ definitionis seu ordinationis, affert quod *usus facti non distinguatur a dominio:* at non pro ipsis definitionibus hic pugnamus; aliunde ista ratio non est in materia fidei, sed partim naturali, partim civili. Item Joannes XXII, constit. *Cum inter nonnullos*, definit Christum et Apotsolos habuisse quædam propria in communi : et quamvis Nicolaus III antea definivisset cap. *Exiit.* de verborum significationibus in 6, Christum et Apostolos non habuisse propria in communi, non tamen in hac parte sibi contradicunt : quia sensus Nicolai est, quod Christus et Apostoli aliquando nihil habuerint proprium in communi ; sensus Joannis est, quod aliquando habuerint proprium in commnui : quod utrumque verum est. Vide loco citato.

Obj. 6° Sixtus V editionem Vulgatam suis curis emendatam jussit sub anathemate recipi ut authenticam, quam tamen multis mendis scatentem curavit emendari Clemens VIII, Sixti diplomate suppresso. Ergo.

R. Sixtum in hoc non peccasse contra fidem, tum quia menda quæ in ejus editione reperiebantur non lædebant fidem aut mores, sed erant vel vitia quædam grammaticæ, vel quædam leves dissonantiæ a textu græco et hebraico, quales adhuc reperiuntur in editione Clementis VIII, ut vidimus suo loco; tum qua non dixit simpliciter *emendatam*, sed, *prout optime fieri potuit.*

§ III. — *Solvuntur objectiones petitæ a summis pontificibus qui dicuntur se agnovisse fallibiles, aut ab aliis habiti sunt fallibiles.*

Obj. 1° Plures potifices se agnoverunt fallibiles, Leo IV, Can. *Si incompetenter* causa 2, q. 4; Innocentius III, Serm. 2 de Conseç. pontif. Clemens VI, in diplomate dato septimo Idus decembris 1351 ; Gregorius IX, in testamento, et alii. Ergo.

R. hos pontifices se agnovisse fallibiles in dispensationibus seu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei, sed ut doctores privatos, non autem ut pastores universalis Ecclesiæ loquentes ex cathedra. Neque obstat quod Gregorius XI dicat se potuisse errare etiam in consistorio ; non enim quæ in consistorio aguntur semper ex cathedra definiuntur ; sed in eis sæpe causarum merita expenduntur, consilia proponuntur, absque eo quod ad sententiam solemnem deveniatur. Unde ipsimet laudati pontifices, ubi agebatur de Romani pontificis judicio ex cathedra, ejus infallibilitatem strenue propugnarnnt : sic innocentius III, Epist. 109 ad patriarcham Constantinopolitanum, *Petri successores a fide catholica nullo unquam tempore deviasse profitetur ;* et Clemens VI, inter articulos quorum subscriptionem requisivit ab Armenis, decimus tertius erat de infallibilitate pontificis, *ut vidimus inter probationes.*

Inst. Adrianus VI, in Commentario super 4 sentent. distinctione 7, scribit : « Si » per Romanam ecclesiam intelligatur capput illius, puta pontifex, certum est quod » possit errare, etiam in his quæ tangunt » fidem, hæresim per suam determinatio» nem aut decretalem asserendo ; plures » enim fuere pontifices Romani hæretici. » Ergo.

R. Adrianum VI hæc scripsisse antequam cathedram Petri ascenderet, dum esset professor publicus Lovanii : unde est sententia privati theologi, non summi pontificis. Et verisimile est pontificem factum mutasse hanc sententiam, quam obiter tantum et ex occasione tradiderat. Cum enim teneret papam non posse dispensare cum simplici sacerdote ut conferret sacramentum confirmationis, et sibi objiceret S. Gregorium in hoc dispensasse cum presbyteris Calaritanis, ut ab hoc argumento se expediret, dixit pontificem posse errare. At vero, cum ipsemet pontifex factus similem dispensationem, teste Vadingo in Annalibus, concesserit fratri Galapioni missionario in Indiis, verisimile est eum etiam a priori sententia de fallibilitate summi pontificis recessisse.

Inst. Adrianus VI pontifex factus, primo pontificatus sui anno, jussit de novo imprimi suos Commentarios, absque ulla hujus

loci correctione : ergo pontifex in eadem sententia permansit.

R. N. conseq. Potuit enim ex aliis causis hanc correctionem tunc omisisse : forte quia ipse pontifex factus suum opus non recognovit, allis gravioribus curis initio pontificatus occupatus ; vel quia hanc novam editionem curavit antequam mutasset sententiam occasione datæ dispensationis fratri Galapioni.

Cæterum, *dato* Adrianum pontificem factum in ea permansisse sententia, sequitur ad summum, unum inter omnes et contra omnes sic censuisse, et ut doctorem privatum errasse ; non enim id definivit : quod non multum juvat adversariorum sententiam, nec nostræ detrahit.

Obj. 2° Pelagius I, de fide suspectus propter approbatam quintam synodum, se purgavit apud regem Galliæ et episcopos Tusciæ, non allegata sua infallibilitate : ergo se credebat errori obnoxium, non infallibilem.

R. N. conseq. Ex eo enim quod quis edat professionem fidei ad amovendas malas de se suspiciones, non sequitur quod se credat errori obnoxium : sic S. Petrus, cujus exemplum et verba Pelagius usurpat Act. 11, fratribus disceptantibus quod *ad gentes divertisset*, non allegata sua infallibilitate, statim plenam satisfactionem dedit, nec tamen ideo se in prædicatione fidei errori obnoxium agnovit. Item, Epist. 1, cap. 2, vult omnes fideles esse paratos *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in ipsis est fide ;* neque tamen ideo putat fidem christianorum esse errori obnoxiam.

Inst. 1° Saltem Galliarum et Tusciæ episcopi existimabant Pelagium potuisse errare in approbatione quintæ synodi. Quid tum ? Iidem episcopi existimabant quintam synodum œcumenicam a duobus pontificibus confirmatam errasse, ideone conclusum est contra infallibilitatem conciliorum œcumenicorum ? Minime sane. Sicut ergo hi episcopi non sunt præ tota Ecclesia audiendi circa infallibilitatem conciliorum, ita nec contra infallibilitatem summorum pontificum.

Inst. 2° S. Columbanus epistolam probris et minis refertam dedit ad Bonifacium IV, eo quod faveret quintæ synodo : ergo non agnoscebat eum infallibilem.

R. 1° *ut ante.* 2° S. Columbanus, quamvis sanctitate conspicuus, erat tunc schismaticis Trium Capitulorum defensoribus junctus, quod pluribus aliis viris probis contigit : et eorum instinctu, præsertim Agilufi Longobardorum regis et Theodelindæ reginæ, hanc epistolam acrem et vehementem scripsit : qui ideo nullius est ponderis, nec proferri deberet, sed æterno silentio obvolvi.

Quæ insuper opponunt de Asiasticis qui restiterunt Victori et reputaverunt eum fallibilem circa celebrationem paschæ, et de concilio Arelatensi quod jussu Constantini suo subjecit judicio sententiam Melchiadis in causa Cœciliani, facilius adhuc solvuntur ; præter enim *solutiones datas*, palam est in utroque hoc casu non agi de fide : in primo namque controvertebatur an pascha esset celebrandum more Judaico luna decima quarta martii, an die dominico sequenti, quod ad disciplimam non ad fidem pertinet ; in secundo quærebatur an Felix-Aptungitanus, qui Cœcilianum ordinaverat, sacros libros infidelibus tradiderat, et an ipse Cœcilianus eleemosynas in victum confessorum erogatas subtraxerat, quæ sunt facta privata et personalia. Adde Constantinum *dedisse hoc concilium, non quia necesse erat*, inquit S. Aug. Epist. 162, *sed* (Donatistarum) *eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.*

His suppositis, quod diximus de infallibilitate Ecclesiæ in dirimendis quæstionibus facti dogmatici et in canonisatione sanctorum, tribuendum est summo pontifici.

ARTICULUS VII.

De præeminentia summi pontificis supra concilium generale.

Quæstio non est de concilio generali ut complectitur episcopos congregatos et simul summum pontificem ; sic enim certum est quod illi non sit superior pontifex, alioquin sibi ipsi esset superior ; imo concilium sic sumptum est quid majus saltem extensive : sed est quæstio de concilio generali ut solos complectitur episcopos congregatos, pontifice, sive absit sive adsit, non computato ; et quæritur utrum concilio sic sumpto pontifex sit superior auctoritate et jurisdictione, an concilium pontifici ?

Hanc secundam partem tuentur Gallia tempore concilii Constantiensis, et est so-

cunda propositio Declarationis celebris cleri Gallicani 1682. Cum autem urgentur argumentis ex S. Scriptura vel traditione quibus probatur Romanum pontificem esse supremum caput, rectorem, pastorem omnium fidelium, *respondent* id intelligendum esse de omnibus fidelibus in particulari seu seorsim et distributive sumptis, non vero collective sumptis et in concilio generali adunatis: quibus e contra sic sumptis pontifex subjicitur, eo fere modo quo generalis est caput et rector ordinis; sic ut omnes religiosi seorsim et distributive teneantur illi obedire, ipse tamen capitulo congregato subjicitur et ad ejus leges adstringitur; vel, sicut dux Venetorum singulis reipublicæ membris præeminet, ipse tamen toti reipublicæ est inferior et subditus.

Cæterarum nationum theologi communiter tenent e contra summum pontificem esse auctoritate, potestate et jurisdictione superiorem toti Ecclesiæ, sive divisim, sive collectim sumptæ, ita ut quodcumque concilium etiam generale ipsi subjiciatur, non ipse concilio. Res jam ex parte confecta est ex articulis præcedentibus; si namque judicium summi pontificis in quæstionibus fidei et morum sit infallibile et irreformabile, sequitur quod, quantum ad hoc quod præcipuum est, non subjiciatur concilio; an autem quantum ad leges, ordinationes, statuta, disciplinam, vel etiam ipsius pontificis personam spectantia subjiciatur, ita ut concilium ejus statuta abrogare, ipsum corrigere, judicare, deponere, uno verbo, vi coactiva in ipsum agere possit; an e contra pontifex concilii statuta, definitiones, ordinationes rescindere, ipsumque transferre, dissolvere, probare vel improbare possit?

Dico. Summus pontifex est auctoritate et jurisdictione omni concilio superior.

Prob. 1° Constat ex hucusque dictis de primatu S. Petri et Romani pontificis nec non de ejus infallibilitate, ipsum secundum S. Scripturam et traditionem esse totius et universalis Ecclesiæ caput, pastorem, patrem, doctorem et ducem: atqui caput aliis membris non solum seorsim, sed simul sumptis superius est; pastor non singulis ovibus seorsim tantum, sed toti gregi præest et superior est; pater non huic vel illi proli, sed toti familiæ; doctor non huic vel illi discipulo, sed toti scholæ; dux non huic et illi militi tantum, sed toti exercitui: ergo pariter pontifex non solum singulis fidelibus seorsim, aut huic vel illi ecclesiæ, sed toti Ecclesiæ; non solum singulis concilii episcopis divisim, sed ipsi concilio auctoritate superior est.

Confirmatur 1° Ut minus summus pontifex est auctoritate superior toti Ecclesiæ, sicut episcopus toti diœcesi: atqui episcopus est superior diœcesanis, non solum seorsim et distributive, sed etiam simul et collective sumptis. Ergo.

Confirmatur 2° Ipsamet concilia generalia summum pontificem caput, pastorem, doctorem, patrem suum vocant et agnoscunt, *ut patet* ex epistolis synodicis concilii Constantinop. I ad Damasum, Chalcedonensis ad S. Leonem, Constantinop. III ad Agathonem, et aliis. Ergo.

Confirmatur 3° Summus pontifex est Christi vicarius, ut fatentur omnes, et constat ex Formula fidei jussu Pii IV ab omnibus episcopis, synodis et aliis edenda, in qua sic legitur: *Romanoque pontifici B. Petri Apostolorum principis successori ac* Jesu Christi vicario *veram obedientiam spondeo et juro*: quod dici non potest de concilio; cum enim Ecclesiam repræsentet, debet potius dici vicarius Ecclesiæ. Atqui Christus habet auctoritatem in universam Ecclesiam tam divisim quam conjunctim: ergo et ejus vicarius. *Patet consequentia*, tum quia *quæ Christo potestate sunt propria, sunt Petro ejus vicario cum ipso participatione communia*, inquit S. Leo, Serm. 3 de Annivers. Assumpt. tum quia, si concilium, quod est vicarius Ecclesiæ, esset supra Christi vicarium, Ecclesia foret supra Christum; principale enim secundum jura non est deterioris conditionis quam accessorium: *stultum et impium consequens*. Ergo.

Prob. 2° Summi pontifices, jure summo et nemine reclamante, supremam potestatem exercuerunt supra concilia generalia; etenim quibusdam definiendi regulam præscripserunt, quorumdam acta resciderunt, alia in integrum irritaverunt, alia probarunt et confirmarunt: hæc autem sunt aperta superioris auctoritatis indicia. Ergo

Prob. prima pars ant. Cœlestinus definiendi formam ipsamque sententiam contra Nestorium ferendam præscripsit concilio Ephesino; S. Leo, concilio Chalcedo-

nensi contra Eutychem; Agatho concilio sexto, contra Monothelitas; Adrianus I concilio septimo, contra Iconomachos, et Adrianus II concilio octavo, contra Photium : hæc omnia constant ex art. 5, § 4.

Prob. secunda pars ant. S. Leo canonem 28 concilii Chalced. quo jura patriarchæ Constantinopolitani decernebantur, quantumvis rogatus, confirmare constanter renuit et in irritum misit. Verum, quia hoc facto invicte probatur auctoritas Romani pontificis concilio superior, non unum adversarii excogitaverunt effugium.

Dicunt 1° nos nequidem statam quæstionis intelligere; hi enim, ut inquiunt, sustinent duntaxat cum concilio Constantiensi, potiorem esse concilii auctoritatem in his quæ pertinent ad fidem, ad extinctionem schismatis et reformationem generalem Ecclesiæ in capite et in membris, de quibus non agitur in præfato canone.

Sed contra. 1° Si papa sit superior concilio in reformandis et statuendis juribus patriarchalibus, quare non esset in aliis? Quo loco S. Scripturæ vel traditionis, in quo summi pontificis auctoritas asseritur, hæc distinctio, exceptio, vel restrictio legitur? 2° Si concilium statuisset de juribus pontificiis, ejus decretum pertineret ad reformationem Ecclesiæ in capite : ergo, statuendo de juribus patriarchalibus, ejus decretum pertinet ad reformationem Ecclesiæ in membris.

Dicunt 2° Orientales patres id sibi tribuisse, ut patrum limites et canones Nicænos, repugnante toto Occidente, convellerent, quod eis non licebat. Optime : ergo concilium generale absque pontifice, aut eo non consentiente, potest errare, sicque ejus auctoritate superiori est reformabile.

Instant. In hoc canone statuendo nequaquam concilii generalis auctoritate gaudebant, a quorum decretis in ea actione cum Sede apostolica universus Occidens recedebat.

Sed contra. 1° Quis ipsis revelaverat Romanum pontificem, cujus consensum instanter petebant, huic decreto non consensurum, et eo consentiente, universum Occidentem dissensurum? Quid, velim, hoc est nisi fingere? 2° Nullum fuit concilium quod sub hoc prætextu non potuerit excidere a sua œcumenicitate; poterant enim Occidentales dicere concilia Orientalia definivisse contra sensum totius Occidentis, et Orientales pariter de Occidentalibus. Neque refert quod illis pontifex præesset et consentiret per se vel per suos legatos : impertinens namque videntur in sententia adversariorum ad œcumenicitatem concilii, quod pontifex consentiat nec ne; siquidem, secundum illos, concilium definiens contra pontificem dissentientem, remaneat œcumenicum : ergo definiens, consentiente pontifice, si totus Oriens vel Occidens dissentiat, non remanet œcumenicum.

Prob. tertia pars ant. S. Leo irritavit concilium Ephesinum II, ex ejus assensu convocatum, et cui aderant ejus legati. Ergo.

Respondent hoc concilium, etsi generale per se fuisse nullum, propter vim et ex defectu auctoritatis.

Sed contra primum. Nullibi constat majorem patrum partem metu adactam subscripsisse, quod tamen deberet esse manifestum; alioquin hæretici hoc prætextu possent omnia concilia rejicere, dicendo patres metu censurarum, exclusionis a beneficiis, indignationis pontificis aut Cæsaris, etc., subscripsisse.

Contra secundum. Legati pontificis præsentes aderant, et quamvis Dioscorus auctoritatem præsidiis usurpare tentaret, reclamabant pontificis legati, quod sufficit in sententia adversariorum, ut concilium remaneat œcumenicum et valeat : suppono enim quod concilium convocatione et præsidentia pontificis per se vel per suos legatos legitimum et generale, renitente pontifice definiat sive in materia fidei, sive contra ipsum pontificem, eum corrigendo, judicando vel deponendo : his definitionibus certo non præsidebit pontifex, maxime contra seipsum; et tamen, in sententia adversariorum, remanebit concilium œcumenicum cum privilegio infallibilitatis et superioritatis ad summum pontificem : ergo idem fateantur de concilio II Ephesino. 2° Revera deerat auctoritas huic concilio, sed non alia ratione quam quia summus pontifex per suos legatos renitebatur ejus definitionibus, et ideo vere nullum. Ergo quodcumque concilium generale, non computato et non assentiente summo pontifice, caret auctoritate et est nullum; quod est ipsissima thesis nostra.

Quantum ad quartam partem ant. de

con firmatione conciliorum per pontificem, eam probabimus dissert. seq. dum de conciliis, nec eam omnino negant adversarii, sed dicunt τὸ *confirmare* nihil aliud significare quam approbare, consentire, adhærere, asserere, pro veris et firmis habere, testificari sic esse, et contra hæreticos vindicare, non vero auctoritative judicare, et firmitatem, robur ac validitatem conferre : sic, inquiunt, æquales aut etiam inferiores dicuntur confirmare dicta seu acta suorum æqualium, aut etiam superiorum, quando illis consentiunt et adhærent ; sic passim legimus synodum Nicænam confirmari a synodis sequentibus etiam provincialibus, acta synodorum generalium ab imperatoribus, decreta pontificum a suis successoribus, etc., quæ confirmatio est honoraria consensus et adhæsionis tantum, non auctoritativa.

Sed contra. Confirmationem petitam et datam a summis pontificibus conciliis generalibus, non esse honorariam tantum et simplicis consensus et adhæsionis, sicut datam ab æqualibus aut inferioribus, sed auctoritativam et validitatem conferentem, constat, quia petitur et datur ut concilia generalia *firmitatem* habeant ; sic enim loquuntur patres concilii quarti et sexti, et sine hac confirmatione non est ratum nec firmum concilium, *ut patet* de concilio Ephesino II, de canone 28 concilii Chalcedonensis, et de quinto concilio generali, Constantinop. II ; atqui jura ita expresse declarant d. 17, cap. *Regula* ex Julio papa : « Nec ullum ratum est aut erit unquam » concilium, quod non fultum fuerit ejus » (ecclesiæ Romanæ) auctoritate ; » et cap. *Multis* ex Pelagio II. Unde Socrates, lib. 2 Hist. cap. 5, ait : « Canon ecclesiasticus » vetat ne decreta absque sententia episcopi » Romani ecclesiis sanciantur. » Sozomenus, lib. 3, cap. 9, dicit : « Legem esse ad » sacerdotii dignitatem spectantem quæ pro» nuntiat acta illa irrita esse quæ præter » sententiam episcopi Romani constituun» tur. » Et concilium Romanum sub Damaso, de Ariminensi : « Præjudicium certe » numeri Ariminensis conventus nullum » esse potest, quando ita est habitus, ut ne» que Romani pontificis, cujus ante omnia » sententiam cognoscere debuerant,..... » consensus illis adfuerit. » Idem probant quæ modo dicemus de appellationibus a conciliis ad summum pontificem, ac denique ratio ipsa : non enim concilium generale habet firmitatem et indefectibilitatem in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam : atqui non repræsentat Ecclesiam universam, nisi caput seu Romanum pontificem secum judicantem habeat; nec censetur Romanus pontifex cum conciliis judicare, nisi dum conciliorum decreta confirmat : ergo.

Huic secundæ probationi cumulum adjiciet Leo X, in constit. *Pastor æternus*, quæ lecta fuit nec improbata in concilio generali, Lateranensi V, sess. 11, in qua sic dicit : « Solum Romanum pontificem pro » tempore existentem, tanquam *auctorita» tem super omnia concilia habentem*, tam » conciliorum indicendorum, transferen» dorum, ac dissolvendorum plenum jus et » potestatem habere; nedum ex sacræ » Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, » ac aliorum Romanorum pontificum etiam » prædecessorum nostrorum sacrorumque » canonum decretis, sed propria etiam » eorumdem conciliorum confessione mani» feste constat, quorum aliqua referre pla» cuit, reliqua vero utpote notiora silentio » præterire. In Alexandrina enim synodo, » S. Athanasio ibidem existente, Felici » Romano pontifici ab eadem synodo scrip» tum fuisse legimus, Nicænam synodum » statuisse non debere absque Romani pon» tificis auctoritate concilia celebrari. Ne» que nos latet etiam eumdem Leonem pon» tificem Ephesinam secundam synodum » ad Chalcedonem transtulisse ; Martinum » papam V præsidentibus suis in concilio » Senensi potestatem transferendi conci» lium, nulla consensus ipsius concilii men» tione habita, dedisse ; Ephesinam quo» que primam synodum Cœlestino et Chal» cedonensem eidem Leoni, sextam Aga» thoni, septimam Adriano, octavam etiam » Constantinopolitanam synodum Adriano » summo pontifici, prædecessoribus nostris » maximam reverentiam exhibuisse, eo» rumque pontificum institutionibus et » mandatis, in sacris conciliis per eos editis » et factis, reverenter et humiliter obtem» perasse. Unde Damasus papa et cæteri » episcopi Romæ congregati, scribentes de » concilio Ariminensi episcopis in Illyrico » constitutis, præjudicium aliquod per nu» merum episcoporum Arimini congrega-

» torum fieri non potuisse testantur; quan-
» doquidem constat Romanum pontificem,
» cujus ante omnia decebat spectari decre-
» tum, talibus non præbuisse consensum.
» Eumdemque Leonem pontificem univer-
» sis Siciliæ episcopis scribentem idem vo-
» luisse apparet, consueveruntque antiquo-
» rum conciliorum patres, pro eorum quæ
» in sacris conciliis gesta fuerant corrobo-
» ratione, a Romano pontifice subscriptio-
» nem approbationemque humiliter petere
» et obtinere, prout ex Nicæna et Ephesina
» ac Chalcedonensi hujusmodi et sexta Con-
» stantinopolitana et septima eadem Nicæna
» et Romana sub Symmacho synodis habi-
» tis earumque gestis, nec non in Aimari
» libro de Synodis manifeste colligitur:
» quod etiam novissime Constantienses pa-
» tres fecisse constat. »

Nihil hic habent quod respondeant adversarii, nisi hanc Leonis declarationem non fuisse concilii aut ipsius definitionem dogmaticam, et ex cathedra prolatam non esse, sed propositionem obiter et incidenter insertam occasione Pragmaticæ Sanctionis, cujus abolitionem principaliter intendebat pontifex. Ita sit, non inficiamur; alioquin adversarii forent hæretici: sed quis sensatus et præjudiciis vacuus sententiam summi pontificis in concilio generali declaratam, assertam et probatam, nullo ex his quorum maxime intererat reclamante, non præferat doctorum privatorum sensui?

Prob. 3° *conclusio.* Non est licitum appellare a summo pontifice ad concilium generale; est autem licitum appellare a concilio generali ad summum pontificem: atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem: ergo pontifex est auctoritate superior concilio generali.

Primam partem maj. auctoritate et ratione probavimus art. 5, § 7, quibus ad majorem explicationem et corroborationem adde sequentia. Gelasius papa, Epist. 17 ad episcopos Dardaniæ, dicit: « Prima sedes
» unamquamque synodum sua auctoritate
» confirmat, et congrua moderatione cus-
» todit pro suo principatu... Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet episcoporum
» sententiis ligata B. Petri Apostoli sedes
» jus habeat resolvendi; utpote cum de omni
» Ecclesia jus habeat judicandi, neque cui-
» quam liceat de ejus judicio judicare: si-
» quidem ad illam de qualibet mundi parte
» canones appellari voluerunt, ab illa au-
» tem nemo sit appellare permissus. »

Nicolaus I, Epist. 8 ad Michaelem imperatorem, cujus verba jam supra retulimus » et repetere juvat: « Ipsi sunt canones, in-
» quit, qui appellationes totius Ecclesiæ ad
» hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab
» ipsa nusquam prorsus appellari debere
» sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ec-
» clesia judicare, ipsam vero ad nullius
» commeare judicium. » Quid his respondeant adversarii require cum solutionibus § 7 citato, et confer ultimam probationem infra, ubi ecclesiæ Gallicanæ Patres in idem referemus.

Item jure novo, Martinus V, bulla promulgata in publico consistorio concilii Constantiensis, sub pœna excommunicationis prohibuit appellationem a papa ad concilium. Vide infra obj. 1. Idem Pius II, litteris Mantuæ in conventu principum publicatis anno 1469; Julius II, et Gregorius XIII in bulla *Cœnæ*.

Opponunt adversarii quasdam appellationes factas a papa ad concilium: sed facto non probatur jus, nec valet consequentia: *Factum est, ergo licet facere.* De hoc latius in *sol. obj.*

Secunda pars ant. jam probata manet ex laudatis auctoritatibus Gelasii et Nicolai. *Insuper probatur.* S. Flavianus a secundo concilio Ephesino, convocatione et legatorum præsentia generali, appellavit ad S. Leonem, ut constat ex epistola ejusdem S. Leonis ad Theodosium imperatorem, in qua dicit: Legatis nostris *libellum appellationis Flavianus episcopus dedit.* Pariter Theodoretus episcopus Cyri in eodem concilio damnatus appellavit, ut constat ex actis concilii Chalcedonensis. Macarius et alii, in sexta synodo œcumenica damnati, appellaverunt ad Leonem II, *ut patet* ex litteris Constantini Pogonati ad eumdem Leonem, in quibus dicit: « Omnes scriptis precibus
» serenitatem nostram precati sunt, ut eos
» ad Beatudinem vestram mitteremus; sic
» igitur fecimus, vestro paterno judicio om-
» nem ipsorum causam permittentes. »

Hincmarus Remensis sæculo nono, lib. de Divort. Lotharii, dicit: « Quibus omni-
» bus demonstratur quia synodus comprovincialium episcoporum, judicia, gene-
» ralis autem synodus comprovincialium

» dijudicationes sive dissensiones, vel pro» bet vel corrigat; apostolica vero Sedes et » comprovincialium et generalium retrac» tet, retricet et confirmet judicia : sicut » Epistolæ Leonis atque Gelasii cæterorum» que Romanorum pontificum, et Sardi» censis synodus evidenter ostendunt, et » episcoporum recte judicantium confirma» tur, et secus judicantium corrigitur; et » interim funditus non perit auctoritas. »

Id denique ratio evincit. Licitum est appellare a tribunali fallibili ad infallibile : atqui summus pontifex est judex infallibilis, saltem in quæstionibus fidei et morum, *ut probatum est articulis præcedentibus ;* concilium autem generale, prout hic sumitur, est errori obnoxium ; loquimur enim hic de concilio generali non ut complectitur omnes episcopos simul et summum pontificem, sic enim esset appellare a pontifice ad pontificem, sed ut complectitur omnes episcopos non computato pontifice, sive absente, sive præsente sed non consentiente, ut explicuimus initio articuli : concilium autem generale sic sumptum posse errare constat, tum ex secundo Ephesino, tum quia, ut jam dixi, sic non repræsentat Ecclesiam quia non est Ecclesia sine capite ; non est autem infallibile, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam. Ergo.

Prob. 4° *conclusio.* Summus pontifex non potest judicari a concilio generali : ergo non est illi inferior. *Prob. ant.* 1° C. *Si papa*, dist. 40, dicitur : *Cunctos judicaturus, ipse a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.*

2° Cap. *Aliorum*, causa 9, q. 3 : *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sedis autem Romanæ præsulem, suo, sine quæstione, reservavit arbitrio :* quod excludit concilium tam generale quam particulare.

3° Concilium Romanum sub Adriano II, cap. 4 : *Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus.*

4° Concilium generale octavum sub Adriano, act. 10, C. 21 : « Si synodus uni» versalis fuerit congregata, et facta fuerit » etiam de sancta Romanorum ecclesia » quævis ambiguitas et controversia, opor» tet venerabiliter et cum convenienti reve» rentia de proposita quæstione sciscitari, » et solutionem accipere aut proficere et » profectum facere ; non tamen audacter » sententiam dicere contra summos senio» res Romæ pontifices. » *Neque dicas* non licere *audacter*, licere tamen reverenter : quam enim, amabo, reverentiam judex habere potest erga subditum quem condemnat ? Non licet ergo absolute, quia fieri non potest nisi *audacter.*

5° Concilium Lateranense sub Alexandro III, cap. *Licet* extra de Electione, ideo monet maximam cautelam adhibendam esse in Electione summi pontificis, quia, si delinquat ille, *non poterit ad superiorem haberi recursus*, scilicet ut judicetur : ergo nec concilium generale est ipsi superius.

6° Innocentius III, Serm. 2 de Consecrat. summi pontificis : « In tantum, in» quit, mihi fides necessaria est, ut, cum » de cæteris peccatis Deum solum judicem » habeam, propter solum peccatum quod in » fide committitur possim ab Ecclesia ju» dicari. »

Est qui conatur evadere dicendo pontificem *a nemine* posse judicari, significare non posse judicari ab ullo particulari, non vero non posse judicari a tota Ecclesia seu concilio generali.

Sed contra 1° Laudata testimonia non solum dicunt pontificem a nemine posse judicari, sed cap. *Aliorum* dicitur ipsum solius Dei arbitrio reservari, quod excludit concilium generale. Concilium octavum dicit non licere synodo generali dicere sententiam in illum ; concilium Lateranense dicit eum non habere superiorem : ergo nec concilium generale. 2° Quis unquam somniavit τὸ *nemo* excludere singulos particulares tantum, et non omnes collectos ? *Nemo*, quasi *ne homo ;* docentur autem dialectici particulam negativam esse malignantis naturæ et totum destruere : non ergo solum aliquot particulares, sed omnes excludit : et forte verax erit qui dicat : *Nemo* est in Ecclesia, licet omnes fideles sint in ea collecti ? qui dicat canones qui dicuntur Tridentini *a nemine esse definitos*, quia non ab aliquo particulari, sed a toto concilio sunt definiti ? Sicne ludimus in rebus gravissimis ? Infirmam sane causam quæ non nisi talibus figmentis defendi potest !

Prob. 5° *conclusio* ex avita ecclesiæ Gallicanæ doctrina. Sicut advocavimus supra ecclesiam Gallicanam in confirmationem infallibilitatis Romani pontificis, juvat

etiam nunc eam advocare pro ejus auctoritate superiori ad concilium generale.

Circa annum 503, occasione Symmachi papæ, quem, licet sponte annuentem, concilium Romanum vulgo *Palmare* in judicium vocaverat, S. Avitus, viennensis archiepiscopus, nomine ecclesiæ Gallicanæ, ad urbis senatores sic scribit : « Quoniam a » cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc » ipsum non minus per mandata quam per » litteras oneratus, quæcumque a vobis » ambimus, unus suggerenda suscepi.... » Non facile datur intelligi qua vel ratione » vel lege ab inferioribus eminentior ju» dicetur..... In sacerdotibus cæteris po» test, si quid forte mutaverit, reformari : » at si papa urbis vocatur in dubium, epis» copatus jam vidibitur, episcopus vacilla» re... Reddet rationem qui ovili dominico » præest, qua commissam sibi agnorum cu» ram administratione dispenset : *cæterum* » *non est gregis pastorem proprium terrere*, » sed judicis. » Concilium generale est grex.

Anno 800, episcopi Gallicani, jussu Caroli Magni ad concilium Romanum vocati in causa Leonis III, de variis criminibus ab æmulis accusati, parere renuerunt, nisi pontifex ipse se illorum judicio sponte submitteret, hac ratione quod, cum esse caput omnium ecclesiarum, a nemine posset judicari : dixerunt enim, teste Anastasio in visa Leonis III : « Nos Sedem apostolicam » *quæ est caput omnium Dei ecclesiarum*, » judicare non audemus, nam ab ipsa nos » omnes et vicario suo judicamur, ipsa *a* » *nemine judicatur*, quemadmodum antiquitus mos fuit ; sed, sicut ipsemet pontifex consuevit, jubeat, et canonice obedeimus. »

Sæculo nono, Hincmarus Remensis archiepiscopus, Epist. ad Nicolaum I, dicit : « Omnes senes cum junioribus scimus nostras ecclesias subditas esse Romanæ ecclesiæ, et nos episcopos in primatu B. Petri subjectos esse Romano pontifici : et ob id, salva fide quæ in Ecclesia semper vigilat et Domino cooperante florebit, nobis est vestræ apostolicæ auctoritati obediendum. » Vide alterum locum Hincmari supra, prob. 3.

Eodem sæculo, ecclesia Gallicana in concilio Pontigonensi edidit duos canones, quorum primus sic habet : « Statu imusut sancta Romana ecclesia, sicut est caput omnium » ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et » veneretur : neque quisquam contra jus » et potestatem ipsius aliquid injuste agere » præsumat ; sed liceat ei debitum tenere » vigorem et pro universali Ecclesia exhibere curam. » Secundus sic legitur : « Ut » honor Domino et spirituali patri nostro » Joanni summo pontifici et venerabili uni» versali papæ ab omnibus conservetur, et » quæ secundum sacrum ministerium suum » auctoritate apostolica decreverit, cum » summa veneratione ab omnibus suspi» ciantur, et debita illi obedientia in om» nibus conservetur. »

Sæculo duodecimo, S. Yvo, Carnoti episcopus, Epistola 159 : « Quoniam, in» quit, judicia Romanæ ecclesiæ a ne» mine foris retractari posse, eadem eccle» sia Romana docente, didicimus ; si qui » aliquando se prægravatos illius ecclesiæ » auctoritate conqueruntur, hoc eis consi» lium damus, ut non descendant in Æ» gyptum propter auxilium, sed ab ipsa » ad ipsam confugiant, et inde expectent » levamen, unde se conqueruntur acce» pisse gravamen. » Et Epist. 233 ad abbatem Angeriocensem in causa Paschalis II, qui dicebatur concessisse contra Ecclesiæ jura investituras Henrico imperatori, scribit sic : « Quia verenda patris debemus po» tius velare quam prodere, familiaribus » charitatem redolentibus litteris admo» nendus mihi videtur, ut se judicet, aut » factum suum retractet : quod si fecerit, » reddamus Deo gratias, et gaudeat nobis» cum omnis Ecclesia quæ graviter languet, » dum caput ejus laborat tanta debilitatum » molestia ; si autem in hoc languore insa» nabiliter ægrotaverit, non est nostrum » judicare de summo pontifice. »

Circa idem tempus et in eadem causa, episcopi provinciæ Senonensis recusarunt adesse concilia nationali apud *Ansam* congregato, hac ratione quod Romani pontifices, nisi a fide manifeste devient, a nemine possint judicari, sed solius Dei judicio subjaceant. « Non videtur nobis utile, in» quiunt, ad illa concilia convenire in qui» bus non possumus eas personas contra » quas agitur condemnare vel judicare : » quia nec nostro *nec ullius hominum pro*» *bantur subjacere judicio*. Unde nos con» stat esse immunes, si facta eorum oris » gladio ferire formidamus ; cum ipse Me-

» diator obedire eis præcipiat, etiamsi tales » sint quales erant Pharisæi, si ea quæ ad » cathedram pertinent recta percipiant, ea » vero minime faciant. Ex quibus omnibus » hoc constare videtur, quatenus femora- » lia sacerdotalia pudendis supponamus, » ne verenda nostra deridenda insidiatori- » bus nostris exponamus, et unde quæri- » mus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in » majorem incurramus debilitatem. Hæc » dicentes, non instruimus prudentiam » vestram, sed excusamus innocentiam » nostram : quia et principales Ecclesiæ » claves nolumus potestate sua privare, » quæcumque persona vices Petri habeat, » *nisi manifeste ab evangelica veritate dis-* » *cedat.* »

Eodem seculo S. Bernardus, ecclesiæ Gallicanæ decus, Epist. 213, pontifices alloquens, « Quis, inquit, mihi faciet justi- » tiam de vobis? Extat quidem tribunal » Christi, sed absit ut ad illud appellem... » Itaque recurro ad eum cui datum est ju- » dicare de universis, hoc est ad vos : vos » appello ad vos, judicate et me et vos. »

Non me latet adversarios glossis et interpretationibus hæc testimonia eludere conari, sed quæ ex antea dictis et ex ipsis textibus attente perpensis confutantur.

Anno 1305, cum regni proceres peterent a Clemente V ut damnaret memoriam Bonifacii VIII, quem dicebant hæreticum fuisse ut hominem privatum, nec legitimum extitisse pontificem, ut vidimus art. 5, § 5, addunt : « Cum de Bonifacii mortui » hæresi quæritur, non debet congregari » concilium generale; estis enim vos, Pater » sanctissime, Jesu Christi vicarius, totum » corpus Ecclesiæ repræsentans, qui claves » regni cœlestis habetis. Nec congregatum » totum concilium *sine vobis et nisi per vos* » posset cognoscere de negotio supra dicto, » juxta Patrum sancita, sententiamque » doctorum juris et Ecclesiæ sanctæ Dei. » Cæcus sit, qui in his verbis non videat potiorem esse pontificis auctoritatem quam concilii.

Anno 1324, theologi Facultatis Parisiensis obtulerunt Clementi VII, Avenione sedenti, tractatum theologicum in quo agnoscunt, asserunt et probant ejus *supremam* auctoritatem in Ecclesia, *ut vidimus* art. 5, § 5 citato; si vero *suprema*, ergo nulla major.

A tempore igitur duntaxat concilii Constantiensis, cœpit ecclesia Gallicana ab hac avita majorum sententia recedere agente et duce Joanne Gerson, academiæ Parisiensis cancellario, quem multi celebrant ut pium ac doctum theologum : sit ita, non contendo; verumtamen ejus doctrinam, præsertim de obligatione legum humanarum, de Ecclesia et summo pontifice, a nullo vere catholico probari posse arbitrantur plures alii; indigitant inter alia tractatum *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam*, qui habetur tom. 2 Operum Gersonis, edit. Antuerpiensis 1706, pag. 162 et sequentibus. Judicium sit penes lectorem.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones.

§ 1. — *Solvuntur objectiones ex concilio Constantiensi et Basileensi.*

Obj. et præcipue. Concilium Constantiense sess. 4, sic decernit : « Hæc sancta synodus » Constantiensis, generale concilium faciens » pro extirpatione præsentis schismatis et » unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in » capite et in membris facienda... in Spiritu » sancto legitime congregata..... ordinat, » disponit, statuit, decernit et declarat ut » sequitur : et primo, quod ipsa synodus in » Spiritu sancto congregata, legitime gene- » rale concilium faciens, et Ecclesiam ca- » tholicam militantem repræsentans, pote- » statem a Christo immediate habet, cui » quilibet cujuscumque status vel dignitatis » etiamsi papalis existat, obedire tenetur » in his quæ pertinent ad fidem et extirpa- » tionem dicti schismatis, et reformationem » generalem Ecclesiæ Dei in capite et in » membris. » Et sess. 5, idem decretum repetit et addit : « Item, declarat quod qui- » cumque cujuscumque conditionis, status » et dignitatis etiamsi papalis, qui manda- » tis, statutis, seu ordinationibus aut præ- » ceptis hujus sacræ synodi, et cujuscumque » alterius concilii generalis legitime congre- » gati, super præmissis, seu ad ea perti- » nentibus factis vel faciendis, obedire con- » tumaciter contempserit, nisi resipuerit, » condignæ pœnitentiæ subjiciatur et debite » puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si » opus fuerit, recurrendo. » Ergo.

Huic argumento quod putant invincibile *triplex adhibetur responsio.*

Prima et communior est, hæc decreta esse intelligenda non de conciliis generalibus

extra tempus schismatis et quando est certus pontifex, sed tantum de conciliis tempore schismatis celebratis, et de dubiis pontificibus, quales tunc erant Joannes XXIII, Gregorius XII et Benedictus XIII : quo in casu cum nullus sit papa, nam papa dubius non est papa, cum non sit caput visibile Ecclesiæ, fatemur concilium habere potestatem immediate a Christo, cui quilibet cujuscumque status aut dignitatis etiamsi papalis obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.

Veritas hujus responsionis constat 1° ex ipsis terminis decretorum; in decreto enim sessionis 4, et in prima parte decreti sessionis 5, sermo est tantum de hoc concilio Constantiensi pro extirpatione præsentis schismatis convocato : equidem in secunda parte decreti sessionis 5 dicitur, *et cujuscumque alterius concilii generalis legitime congregati;* sed dictum statim restringitur verbis sequentibus, *super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis :* quæ sunt autem *præmissa*, nisi schisma extirpandum et dubii pontifices deponendi? quod vera et propria causa fuit concilii Constantiensis celebrandi, *ut patet* ex terminis initio decretorum positis.

2° Constat ex testimonio cardinalis Joannis de Turrecremata, qui concilio præsens aderat, in Summa de Ecclesia, c. 99 : « Manifeste patet, inquit, quod decretum illorum patrum non loquitur universaliter de qualibet synodo, sed de illa singulariter pro cujus tempore non erat in Ecclesia pastor totius Ecclesiæ indubitatus. »

3° Cum quidam patres concilii dicerent eminentissimos cardinales excludendos esse a concilio, dum ageretur de reformatione Ecclesiæ in capite et in membris, hi obtulerunt concilio scriptum cujus secunda conclusio sic erat : « Romana ecclesia, sicut omnium ecclesiarum magistra est, sic earum caput merito dici potest. Romana ecclesia, sicut omnium ecclesiarum caput dicitur, sic et concilii generalis, imo universalis Ecclesiæ quæ ex omnibus particularibus ecclesiis integratur. » Huic conclusioni sic respondet concilium . « Nota super verbo *caput*, hoc concedatur, tamen non ad fovendum schisma aut difformitates. Item, nota super verbo *concilii*, est subdistinguendum : quia hoc est verum in aliquo concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra catholicam fidem, seu hæresim extirpandam; ubi autem agitur de schismate tollendo in Romana ecclesia, quod per cardinales ortum habuit, aut quia cardinales alias abusi sunt electione et in similibus, ibi non habet locum. » Et cum eminentissimi cardinales articulo ultimo sui scripti dixissent : « Item, pro octava et nona conclusione facit, quod Romana ecclesia habet alias in parte sollicitudinis, non in plenitudine potestatis, 2, q. 6, c. *Decreto*. Facit etiam ad idem, quod Romana ecclesia potest de aliis omnibus judicare, sed ipsa non potest a quoquam alio judicari, 9, q. 3, c. *Patet*. Facit etiam pro prædictis, quod Romanæ ecclesiæ consuetudo circa institutiones ecclesiasticas ab omnibus servanda est, D. 9, c. *Quis*, etc. » Respondet concilium sic : « Omnibus istis conclusionibus et earum probationibus introductis potest responderi summarie, quod forte ita scriptum est in jure, sed illud intelligendum est cæteris paribus : sed hic cætera non sunt paria, et ideo non faciunt ad oppositum. » Ita referunt acta concilii apud Vanderhat, tom. 2, p. 13, pag. 287. Ex quibus luce clarius *patet* concilium decreta sua intellexisse de præsenti et simili casu schismatis et dubii pontificis tantum, non de quibuscumque conciliis generalibus.

4° Martinus V, canonice electus et certus pontifex, se concilio superiorem probavit : 1° quia statim solus definivit cum clausula, *sacro approbante concilio;* 2° dissolvit quando voluit concilium, et quamvis quidam ægre ferrent quod dissolveretur non facta reformatione, nullus tamen ausus est reclamare. 3° Bulla *Inter cunctas* data in concilio jubet interrogari suspectos de erroribus Wicleffi : « Utrum credat quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? » Porro si sit suprema, nulla datur major. 4° Alteram bullam in eodem concilio edidit, et in consistorio publico et generali promulgavit, qua prohibet appellare a papa ad concilium. Ita refert ipse Gerson, tract. *Quomodo et an liceat*, etc. quem sic inchoat : « Quæritur utrum hæc

« assertio sit catholica.... *Nulli fas est a supremo judice, videlicet apostolica Sede, seu Romano pontifice Jesu Christi vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum et Sedem apostolicam deferendæ sunt) declinare?* » Subjungit : « Arguitur quod sic auctoritate sanctissimi domini Martini papæ V, in sua constitutione » *Ad perpetuam rei*, facta et promulgata in » consistorio generali celebrato Constantiæ » sexto Idus martii, pontificatus sui anno » primo (hoc est decimo martii 1418), ubi » refertur hæc assertio, sicut dicitur et videturin canonum littera manifeste fundari.»

Scio adversarios rejicere hanc bullam ut fictitiam, aut saltem contendere nunquam habuisse nec habere vim in Ecclesia : 1° quia Gerson illam non vidit, sed loquitur tantum ex auditu; 2° quia nullus bullarum collector de ea facit mentionem; 3° quia in ultima sessione concilii Poloni, occasione libri Falkembergii cujus damnationem in publica sessione petebant, appellarunt ad futurum concilium, nec papa eos redarguit de transgressione bullæ.

Sed contra. Ad primum. Gerson non dicit in terminis se hanc bullam non vidisse. Et *esto* non viderit, saltem illi certo constabat eam extare, siquidem promulgata fuerat in publico et generali consistorio, ut ipse refert, et illi opponebat integrum tractatum theologicum. *Ad secundum.* Plures sunt aliæ pontificum constitutiones quæ non reperiuntur in collectionibus bullarum. *Ad tertium.* Poloni non tam appellabant a papa quam ab ipso concilio; petebant enim libellum seditiosum Falkembergii in sessione publica per sacrum concilium, seu publice damnatum pronuntiari, antequam præsens concilium dissolveretur. Item, non appellabant a judicio pontificis aut concilii, sed a denegatione judicii. Tandem appellabant ad concilium legitimum cui papa præsideret, sicque a papa ad papam appellabant, quod est extra quæstionem nostram.

Cæterum, quidquid sit de ista bulla in qua una non fundamur, saltem ex his quæ in hoc tractatu dicit Gerson habemus quod ne ipse quidem decreta sessionis 4 et 5 concilii Constantiensis pro firmis inconcussis quibus omnes parere obligarentur tenuerit, siquidem tractatum sic concludat : *Hæc autem dicta vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem quam ad alicujus (præsertim sanctissimi domini Martini papæ) reprehensionem.* Sicne locutus fuisset Gerson, si decreta Constantiensia pro fidei decretis ab omnibus in omni casu certo tenendis habuisset? Inquirituine veritas quando certo habetur?

Secunda responsio. Esto decreta sessionis 4 et 5 sint intelligenda de certo pontifice et de conciliis celebratis etiam extra casum schismatis, *respondentur* tunc concilium Constantiense non fuisse œcumenicum, quia episcopi unius tantum obedientiæ, scilicet Joannis XXIII, tunc aderant, nec inter se conveniebant quoad præfata decreta : ita refert cardinalis de Turrecremata qui concilio aderat, in Summa de Ecclesia l. 2, cap. 99 : « Quod decretum illud factum » fuerit ab universali concilio legitime con» gregato et repræsentante universalem Ec» clesiam militantem, est valde dubium » apud multos : imo plurimorum judicio, » scilicet eorum qui fuerant de obedientia » Gregorii et Benedicti, falsum est; quo» niam, sicut apertissime patet ex gestis » illius congregationis, decreta illa, si ita » sunt appellanda, facta solum a patribus » aliquibus obedientiæ Joannis XXIII. Pro » quo notandum est, quod congregatio illa » Constantiæ celebrata tria tempora habuit: » primum fuit in quo sola obedientia præ» fati Joannis (Balthasaris Cossa) Constan» tiæ convenerat; secundum tempus fuit, » in quo Angelus Corrarius, vocatus in » obedientia sua Gregorius XII, juri suo » cedens, præfatæ congregationi sub certis » modis et formis se conjunxit; tertium » tempus, in quo reges et principes ac præ» lati obedientes Petro de Luna, Benedicto » XIII vocato in obedientia per suos docto» res, nova facta convocatione concilii, se » univerant præfatæ congregationi ad pa» cem dandam universali Ecclesiæ (et fui» mus nos tunc præsentes in minoribus » constituti), pro quo solo tempore, conve» nientibus omnibus simul tribus obedien» tiis, fuit certum dicere quod universalis » Ecclesia repræsentative congregata esset » Constantiæ. Nullus autem dubitat quod, » asserere quod sola obedientia Joannis fa» ceret concilium universale, universalem » repræsentans Ecclesiam, esset temera» rium et scandalosum aliis obedientiis.... » In illa determinatione non modo non in-

» tervenit universalis Ecclesia, sed obedien-
» tia una tantum, scilicet Joannis XXIII,
» ut dictum est, sed etiam non integre tota
» illa obedientia, quoniam plures patres
» doctissimi illius obedientiæ illi non præs-
» titerunt consensum suum. » Hæc Joannes de Turrecremata, cardinalis piissimus idemque doctissimus, et, ut ipse scripsit, testis oculatus, cui fidem denegare summæ impudentiæ sit, inquit noster Serry. Ast ego ab his durioribus verbis abstineo, cum videam viros dignitate et eruditione conspicuos meritissimo cardinali revera fidem denegare; quia, inquiunt, hæc scripsit cum esset addictus partibus Eugenii IV contra concilium Basileense. Sed miror commendatissimos scriptores tam futili ratione moveri, ut fidem viro summo et omni exceptione majori detrectent: qualis, amabo, consequentia! Turrecremata adhæsit legitimo pontifici contra conciliabulum: ergo mentitus est? adhæsit S. Cyrillus Cœlestino contra Nestorium: ergo mentitus est in iis quæ scripsit contra Nestorium. Adhæsit S. Augustinus Innocentio I contra Pelagianos: ergo mentitus est in iis quæ de Pelagianis scripsit? imo mentitus est Turrecremata in iis in quibus putidissimi mendacii palam revinci poterat a pluribus qui concilio Constantiensi ad fuerant et erant adhuc superstites: quis credat?

Instant aliunde contra istam responsionem, longe majorem partem episcoporum ex obedientia Joannis XXIII adfuisse primis sessionibus (numerant ducentos et amplius) minimam vero ex duabus aliis obedientiis abfuisse, siquidem, existente integro concilio, interfuerint ducenti quinquaginta tantum episcopi, aut secundum alios trecenti.

Sed contra. Minima pars Ecclesiæ dici non potest ex duabus obedientiis, cum sola obedientia Benedicti XIII complecteretur regna Aragoniæ, Navarræ, Castellæ, Scotiæ, Insulas Majoricæ, Sardiniæ, Corsicæ, et alios tractatus. Acta vero concilii apud Vanderhat, tom. 4, p. 73, numerant tantum septuaginta episcopos in sessione habita vigesimo sexto martii, id est, quatuor diebus ante sessionem 4, et decem ante 5.

Reponunt. Absentia Gallorum a primis sessionibus concilii Tridentini non obfuit ejus œcumenicitati: ergo pariter.

R. N. conseq. Disparitas est, 1° quod Galli essent longe minor pars respectu totius concilii, non sic præsules duarum obedientiarum, ut mox dicebam; 2° Galli non se opposuerunt convocationi concilii quasi haberent potestatem a suo pontifice, nec illis advenientibus facta est nova convocatio concilii quasi prior esset nulla, sicut contigit duabus obedientiis advenientibus Constantiam; 3° prælati Galli probaverunt priora decreta Tridentini in sua absentia facta, non sic ultimo advenientes Constantiam, ut testatur cardinalis de Turrecremata citatus: « Illius decreti (sessionis 4 et 5)
» auctoritati, inquit, aliæ duæ obedientiæ,
» scilicet Gregorii et Benedicti, apertissima
» contradictione in plena congregatione se
» opposuerunt, et earum contradictio fuit
» accepta. »

Inclamant et inferunt. Ergo mentiti sunt patres Constantienses, dum dixerunt in his duabus sessionibus: *Hæc S. synodus concilium generale faciens, etc*

R. N. illationem. Non enim quicumque dicit falsum, mentitur; nec mirum si tunc bona fide erraverint patres, non enim erant infallibiles, nondum congregato concilio universali.

Urgent. Ipse Martinus V agnovit concilium generale esse in primis sessionibus, ante unionem obedientiarum, siquidem in litteris apostolicis quæ extant inter acta ultimæ sessionis, dicat « Quod condemnatio-
» nes errorum et hæresum Joannis Wicleffi
» et Joannis Hus et Hieronymi de Praga,
» factæ de personis et libris eorum per sa-
» crum generale Constantiense concilium,
» fuerint juste et rite factæ. » Item, in alio interrogatorio ibidem, dicit « Credendum
» esse et approbandum quod in favorem fi-
» dei et salutem animarum concilium Con-
» stantiense, universalem Ecclesiam re-
» præsentans, approbavit et approbat, con-
» demnavit et condemnat. » Sunt autem factæ istæ condemnationes sess. 8, quando sola adhuc obedientia Joannis aderat. Ergo.

R. cum Cajetano, Opusc. de Potestate papæ et concilii, cap. 8, « Quod congregatio
» Constantiensis inchoavit primo in obe-
» dientia Joannis XXIII, et deinde iterum
» in conjunctione Gregorii XII, et tertio in
» conjunctione obedientiæ Benedicti XIII
» consummata est, et post electionem Mar-
» tini V in eodem concilio præsidentis auc-
» torisata, et ab hoc nobiliori et certiori
» statu nuncupative in quolibet statu con-

» cilium generale vocatur a papa, nomini- » bus utendo, ut plures, absque veritatis » offensa. Imo ut insinuaret pontifex quod » ab hoc ultimo statu concilium appellabat » generale, præfato interrogatorio fidei » præterito conjunxit præsens, dicens quod » concilium approbavit et approbat, con- » demnavit et condemnat. »

Huic secundæ responsioni, si non stet *prima*, etiam favent quæ diximus pro *prima* num. 3 et 4.

Tertia responsio. Dato gratis hæc decreta intelligenda esse de quocumque concilio generali, etiam extra casum schismatis et dubii pontificis, atque a concilio vere œcumenico fuisse prolata, restat ea non fuisse probata et confirmata a Martino V. Ut enim antea diximus, Martinus in ultima sessione probavit et confirmavit duntaxat *conciliariter acta et definita in materiis fidei, non aliter, nec alio modo.*

Porro hæc decreta neque *conciliariter* neque *in materia fidei* fuerunt prolata. Non *conciliariter*, non solum quia tunc concilium non erat œcumenicum, *ut dictum est*, sed quia non fuerunt edita more aliorum conciliorum, discussis prius maturo examine tanti momenti quæstionibus; fuerunt enim facta occasione recessus Joannis XXIII a concilio; recessit autem vigesimo primo martii vesperi, et statim conclusum fuit decretum contra ipsum, atque trigesima die ejusdem mensis a quatuor nationibus, contradicentibus cardinalibus, fuit pronuntiatum.

Non *in materia fidei*. Nam in sessione 5 hæc leguntur : « Surrexit de mandato to- » tius sanctæ synodi reverendus pater do- » minus Andræas, electus Poznaniensis, » et certa capitula per modum *constitu-* » *tionum synodalium*, prius per singulas » quatuor nationes conclusa et deliberata, » legit et publicavit : quarum tenores se- » quuntur et sunt tales. » Inter has autem constitutiones synodales primo et secundo loco recensentur decreta de quibus hic agitur. Lectis autem his et aliis constitutionibus synodalibus, subjungitur : « Quibus » peractis, supradictus reverendus pater » dominus Andræas, electus Poznaniensis, » *in materia fidei* et supra materia Joannis » Hus legebat quædam avisamenta, quæ » sequuntur est sunt talia. » Palam et concilium distinguere inter constitutiones synodales et materiam fidei, reponere decreta de quibus agitur inter constitutiones synodales et excludere a materia fidei : consequenter Martinum V, qui decreta hujus concilii tantum confirmavit *in materia fidei, non aliter nec alio modo*, præfata decreta de quibus est quæstio non confirmasse.

Item, hæc decreta non fuerunt lata sicut ferri solent decreta fidei, sub pœna anathematis aut hæresis, sed tantum sub pœna pœnitentiæ aut punitionis contra transgressores contumaces, nisi resipuerint. Ergo idem quod prius.

Confirmantur hucusque dicta in tribus responsionibus. Si laudata decreta essent decreta fidei a concilio vere œcumenice sancita pro quocumque concilio et pontifice, etiam extra casum schismatis et dubii pontificis, atque a Martino V probata et confirmata, nullus catholicus, cujuscumque status, conditionis aut dignitatis etiamsi papalis, ausus esset illi contradicere absque hæreseos labe : atqui non solum Martinus ipse in concilio illis contradixit, ut vidimus, sed paulo post concilium plures theologi eruditione et sanctitate insignes contrarium docuerunt, inter eos Turrecremata, in Summa de Ecclesia; Ferrariensis, in lib. 4 contra Gentes, cap. 75; S. Antoninus, in Sum. p. 3, tit. 23, cap. 3, § 3, ubi dicit : « Sed nec ad concilium generale a » papa appellari potest, quia papa omni » concilio superior est; nec robur habet » quidquid agitur, nisi auctoritate Romani » pontificis roboretur et confirmetur. Sen- » tire ergo quod ad concilium a papa ap- » pellari possit, est hæreticum. » Sequentes pontifices, Pius II et Julius II, prohibuerunt sub pœna excommunicationis appellare a papa ad concilium. Idem quotannis solemniter sub eadem pœna prohibetur in publicatione bullæ *Cœnæ*, a Gregorio XIII innovatæ. Omnes ferme theologi omnium aliarum nationum, excepta Gallia, cujuscumque status, conditionis et dignitatis, palam contrarium docent, et quidam tanquam de fide. Concludamus ergo laudata decreta non esse decreta fidei ab omnibus certo et pro omni casu tenenda, vel quia spectant tantum casum schismatis et dubii pontificis, vel quia non sunt a concilio vere œcumenico edita, vel denique quia non sunt confirmata a summo pontifice. Et ita censuerunt ipsimet præcipui horum decreto-

rum defensores. Jam audivimus Gersonem : audiamus cardinalem Petrum de Alliaco, Gersonis magistrum, alterum pontificiæ auctoritatis infra concilium depressorem, Gersone tamen moderatiorem. Is itaque, in tractatu *de Potestate ecclesiastica* quem post sessionem 5 composuit, anno 1417, juxta novam editionem operum Gersonis, tom. 2, pag. 926, et qui lectus fuit in concilio prima octobris ejusdem anni, post multa dicta et allegata pro auctoritate concilii supra pontificem, sic concludit : « Hæc igitur » ad decem capitula in prologo hujus operis » proposita, mihi pro responsione videntur » sufficere : quæ tamen non definitive de- » terminando, sed doctrinaliter suadendo » posita sunt; nam hujus rei definitionem » sacri concilii determinationi submitto. » Censebat ergo nondum latam ultimam hac de re definitionem a concilio.

Instant. Concilium Basileense, sess. 2, decretum Constantiense innovavit et confirmavit, certo et indubitato pontifice existente; idque Eugenius IV approbavit et confirmavit bulla *Dudum* lecta sess. 16 ejusdem concilii Basileensis, in qua etiam revocat alia bullas a se anterius datas contra idem concilium. Ergo.

R. Eugenium IV nunquam probasse hoc decretum sessionis 2 concilii Basileensis. Equidem, metu schismatis imminentis, ex eo quod concilium Basilea Ferrariam, renitentibus patribus Basileensibus transtulisset, et omnibus principibus instantibus ut hanc translationem revocaret, annuit continuationi concilii Basileæ, revocavitque bullas quibus ejus translationem et dissolutionem præceperat, atque declaravit se intendere concilium omni favore prosequi : hæc et nihil amplius Eugenius in dicta bulla *Dudum*. Ex eo autem quod concilium legitimum agnoverit, ejus continuationem permiserit, et illud omni favore prosequi intenderit, non sequitur quod omnia ejus decreta probaverit et confirmaverit. Martinus V concilium Constantiense legitimum agnovit, omni favore illud prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta confirmavit, sed ea solum quæ in materia fidei *conciliariter* essent facta, nec aliter nec alio modo, ut vidimus. S. Leo concilium Chalcedonense legitimum agnovit, et ipsum omni favore pariter prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta probavit, ut constat ex supra dictis. Idem de Eugenio IV, respectu concilii Basileensis. Id testatur Turrecremata citatus, scribens se audivisse Eugenium Florentiæ in disputatione publica dicentem : *Nos quidem bene progressum concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus decreta.* Idem Eugenius, scribens episcopo Leodiensi et Bononiensi, aliisque per Germaniam constitutis apostolicæ Sedis legatis, permittit illis, si opus sit ad devinciendam illius nationis obedientiam, approbare decreta concilii Basileensis ante translationem facta, « absque tamen præjudicio juris, dignita- » tis et præeminentiæ S. Sedis apostolicæ, » ac potestatis sibi et in ea sedenti in per- » sona B. Petri a Christo concessæ. » Apud Raynaldum ad annum 1446, n. 3, et in bulla *Moyses vir Dei*, data in concilio Florentino, et refertur inter ejus acta p. 3, pag. 1186, dicit : Basileenses « in hoc per- » niciosissimi, dum suam malignitatem sub » veritatis fuco colorant, Constantiense con- » cilium in malum ac reprobum sensum, et a » sana doctrina penitus alienum pertrahunt, » cæterorum hæreticorum et schismatico- » rum falsam doctrinam sequentes, qui con- » fictos errores et impia dogmata ex divinis » Scripturis et sanctis Patribus perverse in- » tellectis, semper sibi adstruere moliun- » tur. » Unde Nicolaus V, qui Eugenio successit, et quocum Basileenses qui Lausanam concilium transtulerant, inierunt pacem, ex omnibus decretis concilii Basileensis approbavit tantum quæ gesta erant circa censuras et causas beneficiales.

Urgent. Qui decreta synodi scit, nec improbat, et edita bulla synodo adhæret, censetur illa decreta approbare, præsertim si ipsa decreta prius ab ipso damnata, ipso quoque auctore convalescunt. Ergo.

R. D. ant. Qui decreta synodi scit, nec improbat, censetur illa probare, si tempus congruat et obligatio urgeat approbandi vel improbandi, *transeat;* secus, *N.* Non congruebat autem tempus, instante schismate ex obstinatione Basileensium, ut circa hæc decreta mentem suam aperiret summus pontifex; nec urgebat tunc obligatio approbandi vel improbandi, cum non soleant pontifices, nisi absoluto concilio, decreta approbare vel infirmare. Neque per revocationem priorum bullarum sic convaluerunt decreta prius damnata quasi essent appro-

lata, sed ad eum statum revocata sunt in quo erant ante damnationem.

Certo malo omine nobis hic adversarii *objiciunt* concilium Basileense, cum ipsis plus noceat quam prosit. Etenim concilium Basileense deposuit Eugenium IV, papam indubitatum, et ejus loco creavit Amedæum Sabaudiæ ducem, sub nomine Felicis V. Si concilium sit supra papam certum et indubitatum, possitque eum judicare, in ordinem redigere et deponere, et ita sit definitum a concilio vere œcumenico et confirmato tanquam veritas fidei, ut declararunt Basileenses sess. 33, et tenent adversarii; quæro quare universa Ecclesia (excipe Germaniam quæ neutralitatem amplexa est, non tamen Galliam) non habuit Eugenium pro deposito, sed semper illi ut vero pontifici adhæsit? quare non agnovit Amedæum pro vero pontifice, sed semper eum ut intrusum execrata est? Erraverunt ergo Basileenses in his decretis explicandis et sanciendis, vel erravit in fide universa Ecclesia; imo etiam nunc errat, excepta Gallia, siquidem ab hinc omnes aliæ nationes, summi pontifices, sequentia concilia, omnes universitates, omnes theologi cujuscumque status aut conditionis, extra Galliam, hæc prætensa fidei decreta totis viribus impugnent: hinc omnes hæretici, sola Gallia catholica.

Neque dicas quasdam Germaniæ universitates tempore concilii Basileensis ejus decretis favisse. Non diu steterunt in errore, sed brevi ad communem sententiam reversæ sunt. *Neque etiam dicas* Ludovicum Alemanum, dictum cardinalem Arelatensem, depositioni Eugenii IV præfuisse, et tamen beatorum catalogo a Clemente VII fuisse adscriptum: potuit enim ipsum excusare bona fides et recta intentio, ut in multis aliis contigit.

Ingenue fateor me non sine aliquo stupore legisse in aliquo partis adversæ scriptore non ignobili, nihil videri obstare quominus nostra sententia sit hæretica, neque nos a gravi nota esse immunes, nisi bona fides, re non satis attenta, excuset. Quo vergat ista intempestiva censura, quos, quot et quantos feriat, ad quas angustias dilabatur et quæ absurda devorare cogatur! Nimirum Ecclesiam universam, excepta Gallia, in errore contra fidem versari, solam Galliam esse orthodoxam, intra solos Galliæ limites Ecclesiam Christi sine capite coarctari, *patet ex dictis* et omnes percipiunt: at forte nemo percipit quomodo iste auctor possit secum conciliari; dicit enim alibi episcopos Galliarum in sua famosa Declaratione non intendisse decretum fidei condere, sed opinionem de fallibilitate pontificis et ejus subjectione ad concilium generale adoptasse ut potiorem. At quomodo sententia simplici opinioni contraria sit hæretica, quomodo ejus defensores immunes esse non possunt a gravi nota? *Qui potest capere capiat.*

Longe præstat audire alterum celebrem inter Gallos scriptorem Cabassutium, in Notitia Ecclesiastica sæc. 15, pag. mihi 549, sic verius discurrentem: « Ex quo sibi (synodus Basileensis) supra pontificem Romanum auctoritatem indebitam arrogavit, plenamque jurisdictionem jubendi, compellendi, ipsumque suis jussionibus non obedientem deponendi, aliumque ejus viventis loco pontificem obtrudendi, quod demum ab ipsa peractum est, desiit esse legitima, sibique grande vituperium fœdamque maculam accersivit..... Cumque paucissimi præsules qui Basileam concesserant, jam olim canonice instituto, indubitato et unico pontifici Eugenio ejus in privatum ordinem, reductionem comminarentur debitamque hæreticis pœnam ni se inferiorem et subditum jurisdictioni synodi profiteretur, ejusque mandatis obtemperaret, tunc cœpit concilium pernicios schismatis jactare semina, quamvis Constantiensis decretum prætexeret, sed in diversa longeque dispari causa. Illud enim justam sibi attribuebat potestatem in plures pontifices invicem contendentes et universam jampridem Ecclesiam lacerantes, quorum jus obscurum admodum et ambiguum erat, nec aliud remedium superarat extinguendi diuturnum incendium quo Ecclesia conflagrabat..... Itaque Constantiense decretum felici exitu terminatum est, remoto schismate. At ex adverso, cum nulla esset in Ecclesia concissio, solusque Ecclesiæ præesset Eugenius quem fideles omnes legitimum agnoscebant et colebant pontificem, eo vivente, novum Basileenses pseudopontificem obtrusere.

» His adjunge pontificem Eugenium justam habuisse Basileensis concilii alio transferendi causam, fervente tunc in

» omni vicinia gravi bello Burgundum in» ter et Austriacum duces, stantibusque tunc » in armis Bohemiæ Moraviæque populis, » querum injustis postulatis concilium non » poterat assentiri : jamque etiam transac» tis octo mensibus postquam synodus de» buit exordium sumere, episcopi apud » Basileam non plures tribus, aliique præ» lati non plures quam decem convenerant; » atque ita immerito cœtus ille sacrosancti » generalis concilii nuncupatione jactabat, » et, quod longe deterius est, de extruden» do summo legitimeque electo pontifice » nefaria consilia capessebat.

§ II. — *Solvuntur cæteræ objectiones.*

Obj. 1° Papa est frater noster, habet enim nobiscum eumdem Patrem, scilicet Deum: ergo, si peccaverit et non fuerit correptione emendatus, debet denuntiari Ecclesiæ, juxta præceptum Christi, Matth. 19. *Subsumo.* Atqui, qui denuntiatur Ecclesiæ ab ea judicandus, est Ecclesiæ, consequenter concilio generali, inferior. Ergo.

R. hæc Christi verba : *Dic Ecclesiæ,* non intelligi de societate fidelium aut de concilio generali ; nunquam enim fuit in usu et esset absurdum, peccatum fratris inobedientis deferri coram multitudine fidelium, aut ad id concilia generalia institui ; sed intelligi de prælatis Ecclesiæ. Sicut enim dicitur deferri ad civitatem quod defertur ad senatum, aut ad imperium quod defertur ad caput imperii seu imperatorem ; ita censetur dici Ecclesiæ quod dicitur ejus prælatis. Prælatus ergo qui non habet superiorem, qualis est papa, potest quidem fraterne cum humilitate et reverentia corripi, et ex hac parte locum habet in eo sententia Christi ; sed non habet ex ea parte qua præcipitur denuntiari Ecclesiæ, quia nullus est illi superior ; sed oportet, inquit S. Th., recurrere ad Deum, —*In 4 d. 19. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2.—qui eum emendet vel de medio subtrahat.*

Inst. 1° Petrus, consequenter papa ejus successor cum aliis, Matth. 18, instruebatur quomodo segerere deberet erga fratrem delinquentem : ergo, si peccator secreto correptus a pontifice etiam adhibitis testibus non emendetur, debet pontifex eum denuntiare Ecclesiæ. *Subsumo.* Atqui qui debet denuntiare Ecclesiæ seu concilio ab eo judicandum et puniendum, minor est Ecclesia seu concilio. Ergo.

R. 1° Petrum tunc, Matth. 18, nondum fuisse institutum pontificem : unde potuit instrui cum aliis quomodo ut privatus deberet procedere in correctione fraterna et deferre superiori.

R. 2° Casu quo peccator a papa fraterne correptus, etiam adhibitis testibus, non emendetur, debet pontifex dicere Ecclesiæ, non hoc sensu quod debeat dicere concilio generali; absurdum enim foret, *ut jam dixi,* quod ad correctionem cujuscumque delinquentis deberent congregari concilia generalia ; sed hoc sensu quod pontifex sibi ut judici et prælato debeat dicere : ita ut auctoritate pontificia fungens ipsum in suo tribunali examinet et convictum puniat : quamvis enim pontifex non sit simpliciter seipso major, attamen consideratus ut persona privata, minor est seipso considerato ut persona publica.

Inst. 2° S. Greg. lib. 4 Epist. 38 ad Joannem Constantinopolitanum, qui se dicebat *universalem* et correptus non emendabatur, dicit : «Quidquid facere humiliter de» bui, non omisi ; sed, quia in mea correp» tione despicior, restat ut Ecclesiam de» beam adhibere. » Et Nicolaus papa, cap. *Præcipue* causa 11, q. 3, dicit Lothario regi : « Cæterum præcave ne quod nobis, » secundum Domini præceptum, duos aut » tres testes adhibeamus, imo vero ne hoc » Ecclesiæ dicamus, et (quod non optamus) » de cætero filias sicut ethnicus et publi» canus. »

R. ex dictis utrumque pontificem per Ecclesiam intelligere suum tribunal aut seipsos ex auctoritate officii præsidentes, secundum quod docet Auctor, loco citato in margine a. 3, quæstiunc. 2, ad 4 : « Præ» latus, inquit, potest dupliciter considera» ri, aut secundum quod judicio præsidet, » et sic dicere prælato est dicere Ecclesiæ, et » sic debent prius testes adhiberi quam præ» lato dicatur : aut extra judicium existens, » et sic dicere prælato non est dicere Eccle» siæ, sed personæ quæ potest prodesse et » non obesse, quia nullus magis potest pro» desse quam prælatus: secundum hoc, de» bet prius dici prælato quam testibus aliis. »

Obj. 2° Concilia generalia auctoritatem exercuerunt in plures summos pontifices. Ergo. *Prob. ant.* 1° Sexta synodus damna-

Honorium ; 2° concilium Pisanum deposuit Gregorium XII et Benedictum XIII ; similiter concilium Constantiense eosdem et Joannem XXIII deposuit ; 3° concilium Arelatense recognovit sententiam Melchiadis contra Donatistas; horumque appellationem justam existimavit S. Augustinus, Epist. 162, in qua dicit: « Ecce ponamus » omnes episcopos qui Romæ judicarunt » non fuisse bonos judices; restabat adhuc » plenarium universæ Ecclesiæ concilium, » ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset » agitari, ut si male judicasse convicti fuis- » sent, eorum sententiæ solverentur.» Ergo.

R. N. ant. Ad primum probat. 1° Honorius fuit damnatus post mortem ; pontifex autem mortuus non remanet pontifex, quia post mortem non habet amplius jurisdictionem ratione cujus est pontifex. 2° Honorius accusatus erat de hæresi, quam dicebatur asseruisse ut privatus doctor ; in casu autem hæresis pontifex desinit esse caput Ecclesiæ, quia desinit esse ejus membrum, et ideo potest a concilio damnari.

Inst. Si pontifex subjiciatur judicio Ecclesiæ in casu hæresis, quidni in aliis casibus ?

R. Quia in casu hæresis et non in aliis, ipsa sua hæresi, excidit a pontificatu ; quomodo enim remaneret caput Ecclesiæ qui non est amplius ejus membrum? Unde subjicitur judicio Ecclesiæ, non ut deponatur, cum jam seipsum per hæresim deposuerit et pontificatum abjecerit, sed ut declaretur hæreticus, sicque innotescat Ecclesiæ non esse amplius pontificem ; ante quam declarationem non licet ipsi denegare obedientiam ; quia eo usque retinet jurisdictionem, non de jure quasi esset adhuc pontifex, sed de facto, Deo ita volente et dispensante propter commune Ecclesiæ bonum.

Ad secundam probationem. Concilium Pisanum et Constantiense deposuerunt dubios pontifices, non certos ; dubius autem pontifex non est pontifex, quia non est caput visibile Ecclesiæ, et apud Ecclesiam non esse et non apparere idem sunt.

Si dicas Joannem XXIII habitum fuisse pro legitimo pontifice ab ipso concilio Constantiensi : *R.* id non constare, nec alicubi declaratum : sed *hoc dato*, non habebatur talis in aliis obedientiis, sicque remaneat dubius in Ecclesia.

Ad tertiam probationem. 1° Concilium Arelatense non fuit œcumenicum, sed ad summum nationale, unde, si quid probaret objectio, sequeretur quod summus pontifex non solum generali concilio, sed etiam nationali esset inferior, quod non admittunt objicientes. 2° Concilium Arelatense non recognovit judicium Melchiadis summo jure, quasi potuisset supra pontificem judicare, sed ex mera indulgentia in Donatistas, quorum clamoribus et importunitate victus imperator, ad eos compescendos, hoc concilium illis dederat. Unde S. Aug. Epist. 162, dicit: « Imperator dedit aliud Arela- » tense concilium, non quia necesse erat, » sed horum importunis clamoribus cedens, » et omnimodo cupiens tantam insolentiam » cohibere. » Adde quod huic concilio in quo agebatur tantum de facto, ut antea dixi, iidem Romani judices cum legatis summi pontificis adfuerint : unde ad eosdem judices melius informandos potius quam ad aliud tribunal causa delata est.

Ad verba S. Augustini. Hæc dixit S. doctor, non approbando, sed ironice exprobrando Donatistarum audaciam ; quasi dixisset : Quid restabat impudentiæ vestræ, nisi ut concilium congregari peteretis ad rescindendum Melchiadis sententiam ? Quod stulte ei impie fecistis.

Quod objici posset, plures synodos recognovisse judicia pontificum prius lata, ut Nicæna synodus recognovit judicium Sylvestri contra Arium, Ephesina judicium Cœlestini contra Nestorium, Chalcedonensis judicium S. Leonis contra Eutychem, etc., præoccupatum est supra, dum diximus laudatas synodos recognovisse pontificum judicia, non ex necessitate pro certitudine fidei et ob insufficientiam lati judicii a pontifice, quasi esset errori obnoxium ; sed ad majorem solemnitatem et ad hæreticorum proterviam magis et efficacius comprimendam, atque ut omnium ecclesiarum in hæresi comprimenda consensio omnibus innotesceret.

Obj. 3° Plures pontifices agnoverunt concilia generalia esse sibi superiora. Ergo. 1° *Prob. ant.* Cum concilium Capuanum, anno 391, causam Bonosi Sardicensis episcopi Anysio et quibusdam episcopis Macedoniæ et Illyrici commisisset judicandam ; hi, difficultate litis implexæ deterriti, rogaverunt litteris datis Syricium summum pontificem, ut hujus causæ cognitionem et judicium in se sumeret; at ille renuit et

respondit : « Cum hujusmodi fuerit concilii » Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso » atque ejus accusatoribus judices tribue- » rentur, advertimus quod nobis ea judi- » candi forma competere non posset; nam, » si integra esset ejusmodi synodus, recte » de iis quæ comprehendit scriptorum ves- » trorum series decerneremus. Vestrum est » igitur qui hoc recepistis judicium, senten- » tiam ferre de omnibus; vicem enim sy- » nodi recepistis, quas ad examinandum sy- » nodus elegit... Primum est, ut ii judicent » quibus judicandi facultas est data. Vos » enim totius, ut scripsimus, synodi vice » decernitis : nos quasi ex synodi auctori- » tate judicare non convenit. » Ergo.

2° Cum Innocentius I sententiam pseudosynodi ad Quercum contra S. Chrysostomum rescidisset, et ipsum sedi suæ restituisset, scripsit nihilominus clero Constantinop., « Necessariam esse synodalem » cognitionem ad causam illam integre fi- » niendam..... eam solam esse quæ hujus- » modi procellarum impetus retardare pos- » set..... deliberare se multum atque despi- » cere quomodo universalis synodus con- » gregetur, ut, de voluntate Dei, turbu- » lenti isti motus compescantur. » Ita apud Paladium in Dialogo, et Sozomenum lib. 8, cap. 26. Ergo agnovit pontifex plus posse synodum generalem quam ipse posset, sicque se esse illi inferiorem.

3° Cum Philippus Augustus, Galliarum rex, instanter peteret ab Innocentio III ut rescinderet matrimonium contractum cum Insemburgi regis Daniæ sorore (quod illa juramento affirmabat esse consummatum), respondit Innocentius : « Non audemus de » ejusmodi casu de nostro sensu pro te ali- » quid definire : si super hoc absque deli- » beratione concilii determinare aliquid » tentaremus, præter offensam et munda- » nam infamiam quam ex eo possemus in- » currere, forsan ordinis et officii nostri » periculum immineret, cum contra præ- » missam veritatis sententiam (quod Deus » conjunxit, homo non separet) nostra non » posset auctoritas dispensare. » Ergo, ut ante, agnovit Innocentius plus posse synodum quam ipse posset, et ab ea posse deponi, si petitioni regis annueret.

R. N. ant. Ad primam probat. N. conseq. 1° Quia alioquin sequeretur quod concilio etiam provinciali, quale erat Capuanum, pontifex esset auctoritate inferior, quod nemo admittit. 2° Quia Syricius recusavit cognoscere causam Bonosi, non quod non posset summo jure, sed tum ne inverteret ordinem juris secundum quem et canones prima causarum episcopalium cognitio pertinet ad episcopos comprovinciales, tum quia non decebat majestatem pontificiam ut quasi subdelegatus a delegatis per concilium, videretur judicare causam Bonosi; quod formalibus terminis exprimit : *Nos*, inquit, *quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit.*

Ad secundam probat. N. pariter conseq. Innocentius enim dicit necessariam esse synodum, non ad jus dicendum, siquidem jam ipse judicium Theophili contra S. Chrysostomum irritaverat, sed ad compescendos motus Orientalium hac occasione excitatos : qui tamen, favente divina providentia, sola auctoritate Innocentii sedati sunt.

Ad tertiam probat. N. iterum conseq. Etenim recte dixit Innocentius III, se non audere regis postulationi annuere, quia rex postulabat rem divino jure prohibitam, scilicet dissolutionem matrimonii consummati : *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quod addit de necessitate synodi, sine qua nihil potest concedere regi; apertum est id dixisse ad meram excusationem et honestum effugium; nihil enim plus poterat in hoc casu concedere concilium quam pontifex, neque tunc erat congregatum aut ideo congregandum concilium. Tandem subjungit, nec falso, periculum amittendæ dignitatis si regis votis annueret, quia pontifex in hæresim apertam lapsus, ut in casu contingeret, subjicitur concilio generali, a quo ideo potest deponi, seu potius declarari depositus, eo modo quo supra diximus.

Inst. 1° Summi pontifices sæpe requisiverunt approbationem et confirmationem conciliorum ut necessariam suis decretis, et in conciliis non solent definire, nisi *approbante sacro concilio :* ergo se illi inferiores agnoscunt.

R. N. conseq. 1° *Retorqueo argumentum.* Concilia petunt approbationem et confirmationem pontificis : ergo sunt illi inferiora. *Negant consequentiam objicientes;* quidni *negamus* quam *inferunt ex simili antecedente?* 2° Pontifices quandoque dicunt *sacro approbante concilio*, seu requirunt ap-

probationem et confirmationem conciliorum, non quæ sit auctoritatis dantis robur et firmitatem decretis pontificiis, sed simplicis assensus et adhæsionis qualem dare possunt æquales æqualibus, imo inferiores superioribus. Dum ergo dicunt illam esse necessariam, non intelligunt esse necessariam ad certitudinem definitionis, sed ad majorem solemnitatem, ut efficacius frangatur hæreticorum protervia et motus compescantur, *ut diximus supra.*

Inst. 2° Pontifices passim profitentur se adstringi canonibus conciliorum. Ergo.

R. D. ant. Summi pontifices profitentur se adstringi canonibus qui pertinent ad jus divinum vel naturale, *C.* qui pertinent ad jus ecclesiasticum tantum, *subdistinguo.* Adstringuuntur via directiva, in quantum eorum statui conveniunt, *C.* via coactiva, *N.* Unde *negatur consequentia. Solutio patet.*

Inst. 3° Cœlestinus I, Epist. ad episcopos Illyrici, dicit : « Dominentur nobis leges, non legibus dominemur, pareamus canonibus et ea quæ sunt nobis præcepta servemus. » Sylvester II, Epist. ad Seginnum, archiepiscopum Senonensem, dicit : « Constanter dico quod, si ipse pontifex Romanus in fratrem peccaverit, sæpius admonitus Ecclesiam non audierit, hic, inquam, Romanus pontifex præcepto Dei est habendus tanquam ethnicus et publicanus. » Ergo.

R. ad primum, 1° solutione præcedenti. 2° Leges debent dominari pontificibus non dominatione potestatis coactivæ, sed dominatione rationis; quicumque enim ductu rationis regitur, ratio dicitur illi dominari.

Ad secundum. Quando hoc dixit Sylvester II, non erat pontifex, sed erat Gerbertus, archiepiscopus Remensis a papa depositus, et ideo in eum exasperatus : at postea pœnitentia ductus et pontifex factus, aliter sensit et locutus est.

Inst. 4° Pontifices in sua consecratione jurant, aut saltem jurabant olim, observare canones conciliorum : ergo iis subjiciuntur.

R. N. conseq. Obligatio enim juramenti est ad Deum tantum, nec arguit subjectionem ad homines. Sic, dum reges in sua inauguratione jurant servare privilegia patriæ, obligantur coram Deo, non tamen ideo subjiciuntur suis civibus. Deinde pontifices ex juramento tenentur absolute servare canones spectantes jus naturale vel divinum; quantum autem ad eos qui spectant solum jus ecclesiasticum, *patet* quod non intendant ita stricte se obligare, cum quotidie in eis dispensent.

Obj. 4° Sæpe, præsertim in Gallia, appellatum est a summo pontifice ad concilium generale : anno 1302, a bullis Bonifacii VIII; anno 1491, a bulla Innocentii VIII, occasione decimarum extraordinariarum; anno 1517, a Concordato Leonis X cum Francisco I, propter abrogationem Pragmaticæ Sanctionis; anno 1682, a decretis Innocentii XI in causa Regaliæ : atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem. Ergo.

R. N. conseq. 1° Quia ex facto jus nec probatur nec acquiritur, præsertim si sint jura positiva facto contraria, ut hic contingit et *patet ex probationibus conclusionis.* 2° Quia istæ appellationes non sunt factæ ad concilium generale excluso pontifice, sed ad concilium quod pontifex convocaret et cui præesset per se vel per suos legatos; sicque non tam sunt appellationes quam novæ ejusdem causæ cognitiones coram eodem judice, aliis tantum judicibus pontifici subordinatis assidentibus. Insuper appellatio a Concordato non erat proprie appellatio ad concilium generale, sed ad ipsum pontificem et plenius concilium; quia Galli non reputabant concilium Lateranense generale. Similiter non habebant Bonifacium VIII pro legitimo pontifice, ideoque existimarunt sibi licitum ab illo appellare. In aliis regnis gravamini occurritur ordinarie per supplicationes, repræsentationes et legatos, sicque plerumque res pacifice componuntur.

Obj. 5° Totum est majus sua parte : atqui concilium œcumenicum est quoddam totum morale cujus pontifex pars est etsi præcipua : ergo concilium est majus et superius papa, juxta illud vulgatum S. Hieronymi : *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe;* cap. *Legimus*, D. 93.

R. hoc argumentum non attingere thesim, quæ non est de concilio generali computato summo pontifice, sed de concilio seu congregatione episcoporum, non computato pontifice, ut diximus initio articuli Si autem quæratur de concilio computato

pontifice, dicimus concilium esse illo majus extensive et auctoritate; quia tota concilii auctoritas a summo pontifice dimanat: et in hac hypothesi, pontifex est pars, sed dominatrix et rectrix, sicut caput est pars corporis, ipsi toti dominans atque illud regens; quo sensu pars non est toti cui dominatur auctoritate inferior. Res magis elucesceret *retorsione argumenti* in adversarios. Totum est majus sua parte: atqui comitia generalia regni Galliæ sunt quoddam totum cujus rex est pars etsi præcipua: ergo comitia generalia sunt quid majus et auctoritate superius rege. Idne concedunt Galli?

Neque dicas comitia Galliæ olim deposuisse regem: idne licite factum, an illicite? meum non est inquirere: at persuasum habeo quod quid simile nunc, etiam suppositis iisdem circumstantiis, non auderent attentare Galli. Sed et est disparitas, quod auctoritas regum sit originative a populo; auctoritas autem summi pontificis sit immediate a Deo.

Neque etiam inferas, juxta nos, episcopos in conciliis non sedere ut judices; sed esse tantum conciliarios pontificis: sunt namque veri judices, sed inferiores et subordinati summo pontifici, qui eorum judicium potest recognoscere, examinare et emendare.

Quantum ad dictum S. Hieronymi, id dicit S. doctor, non comparando auctoritatem pontificis cum auctoritate concilii, sed comparando consuetudinem urbis Romæ cum consuetudine aliorum regnorum; vultque alia regna non teneri, usibus suis abdicatis, sequi usum urbis Romæ, secundum quem diaconi se præferebant presbyteris. De quo jam dixi alibi.

Inst. 1° Auctoritas concilii est divina, seu divinæ conjuncta, potesque dicere sicut concilium Jerosolymitanum: *Visum est Spiritui sancto et nobis:* ergo tenetur pontifex illi assentiri nisi velit deviare a Spiritu sancto, sicque est inferior concilio.

R. 1° argumentum eadem chorda ac præcedens aberrare; concilium enim cujus est divina auctoritas et quod potest dicere: *Visum est Spiritui sancto et nobis*, est concilium computato summo pontifice, de quo non est quæstio, non vero concilium sejuncto summo pontifice unde concilium Chalcedonense condens canonem 28 repugnantibus legatis, et quem rescidit S. Leo, non poterat dicere: *Visum est Spiritui sancto.* 2° *Esto* pontificem teneri assentiri definitis a concilio generali eo absente, non inde sequitur quod sit illi inferior, sed quod concilium recte definivit. Sic concilium Ephesinum tenebatur assentiri definitis a concilio Nicæno, nec tamen ideo erat illi inferius.

Inst. 2° Est de fide quod concilium generale sit infallibile, et non est de fide quod summus pontifex sit infallibilis: atqui auctoritas quæ est de fide infallibilis potior est ea quæ non est de fide infallibilis: ergo auctoritas concilii est potior et superior auctoritate pontificis.

R. iterum argumentum currere in eadem falsa hypothesi; concilium namque quod secundum fidem est infallibile, est concilium œcumenicum cum suo capite Romano pontifice de quo non procedit quæstio, non vero concilium sejunctum a suo capite de quo procedit quæstio. Constat enim plura concilia, sejuncto capite, errasse, ut Ephesinum II, Chalcedonense et Ariminense. Insuper infallibilitas non arguit necessario superioritatem: nam S. Joannes erat infallibilis in fide, et tamen auctoritati Lini et Cleti summorum pontificum, quorum temporibus vivebat et scripsit Apocalypsim, subjiciebatur, quamvis hi pontifices, juxta adversarios, essent in fide fallibiles.

Inst. 3° Summus pontifex est filius Ecclesiæ: atqui filius est inferior matre. Ergo.

Respondent Pius II, in bulla Retractationis, data anno 1463, quod, etsi Ecclesiæ filius sit propter « regenerationem, » propter dignitatem tamen pater habetur. » Et sicut filiationis causa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem, ita et » prælationis causa præfertur ei ut pastor » gregi, princeps populo, rector familiæ. »

Inst. 4° Ecclesia potest eligere pontificem: ergo et illum deponere.

R. N. conseq. Quia per electionem fit caput et superior Ecclesiæ, in quem proinde Ecclesia non habet jurisdictionem nec potestatem coactivam: sic capitulum potest eligere episcopum, illum autem semel electum non potest deponere.

Inst. 5° Secundum jura potest deponi pontifex simoniace electus. Ergo.

R. N. conseq. Quia pontifex simoniace

electus non est vere pontifex, cum electio simoniaca sit nulla, modo tamen non sit acceptatus ab universa Ecclesia : hoc enim usu acceptatio Ecclesiæ suppleret defectum electionis, ut dicemus art. seq.

Obj. 6° ab inconvenientibus. Non est credibile Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis : atqui id contingeret si pontifex non subjiciatur concilio : 1° si pontifex esset noxius Ecclesiæ eamque vellet subvertere ; 2° si sit captivus ; 3° si sit amens : in his enim casibus nullum videtur remedium nisi in concilio quod possit papam deponere. Ergo.

R. N. min. Ad primum casum. Si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifeste hæreticus, hoc ipso excidit a pontificatu ; et requiritur tantum declaratio Ecclesiæ, ut denegetur ipsi obedientia, *sicut diximus antea.* Si autem aliter sit noxius Ecclesiæ : quidam respondet fideles posse vi armorum illi resistere, absque eo quod ideo amittat superioritatem : sic, dum, injuste invasus a suo superiore, illi resistit, invadens non amittit ideo superioritatem ; sic iterum, si rex Galliæ qui nullum agnoscit superiorem in temporalibus, vellet regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere, nec tamen ideo amitteret dignitatem regiam. *Respondet* S. Thomas *recurrendum esse ad Deum, qui eum emendet vel de medio subtrahat* :—In 4. d. 19. q. 2. a. 2. q. 3. ad 2. —vel dicendum quod, cum Deus speciali providentia regat et conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut hucusque non permisit, hunc casum evenire ; aut si permittat, non deerit in subministrandis mediis et auxiliis opportunis.

Ad secundum casum pontificis captivi. Fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro dum detinebatur captivus ab Herode ; nec interim desinet esse pontifex aut poterit deponi a concilio, sicut rex Galliæ captivus non desinit ideo esse rex nec deponi potest a populis.

Ad tertium casum. Si pontifex sit perpetuo amens, censebitur mortuus ; est enim amens revera mortuus quantum ad vitam rationalem, sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio pontifice. Interea vero in hoc et præcedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiæ de fide vel moribus, poterunt episcopi vel concilium definire ; sed definitio non habebit ultimam et absolutam firmitatem, donec confirmetur a pontifice sequente, *ut jam diximus et dicemus.*

ARTICULUS IX.

Utrum sit de fide Clementem XIV esse summum pontificem?

Hæc quæstio nata est et facta celebris ineunte sæculo superiori, cum quidam in Hispania, præsentientes Clementis VIII judicium fore contrarium suis opinionibus quæ tunc Romæ examinabantur, ut pararent sibi viam ad illud declinandum, propositis publicis thesibus defenderunt non esse de fide Clementem VIII esse Petri successorem, quarum auctores jussit incarcerari summus pontifex, et inde contrarium etiam in publicis thesibus cœpit Romæ propugnari.

Nullus est inter Catholicos qui non certo teneat Clementem XIV, vel quemcumque alium actu sedentem, esse summum pontificem, sed diverso gradu certitudinis. Quidam tenent id certum certitudine morali tantum ; quidam, certitudine theologica ; alii, et communius, quibus subscribimus, certitudine fidei.

Ad cujus ultimæ sententiæ intelligentiam, revocanda sunt quæ scripsimus dissert. de Ecclesia, a. 7, § 3, in 2 resp. ad obj. 1. Id dicitur de fide quod est revelatum : dupliciter autem aliqua veritas a Deo revelatur, 1° immediate in se, ut hæc : *Deus est unus et trinus ; Christus est homo ;* 2° mediate in alio : et hoc iterum dupliciter, velut affectus in causa, seu proprietas in essentia, ut hæc : *Christus est risibilis*, revelata est in hac : *Christus est homo*, ut proprietas in essentia, seu effectus in causa ; vel ut pars in suo toto, ut hæc : *Petrus est mortalis*, in hac : *Omnis homo est mortalis ;* vel : *David peccavit in Adam*, in hac : *Omnes peccaverunt in Adam ;* vel hæc : *Christus est mortuus pro me*, in hac : *Christus est mortuus pro omnibus.*

Quæ revelantur mediate ut effectus in causa, seu ut proprietas in essentia, non sunt objectum fidei, sed assensus theologici tantum, quia effectus in causa non continetur formaliter, sed virtualiter duntaxat. Quæ autem revelantur ut partes in toto sunt objectum fidei, quia partes non sunt solum

virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium quæ in ipsa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares quas continet sunt veræ, v. g. ideo verum est quod omnes homines sunt mortales, quia verum est quod iste et iste homo sit mortalis. Unde, eo ipso quo revelatur propositio universalis, revelantur etiam omnes propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent, seu eodem fidei habitu attinguntur. His notatis,

Dico. Probabilius videtur esse de fide Clementem XIV esse summum pontificem.

Prob. 1° ex prænotatis. Hæc propositio universalis : *Omnis homo acceptatus ab universa Ecclesia in Petri successorem, ist summus pontifex*, est de fide : atqui hæc particularis : *Hic homo, Clemens XIV, acceptatus ab Ecclesia universa in successorem Petri, est summus pontifex*, continetur in priori universali tanquam pars in toto : ergo est etiam de fide. *Major a nullo catholico negatur.* Cum enim sit revelatum et de fide Christum instituisse Ecclesiam usque ad consummationem sæculi duraturam, pariter est revelatum et de fide quod successor Petri, quem fundamentum, caput et summum pastorem instituit, iisdem privilegiis gaudeat. *Min.* est evidens; partes enim hujus propositionis universalis, Omnis homo acceptatus ab universa Ecclesia in Petri successorem, est summus pontifex, sunt : et iste, ab Ecclesia acceptatus in Petri successorem, est pontifex. *Consequentia* denique constat ex prænotamine; quia, ut dictum est, particularis formaliter contenta in universali de fide, est etiam de fide.

Confirmatur. Hæc propositio : *Hoc concilium Tridentinum, acceptatum ab Ecclesia pro œcumenico, est regula fidei*, est de fide; quia continetur ut pars in toto in hac universali de fide : *Omne concilium acceptatum ab Ecclesia pro œcumenico, est regula fidei* : ergo a pari de pontifice.

Dices. Ista propositio particularis : *Hic homo Clemens XIV, acceptatus ab Ecclesia in successorem Petri, est summus pontifex*, non continetur in hac universali : *Omnis homo acceptatus ab Ecclesia universali in successorem Petri, est summus pontifex*, nisi supponendo quod Clemens XIV fuerit rite electus : atqui non est revelatum nec de fide quod fuerit rite electus, sed hoc scitur tantum ex testimonio hominum. Sit paritas : est de fide quod omnis hostia rite consecrata sit adoranda; non est tamen de fide quod hæc hostia sit adoranda, quia non est de fide quod sit consecrata.

R. N. maj. Hæc enim suppositio non habet locum in casu nostro, neque pro propositione universali, neque pro particulari : quia, cum Ecclesia sit infallibilis in acceptanda fidei regula, ut modo dicam, fuerit rite facta vel non electio pontificis, hoc ipso quo Ecclesia illum acceptat, est verus pontifex et fidei regula, suppletque Ecclesiæ acceptatio defectum qui potuit irrepere in electione : et si quidam canones videantur dicere oppositum, intelligendi sunt de electione ante acceptationem Ecclesiæ. Unde est disparitas de hostia : Ecclesia enim non declarat hanc hostiam esse consecratam, adeoque contineri sub universali, sicut in actu exercito declarat Clementem XIV esse acceptatum ab Ecclesia in Petri successorem, sicque contineri sub universali. Insuper, cum consecratio hujus hostiæ sit quid particulare non pertinens ad regimen universale Ecclesiæ, non esset infallibilis Ecclesia in hoc declarando, nec ejus declaratio posset supplere defectum consecrationis; ut autem propositio particularis, contenta in universali de fide, sit quoad nos de fide, debet nobis certo constare eam contineri in universali de fide.

Repones. Saltem non constat hunc hominem, Clementem XIV, esse Petri successorem et pontificem, nisi ex hoc discursu humano : *Omnis homo acceptatus ab Ecclesia in Petri successorem, est summus pontifex : atqui Clemens XIV est acceptatus ab Ecclesia in Petri successorem : ergo est summus pontifex :* atqui assensus seu cognitio veritatis qui innititur discursui humano non est fidei. Ergo. Item *minor* hujus syllogismi non est de fide, ergo nec *conclusio;* quia, secundum dialecticos, *conclusio sequitur debiliorem partem.*

R. D. min. Assensus veritatis quæ innititur discursui humano, ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, *C.* quæ innititur discursui humano, ut causæ applicanti motivum assentiendi, seu ipsam revo-

ationem, non est fidei, *N.* Non repugnat ergo cognitioni seu assensui fidei, quod supponat aliquem discursum, non tanquam motivum propter quod præbeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicatur huic particulari subjecto, *ut patet* in hac propositione : David in Adam peccavit, quæ, licet sit fidei, indiget tamen ut credatur hoc discursu : *Omnes posteri Adam in ipso peccaverunt : atqui David est ex posteris : ergo peccavit in Adam.* Iste discursus non est causa seu motivum propter quod credo Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis : *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subjecto, nempe Davidi : et ista revelatio est motivum cur credam Davidem peccasse. Ita in nostro casu.

Ad id quod additur de regula dialecticæ, *R.* hanc regulam non habere locum in discursu mere applicativo; quia propositio universalis quæ ponitur in *majori* non est causa propositionis particularis quæ ponitur in *conclusione;* cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit quam omnes particulares : minor autem naturalis hæc, *David est ex posteris Adam*, est tantum explicatio majoris universalis et ejus applicatio ad hoc determinatum subjectum : unde si propositio universalis sit de fide, non obstante *minori* naturali, *conclusio* particularis in *majori* contenta ut pars in toto, erit etiam de fide.

Prob. 2° *conclusio.* De fide est quod Ecclesia errare non possit in acceptanda fidei regula : atqui, acceptando hunc hominem in summum pontificem, eum acceptat ut fidei regulam : ergo de fide est hunc hominem quem acceptat in pontificem, esse verum pontificem. *Min. est certa. Prob. maj.* Si Ecclesia errare posset in acceptanda fidei regula, errare posset in acceptandis definitionibus ab hac incerta regula emanatis, sicut, si errare posset in declarando aliquo libro canonico, aut in acceptando aliquo concilio œcumenico, errare posset adhærendo contentis in isto libro, vel rebus definitis ab isto concilio, sicque portæ inferi possent adversus illam prævalere. Ergo.

Confirmatur. De fide est Ecclesiam in qua sumus, esse veram et catholicam Ecclesiam : atqui non est vera et catholica Ecclesia quæ non est unita legitimo suo capiti : ergo, hoc ipso quo Ecclesia acceptat hunc hominem in pontificem et caput cui unitur, est de fide quod sit pontifex et caput Ecclesiæ.

Neque refert quod Ecclesia possit esse sine capite; præsto enim est remedium in electione novi capitis. At si habeat caput fictum quod ignoret, nullum superest remedium; non potest enim sibi de alio providere, et ficto jubenti atque definienti parere tenetur.

Præter jam solutas instantias obj. Non est revelatum in S. Scriptura nec in traditione Clementem XIV esse summum pontificem. Ergo.

R. D. ant. Non est revelatum immediate in se, *C.* mediate in suo toto, *N. Solutio patet ex probationibus conclusionis.* Insta in paritate cum concilio tridentino.

Inst. 1° Non est revelatum nec de fide quod Clemens XIV sit baptizatus et mas : ergo nec quod sit summus pontifex. *Prob. conseq.* Clemens XIV non potest esse summus pontifex nisi sit baptizatus et mas: ergo, si non sit revelatum quod sit baptizatus et mas, non est revelatum quod sit pontifex.

R. N. conseq. Ad probat. N. conseq. Ex hoc enim quod aliquid sit revelatum, non sequitur quod debeant esse revelata quæcumque sunt necessario cum illo connexa : quinimo in hoc consistit theologicus discursus, quod versetur circa ea quæ necessario connectuntur cum revelatis: sic, v. g. quod Christus sit homo est revelatum, et quia risibilitas est necessario connexa cum homine, inde infertur quod Christus sit risibilis certitudine theologica, sed non fidei. Jam autem in casu, revelatio spectat tantum personam acceptatam in pontificem, non conditiones ad id requisitas, sed ex revelato consecutione et certitudine theologica inferuntur. Unde, cum ante acceptationem Clementis XIV in pontificem, esset tantum moraliter certum quod esset baptizatus, jam nunc post acceptationem est certum certitudine theologica. Sit paritas : definitio lata a concilio quod Ecclesia acceptat pro œcumenico, est revelata et pertinet ad fidem; ad eam necessario prærequiruntur quod res definita fuerit prius maturo examine diligenter discussa, et quod judices sedentes fuerint veri episcopi : neutrum tamen est revelatum nec de fide: sed quia est de fide quod Ecclesia errare non possit in acceptando concilio œcumenico, et defini-

tio ejus non possit esse falsa, inde infertur ut certum certitudine theologica, omnia necessaria adfuisse, et discussionem sufficientem fuisse adhibitam, et judices sedentes in numero competenti saltem fuisse veros episcopos.

Inst. 2° qui negaret Clementem XIV esse pontificem non esset hæreticus : ergo non est de fide.

R. D. conseq. Non est de fide certo, *C.* probabilius, *N.* Seu, ut alii dicunt, est de fide, sed non est de fide quod sit de fide, sicque non est de fide catholica et obligante, quod tamen requiritur ut quis negando sit hæreticus ; hæresis enim consistit in pertinacia in negando id de quo certum est de fide in Ecclesia quod pertineat ad fidem.

Inst. 3° Quod semel est de fide semper est de fide : atqui intra centum annos non erit de fide quod Clemens XIV fuerit summus pontifex, sicut non est certum nunc quod defuncti pontifices fuerint summi pontifices : ergo neque nunc est de fide Clemens XIV sit pontifex.

R. D. maj. Quod est semel de fide semper est de fide, quoad se, *C.* quoad nos, *N.* Multa enim tempore Christi fuerunt de fide quoad nos, quæ non sunt modo. Ratio est, quia nihil est de fide quoad nos nisi proponatur ab Ecclesia ut ad fidem pertinens : quamvis autem nunc proponat Clementem XIV ut summum pontificem et caput Ecclesiæ tanquam ad fidem pertinens, non sequitur quod intra centum annos proponet ut quid ad fidem pertinens quod fuerit summus pontifex, sicut nunc non proponit alios pontifices defunctos, quia id non est necesse ad regimen commune Ecclesiæ. Quid enim facit ad regimen præsens et bonum commune Ecclesiæ scire quot et qui fuerint olim pontifices ? Id autem noscimus tantum ex testimonio humano cui potest subesse falsum. Quidam excipiunt casum quo Ecclesia proponeret credendum aliquod dogma definitum a tali defuncto pontifice ; videtur enim quod hoc ipso proponeret eum fuisse pontificem et fidei regulam, sine quo dogma ab ipso definitum non foret fide divina credendum.

Inst. 4° Semper erit verum Ecclesiam proponisse Clementem XIV ut pontificem : ergo, si ex præsenti propositione nunc sit de fide quoad nos quod sit pontifex, semper erit de fide quoad nos quod fuerit summus pontifex.

R. D. ant. Semper erit verum Ecclesiam proponisse Clementem XIV ut pontificem, et hoc semper constabit ex principiis fidei, quæ sunt Scriptura, traditio et Ecclesiæ determinatio seu propositio, *N. ant.* et non semper sic constabit, *C. ant.* et *N. conseq.* Quia, sicut diximus, ut aliquid sit de fide quoad nos, debet nobis constare ex Ecclesia determinante et proponente tanquam revelatum in S. Scriptura vel traditione.

Quod posset opponi de fabula papissæ latæ expositum et solutum est in tract. de Ordine, digress. 2 ad dissert. 3.

DISSERTATIO V.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.

Concilium, dictum vel a consulendo, vel a considendo, vel a concurrendo in eamdem sententiam, significat cœtum seu congregationem : unde comitia regni vel provinciæ possunt dici concilium ; sed hic quærimus de concilio in rebus ecclesiasticis et religionem spectantibus. Potest definiri : *Congregatio ecclesiasticorum, præsertim episcoporum, legitima auctoritate convocata, ad statuendum quæ spectant religionem moresque christianorum.*

Usum conciliorum habemus ex apostolis. Etenim, Act. 1, concilium celebrarunt in electione S. Mathiæ ; aliud, Act. 6, in electione septem diaconorum ; aliud, Act. 15, in causa legalium, et aliud cujus non meminit Lucas, in quo Symbolum fidei ediderunt, antequam in universam terram dispergerentur : estque probabile institutionem esse divinam, tum ex illo Matth. 18 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ;* tum quia verisimile est Apostolos, vel ex præcepto Christi, vel ex speciali motione Spiritus sancti, sua concilia celebrasse.

Quadruplex solet distingui concilium, diœcesanum, provinciale nationale et generale. Diœcesanum est, quod ab episcopo celebratur cum clero suæ diœcesis ; provinciale, quod celebratur ab archiepiscopo cum episcopis suæ provinciæ, nationale, cui adsunt omnes archiepiscopi et episcopi unius nationis, convocati a primate vel patriarcha ; generale, quod dicitur etiam œ-

cumenicum et plenarium, est cœtus episcoporum a summo pontifice ex toto orbe christiano convocatorum, et cui ipse summus pontifex per se vel per legatos præsidet : et de..lo est præsens dissertatio. Quandoque nationale aut etiam provinciale dicitur generale, sed cum addito, hujus scilicet nationis seu provinciæ.

ARTICULUS I.

Cujus sit convocare concilium generale?

Dico. Solius est summi pontificis certi et indubitati convocare concilium generale.

Est in terminis S. Thomæ qui, Opusc. 10 contra impugnantes religionem, cap. 4, dicit : « SS. Patres in conciliis congregati » nihil statuere possunt, nisi auctoritate » Romani pontificis interveniente, sine qua » etiam nec concilium congregari potest. » Et 22, q. 1, a. 10, in arg. sed contra : « Hu» jusmodi synodus (generalis) auctoritate » solius summi pontificis congregari potest, » ut habetur in decreto, dist. 17, » cap. *Synodum* et cap. *Regula*.

Prob. 1° Julius I, Epist. ad Orientales, apud Socratem, l. 2, c. 13, dicit : « Canon » ecclesiasticus vetat ne decreta absque sen» tentia Romani episcopi ecclesiis sancian» tur ; » seu, ut legit Cassiodorus, in Hist. tripart. « Non debere absque sententia Ro» mani pontificis concilia celebrari. » Refertur cap. *Regula* citato : huncque canonem a Nicæna synodo renovatum scribit synodus Alexandrina, Epist. ad Felicem papam.

Pelagius II, Epist. 1, c. 1 ad episcopos qui non convenerant ad convocationem Joannis Constantinopolitani dicit. « Multis » denuo apostolicis et canonicis atque eccle» siasticis instruimur regulis, non debere » absque sententia Romani pontificia cele» brari. » Refertur cap. *Multis*, D. 17.

In concilio Chalcedonensi, act. 1, Dioscorus prohibitus est sedere inter episcopos ; « quia, inquiunt patres, synodum ausus » est facere sine auctoritate Sedis aposto» licæ, quod nunquam licuit, nunquam » factum est. » Septima synodus act. 6, reprobat concilium Iconoclastarum sub Constantino Copronymo, quia celebratum fuerat sine auctoritate Romani pontificis. Unde Auctor 1 p. q. 36, a. 2, ad 2, scribit quod « Auctoritate Romani pontificis etiam an» tiqua concilia congregabantur et confir» mabantur. »

Si dicas ex his sequi quod nec diœcesana aut provincialia concilia possint nisi a Romano pontifice convocari, præsertim cum cap. *Nec licuit* ead. D. 17, Pelagius II dicat nec synodum particularem sine auctoritate Sedis apostolicæ licere celebrare : consequens autem non admittitur. Ergo.

R. quod jura et ipsimet pontifices concedant, imo jubeant episcopis et archiepiscopis, ut particularia concilia celebrent, sicque non sine eorum auctoritate celebrantur. Caput *Non licuit* loquitur de synodis particularibus congregatis contra universalem synodum : *patet* ex rubrica est : « Abs» que apostolicæ Sedis auctoritate syno» dum particularem contra universalem ali» quibus congregare non licet. » Et apud Ivonem, Anselmum et Polycarpum verbis Gratiani additur, *ad judicandum universalem synodum :* unde annotatio Gregoriana monet textum Gratiani corrigendum esse ex Ivone, Anselmo et Polycarpo ; idque satis aperte innuit textus ipse Gratiani verbis sequentibus, *quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur*, etc.

Prob. 2° Illi soli competit jus convocandi concilium generale, qui habet curam totius Ecclesiæ et auctoritatem in episcopos convocandos : atqui is est Romanus pontifex, *ut patet* ex dissert. præced. Ergo *Maj.* etiam constat ; quia concilium generale spectat universam Ecclesiam ; et sine auctoritate in episcopos, qua compellantur comparere concilio, frustranea et impotens foret convocatio.

Confirmatur. Solius est episcopi convocare synodum diœcesanam, solius archiepiscopi convocare synodum provincialem, solius regis convocare comitia generalia regni : atqui non minor est, imo major est auctoritas pontificis in universam Ecclesiam, quam episcopi in diœcesim, archiepiscopi in provinciam, et regis in regnum ; neque ulli alteri quam summo pontifici competit hæc auctoritas in universam Ecclesiam. Ergo.

Dixi in conclusione, *certi et indubitati pontificis ;* quia in casu schismatis in quo farent dubii pontifices, ut tempore concilii Constantiensis, posset Ecclesia per suos prælatos convocare concilium ad succurrendum

præsenti necessitati, nimirum ad providendum sibi de certo pontifice : quod si ulterius aliquid definiat in materia fidei et morum, aut in his quæ spectant universam Ecclesiam, non erit ratum et firmum nisi a sequente pontifice confirmetur, ut jam antea diximus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Concilia Orientalia ut plurimum convocata fuere auctoritate imperatorum : ergo. *Prob. ant.* Constantinus Magnus convocavit concilium Nicænum, ex Euseb. lib. 3, de Vita Constantini, c. 6; Socrate, lib. 1, c. 6, et Theodoreto, lib. 1, c. 11. Constantius convocavit concilium Sardicense, ex eodem Theodoreto, lib. 2, c. 5. Theodosius senior convocavit Constantinopolitanum primum, ex eodem Theodoreto, lib. 5, c. 9. Theodosius junior convocavit Ephesinum, ex Evagrio, lib. 5, c. 3; Martianus imperator, Chalcedonense, ex S. Leone, Epistola 43. Ergo.

Ante responsionem observandum est quod, quamvis non sit idem auctoritas et consensus, attamen in eo qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire, sit ejus auctoritate fieri : unde, cum sit penes solum pontificem auctoritas convocandi concilia generalia, ut probatum est, idem est respectu illius præbere consensum convocationi concilii ac illud per alium convocare. Hinc *ad objectionem*

R. nullum concilium ex Orientalibus convocatum fuisse sine saltem assensu summi pontificis, consequenter sine ejus auctoritate. De Nicæno probavimus ex sexta synodo, et ex Rufino, disgressione I historica ad dissert. procem. de Deo Trino; vide ibi textus. Sardicense fuisse convocatum jussu Julii papæ, colligitur ex S. Athanasio, Epist. ad solitarios, in qua scribit: *Episcopus Romanus jussit synodum fieri ubicumque vellemus*, et ex Socrate, lib. 2, c. 16, ubi refert quosdam episcopos non præsentes concilio absentiæ suæ causam attulisse temporis constituti angustiam, culpamque in Julium retulisse; quod est apertum signum Julium indixisse concilium et tempus illud celebrandi præfixisse. Quantum ad Constantinop. I, non fuit œcumenicum nisi ex post facto, ut sat prolixe explicuimus in tract. citato de Trinitate, digress. II, hist. sect. III; vide diligenter. De concilio Ephesino, convocatum fuisse ex assensu Cœlestini probavimus ex professo, digress. I hist. ad dissert. IV de Incarnat. sect. III. Item, Chalcedonense convocatum fuisse a S. Leone invicte probavimus ibid. digressione II historica, sect. III. Require in utroque loco.

Inst. 1° In octavo synodo, Constantinopolitana IV, anno 869, vicarii Orientalium sedium dixerunt : « Scitis quia in præteritis » temporibus imperatores erant qui congre- » gabant synodos, et ex toto terrarum orbe » ad dispositionem hujusmodi causarum » colligebant. » Ergo.

R. imperatores præteritis temporibus convocasse concilia, non summo jure, sed ex assensu et dispensatione summorum pontificum, ita ut concilium ab imperatore, vel alia quacumque potestate sæculari, nunquam habitum fuerit pro legitimo et œcumenico, nisi postquam accessit consensus Romani pontificis.

Inst. 2° Ipsimet pontifices sæpe ab imperatoribus petierunt ut, vel indicerent, vel indici permitterent concilia : sic Liberius petiit a Constantio. Ergo.

R. id petiisse pontifices ab imperatoribus, non quod non haberent potestatem convocandi concilia, sed quod plerumque hanc potestatem exercere non possent absque consensu imperatorum, sive quia imperatores favebant hæreticis et sæviebant in catholicos, ut contigit Constantio Ariano : sive quia, cum tunc Ecclesia nullius urbis aut provinciæ haberet dominium, necesse erat ut imperatores aliquem locum concederent ad celebrationem concilii, et episcopi ad concilium commeantibus, quorum plures erant pauperes, necessaria in victu et vecturis providerent; sive tandem quia L. *Conventicula*, C. tit. *de Episcopis et Cleris*, cautum erat ne conventus fierent absque licentia principis, quod etiamnum viget in pluribus regnis.

Obj. 2° Act. 6, de duodecim Apostolis dicitur : *Congregaverunt multitudinem discipulorum;* quibus verbus significatur non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos pertinuisse convocare concilium : ergo pariter id non pertinet ad solum papam, sed ad omnes episcopos.

R. N. assumptum. Ex eo enim quod Petrus cum undecim convocaverit concilium, non sequitur quod convocatio non fuerit

facta principaliter auctoritate Petri qui erat illorum caput; sicut, si nunc papa convocaret concilium cum cardinalibus, non sequitur quod convocatio non fieret principaliter auctoritate papæ.

ARTICULUS II.

Qui sint de jure vocandi ad concilium generale?

Dico. Soli episcopi sunt de jure vocandi ad concilium generale.

Prob. 1° Ii soli sunt de jure vocandi ad concilium generale, qui habent jurisdictionem non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori ecclesiastico: atqui soli episcopi habent hujusmodi jurisdictionem: ergo. *Min. constat.* Non enim laici, cujuscumque sint conditionis aut dignitatis, etiamsi imperialis, habent jurisdictionem in foro exteriori ecclesiastico, cum sit spiritualis, neque inferiores clerici ut curati: *patet* ex usu et quia non sunt primarii et proprie pastores, sed, ut inquit Auctor 2, 2, q. 184, a. 6, ad 2, *Habent tantum aliquas subministrationes sub episcopis*, quas ad nutum limitant episcopi. *Prob. maj.* In conciliis generalibus non solum definiuntur simpliciter controversiæ circa fidem et mores et causas privatas episcoporum, sed etiam decernuntur pœnæ et compelluntur contumaces obedire definitionibus et sententiis prolatis; hæc autem pertinent ad forum exterius Ecclesiæ. Ergo.

Prob. 2° ex usu Ecclesiæ, quæ non solet nisi episcopos de jure vocare ad concilia generalia: unde illud celebre dictum Theodosii et Valentiniani imperatorum, Epist. ad synodum Ephesinam, in ejus actis inserta: « Nefas est qui sanctorum episcoporum catologo adscriptus non est, illum » ecclesiasticis negotiis et consultationibus » se immiscere; » item, illud synodi Chalcedonensis: « Mitte foras superfluos, concilium » episcoporum est.

Dixi, *de jure*: quia quandoque, ex privilegio summorum pontificum, vocantur abbates et generales ordinum cum jure suffragii decisivi, idque non incongrue, ut scilicet repræsentantes suos subditos, ex priori privilegio a jurisdictione episcoporum exemptos.

Vocantur etiam theologi et canonistæ, non cum jure suffragii decisivi, sed ut res fidei et Ecclesiæ inquirant et examinent, et sensus suos patribus concilii referant. Item, quandoque vocantur imperatores, non ut res Ecclesiæ definiant, sed ut concilium defendant et adjuvent, atque decretorum sint testes, et ea libentius ac efficacius mandent executioni, atque rebelles pœnis coerceant.

Dices 1° Act. 15, ad concilium Jerosolymitanum, in quo agebatur de causa legalium, *convenerunt Apostoli et seniores*: ergo non solum episcopi.

R. per *seniores*, phrasi in Novo Testamento usitata, non significari ætatem, sed dignitatem ecclesiasticam, ut jam alibi observavimus; et, quamvis incertum sit quæ dignitas ecclesiastica, an episcopalis, an presbyteralis tantum hic significetur, probabile est tamen designari illos qui erant non solum presbyteri, sed etiam episcopi, et qui per accidens negotiorum causa reperiebantur tunc Jerosolymis; quia in fine ejusdem capitis, de Paulo dicitur quod præcipiebat *custodire præcepta Apostolorum et seniorum*, sed et nihil vetat quominus simplices presbyteri potuerint adesse concilio, sive ad consultandum, sive etiam ad definiendum, non de jure, sed ex privilegio ipsis a Petro concesso.

Inst. Ibidem, post priora verba legitur: *Placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia*; ergo non solum episcopi et presbyteri, sed etiam laici aderant cum jure suffragii.

R. N. conseq. Hæc enim verba non spectant definitionem et decretum concilii, dicitur enim cum de decreto ageretur: *Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc*, et postea *tacuit omnis multitudo*; sed spectant electionem eorum qui mittendi erant Antiochiam cum Paulo et Barnaba ad deferendum decretum concilii: nihil autem obstat quominus hæc electio plebi placuerit. aut etiam, si vis, a plebe facta sit; sed missio quæ est auctoritatis facta est ab Apostolis.

Dices 2° Ex regula juris 19 in 6, *Quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari*: ea autem quæ aguntur in conciliis generalibus tangunt omnes: ergo omnes debent vocari: unde S. Ambros. Epist. 32, dicit causam fidei coram populo esse agendam: *Veniant*, inquit, *si qui sunt, ad ecclesiam; audiant cum populo.*

R. N. conseq. Non enim sensus regulæ

est, quod id quod tangit omnes debeat ab omnibus, id est, singulis et sigillatim approbari, sed sufficit quod approbetur ab illis qui omnes seu communitatem repræsentant. Sic leges regni tangunt omnes cives, non est tamen necesse quod a singulis probentur, sed sufficit quod approbentur a supremo senatu qui omnes cives repræsentat : concilium uno generale omnes fideles repræsentat.

Ad textum S. Ambrosii. Non refertur integre; subdit enim S. præsul : « Non ut » quisquam judex resideat, sed unusquisque » de suo affectu habeat examen, eligat quem » sequatur. » Quibus verbis, S. Ambrosius excludit populum a judicio publico et definitivo, et concedit tantum ipsi judicium privatum, unicuique pro se : quia, cum imperator esset Arianus, non poterat plus obtinere; nec ibi agebatur de concilio generali, sed de disputatione cum Auxentio, episcopo Ariano, quam imperator volebat fieri in suo palatio, et S. Ambrosius in ecclesia : « Si tractandum est, inquit S. doctor, » tractare in ecclesia didici, quod majores » fecerunt mei; si conferendum de fide, » sacerdotum debet esse ista collatio. »

Petes 1° quis episcoporum numerus requiratur ad concilium generale?

R. 1° non requiri quod omnes omnino totius orbis episcopi adsint : *patet* tum ex usu; nullum enim fuit celebratum concilium cui omnes totius orbis episcopi adessent : tum quia alias impossibile foret celebrari concilium generale, cum semper aliqui episcopi, sive propter infirmitatem, sive propter senectutem, aliasve causas, adesse non possent.

R. 2° non requiri certum episcoporum numerum : quia id neque ex S. Scriptura, neque ex traditione, neque ex usu habetur, cum in conciliis generalibus hucusque habitis modo plures, modo pauciores fuerint episcopi.

R. 3° requiri quod convocatio, auctoritate summi pontificis facta, innotescat omnibus, saltem majoribus provinciis, et nullus ex toto orbe verus episcopus non excommunicatus excludatur, sed aliqui ex majori parte provinciarum adsint : sic tamen ut, si concilium celebretur in Oriente, plures ex Oriente adsint, et aliqui ex Occidente qui alios repræsentent; et e converso si celebretur in Occidente : *patet* ex praxi Ecclesiæ in anterioribus conciliis. Neque dicitur concilium generale ex eo quod omnes corporaliter adsunt, sed ex eo quod omnes adsunt repræsentative, ut fit in comiciis generalibus alicujus regni, quibus non est necesse quod omnes omnino jus suffragii habentes corporaliter intersint, sed sufficit quod plures ex præcipuis provinciis alii repræsentantes adsint.

Petes utrum episcopi in concilio sint veri judices an consiliarii tantum?

R. ut jam prius dixi, non esse tantum consiliarios, sed vere judices, gaudentes jure suffragii decisivi, subordinatos tamen summo pontifici.

Prob. 1° Apostoli, in concilio Jerosolymitano, Act. 15, fuerunt veri judices; dixerunt enim : *Visum est Spiritui sancto et nobis;* et Jacobus sub his verbis sententiam dixit : *Propter quod ego judico.* 2° Episcopi in conciliis subscribunt : *Ego N. statuens*, vel : *Ego N. definiens subscripsi.* 3° Potestas ligandi et solvendi annexa est episcopatui qua non spoliantur episcopi in conciliis congregati. 4° Quia alioquin satius esset convocare ad concilia viros doctos quam episcopos indoctos.

Nec refert quod summi pontifices soleant dicere, *sacro approbante concilio*, vel, *de fratrum nostrorum consilio;* quia equidem episcopi et approbant et consilium dant, sed id non solum præstant, verum etiam judicant cum pontifice. Dicit pontifex de eorum consilio et non judicio, quia consilium ab eis accipit, sed non judicium, nec judicandi potestatem quam a solo Deo habet.

Dixi, *subordinatos tamen summo pontifici :* quia summus pontifex sedet in concilio non ut simplex præses, sed ut princeps; principi autem subordinatur judices in senatu. Quapropter, sicut rex præsidens in concilio civili potest, si sua auctoritate uti velit, non sequi majorem partem judicum; sed illorum judicium irritare; sic pontifex non tenetur sequi majorem partem episcoporum judicantium in concilio, sed potest, sua auctoritate utens, illorum judicium, dum a veritate deviant, irritare, sicut irritavit concilium Ephesinum II, Ariminense et canonem 28 concilii Chalcedonensis.

ARTICULUS III.

Cujus sit præsidere consilio generali?

Dico. Solius summi pontificis est præsidere auctoritative concilio generali, per se vel per suos legatos.

Prob. 1° Illius est auctoritative præsidere concilio generali, cujus est præsidere toti Ecclesiæ quam repræsentat concilium generale : atqui solius est summi pontificis præsidere auctoritative toti Ecclesiæ, cujus nimirum est caput, pastor et princeps, *ut patet* ex dissert. præced. Ergo. 2° Illius est præsidere concilio generali, cujus est illud convocare, *ut patet* in conciliis diœcesanis, provincialibus et nationalibus : atqui solius est pontificis convocare concilium generale, ut probatum est art 1 : ergo. 3° Si tempore Christi celebrata fuisset synodus, Christus absque dubio illi præfuisset : ergo id ejus vicario competit.

Prob. 4° éx usu et praxi Ecclesiæ. Nullum hucusque celebratum fuit concilium generale cui non præsederit summus pontifex, per se vel per suos legatos : ergo jus præsidendi Ecclesia constanter in eo agnovit.

Prob. ant. Et quidem de conciliis Occidentalibus perspicuum est et a nemine negatur ; de concilio Nicæno probavi in tract. de Deo Trino, digress. I historica ad dissert. procem. sect. I, conclus. 2, Osium Cordubensem, Victorem et Vincentium presbyteros Romanos illi præsedisse nomine S. Sylvestri.

Quantum ad secundum concilium generale, Constantinopolitanum I, ostendimus ibidem, digress. IV hist. sect. I, non fuisse generale nisi ex post facto.

Concilio Ephesino, tertio generali, nomine Cœlestini summi pontificis præsehisse S. Cyrillum, Arcadium et Projectum episcopos, et Philippum presbyterum, probavimus digress. I hist. ad dissert. 4 de Incarnat. sect. III, conclus. 2.

Concilio Chalcedonensi, generali quarto, præfuerunt nomine S. Leonis Paschasius et Lucentius episcopi, Bonifacius et Basilius presbyteri, ut probatum manet ex digress. II hist. ad dissert. 4 de Incarnat. sect. III. conclus. 2.

In concilio quinto generali, Constantinopolitano II, in causa Trium Capitulorum, Vigilius papa, instanter a concilio rogatus ut præsideret, renuit : agnovit ergo saltem in eo concilium jus præsidendi quo uti noluit. Vide quæ dixi in dissert. 3 hujus tractat. art. 7, § 4.

Concilio sexto generali, Constantinop. III, in causa Monothelitarum præfuerunt nomine Agathonis Theodorus et Georgius presbyteri, et Joannes diaconus, ut probavimus digress. hist. ad dissert. 18 de Incarnat. sect. III, conclus. 2.

Concilio septimo generali, Nicæno II, in causa Iconomachorum nomine Adriani I præsederunt Petrus archipresbyter S. Petri et Petrus abbas S. Sabæ, ut ferunt acta concilii : unde Nicolaus papa, scribens ad Michaelem imperatorem, dicit : *Quasi non et ipsi in Nicæa collectæ synodo nostra fides præsederit.*

Concilio generali octavo, Constantinop. IV, contra Photium præfuerunt nomine Adriani II Donatus Ostiensis et Stephanus Nepesinus. Constat 1° quia in actis semper primi loquuntur et subscribunt; 2° quia Adrianus in epistola ad Basilium imperatorem quæ lecta fuit actione I, dicit : « Vo- » lumus per vestræ pietatis industriam illic » (Constantinopoli) numerosum celebrari » concilium, cui nostri quoque missi præ- » sidentes, etc. » 3° quia, actione 10, legati Adriani sic subscribunt : « Ego N. locum » obtinens domini mei Adriani summi pon- » tificis et universalis papæ, omnia quæ » superius leguntur, huic sanctæ et univer- » sali synodo præsidens, usque ad volun- » tatem ejusdem eximii præsulis promul- » gavi et manu propria subscripsi. » Imperatores autem sic subscribunt : « Basilius, » Constantinus et Leo, perpetui Augusti in » Christo Dei fideles principes Romanorum » et magni imperatores, sanctam hanc sy- » nodum suscipientes, et omnibus quæ ab » ipsa definita et scripta sunt concordantes » subscripsimus. »

Dices 1° Non legitur in S. Scriptura Petrum præsedisse conciliis Apostolorum. Ergo.

R. 1° *N. conseq.* Non enim omnia scripta sunt. 2° *N. ant.* Narr. Act. 1, in concilio pro electione S. Mathiæ, Petrus ut præses loquitur : *Exurgens Petrus in medio fratrum dixit : Viri fratr , oportet impleri Scripturam*, etc. Et cap. 15, in concilio de observatione legalium, dicitur : *Cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit*

ad eos : Viri fratres, etc. Unde S. Cyrillus Alexand. apud S. Th. in Opusc. contra errores Græcorum, cap. 68, dicit quod « Apostoli Petro, tanquam Dei locum tenenti, » darent locum in omni capitulo et synagoga, in omni electione et affirmatione. »

Dices 2° Imperatores sæpe dicuntur præsedisse conciliis. Ergo.

R. D. ant. Imperatores sæpe dicuntur præsedisse conciliis, loco et honore, *C.* auctoritate et potestate, *N.* Vel dicuntur præsedisse ad protegendum concilium et servandum ordinem, *C.* ad definiendum et statuendum in rebus fidei et Ecclesiæ, *N.* Require plura locis superius citatis.

ARTICULUS IV.

Utrum concilium generale sit infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum?

Dico. Concilium generale, legitime congregatum et confirmatum a summo pontifice, est infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum.

Prob. 1° iis omnibus quibus probavimus dissert. 3, a. 5, Ecclesiam universam, sive credentem sive docentem, non posse errare; est enim concilium generale ipsa universa Ecclesia repræsentative : unde de concilio sicut de Ecclesia intelligendæ sunt S. Script. Matth. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam ;* ibid. 28 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ;* ibid. *Docete omnes gentes ;* Timoth. 3 : *Ecclesia Dei columna et firmamentum veritatis ;* Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ;* Joan. 14 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis ;* ibid. *Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Item omnia quæ protulimus ibid. de Ecclesia ex Patribus et a ratione hic applicanda sunt.

Prob. 2° ex iis omnibus quibus probavimus infallibilitatem summi pontificis; quia, si concilium a summo pontifice confirmatum errare posset, sequeretur quod ipse pontifex erraret confirmando definitiones erroneas.

Prob. 3° Si concilium generale a summo pontifice confirmatum errare posset, nihil haberemus certum et fixum in Ecclesia, cum judicio talis concilii generalis non detur majus et certius. Item, omnes hæreses a conciliis generalibus damnatæ reviviscerent; dicerent enim hæretici concilia a quibus sunt damnati errasse. Item, non certo nobis constaret utrum sint canonici libri quos concilia definierunt esse canonicos; unde tota subrueret fides et religio. Item, Ecclesia fuisset hucusque in errore intolerabili, proponens ut fide credenda a conciliis generalibus definita quæ possent esse falsa.

Quidam probant conclusionem ex illo Matth. 18 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, arguendo a minori ad majus sic. Si dum duo vel tres in nomine Christi conveniunt ad judicandum de aliqua re privata, Christus est in medio eorum adjuvans illos, quanto magisdum Ecclesiæ judices, si non omnes, saltem multi cum Ecclesiæ capite conveniunt ad judicandum de rebus fidei et Ecclesiæ, Christus est in medio eorum eos adjuvans! ergo. Ita arguunt S. Gregorius, lib. 7, Epist. 110; concilium Chalcedonense, Epist. ad S. Leonem, et sexta synodus, actione 17.

Verum, pro hujus loci intelligentia, recte observat Sylvius aliquos posse dupliciter in nomine Christi convenire : 1° si conveniant in bonum finem et animo vere christiano; 2° si auctoritate Christi conveniant, quod fit cum auctoritate ejus vicarii conveniunt, et quæ definiunt ejus auctoritate firmantur. Qui priori modo conveniunt in nomine Christi, ut in conciliis provincialibus, Christus adest tanquam adjutor, non ut infallibiliter definiant, sed ut diligenter rem discutiant, et, si contingat eos errare, a capite infallibili erudiantur et firmentur in veritate. Qui vero posteriori modo conveniunt in nomine Christi, Christus eis adest ut infallibiliter definiant; quia summo pontifici et Ecclesiæ promisit infallibilitatem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex Patribus. S. Greg. Nazianz. Epist. 55 ad Procopium, dicit : « Ego, si » vera scribere oportet, hoc animo sum, ut » omnem episcoporum conventum fugiam, » quoniam nullius concilii finem lætum et » faustum vidi. » Ergo.

R. S. Gregorium non loqui de conciliis generalibus, sed de particularibus et quidem illegitimis, qualia fuerunt Seleuciense, Tyrense, Ariminense, Sirmyense, etc.,

Alioquin concilium Nicænum magni facit et amplectitur Orat. 21 in laudem S. Athanasii : « In sancto, inquit, concilio Nicææ » habito..... quantum in ipso fuit morbum » compressit. » Et Orat. 49, dicit : « Nicænæ » synodi tractatum omni animi nisu ex tota » fide servantes amplectimur. » Imo et interfuit concilio primo Constantinop. ut constat ex Orat. 32 quam in eo habuit.

Inst. 1° S. Aug. lib. 3 contra Maximinum c. 14 : « Nec ego, inquit, Nicænum, nec tu » debes Ariminense tanquam præjudicatu» rus proferre concilium : » ergo non agnoscebat concilium generale Nicænum infallibile.

R. N. conseq. Non enim hoc dixit S. Augustinus quasi reputasset concilium Nicænum errori obnoxium, sed quia, cum Maximinus contra quem disputabat istud concilium non recipiebat, nec ipse Augustinus Ariminense quod opponebat Maximinus. Ut non tereret tempus in probando concilio Nicæno et in expugnando Ariminensi, compendiosioremque disputationis viam iniret, maluit ab utriusque concilii decretis abstrahere et solis S. Scripturis adversarium urgere.

Inst. 2° S. Aug. Epist. 162 : « Putemus, » inquit, episcopos qui Romæ judicarunt » non bonos fuisse judices : » ergo idem quod ante.

R. N. conseq. Non enim ibi loquitur Augustinus de concilio generali, nec de concilio in materia fidei et morum, sed de concilio particulari et in facto particulari, utrum scilicet Cœcilianus episcopus Carthaginensis fuisset traditor. Insuper hoc non dixit S. Augustinus approbando, sed vel ironice exprobrando, ut superius exposuimus, dissert. præced. art. 8, § 2, obj. 2, vel per gratuitam concessionem, quasi dixisset : *Esto* episcopos Romæ non bene judicasse, restabat Donatistis appellare ad concilium plenarium, et non ad imperatorem, ut fecerunt.

Inst. 3° Idem S. Aug. l. 2 contra Donat. c. 3, dicit concilia plenaria priora posse emendari a posterioribus : ergo ea non agnoscit infallibilia.

R. N. iterum conseq. In sensu conclusionis. Loquitur enim ibi S. Augustinus de conciliis plenariis non in quæstionibus fidei et morum de quibus procedit conclusio, sed in factis particularibus in quibus fatemur concilia plenaria ex falsis testimoniis errare posse, ideoque a conciliis posterioribus posse emendari, nempe *cum*, ut ait ibidem S. doctor, *aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat.*

Obj. 2° ex conciliis generalibus quæ dicuntur errasse. Concilium generale, Nicænum I, erravit dum, canone 2, damnavit eos quid ad militiam redibant. Ergo.

R. concilium non absolute militiam damnasse, sed eos tantum qui, cum cingulum militiæ deposuissent, quod erat tunc signum conversionis ad fidem, illud resumebant, quod erat signum reversionis ad idololatriam. Vel, ut alii volunt, novis tantum pœnitentiæ publicæ laboribus subjecit eos qui, cum militiam causa pœnitentiæ agendo abdicassent, ad eam sub principibus gentilibus redibant, ut ab inchoatæ pœnitentiæ molestiis se subduceret.

Inst. Sexta synodus generalis centum duos canones edidit, inter quos multi ut erronei reprobantur. Ergo.

R. N. ant. Sexta namque synodus nullum edidit canonem ; sed hi canones centum duo sunt concilii quod dicitur Trullanum seu Quini-sextum. Cum enim nec quinta nec sexta synodus ullum canonem edidissent circa disciplinam et morum reformationem, Justinianus junior, paucis annis post sextam synodum, congregavit ducentos viginti septem episcopos in Trullo, seu sub capula (*le dôme*) palatii imperialis Constantinopoli, ut in supplementum quintæ et sextæ synodi de disciplina et morum reformatione statuerent : unde dicta est hæc synodus *Quini sexta*, et a loco *Trullana*.

Hæc constat ex ipsis Orientalibus horum canonum fabricatoribus, qui, in epist. ad Justinianum imperatorem, dicunt : « Quo» niam sanctæ et universales synodi, quinta » sub Justiniano Augusto, sexta sub Con» stantino patre tuo Augusto, de mysterio » fidei plenissime disputantes, canones non » fecerunt sicut cæteræ quatuor universales » synodi : propterea nos convenientes in » hanc imperialem urbem sacros canones » conscripsimus. » Refertur cap. *Quoniam*, dist. 16. Idem habetur in actione 6 synodi septimæ.

Hæc autem synodus Trullana seu Quinisexta nunquam fuit ab Ecclesia recepta, nec a summis pontificibus confirmata, ut

constat ex venerabili Beda, qui, lib. de Sex Ætatibus ad annum 4649, de Justiniano sic habet :

« Hic, beatæ memoriæ pontificem Romanæ ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ synodo (sic vocabat synodum Trullanam) quam Constantinopoli fecerat favere et subscribere noluisset, misso Zachario protospatario suo, jussit Constantinopolim deportari; sed prævenit militia Ravennatæ urbis; » et ex Platina, qui in vita Sergii I et Joannis VII refert Justinianum non potuisse ab his pontificibus extorquere horum canonum approbationem.

Utrum autem interfuerint huic concilio legati summi pontificis, disputant historici. *Affirmant* Lupus et Natalis Alexander, quia Basilius, Gortynensis episcopus, huic synodo subscripsit, dicens, *locum tenens synodi S. Romanæ ecclesiæ ;* et Anastasius bibliothecarius, in vita Sergii, dicit: « Hujus pontificis temporibus, Justinianus imperator concilium in regia urbe fieri jussit, quo et legati apostolicæ Sedis convenerant et decepti subscripserant. »

Negant Baronius, Cabassutius et alii, quia nunquam unus tantum legatus ad concilium generale fuit a summis pontificibus missus; solus autem Basilius ut legatus subscripsit: unde verisimile existimant quod, sicut fatentibus adversariis aliæ subscriptiones sunt magna ex parte vitiatæ, hæc Basilii sit pariter interpolata. Aliunde, cum isti patres adversus ecclesiam Romanam ausi sint condere canones, non reputant incredibile eos hunc titulum Basilio tribuisse, ut majorem suis decretis fidem conciliarent. Quantum ad Anastasium, respondent per legatos intellexisse vicarios quos summus pontifex habebat in Oriente, quos Justinianus absque speciali mandato summi pontificis advocavit ut majorem suo concilio auctoritatem tribueret: unde Platina, in vita Sergii, dicit: « Eadem quoque Sergii apocrysiarius, qui tunc Constantinopoli erat, subscriptione sua stolide nimium confirmavit. »

Quidam opponunt insuper canones apostolicos, inter quos sunt quidam erronei, et arguunt a majori ad minus: Si Apostoli erraverunt, *a fortiori* errare possunt episcopi in concilio.—Verum canones qui dicuntur apostolici esse apocryphos abunde probavimus in tract. de Jure, digress. I hist. ad dissert. 1. Require.

Obj. 3° quamvis sit de fide omne concilium generale legitimum esse infallibile, non est tamen de fide hoc concilium generale, puta Nicænum, esse legitimum; id enim tenemus ex historia humana : ergo non est de fide hoc concilium esse infallibile.

R. 1° *N. ant.* Est namque de fide quod omne concilium ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei regula : in hac autem propositione universali continetur ut pars in toto, hæc particularis : Hoc concilium, puta Nicænum, ab Ecclesia acceptatum est legitimum, sicque est in sua universali revelata. Pro majori intelligentia et explicatione hujus solutionis, vide art. ultimum dissertationis præcedentis.

2° Esto non sit de fide hoc concilium esse legitimum, sed tantum certum consecutione theologica, quia forte non requiritur tanta certitudo ad præambula fidei quam ad ipsam fidem, ut loco citato diximus; saltem hujus concilii decreta quæ fide divina credenda proponit Ecclesia omnibus fidelibus, ad fidem pertinent, cum fide certum sit Ecclesiam errare non posse circa res fidei.

Quædam alia argumenta require dissert. prius citata, ubi de infallibilitate Ecclesiæ : et *nota* quod, sicut probavimus ibidem Ecclesiam esse infallibilem non solum in quæstionibus fidei et morum, sed etiam in factis dogmaticis et canonisatione sanctorum, idem ex iisdem principiis dicendum sit de concilio generali quod est Ecclesiæ repræsentative.

Petes quid sit dicendum de decretis conciliorum provincialium aut nationalium ?

R. 1° Si secundum se spectentur, sunt quidem veneranda, non tamen infallibilis auctoritatis, quia concilia particularia nullo titulo gaudent privilegio infallibilitatis, et sæpe erraverunt.

2° Si sint a S. Sede confirmata ut dogmata fidei ab omnibus fidelibus fide divina credenda, sunt infallibilis auctoritatis ex ipsa summi pontificis confirmatione

3° Si, seclusa confirmatione positiva et expressa summi pontificis, pervenerint in communem Ecclesiæ notitiam, et neque summus pontifex neque Ecclesia contradicant, Alphonsus a Castro et Bannes quos citat et sequitur Sylvius, censent esse infalli-

bilis auctoritatis, quia istud silentium censetur tacita et virtualis approbatio; nam si hæc decreta omnibus nota essent falsa, nunquam Ecclesia aut pontifex taceret, sed errori per contraria decreta occurreret: hujusmodi sunt, inquiunt, concilia Toletana, Arelatensia, Hispalensia et quædam alia.

ARTICULUS V.

Utrum concilium generale debeat necessario confirmari a summo pontifice?

Dico. Confirmatio summi pontificis debet necessario accedere concilio generali, ut sit ratum et firmum.

Prob. 1° ex Julio I, Pelagio II, synodo quarta et septima, quorum textus citavimus art. 1 hujus dissert. juxta quos nullum concilium est ratum et firmum nisi auctoritate Romani pontificis fulciatur, media autem confirmatione fulcitur. Item Eugenius IV, in decreto super unione Jacobitarum, dicit ecclesiam Romanam recipere synodos auctoritate Romani pontificis *congregatas, celebratas et confirmatas.* Ergo.

Prob. 2° ex usu et praxi Ecclesiæ. Omnia concilia generalia hucusque celebrata fuerunt confirmata a summo pontifice, et plura ejus confirmationem petierunt: hoc autem apertum est indicium hanc confirmationem existimatam fuisse necessariam, alioquin ut quid tam accurate, tam constanter data et toties petita?

Prob. ant. Concilium Nicænum, primum generale, petiisse confirmationem a S. Sylvestro, habemus ex epistola synodi Romanæ sub Felice papa III, apud Baronium ad annum 484, in qua dicitur « Quod trecenti octodecim patres apud Nicæam congregati, sequentes hanc vocem Domini, » *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* confirmationem rerum in ea gestarum atque auctoritatem S. Romanæ ecclesiæ detulerunt. »

Concilium generale secundum, Constantinopolitanum I, a Damaso papa in synodo Romana fuisse confirmatum tradit Photius, lib. de Septem Synodis ad Michaelem imperatorem, ubi, post recensitos illustriores concilii patres, subdit: « Quibus haud multo post et Damasus episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit » Constat insuper ex eo quod, cum illud concilium esset tantum ex se nationale, non evasit œcumenicum, nisi ex confirmatione Damasi in concilio Romano. Vide quæ hac de re latius disseruimus tract. de Trinit. digress. IV hist. ad dissert. procem. sect. I.

Concilium Ephesinum, tertium generale, acta sua misit Cœlestino ab ipso confirmanda: *Quia vero*, inquit in epistola, seu relatione quæ habetur in actis, act. 5, *necesse est ut omnia quæ consecuta sunt Sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere.* Et infra reservat summo pontifici ultimum judicium contra Nestorium et alios. Tum petit specialiter confirmari consecrationem Maximiani substituti in locum Nestorii, quam approbavit Cœlestinus in epistola ad synodum data, licet post absolutam synodum scripta. Denique nihil aliud definivit hoc concilium quam quod prius Cœlestinus definierat atque præscripserat.

Concilium Chalcedonense, generale quartum, petiisse confirmationem a S. Leone, constat ex relatione Patrum ad ipsum, quæ refertur parte 3, in qua dicunt: « Rogamus » et tuis decretis honora nostrum judi- » cium... omnium gestorum vim vobis in- » sinuavimus ad probationem nostræ sincе- » ritatis, et ad eorum quæ a nobis gesta » sunt firmitatem et consonantiam. » Quibus respondet S. Leo « Se, per approbatio- » nem gestorum synodalium, eamdem ini- » isse sententiam in sola videlicet fidei » causa; » quia renuit approbare vigesimum octavum canonem, ut alibi vidimus.

Concilium II Constantinopolitanum, generale quintum, fuisse confirmatum a Vigilio et ejus successoribus Pelagio I, II, et S. Gregorio, ostendimus dissert. præced. dum de causa Trium Capitulorum.

Concilium generale sextum, Constantinopolitanum III, petiit confirmationem in epistola data ad Agathonem, his verbis: » Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem » vobiscum clare prædicavimus, quam ut » iterum per honorabilia vestra rescripta » confirmetis, vestram oramus paternam » Sanctitatem. » Obierat Agatho quando hæc epistola Romam pervenit: at alii satisfacit Leo II ejus successor, rescribens imperatori Pogonato his verbis: « Idcirco, et » nos et per nostrum officium hæc veneran- » da Sedes apostolica concorditer ac unani- » miter his quæ definita sunt ab ea consen- » tit, et B. Petri auctoritate confirmat, si-

» cut supra solidam petram, qui Christus » est, ab ipso Domino adeptis firmita» tem. »

Concilii generalis septimi, Nicæni II, acta Tharasius patriarcha Constantinopolitanus misit ad Adrianum I, et eorum petiit confirmationem; Adrianus decretum fidei de sacris imaginibus editum act. 7 confirmavit: canones autem viginti duos ab eodem concilio editos non confirmavit, eo quod in eis probaret omnes canones apostolicos et omnes Trullanos, quos tamen omnes non admittit Ecclesia.

Concilium generale octavum, Constantinopolitanum IV, postulavit confirmationem ab Adriano II, in epistola synodica, his verbis: « Omnium nostrum conventum » et universalis hujus atque catholicæ sy» nodi consensum et consonantiam recipien» dum prædica: eum magis ac magis veluti » proprium et solidius confirma evangelicis » præceptionibus et admonitionibus ves» tris. » Quam confirmationem ab Adriano datam testatur Anastasius bibliothecarius, in præfatione ad hanc synodum.

Hæc de conciliis in Oriente celebratis: quantum ad concilia in Occidente celebrata, cum omnibus, excepto Tridentino, adfuerit personaliter summus pontifex, ibidem ea confirmavit; in Tridentino autem, eo absoluto, quæsitum est an placeret ut omnium et singulorum quæ in eo fuerant decreta et definita peteretur confirmatio nomine S. Synodi per S. Sedis legatos a Romano pontifice! Responderunt omnes: *Placet*.

Prob. 3° Concilium generale non est ratum et firmum in suis decretis, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam: atqui non repræsentat Ecclesiam universam nisi caput suum Romanum pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus pontifex judicare nisi dum concilii decreta confirmat. Ergo.

Verum statim occurrit difficultas non levis: concilium generale legitime congregatum, assidentibus et judicantibus cum concilio legatis apostolicis, qui vices Romani pontificis gerunt et ejus nomine præsunt, repræsentat universam Ecclesiam, est enim suo capiti unitum: ergo hoc ipso ejus decreta sunt rata et firma, nec indigent ulteriore confirmatione pontificis.

Ad hujus difficultatis enodationem, observandum est legatos apostolicos mitti ad ad concilia, aliquando cum instructione summi pontificis circa quæstiones definiendas, quod fieri solet quando pauca sunt definienda; aliquando sine instructione, quod contingit quando plura sunt definienda, ut in concilio Tridentino: hac observatione præmissa, ad difficultatem propositam.

R. 1° Si legati habeant instructionem et eam non sequantur definiendo cum concilio, definitio non est rata et infallibilis; cum enim non agant tunc ut legati pontificis, concilium non est in definiendo suo capiti junctum, nec consequenter repræsentat Ecclesiam.

2° Si vero sequantur adamussim suam instructionem, arbitramur, quidquid dicant aliqui, definitionem concilii esse ratam et infallibilem, quia tunc habet junctum suum caput, nempe summum pontificem expresse secum consentientem, et sic totam Ecclesiam repræsentat.

Neque dicas hanc pontificis instructionem non esse definitionem ex cathedra, alioquin non essent libera episcoporum suffragia; solam autem definitionem pontificis ex cathedra esse infallibilem. Fateor equidem hanc instructionem, dum datur, non esse definitionem ex cathedra, sed dum illi consentit concilium et secundum illam formatur decretum, incipit esse definitio ex cathedra, estque sententia definitiva, non concilii tantum, sed etiam pontificis, quam retractare non potest. Sic enim mittuntur legati, ut, si concilium instructioni assentiat, formetur decretum; si non assentiat, suspendatur decretum, et interim consulatur pontifex.

Nihilominus et in hoc casu existimamus necessariam esse confirmationem summi pontificis, non ut decreta concilii acquirant infallibilitatem quam jam habent, sed ut innotescat Ecclesiæ omnia in concilio rite fuisse servata, et juxta instructionem et mentem pontificis decreta fuisse formata; quod aliter certo sciri non potest, cum quandoque legati, præter instructiones publicas, habeant secretas, quas forte non exhibuerunt, aut saltem non exhibere poterant.

3° Si vero adsint legati concilio sine instructione summi pontificis, quidquid definit concilium, etiam iis assentibus, non est infallibilis auctoritatis, nisi accedat confir-

nuntio summi pontificis; quia pontifex non potest conferre legatis privilegium infallibilitatis; est enim annexum summo pontificatui, seu dignitati capitis et supremi pastoris Ecclesiæ, pro quo solo Christus oravit ut non deficeret fides; non potest autem papa legatos constituere summos pontifices et supremos Ecclesiæ pastores. *Confir.* Legati cum instructione pontificis possunt ab illa recedere et errare : ergo pariter errare possunt sine instructione.

Verum redit argumentum prius factum. Concilium legitime congregatum, præsidentibus apostolicis legatis, repræsentat universam Ecclesiam : atqui universa Ecclesia errare non potest : ergo.

R. D. ant. Concilium legitime congregatum, præsidentibus legatis apostolicis, repræsentat universam Ecclesiam, incomplete et imperfecte, *C.* complete et perfecte, *N.* Nondum enim habetur consensio capitis cum corpore, siquidem legati, quamvis nomine pontificis præsideant, non sint tamen caput et pontifex cum privilegio infallibilitatis, et ipse nondum mentem suam aperuerit circa definita.

Inst. 1° Hujusmodi concilium est congregatum in Spiritu sancto, et potest dicere : *Visum est Spiritui sancto et nobis :* ergo.

R. D. primam partem ant. Est congregatum in Spiritu sancto, quantum ad inchoationem, *C.* quantum ad consummationem, nisi accedat confirmatio pontificis, *N.* Sicut enim pontifex dedit auctoritatem ut inchoaretur, sic necesse est ut illud confirmet.

Ad secundam partem ant. Potest hoc concilium dicere : *Visum est Spiritui sancto et nobis*, quatenus definit auctoritate pontificis et confidit definitionem quam ad illum refert ab eo esse probandam.

Inst. 2° Hujusmodi concilium ante pontificis confirmationem sæpe definit sub anathemate; imo quandoque procedit ad executionem, pellendo hæreticos in exilium, eos deponendo et tradendo brachio sæculari, aut aliis pœnis eos afficiendo, ut contigit in concilio Ephesino quod deposuit Nestorium, et in Constantiensi quod Hieronymum de Praga tradidit brachio sæculari, sess. 24, ante electionem Martini V. Ergo.

R. ad primam partem ant. hoc anathema dici a concilio pro eo tempore quo ejus decreta erunt a pontifice confirmata : sicut, dum judex inferior pronuntiat sententiam mortis in reum, intelligitur reum debere subire mortem, si judex superior ad quem appellatur confirmet sententiam. Adde sequentia : unde

Ad secundam partem ant. Observandum est quædam definiri in conciliis quæ spectant disciplinam tantum, et ea non indigent confirmatione pontificis, quia non requiruntinfallibilitatem. Quædam definiuntur et damnantur quorum instructio prævia data est a summo pontifice, aut quæ jam a prioribus conciliis vel pontificibus sunt damnata, et ab omnibus catholicis damnantur; et hæc pariter sunt rata et infallibilia ante confirmationem pontificis. Quæ autem damnantur de novo sine instructione pontificis, non exigunt quidem ante confirmationem fidem, bene tamen obedientiam, ad quam non requiritur infallibilitas sicut ad assensum fidei : sic sententiæ judicis aut mandato regis, quamvis fallibili, tenentur parere partes aut cives, et refractarii possunt puniri. *Ex his facile colliges* quomodo concilium ante confirmationem possit quandoque procedere ad executionem suorum decretorum.

SYNOPSIS HISTORICA

CONCILIORUM GENERALIUM IN ECCLESIA RECEPTORUM.

Octodecim vulgo numerantur : octo celebrata in Oriente, scilicet Nicænum cui adjungitur Sardicense, Constantinopolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinop. II, Constantinop. III, Nicænum II et Constantinop. IV; decem celebrata in Occidente, scilicet quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Florentinum, Lateranense V et Tridentinum : his quidam addunt Pisanum et Constantiense, de quibus etiam dicemus.

SECTIO I. — *De conciliis generalibus in Oriente celebratis. Concilium Nicænum, generale primum.*

Anno 325, cessante persecutione in christianos, concilium generale a tempore Apostolorum primum celebratum fuit Nicææ in Bithynia, promovente Constantino Magno, qui vecturas, victum et alia itineri necessaria episcopis ministrari propriis expensis curavit.

Huic concilio præsederunt nomine S. Sylvestri, ut antea diximus, Osius, Cordubæ in Hispania episcopus, Victor seu Vitus aut Vito et Vincentius, ecclesiæ Romanæ presbyteri. Interfuerunt trecenti octodecim patres, inter quos illustriores erant quatuor patriarchæ, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Jerosolymorum et alter Alexander Constantinopolis, plures alii sanctitate et notis confessionis fidei illustres; his adjungit Methodius S. Nicolaum, Myriæ in Licya episcopum. Adfuit Constantinus Magnus, qui thronum sublimem sibi paratum recusavit, nec nisi rogatus sedere inter patres voluit, et tanquam unus ex illis. Iis de quibus disputabatur attente auscultabat, inquit Eusebius, l. 3 de Vita Constantini c. 13, rumores sedabat, suum sensum modeste aperiebat, et singulos amice alloquebatur: libellos Arianorum contra episcopos orthodoxos legere noluit, sed palam combussit, dicendo episcopos a solo Deo esse judicandos, se autem judicio episcoporum in his quæ spectant religionem subesse, et occultanda esse sacerdotum delicta, ne sacrum ministerium veniat in contemptum.

Convocationis hujus concilii causa triplex: prima et præcipua fuit hæresis Ariana. Arius, ecclesiæ Alexandrinæ presbyter, dogmatizabat Verbum et Christum simplicem esse creaturam, aliis tamen perfectiorem; et ideo *fuisse quando non erat*. A suo episcopo Alexandrino in duobus conciliis jam prædamnatus, in concilio Nicæno potentem adversarium et expugnatorem habuit S. Athanasium adhuc juvenem, ecclesiæ Alexandrinæ diaconum, quem Alexander secum in hunc finem duxerat. Proscripta ergo fuit a concilio Nicæno Arii hæresis et ipse in exilium pulsus est, atque inserta Symbolo vox ὁμούσιον seu *consubstantialis*.

Secunda causa concilii convocandi fuit controversia de tempore celebrandi paschatis, quam licet Victor papa jam diremisset, et anathema comminatus fuisset contra eos qui contendebant celebrandum esse cum Judæis decima quarta luna primi mensis, quacumque die occurreret (unde dicti *Quartodecimani*), hucusque tamen nondum habebantur ab Ecclesia alieni: decrevit ergo sacra synodus pascha celebrandum esse dominica post lunam decimam quartam primi mensis, scilicet martii, incidentem in æquinoxium vernum, vel ipsura proxime sequentem.

Tertia causa convocationis concilii fuit schisma Meletii: Meletius, Lycopolis in Ægypto episcopus, idolis sacrificaverat, et a S. Petro Alexandrino patriarcha suo exauctoratus, schisma fecerat. Hunc denuo exauctoravit concilium.

Insuper canones aliquos circa disciplinam edidit, viginti vulgo circumferuntur: an non fuerint plures controvertitur inter auctores, de quo vide Cabassutium, Notit. Ecclesiast. Diatriba ad concilium Nicænum, pagina mihi 119, et sequentibus.

Hæresis Ariana Nicææ damnata, sed non extincta, recruduit agentibus episcopis Arianis, qui, metu damnationis et imperatoris, fidei Nicænæ fraudulenter subscripserant. Hi igitur in hunc finem Athanasium præcipuum consubstantialitatis defensorem, a quo superati fuerant in concilio, et qui loco Alexandri mortui sedem Alexandrinam conscenderat, variis calumniis impetiverunt atque in concilio Tyrensi damnarunt; ita ut Constantinus Magnus, eorum artibus circumventus, eum in exilium amandaverit.

Mortuo Constantino, Athanasius se purgavit apud Julium papam; sed Ariani, auctoritate Constantii insignis Arianismi fautoris freti, non destiterunt in Athanasium furere, donec Constans ejus frater, totius Occidentis, post mortem Constantini alterius fratris, imperator et Nicænæ fidei defensor, a Constantio fratre tum precibus cum minis obtinuit ut amborum consensu concilium Sardicæ celebraretur.

Anno itaque 347 celebratum est Sardicæ concilium generale trecentorum episcoporum, octoginta episcopis Arianis secedentibus Philippim in Thracia, quod viderent se impares episcopis orthodoxis.

Concilium Sardicense confirmavit fidem Nicænam et Athanasium insontem declaravit, ipsumque et alios ab Arianis ejectos suis sedibus restituit. Et quia hoc concilium nullum novum decretum fidei edidit, sed Nicæna decreta tantum confirmavit et eorum defensores vindicavit, inter concilia generalia non tenet locum distinctum a Nicæno, et sub Nicæni nomine venit, atque ejus canones, quos viginti unum condidit, tanquam Nicæni citantur, saltem in ecclesia Romana, ut jam alibi observavi.

Ariani vero, Philippi congregati, non

solum in Athanasium et Osium, sed etiam in Julium papam insolenter dixerunt. Et ut incautos deciperent, suam pseudosynodum Philippensem Sardicensem appellarunt : unde Donatistæ, quibus Ariani se junxerant, suppressa vera synodo Sardicensi, synodum Philippensem sub nomine Sardicensis per totam Africam promulgarunt; ita ut S. Aug. l. 3 contra Crescon. c. 34 et alibi, nullam aliam synodum Sardicensem agnoscat quam Arianorum.

De Ario et Arianismo latius vide tractatum de Trinitate, dissert. procem. art. 1.

Concilium Constantinopolitanum I, generale secundum.

Anno 381, Kalendis maii, imperantibus Theodosio seniore, Gratiano et Valentiniano, inchoatum est concilium Constantinopolitanum primum; fuit centum quinquaginta episcoporum imperii Orientis, quibus sub initium aderant triginta episcopi exparte Macedonianorum, sed statim discessere.

Hujus concilii convocandi causa præcipua fuit, ut fides Nicæna tot pseudosynodis et formulis Arianis labefactata firmaretur, et hæreses Macedonii atque Appollinaris damnarentur.

Macedonius, primum ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus, postea episcopus, stabat e partibus Semi-Arianorum, qui, rejicientes ὁμούσιον, id est consubstantialem, admittebant ὁμοιούσιον, id est similem in substantia; anno 360, novam aliam hæresim commentus est, dicens Spiritum sanctum non esse ejusdem cum Patre et Filio substantiæ ac honoris participem, sed utriusque ministrum ac creaturam. Vide tract. de Trinitate, dissert. procem. art. 1.

Apollinaris, patria Laodicenus, filius alterius Apollinaris presbyteri, qui contra Porphyrium multa pro religione scripsit, dogma hæreticum quod senior Apollinaris tentaverat, promovit circa annum 367, nempe Christum corpus quidem sumpsisse ex Maria virgine, sed sine anima; postea errorem suum emolliens, dixit sumpsisse etiam animam, sed quæ mente careret, Verbum que fuisse illi loco mentis. Tandem, mutata adhuc priori sententia, dixit carnem non de Virgine, sed de cœlo assumpsisse. Vide procemium tractatus de Incarnatione.

Altera causa congregandæ synodi fuit, ut de legitimo episcopo Constantinopolitano statueretur adversus Maximum Cynicum ab Ægyptiis episcopis illegitime intrusum contra S. Gregorium Nazianzenum, communi consensu ad hanc sedem assumptum.

Concilium itaque 1° damnat hæreticos cum suis erroribus, Anomæos scilicet seu puros Arianos, confirmando Symbolum Nicænum; Apollinaristas, addendo Symbolo, *conceptus de Spiritu sancto ex Maria virgine;* Macedonianos, addendo de Spiritu sancto, *Deum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.*

Quantum ad alterum caput, legitimam declaravit electionem S. Gregorii eamque confirmavit. Sed, cum factio Maximi noves tumultus cieret, instaretque contra validitatem electionis S. Gregorii, eo quod ex aliis sedibus, Sasimorum scilicet et Nazianzi, in sedem Constantinopolitanam contra canones translatus fuisset, S. præsul sponte cessit episcopatui, illud memorabile proferens : « Si vobis ullo modo causa » dissidii sum, Jonam prophetam integri» tate vitæ non supero, projicite me in » mare, et tumultuum tempestate agitari » desinetis. » Nihil tamen obtinuit Maximus, sed in locum S. Gregorii suffectus est Nectarius adhuc catechumenus.

Quomodo istud concilium evasit generale et œcumenicum ubertim explicuimus, digress. IV hist. ad dissert. procem. de Trinti. sect. I. Vide diligenter, non enim vacat hic repetere.

Quosdam etiam canones edidit hæc synodus; quidam numerant septem, alii tres tantum : hos, præsertim secundum aut tertium, quo primus locus post Romanum poniificem conceditur episcopo Constantinopolitano, non admisit ecclesia Romana, nisi diu post in concilio Lateranensi sub Innocentio III; eumdemque improbavit S. Leo in concilio Chalcedonensi. Nec obstat quod in sequentibus conciliis episcopus Constantinopolitanus secundum locum obtinuerit, non reclamantibus legatis apostolicis; id enim factum est ex quadam legatorum dissimulatione et suprema imperatorum potestate.

Concilium Ephesinum, generale tertium.

Anno 431, Cœlestini octovo, Theodosii junioris vigesimo quarto, celebratum fuit

Ephesi concilium generale contra Nestorium. Omnia quæ illud et errores Nestorii spectant, habes digress. I hist. ad dissert. 4 de Incarnatione, per quinque sectiones : illic require

Concilium Chalcedonense, generale quartum.

Anno 451 celebratum est hoc concilium Chalcedonense, sub S. Leone et Marciano imperatore, contra Eutychem. Omnia etiam quæ hanc synodum et errores atque fautores Eutychis spectant, habes ad longum, digress. II hist. ad dictam dissert. 4 de Incarnatione, per quinque sectiones : vide.

Concilium Constantinopolitanum II, generale quintum.

Hoc concilium celebratum fuit anno 553, sub Vigilio papa et Justiniano imperatore, in causa Trium Capitulorum et Origenistarum. Adfuerunt centum sexaginta episcopi. Quæ spectant hoc concilium quoad Tria Capitula, late exposita sunt dissert. 3 hujus tractatus, art. 7, § 4 : illuc recurre.

Quantum ad Origenistas, Origenes a suo episcopo Demetrio Alexandrino propter varios errores damnatus, negavit esse suos, sed a quodam æmulo suis operibus esse insertos. Præcipui erant circa divinitatem Verbi divini et Spiritus sancti, de qua minus recte sentire videbatur; circa pœnas damnatorum, quas aliquando finiendas dicebat; circa formam resurrectionis corporum, quæ in figura rotunda resurrectura docebat; circa astrorum et cœlorum naturam, quæ anima intellectiva esse prædita dicebat, etc. Hæc autem falsa dogmata disseminabant quidam monachi Novæ Lauræ, seu S. Sabæ in Palestina, quos cum suis erroribus confixit hoc concilium.

Concilium Constantinopolitanum III, generale sextum.

Hoc concilium auctoritate Agathonis papæ convocatum, promovente et ministeriaIiter concurrente piissimo imperatore Constantino Pogonato contra Monothelitas celebratum fuit anno 680 in Secretario Palatii Imperialis quod Trullum vocant, cui adfuerunt autem sexaginta sex Episcopi : Omnia quæ ad illud et Monothelitas pertinent abunde exposuimus digress. historica ad dissert. 18 de Incarnat. per quinque sectiones : illuc lectorem remitto.

Concilium Nicænum II, generale septimum.

Fuit celebratum hoc concilium anno 787, sub Adriano I et Constantino cum matre Irene imperante, contra Iconoclastas. Hujus concilii et Iconoclastarum historiam habes descriptam in tractatu de Incarnatione, dissert. 23, art. 3 : vide.

Concilium Constantinopolitanum IV, generale octavum.

Sanctus Ignatius, Michaelis Curopalatis filius, quem Leo Armenus eunuchum et monachum fieri jusserat, ope Theodoræ Augustæ, alterius Michaelis imperatoris matris, sedem Constantinopolitanam conscenderat. Barda, Theodoræ frater, in Ignatium exacerbatus, quod ipsum ob stupri consuetudinem cum propria nuru ob Ecclesiæ communione separasset, suadet Michaeli ut Theodoram matrem in monasterio includat, et Ignatio præcipiat ut illi etiam invitæ religionis velum imponat ; quod cum recusaret Ignatius, in exilium pulsus est, et ejus loco substitutus Photius, homo laicus, qui per Gregorium Syracusanum, a S. Ignatio ob facinora depositum, intra sex dies fuit ordinatus. Vir erat Photius acerrimi ingenii et humaniorum litterarum peritissimus, sed summæ malitiæ et ambitionis. Et hæc est prima origo schismatis Græcorum, quod, licet aliquoties interruptum, hodie tamen adhuc perseverat.

Nicolaus I Ignatii depositionem in concilio Romano irritavit, legatosque Redoaldum et Zachariam Constantinop. misit, qui ipsum suæ sedi restituerent et Iconomachos redivivos comprimerent.

At Photius, congregata synodo, Ignatium præsentem dignitate nudavit, et variis tormentis vexatum ac fere semimortum, uno ex ministris apprehendente ejus manum, crucem in charta facere coegit, qua significaret se suæ depositioni consentire. Huic pseudosynodo legati, molestiis a Photio illatis victi, ignave subscripserunt. Hæc autem ubi rescivit Nicolaus, irritavit, et legatos atque Photium anathemati subjecit ; sed et ipse Photius, coacto conciliabulo, summum pontificem vicissim excommunicare attentavit.

Michaeli successit Basilius, qui, ut tot malis occurreret, petiit ab Adriano II, qui Nicolao defuncto successerat, concilium generale. Libenter annuit summus pontifex et misit legatos Donatum Ostiensem, Stephanum Nepesinum et Marinum diaconum,

qui concilio Constantinopoli celebrando suo nomine præsiderent.

Anno itaque 869, quinta octobris, inchoata est hæc synodus, præsidentibus dictis legatis et præsente Basilio cum centum duobus episcopis : ii qui a S. Ignatio fuerant consecrati et cum Photio communicaverant, veniam petentes, post brevem pœnitentiam ad consensum admissi sunt. Photius, compare coactus, de variis criminibus accusatus et interrogatus, respondere renuens, anathemate confixus est; cujus damnationi patres synodici, ut refert Nicetas David auctor coævus, in Vita S. Ignatii, calamo intincto non atramento tantum, sed etiam sanguine Christi in atramentum infuso, subscripsere. Iterum insuper damnati sunt Iconoclastæ, et editis quibusdam canonibus, absoluta est synodus pridie Kal. martii 870.

Mortuo post aliquot annos S. Ignatio, Photius, ope Basilii imperatoris fretus, petiit a Joanne VIII in sedem Constantinopolitanam restitui, misso Romam cum litteris imperatoris Santabareno insigni impostore, cujus artibus circumventus pontifex, restitutioni seu potius promotioni Photii in sedem Constantinopolitanam nimia facilitate consensit, missis etiam in hunc finem legatis Constantinopolim. At Photius, falsificatis litteris apostolicis, et Legatis blanditiis et muneribus corruptis pseudosynodum quasi ex consensu Joannis congregavit quam œcumenicam appellavit, in eaque omnia acta præcedentis synodi œcumenicæ contra ipsum a Nicolao I et Adriano II confirmata irritavit, atque anathemate confixit eos qui particulam *Filioque* symbolo addiderant aut adderent. Joannes se delusum sentiens, ambonem conscendit et anathema in Photium solemniter pronuntiavit, sed tardius : ex tunc enim formatum est schisma Græcorum, quod hucusque penitus extingui non potuit.

SECTIO II. — *De conciliis generalibus in Occidente celebratis.*

Ecclesia Græca per schisma Photianum a Latina divisa, nulla amplius in Oriente celebrata sunt concilia generalia, sed plura eaque numerosissima in Occidente, quæ sequuntur.

Concilium Lateranense I, generale nonum.

Causa convocandi hoc concilium fuit grave dissidium inter summos pontifices et imperatores ac Germaniæ reges circa investituras. Investitura autem in eo sita erat, quod rex seu imperator consentiret electioni alicujus ad episcopatum vel abbatiam, et concedere electo per baculum et annulum possessionem et usum bonorum ecclesiasticorum; sine quo electus privabatur istis bonis et electio manebat irrita.

Ortum habuit in imperatoribus et regibus iste usus ex eo quod multa bona, etiam feuda regalia, ecclesiis contulissent, sub ea conditione omnibus feudis communi, quod electi episcopi vel abbates horum possessionem non adirent, nisi eam a donatoribus vel eorum successoribus aliquo ritu exteriori accepissent, præstito prius juramento fidelitatis.

Id potuit esse ab initio inculpatum, sed in graves postea degeneravit abusus : hinc enim affectum est, ut reges et imperatores investituram non ad sola feuda regalia, sed ad omnia bona ecclesiastica extenderent, et libertate electionum sublata, episcopatus et abbatias quibus vellent, etiam indignis, mediante pretio, simoniace conferrent. Adde quod traditione baculi et annuli, quæ sunt insignia pastoralia, præbebatur multus occasio credendi non solum feudorum possessionem, sed etiam jurisdictionem spiritualem ab imperatoribus et regibus conferri.

Huic malo conati sunt occurrere plures pontifices, præsertim Gregorius VII antea dictus Hildebrandus, monachus Cluniacensis, et Calixtus II antea Guido, episcopus Viennensis: iis obstiterunt duo imperatores seu Germaniæ reges, Henricus III et IV juxta Italos, juxta Germanos autem IV et V, duobusque legitimis pontificibus duos opposuerunt pseudopontifices, Gregorio Guibertum Ravennæ episcopum, Calixto Burdinum Bracharensem archiepiscopum. Henricum IV anathemate confixit Gregorius, Henricum V Calixtus, qui, et comparato exercitu, Henrico V occurrit : at instante prælio inter deputatos ex utroque exercitu, Deo sic speciali gratia disponente, conventum est quod Henricus, missis ad pontificem legatis, pacem, propositis quibusdam conditionibus, peteret quæ concilio generali firmaretur.

Annuit pontifex, et concilium generale Romæ in ecclesia Lateranensi celebrandum

convocavit, quo, anno 1123, convenerunt, juxta Sugerium S. Dionysii abbatem, qui aderat, recentiores et amplius episcopi, non numeratis abbatibus et aliis clericis.

Conditiones itaque pacis, de quibus jam conventum erat Viceburgi inter deputatos utriusque exercitus, atque in hac concilio firmatæ, sunt sequentes: imperator dimittit omnem investituram per baculum et annulum, et concedit in omnibus ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem atque bona ecclesiis ablata ab initio hujus discordiæ restituere promittit; pontifex vero concedit imperatori electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni in præsentia sua fieri absque simonia et violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et provincialium concilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium præbeat: electus autem regalia per sceptrum ab ipso recipiat; ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum ab ipso recipiat.

In hoc concilio sunt etiam conditi canones viginti duo juxta vulgatam cenciliorum editionem, licet alii pauciores numerent. Hi canones spectant disciplinam et sacras expeditiones promovendas in Griente et in Hispania, contra christiani nominis hostes, renovatis indulgensiis ab Urbano II concessis Crucigeratis, seu iis qui, cruce in vestibus super scapulas assuta, opem christianis contra Saracenos militando ferrent.

Concilium Lateranense II, generale decimum.

Hoc concilium ab Innocentio II convocatum et celebratum anno 1139: 1° occasione schismatis Petri Leonis; 2° contra errores Petrobrusianorum et Arnaldi Brixiensis; 3° pro restauranda disciplina ecclesiastica.

Circa primam causam: imminente obitu Honorii II, convenerant cardinales, ut statim post ejus mortem in ecclesia S. Marci successorem eligerent: at metuentes ne, si mors pontificis divulgaretur, factiones et tumultus, ut in his occasionibus fieri solet, excitarentur, præsertim tunc commovente Arnaldo Brixiensi monacho seditiosissimo, ad S. Marcum accedere non ausi sunt, sed statim majori numero congregrati, elegerunt Innocentium II, cujus vita et fama, ætas et scientia digna summo pontificatu habebatur, inquit abbas Bonævallis, lib. 2 de Vita S. Bernardi. cap. 1. Alii vero numero pauciores apud S. Marcum congregati, elegerunt Petrum *Leonis* cognominatum, qui Anacletus II dictus est: hic fretus parentum affinium et amicorum potentia et opibus quas templorum direptione auxit, prævaluit in urbe adversus Innocentium, qui ideo discedere et in Galliam se recipere coactus est: illum ut verum pontificem magnificentissime excepit Ludovicus sextus cognomento *le Gros;* illi pariter adhæserunt plura alia regna, agente potissimum per litteras S. Bernardo; et collectis apud Gallos copiosis pecuniis subsidiariis, atque Lotharii imperatoris exercitu adjutus, Romam rediit, schismaticos repressit, ita ut tandem, mortuo Petro Leone, et Victore ejus successore dignitati cedente ac misericordiam implorante, pax Ecclesiæ sit reddita. Ad hujus ergo pacis confirmationem et ad mala ex præterito schismate orta removenda, hoc concilium celebratum est, in quo acta Leonis fuerunt rescissa et ejus ordinationes declaratæ irritæ; quod intelligendum est quoad locum honoris et exercitium functionum, non quoad substantiam et characterem ordinis, ut explicatum est in tractatu de Ordine, disseri. 3, art. 2.

Errores Petri de Bruis, a quo Petrobrusiani, confixit concilium; hos autem refert Petrus, venerabilis abbas Cluniacensis, epistola ad archiepiscopos Arelatensem et Ebrodunensem: 1° negabat baptismum prodesse parvulis; 2° dicebat templa non esse necessaria christianis ad orandum, nulla debere extrui, extructa debere destrui; 3° cruces frangi præcipiebat; 4° veritatem sacrificii missæ negabat; 5° sacrificia, orationes, eleemosynas pro defunctis deridebat easque nihil defunctis prodesse affirmabat.

Arnaldus Brixiensis, Petri Abelardi discipulus, pariter in eodem concilio damnatus, ut facilius imponeret Brixiæ et Romæ, assumpto monastico habitu, suos errores disseminabat. De baptismo parvulorum et de eucharistia cum Petro de Bruis sentiebat; regiminis ecclesiastici auctoritatem ad laicos revocabat; episcopis, clericis et monachis omnem bonorum proprietatem et possessionem abrogabat, eis ea bona esse adimenda prædicabat.

Canones etiam in hoc concilio sunt editi qui ut plurimum spectant disciplinam: numerantur triginta, quorum decimus quin-

tus celebris in jure sic habet : « Si quis, » suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum » incurrit, judex clericum vel monachum » violentas manus injecerit, anathematis » vinculo subjaceat, et nullus episcoporum » illum præsumat absolvere, nisi mortis » urgente periculo, donec apostolico con- » spectui præsentetur et ejus mandatum » suscipiat. Præcipimus etiam ut in eos qui » ad ecclesiam vel cœmeterium confugerint, » nullus omnino manum mittere audeat ; » quod si fecerit, excommunicetur. »

Concilium Lateranense III, generale undecimum.

Adriano III vita functo, septemdecim cardinales elegerunt in ejus successorem Rolandum, ecclesiæ Romanæ cancellarium qui dictus est Alexander III ; duo vero aut tres tantum cardinales elegerunt Octavianum Romanum qui dici voluit Victor IV : hujus partes suscepit Fredericus imperator, et per viginti duos annos bellum in Italia gessit adversus Alexandrum III ; sed tandem victus et a majori parte suorum desertus, se ad pedes Alexandri projecit et excommunicationis absolutionem petiit, quam obtinuit.

Alexander itaque, ut in posterum contra hujusmodi schismate de opportuno remedio provideret, hoc concilium generale convocavit anno 1179, cui adfuerunt trecenti episcopi, inter quos erant quidam Orientales. Quapropter canone I decretum est ut nemo deinceps pro legitimo pontifice haberetur, nisi a duabus partibus cardinalium esset electus.

Damnati sunt in eo concilio Waldenses, sic dicti a Petro Waldo, cive Lugdunensi, eorum auctore ; vocati sunt etiam Pauperes de Lugduno, a loco in quo secta nata est ; item *Insabbatati*, sive quia in calceo quem Hispani *zapato* vocant signum speciale ad modum scuti deferebant, sive quia nulla sabbata seu festivos dies celebrabant : in odium sectæ, a catholicis appellati sunt *Turlupini*, *Poplicani*, *Ribaldi*, *Piphles*.

Eorum errores recensere longum foret, erat enim hæc hæresis colluvies seu quasi collectio omnium errorum hujus sæculi : hos fuse exponit Natalis Alexander, Hist. Ecclesiast. sæcul. 11 et 12, cap. 4, a. 13, ex Reinero, qui inter hos hæreticos fuerat episcopus.

Plures alios canones edidit hoc concilium pro resarcienda disciplina circa simoniam, usuram, polygamiam, fastum et avaritiam clericorum : numerantur viginti septem.

Concilium Lateranense IV, generale duodecimum.

Hoc concilium vulgo dicitur magnum Lateranense, ab Innocentio III celebratum anno 1215. Huic præsedit Innocentius, adfuerunt duo patriarchæ Constantinopolitanus et Jerosolymitanus ; Antiochenus et Alexandrinus impediti, primus infirmitate, secundus Saracenorum tyrannide, per procuratores ; primates et metropolitani septuaginta septem, episcopi quadraginti duodecim, abbates et priorea octingenti et amplius, absentium prælatorum et capitulorum procuratores innumeri, imperatorum Orientis et Occidentis, regum Galliæ, Hungariæ, Jerosolymorum, Cypri et Aragoniæ oratores.

In hoc concilio decreta est expeditio in Terram Sanctam, concessæ indulgentiæ cruce signatis ; hi liberantur ab omnibus oneribus publicis, et sub apostolicæ Sedis potestate et protectione suscipiuntur ; præscribitur episcopis et aliis clericis sub pœna excommunicationis, ut per triennium vigesimam partem suorum proventuum in subsidium Terræ Sanctæ conferant ; se quoque pontifex cum cardinalibus ad decimæ collationem adstringit, et insuper triginta millia librarum in eumdem finem contulit.

In eodem concilio damnati sunt Albigenses. 1° Novi Manichæi duo prima principia admittebant, bonum invisibilium malum, visibilium creatorem ; 2° sacramenta abrogabant ; 3° resurrectionem carnis negabant ; 4° purgatorium et orationes pro defunctis irridebant ; 5° ab umbilico et inferius neminem posse peccare affirmabant ; 6° sacrarum imaginum venerationem idololatriam esse et campanas tubas dæmonum dicebant ; 7° B. Mariam Dei genitricem, horribile effatu, meretricem inclamabant ; 8° injuste ablata non esse restituenda, bona opera non prodesse et mala non obesse prædicabant. Hæc et plura alia falsa et impia quæ fuse describit Natalis Alexander, Hist. Ecclesiast. sæc. 13, cap. 3, § 2, passim disseminabant. In his debellandis et convertendis plus omnibus laboravit SS. P. Dominicus, utque non deessent catholicæ fidei propugnatores adversus hos et alios futuros

hæreticos, FF. Prædicatorum ordinem instituit.

Item, proscriptus est error abbatis Joachim, qui dicebat in Trinitate tres personas non esse unam essentiam numero, sed collective tantum, sicut plures homines sunt unus populus: non tamen fuit damnatus ut hæreticus, quia non fuit pertinax.

Item, summus pontifex in eodem concilio indulsit sedi Constantinopolitanæ locum post Romanam, de quo in pluribus conciliis actum fuerat, sed nunquam concessum.

Plures insuper canones maxime circa disciplinam (numerantur septuaginta) condidit, inter quos est celebris canon *Omnis utriusque sexus*, de quo diximus in tract. de Pœnitentia.

Huic concilio adfuisse S. Dominicum plures testantur, et Innocentio III aperuisse mentem suam de ordine FF. Prædicatorum instituendo, quem probavit pontifex, ea de re prius in sommis cœlestis visione monitus.

Concilium Lugdunense I, generale decimumtertium.

Fredericum II, Henrici IV imperatoris filium, a primis annis parentibus orbatum, sub sua tutela susceperat Innocentius III, ipsique non solum regnum maternum Siciliæ et Apuliæ servaverat, sed etiam aditum ad imperium fecerat, depulso in ejus gratiam Othone IV. At ingratus princeps sui juris factus, tot beneficiorum immemor, in ipsos Romanos pontifices Innocentium III, Gregorium IX et Innocentium IV, hostiliter insurrexit, Romam obsidione cinxit, terras Ecclesiæ invasit, fœdus cum Saracenis inivit, Italiam cædibus et incendiis depopulavit, excitata factione *Gibellinorum* ipsi faventium contra *Guelfos* summo pontifici adhærentes; pacem initam inter Ecclesiam et Imperium juramento firmatam pluries violavit, cardinales et alios prælatos euntes ad concilium quod Gregorius IX convocaverat, capi jussit et incarcerari; de hæresi vehementibus argumentis erat suspectus; regnum Siciliæ quod ab apostolica Sede in feudum tenebat, in servitutem redegit, atque Romanam ecclesiam hostiliter impugnare coegit.

Propter hæc et alia crimina de quibus accusabatur, tum Innocentius III, tum Gregorius IX ipsum anathemate confixerant: at horum successor Innocentius IV conditiones pacis ipsi proposuit, quas superbus princeps cum contemptu rejecit. Hinc persensit Innocentius sibi tutum non esse Romæ remanere: quapropter ex Italia cum quibusdam cardinalibus clam recessit, et Lugdunum in Gallia se recepit, ubi, ut tot malis occurreret, concilium de quo agimus celebravit anno 1245, regnante S. Ludovico in Gallia. Huic concilio adfuerunt centum quadraginta episcopi, inter quos tres patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquileiensis; item adfuit Balduinus II, imperator Constantinopolitanus, qui sedebat a dextris pontificis, alii principes a sinistris.

Fredericus, personaliter citatus ad concilium, comparere noluit, sed misit legatos qui ejus causam defenderent; præcipuus erat Thadæus, vir subtilis et eruditus, qui nihil non tentavit ut accusationes contra Fredericum dilueret: sed, hoc non obstante, lata est in ipsum sententia qua Imperio et regno Siciliæ et Apuliæ privabatur, facta libertate iis ad quos in Imperio spectat electio successorem eligendi. Electus est Henricus, Thuringiæ et Hassiæ langravius; cui post biennium defuncto successit Willelmus, Hollandiæ comes. Fredericus autem, victus a Longobardis qui in ipsum rebellaverant, fugit in Apuliam, ubi a Manfredo proprio filio, sed illegitimo, pulvinari ejus ori admoto, suffocatus est anno a concilio quinto.

Plura insuper circa disciplinæ ecclesiasticæ restaurationem sancita sunt decreta; quæ referuntur in 6 Decretalium. Item renovata est expeditio in Terram Sanctam, cujus dux S. Ludovicus fuit institutus: cardinales novo privilegio adaucti, eo in concilio pileo rubro donati sunt.

Concilium Lugdunense II, generale decimum quartum.

Mortuo Clemente IV, sedes Romana vacavit ferme per biennium. Cardinales, inter se dissentientes, in S. Bonaventuram tunc ordinis Minorum ministrum generalem tandem compromiserunt, qui, omissis cardinalibus, designavit Thibaldum archidiaconum Leodiensem, tunc in Syria occasione belli sacri versantem.

Hic, assumpto nomine Gregorii X, ani-

mum et curas statim intendit, 1° ub subsidia militiæ sacræ necessaria non deessent; 2° ut Græci ad communionem Sedis apostolicæ revocarentur; 3 ut mores fidelium, maxime clericorum, reformarentur, et media adhiberentur ne deinceps sede Romana tandiu vacaret. His de causis concilium generale Lugduni intra biennium celebrandum indixit, directis tum litteris, tum nuntiis ad episcopos et principes Orientis et Occidentis.

Anno itaque 1274, celebratum est Lugduni concilium generale cui ipse Gregorius X præsedit. Præter duos patriarchas Constantinopolitanum et Antiochenum, plures abbates et generales ordinum, adfuerunt quingenti circiter episcopi, Michaelis Palæologi Græcorum imperatoris legati, Jacobus rex Aragoniæ, et plurium principum oratores.

Quantum ad id quod dicunt Sixtus IV in bulla canonisationis S. Bonaventuræ, et Sixtus V in diplomate quo illum Ecclesiæ doctoribus aggregavit, S. doctorem concilio præfuisse, intelligendum est de directione concilii, quatenus a pontifice illi commissum erat ea quæ proponenda et decernenda erant providere; præsente enim summo pontifice nullus alius præsidere potest. Advocatus etiam fuerat ad hoc concilium Doctor Angelicus, sed in via apud monachos Fossæ Novæ fato cessit.

Sessione tertia, præsentibus imperatoris Græcorum legatis, concurrentibus unanimi voto patriarchis Orientalibus et omnibus episcopis, concordia utriusque ecclesiæ Græcæ et Latinæ inita et firmata est. Summus pontifex solemniter missam celebravit in qua Symbolum fidei fuit decantatum, repetito pluries Græce et Latine, *Filioque procedit*, quod hucusque fuerat præcipuum pacis obstaculum, de quo sat diximus in tract. de Trinitate, dissert. 5, a. 4 et 7. Tum sess. 4, lectis litteris imperatoris Michaelis et episcoporum Græcorum in quibus Romani pontificis primatum agnoscebant, legati obedientiam ipsi exhibuerunt, et eamdem fidem professi sunt.

Decimæ ex proventibus ecclesiasticis in subsidium Terræ Sanctæ denuo institutæ sunt, forma a cardinalibus observanda in electione summi pontificis constituta, ut nempe in conclavi includerentur, interdicta quacumque cum extraneis communicatione sive per litteras, sive per nuntios, et præmissa irritatione cujuscumque pactionis, promissionis aut juramenti circa futuram electionem. Denique varia decreta sancita sunt circa morum reformationem, quæ referuntur in 6 Decretal.

Petes utrum jus eligendi Romanum pontificem semper fuerit penes cardinales?

R. negative. Primis enim sæculis, Romanus episcopus, non secus ac alii episcopi, eligebatur, præsente plebe, a comprovincialibus episcopis, aut a clero, saltem majori parte, ut constat ex S. Cypriano, Epist. 41, 52 et 68, et ex C. 4 et 6 concilii Nicæni.

Postea, occasione schismatum, interponi cœpit auctoritas imperatorum in electione pontificum: ita ut successu temporis usurpaverint jus eligendi pontificem, aut ejus electionem sic probandi ut sine eorum approbatione pro pontifice non haberetur. Hanc usurpationem nunquam agnovit aut probavit Ecclesia: unde Baronius et Mornus, in Historia potestatis Rom. pontificis, bene probant esse fictitium concilium Romanum in quo Sigebertus Gemblacensis, qui partibus Henrici IV addictus erat, dicit hoc jus concessum fuisse imperatoribus; consequenter expungendos esse canones *Hadrianus* et *In synodo*, dist. 63, quos Gratianus nimia facilitate ex Sigiberto exscripsit.

Carolus Magnus liberas pontificum electiones Romanis reliquit, sed Otho I istud jus iterum sibi asseruit, et in successoribus perduravit usque ad Henricum IV, a quo Paschalis II et Gregorius VII ecclesiæ Romanæ revindicarunt.

Quandonam præcise istud jus solis cardinalibus reservatum fuerit, incertum est. Eo jam fruebantur ineunte sæculo XI, quo florebat S. Petrus Damiani et ipse cardinalis, qui, lib. 1, Epist. 20, sic scribit: « Romanæ Ecclesiæ cardinales Romanum pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet episcoporum, sed etiam patriarcharum atque primatum jura transcendunt: Salvo quippe universalis Ecclesiæ sacramento, ipsi sunt oculi unius lapidis, ipsi lucernæ unius candelabri. »

Concilium Viennense, generale decimum quintum.

Religiosi milites, Templarii dicti, eo quod circa templum Jerosolymitanum habita-

rent, quamvis etiam toto orbe essent diffusi, juxta suum institutum, christianæ ditionis fines defendere et christianos ad loca sancta peregrinantes a latrociniis et infidelium vexationibus tutari tenebantur; idque initio laudabiliter præstiterunt: sed, excrescentibus divitiis, in varia crimina lapsi sunt: initi fœderis cum Saracenis et Turcis, horrendarum blasphemiarum in Christum crucifixum in suis arcanis cœtibus et nefandæ inter se libidinis palam infamantur.

Rem hanc gravissimam quæ universum ordinem et plures nobilitate et potentia ejus professoribus consanguineos, affines et addictos spectabat, nonnisi concilii generalis sententia definiendam existimavit Clemens V; ipsum etiam ad convocationem concilii movebant errores Fratricellorum, Begardorum et Beguinarum tunc grassantes, subsidium Terræ Sanctæ conferendum, et disciplinæ ecclesiasticæ restauratio.

His ergo de causis quas ipse pontifex in bulla *Regnans in cœlis* exprimit, indixit concilium generale celebrandum Viennæ ad Rhodanum, cui ipse præsedit et adfuerunt plusquam trecenti episcopi.

Ibi sententia concilii extinctus est ordo Templariorum, omnibus eorum bonis concessis Hospitalariis S. Joannis militibus. Non defuerunt qui apologiam Templariorum susceperint, sed magis standum est concilii plenarii judicio. Adde quod sententia in ordinem non fuerit definitiva, sed per modum provisionis; nec dicat omnes esse horum criminum reos, sed quod, cum omnes de iis infamarentur, ordo sic factus inutilis ideoque abrogandus.

Item damnati sunt Fratricelli, seu Dulcinistæ, sic dicti a Dulcino suo duce, qui pellicem a se imprægnatam dicebat concepisse ex Spiritu sancto: hi insuper promiscuos concubitus in suis conventiculis exercebant, et visionem beatificam ultra ultimum judicium differri dicebant.

Similiter damnati sunt Begardi et Beguinæ, Fratricellorum cognati vel propago: a quo sic dicti incertum est. Dogmatizabant hominem in hac vita ad summam perfectionem posse assurgere, et tunc nullis adstringi legibus humanis, sive civilibus, sive ecclesiasticis; item, hominem in hac vita posse frui visione beatifica, ad quam non requireretur lumen gloriæ; item, actus carnales ad quos inclinat natura non esse peccatum, consequenter coitum cum muliere culpa vacare, osculum autem mulieris esse peccatum mortale.

Damnati sunt pariter errores Petri Joannis, qui dicebat animam rationalem, qua rationalis est, non esse formam corporis humani, gratiam et virtutes in baptismo non infundi, et latus Christi adhuc viventis fuisse lancea perforatum, contra expressum S. Joannis testimonium.

Subsidium Terræ Sanctæ, ut in præcedentibus conciliis ex decimis proventuum ecclesiasticorum statutum est; plura sancita decreta circa restaurationem disciplinæ ecclesiasticæ, quæ continentur in *Clementinis;* ac tandem explicata regula S. Francisci, ut videre est Clementina *Exivi*, de verborum significationibus.

Concilium Pisanum, generale decimum sextum.

Mortuo Perusii Benedicto XI, ex ordine FF. Prædicatorum assumpto, cardinales ibidem congregati, anno 1305, elegerunt Bertrandum de Goust Gallum, archiepiscopum Burdigalensem, qui cardinales Lugdunum convocavit, ubi coronatus est, assumpto nomine Clementis V. Avenione sedem fixit, ubi permansit plusquam septuaginta annis, usque ad Gregorium XI, qui hortatu potissimum S. Catharinæ Senensis Romam rediit, et ibidem obiit anno 1378. Romani, veriti ne futurus papa in Galliam rediret, clamaverunt tumultuose et minando se velle papam Italum et non alium, quorum minis territi cardinales, elegerunt Barthoiomæum Prignani, archiepiscopum Bariensem, absentem, nec cardinalem, dictum Urbanum VI, qui, cum severiori agendi ratione et verbis et factis cardinales sibi infensos reddidisset, hi, sub prætextu vitandi caloris æstivi, Agnaniam primum, deinde Fundos se contulerunt, ubi congregati electionem Urbani VI tanquam metu extortam, irritam declaraverunt, et Robertum Genevensem, episcopum Cameracensem et cardinalem, renuntiarunt pontificem, qui dictus est Clemens VII.

Et hæc est origo luctuosi schismatis quod quadraginta et ampliùs annis Ecclesiam laceravit: moriente enim alterutrius factionis pontifice, cardinales qui illi adhæserant alterum eligebant, quousque tandem, anno 1409, cardinales utriusque obedientiæ cum centum octoginta episcopis, tribus patriar-

chis Alexandrino, Antiocheno et Jerosolymitano, pluribus abbatibus, generalibus ordinum, doctoribus et principum legatis, Pisis congregati, citatis et monitis Gregorio XII Urbani VI successore, et Benedicto XIII Clementis VII successore, non comparentibus, in eos tanquam schismaticos, schismatis fautores, collusionis et violatæ fidei reos, sententiam depositionis protulerunt et pontificatu privatos declararunt. Tum cardinales numero viginti quatuor conclave ingressi Petrum Philargi Cretensem, humili loco natum, sed meritissimum ex ordine FF. Minorum, archiepiscopum Mediolanensem, assumpserunt in pontificem, qui dictus est Alexander V. Verum nec inde fuit extinctum schisma quin potius auctum, duobus enim pontificibus in retinendo pontificatu pertinacibus adjunctus est tertius.

Quidam hoc concilium a numero generalium rejiciunt, quia non fuit auctoritate pontificis convocatum; sed videtur quod in casu schismatis, quando est dubius pontifex, Ecclesia habeat jus convocandi concilium, si non ad ultimate definiendas res fidei, saltem ad sibi providendum de certo capite, ut factum est in sequenti concilio Constantiensi; alioquin Christos non satis providisset necessitati et securitati suæ Ecclesiæ.

Concilium Constantiense, generale decimum septimum.

Cum tres de summo pontificatu contenderent, Balthasar Cossa sub nomine Joannis XXIII qui Alexandro V successerat, Angelus de Corario sub nomine Gregorii XII, et Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII, dirumque schisma magis ac magis Ecclesiam dilaceraret, Sigismundus Romanorum imperator et Hungariæ rex non satis laudandus, ardenti religionis zelo, nullis laboribus pepercit ut illud extingueret. Non solum legatos circumquaque ad principes misit, sed ipse Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, Hispaniam in hunc finem peragravit, quousque tandem a Joanne XXIII obtinuit indicentes concilium generale Constantiæ, cum propriæ dimissionis promissione.

Anno itaque 1413 indictum est a Joanne XXIII concilium generale Constantiæ, et anno sequenti quinto novembris inchoatum; absolutum fuit post quatuor annos, scilicet anno 1418, vigesimo secundo aprilis.

Sub initium illi præfuit Joannes XXIII, et sess. 2 solemni juramento promisit se pontificatui cessurum, quoties alii duo contendentes cedere vellent. At non multo post, ipsum promissi pœnituit; clam enim nocte Constantia aufugit Schafusiam sub ditione Frederici Austriæ ducis qui ipsi favebat.

Post hujus fugæ perquisitiones et legationes ac citationes missas ad eumdem Joannem, institui cœpit processus criminalis contra ipsum, in quo de variis criminibus accusatus et convictus, ac etiam confessus, se jurisdictioni concilii submisit, dixitque nihil habere quo se defenderet. Unde concilium in eum tulit sententiam, qua fidei juramento promissæ violator et plurium enormium criminum in processu relatorum convictus et confessus, privatur pontificatu, nunquam eligendus, et sub custodia Sigismundi imperatoris quamdiu concilio placuerit, detinendus.

Sessione 14, advenerunt delegati et procuratores Gregorii XII, inter quos præcipui erant Joannes de Malatesta princeps Arimini, et Joannes Dominicus cardinalis de Ragusino. Hi, nomine et auctoritate Gregorii XII, concilium solemniter convocarunt et confirmarunt; postea cessionem ejusdem Gregorii pontificatui, prius datam Sigismundo, concilio tradiderunt.

Sessione 37, celebrata vigesimo sexto julii, præside Joanne cardinali Ostiensi, ut in omnibus anterioribus sessionibus a recessu Joannis XXIII, post plures citationes et processus, definitiva tandem sententia exauctorationis lata est a concilio contra Petrum de Luna, dictum in sua obedientia Benedictum XIII, tanquam perjurum, universalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem inveterati schismatis, schismaticum et hæreticum, hujus articuli fidei, *Unam sanctam Ecclesiam catholicam* violatorem pertinacem, etc.

Sessione 40, decretum est, pro hac vice tantum, ut pontifex eligeretur a cardinalibus et sex prælatis ex qualibet natione, Itala, Gallicana, Germanica, Anglica et Hispanica assumptis; et qui a duabus partibus cardinalium simul a duabus partibus adjunctorum ex qualibet natione esset electus, foret verus pontifex.

Sessione 41, cardinales numero viginti

et electores nationum triginta intraverunt conclave, et tertia post die undecima novembris, elegerunt Othonem Columna, nobilem Romanum, cardinalem diaconum S. Georgii ad velum aureum, qui, in honorem S. Martini cujus festum ea die celebrabatur, voluit nominari Martinus V, et die dominica vigesimo primo novembris in ecclesia Constantiensi solemni ritu coronatus est.

Sessione 45 et ultima, rogatus pontifex ut acta concilii confirmaret, respondit ore proprio, *Se omnia et singula concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere et inviolabiliter observare velle, et non aliter, nec alio modo :* quod per advocatum concilii postea iterari jussit. Materiam autem fidei diximus, dissert. præcedenti, principaliter spectare condemnationem hæresum Joannis Wicleffi, Joannis Hus et Hieronymi de Praga, quorum duo ultimi (obierat Wicleff) traditi sunt brachio sæculari et combusti tanquam pertinaces in hæresi. Nec ideo violata est fides salviconductus ipsis dati : enimvero concilium non dederat salvumconductum Joanni Hus, sed imperator a quo non poterat ligari concilii auctoritas, præsertim contra justitiam et fidem. Dederat quidem concilium salvumconductum Hieronymo de Praga, sed adjecta hac clausula, *justitia semper salva :* exigebat autem justitia ut in hæreticos pertinaces animadverteret. De quo plura Natalis Alexander, in Hist. sæcul. 14, dissert. 7.

Hoc itaque itaque concilio et electione Martini V pax reddita est Ecclesiæ, quamvis nodum penitus extinctum esset schisma : nam Petrus de Luna umbratilem pontificatum pertinaciter retinuit usque ad mortem, et jussit moriens ut duo cardinales ipsi adhuc adhærentes, ipso mortuo, alterum pontificem eligerent : elegerunt autem Ægidium Munio, canonicum Barcinonensem, qui, non nisi reluctans et ex jussu Alphonsi Aragonum regis Martino V infensi, hanc fictitiam dignitatem acceptavit, cui, inita pace inter pontificem et regem, lubens cessit anno decimo post concilium Constantiense ; et sic penitus extinctum fuit schisma quod quinquaginta annis duravit.

Concilium Basileense omitto ; quia, licet initio fuerit legitimum, degeneravit tamen in apertum conciliabulum et conventum schismaticum ; nec quidquam in eo a summis pontificibus probatum est, quam quædam gesta circa censuras et causas beneficiales, ut dissert. præcedenti ostendimus.

Concilium Florentinum, generale decimum-octavum.

Cum patres Basileenses in schismate contra Eugenium IV pertinaciter bærerent, nec Græci vellent Basileam convenire propter distantiam et itineris difficultates, Eugenius, juxta horum votum et consensum, conventum Basileensem transtulit Ferrariam, seu potius concilium generale indixit Ferrariæ, quod deinde, propter pestem ea in urbe grassantem, post plures sessiones traslatum fuit Florentiam, unde dictum Florentinum.

Anno itaque 1438, mense januario, inchoatum fuit hoc concilium Ferrariæ ; adfuerunt ex Latinis centum quinquaginia episcopi, quorum plures Basilea recesserant. Primæ sessioni præfuit Nicolaus Albergatus, cardinalis S. Crucis, ex ordine Carthusianorum ; cæteris Eugenius IV. Mense februario sequenti advenit Joannes Paleologus, Græcorum imperator, cum fratre suo Demetrio, Josepho patriarcha Constantinopolitano, legatis aliorum patriarcharum et plurimis Orientis episcopis, qui ab Eugenio et cæteris patribus, primoribusque civitatis honorificentissime excepti sunt.

Actum est de quinque capitibus inter utramque ecclesiam controversis, nempe 1° de processione Spiritus sancti a Filio ; 2° de additione hujus particulæ *Filioque*, facta Symbolo ; 3° de pane azymo vel fermentato in eucharistia ; 4° de purgatorio, 5° de primatu Romani pontificis. Sed ex Latinis, totidem ex Græcis selecti sunt qui circa illa publice disputarent : ex Latinis designati sunt duo cardinales, unus archiepiscopus et duo theologi, quorum unus erat noster Joannes de Monte Nigro, provincialis Lombardiæ, communiter dictus Joannes Theologus, qui in pluribus sessionibus cum Marco Ephesino congressus, ipsum non semel mutum reddidit. Ex parte Græcorum nominati sunt ipse Marcus Ephesinus, vir doctus, sed obstinatissimæ mentis ; alter metropolita, Bessarion episcopus Nicænus et alii tres : præcipuus inter eos fuit Bes-

sarion postea creatus cardinalis ab Eugenio IV.

Post plures itaque disputationes, tandem convenerunt Græci, excepto uno Marco Ephesino, de articulis propositis ad sensum Romanæ ecclesiæ, scilicet Spiritum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere, merito additum fuisse Symbolo *Filioque*, in pane azymo vel fermentato posse valide eucharistiam confici, quemlibet tamen ritum suæ ecclesiæ debere servare; dari purgatorium in quo animæ quibus aliquid expiandum restat detinentur; addiderunt tamen: *Sed in eo, sive ignis sit, sive caligo, aut turbo, sive quid aliud, non contendimus*; denique pontificem Romanum esse Christi vicarium, caput totius Ecclesiæ, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino plenam potestatem traditam esse.

Hæc quinque capita sic definita expresse continentur in celebri decreto *Unionis* a concilio edicto, quod incipit *Lætentur Cœli*. Verum hæc pax tam solemniter inita et firmata non diu stetit: Marcus Ephesinus enim in patriam redux, cum apud suos auctoritate polleret, plures in suas partes retraxit; nulla tamen hucusque facta est publica definitio contraria Florentinæ: unde error Græcorum qui a nobis dissident debet error personalis, non totius ecclesiæ Græcæ.

Consummata utriusque ecclesiæ unione, antequam discederent Græci, advenerunt deputati a patriarcha Armenorum, qui etiam pacem et unionem cum ecclesia Romana petebant: hi autem Eutychianismo erant infecti, seu, juxta aliquos, unam tantum in Christo naturam admittebant, sine tamen confusione et admixtione; circa quædam alia fidei capita errabant: postquam igitur sufficienter fuerunt instructi, Eugenius, sacro approbante concilio, dedit eis litteras unionis continentes compendio doctrinam catholicam, et quæ dicuntur decretum Armenorum, quod incipit *Exultate Deo*.

Volunt quidam hoc decretum non habere auctoritatem decreti concilii generalis, sed nationalis tantum, quia discesserant Græci quando fuit editum.

Verumtamen Eugenius in eo dicit datum *sacro approbante concilio*. Item dicit se ipsis tradere: « Decretum unionis cum » Græcis consummatæ, pridem *in hoc sa-* » *cro œcumenico Florentino concilio* pro- » mulgatum, cujus tenor talis est: *Euge-* » *nius*, etc. *Lætentur Cœli*, etc. » Item istud decretum subscribitur. « Datum » Florentiæ, in publica sessione synodali » solemniter in ecclesia majori celebrata. » Item in decreto unionis Jacobitarum, etiam edito post discessum Græcorum et quod cipit, *Cantate Domino*, dicit idem Eugenius: « Hanc quæ sequitur, veram ne- » cessariamque doctrinam hodie in hac » solemni sessione, sacro approbante *œcu-* » *menico concilio Florentino*, in nomine » mini tradidimus. » Item, cum in concilio Tridentino, anno 1547, februarii vigesimo sexto, episcopus Clodiensis excitasset difficultatem de bulla unionis Jacobitarum, quasi non pertineret ad concilium Florentinum, quod dicebat absolutum quando consignata fuit bulla unionis Græcorum, cardinalis de Monte reposuit: « Hallucina- » turos qui putant finem concilii Florentini » fuisse unionem Græcorum, cum longe » post, per tres scilicet fere annos perdu- » raverit, videlicet ad annum Domini 1442, » quo anno, sexto Kalendas maii, celebrata » sessione, Romam translatum fuit: patere » id ex diversis constitutionibus medio illo » tempore editis quæ in actis concilii ha- » bentur. » Ita legitur tom. I Actorum concilii Tridentini, sub Paulo III, quæ in arce Sancti Angeli asservantur, ut refert Horatius Justinianus, 3 p. Actorum concilii Florentini.

Ad rationem oppositam respondetur Græcos fuisse ad hoc concilium convocatos, et potuisse, si voluissent, usque ad finem remanere, quod sufficit ad œcumenicitatem concilii, si adsint plures ex majori parte provinciarum aliarum cum summo pontifice. Insuper Armenorum legati mentem suam Græcis aperuerant antequam discederent; Græci patribus commiserant vices concilium continuandi et Armenos instruendi ac recipiendi; adeoque decretum pro illorum instructione editum auctoritatem concilii Florentini, quo approbante factum est, sibi merito vindicat.

Sed *esto* non esse decretum concilii generalis, est saltem decretum concilii nationalis circa fidem catholicam, a summo pontifice solemniter confirmatum, proinde irrefragabilis auctoritatis.

Petes utrum synodus Florentina, etiam ante discessum Græcorum, fuerit certo et indubitate œcumenica, talisque semper habita fuerit in universa Ecclesia?

R. affirmative. Quia omnis synodus ex episcopis Orientis et Occidentis congregata, Romano pontifice per se vel per suos legatos præsidente, est et semper fuit habita œcumenica : talis autem fuit synodus Florentina. Ergo.

Dices. Synodus Florentina absque legitima auctoritate fuit congregata, nimirum contra prohibitionem concilii Basileensis, quod, sessione 8 et 11, quando erat adhuc legitimum, sancivit nullum aliud concilium stante Basileensi celebrari posse, et hoc Basileense a nemine, *etiamsi papalis dignitatis, transferri posse, absque expresso consensu duarum partium cujuslibet deputationis.* Ergo.

R. 1° hæc decreta concilii Basileensis non fuisse confirmata ab Eugenio IV, ut sat superque ostendimus dissert. præced. 2° Summus pontifex in his quæ non spectant fidem potest temperare et interpretari decreta conciliorum generalium, ubi subsunt justæ causæ, ut etiam declarat ipsa synodus Basileensis, sess. 12; hic autem aderat justa causa, quia Græci nolebant ire Basileam. Insuper ista translatio facta est de consensu majoris et sanioris partis concilii Basileensis, quæ cum legato apostolico cardinali S. Juliani et cardinali S. Petri ad vincula, Basilea Ferrariam transmigravit.

Inst. Cardinalis a Lotharingia, in epist. data in concilio Tridentino ad Joannem Britonem, suum in curia Romana procuratorem, ut excusaret aliquo modo apud summum pontificem ardorem quo obstiterat sessioni 23, ne in præfigendis titulis Romani pontificis adhiberentur termini quos usurpaverat concilium Florentinum, dicit : » Ego negare non possum quin Gallus sim » et Parisiensis academiæ alumnus, in qua » pontificem subesse concilio tenetur, et qui » docent ibi contrarium tanquam hæretici » notantur. Apud Gallos Constantiense con- » cilium in omnibus suis partibus generale » habetur : Basileense in auctoritate admit- » titur : Florentinum perinde legitimum et » generale non reputatur. Atque idcirco » Galli de vita potiusquam de sententia de- » cederent. »

Respondet doctissimus Serry, ipse doctor Parisiensis, Opusculo de Romano pontifice, p. 231, his verbis : « Næ tu, quæso, nimia » simplicitate bonus, qui exaggeratis illis » Lotharingi verbis illud tibi facile pateris? » Certe quanquam negari non possit aca- » demiam Parisiensem, aut certe doctorum » illius partem plurimam, ab avita doctrina » de Romanorum pontificum supra, concilia » etiam œcumenica præstantia atque aucto- » ritate, deflexisse, jam tum a concilii Con- » stantiensis et Basileensis temporibus, et » in oppositam sententiam propendisse ma- » gis; falsum tamen est theologos illos Pa- » risienses sententiam quam tunc primum » amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a » quo quicumque deflecterent *tanquam hæ- » retici notarentur.* Falsum perinde est, » imo falsissimum concilium Florentinum » pro legitimo et generali in Galliis non ha- » beri. Unde et hanc ipsam cardinalis Lo- » tharingi hallucinationem nervose confu- » tat, falsique convincit Natalis Alexander, » dissert. 10 in Hist. Ecclesiast. sæc. 15 et » 16, a. 1, n. 6, quanquam sit iste hac in » parte Romanis pontificibus parum pro- » pitius, quos conciliis œcumenicis subjicit. » Quare, aut ea quæ jactatur cardinalis a » Lotharingia ad Joannem Britonem procu- » ratorem suum epistola, supposititia est ac » plane fictitia, aut de nimio excessu in » exaggeranda amplificandaque Parisiensis » academiæ sententia convincitur vir alias » omni laude dignissimus. Ecquis enim » auxesim illam amplificationemque non » rideat, *Gallos de vita potiusquam de sen- » tentia quæ Romanos pontifices conciliis » subjicit decessuros?* »

Concilium Lateranense V, generale decimum nonum.

Novem cardinales a Julio II animo alieni, adfaventibus Maximiliano imperatore et Ludovico XII, rege Galliæ, eidem pontifici pariter infensis, anno 1511, conciliabulum Pisis congregaverunt, quod postea Mediolanum, deinde Lugdunum transtulerunt. Julius, ut horum conatus sisteret, generale concilium convocavit Romæ celebrandum, quod sæpius interruptum duravit quinquennio, utpote inchoatum anno 1512, et absolutum anno 1517. Huic adfuerunt quindecim cardinales, patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus, et episcopi juxta quosdam septuaginta septem, juxta alios centum qua-

tuordecim. Relicto concilio Pisano, huic adhæsit Ludovicus XII, misso ad illud oratore.

Sessione 2, damnatur conciliabuli Pisani acta; sessione 3, decernuntur pœnæ in cardinales schismaticos conciliabuli auctores; sessione 4, Pragmatica Sanctio, jam a Ludovico XI, Pio II suadente, abrogata, proscribitur.

Post quintam sessionem moritur Julius II, cui succedit Leo X, qui reliquis sessionibus præsedit: sessione 7, duo cardinales schismatici ad pedes pontificis in simplici habitu clericali provoluti, abjurato schismate et concilio Pisano, pristinæ dignitati restituuntur; sessione 8, definitur animam rationalem esse immortalem; sessione 10, montespietatis declarantur justi et liciti; sessione 11, approbatur concordatum Pragmaticæ-Sanctioni subrogatum, initum Bononiæ durante concilio, inter Leonem X et Franciscum I, Ludovici XII successorem; sess. 17, decernuntur ad triennium decimæ ex omnibus proventibus ecclesiasticis pro expeditione Terræ Sanctæ, et concilium dirimitur.

Petes quid sit famosa illa Sanctio Pragmatica? quid concordatum?

R. quod hæc Pragmatica Sanctio sit constitutio edita a Carlo VII, an. 1438, in conventu Bituricensi, continens viginti tres articulos conformes decretis concilii Basileensis, quorum præcipui sunt, quod electiones episcoporum, abbatum et abbatissarum fierent more antiquo a capitulis ex licentia et assensu regis; quod annatæ non solverentur curiæ Romanæ; quod Romanus pontifex subjiceretur concilio generali, etc.

Hac ergo Sanctione et a Ludovico XI et a concilio Lateranensi, pluribus licet Gallis reclamantibus, abrogata, Leo X et Franciscus I Bononiæ concordatum inierunt quo nominationes ad episcopatus et abbatias, quæ non vacarent in curia Romana, pertinerent ad regem, modo fierent intra sex menses a vacantia; confirmatio autem pertineret ad Romanum pontificem. Plures alios articulos continet, partim conformes, partim difformes Sanctioni Pragmaticæ; sed de annatis non solvendis curiæ Romanæ et de subjectione pontificis concilio generali nihil.

Concilium Tridentinum, generale vigesimum et ultimum.

Ut erroribus Lutheri in Germania, Zuinglii in Helvetia, Calvini in Gallia, Ecclesiam Dei misere vexantibus, innumerisque prope malis inde scaturientibus, atque morum tam cleri quam populi relaxationi obviaretur, necessarium visum est concilium generale congregari.

Illud indixit Tridenti Paulus III, anno 1542, et inchoatum fuit anno subsequenti 1545, decima tertia decembris; duravit octodecim annis, ad annum scilicet 1563, sub tribus pontificibus Paulo III, Julio III et Pio IV, bis interruptum, semel occasione pestis Tridenti grassantis, secundo propter ingruentia bella.

In prima sessione sub Paulo III, aderant tantum cum duobus legatis pontificis concilii præsidentibus, quatuor archiepiscopi et viginti duo episcopi; sed alii postmodum succesive advenerunt, ita ut sub Pio IV adfuerint fere trecenti tam cardinales quam patriarchæ, archiepiscopi et episcopi; item plures abbates et generales ordinum, theologi ex omni natione pene innumeri, oratores Cæsaris, regnum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ et aliorum principum ac rerumpublicarum sexdecim. Inter episcopos numerantur viginti sex Galli, Illyrici tres, Græci sex.

Sub Paulo III habitæ sunt decem sessiones, sub Julio III sex, sub Pio IV novem, in summa viginti quinque. In ultima, quæ sancita fuerant sub Paulo et Julio approbata sunt, et omnia ad petitionem patrum confirmavit Pius IV, bulla data septimo Kalendas februarii, anno 1564. Acta hujus concilii fusius et distinctius non refero, quia, ubique publici juris facta, omnium manibus teruntur.

Petes utrum concilium Tridentinum quantum ad disciplinam sit receptum in Gallia? Dico *quantum ad disciplinam*, quia quantum ad decreta fidei in Gallia, sicut in universa Ecclesia, summo et venerabundo consensu esse receptum nemo ambigit.

Ad petitionem, *R.* verbis duorum insignium inter Gallos scriptorum, Joannis Cabassutii et Joannis Pontas.

Cabassutius, Notitia Ecclesiastica sæculi 16, pag. mihi 599, de concilio Tridentino hæc habet: « Postremo edictum confirma» tionis sacrosancti concilii publicatum Ro» mæ, septimo Kalendas februarii anno » 1564, universus clerus Gallicanus in pro-

» vincialibus quæ passim tota Gallia postea » coacta sunt conciliis, atque in generali- » bus sacri cleri comitiis, sacrosanctæ hujus » synodi decreta ita complexus est, ut ne- » fas sit ei refragari. »

Pontas, verbo *Bénéficier*, casu 27, sic loquitur gallice : « Le concile de Trente a » été reçu unanimement par l'assemblée » générale du clergé de l'église Gallicane » convoquée et tenue à Paris en l'année » 1615, ainsi qu'on le voit par les pièces » contenues dans les mémoires du clergé. » *Après une longue et mûre délibération*, » disent les prélats assemblés, *du commun* » *et unanime consentement de l'assemblée*, » *la résolution suivante y a été faite : les* » *cardinaux, archevêques, évêques, pré-* » *lats et autres ecclesiastiques soussignés,* » *représentans le clergé général de France,* » *assemblés par la permission du Roi au* » *couvent des Augustins à Paris, après* » *avoir mûrement délibéré sur la publica-* » *tion du concile de Trente, ont unanime-* » *ment reconnu et déclaré, reconnaissent* » *et déclarent, qu'ils sont obligés par leur* » *devoir et conscience à recevoir, comme* » *de fait ils ont reçu et reçoivent ledit con-* » *cile, et promettent de l'observer autant* » *qu'ils peuvent par leur fonction et auto-* » *rité spirituelle et pastorale.* »

Quæ sic latine redduntur : « Concilium » Tridentinum unanimiter fuit receptum a » conventu generali cleri ecclesiæ Gallicanæ, » convocato et congregato Parisiis, anno » 1615, prout constat ex actis contentis in » commentariis cleri. *Post maturam et lon-* » *gam deliberationem*, inquiunt præsules » congregati, *communi et unanimi consensu,* » *cœtus, decretum sequens in eo fuit edi-* » *tum : cardinales, archiepiscopi, episcopi.* » *prælati et alii ecclesiastici subscripti, re-* » *præsentantes clerum generalem Galliæ,* » *congregati cum licentia Regis in conventu* » *Augustinianorum Parisiis, post maturam* » *deliberationem super publicationem con-* » *cilii Tridentini, unanimiter agnoverunt* » *et declaraverunt, agnoscunt et declarant,* » *se teneri ex officio et conscientia recipere,* » *sicut de facto receperunt et recipiunt præ-* » *fatum concilium, promittuntque illud ob-* » *servare quantum possunt vi sui officii et* » *auctoritatis spiritualis ac pastoralis.* »

Huic decreto subscripserunt quinquaginta unus tam cardinales quam archiepiscopi et episcopi, quorum nomina refert laudatus Pontas ibidem, et viginti octo alii ecclesiastici deputati.

Alias digressiones historicas præsenti tractatui non inseruimus, quia totus ferme est historicus.

TRACTATUS

DE SPE.

DISSERTATIO UNICA.

D. Th., a Q. 17, ad 22.

ARTICULUS I.

Quid sit spes?

2. 2. q. 40. a. 2. o. — Spes generaliter sumpta, est *Motus appetitivæ partis in bonum futurum arduum, seu difficile, possibile tamen adeptu.*

Ibid. a. 1. o. — Dicetur *bonum*, quia, licet antiqui quandoque dixerint spem esse etiam malorum, hæc tamen acceptio est valde impropria; non enim proprie loquendo est spes nisi de bono : et per hoc spes differt a timore, qui est de malo. Dicitur *futurum*, quia non est spes de præsenti jam habito : et per hoc differt spes a gaudio. Dicitur *arduum*, id est difficile adeptu; non enim aliquis dicitur sperare quid minimum quod statim est in sua potestate ut habeatur : et per hoc differt spes a cupiditate vel desiderio, quod est de bono futuro simpliciter : unde desiderium pertinet ad appetitum concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Dicitur *possibile adeptu;* nemo enim sperat id quod adipisci omnino non potest : et secundum hoc spes differt a desperatione.

Spes vero theologica definiri potest : *Habitus animi divinitus infusus, per quum certa cum fiducia æternæ vitæ bona auxilio divino obtinenda expectamus.* De ea quærimus in hoc articulo 1° an sit virtus? 2° an sit virtus theologica? 3° an sit virtus distincta ab aliis virtutibus theologicis? Potest considerari cum charitate, et dicitur spes formata; vel sine charitate, et dicitur spes informis, sicut supra dictum est de fide.

Hic q. 17. a. 1. o. — *Dico* 1° Spes christiana etiam informis est virtus, imperfecta tamen.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Sperare Deum ejus auxilio possidendum est actus bonus ad quem, cum sit supernaturalis, voluntas ex se non est determinata et proportionata : ergo debet in eo poni virtus qua ad illum determinetur et proportionetur, eumque prompte et facile eliciat; non nisi enim in hos fines ponuntur in potentiis habitus virtutum. *Prob. ant.* Sperare Deum ejus auxilio possidendum est actus conformis legi æternæ, tum quia de illo datur præceptum, *Spera in Deo et ipse faciet*, Psal. 36; tum quia illo sanctificamur et salvamur, *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, 1 Joan. 3; et, *Spe salvi facti sumus*, Rom. 8. Ergo.

Confirmatur 1° Spei christianæ etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bene vivitur et nemo male utitur, ut principio. Ergo.

Confirmatur 2° Apost. 1 Cor. 12, spem annumerat fidei et charitati quæ sunt virtutes : item omnes theologi agnoscunt tres virtutes theologicas, fidem, spem et charitatem. Ergo.

Patet secunda pars. Quia spes sine charitate non facit hominem simpliciter bonum, licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet æternam; ideoque non habet statum et modum perfectæ virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

Dices contra primam partem. 1° Virtus juxta philosophum est dispositio perfecti : atqui spes non est dispositio perfecti, cum sperans careat bono et perfectione quam sperat. Ergo. 2° Præsumptio est sperare beatitudinem sine charitate. 3° Virtus versatur circa difficile; non est autem difficile sperare. 4° Sic se habet spes ad bonum sicut timor ad malum : atqui timor non est virtus. Ergo.

Ibidem ad 3. — *R. ad primum*, quod, quamvis ille qui sperat sit imperfectus secundum considerationem ad id quod sperat

obtinere quod nondum habet, est tamen perfectus quantum ad hoc quod attingit regulam propriam, scilicet Deum cujus auxilio nititur : unde *D. maj.* Virtus est dispositio perfecti in omni genere, *N.* alioquin una tantum esset virtus ; in certo genere et materia, *C.* Sic autem spes est dispositio perfecti, quia perficit voluntatem in suo proprio ordine et propria materia, ut scilicet recte feratur, innixa divino auxilio, in æternam beatitudinem adipiscendam.

Ad secundum, *D. ant.* Præsumptio est sperare beatitudinem obtinendam sine charitate, *C.* nec sic sperat qui est extra charitatem ; præsumptio est sperare sine charitate beatitudinem obtinendam per charitatem, *N.* Et sic sperat peccator ; sperat enim, saltem tacite, consequi remissionem peccatorum et ita charitatem obtinere, atque per eam vitam consequi æternam.

Ad tertium, *N. min.* Norunt enim qui tentationibus desperationis concutiuntur, quam sit difficile sperare. Aliunde, etsi esset facile simpliciter sperare, est tamen difficile sperare eo modo quo oportet.

Ad quartum, *N. ant.* Spes enim importat actionem qua insurgimus contra difficultates et accedimus ad Deum ; timor autem importat recessum et cessationem ab actione ; ubi enim est solus timor sine ulla spe, homo non agit, sed succumbit : porro ad agendum requiritur virtus, non ad non agendum. 2° *N. min. universaliter sumptam ;* datur enim timor qui est donum Spiritus sancti et potest dici virtus.

Q. 17. a. 5. et 6. o. — *Dico* 2° Spes est virtus theologica a fide et charitate distincta.

Ibid. a. 5. o. — *Prob. prima pars.* Illa virtus est theologica cujus objectum immediatum est Deus : atqui objectum immediatum virtutis spei est Deus possidendus, ut constabit ex art. sequenti. Ergo.

Ibid. a. 6. o. — *Prob. secunda pars.* Virtutes distinguuntur penes objecta formalia : atqui objectum formale spei distinguitur ab objecto formali fidei et charitatis ; objectum enim formale fidei est Deus ut verus ; charitatis, Deus ut in se bonus ; spei, Deus ut nobis bonus. Ergo.

Ibid. in a. 3. c. — *Confirmatur.* Ubi non est distinctio, ibi non est numerus : atqui spes ab omnibus passim annumeratur aliis virtutibus theologicis, Apost. 1 Cor. 13 : *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc*, etc. S. Gregorius. lib. 2 Moral. 22. dicit esse tres virtutes, fidem, spem et charitatem : et sic alii passim. Ergo.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum spei ?

Præmitto quod jam observavi de fide et alibi, triplex distingui objectum potentiæ aut habitus : materiale et formale ; formale duplex, formale *quod* et formale *quo*. Objectum materiale est id omne quod attingitur a potentia et habitu : formale *quod* est id quod in objecto materiali principaliter et ratione sui attingitur, cætera ratione illius ; formale *quo* est motivum et ratio propter quam et sub qua objectum materiale attingitur : exemplum poni solet in potentia visiva : ejus objectum materiale et extensivum est omne corpus coloratum lucidum ; objectum formale *quod*, seu, ut dicunt, attributionis, est color ; objectum formale *quo*, lux. Difficultas est de objecto formali *quo* spei.

§ 1. — *Quodnam sit objectum formale quod spei ?*

Suppono 1° objectum materiale adæquatum et extensivum spei, esse æternam beatitudinem et omnia ad illam conducentia ; quia hæc omnia cadunt sub objecto *quo*, seu sub ratione formali spei, quæ est omnipotentia auxilians, ut dicam § seq.

Suppono 2° inter hæc omnia beatitudinem esse objectum primarium et principale, quod dicitur formale *quod ;* quia est id quod principaliter primo per se et ratione sui speratur, cætera autem ratione illius : unde sub diverso respectu est objectum materiale et formale : ut res sperata determinanda a motivo sperandi, est objectum materiale sicut cætera ; ut res principaliter et ratione sui sperata et ratio propter quam alia sperantur, est objectum formale *quod*, seu, si mavis, materiale primarium, cætera materiale secundarium. Et hæc constant inter theologos ; sed difficultas est, quæ beatitudo sit objectum formale *quod* spei, an formalis, an objectiva ? Beatitudo objectiva est ipse Deus, formalis est possessio Dei seu visio beatifica qua possidetur, ut explicatum est in tractatu de Beatitudine.

Q. 17. a. 2. o. — *Dico.* Objectum formale *quod* spei non est beatitudo formalis, sed objectiva, connotans tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam.

Ibid. — *Prob.* 1° Spes, ut dicam § seq. innititur omnipotentiæ divinæ auxilianti, cujus virtus est infinita : atqui virtuti infinitæ debet respondere effectus infinitus, effectus enim proportionatur causæ : ergo bonum ad quod omnipotentia auxilians tanquam ad sibi proprium et proportionatum perducit, est infinitum ; *subsumo*. Atqui beatitudo objectiva et non formalis est bonum infinitum : ergo. Bene advertit Joannes a S. T. Th Auctorem non dixisse proprium virtutis infinitæ esse perducere ad effectum infinitum receptum in creatura, quia creatura non est capax effectus infiniti in se recepti, sed perducere ad bonum infinitum quod est communicabile modo finito.

Prob. 2° Objectum formale *quod* et immediatum spei debet esse aliquid pure divinum et increatum, *ut patet* in fide et charitate, et quia alioquin religio quæ mediante cultu attingit Deum, foret virtus theologica, quod communiter negatur : atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, est quid divinum et increatum, non beatitudo formalis quæ est actus creatus : ergo.

Confirmatur. Idem est objectum in quod tendit motus spei seu desiderii et in quo quiescit quando illud consequitur, sicut idem est locus in quem tendit lapis, et in quo quiescit : atqui objectum formale *quod* et immediatum quietis et fruitionis Dei est ipse Deus, ut bonum infinitum, non aliquid creatum : ergo.

Prob. 3° Illud est objectum formale *quod* spei, quod principaliter primo per se et ratione sui a spe attingitur et ratione cujus cætera attinguntur : atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis : ergo. *Prob. min.* Sperans non quærit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato, sed quærit possessionem Dei propter Deum. Item, non quærit possessionem Dei ut rem beatificantem, sed ut modum et applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quærit pecuniam ut rem, possessionem autem non quærit ut rem ; non enim quærit possessionem ut possidendam, sed ut modum et applicationem rei possidendæ. Ergo.

Prob. secunda pars. Deus non est objectum spei, nisi ut possidendus : atqui possidetur per visionem beatificam quæ est beatitudo formalis : ergo in objecto formali *quod* spei importatur de connotato et in obliquo visio beatifica, seu beatitudo formalis, tanquam conditio et applicatio objecti formalis.

Ex his colliges quod neque aggregatum ex beatitudine formali et objectiva possit dici objectum formale *quod* spei, tum quia istud aggregatum non est quid pure divinum et increatum, tum quia beatitudo formalis et objectiva in objecto spei, non sunt duæ res aut duæ causæ, sed una res tantum et una causa cum applicatione causæ ; ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva seu Deus, ejus autem possessio, conditio tantum requisita ut beatificet : sicut dum ignis applicatus ligno comburit, ignis et applicatio non sunt duæ causæ, sed una tantum quæ est solus ignis ; in eo solo enim est tota virtus comburendi, in applicatione nulla, sed requiritur duntaxat ut virtus ignis attingat lignum et in ipsum agat.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Spes supponit amorem concupiscentiæ et ex illo oritur : atqui Deus non potest amari amore concupiscentiæ : ergo Deus ipse non potest esse objectum formale *quod* spei, sed beatitudo formalis. *Prob. min.* Quod amatur amore concupiscentiæ amatur propter aliud : sic qui amat cibum et potum ad sui conservationem, illos amat propter se et ad se eos ordinat : atqui Deus non potest amari propter aliud, et ad illud ordinari, cum sit ipse finis ultimus ad quem omnia debent referri. Ergo.

R. solutione communi, N. min. Ad prob. D. maj. Quod amatur amore concupiscentiæ amatur propter aliud, τὸ *propter* dicente semper finem cujus gratia, *N.* τὸ *propter* dicente aliquando finem cui, seu subjectum per rem amatam perficiendum, *C. Ad cujus sensum distincta min. N. conseq.* Dupliciter itaque aliquid potest amari amore concupiscentiæ, 1° sic ut res amata referatur ad amantem tanquam ad finem, ut cum appetimus cibum et potum in nostram conservationem : hoc modo Deus non potest amari amore concupiscentiæ, quia hoc esset ipsum ordinare ad aliud tanquam ad finem, cum ipse sit finis omnium. Alio modo potest alii quid amari amore concupiscentiæ, sic ut res amata habeatur semper ut finis, sed amatur alteri tanquam subjecto per hunc finem perficiendo : sic Deus dilexit mun-

dum, ut illi Filium suum unigenitum daret; non quasi ad nos tanquam ad finem ordinaverit incarnationem Filii, sed nobis tantum tanquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tanquam ad finem ultimum. Sic iterum, dum desidero alicui beatitudinem æternam, non ordino beatitudinem ad ipsum tanquam ad finem, sed ipsi tanquam subjecto, ut bene illi sit per illam tanquam per suum ultimum finem : similiter ergo, cum amo Deum amore concupiscentiæ, ipsum non refero ad me tanquam ad finem, quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, et ipsi inhærere ut ultimo fini est summa animæ meæ felicitas : duntaxat ergo refero ipsum ad me, ut ad subjectum per illum perficiendum tanquam per ultimum finem meum, in quo non tantum non est perversio, sed totius rectitudinis consummatio.

Inferes. Ergo iste amor qui comitatur spem est amor charitatis et non concupiscentiæ. *Probatur illatio.* Fertur in Deum ut ultimum finem : atqui talis amor est charitatis. Ergo.

R. N. illationem. Ad probat. D. ant. Fertur in Deum ut ultimum finem, ut bene illi sit, *N.* hoc pertinet ad amorem charitatis; ut bene mihi sit, *C.* et hoc est amoris castæ concupiscentiæ.

Obj. 2° Objectum spei est futurum : atqui Deus non est futurus. Ergo.

R. D. maj. Objectum spei est futurum in se, *N.* in sui assecutione, *C.* Sic pecuniæ quas sperat avarus non sunt futuræ in se, sed ut assequendæ tantum.

Inferes. Ergo Deus, ut assequendus, est objectum spei.

R. D. illationem. Deus, ut assequendus, est objectum spei, ly *ut* dicente conditionem, seu modum intrinsecum objecti, *C.* dicente rationem formalem objecti, *N.* Ratio enim formalis objecti quæ per se primo attingitur a spe est ipse Deus ut nobis bonus: sic objectum fidei necessario est obscurum; obscuritas tamen non est ratio formalis objecti, sed conditio tantum et modus illius intrinsecus.

Obj. 3° Idem est objectum spei et delectationis in patria : atqui objectum delectationis in patria non est Deus, sed ejus possessio. Ergo.

R. N. min. Delectatur enim beatus in patria primario de ipso Deo, secundario de ejus possessione ; Deus enim est objectum beatificans, et possessio conditio tantum requisita ut beatificet. Vide plura in tractatu de Beatitudine.

Obj. 4° Deus non est nobis immediate bonus, sed mediante visione beatifica ; ergo nec objectum immediatum spei.

R. N. ant. Quamvis enim mediet visio beatifica, non mediat ut res, sed ut conditio et applicatio boni, quod non impedit quin Deus sit nobis immediate bonus; sicut unio inter materiam et formam non impedit immediatam utriusque unionem, nec applicatio ignis ad stupam impedit quominus ignis immediate comburat stupam.

Obj. 5° Objectum spei est præmium in patria conferendum : atqui istud præmium non est Deus, sed ejus possessio : ergo *Prob. min.* Præmium in patria conferendum causatur a meritis nostris : atqui Deus non causatur a meritis nostris. Ergo.

R. N. min. Ad probat. D. maj. Præmium conferendum in patria causatur in se a meritis nostris, *N.* ut conferendum, *C.* Id est, merita nostra non sunt causa cur Deus sit summum bonum nostrum et præmium nostrum, sed sunt causa cur nobis conferatur : et ita contingit in omnibus præmiis. Sic miles generose pugnando dicitur meruisse equum, non quod merita causent equum, sed sunt causa cur ipsi conferatur equus.

Obj. 6° Spes et desperatio, cum sint oppositæ, versantur circa idem objectum: atqui desperatio non versatur circa Deum, sed circa ejus possessionem. Ergo.

R. 1° *D. maj.* Spes et desparatio versantur circa idem objectum, et eodem modo, *N.* diverso modo, *C.* Desperatio namque versatur circa Deum, destruendo possibilitatem assecutionis sine qua Deus non est objectum spei. 2° *Negatur min.* Desperatio enim principaliter est de Deo consequendo, licet possit esse etiam de aliis, quia vitium est ; vitium autem contingit multis modis a virtute deficere.

§ II. — *Quodnam sit objectum formale quo spei?*

Q. unica de Spe a. 1, et hic q. 17. a. 1, —*Dico.* Objectum formale *quo* spei est omnipotentia auxilians, id est, præbens aut conferens auxilia.

Est certo ; D. Th. locis citatis, q. de Spe, dicit: « Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta, scilicet vitam æternam

» quam quis sperat, et auxilium divinum » a quo sperat: » idque explicat ex paritate objecti fidei, quod, sicut fides innititur tanquam motivo primæ veritati revelanti, sic spes auxilio divino. Nec obstat quod, hic a. 3 et q. citata, requirat quod objectum spei sit arduum; ita et nos requirimus, sed negamus arduitatem esse rationem ob quam speramus beatitudinem, quinimo potius spem retardaret. Porro per auxilium divinum in S. Th. intellige non auxilium creatum et in homine receptum, sed ipsam omnipotentiam auxiliantem; quia objectum virtutis theologicæ debet esse aliquid divinum et increatum.

Prob. Illud est objectum formale *quo* spei, quod est motivum et ratio cur speramus seu expectamus a Deo certa cum fiducia beatitudinem æternam et media ad illam conducentia: atqui istud motivum est omnipotentia auxilians: ergo. *Prob. min.* Non possumus sperare certa cum fiducia beatitudinem, nisi ab eo quem novimus posse et velle eam dare: atqui Deus, ut omnipotens, potest eam dare tut auxilians seu præbens aut offerens auxilia, vult illam dare. Ergo.

Confirmatur. Illud est objectum formale *quo* spei, in quod fit ultima ejus resolutio; sicut objectum formale *quo* fidei est illud in quod fit ultima ejus resolutio, *ut dictum* est: atqui ultima spei nostræ resolutio fit in omnipotentiam auxiliantem; quærenti enim cur speras beatitudinem, adæquate respondes, quia Deus potest et vult illam dare, sicut quærenti cur credas Deum esse unum et trinum, adæquate respondes, quia Deus qui verax est revelavit.

Dices 1° Omnipotentia auxilians habet rationem causæ efficientis tantum, non formalis specificativæ. Ergo.

R. N. ant. Habet namque rationem utriusque causæ sub diverso respectu: quatenus causat auxilia ad salutem conducentia, est causa efficiens; quatenus, causando et conferendo hæc auxilia, nos movet ad sperandam beatitudinem, habet rationem causæ formalis extrinsecæ et specificativæ.

Inst. Objectum formale *quo* spei debet habere aliquam rationem boni: atqui omnipotentia auxilians non habet rationem boni, sed entis. Ergo.

R. N. maj. Quamvis enim vera sit de objecto formali quod expectatur a spe, id tamen non requiritur ad objectum formale *quo*; quia non est id quod a spe expectatur, sed cui spes innititur ad superandas difficultates; quod quidem dici potest bonum ut *quo*, licet non ut *quod*.

Dices 2° Amor quo amamus Deum ut summum bonum nostrum, est actus spei: atqui objectum formale hujus amoris non est omnipotentia auxilians, sed bonitas divina ut nobis conveniens: ergo. *Min. est certa: patet etiam maj.* Quia iste amor non est actus charitatis, cum charitas terminetur ad Deum ut bonum in se. Ergo.

R. N. maj. Amor enim non est actus spei, sed supponitur a spe, quatenus non speramus nisi amatum. *Ad prob. N. ant.* Quia, licet charitas primario respiciat Deum in se bonum, secundario tamen respicit proximum. Dum ergo homo amat Deum ut sibi bonum, ejus amor respectu Dei est amor concupiscentiæ, sed charitas respectu sui, est enim sibi maxime proximus. In his vero in quibus non est charitas, iste amor est ab auxilio actuali supplenti vices habitus charitatis.

Petes 1° utrum sperare alteri salutem sit actus virtutis spei?

Q. 17. a. 3. o. — *R.* Spes directe respicit solum bonum operantis, quia actus spei est quidam motus seu protensio appetitus, motus autem est semper ad proprium terminum proportionatum mobili, et ideo spes directe respicit proprium bonum non alienum: sed, supposita unione amoris etsi naturalis tantum, puta quo homo alios homines in natura similes diligit et bonum alterius quasi suum reputat, tunc potest sperare alteri vitam æternam: sicut enim eadem est virtus charitatis qua quis diligit Deum et seipsum et proximum, ita est eadem virtus spei qua quis sperat sibi et alteri. Adde quod sperare nobis aut alteri beatitudinem, habeat idem objectum formale *quod* et *quo*.

Dices 1° Sperare alteri beatitudinem est velle illi bonum: atqui velle alteri bonum est actus charitatis et non spei. Ergo.

R. Data maj. D. min. Velle alteri bonum ut illius bonum simpliciter est actus charitatis, *C.* ut bonum arduum et difficile adeptu, *N.* Sic enim non est actus charitatis, sed spei.

Dices 2° Si sperare beatitudinem alteri sit actus spei, ergo desperare de ejus beatitu-

dine est actus oppositus spei ; ergo destruit spem in sperante ; quia omnis actus mortaliter malus oppositus virtuti infusæ illam destruit : atqui *falsum consequens ;* ex eo enim quod desperem de alicujus salute, non sequitur quod amittam spem respectu mei.

R. D. primum illatum. Desperare contraria de salute alterius, diffidendo scilicet de omnipotentia auxiliante, quasi insufficiente ad salvandos homines, est actus oppositus spei, *C.* et sic destrueret etiam spem propriam, quasi destrueret rationem formalem spei : desperare negative de salute alterius, cessando scilicet ab actu sperandi, quia diffido, non de auxilio Dei, sed de meritis alterius, sicut desperamus de salute Antichristi, v. g., est actus oppositus spei, *N.* Quia non tollit rationem formalem spei, nec consequenter destruit spem propriam.

Petes 2° utrum liceat sperare in homine ?

Ibid. a. 4. o. — *R.* Non licet sperare in homine, sed in solo Deo tanquam in primaria causa nostræ beatitudinis ; quia ipse solus tanquam causa principalis ad eam non perducere potest : licet autem sperare in homine, vel in aliqua creatura, tanquam in agente secundario et instrumentali per quod adjuvamur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata ; et hoc modo convertimur ad sanctos, et ab aliis hominibus aliqua petimus.

Hinc inferes etiam esse licitum spem aliquam ponere in propriis meritis ex gratia Dei factis, tanquam in causis instrumentalibus, siquidem sint media a Deo ad salutem ordinata, et tota fiducia ultimate refundatur in ipsum auctorem gratiæ et meritorum.

ARTICULUS XIX.

De subjecto spei.

Hic q. 18, a. 1. o. — Quæstio non est de subjecto *quo* et partiali spei, quod certum est esse voluntatem ; cum enim objectum spei sit bonum, actus spei est necessario actus appetitus, non sensitivi ; quia objectum non est quid sensibile, sed quid divinum, ergo rationalis. Est igitur quæstio de subjecto *quod* et totali, seu de habentibus spem.

Dico 1° Spes remanet in omnibus fidelibus viatoribus etiam peccatoribus qui non desperant vel præsumunt.

Prob. 1° Quia Tridentinum, sess. 6, capi 6 et can. 3, et sess. 14, cap. 3, requirit spem in peccatoribus qui se ad justificationem disponunt. S. Thom. q. præced. 17, a. 8, docet spem ordine generationis præcedere charitatem, et 1, 2, q. 65 a. 4, fidem et spem posse esse sine charitate.

2° Habitus destritur vel per accidens ad destructionem fundamenti, vel per se a suo contrario, aut ex destructione objecti : atqui fundamentum spei, quod est fides, remanet in peccatoribus fidelibus, et peccata quæcumque, præter desperationem et præsumptionem, non sunt spei contraria ; remanet etiam objectum spei contraria ; remanet etiam objectum spei formale *quod*, beatitudo scilicet futura, ardua, possibilis ; et formale *quo*, nimirum omnipotentia auxilians : quamvis enim peccator non possit sperare beatitudinem adipisci manendo in eodem statu, potest tamen sperare ex omnipotentia auxiliante statum mutare, et eo mutato, beatitudinem per gratiam et charitatem obtinere.

Dices. Virtutes morales infusæ non permanent cum peccato mortali : ergo nec spes.

R. N. conseq. Disparitas est, quod virtutes morales infusæ sint proprietates consequentes ad gratiam : unde, ea sublata per peccatum mortale, non remanent proprietates : fides autem et spes in adultis præcedunt gratiam, ut mox dicebam ex Trid. et Auctore, et sunt veluti semina gratiæ et virtutem quæ Deus voluit remanere in peccatoribus, ut possent facilius resurgere.

Dixi 1° *in omnibus fidelibus viatoribus ;* quia in hæreticis, cum in iis destruatur fundamentum spei, quod est fides, destruitur etiam spes : unde, quamvis videantur sperare, spes eorum non est theologica, sed humana et falsa

Dixi 2° *qui non desperant aut præsumunt ;* quia desperatio et præsumptio contrariantur spei, de quibus articulo subsequenti.

Petes utrum spes viatorum habeat certitudinem ?

Ibid. a. 4. o. — *R.* Si spes spectetur ex parte sui objecti, scilicet Dei omnipotentis auxiliantis, habet certitudinem ; fide enim certum est Deum posse et velle nos salvare, nobisque dare auxilia ad id sufficientia. Si vero spectetur ex parte sperantis qui

fragilitate potest deesse gratiæ, non habet certitudinem, sed inde potius est causa timendi, non tamen diffidendi aut desperandi : unde certitudo spei in viatoribus non est absoluta, sed conditionata; sicque intelligitur quomodo hæc duo stent simul, sperare certa cum fiducia salutem, attenta scilicet omnipotentia auxiliante, et salutem cum timore et tremore operari, attenta nimirum fragilitate nostra.

Ibid. a. 3. o. — *Dico* 2° In damnatis non remanet spes, bene tamen in animabus in purgatorio.

Prob. prima pars. Spes est de beatitudine futura possibili : atqui ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet ut ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire.

Confirmatur. Spes fundatur in fide : atqui fides non remanet in damnatis, ut alibi diximus : ergo nec spes.

Prob. secunda pars. Respectu animarum in purgatorio, beatitudo est adhuc absens, ardua et per graves pœnas assequenda, sicque objectum spei. Idem dicendum est de patribus in limbo, quibus beatitudo pariter erat absens et ardua, hoc sensu quod ejus assecutio esset supra eorum vires. Nec refert quod utrique sint aut essent certi de sua beatitudine, quia certitudo non evacuat rationem spei.

Ibid. a. 2. o. et q. de spe a. 1. — *Dico* 3° Spes theologica neque quoad actum neque quoad habitum manet in beatis.

Ibid. in a s. o. — *Prob.* 1° ex Apost. Rom. 8, dicente : *Spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis quid sperat?*

Prob. 2° Substracto eo quod dat speciem, resolvitur species et non potest res eadem remanere : atqui in beatis subtrahitur objectum formale a quo spes habet speciem : ergo. *Prob. min.* Objectum formale spei est beatitudo futura et nondum habita : ergo in beatis, etc.

Confirmatur. Id quod in se importat imperfectionem subjecti stare non potest in subjecto quod oppositam perfectionem habet : atqui spes importat de se imperfectionem subjecti, scilicet quod feratur in beatitudinem nondum habitam : ergo stare non potest in eis qui illam beatitudinem habent.

Solvuntur objectiones contra hanc ultimam conclusionem.

Obj. 1° Sicut spes est rei non habitæ ita, et desiderium : atqui desiderium, hoc non obstante, est in beatis etiam circa beatitudinem, secundum illud 1 Petri 1 - *In quem angeli desiderant prospicere.* Ergo.

Q. de spe a. 4. ad 1. — *R.* desiderium ibi non potuit proprie secundum quod est rei futuræ, sed secundum quod excludit fastidium, per modum quo Eccl. 22 dicitur : *Qui me edunt adhuc esurient.*

Obj. 2° Sicut adeptio beatitudinis est quoddam bonum arduum, ita et ejus continuatio : atqui beati in via separabant adeptionem beatitudinis : ergo nunc in patria possunt sperare ejus continuationem.

Q. 18. a. 2. ad 3. — *R. N. conseq.* Quia continuatio beatitudinis non habet rationem futuri; hoc ipso enim quo aliquis fit beatus, participat æternitatem in qua non est præteritum et futurum : unde beatitudo illa dicitur vita æterna. *Dato* etiam quod haberet rationem futuri, non habet rationem ardui respectu illius qui jam beatitudinem obtinet; ex hoc ipso enim accepit non solum facultatem, sed etiam necessitatem quamdam nunquam peccandi, sed semper permanendi; et ideo totaliter tollitur ratio spei.

Inst. 1° Ad beatitudinem sanctorum pertinet non solum gloria animæ, sed etiam gloria corporis : sed animæ sanctorum in patria expectant adhuc gloriam corporis : ergo illam sperant.

Ibid ad 4. — *R. N. conseq.* Quia gloria corporis est tantum objectum secundarium spei; gloria animæ, quæ est fruitio divina, primarium : sublato autem objecto primario spei, non remanet spes. 2° Gloria corporis, etsi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non tamen respectu habentis gloriam animæ; tum quia gloria corporis est minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ; tum etiam quia habens gloriam animæ habet jam sufficientem causam gloriæ corporis. — **1. 2. q. 67. a. 4. ad 3.** — Sicut ergo non proprie dicitur aliquis qui habet pecuniam, sperare se habiturum aliquid quod statim in potestate ejus est ut emat, sed desirare tantum; ita qui habent gloriam animæ non dicuntur proprie sperare gloriam corporis, sed desiderare tantum : non enim omne deside-

rium est spes, licet omnis spes importet desiderium; quia desiderium est de re non habita, sive ardua et difficili, sive non, spes autem est de re non habita ardua et difficili.

Inst. 2° Beati sperant beatitudinem viatoribus. Ergo.

Hic. ad 3. — *R. D. ant.* Beati sperant beatitudinem viatoribus, spe communiter et late dicta, *transeat;* spe theologica, *N.* Quamvis enim, durante virtute spei in via, eadem spe aliquis sperat beatitudinem sibi primario et aliis secundario, evacuata tamen spe in beatis, secundum quam sibi primario sperant beatitudinem, eam non sperant aliis spe theologica quæ non remanet, sed desiderant potius ex amore charitatis.

Dixi, *transeat ant.* quia quidam, inter quos Joannes a S. Th. et Serra, negant beatos sperare viatoribus beatitudinem etiam spe communiter dicta; quia, inquiunt, respectu beatorum non est ardua et difficilis salus viatorum, sed ex sola horum resistentia; non secus ac bonis filiis facile est sicut cibum consuetum ita et consuetum suæ intercessionis effectum obtinere a patre, nisi per alios steterit.

Inst. 3° Hi omnes actus hucusque recensiti, scilicet desiderare sibi continuationem gloriæ, gloriam corporis, aliis beatitudinem, item desiderare Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione, etc., sunt actus supernaturales quibus assignari debet habitus supernaturalis: atqui nullus videtur assignari posse, nisi spes theologica. Ergo.

Ibid.—*R. N. min.* Hi enim actus, ut jam dixi, eliciuntur in beatis a charitate, quæ primario respicit Deum, secundario proximum: charitate itaque qua beatus diligit seipsum optat sibi continuationem gloriæ, gloriam corporis, Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione; et charitate qua diligit proximum optat illi beatitudinem: et iste amor, quatenus attingit bona desiderata, est amor concupiscentiæ, quatenus autem respicit personas quibus optantur, est amor charitatis; ex charitate enim mihi et proximo volo bonum æternum.

Inst. 4° Christus erat comprehensor: atqui tamen habuit spem gloriæ corporis et exaltationis nominis; dicitur enim in ejus persona, Psal. 30: *In te, Domine, speravi.* Ergo.

Ibid. ad 1. et q. de spe cit. ad 16.—*R. D. min.* Christus habuit spem communiter dictam, *transeat;* spem theologicam, *N.* Quia beatitudo essentialis, quæ est objectum primarium spei theologicæ, non erat ei futura, sed præsens.

Obj. 3° Idem est principium movendi ad terminum et quiescendi in termino: atqui spes est principium motus in beatitudinem: ergo est etiam principium quiescendi in termino, sicque est spes in beatis.

Q. cit. de spe ad 7. — *R. D. maj.* Idem est principium primum movendi ad terminum et quiescendi in termino, *C.* idem est principium secundarium et instrumentale, *N.* Quædam ergo sunt principia motus quæ cessant cum perventum fuerit ad terminum, sicut navis cessat et impulsio venti eum perventum fuerit ad portum. Charitas igitur quæ est primum principium movens, manet in termino beatitudinis, non autem spes quæ est secundarium principium appropriatum motui.

Obj. 4° Si non remaneat spes in patria, sicut nec fides, ut alibi dictum est, non remanet etiam charitas: *falsum consequens.* ergo *et ant. Prob. sequela.* Destructo fundamento et pariete, destruitur tectum: atqui in ædificio spirituali fides se habet ut fundamentum, spes per modum parietis, charitas quæ operit per modum tecti: ergo, si non remaneant fides et spes in patria, nec remanet charitas.

Ibid. ad 4.—*R. N. sequelam. Ad probat. D. maj.* Destructo fundamento et pariete, quantum ad id quod in eis perfectionis est, destruitur tectum, *C.* destructo fundamento et pariete, quantum ad id quod in eis est imperfectionis, destruitur tectum, *N.* Itaque fides et spes habent rationem fundamenti vel parietis ex parte ejus quod est in eis perfectionis, scilicet ex eo quod fides inhæret primæ veritati spes summæ majestati; non autem ex hoc quod est imperfectionis in utroque, in quantum scilicet fides est non apparentium et spes non habitorum: et ideo in statu perfectæ beatitudinis, quando charitas, quæ nihil imperfectionis de sui ratione importat, perficitur, fidei succedit perfectius fundamentum, scilicet visio aperta et spei perfectior paries, scilicet comprehensio plena.

Obj. 5° Virtutes morales, ut prudentia, fortitudo, temperantia, etc. remanent in beatis, saltem ad ornamentum: ergo *a fortiori* spes theologica, quæ est virtus nobilior moralibus.

R. N. conseq. Disparitas est, quod quamvis spes sit nobilior virtutibus moralibus, quia respicit nobilius objectum, importat tamen imperfectionem respective ad illud repugnantem beatitudini, nempe absentiam: unde non potest esse ornamentum in beatis, qui illud præsentialiter possident. At vero virtutes morales sunt tam de præsenti quam de absenti: unde non important imperfectionem repugnantem beatitudini. Et quamvis in patria non remaneat materia circa quam versantur in via, ut pericula, delectationes sensuum, etc., manet tamen quod est in eis formale, scilicet rectitudo appetitus conformiter ad rationem, quæ est in ipsis ornamentum.

ARTICULUS IV.

De dono timoris, per quæstiunculas.

Timor quo spei fiducia temperatur mediat inter spem et desperationem, et ideo Auctor prius, hic q. 19, de illo agit quam de desperatione. Est autem timor vulgariter sumptus, motus appetitus refugientis malum arduum et imminens, seu, ut communiter definitur, futuri et instantis periculi causa mentis trepidatio. Si sit motus appetitus sensitivi, est passio; si appetitus rationalis, est certo sensu donum timoris, ut dicam infra.

Petes 1° utrum Deus possit timeri?

Hic q. 10. a. 1. o. — *R.* Deum posse timeri non ut malum nobis imminens, sed ut potentem nobis infligere malum pœnæ: sicut enim spei duplex est objectum, scilicet bonum quod speratur et id per quod obtineri potest, ita timoris est duplex objectum, scilicet malum quod refugimus et bonum seu suprema majestas quæ potest nobis illud infligere.

Unde, in rigore loquendo, timor non solum malum sed etiam bonum respicit, scilicet infinitam Dei potentiam et majestatem creaturæ in infinitum supereminentem; et ideo actus timoris non est solum fugere malum, sed etiam revereri summam Dei majestatem, se illi subjicere, atque ad ejus conspectum trepidare: unde *revereri*, quasi *vereri re*, et timor quoad hunc actum manet in beatis, ut dicam infra.

Petes 2° quotuplex sit timor?

Ibid. a. 2. — *R.* esse quadruplicem: mundanum, servilem, filialem et initialem. Quia hic agimus de timore mali, prout est in viatoribus et quatenus per eum avertimur a Deo aut accedimus ad Deum; contingit enim quandoque quod homo propter malum quod timet recedat a Deo, et est timor mundanus; quandoque e contra, propter malum quod timet, convertitur ad Deum: hoc autem malum est duplex, pœnæ et culpæ: si ergo aliquis convertatur ad Deum propter timorem pœnæ, est timor servilis, quia servorum est timere pœnam; si propter timorem culpæ, est timor filialis, nam filiorum est timere offensam patris; si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.

Petes 3° utrum timor mundanus sit semper malus?

Ibid. a. 3. o. — *R. affirmative.* Quia timor mundanus, ut mox dicebam, est quo quis propter malum temporale paratus est Deum offendere, quod est semper malum. Quod si timore mali temporalis paratus sit offendere Deum mortaliter, timor erit mortaliter malus et proprie mundanus; quia, cum timor mali ex amore boni oppositi nascatur, qui sic est dispositus innititur mundo tanquam fini, seu constituit finem suum in re creata, quam sic inordinate amat ut propter eam velit Deum deserere. Si autem timore mali temporalis velit tantum venialiter Deum offendere, timor erit venialiter malus et minus proprie mundanus, quia non inhæret mundo tanquam fini. Et hæc intellige de timore mundano actuali vel virtuali, non habituali; habitibus enim nec meremur nec demeremur, sed actibus, *ut alibi dictum est.*

Petes 4° utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo quod per illum committitur?

R. 1° Qui sic timet amissionem boni temporalis, ut pro eo servando paratus sit actualiter vel virtualiter, et non habitualiter tantum, quodcumque peccatum mortale committere, et occurrente casu, v. g. pejerat ex illo timore, timor est peccatum distinctum a perjurio; quia ante perjurium jam erat peccatum, ideo in confessione distincte exprimendum.

2° Qui timet amissionem boni temporalis jam aliunde prohibiti, puta, timet non fornicari, et ex hoc timore peccat, puta, furatur, timor iste est etiam peccatum speciale distinctum a furto; aliud enim peccatum est amare fornicationem, aliud amare furtum.

3° Extra hos duos casus, timor mundanus non est peccatum distinctum ab illo quod ex eo committitur: v. g. quis, occasione data, metu amittendæ famæ pejerat, timor iste non est peccatum distinctum a perjurio, quia non est vitiosus nisi in quantum conjungitur perjurio: unde sufficit dicere in confessione, Pejeravi.

Petes 5° utrum timor servilis sit bonus?

Ib. a. 4. o. — *R.* Timor servilis secundum substantiam est bonus, secundum servilitatem et malus.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Timor servilis secundum substantiam nihil aliud est quam timor pœnæ, timere autem præcise pœnam quæ est quoddam malum, bonum est: unde Christus dicebat: *Timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.*

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Servilitas timoris est timere pœnam culpæ annexam ut summum et principale malum, ita ut si non esset pœna, committeretur culpa: hoc autem esse malum constat, tum quia inordinatum est plus timere minus malum quale est pœna, quam majus quale est culpa; tum quia non timet pœnam ut principale malum, nisi quia bonum proprium unde oritur timor pœnæ habet tanquam principale bonum et fidem ultimum, in quo est perversitas.

Ibid. — Verum ista servilitas non pertinet ad speciem timoris, sicut nec informitas ad speciem fidei informis; species enim moralis habitus vel actus ex objecto accipitur, objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum cui contrariatur pœna ametur tanquam finis ultimus, et per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, et per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem: unde servilitas non est vitium timoris, sed timentis, et Deo timor servilis secundum substantiam est bonus, servilitas vero mala. Confer quæ dixi in tract. de Pœnitentia, dissert. 4, a. 5.

Petes 6° utrum timor servilis et filialis sint idem in substantia?

Ibid. a. 5. o. — *R. negative.* Quia habent diversa objecta formalia: objectum timoris servilis est malum pœnæ, objectum timoris filialis malum culpæ: unde specie differunt.

Petes 7° utrum timor servilis remaneat cum charitate?

Ibid. a. 6. o. — *R.* Timor serviliter servilis non manet cum charitate, quia servilitas repugnat charitati. Timor autem servilis secundum substantiam remanet cum charitate, quia sicut amare Deum et simul proprium bonum, non tanquam finem ultimum, possunt stare simul, ita amare Deum, quod est charitatis, et timere pœnam non tanquam principale malum, quod est timoris servilis quoad substantiam, possunt stare simul.

Petes 8° utrum timor sit initium sapientiæ, et quomodo?

Ibid. a. 7. o. — *R.* Timor non est initium sapientiæ quantum ad ejus essentiam, seu quantum ad ejus effectum. Explicatur exemplo artis: sicut initium artis, quantum ad ejus essentiam, sunt principia unde procedit ars, sic initium sapientiæ, quantum ad essentiam, sunt principia unde procedit: cum autem sit cognitio supernaturalis fidem consequens, principia ejus sunt ipsi articuli fidei, non timor. Est tamen timor initium sapientiæ, quantum ad ejus effectum, quia est id unde sapientia incipit operari; sicut si diceretur fundamentum esse principium artis ædificatoriæ, quia ibi incipit ædificator operari. Aliter tamen timor servilis et aliter timor filialis. Timor servilis enim est quasi principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ discedit a peccato et per hoc habilitatur ad sapientiæ effectum; timor autem filialis seu castus est initium sapientiæ, sicut primus ejus effectus: cum enim ad sapientiam pertineat quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hinc oportet sumere principium ut homo revereatur Deum et se ei subjiciat, sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur.

Petes 9° utrum timor initialis differat essentialiter a filiali?

Ibid. a. 8. o. — *R. negative.* Quia imperfectum et perfectum non differunt secundum essentiam: atqui timor initialis et fi-

nalis differunt secundum imperfectum et perfectum; timor enim initialis est imperfectus timor filialis per inchoationem charitatis ergo.

Dices 1° Timor initialis habet pro objecto malum pœnæ et culpæ; hoc objectum est diversum ab objecto timoris filialis, quod est solum malum culpæ: ergo. 2° Medium differt eadem ratione ab utroque extremorum: atqui timor initialis est medius inter servilem et filialem, ut dictum est: ergo essentialiter differt ab utroque vel a nullo.

Ibid. ad 2. — *R. ad primum*, quod timor initialis non timeat pœnam tanquam proprium objectum, sed in quantum habet aliquid de timore servili adjunctum, qui secundum substantiam manet cum charitate, servilitate remota: unde proprium objectum timoris initialis est malum culpæ.

Ibid. ad 3. — *Ad secundum.* Timor initialis est medius inter timorem servilem et filialem, non sicut inter ea quæ sunt unius generis, aut quasi compositus ex utroque, sed sicut imperfectum est medium inter ens perfectum et non ens; est autem imperfectum idem secundum essentiam cum ente perfecto, diversum totaliter a non ente. Item dicitur medius, quia generatione sequitur servilem et præcedit filialem.

Petes 10° utrum timor servilis sit donum Spiritus sancti?

Ibid. a. 9. o. — *R.* timorem servilem hoc sensu esse donum Spiritus sancti, quod sit a Spiritu sancto, non autem numerari inter septem dona Spiritus sancti. *Ratio primæ partis est*, quia timore divinæ justitiæ utiliter concutiuntur peccatores et disponuntur ad pœnitentiam, ut definit Trid. sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 4; nullum autem in nobis est salutare bonum nisi a Deo. *Ratio secundæ partis est*, quia timor servilis potest habere annexam voluntatem peccandi; dona autem Spiritus sancti non possunt esse cum voluntate peccandi, quia non sunt sine charitate.

Unde relinquitur quod timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus sancti, est amor filialis sive castus; ut enim alibi diximus, dona Spiritus sancti sunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ quibus redduntur bene mobiles a Spiritu sancto secundum altiores rationes: sicut virtutibus moralibus potentiæ appetitivæ redduntur bene mobiles a ratione. Ad hoc autem quod aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, primo requiritur ut sit ei subjectum non repugnans, quia ex repugnantia mobilis ad movens impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis vel castus, in quantum per ipsum Deum reveremur et refugimus nos ipsi subducere: unde timor filialis quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus sancti, ultimum autem descendendo, ut dicit S. Aug. l. 1 de Serm. Dom. in monte, cap. 9.

Petes 11° utrum timor servilis sit habitus et virtus?

R. quod sit habitus, quia dantur habitus ad actus bonos, quales sunt actus timoris servilis: non est tamen virtus, tum quia principaliter est de malo, virtus autem est principaliter circa bonum; tum quia crescente charitate virtus crescit: timor autem servilis crescente charitate minuitur, ut mox dicam, unde non est principium perfectæ operationis: qua ratione continentia, licet sit bonus habitus, non tamen dicitur virtus. Neque etiam timor servilis videtur pertinere ad spem, siquidem crescente spe etiam minuatur. Nec obstat quod S. Th. hic art. 6, dicat *esse ejusdem rationis quod homo cupiat bonum suum, et quod timeat eo privari*; hoc enim dicit respective ad charitatem, non ad spem. De hac materia latius Serra hic.

Petes 12° utrum crescente charitate minuatur timor?

Ibid. a. 10. o. — *R.* 1° Crescente charitate crescit timor filialis. Quanto magis enim aliquis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere et ab eo separari; non quod augeatur periculum, quinimo minuitur, sed quia magis apprehenditur gravitas mali.

Ibid. — 2° Crescente charitate minuitur timor servilis quoad substantiam; tum quia, quanto quis plus diligit Deum, tanto minus attendit ad proprium bonum; tum etiam quia ferventius per charitatem inhærens Deo magis confidit de præmio, ac per consequens minus timet de pœna.

Petes 13° utrum timor remaneat in patria?

Ibid. a. 11. o. — *R.* 1° Timor servilis non remanet in patria, quia beati sunt securi de perpetuitate suæ beatitudinis.

Ibid. et 1. 2. q. 67. a. 4. ad 2. — 2° Timor filialis remanet in patria; quia timor filialis habet duos actus, scilicet revereri Deum, et

quantum ad hunc actum manet; et timere separationem ab ipso, et quantum ad hunc actum non manet. Ille autem actus reverentiæ tunc fit quando homo ex consideratione altitudinis divinæ contremiscit et in propriam resilit parvitatem; quo sensu S. Greg. 17 Moral. c. 15, intelligit hæc verba Job. 26 : *Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus;* hujusque timoris reverentialis habemus exempla in S. Scripturis, ut cum Joannes Baptista non audens tangere Christi verticem, clamat cum timore : *Sanctifica me, Salvator;* item, cum Petrus dixit : *Exi a me, Domine*, etc.

Si dicas. Spes est perfectior quam timor, quia spes est respectu boni, timor respectu mali : sed spes non erit in patria : ergo nec timor.

R. N. conseq. Disparitas est, quod spes importat quemdam defectum, scilicet futuritionem beatitudinis quæ tollitur per ejus præsentiam. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ secundum quod in infinitum distat a Deo, quod etiam in patria permanebit; et ideo timor non evacuabitur totaliter. Confer quæ dixi de Incarnat. dissert. 8, a. 4, conclus. 1.

ARTICULUS V.

De vitiis spei oppositis.

Duo vitia spei opponuntur, desperatio per defectum, et præsumptio per excessum.

§ I. — *De desperatione.*

Desperatio est animi desponsio, seu motus voluntatis quo quis refugit adipisci beatitudinem per media ordinaria.

Hic q. 20. o. 1. et 3. o. — *Dico* 1° Desperatio positiva et plene deliberata beatitudinis adipiscendæ, est peccatum mortale, gravius secundum se peccatis quæ opponuntur virtutibus moralibus, sed minus odio Dei et infidelitate. *Ratio primæ partis*, quia desperatio opponitur spei, *spe autem salvi facti sumus*, Rom. 8 : ergo desperatione perimus. Et quidem desperans magnam injuriam irrogat divinæ misericordiæ et sibi grave nocumentum, subtrahens sibi anchoram salutis. *Ratio secundæ partis est*, quia spes, cum sit theologica et Deum immediate respiciat, est dignior virtutibus moralibus, inferior tamen fide et charitate.

Dixi 1° *desperatio positiva;* quia non sumitur hic desperatio privative pro omissione actus sperandi, quamvis et hæc omissio nos set etiam esse peccatum, si præceptum sperandi urgeret; sed sumitur pro actu seu recessu positivo, quo quis fugit beatitudinem ut adeptu sibi difficiliorem.

Dixi 2° *plene deliberata*, ut excludantur desperationis motus indeliberati, vel non plene deliberati, orti sæpius vel ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex dæmonis tentatione : ad quod debet advertere prudens confessarius

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 2° Desperatio potest esse sine infidelitate; quia judicium particulare practicum quo quis sibi persuadet quod Deus illi non parcet, quod ad beatitudinem non perducet, et ideo quod non sit sperandum, non destruit judicium universale speculativum quo judicat consecutionem salutis esse possibilem, esse remissionem peccatorum in Ecclesia : sicut judicium practicum quo quis judicat hic et nunc sibi fornicationem esse bonam et eligendam, non destruit judicium speculativum quo judicat omnem fornicationem esse illicitam et fugiendam. *Et ratio est*, quia judicium speculativum est de re secundum se, practicum autem de re facienda vel non facienda, secundum affectum operantis : et sic ista duo judicia sunt de diversis formaliter objectis, ideoque non sibi contradicunt. Ita contingit in omnibus peccatis, ut docuimus in tract. de Peccatis, dissert. 5, a. 8. Unde illud vulgatum : *Omnis peccans ignorans.*

Dices. Qui negat aliquam particularem veritatem contentam in universali, negat universalem; sic qui negat Petrum esse mortalem, negat omnem hominem esse mortalem : ergo qui judicat suam salutem esse impossibilem, judicat omnem salutem non esse possibilem.

R. 1° *D. maj.* Qui negat judicio speculativo aliquam particularem veritatem inclusam in universali, negat universalem, *C.* judicio practico, *N.* Quia, ut dictum est, judicium speculativum est de re secundum se, practicum de re facienda vel non facienda in ordine ad affectum operantis : unde potest ex aliqua passione aut mala dispositione istud judicium decipi aut corrumpi circa particulare, retento recto judicio de re in universali et secundum se.

R. 2° *Transeat totum*, nihil contra nos.

Non enim ut aliquis desperet est necesse quod judicet consecutionem suæ salutis esse absolute impossibilem, sed sufficit quod ex aliis motivis judicet quod eam non consequentur, puta, quia se credit a Deo derelictum, aut non esse prædestinatum, quia frequentius et facilius labitur, quia media sunt ipsi molestiora et difficiliora, quia se nimis intricatum reputat, etc. ex quibus motivis animum despondet et judicat non esse sibi sperandum.

Ibid. a. 4. — *Dico* 3° Desperatio specialiter oritur ex luxuria et acedia, specialius tamen ex acedia. Quia homo luxuriosus, deditus delectationibus carnalibus, bona spiritualia fastidit et ea non reputat magna et ardua. Ex acedia autem reputat nimis difficile bene vivere; unde refugit labores bonorum operum. Ideoque luxuria tollit arduitatem beatitudinis, acedia derogat possibilitati; magis autem est proprium objecto speie quod sit absolute possibile, quam quod sit arduum, quia bonum et et arduum etiam ad alias passiones pertinent.

Quidam hic operose et morose disputant, utrum homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset revelatio suæ damnationis, posset adhuc et deberet sperare? Dixi, *de potentia Dei extraordinaria*, quia omnes conveniunt cum S. Thom. q. 23 de Verit. a. 8, ad 2, id fieri non posse de potentia ordinaria, et docet ibid. S. Doctor quod, « Si de potentia extraordinaria alicui talis » revelatio fieret, deberet intelligi non se» cundum modum prophetiæ prædestina» tionis vel præscientiæ, sed per modum » prophetiæ comminationis, quæ intelli» gitur supposita conditione meritorum. » Cujus ergo utilitatis sit hæc quæstio, sicut aliæ, ut plurimum, quæ sunt de potentia Dei extraordinaria, non video : quapropter, ne diutius lectorem detineam in studio inutili, rem paucis expediam : unde breviter

Dico 4° Homo cui de potentia Dei extraordinaria facta esset suæ damnationis revelatio, quam revelationem non respiceret ut comminatoriam, sed ut absolutam prædictionem, posset quidem adhuc concupiscere et desiderare inefficaciter beatitudinem, quia concupiscentia et desiderium inefficax est de omni bono secundum se, abstrahendo ab hoc quod sit futurum vel non; sed non posset nec deberet sperare.

Prob. Voluntas non potest sperare nisi bonum quod intellectus prudenter judicat esse futurum, objectum enim spei est bonum futurum : atqui homo, posita revelatione suæ damnationis, non posset prudenter judicare beatitudinem sibi esse futuram, etiam dato quod non vellet huic revelationi assentire, quia non posset prudenter dissentire, cum supponeretur Deum clare et indubitanter revelare; sicque beatitudo respectu ipsius desineret esse objectum spei. Ergo.

Dices. Supposita revelatione damnationis, salus est adhuc possibilis; cum enim ista revelatio sit saluti extrinseca, nihil in ea mutat : ergo potest adhuc sperari.

R. N. conseq. Quia ad objectum spei non sufficit quod sit possibile, sed requiritur quod prudenter judicetur futurum et consequendum.

Inst. 1° Plus requiritur ad salutem adipiscendam quam ad illam sperandam : atqui, posita dicta revelatione, homo potest adhuc consequi salutem : ergo *a fortiori* sperare.

R. N. conseq. Quia syllogismus constat quatuor terminis et ideo nihil concludit : a salute enim de facto consequenda in *majori* transitur ad possibilitatem illius in *minori*, quæ, ut servaretur legitima forma, debuisset sic exprimi : Atqui, posita dicta revelatione, homo consequitur salutem; sed tunc fuisset falsa. Plus ergo revera requiritur ad consequendam de facto salutem quam ad illam sperandam; sed non plus requiritur ad possibilitatem quam ad spem illius; requiritur enim ad spem, quod possit judicari prudenter futura, hoc autem non requiritur ad ejus possibilitatem.

Inst. 2° Si Deus alicui revelaret suum peccatum, puta violationem castitatis, posset adhuc non solum illud vitare, sed etiam sperare illud vitare : ergo similiter.

R. N. ant. pro secunda parte. Quia, in hac hypothesi sicut in nostra, cum vitatio peccati non posset prudenter judicari futura, non esset objectum spei, sicut nec salus, supposita revelatione damnationis.

Inst. 3° Iste homo posset adhuc et deberet conari evitare peccatum : ergo posset sperare illud vetare.

R. N. conseq. Disparitas est, quod objectum hujus conatus, nempe fornicatio possibilis vitari, permaneat, et urgeat præceptum castitatis servandæ, quod vio-

lari non potest sine peccato; tenetur autem homo, qualibet suppositione facta, conari non peccare. At non manet hujus spei objectum, scilicet vitatio peccati futura: unde, quamvis præcipiatur observatio castitatis, non tamen præcipitur spes illius. Uno verbo, præceptum castitatis servandæ est de præsenti, spes illam servandi est de futuro, quod non potest prudenter judicari futurum, supposita revelatione peccati futuri, sicut salus non potest judicari futura, supposita revelatione damnationis.

Inst. 4° Non magis erat reprobo futura salus ante revelationem damnationis quam post: atqui tamen ante revelationem poterat sperare: ergo et post.

R. N. maj. Non magis erat futura salus absolute in se, et judicabatur tamen prudenter futura ante revelationem damnationis, *C.* et non judicabatur prudenter futura, *N.* Voluntas autem sequitur judicium intellectus: unde, si intellectus judicet prudenter salutem futuram, etsi forte secundum se non sit futura, voluntas potest illam sperare.

§ II. — *De præsumptione.*

Præsumptio apud juristas accipitur pro actu intellectus quo ex signis manifestis judicatur aliquid occultum. Item, accipitur pro actu voluntatis quo quis facit vel aggreditur facere quod superat ejus facultatem sive physicam et executivam, sive juris tantum: juris, ut cum quis sciens et volens legem transgreditur, quomodo dicitur in jure: *Si quis hoc præsumpserit facere;* executivam, cum quis id quod superat vires sive proprias, sive quas habet in aliis paratas, aggreditur, ut majora pericula quam possit vincere, majores abstinentias quam possit sustinere.

Quantum vero ad subjectam materiam et præsens institutum, præsumptio definiri potest: *Temeraria expectatio beatitudinis mediorumve ad illam.*—**Hic q. 21. a. 1. o.**— Est autem temeraria seu inconsueta et infundata ex duplici capite, scilicet innittendo nimium propriis viribus, et innitendo inordinate divinæ misericordiæ et potentiæ.

Ibid. — Innitendo nimium propriis viribus, ut cum quis confidit consequi beatitudinem aliud ve bonum supernaturale propriis viribus, sine Dei auxilio et misericordia et dicitur nimia confidentia suorum virium. Hæc autem præsumptio opponitur magnanimitati cujus est hujusmodi spem moderari juxta regulam rationis, ut illam neque excedat neque ab ea deficiat. Pro quo vide tract. de Fortitudine, dissert. 2, a. 2 et 3. Posset tamen etiam dici quod hæc præsumptio opponatur spei theologicæ in quantum non expectat beatitudinem eo modo quo debet expectari.

Ibid. — Innitendo inordinate Dei misericordiæ et potentiæ, quatenus expectat a Deo beatitudinem vel aliud supernaturale eo modo quod non est possibile illa obtineri, secundum legem a Deo constitutam et nobis notam; ut si quis sperat se veniam peccatorum a Deo consecuturum sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata divina: et dicitur nimia confidentia de Dei bonitate et misericordia: nimia, inquam, non ex parte Dei, quasi quis posset nimium sperare a Deo; sed ex parte nostra, quatenus speramus id quod non est possibile, secundum legem a Deo statutam, ut dixi. His positis,

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 1° Præsumptio est peccatum, tum quia se habet conformiter ad intellectum falsum, tum quia opponitur virtuti spei. Est peccatum mortale, quia opponitur virtuti theologicæ, magnamque Deo injuriam irrogat et magnum homini detrimentum. Est peccatum contra Spiritum sanctum, quia auxilium divinum a quo homo revocatur a peccato contemnit, quasi non esset necessarium ad merendum, vel ad pœnitentiam agendam. Est peccatum minus grave quam desperatio, quia desperatio contemnit misericordiam, præsumptio justitiam seu ultionem; Deo autem magis convenit misereri quam ulcisci, quia est ex se misericors, justus seu ultor ex peccatis nostris.

Dico 2° Præsumptio non semper tollit spem, nec semper est conjuncta cum infidelitate.

Prob. prima pars. Qui permanens in peccato nec volens mutare vitam, sperat Deum fore sibi in fine propitium, præsumit; cum enim id rarissime contingat, et paucissima sint tantæ propitiationis exempla, merito dicitur præsumptuosus qui sic sperat: sicut in humanis dicitur præsumptuosus, qui se conjicit in periculum a quo paucissimi evadunt: atqui tamen non amittit

spem, quia non destruit rationem formalem objecti spei, sed tantum inordinate sperat. Qui vero speraret seu præsumeret obtinere vitam æternam propriis viribus, vel sine auxilio Dei, amitteret spem, quia destrueret rationem formalem objecti spei.

Prob. secunda pars. Quamvis contingere possit quod quis ideo speret beatitudinem ex propriis viribus aut sine meritis ex Dei gratia, quia credit beatitudinem sic esse acquisibilem, in quo casu est infidelis; potest tamen etiam contingere quod quis ita speret absque eo quod in intellectu has erroneas opiniones speculative teneat, sed tantum quod practice sic intendat salutem, ac si illam expectaret sine gratia, eo modo quo diximus de desperatione.

Petes utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum, vel minuat?

Hic a. 2. ad 3. — *R.* quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, non diminuit sed auget : peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi, non est præsumptionis, sed peccatum diminuit, quia per hoc homo videtur habere voluntatem sinus firmatam in malo. Porro hoc ultimum dictum S. Thomæ non esse intelligendum de his qui proponunt abstinere a peccato in fine vitæ tantum, constat ex *prima parte præcedentis conclusionis*, in qua diximus hos esse præsumptuosos.

Ibid. a 4. o. — *Eico* 3° Præsumptio quæ innititur propriæ virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile quod propriam virtutem excedit, procedit ex inani gloria. Ex hoc enim quod quis multum desiderat gloriam, sequitur quod attentet ad gloriam quamdam supra vires suas. Præsumptio vero quæ innititur inordinate divinæ misericordiæ et potentiæ, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis et veniam sine pœnitentia, oritur ex superbia, quasi ipse tanti se æstimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat vel a gloria excludat.

De præcepto spei eodem modo loquendum est, proportione servata, ac de præcepto fidei. Pro quo vide de Fide dissert 2, a. 4.

TRACTATUS

DE CHARITATE.

Divus Thomas, a. Q. 23 ad Q. 46.

DISSERTATIO I.

DE CHARITATE SECUNDUM SE

D. Th. Q. 23.

Cum charitas, amor, dilectio et amicitia ad idem quodam modo pertineant et sint de bono, pauca de earum notionibus et de bono prælibanda sunt.

1. p. q. 5. a. 1. et q. 21. de verit. a. 1. — Ratio formalis boni consistit in perfectione non ut constitutiva entis, sed ut conveniente et coaptata appetitui, atque illius perfectiva per modum appetibilis et finalisantis, ut latius explicavimus de Deo, dissert. 3, a, 3.

1. p. q. 6. a. 3. — Deus est bonum per essentiam, quia unumquodque est bonum secundum quod est perfectum, et in tantum est perfectum in quantum est actu; esse autem actu soli Deo essentialiter convenit.

Ibidem. a. 2. — Item, Deus est summum bonum, quia omnes omnium rerum perfectiones et bonitates sunt ab ipso tanquam a causa æquivoca : effectus autem est excellentius in causa æquivoca quam in seipso, quia causæ æquivocæ producunt effectus sibi inferiores. Vide dissert. citatam, a. 4.

1. 2. q. 26. a. 1. 2. et 3. — Bonum itaque appetitui propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum movet, attrahit et inclinat ad se, et ista inclinatio seu propensio appetitus in ipsum dicitur *amor*

seu complacentia . si sit cum electione unius boni præ alio. dicitur *dilectio*, ut ipsum nomen sonat; si sit boni quod magni pretii æstimatur, dicitur *charitas*, ut etiam ipsum nomen designat; si tandem sit cum redamatione, dicitur *amicitia*.

Ibid. a. 2. et 4. — Amor itaque magis late patet quam dilectio, charitas et amicitia. Alius est naturalis, quo unaquæque res etiam non cognoscitiva appetit bonum sibi conveniens, non ex apprehensione propria, sed ex apprehensione ejus qui naturam constituit; sic grave dicitur amare centrum; alius animalis seu sensitivus, qui sequitur ad apprehensionem sensuum, et reperitur etiam in brutis; alius rationalis, qui oritur ex apprehensione intellectus : et hic est duplex, concupiscentiæ et benevolentiæ; motus enim amoris in duo tendit, in objectum quod amatur et est concupiscentiæ, et in personam cui amatur et est benevolentiæ; si quæ sit redamatio ex parte personæ amatæ, erit amor amicitiæ. Quod amatur amore benevolentiæ, simpliciter et per se amatur; quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri : unde amor benevolentiæ est amor simpliciter, et amor concupiscentiæ amor secundum quid. De his vide latius Auctorem locis citatis.

ARTICULUS I.

Quid sit charitas?

Quæstio est de charitate habituali. Definiri solet : *Virtus divinitus infusa, qua Deus propter se et proximus propter Deum diligitur.* Quæritur in hoc articulo an sit aliquid creatum in anima, et an sit virtus specialis.

Hic q. 23. a. 6. — Magister Sententiarum dicebat quod charitas habitualis esset ipse Spiritus sanctus mentem inhabitans, immediate movens ad actum dilectionis, et non mediante habitu, ut fit in actibus aliarum virtutum : et hoc dicebat propter excellentiam charitatis; sed hæc opinio inolevit, et quibusdam videtur damnata, *ut patebit ex sequentibus.*

Dico 1° Charitas habitualis est quid creatum in anima.

Ibid. — *Prob.* 1° Apost. Rom. 5 : *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis :* ubi distinguit aperte charitatem a Spiritu sancto tanquam effectum a causa. S Augustinus, cui innitebatur Magister Sententiarum, lib. de Nat. et Grat. cap. ultimo, ait : « Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est. » Justitia autem est quid creatum in anima. Idem pluries alibi.

Prob. 2° ex concilio Trident. sess. 6, cap. 7, ubi definit quod in justificatione « Per Spiritum sanctum charitas Dei diffundi-» tur in cordibus eorum qui justificantur, » atque in ipsis inhæret : unde in ipsa justi-» ficatione cum remissione peccatorum hæc » omnia simul infusa accipit homo per Je-» sum Christum cui inseritur, fidem, spem » et charitatem. »

Ibid. *Prob.* 3° Nullus actus perfecte producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam quæ sit principium actionis : unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas per quas inclinantur ad fines sibi præstitutos a Deo; et secundum hoc, disponit omnia suaviter, ut dicitur Sapient. 8. Atqui manifestum est quod actus charitatis excedit naturam potentiæ volitivæ : ergo aliqua forma superaddenda est naturali potentiæ per quam iuclinetur ad charitatis actum; alias iste actus esset imperfectior actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis et delectabilis : quod patet esse falsum, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur.

Dices 1° 1 Joan. 4, dicitur : *Deus charitas est;* et subditur : *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo;* quod non potest intelligi nisi de charitate qua Deum diligimus. Ergo.

R. prima verba intelligi de charitate increata qua Deus nos diligit, de qua immediate ante dixerat : *Credimus charitati quam habet Deus in nobis;* sequentia autem de charitate qua ipsum diligimus, de qua vere dixit Evangelista quod, qui manet in ea manet in Deo : nam *Si quis diligit me,* inquit Christus, Joan. 14..... *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Deinde, cum charitas qua Deum diligimus sit effectus charitatis increatæ qua nos ipse diligit, non qualiscumque, sed quo efficimur ei

omnes, grati et amici, ratione hujusmodi effectus, Deus vero sensu dicitur manere in nobis, et nos in ipso; sicut quis dicitur manere in sole qui manet in lumine a sole diffuso, et sol manere in loco in quo ejus lumen diffunditur.

Dices 2° S. Augustinus in pluribus locis docet charitatem fraternam qua diligimus proximum esse charitatem increatam et Deum. Ergo.

Ibidem ad 1. — *R.* sensum S. Augustini esse, quod charitas qua diligimus proximum sit charitas increata non formaliter sed effective, quia charitas nostra est a Deo et divinæ charitatis participatio.

Inst. Juxta S. Aug. lib. 15 de Trinit. cap. 17, Deus vocatur charitas, non eo modo quo Psal. 70 dicitur *patientia nostra*, sed quo modo dicitur Spiritus: atqui tamen patientia nostra est etiam a Deo. Ergo.

R. etiam secundum nos Deum aliter dici charitatem, et aliter patientiam nostram: est enim formaliter charitas, scilicet increata, per quam charitas quæ est illius participatio diffunditur in cordibus nostris; sed non est formaliter patientia, cum patientia sit ejus qui pati potest, Deus autem est impassibilis.

Ibid. a. 3. et 4. o. — *Dico* 2° Charitas est virtus specialis. *Ratio primæ partis est*, quia charitas est principium actus boni nimirum attingentis regulam non solum naturalem quæ est recta ratio, sed etiam supernaturalem quæ est Deus cui nos unit. Item, est bona qualitas mentis qua recte vivitur et nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: hæc autem est definitio virtutis. *Ratio secundæ partis est*, quia habet objectum formale speciale; sicut enim objectum fidei est Deus ut verus, spei Deus ut nobis bonus, charitatis est Deus ut bonus in se, ut dicetur infra; virtutes autem distinguuntur ex objectis formalibus.

Nec obstat quod Auctor hic dicat objectum charitatis *esse bonum divinum in quantum beatitudinis objectum*. Non enim sensus horum verborum est, quod summum bonum sit objectum charitatis reduplicative quatenus beatificat, seu sub ea formali ratione qua nos beat, ut perperam quidam intellexerunt; tota enim hac quæstione docet S. Doctor objectum charitatis esse summum bonum ut est in se; sed sensus est specificativus, scilicet quod summum bonum sit objectum charitatis secundum eam entitatem, bonitatem et perfectionem secundum quam est objectum beatitudinis, seu secundum quam videtur a beatis; ita ut bonitas quæ videtur a beatis diligatur a charitate, et quia videtur a beatis secundum quod in se est: *Videbimus enim eum secuti est*, Joan. 1 et 3. Ita est objectum charitatis secundum quod in se est.

ARTICULUS II.

Utrum charitas sit proprie dicta amicitia inter Deum et hominem.

Quæstio non est de relatione amicitiæ, seu de actu exercente conditiones amicitiæ; certum est enim quod charitas sit habitus vel actus, et non relatio.

Q. 23. a. 1. o. — *Dico.* Charitas est vera et proprie dicta amicitia inter Deum et hominem.

Ibid. in. a. s. c. — *Prob.* 1° *ex S. Scriptura.* Christus, Joan. 15, dicit Apostolis: *Vos amici mei estis*, et: *jam non dicam vos servos, sed amicos meos;* Jacobi 2: *Abraham amicus Dei appellatus est;* Psal. 138: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Nihil autem assignari potest quo homines sint Dei amici, nisi charitas.

Ibid. o. — *Prob.* 2° Ad veram et proprie dictam amicitiam tres conditiones communiter requiruntur: prima, quod amor sit benevolentiæ quo volumus alicui bonum propter ipsum, non concupiscentiæ quo volumus bonum propter nos; sicut cum dicimus amare vinum aut equum aut aliquid hujusmodi, non est amor amicitiæ sed concupiscentiæ; ridiculum enim esset dicere quod quis habeat amicitiam ad vinum aut equum. Vide plura de amore benevolentiæ et concupiscentiæ in tract. de Pœnit. dissert. 4, a. 7. Secunda conditio est, ut amor iste sit mutuus; non enim sufficit ad hoc ut aliquis sit amicus alterius, quod illum præcise amet, sed etiam debet ab illo amari; amicus enim est amico amicus, et dicitur quasi amicatus, ita ut talis amor mutuus sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est, quod iste mutuus amor fundetur in aliqua communicatione; qui enim in nullo communicant, nullam inter se habent conjunctionem. Unde ratione diversæ communicationis diversæ sunt amicitiæ: sic in communicatione sanguinis fundatur amicitia consanguinitatis, in communicatione superio-

ris cunminferiori amicitia excellentiæ, in communicatione sociorum amicitia æqualitatis. Atqui hæ tres conditiones reperiuntur in amore charitatis : ergo.

Prob. min. 1° Per charitatem homo diligit Deum propter se ut ultimum finem, et Deus diligit hominem propter se, non tanquam propter finem ultimum, sed propter ejus utilitatem, seu tanquam propter subjectum cui vult æternam beatitudinem ; et sic utrinque est amor benevolentiæ. 2° Est amor mutuus ; diligimus enim per charitatem eum qui nos diligit, juxta illud Proverb. 8 : *Ego diligentes me diligo ;* et Joan. 14 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* 3° Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in jure et in spe, in patria in re. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ad rationem amicitiæ requiritur quod amicus propter seipsum diligatur et non propter amantem, ut dictum est : atqui Deus non amat homines propter ipsos, sed propter semetipsum : *Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus*, Prov. 16. Ergo.

R. Solutione jam insinuata, D. maj. De ratione amicitiæ est quod amicus diligatur propter seipsum, ly *propter* dicente finem *cui*, *C.* ly *propter* dicente finem *cujus gratia* seu rationem motivam, *N.* Quando ergo dicitur amicum diligi propter seipsum et non propter amantem, sensus est, quod amatus sit subjectum seu finis *cui* beneficiorum, ita ut amans non conferat illa ad suam, sed ad amici utilitatem ; non est autem sensus quod bonum quod est in amico sit finis *cujus gratia*, seu ratio cur amans illum amet et illi conferat beneficia, quin e contra tanto generosior et perfectior est amicitia, quanto amatus nihil in se amabile habens ex sola voluntate gratuita amici diligitur et ejus beneficiis cumulatur. Ita Deus diligit creaturas ex sola sua bonitate, iisque sua bona communicat, non propter suam utilitatem, *Bonorum enim nostrorum non indiget Dominus*, sed ut illis bene sit in ipso tanquam in summo bono et suo ultimo fine.

Obj. 2° Non est amicitia nisi inter æquales : unde S. Hieron. super cap. 7 Michææ, dicit *Amicitia pares aut accipit aut facit ; ubi inæqualitas est, amicitia non est :* atqui inter Deum et homines non est æqualitas, sed infinita distantia. Ergo.

R. D. maj. Non datur amicitia nisi inter æquales, æqualitate absoluta, *N.* æqualitate proportionis, qualis est v. g. inter patrem et filium, inter maritum et uxorem, *C.* Amicitia enim non tam attendit ad dignitatem personæ quam ad ejus amorem. Unde, juxta philosophum, ut dictum est, in communicatione superioris ad inferiores fundatur amicitia excellentiæ. Est autem æqualitas proportionis inter Deum et homines, quatenus hi per gratiamele vantur ad dignitatem filiorum Dei, et fiunt consortes divinæ naturæ.

Inst. Justi sunt servi Dei : atqui inter servum et dominum non potest esse perfecta amicitia. Ergo.

R. hanc instantiam multiplicem pati solutionem. 1° *D. min.* Inter servum, qua servum et jure servitutis, et dominum non datur amicitia, *C.* sub alia ratione, *N.* Potest enim servus per gratiam domini elevari ad eam dignitatem ut sit ejus filius adoptivus vel amicus. 2° *D. eamdem min.* Inter servum servitute vili, ut in mancipiis, et dominum non datur amicitia, *transeat ;* servitute honorata, ut in iis qui serviunt regi, *N.* Nulla autem servitus est honoratior quam ea qua servitur Regi regum : unde dicebat S. Antoninus : *Servire Deo regnare est.* 3° Denique, *D. maj.* Inter servum et dominum non datur perfecta amicitia, quoad homines inter se, *transeat ;* inter Deum et homines, *N.* Disparitas est quia, quo magis Deus sibi subjicit aliquem, eo majus bonum ipsi vult et confert ; tota enim perfectio et beatitudo hominis est Deo subjici et illi ut ultimo fini uniri : inter homines autem domini non servorum, sed suam propriam utilitatem quærunt.

Obj. 3° Charitate diligimus non solum amicos, sed etiam inimicos : atqui non est redamatio ex parte inimicorum. Ergo.

Ibid. ad 2. — *R. D. maj.* Charitate diligimus inimicos, principaliter et ratione sui, *N.* secundario et ratione Dei, *C.* Sufficit autem ad amicitiam redamatio ex parte illius qui primario et ratione sui diligitur, licet non ex parte illorum qui ratione alterius diliguntur : sic qui habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, et tanta potest esse dilectio, ut amet etiam pertinen-

tes ad amicum a quibus offenditur et odio habetur, et tamen permanet amicitia, quia est redamnatio ex parte illius qui principaliter et ratione sui amatur.

Obj. 4° Plures sunt aliæ leges amicitiæ quas non servat charitas : ergo. *Prob. ant.* 1° Amicitia requirit ut amor mutuus innotescat ; nescimus autem an Deum diligamur, quia nemo scit an odio vel amore sit dignus. 2° Requirit amicitia ut amici simul convivant ; non autem in via peregrinamur a Domino. 3° Amicitia non est inter multos sicut charitas. 4° Amor amicitiæ est amor benevolentiæ quo volumus alicui bonum ; Deo autem qui nullo bono caret nullum est bonum quod possumus illi velle. Et inde 5° nulla est communicatio hominis ad Deum, maxime cum simus servi inutiles. Ergo.

R. N. ant. Ad primam probat. D. maj. Amicitia requirit ut amor mutuus innotescat certo physice, *N.* alias nulla esset amicitia inter homines ; certo moraliter, *C.* Talis autem certitudo habetur de mutuo amore charitatis inter Deum et homines ex indiciis et conjecturis, scilicet bona vita, observatione mandatorum, bonis operibus, piis in Deum motibus, etc.

Ibid. ad. 1.—*Ad secundam probat. Possei negari maj.* cum, juxta philosophum, 8 Ethic. c. 5, possit inter absentes amicitia servari. *Sed ea omissa, D. min.* Peregrinamur a Domino, secundum vitam carnalem et quantum ad visionem beatificam quam nondum adepti sumus ambulantes adhuc per fidem, *C.* quantum ad vitam spiritualem et conversationem mentis et cordis, *N.* Sic enim magnus est nobis cum Deo convictus, ut feliciter experiuntur justi et devoti.

Ad tertiam probat. D. ant. Amicitia humana non est inter multos, *C.* amicitia charitatis, *N.* Disparitas est, quod in humanis difficile sit unum placere multis et multos uni, multorum consuetudine frui, et scire utrum sint futuri amici idonei. Hæ autem rationes cessant in Deo cui nota sunt omnia, et qui multos æque ac unum potest diligere et se fruendum multis ac uni præbere : cessant pariter ex parte hominum, quia amicitiæ charitatis unum est objectum, scilicet Deus, in quo et propter quem omnia diliguntur. Insuper, *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam*, etc. 1 Cor. 13.

Ad quartam probat. N. min. Quamvis enim Deus nullo bono careat, non obest quin velimus illi bonum, gaudendo scilicet et gratulando de bonis ejus internis et procurando externa, nempe laudem, honorem, nominis celebritatem, cultum, etc. seque illi subjiciendo et se totum offerendo.

Atque hinc patet responsio ad quintam probat. Adde quod, si per communicationem intelligatur collatio bonorum externorum, hæc non requiritur ad amicitiam ; possunt enim duo cives communicare amicabiliter in bono communi, duo justi in aliquo bono honesto, absque eo quod alter alteri conferat aliquid bonum extrinsecum, sed consilia duntaxat, secreta et quid simile.

Ad S. Scripturam. Non dixit Christus nos esse servos inutiles, sed quod debeamus nos dicere servos inutiles, ad exercitium scilicet humilitatis, alibi enim dicit : *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis*, etc. Et 2 Timoth. 2, justus dicitur vas utile Domino, ejus usibus accommodatum. Insuper sumus ex nobis servi inutiles, utiles autem ex gratia Dei.

ARTICULUS III.

De objecto charitatis.

Quamvis Auctor agat de objecto charitatis infra q. 26, quia tamen tam dicta quam dicenda vix intelligi possunt nisi intellecto objecto charitatis, a quo ejus natura et species petitur, ideo quæstionem de illo hic propono.

Suppono tanquam certum, Deum esse rem amatam a charitate, seu ejus objectum materiale, principale et primarium, et hac ratione objectum ejus formale *quod* ; per charitatem enim nihil aliud intelligimus quam dilectionem Dei, juxta illud : *Diliges Dominum Deum tuum ; hoc est primum et maximum mandatum*, Matth. 22. Pariter certum est quod proximus sit objectum charitatis materiale secundarium, quia charitas est, ut diximus, amicitia hominis cum Deo ; lex autem amicitiæ postulat ut non tantum diligamus amicum, sed etiam omnes qui ad illum specialiter pertinent : unde illud ibid. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Difficultas est in duobus : 1° quodnam sit objectum formale *quo* seu ratio formalis motiva charitatis ? 2° utrum sit eadem spe-

cie charitas qua diligitur Deus et proximus? Pro quarum difficultatum resolutione, sit

§ 1. — *Quodnam sit objectum formale charitatis?*

Hic q. 25. a. 5. o. et ad 2. et q. 25. a. 1. o. — *Dico* 1° Objectum formale *quo* seu ratio formalis motiva charitatis est bonitas increata ut est in se et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis.

Prob. Charitas 1° est amor, amor autem non est de aliquo nisi sub ratione boni; 2° est amor Dei : ergo est de Deo sub ratione boni divini; 3° est amor non concupiscentiæ quæ generat spem, sed benevolentiæ : ergo sub ratione boni divini, non ut nobis commodi, sed ut est in se et propter se amabilis.

Dixi, *lumine supernaturali cognoscibilis*, quia diligere Deum propter ejus bonitatem naturali lumine cognoscibilem, esset amor naturalis, non supernaturalis qualis est charitas.

Dices. Amare Deum propter beneficia ab eo accepta, est actus charitatis : atqui ibi ratio amandi non est bonitas increata, sed creata, scilicet beneficium : ergo.

R. D. maj. Amare Deum propter beneficia, est actus charitatis, τὸ *propter* dicente motivum amoris eliciti, *N.* τὸ *propter* dicente medium per quod devenimus ad cognitionem divinæ bonitatis, *C.* Ex hoc enim quod Deus nobis conferat beneficia et nos amet, cognoscimus quod sit infinite bonus et amabilis, et propter hanc infinitam bonitatem ipsum amamus : unde iste amor elicitur a charitate et imperatur a gratitudine propter acceptum beneficium : et ideo *neganda est minor et consequentia.*

2. 2. q. 106. a. 5. — Insuper gratitudo, si sit perfecta, non tam est propter beneficium quam propter amorem benefactoris : unde, cum Deus perfecte amatur ex gratitudine, amatur propter ejus amorem, adeoque propter divinam bonitatem, quia amor Dei Deus est, summa bonitas et perfectio.

Dico 2° Objectum formale quo charitatis non est sola bonitas essentiæ divinæ ut distinctæ virtualiter ab attributis, sed est bonitas divina ut involvit essentiam, attributa et personas, seu bonitas divina transcendens omnem Dei perfectionem.

Prob. 1° Objectum formale charitatis, juxta D. Th. hic q. 23, a. 2, ut supra vidimus, est objectum beatitudinis, id est, bonum divinum ut cognoscibile vision beata : atqui objectum beatitudinis seu bonum divinum ut cognoscibile visione beata, est bonum divinum involvens attributa et personas; est enim Deus ut est in se, ut probavimus in tractatu de Deo, dissert. 4, a. 10. Ergo.

2° Omnia quæ sunt in Deo, sapientia, justitia, fœcunditas, etc. sunt non secus ac natura bona per se divina, increata, infinita, propter se amabilia amabilitate ultimi finis : ergo objectum charitatis. *Prob. ant.* Non sunt amabilia amabilitate medii finis intermedii, cum id essentialiter involvat imperfectionem; est enim imperfectio et defectus quod aliquid ametur propter aliud, et non possit se solo terminare et satiare appetitum. Ergo.

Ast, inquies, nulla est imperfectio quod attributa divina virtualiter dimanent a natura : ergo nec quod habeant rationem finis intermedii virtualiter tantum ordinati ad ultimum finem.

R. N. conseq. Disparitas est, quod in tantum dicatur attributum virtualiter dimanare a natura, in quantum natura est ratio illud probandi secundum modum nostrum concipiendi, quod nullam involvit imperfectionem : at medium aut intermedium virtuale tale est, ut non habeat amibilitatem propter se, nec sit tale bonum quod ex se satiet appetitum; quod necessario involvit imperfectionem et defectum.

Obj. 1° Bonitas divinas pecificans charitatem, debet esse una tam formaliter quam virtualiter, cum ex ea probetur unitas charitatis : atqui bonitas divina omnibus attributis imbibita, est virtualiter multiplex sicut ipsa attributa virtualiter distinguuntur. Ergo.

R. D. min. Bonitas divina omnibus attributis imbibita, est virtualiter multiplex in esse rei, *C.* in esse objecti, *N.* Est enim una ratio boni amabilis propter se, in qua conveniunt omnia attributa.

Obj. 2° Natura divina ut virtualiter distincta ab attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, tum quia natura divina in sua linea est bonum infinitum, tum quia, si Deus per impossibile careret attributis, esset sufficiens objectum charitatis : ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa.

R. D. ant. Natura divina ut virtualiter distincta a b attributis, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, ratione naturæ qua talis, *N.* ratione amabilitatis omnibus attributis communis, *C.* Quapropter non sola movet, sed pariter movent attributa quæ eadem gaudent amabilitate : unde *D. conseq.* Ergo non requiritur bonitas transcendens omnia attributa ad movendum voluntatem, id est, non est absolute necessaria, *transeat;* id est de facto non movet, *N.* Et ut vanitas *argumenti clarius pateat,* sic ipsum *retorqueo :* Omnipotentia, ut virtualiter distincta a natura, est potens movere voluntatem ad actum charitatis, quia est in sua linea bonum infinitum et amabile, etiamsi per impossibile a natura separaretur : ergo non requiritur bonitas naturæ ad movendum. *Vides infirmitatem argumenti.* Perinde est ac si argueres : Lux solis potest movere potentiam visivam : ergo non potest movere lux facis ; unus equus potest trahere navim : ergo non potest alter equus.

Obj. 3° Objectum charitatis est id quod constituit Deum in ratione ultimi finis : atqui bonitas naturæ ut distinctæ ab attributis et personis, eonstituit Deum in ratione ultimi finis, cum omnia ratione illius ad Deum ordinentur et ipsa naturæ bonitas ad nihil aliud ordinetur. Item, illud est objectum formale charitatis in ratione boni, quod est objectum formale beatitudinis in ratione veri : atqui sola veritas naturæ divinæ est objectum formale beatitudinis, attributa autem et relationes pertinent ad objectum secundarium beatitudinis. Ergo.

R. ad primum, N. min. et ejus probationem. Repugnat enim bonitatem increatam et infinitam ordinari ad aliud, quia hoc involvit imperfectionem impræscindibilem, *ut dictum est.*

Ad secundum, N. pariter min. Objectum enim beatitudinis est Deus sicuti est unus, trinus, bonus, omnipotens, sapiens, etc., alioquin visio gloriæ non foret intuitiva, quidditativa et beatificativa, ut ex professo probavimus in tract. de Deo, dissert. 4, a. 10. In his nobis præluxit Contensonus cum Cajetano contra Gonetum.

§ II — *Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus?*

Hic q. 25. a. 1. o. — *Dico.* Eadem specie charitatis diligitur Deus et proximus, Deus propter seipsum, proximus propter Deum.

Ibid. — *Prob.* Idem est specie actus quo diligitur Deus propter se et proximus propter Deum : ergo idem specie habitus charitatis. *Patet conseq.* quia habitus specificantur ab actibus. *Prob. ant.* Idem est specie actus qui fertur in rationem objecti et qui fertur in objectum sub tali ratione, sicut eadem est specie visio qua videtur lumen et qua videtur color ; species enim actus sumitur ex objecto secundum rationem formalem ipsius : atqui ratio formalis diligendi proximum Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit, ut illi tanquam fini ultimo hæreat indeque Deus ametur, laudetur et glorificetur propter infinitam ejus bonitatem et perfectionem ; sicque *patet* quod ratio formalis diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se et propter se amabilis. Ergo.

Hinc colliges quod amare proximum ex alio motivo, puta, propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates, sive naturales, sive supernaturales, quatenus sunt ipsius perfectiones, non sit amor charitatis, quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinæ, sed est amor naturalis. Nec refert quod forte sint qualitates supernaturales, supernaturalitas enim ibi se habet materialiter, si ratio amandi non sit supernaturalis : sic v. g. peccator impœnitens qui per lumen fidei cognoscit paradisum, illum amat amore naturali.

Dixi, *quatenus sunt ejus perfectiones,* quia, si considerentur ut participationes divinæ perfectionis, videntur etiam sic amari amore charitatis ; quia, licet in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipsæ qnam ipsa Dei perfectio in illis amatur, sicut in imagine amatur prototypus qui est tota ratio amandi imaginem.

Obj. 1° Virtus latriæ qua exhibetur honor Deo, specie differt a virtute duliæ qua honor defertur sanctis ; atqui tamen sancti non honorantur nisi propter Deum ; ergo, licet proximus ametur propter Deum, alia est specie charitas qua Deum, alia qua proximum diligimus.

Ibid. ad 2. — *R. D. min.* Sancti non honorantur nisi propter Deum, τὸ *propter* dicente finem extrinsecum, *C.* τὸ *propter* dicente rationem motivam intrinsecam et for-

malem honoris, *N.* Ratio enim formalis honorandi sanctum est propria ejus excellentia, licet iste honor ex imperio charitatis referatur ad Deum tanquam ad finem extrinsecum, sicut actus aliarum virtutum, ut temperantiæ, justitiæ, eleemosynæ, etc. At ratio formalis diligendi proximum est ipsa Dei bonitas infinita in se et propter se amabilis, ut explicatum est. Rationem hujus disparitatis altius repetit Auctor ex ipsa natura amoris et honoris; quia nempe amor respicit bonum in communi, id est, bonum abstrahens a proprio et alieno, ab intrinseco et extrinseco: sicut enim amamus sanitatem propter propriam et intrinsecam ejus bonitatem, sic etiam amamus medicinam amaram propter extrinsecam sanitatis bonitatem; sed honor respicit bonum proprium et intrinsecum honorati, defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie propter diversas bonitates diversorum, si in eis attendatur una bonitas communis propter quam amentur; sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum: unde, cum in amore Dei et proximi attendatur una bonitas, una ratio diligendi, scilicet increata Dei bonitas, est utrinque idem specie amor; sed cum in honore quem deferimus Deo et sanctis, sit diversa specie virtus et excellentia, sunt diversi species honores.

Inst. 1° Sicut, dum amatur proximus, Deus amatur in proximo, sic, dum honorantur sancti, Deus honoratur in sanctis: ergo nulla disparitas.

R. N. ant. Deus enim in amore proximi amatur ut ratio formalis diligendi proximum: at, dum honoratur sanctus, non excellentia divina, sed propria sancti excellentia est ratio ipsum honorandi, et in tantum Deus dicitur in illo honorari, in quantum est causa et finis ejus excellentiæ.

Inst. 2° Quando minister aut prælatus malus honoratur, non honoratur propter propriam excellentiam, sed propter Deum cujus est minister: atqui tamen iste honor est a divino distinctus. ergo similiter in amore Dei et proximi.

R. N. maj. Minister enim seu prælatus malus habet auctoritatem a Deo sive a republica sibi concessam, et hæc auctoritas est quædam in eo excellentia moralis propter quam honoratur.

Obj. 2° Sicut diligimus proximum propter Deum, sic cognoscimus conclusiones propter principia: atqui cognitio principiorum et cognitio conclusionum sunt ex diverso habitu, scilicet intelligentiæ et scientiæ: ergo similiter.

R. N. maj. Principia enim nude et secundum se spectata non sunt ratio formalis cognoscendi conclusionem, sed ut fœta conclusione et illius illativa: unde, qui cognoscit principia secundum se, non ideo cognoscit conclusionem, sed ultra requiritur adhoc studium et labor; et ideo alia est specie cognitio principiorum, alia cognitio conclusionum: verum Deus in se spectatus est ratio formalis diligendi proximum. Unde, qui amat Deum, amat proximum; vult enim Deo omne bonum, consequenter quod ab omnibus ametur, colatur, laudetur et glorificetur; quod est simul amare proximum et velle illi summum bonum.

Obj. 3° Amor Dei est intentio, amor proximi est electio: atqui intentio et electio specie distinguuntur. Ergo.

R. D. min. Intentio et electio in ratione intentionis et electionis præcise specie distinguuntur, *C.* in ratione amoris, *N.* Sub eadem enim ratione formali feruntur in Deum et proximum: unde prior diversitas speciei se habet materialiter ad rationem amoris.

Obj. 4° Quod diligimus ex charitate, illud diligimus super omnia: atqui non diligimus proximum super omnia. Ergo.

R. D. maj. Quod diligimus ex charitate ratione sui ipsius, illud diligimus super omnia, *C.* quod diligimus ex charitate ratione alterius, diligimus super omnia, *N.* Implicat enim quod diligam aliquid ratione alterius et propter alterum, et illud diligam super omnia.

Obj. 5° Sunt distincta præcepta amoris Dei et proximi: ergo sunt distinctæ virtutes.

R. N. conseq. Quia præcepta dantur de actibus virtutum, non de habitibus: et cum amor Dei et proximi ferantur in objectum sub eadem ratione formali, sicque non specie, sed solo numero distinguantur, pertinent ad eumdem habitum. Nec repugnat quod de actibus materialiter tantum diversis dentur distincta præcepta, præsertim si sint subordinata, ut sunt præcepta amoris Dei et proximi.

Quinam comprehendantur sub nomine proximi, dicam infra.

Corollarium.

Hic q. 23. a. 5. o. — *Hinc colliges* charitatem esse unam virtutem specie atoma; quia, si ex aliquo capite divideretur in plures species, maxime ex eo quod versetur circa Deum et proximum : atqui ex eo capite non diversificatur, *ut probatum est.* Ergo.

Ibid. — Insuper charitas est amicitia hominis ad Deum; diversæ autem amicitiarum species accipiuntur, vel secundum diversitatem finis, et sic sunt tres species amicitiæ, scilicet utilis, delectabilis et honesti; vel secundum diversitatem communicationum in quibus amicitiæ fundantur, sicut alia species amicitiæ consanguineorum, alia concivium aut peregrinantium, quarum una fundatur super communicatione naturali, alia super communicatione civili vel peregrinationis : atqui neutro modo charitas potest dividi in plures species, nam charitatis unus est finis, nempe divina bonitas, est etiam una communicatio beatitudinis æternæ super quam hæc charitatis amicitia fundatur. Ergo.

Dices 1° Actus charitatis sunt specie diversi : ergo diversi specie charitatis habitus. *Patet conseq.* Habitus specificantur ab actibus. *Prob. ant.* Dilectio Dei et odium peccati; item gaudium et desiderium de Deo sunt actus charitatis : atqui sunt specie diversi. Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. min. Hi actus sunt specie diversi, materialiter et comparative inter se, *C.* formaliter et ut a charitate procedunt, *N.* Cum enim procedant sub eodem formali motivo, ex illa parte sunt ejusdem speciei. Paritas est in aliis virtutibus : v. g. adorare et vovere sunt actus religionis, et respective inter se specie distincti; quatenus tamen ab habitu religionis procedunt sub eodem motivo, sunt ejusdem speciei et ab eadem specie virtute eliciuntur.

Inferes. Ergo plura accidentia solo numero distincta possunt esse in eodem subjecto, quod est contra doctrinam D. Thomæ et Thomistarum.

R. doctrinam D. Thomæ et Thomistarum intelligendam esse de accidentibus ita solo numero distinctif, ut neque specie incompleta, neque ex parte materiæ vel diversæ modificationis distinguantur, sicut distinguuntur actus de quibus *instantia*

Dices 2° Charitas viæ et charitas patriæ specie differunt. Ergo *Prob. ant.* 1° Quia charitas viæ regulatur per fidem seu cognitionem obscuram; charitas patriæ per lumen gloriæ, seu claram visionem : atqui diversitas regulæ arguit in regulatis diversitatem specificam. Ergo. 2° Amor viæ est liber, amor patriæ est necessarius; libertas autem et necessitas inducunt in actibus species diversas. Ergo.

R. N. ant. Ad primam probat. D. min. Diversitas formalis regulæ arguit in regulatis diversitatem specificam, *C.* diversitas materialis regulæ, *N.* Licet autem fides et lumen gloriæ inter se specie differant, non tamen specie differunt in ratione regulæ seu in regulando actum amoris; quia amor abstrahit ab objecto viso et non viso, habito et non habito, et applicant voluntati objectum sub eodem formali motivo, scilicet bonitatis increatæ. Insuper potest *negari major.* Non enim fides aut lumen gloriæ regulant charitatem, quippe quæ non eget regulatione cum non consistat in medio, sed simpliciter proponunt objectum charitati; propositio autem objecti non est ratio formalis objecti voliti, sed conditio tantum.

Ad secundam probat. R. libertatem et necessitatem non constituere diversas species essentiales in actibus voluntatis, sed accidentales seu modales, quatenus sunt illorum modi intrinseci. Et *esto* amorem viæ et amorem patriæ ex parte libertatis et necessitatis essentialiter distingui inter se, attamen, quatenus procedunt ab habitu charitatis sub eadem ratione formali, scilicet bonitatis divinæ, non differunt specie, et sic possunt ab eodem specie habitu procedere, *ut prius dictum est.*

ARTICULUS IV.

Quomodo charitas se habeat ad alias virtutes?

Hic q. 23. a. 6. o. — *Dico* 1° Charitas est excellentior aliis virtutibus, non solum in esse moris, sed etiam probabilius in esse physico.

Prima pars est contra Lutheranos, qui, cum dicant nos justificari per fidem, volunt eam aliis virtutibus in esse moris præcellere.

Ibid. in a. 5. o. — *Prob.* 1° ex S. Scriptura : 1 Cor. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem ho-*

rum est charitas; Coloss. 3 : *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis;* et alibi plura similia, quæ saltem intelligi debent de charitate in esse moris. Ergo.

Ibid. o. — *Prob.* 2° Cum bonum in actibus humanis seu moralibus attendatur secundum quod regulatur regula debita, perfectio virtutis quæ est principium bonorum actuum consistit in attingendo humanorum actuum regulam, quæ est duplex, scilicet recta ratio humana et Deus, Deus tamen prima regula a qua etiam humana ratio regulanda est : ergo illa virtus est perfectior quæ perfectius attingit regulam humanorum actuum. *Subsumo.* Atqui virtutes theologicæ, quarum objectum est Deus, attingunt regulam primam, virtutes morales attingunt tantum rationem humanam. Inter autem virtutes theologicas, charitas perfectius attingit regulam primam seu Deum, quam fides et spes : ergo charitas est excellentior in genere moris non solum virtutibus moralibus, sed etiam fide et spe. *Prob. secunda pars min. prima enim patet.* Semper id quod est per se est majus eo quod est per aliud : atqui fides et spes attingunt Deum secundum quod ex ipso nobis provenit vel cognitio veri vel adeptio boni, sed charitas attingit Deum ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat : ergo charitas perfectius attingit primam regulam quam fides et spes.

Ex eo autem quod charitas finem supremo modo attingat, habet quod moveat et imperet aliis virtutibus, quod sit radix meriti et inseparabiliter conjuncta justificationi, in quibus consistit ejus excellentia moralis.

Confirmatur. 1° Fides et spes compatiuntur peccatum, non charitas. 2° Spes et fides involvunt imperfectionem, spes proprium commodum, fides obscuritatem, nihil horum charitas ex se.

Ib. ad 1. — *Prob. secunda pars* in qua agitur tantum de fide et quæ controvertitur etiam inter Thomistas. Quamvis cognitio eorum quæ sunt infra nos sit physice nobilior quam dilectio, attamen dilectio eorum quæ sunt supra nos est nobilior quam cognitio : atqui charitas est dilectio eorum quæ sunt supra nos, scilicet Dei : ergo. *Prob. maj.* ex discrimine quod est inter operationem intellectus et voluntatis. Operatio intellectus completur secundum quod intellectum est in intelligente, et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur secundum mensuram intellectus; operatio autem voluntatis et cujuslibet virtutis appetitivæ perficitur in inclinatione appetentis ad rem, sicut ad terminum; ideoque dignitas operationis appetitivæ attenditur secundum rem quæ est objectum operationis : atqui ea quæ sunt infra animam nobiliori modo sunt in anima quam in seipsis, quia unumquodque est in aliquo per modum ejus in quo est; quæ vero sunt supra animam nobiliori modo sunt in seipsis quam sunt in anima : ergo eorum quæ sunt infra nos nobilior est cognitio quam dilectio; propter quod philosophus, 7 Ethic. prætulit virtutes intellectuales moralibus; sed eorum quæ sunt supra nos et præcipue Dei cognitioni præfertur dilectio.

Dices contra primam partem. 1° *Fides per dilectionem operatur*, Galat. 5 : ergo fides est nobilior in genere moris, sicut Dominus est nobilior servo vel instrumento per quod operatur. 2° Justificatio fidei tribuitur, Rom. 1 et 5. Ergo.

Ib. ad 2. — *R. ad primum* 1° quod fides non operatur per dilectionem sicut per instrumentum, ut dominus per servum, sed sicut per formam propriam. 2° Multi volunt τὸ *operatur* hic sumi passive et eo significari quod fides in actu constituatur et excitetur ad agendum per dilectionem : neque hæc interpretatio contraria est priori, quia fides sic excitata agit vere et operatur per charitatem veluti per formam.

Ad secundum. Justificatio tribuitur fidei, non quod sine charitate justificet, sed quia est initium salutis et radix justificationis, secundum Trid. sess. 6, cap. 7.

Dices contra secundam partem. Genus intellectivum est nobilius genere appetitivo, juxta D. Thomam et Thomistas : ergo habitus pertinens ad genus intellectivum, qualis est fides, est nobilior habitu pertinente ad genus appetitivum, ut est charitas.

R. D. ant. Genus intellectivum est nobilius appetitivo absolute, *C. ant.* omnibus modis, *N. ant.* et *conseq.* Sunt ergo quædam genera omnibus modis perfectiora, ita ut ab imperfectioribus nunquam superari possint, ut substantia spiritualis, v. g. respectu substantiæ corporeæ; sunt autem et

alia genera absolute quidem perfectiora, sed non omnibus modis, ita ut quandoque contingat quod, ratione differentiæ nobilioris contrahentis genus imperfectius, compensetur ejus imperfectio, et illius species superet speciem generis perfectioris : sic qualitas activa, v. g. calor, est genus perfectius quam passiva : attamen datur qualitas passiva, v. g. potentia cognoscitiva quatenus recipit species, quæ ratione differentiæ superat genus activum. Item corpus incorruptibile, ut cœlum, est generice seu ratione corporeitatis perfectius corruptibili, et tamen corruptibile animatum ratione differentiæ præstantius est incorruptibili. Sic ergo, quamvis genus intellectivum sit absolute perfectius volitivo, non tamen omnibus modis, sed potest volitivum ratione differentiæ seu tendentiæ perfectioris ad objectum contrahi ad speciem nobiliorem.

Ibid. a. 7. o. — *Dico* 2° Sine charitate potest esse vera virtus, sed imperfecta; quia sine charitate potest esse bona qualitas quæ sit constanter principium boni actus, consequenter vera virtus : sed, quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem, neque facit operari meritorie ad vitam æternam, non est perfecta virtus. Vide tract. de Virtutibus, dissert. 2, a. 4, § 3, ubi hanc materiam ex professo tractavimus.

Ibid. a. 8. o. — *Dico* 3° Charitas est forma aliarum virtutum, non intrinseca et essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei, sed extrinseca et accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali.

Charitatem distingui a gratia multis probavimus in tract. de Gratia, dissert. 4, a. 4: adeat lector.

DISSERTATIO II.

DE AUGMENTO, DIMINUTIONE ET AMISSIONE CHARITATIS.

D. Th. Q. 24.

Huic q. 24. Auctor præfixit titulum de subjecto charitatis, ratione cujus agit de causa efficiente, augmento, diminutione et amissione charitatis

Hic q. 24. a 1. o. — *Suppono* 1° voluntatem esse subjectum charitatis, tum quia idem est objectum voluntatis et charitatis, scilicet bonum per intellectum apprehensum; tum quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate; virtus autem est in ea potentia in qua est ejus actus.

Ibid. a. 2. o. — *Suppono* 2° habitum charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi, juxta illud Rom. 3 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, ratio est, quia charitas est quædam amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in communicatione beatitudinis; hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita : ergo charitas naturæ facultatem excedit. Adde quod ejus objectum sit bonum supernaturale, et quod sit proprietas consequens ad gratiæ infusionem.

Si dicas ex actibus charitatis infusæ generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Auctor, q. 17 de Virit. a. 1, ad 4 : *R.* hunc habitum non esse charitatem qua sumus Dei amici et filii adoptivi, sed habitum diversæ speciei ex actibus hujus charitatis infusæ ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute, hoc sensu scilicet quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem, nempe ex actibus supernaturalibus ortum. Unde, cum S. Th. 1, 2, q. 51, a. 4, ad 3, dicit ex actibus habitus infusi non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Ita interpretatur Sylvius.

His prælibatis de subjecto et causa efficiente charitatis, quærimus inprimis et specialius de ejus augmento. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum charitas possit augeri et quomodo?

Ibid. a. 4 et 7. o. — *Dico* 1° Charitas viæ potest augeri sine termino

Est definita in concilio Viennensi, Clementina *Ad nostram* de hæreticis, contra Begardos et Beguinas qui dicebant hominem in hac vita posse quemdam charitatis terminum attingere ultra quem progredi non posset. Et in concilio Trid. sess. 6, cap. 10 : *Hoc*, inquit, *justitiæ incrementum petit Ecclesia cum orat : Da nobis fidei, spei et charitatis augmentum.*

Prob. ulterius, 1° ex S. Scriptura. Ephes. 4 : *In charitate crescamus*, Philip. 1. *Oro ut charitas vestra magis abundet*, Apocal. ultimo : *Qui justus est justificetur*

adhuc, Proverb. 4 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*, scilicet diem beatitudinis.

Suffragantur SS. Patres. S. Aug. tract. 5 in Epist. Joan. *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* S. Hieron. lib. 2 contra Jovin. cap. 18; S. Athanas. in Vita S. Antonii; S. Leo, Serm. 2 de Quadrag. S. Gregor. Hom. 15 in Ezech., etc

Ibid. a. 4. o. — *Prob.* 2° *ratione.* Ex hoc dicimur viatores quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus : atqui de ratione viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum ut magis ac magis ad illum appropinquent, alioquin cessaret viæ processus : ergo ita possumus tendere in Deum, ut magis ac magis ad illum appropinquemus. *Subsumo.* Atqui istam appropinquationem facit charitas; non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis quibus illi unimur : ergo charitas in hac vita potest semper augeri.

Ibid. a. 7. o. — *Confirmatur.* Ex nulla parte præfigitur terminus augmento charitatis : non ex parte ipsius charitatis, quia est secundum rationem suæ speciei participatio quædam infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sanctus; non ex parte causæ efficientis, quæ est Deus infinitæ virtutis; non ex parte subjecti, quia crescente charitate subjectum fit magis habile ad illam perfectionem recipiendam; cum enim ista habilitas sit obedientialis, crescente charitate crescit. Ergo.

Si dicas inde sequi hominem viatorem tantam charitatis perfectionem posse acquirere, ut æquet aut superet charitatem Christi et B. Virginis : *R. N. sequelam.* Quia, licet charitas secundum se possit semper augeri, non augetur tamen, nisi secundum gradum a Deo prædestinatum : nemo autem est prædestinatus ad eum charitatis gradum qui Christo et B. Virgini fuit collatus.

Ibid. a. 5. o. — *Dico* 2° Charitas non augetur extensive, sed intensive tantum; quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa quæ sunt ex charitate diligenda : cum enim sit amor efficax ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum cætera propter Deum. Quod si actu non extendatur ad consilia et ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habitualis, sed voluntatis, quia habitibus utimur cum volumus.

Ibid. — *Dico* 3° Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri; sed per majorem radicationem in subjecto, sive per majorem actuationem subjecti, sive per majorem inhæsionem subjecto; accidentis enim esse est inhærere. Hæc omnia sunt unum et idem, et modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatum. Item, si vel istud *majus* dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum; est enim ista quæstio, de intensione qualitatum, philosophica, et ideo eam ad physicos remittimus.

Petes 1° utrum charitas viæ sic possit augeri, ut adæquet aut etiam superet charitatem patriæ?

Suppono ante responsionem, charitatem viæ et patriæ esse, ut supra diximus, ejusdem speciei essentialis, quia habent idem objectum formale; differt autem accidentaliter secundum statum et modum operandi.

R. 1° Charitas viæ in eodem homine non potest æquare aut superare ejus charitatem in patria, quia Deus præmiat ultra condignum; et cum dilectio Dei pertineat ad objectum saltem secundarium præmii seu beatitudinis, homo dum fit beatus accipit aliquod charitatis incrementum.

R. 2° Videtur charitas habitualis alicujus viatoris posse esse perfectior et intensior charitate alicujus beati; verisimile enim est quod charitas B. Virginis aut eximii alicujus sancti, dum esset in via, fuerit major quam charitas habitualis in patria unius infantis statim post baptismum defuncti.

R. 3° Attamen quoad statum et modum operandi charitas patriæ est perfectior qualibet charitate viæ, tum quia charitas patriæ est in termino et in statu suo naturali, charitas autem viæ est adhuc in motu et extra statum; tum quia beatus in Deum clare visum semper amore fertur secundum totum conatum voluntatis et totam intensionem habitus charitatis, non sic in via. Atque hoc sensu Christus, Matth. 11, de Joanne Baptista dixit : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo* : quamvis tamen multi intelligant hanc sententiam de ipso Christo et Ecclesia, ita ut sensus sit, quod Christus, qui secundum ætatem et multorum opinionem erat in Ecclesia mi-

nor Joanne Baptista, esset tamen major divinitate, majestate et potestate : ita interpretantur SS. Hilarius et Chrysost. in hunc locum, S. Aug. tract. 13 in Joan., etc.

Petes 2° utrum charitas in hac vita possit esse perfecta ?

Ibid. a. 8. o. — *R.* Perfectio charitatis potest intelligi vel ex parte diligibilis, vel ex parte diligentis. Ex parte diligibilis perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est; Deus autem est infinite diligibilis, quia est infinite bonus : unde ad hunc modum nulla creaturæ charitas potest esse perfecta ; quia, cum quælibet virtus creata sit finita, nulla creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis tunc est perfecta charitas quando diligit tantum quantum potest, quod contingit tripliciter ; uno modo sic quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hæc est perfectio charitatis patriæ quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum ; alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit : et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem ; tertio modo sic quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium : et hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

ARTICULUS II.

Utrum quolibet actu charitatis etiam remisso augeatur charitas ?

Suppono 1° actus nostros non causare efficienter physice argumentum charitatis, quia eadem est ratio augmenti et productionis habitus ; augmentum enim est veluti continuata rei productio : atqui actus nostri præcedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali eliciti, non producunt efficienter charitatem, *ut diximus art. præcedenti*. Ergo.

Suppono 2° actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositive, non solum moraliter seu meritorie, sed etiam physice ; quia, *ut jam dicebam*, eadem est ratio augmenti et productionis habitus : actus autem nostri sunt dispositiones physicæ ad productionem gratiæ et charitatis. Utramque suppositionem probavimus in tract. de Gratia, dissert. 6, art. 3. Vide.

Suppono 3° hominem justum posse sibi mereri augmentum charitatis, *ut probavimus* ex professo in eodem tract. dissert. 8, art. 5, § 4.

Et hæc omnia docet Auctor in 1, d. 17, q. 2, a. 3, o. ubi sic ait : « Non eodem modo » se habet actus informatus charitate ad » augmentum charitatis, et actus præce- » dens charitatem ad habendam charita- » tem : actus enim qui est ex charitate or- » dinatur ad augmentum charitatis, est per » modum dispositionis et non per modum » meriti ; sed actus præcedens charitatem » ordinatur ad consequendam charitatem » solum per modum dispositionis et non » per modum meriti, quia ante charitatem » nullum potest esse meritum. Neuter au- » tem actus ordinatur ad habendam chari- » tatem, vel augendam per modum alicujus » efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos » habitus acquisitos. »

Q. 24. a. 6. ad 1. et 1. 2 q. 114. a. 8. ad 3 — *Dico*. Quilibet actus charitatis etiam remissus, sive elicitus, sive imperatus, meretur de condigno augmentum charitatis. Est contra Durandum.

Prob. 1° ex concilio Trident. sess. 6, c. 32, ubi sic definit : « Si quis dixerit justifi- » catum bonis operibus quæ ab eo per Dei » gratiam et Jesu Christi meritum fiunt, » non vere mereri augmentum gratiæ, vi- » tam æternam et ipsius vitæ æternæ, si ta- » men in gratia decesserit, consecutionem, » atque etiam gloriæ augmentum : anathe- » ma sit. » Atqui actus charitatis etiam remissus est bonum opus factum a justo per Dei gratiam et Christi meritum : ergo est meritorius augmenti gratiæ et gloriæ, consequenter charitatis, quæ est proprietas consequens ad gratiam et cui correspondet et commensuratur gloria.

Idem concilium, eadem sess. cap. 10, docet justum bonis operibus quibus observat mandata crescere in gratia ; sed ad observationem mandatorum non requiritur actus charitatis intensior habitu. Ergo.

Prob. 2° Actus charitatis etiam remissus habet omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis. Ergo. *Prob. ant.* Actus charitatis remissus

est supernaturalis, ab homine grato et amico in obsequium Dei factus, et a Deo ordinatus ad præmium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquæ dato in suo nomine, promittat mercedem : hæ autem sunt conditiones meriti de condigno, ut expendimus in tract. de Gratia, dissert. 8, art. 1. Ergo.

Prob. 3° ab absurdo. Ex opposita sententia sequeretur quod actus remissior quandoque mereretur augmentum charitatis et non mereretur actus intensior. Pone enim quod homo habens charitatem ut decem eliciat actum charitatis ut tria, et alter habens charitatem ut decem eliciat actum charitatis ut octo : primus merebitur augmentum charitatis, non alter; hoc autem videtur absurdum, cum actus charitatis ut octo sit dignior præmio quam actus charitatis ad tria. Ergo.

Obj. 1° S. Th. in 1, d. 17, q. 2, a. 3, ad 2, dicit : « Quilibet actus charitatis, in quantum est informatus tali habitu, ordinatur » ad præmium substantiale, non tamen ad » augmentum præmii, sed nec ad augmentum charitatis. » Nihil videtur expressius pro sententia Durandi.

Quorumdam responsio est, S. Thomam hanc sententiam retractasse in locis citatis pro conclusione, in quibus docet aperte contrarium. Sed non videtur necesse recurrere ad retractationem.

Respondent ergo alii, S. Thomam loqui de primo actu charitatis qui est ultima dispositio ad primam infusionem gratiæ, qui, licet sit intensissimus, non ordinatur ad augmentum præmii nec charitatis, sed solum ad præmium substantiale, cum sit primus qui hominem præmio dignum reddat, nec supponat præmium quod augeat. Hæc solutio facilis est, sed utrum sit ad mentem S. Thomæ non ita constat : unde, illa in sua probabilitate relicta.

Verius mentem S. Thomæ attingere videntur qui *respondent* ipsum nihil aliud velle quam quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum statim conferendum, ut art. seq. explicabimus; tum quia, ibid. in corp. dicit in terminis, quod *actus qui est ex charitate ordinatur ad augmentum charitatis et per modum dispositionis et per modum meriti :* per modum dispositionis proximæ et ut statim conferatur, si sit intensus; per modum dispositionis remotæ si sit remissus, ut explicat ibid. tum quia, in resp. ad 2 quæ objicitur, non dixit simpliciter quod actus remissus charitatis non ordinetur ad augmentum charitatis, sed quod *non ordinatur ad augmentum charitatis, secundum quod charitas remanet primum principium merendi, sed solum secundum quod augmentum charitatis pertinet ad perfectionem præmii.* Ergo aliquo sensu actus remissus charitatis, secundum S. Thomam, meretur augmentum charitatis, et aliquo sensu non meretur : non meretur augmentum charitatis *secundum quod charitas est primum principium merendi*, id est, non statim confertur illud augmentum, quia charitas aucta physice est principium merendi etiam juxta gradum augmenti; meretur tamen augmentum charitatis *secundum quod pertinet ad perfectionem præmii;* præmium autem merito correspondet, et illud consequetur homo quando ad illud fuerit sufficienter dispositus. Denique hanc esse mentem S. Thomæ evidentissime constat ex his quæ docet in 2, d. 27, q. 1, a. 5, ubi se refert ad præsentem locum qui objicitur et quem expendimus. Illic ergo docet, quemlibet actum charitatis mereri augmentum charitatis, sed non esse semper sufficientem dispositionem ut de facto conferatur istud augmentum, sed solum tunc *cum quis utitur prædicta gratia, secundum proportionem suarum virium, ut in nullo gratiæ desit per negligentiam, ut in 1 lib. dist. 17 dictum est.* Ergo in 1 lib. dist. 17 quæ objicitur, nihil aliud vult quam quod actus charitatis remissus non mereatur augmentum charitatis statim conferendum.

Inst. 1° Juxta hanc solutionem, non est differentia inter præmium substantiale et augmentum charitatis, quia actus remissus non meretur etiam præmium substantiale statim conferendum : atqui secundum D. Th. est differentia inter præmium substantiale et augmentum charitatis. Ergo.

R. N. maj. Ad prob. D. Actus remissus non meretur præmium substantiale statim conferendum per accidens et ratione status, *C.* quia status viæ non est status præmii substantialis; per se et defectu dispositionis, *N.* Est enim sufficiens dispositio ad præmium substantiale; at non est sufficiens dispositio ad augmentum charitatis, nisi accedat actus fervention, ut dicemus art. seq.

Inst. 2° S. Th. 12, q. 52, a. 3, o, dicit :

» Quod si intensio actus proportionaliter » deficiat ab intensione habitus, talis actus » non disponit ad augmentum habitus, sed » magis ad diminutionem ipsius. » Ergo.

R. 1° S. Thomam illic agere de dispositione physica ad augmentum habitus, non morali seu meritoria de qua nos hic agimus. 2° Actus remissus disponit ad diminutionem habitus, non per se et quatenus est actus talis virtutis, quin potius sic eum firmat, et ad augmentum remote disponit, sicut plures guttæ disponunt ad cavationem lapidis quam ultima gutta complet, ut docet hic S. Doct. in corp. art. et ad 2; sed per accidens disponit ad diminutionem, quatenus qui remisse operatur facile dat locum contrariis actibus quibus habitus corrumpitur.

Obj. 2° Qui male utitur acceptis non meretur majora accipere, sed qui habens habitum intensum remisse operatur, male utitur habitu, cum actus non sit proportionatus intensioni habitus. Ergo.

R. N. min. Cum enim nullum sit præceptum utendi habitu secundum totam suam latitudinem, qui illo remisse utitur non male utitur, sed facit actum bonum, quantum sufficit ad observationem præceptorum, etsi non meliori quo posset modo bono illo utatur.

Obj. 3° Inter meritum de condigno et præmium debet esse æqualitas: atqui inter actum remissum charitatis et ejus incrementum non est æqualitas, *ut patet.* Ergo.

R. D. min. Non est æqualitas in esse physico, *C.* in esse morali, *N.* Quamvis enim incrementum excedat actus remissi, non tamen excedit ejus valorem sumptum ex gratia et charitate a quibus procedit; cum enim hunc valorem non excedat ipsa gloria æterna, *a fortiori* nec augmentum charitatis.

Obj. 4° Continuatio actus charitatis, si non sit cum majori intensione, non meretur augmentum charitatis: ergo nec multiplicatio actuum remissorum. *Patet conseq.* Quia alias foret pejoris conditionis qui continuaret per horam, quam qui sæpe intra idem tempus interrumperet. *Prob. ant.* 1° Quia sequeretur quod qui continuaret actum charitatis per horam, mereretur augmentum infinitum, quia sunt infinitæ partes horæ 2° Ex duobus hominibus qui inciperent simul actum charitatis cum proposito efficaci continuandi per horam, si unus ante horam completam moriatur, non minus merebitur de præmio essentiali quam alter: ergo continuatio nihil addit.

Ante responsionem, *suppono* quod qui continuat actum charitatis per horam, cæteris paribus, plus mereatur quam qui intra eamdem horam pluries multiplicat actus charitatis; etenim actus continuatus meretur quantum omnes multiplicati, et aliquid plus propter durationem tempore interruptionis illorum.

R. N. ant. Ad primam probat. N. ant. Ad ejus probat. D. Sunt infinitæ partes proportionales et indeterminatæ horæ, *C.* partes aliquotæ et determinatæ, *N.* Meritum autem determinatum correspondet partibus aliquotis et determinatis, non proportionanalibus et indeterminatis, nisi prout continentur in aliquotis et determinatis. *Ad secundam probat. N. conseq.* Quia propositum efficax continuandi per horam pro facto reputatur, et ideo tam est meritoria præmii essentialis quam continuatio exercita quæ se habet ad intensionem efficacem, sicut actus exterior ad interiorem; actus autem exterior, ut dictum est in 1, 2, nihil addit interiori in ordine ad præmium essentiale: secus esset ideo si, sine hujusmodi proposito, unus continuaret per horam et alter morte præventus non continuaret.

Verum gravior difficultas est, quandonam conferatur istud gratiæ et charitatis augmentum quod actus remissi merentur. Pro cujus enodatione, sit

ARTICULUS III.

Quandonam confertur augmentum gratiæ et charitatis actibus remissi debitum ?

Quidam attendentes ad solam rationem meriti, volunt istud augmentum conferri statim ac elicitur actus meritorius, sive intensus sit sive remissus. Alii, attendentes non solum ad rationem meriti, sed etiam ad rationem dispositionis, dicunt illud conferri quando homo per actum ferventiorem ad illud erit dispositus; et hi iterum dividuntur: quidam dicunt conferri quando homo in hac vita prorumpit ex auxilio divino in actum ferventiorem habitu, quod iterum dupliciter intelligitur, 1° de augmento correspondente actibus remissis præter illud quod correspondet et debetur actui ferventiori; 2° de uno et eodem aug-

mento quod confertur duplici titulo, scilicet titulo actuum remissorum et titulo præsentis actus ferventioris : alii denique dicunt quod istud augmentum non conferatur nisi in altera vita, quibus subscribimus.

Sed pro hujus sententiæ intelligentia, notandum est gratiam et charitatem posse considerari dupliciter: 1° in esse physico, quatenus sunt qualitates ; 2° in esse morali, prout dicunt jus ad gloriam ut mercedem.

Si dicas jus ad gloriam fundari in gratia et charitate physice sumptis : *R.* id verum esse de jure physico et intrinseco ad gloriam ut hæreditatem, quale competit infantibus post baptismum decedentibus ; non vero de jure morali et extrinseco ad gloriam ut mercedem, illud enim fundatur in bonis operibus quæ Deus acceptat ad gloriam ut coronam et mercedem. Sicut si filius regis, regni hæres, insignibus et heroicis factis a patre propositis coronam meruisset, duplex jus ad regnum haberet : unum physicum et intrinsecum, in nativitate fundatum ad regnum ut hæreditatem ; alterum morale et extrinsecum, fundatum in egregiis factis ad regnum ut coronam et præmium.

Dico 1° Gratia et charitas statim moraliter augentur per actus remissos, seu, quod idem est, homo per actus charitatis remissos acquirit jus novum ad augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ. *Patet* ex art. præced. ubi probavimus hominem per actus remissos mereri de condigno augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ : meritum autem est jus ad præmium. Vide Auctorem, *conclusione sequenti*.

Q. 24. a. 6. ad 1. et 1. 2. q. 114, a. 8. ad 3. — *Dico* 2° Gratia et charitas non statim augentur in esse physico per remissos.

Hanc et priorem conclusionem docet in terminis S. Th. locis in margine citatis. Primo loco : « Quilibet, inquit, actus charitatis meritur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam qnilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. » Secundo loco : « Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem quæ est vita æterna. Sed, sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter positus ad gratiæ augmentum.

Prob. Augmentum gratiæ et charitatis non confertur nisi juxta dispositionem subjecti : atqui actus remissi, puta ad duo in habente charitatem ut sex, non sunt dispositiones et sufficientes ad augendam physice charitatem ultra sex, cum sint tali augmento improportionati et imperfectiores ipso habitu. Ergo. *Prob. maj.* 1° Gratia et charitas non infunduntur adultis nisi juxta dispositiones subjecti, *ut probavimus* de Gratia, dissert. 6, art. 3 : atqui eadem est ratio augmenti et primæ productionis, ut jam diximus, cum augmentum sit veluti continuata rei productio : ergo. 2° De spiritualibus, proportione servata, loquendum est sicut de naturalibus, nisi contrarium ex revelatione constet; id enim exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat sicut de naturalibus quæ nobis sunt nota ; alias cuilibet fas erit fingere quodlibet circa supernaturalia : atqui effectus naturales, sive in augmento, sive in prima productione, non produccuntur nisi juxta dispositiones subjecti. Ergo.

Hac ratione Auctor hic *probat* augmentum charitatis fieri in nobis sicut augmentum animalis aut plantæ: « Per aliquod tempus, inquit, natura operatur, disponens ad augmentum et nihil augens actu : et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur ; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem; et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis quo conatur ad charitatis profectum, et tunc charitas augetur in actu.

Dico 3° Quando justus prorumpit in actum ferventiorem, augmentum charitatis quod acquirit correspondet isti soli actui ferventiori, non actibus priaribus remissis, ita ut non sit unum præmium duplici titulo collatum. Est contra Bannem et Contensonum.

Prob. 1° Juxta Trid. sess. 6, cap. 10, justus per bona opera quibus observat mandata, crescit in gratia et charitate, adeoque per actus remissos qui sufficiunt ad obser-

vationem mandatorum : atqui, si sit idem augmentum correspondens actui intensiori et actibus remissis, per istos non crescit in gratia et charitate, cum propter illos non plus recipiat quam si non præcessissent. Ergo.

Prob. 2° Inter meritum de condigno et præmium debet servari æqualitas : atqui, si augmentum gratiæ et charitatis quod respondet actui intensiori, idem conferatur alio titulo actibus remissis, non servatur æqualitas ; hi enim actus remissi fraudantur suo præmio : sicut si laborans per sex dies in vinea mereatur quotidie viginti asses, et in fine hebdomadæ dentur tantum illi semel viginti asses pluribus titulis, fraudatur sua mercede, nec servatur æqualitas inter meritum et præmium. Ergo.

Prob. 3° ab absurdis. Ex opposita sententia *sequitur* 1° quod justus qui per plures annos actus remissos mille et amplius elicuisset, si non eliciat actum ferventiorem et sic moriatur, perpetuo carebit præmio suis actibus remissis debito. 2° *Sequitur* quod qui innumeros actus remissos ut octo per longam vitam elicuisset, et moriendo eliciat actum intensum ut decem, non obtineat majus præmium essentiale quam flagitiosissimus qui in fine vitæ elicit actum charitatis ut decem. 3° *Sequitur* quod qui habet charitatem tantum ut duo et elicit actum charitatis ut quatuor, melioris conditionis sit quam qui habet charitatem ut decem et elicit actum ut octo ; quia primo confertur præmium distinctum a præmio quod cuilibet alteri actui correspondet, non secundo : hæc autem esse absurda nemo non sentit. Ergo.

Dico 4° Augmentum debitum actibus remissis non confertur in hac vita, sed differtur usque ad ingressum gloriæ, seu ad primum instans glorificationis. Ita Joannes a S. Th. Serra, de Marinis, Gonet, etc.

Prob. prima pars. Justus nunquam est sufficienter dispositus in hac vita ad augmentum gratiæ et charitatis debitum actibus remissis, Ergo. *Prob. ant.* Quando justus elicit actum ferventiorem, per illum disponitur ad augmentum huic actui correspondens et simul illud meretur atque recipit : atqui istud augmentum adæquate actui ferventiori respondet et pro solo illo datur ac si nullus actus remissus præcessisset, *ut probatum est :* ergo nulla relinquitur dispositio ad augmentum actibus remissis debitum.

Prob. secunda pars. Justus in ingressu gloriæ, seu in primo instanti glorificationis, ex clara Dei visione erumpit in actum ferventissimum tantæ intentionis quantæ fuit meritum actuum remissorum : et cum ille actus non sit meritorius, quia non est amplius viatoris, sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum, correspondebit solis actibus remissis elicitis in via. Ergo.

Confirmatur. Actus remissi quibus homo meruit de condigno augmentum gratiæ et charitatis non possunt fraudari suo præmio : atqui illud recipere non possunt in hac vita defectu dispositionis, *ut probatum est* : ergo recipiunt in patria.

Atque ita colligimus ex S. Th. qui, q. 93 Suppl. a. 3, quærens quomodo mansiones in cœlo distinguantur per diversos gradus, dicit : « Distinguuntur mansiones secundum » charitatem patriæ, quæ quanto in aliquo » erit perfectior, tanto reddet eum capacio- » rem divinæ charitatis, secundum cujus » augmentum augebitur perfectio divinæ » visionis. » Ergo juxta D. Th. actus charitatis in patria disponit hominem ad divinam visionem, ita ut, quamvis procedat a divina visione in genere causæ efficientis, visio tamen ab illa procedat in genere causæ dispositivæ ; causæ enim sunt sibi invicem causæ in diverso genere. « Sic calor, inquit Auctor » 3 p. q. 7, a. 13, ad 2, qui est dispositio, » scilicet ultima, ad formam ignis, est effec- » tus profluens a forma ignis. » Et cum iste actus charitatis patriæ, disponens ad gradum gratiæ et gloriæ, non sit amplius meritorius, sed tantum dispositio physica, habemus actum physice disponentem ad augmentum actibus remissis debitum, quod in hac vita defectu dispositionis physicæ non sunt consecuti.

Sed petes unde scimus quod iste actus charitatis patriæ adæquet aut superet in intensione omnes actus remissos viæ ? id enim est divinare.

R. id nos scire quia ; cum actus remissi viæ mereantur augmentum gratiæ et gloriæ, consequenter merentur quæ sunt necessaria ad istud augmentum ; qui enim dat formam, dat necessaria ad formam. Cum autem ad augmentum gratiæ et gloriæ, si connaturali modo fiat, requiratur disposi-

tio, et actus charitatis in patria ad illud isponat, ut diximus ex Auctore, sequitur uod qui meruit augmentum gratiæ et gloriæ in tali gradu habeat actum charitatis intensum in eodem gradu qui sit ultima dispositio ad istud augmentum, consequenter tantum intensum quantum actus remissi meruerunt in via de augmento gratiæ et gloriæ.

Si inde inferas sublimem gloriam obtenturos illos qui sæpe in hac visa actut charitatis remissos elicuerunt : *annuo ;* neque in hoc ullum est inconveniens.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. *contra secundam conclusionem.* Juxta concilium Trid. sess. 6, cap. 10 et 16, et can. 24, communemque sensum fidelium, justi per bona opera quotidie crescunt in accepta justitia suamque salutem promovent : ergo per quodlibet opus bonum augetur in eis physice gratia et charitas.

R. N. conseq. Vere enim ille quotidie crescit in accepta justitia et salutem suam promovet, qui quotidie acquirit novum jus ad gratiam et gloriam, licet actu eam non recipiat quotidie : sic operarius laborans quotidie in vinea dicitur crescere in divitiis et promovere suas facultates, quia quotidie acquirit jus novum ad mercedem, licet physice eam non accipiat nisi in fine hebdomadæ.

Obj. 2° *contra eamdem.* Actus remissus est dispositio sufficiens tam ad infusionem gratiæ et charitatis quam ad ejus augmentum per sacramenta : sic attritio est dispositio sufficiens ad infusionem gratiæ et charitatis in sacramento pœnitentiæ : similiter actus charitatis ut duo est dispositio sufficiens ad augmentum gratiæ et charitatis in communicante : ergo etiam extra sacramenta.

R. N. conseq. Disparitas est, quod gratia sive ejus augmentum conferatur per sacramenta *ex opere operato ;* et ideo Deus supplet partem dispositionis in adultis, sicut supplet totam in infantibus qui baptizantur : extra sacramenta vero, tam gratia quam ejus augmentum habentur *ex opere operantis*, per actus contritionis et charitatis tanquam per dispositiones physicas quas ideo Deus non supplet.

Inst. Secundum Trid. sess. 6, c. 7, sacramenta causant gratiam *juxta propriam cujusque dispositionem :* ergo nulla disparitas.

R. D. ant. Sacramenta causant gratiam juxta cujusque dispositionem, arithmetice, *N.* proportionaliter, *C.* Non itaque gratia per sacramentum collata sic commensuratur dispositioni pœnitentis, quasi dispositio debeat esse tanta quanta est gratia, ita ut, si gratia sit ad quatuor, etiam dispositio sit ad quatuor ; commensuratur tamen proportionaliter, quia, quo major est dispositio in suscipiente sacramentum, eo majorem accipit gratiam : et hoc sensu intelligendum est Trid.

Obj. 3° *contra eamdem.* Actus remissus meretur de condigno augmentum statim conferendum, cum ejus valor adæquet augmentum statim conferendum æque ac postea conferendum ; non enim fit præstantius augmentum dilatum quam præsens : atqui id quod cadit sub merito de condigno confertur infallibiliter. Ergo.

R. posse negari majorem. Non enim meretur de condigno augmentum conferendum nisi connaturaliter ; non confertur autem connaturaliter nisi adsit sufficiens dispositio. Vel *D. maj.* Meretur augmentum statim conferendum per se, *transeat ;* per accidens, *N. Esto* igitur valor adæquet præmium statim conferendum, quia tamen non confertur absque sufficienti dispositione, per accidens defectu hujus dispositionis non meretur statim conferendum.

Inst. Qui habens charitatem ut duo elicit actum charitatis ut tria, statim accipit augmentum charitatis : ergo *a fortiori* qui habens charitatem ut octo elicit actum ad sex. *Patet conseq.* Quia majoris dignitatis et meriti est actus ad sex quam ad tria : et alioquin sequeretur quod habens charitatem ut octo foret pejoris conditionis quam qui habet charitatem ut duo. Ergo.

R. N. conseq. Ad primam probat. N. conseq. Quia collatio actualis augmenti gratiæ non attenditur solum penes dignitatem actus, sed etiam penes dispositionem physicam quæ in habente charitatem ut octo deest : unde ex majori dignitate tam actus quam habitus sequitur quidem meritum ad majus augmentum sed non statim conferendum. *Ad secundam probat. N. sequelam.* Qui enim habet charitatem ut octo cum iure ad augmentum, licet absque actuali

augmento, semper est melioris conditionis quam qui habet charitatem ut duo cum augmento actuali ut tria. Quod si primus non recipiat statim suum augmentum, hoc non provenit ex majori sua dignitate, sed quia ad collationem actualem augmenti non requiritur solum meritum, sed etiam dispositio quæ deest. Aliunde non privabitur suo augmento, sed suo tempore conferetur.

Obj. 4° contra eamdem. Gratia et charitas potest augeri moraliter quin augeatur physice : atqui quolibet actu augetur moraliter : ergo et physice. *Prob. maj.* Gratiam et charitatem augeri moraliter est acquirere novum jus ad gloriam : atqui jus ad gloriam fundatur in gratia et charitate physice existente. Ergo.

R. N. maj. Ad probat. D. min. Jus physicum et intrinsecum ad gloriam ut hæreditatem, fundatur in gratia et charitate physice existente, *C.* jus morale et extrinsecum ad gloriam ut præmium, *N. Solutio patet ex notamine* in capite articuli.

Inst. Non datur jus sive physicum sive morale ad gloriam secundum se, sine gratia et charitat ephysice existente : ergo non datur jus sive physicum sive morale ad majorem gloriam, sine gratia et charitate physice majori

R. N. conseq. Disparitas est, quod sine gratia et charitate physice existente, homo non sit filius nec hæres, sed peccator et inimicus, proindeque privatus omni jure ad gloriam : sed qui habet gratiam et charitatem, quamvis non auctam physice, non impeditur quominus ex illa possit facere actus bonos, consequenter meritorios in quibus fundatur jus morale ad majorem gloriam.

Obj. 5° contra tertiam conclusionem. Idem præmium meruit Christus diversis titulis ; et juxta Trid. eadem gloria datur justis ut hæreditas et ut præmium : ergo potest idem augmentum gratiæ et charitatis dari titulo actuum remissorum et præsentis actus ferventioris.

R. N. conseq. Quantum ad primum disparitas est, quod cum quodlibet opus Christi meritorium esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat quod per subsequentia opera posset mereri, ideoque idem variis titulis merebatur quia aliter fieri non poterat ; non sic autem in nostro casu.

Quantum ad secundum, disparitas est, quod, licet per gratiam constituamur filii adoptivi adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamen Deus eam nobis conferre nisi propter merita, quia talis modus acquirendi est nobilior et nobis gloriosior, et ideo sunt tituli diversæ rationis : qua de causa non est inconveniens quod eadem gloria propter utrumque detur, atque hoc sensu dixit S. Th. in 3, dist. 18, unica, a. 5. objectus a Contensono, « quod quis me» retur quando facit sibi debitum uno modo » quod debeatur alio modo. » At vero omnia nostra merita, prima et secunda, sunt ejusdem rationis : unde est disparitas.

Inst. Juxta S. Thomam, resurgenti per pœnitentiam idem præmium essentiale retribuitur duplici titulo, scilicet propter merita præcedentia quæ reviviscunt et propter præsentem charitatem in qua resurgit : ergo idem augmentum gratiæ et charitatis datur propter actus remissos et propter actum intensiorem.

R. N. ant. Pro quo et aliis spectantibus hanc conclusionem, vide tract. de Pœnitentia, dissert. 3, a. 5, § 2, præsertim object. 3.

Obj. 6° contra quartam conclusionem. Augmentum gratiæ et charitatis et præmium viæ, sicut augmentum gloriæ est præmium patriæ. Ergo.

R. 1° augmentum charitatis esse etiam præmium patriæ ; nullus enim negat charitatem quoad habitum et actum augeri in patria, maxime cum pertineat ad objectum saltem secundarium beatitudinis. 2° *D. ant.* Augmentum charitatis est præmium viæ, respective ad aliquos actus, *C.* actus enim intensiores consequuntur in via suum augmentum ; quoad omnes, *subdistinguo :* per se *C.* per se enim, si adesset dispositio, consequerentur omnes suum augmentum ; per accidens, *N.* Quia, defectu dispositionis quæ non est in hac via et erit in patria, non consequentur hic suum effectum, sed consequentur per accidens in patria : et sic remanet quod augmentum charitatis sit semper præmium viæ. Augmentum autem gloriæ est semper præmium patriæ, quia nunquam in via datur sufficiens dispositio physica ad illam.

Quod objici posset actum intensum charitatis in patria procedere a visione beatifica, *præoccupatum est in fine probationum ejusdem conclusionis.*

ARTICULUS IV.

De diminutione et amissione charitatis.

§ I. — *Utrum charitas possit diminui?*

Non est quæstio de charitate actuali; certum est enim actus charitatis esse modo intensiores, modo remissiores; sed de ipso habitu charitatis.

Q. 24. a. 10. o. — *Dico.* Charitas habitualis non potest diminui directe, bene tamen indirecte : est communis.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Diminutio directa charitatis potest attendi vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti : atqui neutro modo potest minui : ergo. *Prob. min.* Non ex parte objecti, quia minima charitas diligit omnia quæ sunt ex charitate diligenda; non ex parte subjecti quasi tollatur aliquid de essentia habitus charitatis, id enim importat diminutio directa ; quia id fieret vel per cessationem ab actu, vel per actum positivum : non per cessationem ab actu, quia charitas habitualis non causatur ab humanis actibus, sicut habitus acquisiti, sed solum a Deo : ergo per cessationem ab actu, si ista cessatio non sit peccatum mortale, non minuitur nec corrumpitur habitus charitatis. Non per actum positivum peccaminosum; quia peccatum istud vel erit mortale, vel veniale : si mortale, non diminuit, sed totaliter destruit charitatem; si veniale, non potest diminuere charitatem, neque effective seu physice, neque demeritorie : non effective, quia ad ipsam charitatem non attingit; charitas enim est circa finem ultimum, veniale autem est inordinatio quædam circa ea quæ sunt ad finem; non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quæ sunt ad finem : sicut aliquando contingit quod aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa diætæ observantiam : sicut etiam in speculativis, falsæ opiniones circa ea quæ deducuntur ex principiis non diminuunt certitudinem principiorum. Non demeritorie; ex hoc enim quod aliquis delinquat in minori, non meretur pati detrimentum in majori : sic enim non esset proportio inter demeritum et pœnam, magisque Deus se averteret ab homine quam homo a Deo. Ergo.

Confirmatur. Si peccata venialia dimnuerent charitatem, tandem possent illam destruere. Cum enim charitatis gradus sint finiti, et omne finitum per detractionem finiti absumatur, tot possent multiplicari venialia ut tandem charitatem destruerent; quod nemo admittit et est contra Trid. sess. 6, cap. 11.

Ad hanc confirmationem respondent 1° primos gradus esse amissibiles propter venialia, non ultimum, quia tollere primos est diminuere, tollere vero ultimum est destruere, quod non fit nisi per peccatum mortale. 2° Gradus per peccata venialia deperditi, reparari possunt per bona opera quæ justus facit.

Sed contra primum. Ultimus gradus non est alterius rationis nec majoris firmitatis quam priores; si ergo priores possint tolli per peccata venialia, quidni ultimus? *Si dicas* ultimum veniale fieri mortale ratione destructionis charitatis : *contra.* Cum nullus possit scire quando est in ultimo gradu charitatis, teneretur sub mortali vitare peccata venialia, quod est absurdum. *Contra secundum.* Potest contingere quod homo diu maneat absque exercitio bonorum operum, aut saltem pauca exerceat, et interim innumera peccata venialia committat.

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Charitas habitualis dicitur indirecte minui 1° quantum per peccata venialia minuitur ejus fervor, non intrinsecus tamen, qui est ipsa intensio habitus, sed extrinsecus, id est, impeditur per peccatum veniale ejus applicatio ad ordinandum in finem ultimum materiam circa quam peccatur venialiter: quod si homo retineat habitualiter illum affectum ordinatum ad peccatum veniale, dicitur minuere fervorem charitatis habitualiter, quia impedit habitualiter dictam applicationem : sicut qui habet brachium habitualiter ligatum, non potest movere quamdiu est ligatum, licet nihil de virtute intrinseca amittat; 2° in quantum per peccata venialia, cessationem ab actibus charitatis et tepidam vivendi rationem generantur pravæ inclinationes quæ reddunt difficile charitatis exercitium, et meretur homo ut Deus illi subtrahat auxilia specialia; 3° denique quia peccata venialia disponunt ad mortale quo charitas destruitur,

Dices 1° Charitas potest augeri : ergo et diminui.

R. N. conseq. Quia potest assignari causa augmenti, non diminutionis.

Inst. Potest assignari Deus qui, sicut confert charitatem se præparanti, minorem minus se præparanti, ita conservat charitatem minorem minus se præparanti.

R. N. ant. Ad probat. N. paritatem. Disparitas est, quod ad infusionem gratiæ et justificationem requiratur motus liberi arbitrii, ut ostendimus in tract. de Gratia, dissert. 6, a. 3; non requiritur autem ad conservationem, ut patet in dormiente, in quo sine motu liberi arbitrii conservatur gratia et charitas habitualis.

Dices 2° Amicitia humana minuitur per leves offensas : ergo et divina.

R. N. conseq. Disparitas est, 1° quod amicitia humana sit quid acquisitum actibus nostris, quod ideo actibus nostris contrariis minuitur; secus charitas, quæ est habitus infusus. 2° Disparitas est, quod amicitia humana multum pendeat ab extrinseca communicatione : unde sola cessatione communicationis quæ per leves offensas potest contingere, minuitur : at amicitia charitatis consistit in habitu infuso semper remanente, nisi per peccatum mortale tollatur.

§ II. — *Utrum charitas possit amitti?*

Dico. Charitas potest amitti.

Ibid. a. 11. o. — Est contra Jovinianum : item contra Begardos et Beguinas damnatos in concilio Viennensi, Clementina *Ad nostram* de Hæreticis; et contra Calvinum damnatum in concilio Trident. sess. 6, cap. 12, 13 et 14, et c. 23, his verbis : « Si » quis hominem semel justificatum dixerit » amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum qui labitur » et peccat nunquam vere fuisse justificatum..... anathema sit. »

Prob. ex S. Scriptura : Ezech. 18 : *Cum averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis;* Galat. 5 : *Evacuati estis a Christo qui lege justificamini, a gratia excidistis;* Rom. 11 : *Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time;* 1 Corinth. 9 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Confirmatur. Adam, David, S. Petrus erant justi, et tamen peccando a justitia et charitate exciderunt. Item omnes infantes qui baptizatur accipiunt per baptismum gratiam et charitatem : quis dicat eos omnes nunquam a gratia et charitate peccando excidere?

Suffragantur SS. Patres; Cypriauus, lib. de Unitate Ecclesiæ et de lapsis; Tertull. de Præscript. cap. 3; Ambros in libris de Pœnitentia; Hieron. lib. 2 cont. Jovin. Augustinus, Epist. 107, et lib. de Corrept. et Grat. cap. 12, 13, 14; Prosper ad Capitula Gallorum, cap. 2 et 7, et alibi.

Ibid. — *Prob. ratione.* Eæ solæ formæ sunt inamissibiles quæ replent totam capacitatem materiæ seu subjecti, ut sunt, v. g. formæ cœlorum; quæ autem non replent totam capacitatem materiæ, seu subjecti, ut sunt formæ sublunarium, sunt amissibiles per introductionem alterius formæ : atqui, licet charitas patriæ repleat totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum clare visum in se, et semper est in actu ideoque inamissibilis, charitas tamen viæ non replet totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum obscure tantum et imperfecte cognitum, nec semper est in actu : unde, quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere per quod charitas amittatur ex mutabilitate arbitrii. Ergo.

Dices 1° 1 Joan. 3 dicitur : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ergo. Hoc fuit fundamentum Calvini.

R. sensum horum verborum esse compositum, scilicet justum quamdiu manet justus, seu servat semen Dei quod est gratia et charitas, non posse peccare mortaliter, sic ut peccatum mortale stet cum gratia et charitate. *Patet*, quia scopus S. Joannis erat discernere inter filios Dei et filios diaboli, et assignare aliquod signum quo possent discerni et cognosci · hoc autem assignat, quod qui facit peccatum mortale sit filius diaboli, qui non facit sit filius Dei. Vide Wigers hic.

Dices 2° Cantic. 8 dicitur : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem;* Apost. Rom. 8 : *Certus sum quod neque mors, neque vita..... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei;* 1 Cor. 13 : *Charitas nunquam excidit;* 1 Joan. 2 : *Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum;* Proverb. 17 · *Omni tempore*

qui amicus est. Unde S. Aug. Epist. ad Julianum Comitem, dicit : *Charitas quæ deficere potest nunquam vera fuit ;* et S. Hieronymus, Epist. 40 : *Amicitia quæ deficere potest nunquam vera fuit.* Ergo.

R. ad primum, secundum communem interpretationem, per charitatem hic intelligi eam qua Christus Ecclesiam sponsam suam diligit, et Ecclesia Christum sponsum suum. Quod si intelligatur de charitate particularium, sensus est quod quamdiu quis voluerit retinere charitatem, neque tribulationes neque alia quæcumque possent illam eripere, licet ex libertate arbitrii possit velle illam amittere peccando.

Ad secundum. Juxta plures idem est sensus, scilicet quod nulla creatura possit nos invitos et nolentes a Dei charitate separare, sed soli nos ipsi prava voluntate. Nam, ut docet S. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ c. 11 et seq. *Ita his adstruitur potentia et efficacia divini erga nos affectus, ut tamen metus relinquatur propriæ malitiæ et negligentiæ.* Unde τὸ *certus* non significat omnimodam et absolutam certitudinem, sed solum ex parte Dei ; ex nostra autem conditionatam, si Deo cooperari nec ab eo separari velimus ; et idem est ac *spero, confido, persuasum habeo.* Ita Tyrinus post SS. Ambros. Hieron. et alios.

Alii intelligunt hæc verba de prædestinatis, de quibus paulo antea dixerat : *Quis accusabit adversus electos Dei ?* Dicunt itaque Paulum non in propria persona, sed in persona electorum asserere quod nihil possit prædestinatos separare ab ea dilectione qua Deus ipsos diligit, neque illos prædestinatos separare finaliter a charitate qua Deum diligunt ; quamvis enim contingat prædestinatos a charitate cadere, certum est tamen quod tandem illam finaliter recuperabunt.

Ad tertium. Sensus non est, quod charitas in particularibus nunquam excidat, sed quod ea quæ habetur finaliter in via, remaneat in patria.

Ad quartum, sensus est : Si fuissent ex nobis perfectis, solidis et constantibus christianis, ut interpretantur SS. Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus apud Tyrinum : vel, Si fuissent ex prædestinatis, ut interpretatur S. Aug. de Corrept. et Grat. cap. 9, et de Dono Persev. cap. 8.

Ad quintum. Sensus est, quod quamdiu est amicus, diligat tam in adversis quam in prosperis ; cum quo stat quod ex mutabilitate voluntatis possit desinere esse amicus tam in prosperis quam in adversis.

Ad verba S. Aug. quæ citantur c. *Charitas* 3 de pœnitentia, observat doctissimus Sylvius ea nunc reperiri in lib. de Salutaribus Documentis ad quemdam comitem, qui liber falso adscribitur S. Augustino Sed *esto* ea verba esse S. Augustini, — **Ibid. ad** — sensus est, juxta Auctorem, quod charitas quæ ex ipsa ratione charitatis deficere potest, puta, si quis haberet in amore quod vellet amare ad tempus, et non amplius postea, non sit vera charitas seu amicitia ; sed si charitas amittatur ex mutabilitate subjecti contra propositum charitatis, hoc non repugnat veritati charitatis et amicitiæ. In eodem sensu intellige verba S. Hieronymi, nisi τὸ *vera* sumas pro constanti et stabili : alioquin culpandus foret ipse S. Hieronymus, quod veram amicitiam non coluisset cum Rufino a quo semel et iterum discessit.

Dices 3° Charitas est nobilior charactere, sed character non potest amitti : ergo nec charitas.

R. N. conseq. Disparitas est, 1° quod charitas, etsi nobilior, habeat contrarium a quo possit destrui, non character ; 2° quia charitas quantum ad sui conservationem pendet a libero arbitrio, character a solo Deo ipsum conservante.

Ibid. ad 4. — *Dices* 4° Liberum arbitrium non inclinatur ad peccandum, nisi per aliquod peccandi motivum : atqui charitas excludit omnia motiva peccandi. Ergo.

R. D. min. Charitas excludit omnia motiva peccandi, quando est in actu, *C.* quia tunc actu diligit Deum super omnia ; quando non est in actu, *N.* Tunc enim potest intervenire aliquod motivum peccandi cui liberum est homini consentire ; quia, quamvis charitas habitualis importet propositum non peccandi, non facit tamen hoc propositum inviolabiliter observari propter mutabilitatem voluntatis.

§ III. — *Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas ?*

Q. 24. a. 12. o. — *Dico.* Per unum peccatum mortale amittitur charitas.

Est de fide decisa in concilio Trid. sess. 6, cap. 15, his verbis : « Asserendum est, non

» modo infidelitate, per quam et ipsa fides » amittitur, sed etiam quocumque alio » mortali peccato, quamvis non amittatur » fides, acceptam justificationis gratiam » amitti. » Et Joan. 14. *Qui diligit Deum, mandata ejus servat*, qui autem peccat mortaliter, mandata Dei non servat : ergo non diligit Deum.

Ibid. in a. s. c. — *Prob. insuper argumentis theologicis.* 1° Per peccatum mortale homo fit dignus morte æterna, Rom. 6 : *Stipendia peccati mors;* et quilibet habens charitatem est dignus vita æterna : atqui nemo potest esse simul dignus morte æterna et vita æterna. Ergo.

Ibid. o. — 2° Unum contrarium pellitur per aliud contrarium superveniens : atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati secundum propriam rationem ; charitas enim est unio amicitiæ cum Deo, ut ultimo fine ; peccatum mortale est aversio a Deo, ut ultimo fine ; charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia et se omnibus ejus præceptis subjicere; peccatum mortale præfert creaturam Deo et violat ejus præcepta. Ergo.

Ibid. — Nec obstat quod actus non contrarietur directe habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum acquisitum contrarium : disparitas est, quod habitus acquisitus, tam in acquisitione quam in conversatione, pendeat a virtute subjecti. Unde, sicut pluribus actibus acquiritur, uno actu non destruitur : at habitus infusus, ut est charitas, dependet ex Dei actione infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis sicut sol in illuminatione aeris : et ideo, sicut lumen statim cessaret in aere per hoc quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis, ita etiam charitas statim desinit esse in anima per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ charitatis a Deo in animam : manifestum est autem quod per quodlibet peccatum mortale, quod est destructio amicitiæ cum Deo, aversio ab illo ut ultimo fine et prævaricatio mandatorum ejus, ponatur prædictæ influentiæ obstaculum.

Dices 1° Fides et spes sunt virtutes infusæ, nec tamen amittuntur per quodlibet peccatum mortale, ergo nec charitas.

R. N. conseq. Disparitas est, quod quodlibet peccatum mortale non contrariatur fidei et spei, sicut charitati. Nam 1° quodlibet peccatum mortale, ut diximus, est aversio a Deo ut ultimo fine, charitas conversio et unio cum Deo ut ultimo fine, non sic fides et spes ; 2° peccatum mortale destruit objectum formale charitatis quod est diligere Deum super omnia ; non sic destruit objectum formale fidei et spei : potest enim peccator adhuc credere Deo et sperare beatitudinem.

Inst. Negare exterius fidem corde retentam, est actus contrarius fidei. Item, præsumere Deum in fine vitæ fore propitium, nec abstinere a peccato, est actus contrarius spei : atqui hi actus non tollunt fidem et spem, ut suis locis diximus : ergo similiter de peccato mortali respectu charitatis.

R. N. conseq. Disparitas est, quod hi actus non destruant objectum formale fidei et spei ; in primo enim remanet assensus internus rebus revelatis propter primam veritatem ; in secundo manet expectatio beatitudinis ex auxilio Dei : at peccatum mortale destruit objectum formale charitatis, quod est, *ut jam dixi*, summum bonum super omnia et præ omnibus diligendum.

Dices 2° S. Leo, Serm. 9 de Passione Domini, alloquens Petrum, dicit : Vidit in te » Dominus non fidem fictam, non dilectio» nem aversam, sed constantiam fuisse tur» batam. Abundavit fletus, ubi non deficit » affectus ; affectus charitatis lavit verba » formidinis. » Ergo.

Ibid. ad 2. — *R.* quod charitas amittitur dupliciter : uno modo directe, per actualem contemptum, et hoc modo Petrus charitatem non amisit : alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiæ vel timoris : et hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit.

Plura alia hanc conclusionem spectantia, et quoad probationes et quoad argumenta, vide in tract. de Gratia, dissert. 7, a. 3, ubi probavimus nequidem de potentia Dei absoluta peccatum et gratiam posse esse simul in eodem subjecto.

DISSERTATIO III

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

D. Th. Q. 25.

Diximus dissert. 1, a. 3, proximum esse objectum secundarium charitatis. Quæstio

nunc est, qui veniant sub nomine proximi ?

Hic q. 25. a. 3. o. — *Suppono* creaturas irrationales non posse diligi ex charitate, sicut diligimus eum ad quem habemus amicitiam, seu cui volumus bonum æternæ beatitudinis, quia hujus sunt incapaces. Possunt tamen diligi ex charitate, sicut diligimus bona quæ volumus amicis, quatenus volumus ex charitate ea conservari in gloriam Dei et in utilitatem proximi. Quæstio est itaque de creaturis rationalibus, angelis scilicet et hominibus. De angeli nullus dubitat eos esse diligendos ex charitate propter Deum; de hominibus difficultas est de dilectione sui ipsius, proprii corporis, peccatorum et inimicorum. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum et peccatores?

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 1° Homo debet seipsum diligere ex charitate.

Prob. Homo debet diligere proximum sicut seipsum, Matth. 19 : atqui debet diligere proximum ex charitate : ergo et seipsum. *Confir.* 1° Deus, ut infinite bonus, dignus est ut omnibus amore amicitiæ diligatur : ergo homo debet propter Deum hunc amorem sibi velle : atqui hoc est se amare amore charitatis : ergo. *Confirmatur.* 2° Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis : ergo illi sunt ex charitate diligendi quibus beatitudinem volumus : atqui homo debet sibi velle beatitudinem : ergo.

Dices 1° *Charitas minus quam inter duos haberi non potest*, inquit S. Greg. Hom. 17 in Evang. Et patet, quia charitas est amicitia quæ importat redamationem et æqualitatem : ergo homo non potest se amare amore charitatis.

Ibid. o. — *R. D. conseq.* Ergo homo non potest se amare ex charitate, considerata sub communi ratione amicitiæ, *C.* quia sic, prout probat argumentum, non est nisi inter duos inter quos importat unionem : attamen amor quo quis se diligit est fortior amore quo diligit alterum, quia non importat tantum unionem, sed unitatem : unde, sicut unitas est principium unionis, ita amor quo quis se diligit est forma et radix amicitiæ. Homo non potest se amare ex charitate secundum propriam rationem ipsius charitatis, *N.* Ut sic enim est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea quæ sunt Dei inter quæ etiam est ipse homo qui habet charitatem.

Dices. Amare seipsum est quid vituperabile, 1 Timoth. 3. Ergo.

Ibid. ad 3. — *C. D. ant.* Amare seipsum ex cupiditate qua homines se amant, secundum naturam sensibilem et corruptam cui indulgent, est vituperabile, *C.* amare seipsum ex charitate, secundum naturam rationalem, volendo sibi Deum ut ultimum finem, *N.*

Ibid. a. 5. o. et ad 2. — *Dico* 2° Homo debet ex charitate diligere corpus suum, non solum ut id quod tanquam bonum vult amico, sed etiam ut id cui vult bonum. *Ratio primæ partis est*, quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum quibus Deus honoretur. *Ratio secundæ partis est*, quia, licet corpus nostrum non sit capax æternæ beatitudinis Deum cognoscendo et amando, est tamen capax beatitudinis participatæ quæ ex anima gloriosa in ipsum redundat.

Dices. Sancti videntur odisse corpus suum affligendo ; et Paulus, Rom. 5, cupit separari a suo corpore. Ergo.

R. sanctos et Apostolos non odisse suum corpus secundum naturam quæ bona est, sed secundum corruptionem ejus quæ aggravat animam, et infectionem concupiscentiæ quæ inclinat ad peccatum : unde laudandi sunt qui prudenter et moderate vigiliis, jejuniis, laboribus, etc., affligunt corpus, ut subjiciatur spiritui, sicut rectus ordo postulat, et ut sit ad bona opera paratum : sic enim est *odisse vitam suam in hoc mundo* et *in vitam æternam illam custodire.*

Ibid. a. 6. o. — *Dico* 3° Peccatores sunt ex charitate diligendi secundum naturam, non secundum culpam. *Ratio primæ partis est*, tum quia peccatores secundum naturam sunt capaces beatitudinis quam ipsis propter Deum debemus velle ; tum quia peccator non desinit esse proximus, juxta illud Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus :* si frater, ergo proximus. Denique jubemur diligere inimicos, ut mox prohabitur : ergo et peccatores ; sunt enim inimici peccatores. *Ratio secundæ partis est aperta ;* culpa enim contrariatur Deo et est beatitudinis impedimentum : unde dicebat David, Psal. 118 : *Iniquos odio habui*

Dices. Viri sancti apprecantur mala pec-

catoribus, ut Psal. 9 : *Convertantur peccatores in infernum ;* Psal. 103 : *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint ;* Isai. 6 : *Excæca cor populi hujus et aures ejus aggrava.* Ergo.

Ibid. ad 3. — *R.* imprecationes hujusmodi quæ in S. Scripturis reperiuntur tripliciter posse intelligi : 1° per modum prænuntiationis, non per modum optationis ; sic intelligitur illud : *Convertantur peccatores in infernum*, id est, convertentur ; et istud : *Excæca cor populi hujus*, id est, Excæcabis ; 2° per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis, ut sit quasi indignatio contra culpam et approbatio divinæ justitiæ, secundum illud Psal. 57 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, lætatur autem non in malo, sed in justitia Dei, sicut ipse Deus puniens non lætatur in punitione impiorum, ut dicitur Sap. 1, sed in sua justitia, quia *justus Dominus et justitiam dilexit ;* tertio modo, ut desiderium referatur ad remotionem et destructionem culpæ, non ad ipsam pœnam aut malum hominis, ut scilicet peccata destruantur et peccatores salvi fiant ; quo sensu intelligitur istud Psal. 103 : *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint*, id est, secundum quod sunt peccatores, et iniqui, secundum culpam.

Hinc colliges non licere optare damnationem æternam cuique adhuc in hoc sæculo viventi ; tum quia non potest esse medium ad majus bonum habendum, vel ad majus malum vitandum ; tum quia est contraria fini propter quem debemus charitate diligere proximum ; tum denique quia de nullo est desperandum quamdiu vivit. Neque etiam licet alicui desiderare ut peccet ; quia peccare est simpliciter malum : licet tamen juxta plures desiderare ut Deus permittat aliquos peccare, ut inde humiliores et cautiores resurgant. Confer quæ dixi de maledictione in tract. de Justitia, dissert. 15, a. 4, § 3.

ARTICULUS II.

Utrum inimici sint ex charitate diligendi ?

Q. 25. a. 8. o. — *Dico.* Inimici sunt ex charitate diligendi, non qua inimici, sic enim esset diligere peccatum, sed qua homines ; dilectione utique communi, non speciali per se loquendo.

Ibid. in a. s. c. — *Prob.* 1° ex illo Matth. 15 : *Diligite inimicos vestros ;* et ut probet Christus esse præceptum omnibus, addit : *ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Est autem omnibus necessarium ad salutem esse filii Patris cœlestis.

2° In Oratione Dominica, Matth. 6, petimus ut Deus *dimittat nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* ergo præceptum est dimittere inimicis, alias non dimittetur nobis. Item ibid. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

3° Præceptum est ut diligamus proximum : atqui inimicus est proximus ; ratio enim proximi consistit in eo quod quis sit factus ad imaginem Dei et possit esse particeps æternæ beatutidinis. Ergo.

Ibid. o. — Dixi, *dilectione utique communi, non speciali per se loquendo ;* quia dilectio inimici potest considerari dupliciter : 1° in universali sic, ut quis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat : et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis ; 2° in speciali, ut scilicet quis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum : et istud non est de necessitate charitatis absolute et per se loquendo, sed de ejus perfectione quia sic moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, non est de necessitate, charitatis cum hoc sit impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc quod in singulari inimicos diligeret et specialia beneficia præstaret, si necessitas occurreret.

Dices 1° S. Aug. in Enchir. c. 73, dicit « Perfectorum esse diligere inimicos, ne» que hoc a tanta multitudine impleri, » quanta exauditur in Oratione Dominica, » cum dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, » sicut et nos dimittimus debitoribus nos » tris.* Ergo. »

Ibid. o. — *R.* S. Aug. loqui de speciali dilectione qua quis actu afficitur inimico adhuc inimice agenti et ipsi bene vult, quod non est de necessitate sed de perfectione charitatis, ut mox explicatum est. Et hanc esse mentem S. Aug. *patet* ex his verbis ibid. « Ei qui tibi malum vult et, si » potest, facit, tu bonum semper velis fa» ciasque cum possis. »

Inst. S. Aug. lib. 1 de Serm. Domini in Monte, cap. 21, ait : « Ascendit aliquem » gradum qui proximum diligit, quamvis » adhuc oderit inimicum ; » et S. Hieronymus, lib. 1 contra Pelagianos, cap. 9, illos redarguit quod dicerent inimicos esse diligendos sicut proximos. Ergo.

R. S. Augustinum loqui de gradu justitiæ, non christianæ, sed pharisaicæ : unde addit : « Iste gradus tam parvus est, ut » cum publicanis etiam possit esse commu- » nis. » *Ad S. Hieronymum*, reprehendit Pelagianos, non quod dicerent inimicos simpliciter esse diligendos, sed quod dicerent esse specialiter diligendos sicut consanguineos et familiares amicos.

Dices 2° Charitas non tollit naturam, sed unaquæque res etiam irrationalis naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, aqua ignem : ergo charitas non facit quod diligamus inimicum.

Ibidem ad 2. — *R. D. min.* Unaquæque res odit suum contrarium, in quantum est contrarium, *C.* in quantum non est contrarium, *N.* Inimici autem sunt nobis contrarii in quantum sunt inimici : unde hoc debemus in eis odio habere ; debet enim nobis displicere quod nobis sunt inimici. Non autem sunt nobis contrarii in quantum homines sunt et beatitudinis capaces ; et secundum hoc debemus eos diligere.

Dices 3° Charitas erat in veteri lege : atque tunc non erat necessarium diligere inimicos ; dicit enim Christus, Matth. 5 : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum et odio habebis inimicum tuum.* Ergo.

R. N. min. Etenim Levit. 19, præcipitur : *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo... non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum ;* Exod. 23 : *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc eum ;* Proverb. 25 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ;* et Christus, Matth. 22, interrogatus *Quodnam esset mandatum magnum in lege*, respondit esse præceptum dilectionis Dei, tum subjungit : *Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum*, etc. sub proximo autem comprehenditur inimicus. Insuper præceptum dilectionis inimicorum est legis naturæ, deductum ex illo principio communi legis naturæ : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris ;* nullus enim vult odio haberi et sibi reddi malum pro malo : unde ipse Plato, lib. 1 de Repub et lib. 28 Dialog. solo lumine naturali illud agnovit.

In 3. d. 30. q. 1. a. 1. ad 2. — *Ad verba Christi.* Non est sensus quod in lege dictum fuerat *odio habebis inimicum*, sed quod dictum fuerat a scribis et pharisæis perverse legem interpretantibus. Cum enim Levit. 10 diceretur : Diliges amicum, a contrario inferebant inimicum esse odio habendum, sed male ; quia argumentum a contrario non valet quando prædicatum eadem ratione convenit subjecto antecedentis et consequentis, sicut hic contingit. Nam τὸ *esse diligendum* convenit amico et inimico sub eadem ratione, scilicet quia est proximus : unde ipse Christus, Matth. 5, et Luc. 7, reddit cum septuaginta interpretibus τὸ *amicum* Levit. 19 per τὸ *proximum*. Adde quod vetus Testamentum, asserendo in aliis locis a nobis citatis diligendos esse inimicos, excludat hanc pharisæorum interpretationem.

Inst. Christus, Matth. 5, præcipit dilectionem inimicorum, non tanquam quid necessarium absolute, sed ut simus perfecti ; concludit enim caput dicendo : *Estote ergo perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Ergo.

R. Christum loqui de perfectione necessaria cuilibet christiano ; dixerat enim prius : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*, est autem necessarium cuilibet christiano quod sit filius Patris cœlestis.

ARTICULUS III.

Utrum inimicis sint exhibenda signa et opera charitatis ?

Hic q. 25. a. 9. et q. 83. a. 8. — *Dico.* Per se loquendo, signa et opera communia charitatis sunt exhibenda inimicis, non specialia.

Ibid. — *Prob.* 1° Dilectio interior ad inimicum in communi est de necessitate charitatis absolute ; in speciali autem non est de necessitate absolute, sed secundum præparationem animi tantum, ut dictum est art. præced. Ergo idem dicendum est de operibus et signis dilectionis exhibendis.

2° Ex virtute charitatis obligamur nulli esse scandalo : atqui, denegando inimico signa communia dilectionis, sumus illi et aliis scandalo, secus denegando signa specialia : ergo. *Prob. min.* Denegando inimico signa communia dilectionis quæ omnibus

communiter exhibentur, inimicus jure præsumit ita fieri ex odio in ipsum et livore vindictæ, indeque movetur ut in inimicitia perseveret atque magis obfirmetur ; commune enim est inter homines odisse odientes se : secus vero non exhibendo ipsi specialia signa quæ aliis etiam non inimicis non exhibentur.

Pro hujus itaque conclusionis explicatione, præsertim in ordine ad praxim, distinguenda sunt signa dilectionis communia et specialia. Communia dicuntur, quæ communiter omnibus exhibentur ; vel forte melius, quæ christiano a quovis christiano, concivi a quovis concive, cognato a quovis cognato etc. communiter exhibentur ; quia, licet hæc possint esse specialia respective ad omnes homines, sunt tamen communia in sua classe. Specialia sunt, quæ exhibentur determinatis personis aut amicis et familiaribus.

Hinc inferes per se loquendo esse illicitum excludere inimicum a communibus orationibus, communibus eleemosynis, aut communi beneficio, etiamsi ex mera liberalitate facto, ut si omnibus pauperibus alicujus oppidi facias eleemosynam, vel alicui collegio seu communitati præstes beneficium, puta exhibeas prandium, et excludas inimicum. Licet enim exhibere prandium sit secundum se speciale signum amicitiæ, hoc ipso tamen quod exhibetur toti communitati, non est speciale respectu unius membri, sed commune. Item, peccat qui merces expositas vendere recusat inimico, qui ipsi alloquenti non respondet, ipsum salutantem non resalutat, qui pluribus occurrens omnes salutat præter inimicum ; quia hæc sunt signa communia dilectionis quæ communiter omnibus exhibentur. Per se autem non peccat qui non orat specialiter pro inimicis, qui familiariter cum iis non colloquitur, qui eos non invitat ad mensam ; quia hæc sunt specialia signa dilectionis. Quidam etiam excusant qui inimicum obvium non salutat ; quia, inquiunt, non magis teneor salutare inimicum quam alterum : verum limita ubi non est consuetudo omnes obvios salutandi, et non appareat id fieri ex odio.

Dixi tam in *conclusione* quam in *consectario, per se loquendo ;* quia per accidens possunt aliquando sine peccato, aut saltem sine gravi, denegari signa communia inimicis ; et aliquando præceptum est illis dare signa specialia.

Itaque non tenemur dare signa communia, quando charitas erga nos vel proximum, aut justitia contrarium suadet, aut rationabilis causa excusat. *Charitas erga nos et proximum*, ut si ex denegatione signorum communium speratur inimicus emendandus et non scandalizandus ; si ex aspectu aut colloquio cum inimico timeas ne injuriarum recordatio, major commotio, aut novæ rixæ insurgant ; deberet tamen in hoc casu innotescere id non denegari ex odio. *Justitia*, ut si parentes aut superiores in punitionem justam et correctionem filii aut subditi, puta, ob crimen infame, contractum indignum matrimonium, etc., denegent absque interno odio alloquium aspectum benignum, aliave beneficia et signa filiis aut subditis exhiberi solita ; modo tamen hæc vindicta seu pœna non excedat modum delicti, nec in perpetuum duret. *Rationabilis causa*, ut si id offendenti deneges loquelam, responsum, salutationem, etc., in instanti injuriæ acceptæ, vel post ad brevem moram, non ex odio et vindicta, sed in significationem justi doloris et tristitiæ ex injuria accepta, idque exterius appareat : item, si sit leve scandalum ; item, si ob injuriam te aut familiam graviter diffamantem, exhibeas austeriorem vultum aut tristitiam, vel deneges alloquium et salutationem, ne videaris parvi æstimare tantam injuriam : in his casibus poteris excusari a peccato saltem gravi.

E contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico in duobus præsertim casibus : 1° quando inimicus veniam petit ; 2° quando ejus necessitas saltem gravis corporalis vel spiritualis ita exigit. Auctor hic secundum casum tantum exprimit, sed q. 83, a. 8 citato, etiam primum ; et in 3, d. 30, a. 2, ad 5, etiam primum exprimit : unde, quando hic dicit non esse necesse dare specialia signa dilectionis inimico extra casum necessitatis, sumit necessitatem paulo latius, sive pro ea quam inimicus patitur, sive pro ea quam petendo veniam inducit : censetur autem gravis inimici necessitas, quando est in gravi periculo vitæ, famæ aut fortunæ ; item, quando salus ejus animæ periclitatur, aut grave scandalum timetur, si non exhibeantur illa specialia dilectionis

signa. *Ratio autem hujus corollarii est*, quia, cum in certis casibus teneamur benefacere inimico et ei signa dilectionis specialia ostendere, non possunt convenientiores assignari quam quando patitur gravem necessitatem, aut petit reconciliationem ; alioquin erit signum interni odii, et grave scandalum et aliis et ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur, et in inimicitia obfirmabitur. Potest assignari tertius casus, quando exhibitio signorum specialium est necessaria ad vincendam tentationem odii vel alteram.

Ut itaque dignoscatur quando et quantum peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna et significatio externa offensiva inimici. Quantum ad intentionem : si deneges inimico signa dilectionis, v. g. ipsum salutare, alloqui, etc., ex odio gravi abominationis ejus personæ, quia apprehendis ipsum malum et summe contemnis, indignumque reputas tua salutatione vel alloquio, videtur peccatum mortale ; si ex odio inimicitiæ hæc deneges, ut ipsum affligas et illi male sit, est etiam peccatum mortale ex genere, quod potest fieri leve ex levitate materiæ.

Quantum ad significationem externam offensivam inimici, attendendum est 1° utrum facta vel omissa significent revera internum odium ; 2° utrum inimicus hæc advertat et ægre ferat, atque inde offensus scandalizetur et obfirmetur in inimicitia : et tunc ex gravitate vel levitate scandali et offensæ æstimanda est gravitas vel levitas peccati mortalis vel venialis.

Unde potest ex hoc capite statui hæc regula generalis. Secluso odio interno, ea tantum signa et opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omissione is et alii merito intelligunt nos ea denegare ex malo odii vel vindictæ affectu in inimicum.

Casus speciales.

Primus casus. Duo ante inimicitiam, puta, duo religiosi in monasterio, se salutabant et passim colloquebantur : post rixam nec se salutant, nec colloquuntur : peccantne?

R. ex regula præcedente. Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos quam in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. Si tamen antea erant specialiter amici et amica colloquia miscebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam et amica colloquia ; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem sicut ad cæteros confratres.

Secundus casus. Teneturne quis salutare inimicum, ipsum alloqui, ipsi propinare, etc. si sciat ipsum non responsurum, non resalutaturum, etc. ?

R. Si id certo sciat, quia jam expertus est, vel quia inimicus sic asseveravit, videtur non teneri ; quia id sibi imputare debet inimicus, nec inde scandalum pati potest, cum videat hæc non denegari ex odio, sed ex propria sua malitia. Quod si tamen dubitet, debet saltem semel experiri : quod si alter non respondeat, videtur deinceps excusandus.

Petes 1° utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti ?

Ante responsionem, nota distinguendum esse inter offensam simplicem, offensam injuriosam et offensam damnosam. Offensa simplex est læsio, seu irritatio voluntatis alterius, absque læsione juris aut damno : ut si amico petenti a te obsequium quo maxime indiget, et quod facile præstare potes, deneges ; offendis amicum, et ipsum moves ut a te avertatur et contra te indignetur ; non tamen facis illi injuriam, quia nullum jus ejus strictum violas. Offensa injuriosa, seu simplex injuria, est violatio stricti juris alieni sine damno tamen : ut si alicui soli contumeliam inferas, si alterius uxorem cognoscas non secuta prole. Offensa damnosa est, si auferas ab aliquo quod suum est, seu ipsi noceas in bonis animæ, vitæ, famæ aut fortunæ.

Unde in offenso a quo petitur reconciliatio tria attendi possunt : primum remissio offensæ seu depositio indignationis et aversionis seu odii ; secundum signa hujus remissionis ; tertium remissio injuriæ et damni.

Potest autem peti reconciliatio variis modis, nec semper est necesse quod petatur per veniæ petitionem, vel alia signa humiliationis ; sed quandoque sufficit petere per specialia signa amicitiæ, per præventionem in honore, per amicabile alloquium, ut solet fieri a superioribus erga inferiores. Nunc ad petitionem.

R. offensum tenori inimico petenti reconciliationem remittere offensam simpli-

cem, seu deponere aversionem, indignationem et odium, et hujus depositionis signa quædam exhibere : constat ex præcedentibus. Sed non tenetur remittere injuriam et damnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem et pro damno restitutionem, quia unusquisque potest jus suum prosequi apud legitimum judicem. Cavendum est tamen ne inimicus ad satisfactionem vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a judice petatur satisfactio, quando ipse rationalem offert; id enim vix fieri potest absque aliquo appetitu vindictæ. Item, ubi agitur de pœna capitis aut mutilatione, et nullum emolumentum parti læsæ inde obvenit, expedit propter eamdem rationem illam non urgere : secus esse, si communitas aut familia offensi maneret infamis, si offendens non puniatur secundum leges.

Petes 2° quis sit sensus hujus sententiæ Christi, Matth. 5 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.*

R. sensum esse : Si, paratus offerre sacrificium, aut quodcumque bonum opus facere, recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, quia in aliquo ipsum offendisti; nam si ipse te offendit, jam non frater habet aliquid adversum te, sed tu adversus illum, sicque non teneris veniam postulare, sed tantum dimittere : relinque ibi munus tuum, id est absque mora, etiam ante oblationem sacrificii, vade prius reconciliari fratri tuo, id est, cura ut in gratiam cum fratre redeas; quo facto, offer sacrifiicium, quod tunc erit meritorium et gratum Deo. Hæc autem reipsa quidem præstanda sunt, sed juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus et tempus id permittunt; alioquin animi præ paratione et cordis affectu hæc præstare sufficit, ut docet S. Aug. Serm. de verbis Domini in monte. S. Chrysost. Theophil. et quidam alii intelligunt hanc Christi sententiam tam de offenso quam de offendente, sed sic est consilium tantum et non præceptum. Porro ex hoc loco ortus est antiquus Ecclesiæ usus dandi invicem ante communionem osculum sanctum, vel, ut nunc fit, tabellam pacis.

DISSERTATIO IV.

DE ORDINE ET PRÆCIPUO ACTU CHARITATIS, QUI EST DILECTIO.

D. Th. Q. 26 et 27.

Hic q. 26. a. 1. o. — Cum quatuor sint ex charitate diligenda, ut docet Auctor, art. ultimo præcedentis quæstionis post S. Augustinum et constat ex dictis, unum quod supra nos est, scilicet Deus; alterum quod nos sumus; tertium quod juxta nos est, scilicet proximus; quartum quod infra nos est, scilicet corpus nostrum, et bonum quod est charitatis objectum, non æqualiter ab omnibus participetur, manifestum est esse aliquem ordinem in charitate, juxta illud Cantic. 2 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, et ordinavit in me charitatem.*

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus quam proximus?

Observant communiter theologi unum plus altero posse diligi tripliciter : 1° objective, quando volumus ei majus bonum quam alteri, ut si optem imperium Titio, ducatum Caio, plus objective diligo Titium quam Caium; 2° appretiative, quando unus pluris æstimatur quam alter, et amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus quam alterius amicitiam perdere; 3° intensive, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori et perfectiori secundum gradus intensionales, quam alter.

Nec obstat quod Auctor in hac quæstione videatur agnoscere tantum duos modos, unum ex parte objecti, alterum ex parte diligentis; quia qui est ex parte diligentis comprehendit duos, scilicet majorem appretiative et majorem intensive, uterque enim est ex parte diligentis : unde, quando interdum dicit illos intensius esse diligendos qui sunt ex charitate diligendi, sumit intensionem generaliter pro perfectione actus, sive ista perfectio sit secundum appretiationem, sive secundum gradus intentionis.

Ibid. a. 2. et 3. o. — *Dico* 1° Deus est ex charitate diligendus super omnia et præ omnibus objective et appreuative; sicque simpliciter loquendo est magis diligendus quam proximus et quam nos ipsi.

Ratio est, quia debemus velle Deo omne bonum, bonum infinitum, infinitas et amx-

biles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item, debemus ita illum æstimare, ita illi affici, ut mallemus omnia perdere et pati, potiusquam ipsum deserere : atqui hoc est super omnia ipsum diligere objective et appretiative. Ergo

Idque exprimitur in pluribus locis S. Scripturæ. Matth. 22 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum ;* Matth. 10 : *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus ;* Matth. 16 : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ;* Luc. 14 : *Si quis non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

In hac conclusione omnes conveniunt, sed difficultas est de intensione dilectionis, an ex præcepto charitatis Deus sit intensius diligendus quam proximus.

Suppono ad rationem charitatis secundum se non requiri intensionem, minima enim charitas justificat, et quilibet actus charitatis etiam remissus meretur vitam æternam, ut dissert. 2 probatum est.

Suppono 2° Deum esse dignum qui ametur amore perfectissimo et magis intenso quam quælibet creatura ; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus ; et ideo inordinatum foret eligere creaturam amare intensius quam Deum ; hoc enim esset judicare eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum et magis appretiative amandum, quod totum est falsum et inordinatum : debet ergo homo eligere amare Deum summo amore et intensius quam creaturam. At utrum, si in actu dilectionis non reperiatur ista major intensio ex conditione naturæ, ut mox explicabimus, sit inordinatio et peccatum ? *affirmant* quidam Lovanienses cum Petro Soto, non sunt tamen inter se concordes ; quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2° Non peccat contrà præceptum charitatis qui intensiori amore, sive naturali sive supernaturali, diligit proximum quam Deum.

Prob. 1° eodem argumento quo in tract. de Pœnitentia probavimus dolorem de peccatis non debere necessario esse maximum intensive. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis illam ; inde enim fit quod majori conatu et fervore feratur in ipsum : atqui objectum sensibile, ut est proximus, vehementius movet voluntatem quam spirituale, ut est Deus : ergo. *Prob. min.* Quo objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet : atqui objectum sensibile pro hoc statu est propinquius voluntati quam spirituale : ergo. *Prob. min.* Sensibilia sunt proxima et immediata sensibus ; voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos et ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus. Ergo.

Confirmatur. Voluntas intensius fertur in minus bonum præsens quam in majus absens, et intensius refugit minus malum præsens quam majus absens : id experientia notum est ; nec alia ratione contingit quam quia objectum præsens propinquius est voluntati et magis ipsam movet, quamvis tamen in appretiatione mallet perdere minus bonum præsens quam majus absens, et pati minus malum præsens quam majus absens : unde Auctor, Suppl. q. 3, a. 1, ad 4, dicit : « Homo etiam bene dispositus » quandoque magis percipit in se horro» rem præcedentis pœnæ (cujus aliquis ef» fectus remanet) quam præcedentis culpæ ; » quamvis esset magis paratus pati eamdem » pœnam quam committere eamdem cul» pam. »

Prob. 2° Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri per se loquendo ad maximam intensionem charitatis, neque ad certum gradum dilectionis, ut satisfiat præcepto charitatis. *Suppono* itaque quod nunc eliciam actum dilectionis Dei ad quatuor ; iste actus est bonus et meritorius ; postea elicio actum honestum amoris sive naturalis sive supernaturalis proximi ad quinque, iste secundus actus non potest efficere quod primus qui fuit bonus fiat malus ; transiit enim bonus, nec est amplius mutationi obnoxius. Ergo.

Si dicas quæstionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis comparando inter Deum et hominem : 1° *N. suppositum.* Duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt.

et adveniente secundo primus transit. Insuper, si quæstio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum et hominem, vix est quod moveatur quæstio; quandonam enim sic contingit? Imo totaliter evanescit quæstio, sic enim esset eligere amare Deum minus intense quam hominem, quod est extra quæstionem et quod fatemur esse inordinatum.

Prob. 3° ab inconvenientibus. *Sequitur* 1° ex opposita sententia quod e duobus actibus charitatis æque intensis, unus sit bonus, alter malus, imo intensior malus et minus intensus bonus; pone enim duos homines quorum unus eliciat actum dilectionis Dei ad tria, et actum dilectionis proximi ad duo, iste actus dilectionis Dei ad tria erit bonus; alter autem eliciat actum dilectionis Dei ad quatuor et actum dilectionis proximi ad quinque, iste actus dilectionis Dei ad quatuor erit malus, quamvis intensior primo: atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Dicunt hunc amorem Dei ad quatuor non esse malum quia est ad quatuor, sed quia minor est amore proximi ad quinque. *Sed contra;* isti duo actus, ut jam dixi, non eliciuntur eodem tempore comparando inter objecta, sed quando secundus advenit, prior transiit, nec potest amplius vitiari.

Sequitur 2° anxietas perpetua conscientiarum; quia impossibile est discernere inter gradus intensionis et scire an intensius diligamus Deum quam proximum.

Respondet eruditissimus Daelman negando sequelam, et dicit quod facile cognoscamus nos diligere Deum plusquam creaturas, « cum infallibiliter fiat quod intensius » diligamus Deum quam creaturam, dum » hanc diligimus propter Deum, adeoque » tollitur anxietas et sufficit quod cognoscamus primum, » scilicet nos diligere creaturam propter Deum.

Sed contra. Si per intensiorem dilectionem nihil aliud intelligant adversarii quam dilectionem proximi propter Deum, in vanum desudant quis enim negat proximum esse ex charitate diligendum propter Deum? Item, si amor Dei intensior sequatur infallibiliter ex amore proximi propter Deum, ut quid movent quæstionem an sit obligatio intensius diligendi Deum quam proximum? sufficit inquirere an sit obligatio ex charitate diligendi proximum propter Deum; quam omnes agnoscunt.

Sed et data responsione adversarii, non salvatur inconveniens. Potest enim aliquis non ex charitate, sed aliquo honesto amore naturali amare proximum; iste amor non erit propter Deum sicut amor charitatis: unde ergo cognoscet se amare Deum intensius quam proximum? De hoc argumento redibit sermo in *solutionibus object.*

At forte dicet alter idem inconveniens sequi ex obligatione diligendi Deum magis appretiative quam creaturam; id enim etiam difficile cognosci potest.

R. longe facilius dignosci amorem appretiativum quam intensiorem. Hoc ipso enim quo quis vitam in melius emendat, peccandi occasiones fugit, injuste ablata restituit, virtutes colit, omnia postponit amori Dei et se paratum sentit omnia potius perdere quam Deum offendere morsaliter, noscit se amare Deum magis appretiative quam quodvis creatum, an autem magis intense? nescit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° cum Daelman. Id intensius diligimus quod magis est nobis conjunctum: atqui Deus est maxime nobis conjunctus; *In ipso enim vivimus, movemur et sumus.* Ergo.

R. D. maj. Id intensius diligimus quod magis est nobis conjunctum physice, *N.* quod magis est nobis conjunctum secundum propositionem factam appetitui, *C.* Quia appetitus non fertur nisi in bonum sibi propositum et in quantum est sibi propositum. Quamvis autem Deus sit maxime nobis conjunctus physice, non tamen semper sic proponitur voluntati: et quamvis proponeretur, non sequitur quod intensius amaretur, quia sensibilia magis movent appetitum sensitivum, et appetitus sensitivus movet, sollicitat et inclinat voluntatem, ejusque actum intendit circa sensibilia et retardat circa spiritualia a sensibus remota. Id totum quotidiano usu experimur.

Obj. 2° cum eodem. Præceptum est diligere Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus: ergo intensius quam quodvis aliud.

R. N. conseq. Minima enim charitas diligit Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus, alioquin peccaret qui non

haberet majorem : diligere ergo Deum ex toto corde, ex tota anima et ex totis viribus, est ipsum diligere appretiative super omnia, ita ut nihil amori ejus præponatur et ipse dominetur affectui.

Inst. cum eodem. Inordinatum est quod voluntas plus afficiatur erga bonum creatum quam erga Deum. Ergo.

R. D. ant. Inordinatum est quod voluntas plus afficiatur appretiative erga bonum creatum quam erga Deum, *C.* plus intensive, *N. ratio est*, quia appretiatio fit ex intentione et electione voluntatis, intensio autem ex vehementia objecti immediatius applicati appetitui : sic voluntas eligit præferre majus bonum absens, quamvis intensius feratur in minus bonum præsens ; sensibilia autem, ut jam diximus, pro hoc statu magis nobis applicantur, non solum quoad appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, quam spiritualia, quatenus sensibilia immediate tangunt et movent sensus, et intellectus proponit voluntati objectum haustum a sensibus, ex quibus fit et quod sensibilia immediatius et fortius moveant voluntatem, et quod appetitus sensitivus, motus immediate a sensibilibus, moveat, sollicitet etiam voluntatem ejusque actum intendat ; experientia enim notum est quod, quo appetitus sensitivus alicujus objecti est intensior, etiam actus voluntatis intendatur propter conjunctionem et sympathiam utriusque. Neque in his est quidquam inordinatum, quia hoc sequitur naturam rerum.

Obj. 3° cum eodem. Amor appretiativus supponit intensivum ; quod enim unum omnibus aliis anteponamus, venit quod magis intense diligamus : atqui tenemur Deum diligere appretiative super omnia : ergo et intensive.

R. 1° *Retorqueo argumentum.* Amor appretiativus supponit intensum : atqui tenemur sub mortali diligere Deum appretiative super omnia : ergo tenemur etiam sub mortali diligere Deum intensive super omnia. Hanc autem *consequentiam negat* laudatus doctor, vultque esse tantum obligationem sub veniali : argumentum ergo in ejus principiis nihil probat, quia nimis probat.

R. 2° *N. ant. et ejus probationem.* Jam enim diximus appretiationem haberi ex intentione et electione voluntatis, intensionem vero ex vehementia objecti moventis voluntatem ; idque experientia notum est : sic voluntas eligit præferre majus bonum absens minori bono, ita ut si alterutrum deberet amittere, malet amittere minus præsens quam majus absens, et tamen intensius fertur in minus præsens quam in majus absens.

Inst. 1° Tunc magis appretiative aliquid eligitur quando voluntas ei magis adhæret ; atqui non videtur voluntas magis adhærere, nisi quia magis conatur et intensiorem actum habet circa illud. Ergo.

R. N. min. Potest enim illa major adhæsio oriri ex objecto digniori vel altiori motivo : sic, v. g. intellectus per actum fidei remissum magis adhæret articulis fidei, quam per actum scientificum intensum conclusioni demonstrationis ; sic parentes magis adhærent filio absenti, virtutibus et egregiis dotibus præstanti, quam parvulæ proli præsenti, quamvis tamen hanc intensius diligant. *Neque dicas* ita esse secundum appetitum sensitivum, non secundum voluntatem : certum est enim quod parentes non solum appetitu sensitivo, sed etiam voluntate suas proles diligant. Et insuper, appetitu fortius incitante et sollicitante, intendtur actus voluntatis, cujus objectum a sensibus haustum ipsi exhibet intellectus, *ut jam non semel dictum est.*

Inst. 2° S. Th. Suppl. q. 3, a. 1, docet dolorem de peccatis qui est in voluntate, debere esse maximum ; quia est de maximo malo, non autem dolorem qui est in parte sensitiva : ergo idem de amore.

R. S. Thomam loqui de maximo dolore appretiativo, seu, ut alii dicunt, de quantitate essentiali doloris desumpta ex objecto ; quo nempe dolore, ut dicit ibid. ad 4, et nos supra retulimus inter probationes, pœnitens est paratus quamlibet pœnam pati potiusquam culpam admittere. Hic autem a. 7, docet quod, licet Deo conjunctiores plus diligere debeamus quantum est ex parte objecti, nobis tamen conjunctiores debeamus intensius diligere, et hoc secundum voluntatem : rationem assignat ad 3, « quia, » inquit, charitas non solum eligit actum » dilectionis secundum rationem objecti, sed » etiam secundum rationem diligentis. » Porro, si non sit inordinatio minus intense diligere Deo conjunctiores : ergo nec ipsum Deum.

Obj. 4° cum eodem. Proximus charitate diligitur propter Deum : atqui propter quod

unumquodque tale et illud magis, ut fert commune axioma : ergo.

Inprimis istud argumentum non impugnat nisi partem conclusionis. Quid enim, si proximus diligatur non ex charitate, sed aliquo amore honesto naturali, poterit ne tunc intensius diligi proximus quam Deus ? Quod si ita est, valde infirmatur sententia adversariorum. Sed hoc omisso, sicut et aliis quæ de ea materia dixi in ultima probatione.

R. D. ant. Proximus ex charitate diligitur propter Deum; τὸ *propter* dicente objectum amatum, *N.* τὸ *propter* dicente rationem motivam amandi, *C.* Nostra autem quæstio est de Deo in se amando, et non de Deo ut est ratio motiva amandi creaturas.

Subsumes. Atqui laudatum adagium verificatur etiam quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, ut patet in eo qui amat media propter finem, magis amat finem quam media, licet in eo actu amet media propter finem tanquam rationem amandi. Ergo.

R. D. subsumptum. Laudatum adagium verificatur quantum ad appretiationem quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, *C.* verificatur quantum ad intensionem, *N.* Patet in ipso exemplo instantiæ : qui amat media propter finem, quamvis magis appretiative amet finem, aliquando tamen intensius fertur in medium præsens quam in finem absentem.

Inst. Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum qui est ejus objectum formale, quam proximum qui est tantum ejus objectum materiale : ergo Deus non potest ex charitate minus intense diligi quam proximus.

Quidam distinguunt ant. Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum objective et appretiative, *C.* intensive, *N.* Quia, cum charitas sit habitus simplex et æque intensus ut respicit Deum et proximum, æquali quasi pondere movet potentiam ad dilectionem utriusque, modo tamen utrique proportionato. Ita Wigers. Hac solutione in sua probabilitate relicta,

R. Cum Serra, *dato ant. N. conseq.* Quamvis enim charitatis habitus secundum se magis et intensius inclinet ad diligendum Deum quam proximum; quia tamen nobis infunditur secundum modum nostrum, scilicet ut libere eo utamur, possumus in exercitio illo uti remissius ad diligendum Deum quam proximum, sicut possumus uti remissius habitu spei ad sperandum beatitudinem quæ est ejus objectum formale, quam ad sperandum alia bona quæ solum pertinent ad ejus objectum materiale. Item habitu theologiæ possumus uti remissius ad cognoscendum Deum qui est ejus objectum formale, quam ad cognoscendum alia quæ sunt ejus objecta materialia.

Urgebis. Omnis intensio ab habitu charitatis dimanans est a Spiritu sancto : atqui Spiritus sanctus non potest intensius inclinare ad creaturam quam ad Deum : ergo.

R. N. min. Sicut enim Spiritus sanctus quandoque magis inclinat ad minus bonum, ut ad nubendum, quam ad castitatem servandam, sic potest magis movere ad diligendum proximum propter Deum, quam ad diligendum Deum propter seipsum ; movet enim Spiritus sanctus unumquemque secundum illius modum et dispositionem.

Obj. 5° Deus meretur ut eum diligamus amore intensiori quam creaturam : ergo sic tenemur ex præcepto eum diligere.

R. N. conseq. Quia Deus non præcipit omnia quæ meretur : sic meretur ut frequentius de eo quam de creaturis cogitemus; meretur ut amore continuo, in quantum possibile est, in eum feramur. Neutrum tamen præcipit.

ARTICULUS II.

Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere quam proximum?

Q. 26 a. 4. o. — In homine duo sunt, scilicet natura spiritualis et natura corporalis. In tantum homo dicitur diligere seipsum, in quantum diligit se secundum naturam spiritualem seu animam. Inter bona animæ quædam sunt absolute necessaria ad amicitiam hominis cum Deo, ut sunt fides, spes, charitas, justitia, observatio mandatorum, etc.; alia non sunt absolute necessaria, ut opera supererogationis, consilia evangelica, etc.

Ibid. — *Dico.* Homo debet ex charitate se magis diligere quam proximum.

Ibid. in a. 5. c. — *Prob.* 1° ex illo Matth. 22 : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum :* ex quo videtur quod dilectio hominis ad seipsum sit exemplar dilectionis quæ est ad alterum; exemplar autem

potius quam exemplatum : unde S. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 20 : *Regulam diligendi proximum*, inquit, *a semetipso dilector accipit*. Ergo.

Ibid. a. — *Prob.* 2° Deus diligitur ut principium boni super quod fundatur dilectio charitatis : homo autem diligit seipsum ut participem illius boni, et proximum ut socium in isto bono : atqui participatio est potior consociatione, sicut unitas est potior unione : ergo homo debet ex charitate magis se diligere quam proximum.

Dices 1° τὸ *sicut*, Matth. 22, significat æqualitatem, non similitudinem : ergo. *Prob ant.* 1° ex S. Aug. lib. 1 Soliloq. c. 3, dicente : « Illam legem amicitiæ justissi» mam esse arbitror, qua præscribitur ut » sicut non minus, ita nec plus quisquam » amicum quam seipsum diligat. » 2° Quia si τὸ *sicut* significaret similitudinem, posset dici : Diliges te ipsum et proximum sicut Deum. Ergo.

R. Quamvis τὸ *sicut* aliquando significet in S. Scripturis æqualitatem, frequenter tamen significat similitudinem, ut Matth. 5 : *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est ;* Joan. 13 : *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et ita hic accipi censent communiter interpretes cum Auctore : unde *ad primam probat.* S. Augustinus intelligit de dilectione ex parte objecti quoad substantiam considerati, scilicet quod eadem bona velimus proximo quæ nobis volumus, et eadem mala nolimus proximo quæ nobis nolumus. Ita se explicat S. Augustinus lib. de Vera Relig. c. 46, ubi ait : « Ea autem est regula dilectionis, » ut quæ sibi vult bona provenire et illi ve» lit, et quæ accidere sibi mala non vult et » illi nolit. » Cæterum de mente S. Augustini non est locus dubitandi, cum sæpe doceat hominem plus debere seipsum diligere quam proximum. In Enchir. c. 76 ; Hom. 37 inter 50 de Discipl. Christiana c. 6 ; de Doct. Christiana c. 23, et lib. 1 Retract. c. 8 : « Magis, inquit, mihi me debeo quam » cæteris hominibus, quamvis Deo magis » quam mihi. » *Ad secundam probat. N. sequelam.* Quia longe dissimili modo debemus diligere Deum quam nos aut proximum, scilicet ex toto corde, super omnia, et tanquam primum et infinitum bonum.

Dices 2° Exod. 32, Moyses Deum sic pro populo deprecatur : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti ;* et Apost. Rom. 9 : *Optabam*, inquit, *anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ergo.

Propter has auctoritates, quidam dixerunt licitum esse pro salute aliorum non solum velle perpetuo carere gloria, salva tamen amicitia Dei, sed etiam velle carere gratia Dei, modo hujus carentia non proveniret ex peccato : quia carentia visionis beatificæ, salva Dei amicitia, et carentia gratiæ sine peccato, pertinet ad malum pœnæ, et majus bonum est salus plurium atque major Dei gloria inde resultans, quam salus particularis unius. Quamvis hæc sententia non sit improbabilis, nec contradicat conclusioni, opposita tamen est probabilior ; quia est contra naturam charitatis adeoque inordinatum, quod homo sibi optet privationem gratiæ et gloriæ pro salute aliorum ; proprium enim charitatis est primo et per se perficere subjectum in quo est, ipsum Deo uniendo ; unitur autem homo Deo per gratiam et gloriam. *Unde aliter*

R. hoc dictum fuisse a Moyse per hyperbolen seu piam exaggerationem, ad significandum excessum sui amoris erga populum Israeliticum ; vel sic dictum disjunctive, ex magna fiducia quam habebat quod Deus nec vellet nec posset ipsum delere de libro vitæ ; quasi diceret : Domine, sum ea in te fiducia, ut omnino persuasum habeam te facturum quod peto : Parce ergo populo, aut dele me de libro vitæ : Certus sum autem quod me non delebis ; restat ergo ut populo parcas. Non secus ac si filius summe dilectus, patri volenti dimittere famulum sibi amicum diceret : Aut dimitte illi, aut me cum ipso ejice. — **Q.** 27. a. 8. ad 1. — Alterutro sensu potest intelligi Apost. ad Rom. 9, vel dicendum cum Auctore quod Apostolus volebat ad tempus privari visione beatifica, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis.

Dices 3° Principale objectum charitatis est Deus : atqui quandoque homo habet proximum magis Deo conjunctum, quia meliorem quam ipse sit : ergo magis debet eum diligere quam seipsum.

Q. 26. a. 8. ad 1. — *R. N. conseq.* Quia dilectio charitatis non solum habet quantitatem ex parte objecti quod est Deus, sed ex parte diligentis qui est ipse homo charitatem habens : sicut et quantitas cujuslibet

actionis dependet quodam modo ex ipso subjecto. Et ideo licet proximus melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus charitatem habenti, sicut ipse sibi, non sequitur quod magis debeat aliquis proximum diligere quam seipsum. Quod ut melius intelligas, adverte sedulo id quod est secundum se majus et melius, non esse unicuique majus et melius : sic v. g. mille nummi sunt secundum se quid majus et melius quam decem nummi ; attamen decem nummi sunt quid melius et plus valent habenti quam mille nummi alieni, ideoque merito plus diligit suos decem nummos quam mille nummos alienos. Sic ergo, quamvis charitas mea ad duo secundum se sit minor quam charitas alterius ad octo ; attamen charitas mea quæ me unit Deo, mihi melior est et perfectius bonum quam charitas major aliena quæ me non unit Deo ; et ideo plus debeo æstimare charitatem meam minorem quam majorem alienam, consequenter me plus appretiative diligere quam proximum ; *esto*, quia melior est, debeam illi velle majora bona quæ meruit quam mihi qui minus merui.

Dices 4° 1 Cor. 13, dicitur : *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Ergo.

Ibidem ad 3. — *R.* sensum horum verborum esse, ut dicit S. Aug. in Regula, quod charitas communia propriis anteponat ; quia bonum commune est magis amabile unicuique quam proprium bonum. Intellige de iis bonis quæ propter proximum sunt contemnenda, ut sunt sensibilia : quantum enim ad bonum virtutis necessariæ, plus debet quisque sibi illud velle quam communitati ; quia, ut dixímus, proprium charitatis est ut habentem primo per se uniat Deo.

Dices 5° Saltem plus debemus amare Christum et B. Virginem quam nos ipsos. Ergo.

R. Quantum ad Christum, cum sit in eo una persona et hæc divina, non debet seorsim amari ut Deus et seorsim ut homo, sed sicut una adoratione adoratur, ita uno amore amatur. Insuper, etsi amaretur ut homo, deberet plus amari, quia est auctor nostræ salutis et prima causa meritoria gratiæ : unde nomine proximi non venit intelligendus. Quantum ad B. Virginem, debemus illam amare plusquam nos objective, quia debemus velle illi majora bona propter dignitatem Matris Dei qua super omnes creaturas est exaltata, non debemus tamen illam magis appretiative amare quam nos.

Ibid. o. — *Ex dictis colliges* 1° nunquam licitum esse, etiamsi pro salute totius mundi, peccare, sive mortaliter sive venialiter : « Homo, inquit Auctor, non debet subire » aliquod malum peccati quod contrariatur » participationi beatitudinis, ut proximum » liberet a peccato. » Peccatum autem, etsi veniale tantum, etiam aliquo modo contrariatur participationi beatitudinis, cum hæc nequeat esse cum illo. Insuper implicat aliquid esse licitum et esse peccatum, et damnantur Rom. 3 qui dicunt : *Faciamus mala ut eveniant bona.* Pariter illicitum est se exponere periculo proximo peccandi pro salute proximi, quia hoc ipsum est peccare : secus de periculo remoto, quod potest contemni et quod nemo vitare tenetur.

Colliges 2° opera supererogationis, imo quandoque præcepta Ecclesiæ posse et debere omitti pro salute non solum spirituali, sed etiam corporali proximi : sic quis potest et debet omittere auditionem sacri etiam in die festo, orationem, peregrinationem, etc. ut prolem periclitantem baptizet, ut succurrat extreme ægrotanti ; sic filius potest et debet omittere consilia evangelica, si sit necessarius parentibus sustentandis : neque in hoc agit contra ordinem charitatis ; quia, cum charitas inclinet principaliter ad Deum, facit id quod scit Deo magis placere : et quamvis ex una parte patiatur detrimentum in augmento charitatis, ex alia parte illud augmentum meretur faciendo opus magis Deo gratum. Aliunde non tenemur præcepto ad augmentum charitatis.

ARTICULUS III.

Utrum homo magis debeat diligere proximum quam proprium corpus ?

Hic q. 16 a. 5. ad 1. — Diligere proximum dicitur qui illum diligit quantum ad animam, quæ est potior pars ejus ; unumquodque enim videtur esse id quod est præcipuum in eo, ut ait philosophus, 9 Ethic. Quo sensu,

Ibid. o. — *Dico* 1° Homo magis debet diligere primum quam proprium corpus, quia illud magis est ex charitate diligendum quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate : atqui consociatio in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi

proximum quantum ad animam, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus Ergo.

Verum, quia præceptum diligendi proximum exponendo proprium corpus pro ejus salute spirituali est affirmativum, licet semper obliget, non tamen obligat pro semper, sed in certis casibus necessitatis: triplex autem distinguitur necessitas, extrema, gravis et communis. Extrema dicitur, quando proximus est in æternum periturus nisi adjuvetur, ut si infans est sine baptismo moriturus. Gravis, quando sine adjutorio potest absolute salvari, sed valde difficile; ut si quis morti proximus et in peccato mortali existens petat confessionem, sine qua potest absolute salvari sola contritione, sed longe difficilius quam sacramento. Communis est in qua communiter versantur peccatores qui communes peccandi occasiones incurrunt. Juxta hanc triplicem necessitatem,

Dico 2° In extrema necessitate quilibet tenetur exponere propriam vitam pro salute æterna proximi, si sit spes quod juvari possit. In gravi necessitate tenentur solum ii quibus incumbit ex officio cura animarum. In necessitate communi nemo tenetur.

Prob. prima pars. 1° Juxta S. Scripturam 1 Joan 3, *Nos debemus pro fratribus nostris animas ponere,* quod verum est saltem in extrema necessitate: unde S. Aug. l. de Mendacio c. 6, ait: « Temporalem pla» ne vitam suam pro æterna vita proximi » non dubitabit christianus amittere. »

2° Tenemur exponere bona fortunæ pro salvanda vita corporali proximi in extrema necessitate positi, juxta illud 1 Joan. 3: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo?* Ergo pro salvanda ejus vita spirituali debemus vitam corporalem exponere. *Patet conseq.* quia sic se habet vita nostra corporalis ad vitam spiritualem proximi, sicut opes nostræ ad vitam ejus corporalem.

Adverte autem eos non censèri in extrema necessitate qui ex propria malitia se in periculum damnationis injiciunt, ut sunt qui bellum injustum ingrediuntur, duellum suscipiunt et similes qui possunt seipsis a periculo recedere.

Prob. secunda pars. Magis tenentur illi quibus incumbit ex officio cura animarum gregi suo providere, quam iiquibus hæc cura non incumbit: atqui hi tenentur in extrema necessitate, neutri tenentur in communi: ergo ii tenentur in gravi necessitate quibus incumbit ex officio cura animarum, et non alii.

Aliunde durum foret obligare privatum, qui nullam alterius curam suscepit quam eam generalem quam cuique Deus mandavit de proximo suo, pro ejus salute vitam profundere extra extremam necessitatem: secus esset, si ageretur tantum de aliquo damno in bonis fortunæ, illud enim pati debet privatus pro salute proximi. Item, si periclitaretur salus totius populi, ut si hæreticus falsa doctrina perverteret totam communitatem, teneretur privatus cum periculo vitæ impedire, si posset; si enim quilibet tenetur cum periculo vitæ succurrere bono communi temporali, *a fortiori* bono spirituali. Adde quod in tali casu plures particulares sint in extrema necessitate.

Hinc inferes pastores teneri cum periculo vitæ, puta tempore pestis, administrare sacramentum pœnitentiæ suis parochianis; quia, licet possint absolute salvari cum contritione, difficile tamen, longe autem facilius cum attritione et sacramento: unde sunt, si non in extrema, saltem in gravi necessitate. Quantum ad administrationem sacramentorum eucharistiæ et extremæ unctionis, vide quæ scripsimus in tract. de Eucharistia, dissert. 7, a. 4, pet 5; et in tract. de Extrema Unctione, art. 7, pet. 2.

Tertia pars est manifesta; quia necessitas communis, a qua quilibet seipsum non ita difficile expedire potest est melius quam quivis alius, non est tanta, ut pro illa vitam profundere teneamur.

Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi?

Ante responsionem, suppono 1° licere, imo quandoque oportere, ut jam dixi, exponere bona temporalia pro salute corporali proximi; quia pretiosior est vita proximi nostris bonis temporalibus: unde Proverb. 12 dicitur: *Qui negligit damnum propter amicum, justus est*; et Eccles. 29: *Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum*; item 1 Joann. 3: *Qui habuerit substantiam*

huius mundi, etc., ut in conclusione præcedenti.

Suppono 2° ubi agitur de bono communi et vita alicujus personæ quæ sit reipublicæ prorsus necessaria, quemlibet posse et teneri exponere vitam propriam pro ejus vita servanda; quia bonum commune est præferendum privato

Suppono 3° ubi agitur de vita æqualis, si me credam in peccato mortali, aut si vita mea sit familiæ meæ vel aliis necessaria, non licere mihi vitam meam pro alterius vita exponere; quia vel salus mea æterna, vel necessitas plurium est præferenda necessitati corporali unius. *His suppositis, ad petitionem*

R. Non licet vitam propriam exponere pro vita alterius æqualis secundum se præcise considerata, seu spectando præcise vitam et vitam, probabiliter autem licet ex motivo virtutis christianæ.

Prob. prima pars. Proponere vitam corporalem proximi vitæ nostræ, spectando præcise vitam et vitam, est contra ordinem charitatis; est enim diligere proximum non sicut seipsum, sed plusquam seipsum: unde S. Aug. l. de Mendac. c. 6 : « Si, inquit, » pro illius temporali vita suam ipsam tem» poralem perdit, non est jam diligere sicut » seipsum, sed plusquam seipsum, quod » sanæ doctrinæ regulam excedit. » Ergo. Et Auctor hic a. 5, ad 1, dicit proximum quantum ad animam, non quantum ad corpus magis diligendum esse quam corpus proprium.

Secunda pars, quam tenent Victoria, Soto, Bannes, Valentia, Estius, Sylvius, Serra et alii contra alios, *probatur* 1° : ex illis verbis Christi Joan. 15 : *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis :* et quamvis id principaliter intelligatur de salute spirituali proximi, potest tamen generaliter intelligi etiam de salute corporali, ut intellexit S. Chrysost. l. 2 de Sacerd. Et interpretes dicunt hoc fuisse commune proloquium a Christo approbatum, in sensu quo homines intelligebant, scilicet laudabile esse vitam ponere pro amicorum salute etiam corporali.

2° Licitum est præferre bonum virtutis boni corporis, ubi necessitas ita exigit: ergo non est culpandus qui ex amore virtutis christianæ propriam vitam exponit pro vita proximi : unde S. Th. in 3, d. 29, a. 5, ad 3 : « Tradere, inquit, seipsum morti » propter amicum est perfectissimus actus » virtutis : unde hunc actum magis appetit » virtuosus quam vitam propriam corpora» lem : unde quod aliquis vitam propriam » corporalem propter amicum ponit, non » contingit ex hoc quod aliquis plus ami» cum quam seipsum diligat, sed quia in » se plus diligit quis bonum virtutis quam » bonum corporale. » *Neque dicas* S. Thomam loqui de expositione vitæ corporalis pro vita spirituali proximi; constat enim ex argumento cui respondet ipsum loqui de vita corporali pro vita corporali, siquidem argumentum erat de gentilibus qui pro amore amicorum se morti exposuerunt.

3° Laudantur qui vitam suam exposuerunt pro vita aliorum : sic SS. Patres laudant S. Paulinum, Nolanum episcopum, quod pro redimendo viduæ filio quem Vandali captivum in Africam abduxerant, seipsum in servitutem dederit. Simile factum laudatur in S. Dominico qui, mulieri fratris captivitatem inter Saracenos deflenti, se pro illius redemptione vendendum obtulit. S. Gregor. l. 3 Dialog. cap. 37, laudat B. Sanctulum qui certissimo vitæ periculo se exposuit pro diacono.

Dices. Supponimus quod est in quæstione. cum enim dicimus licitum esse vitam propriam exponere pro vita proximi ex amore virtutis, seu ut exerceamus actum virtutis; supponimus esse licitum et esse actum virtutis exponere vitam propriam pro aliena, hoc autem est quod quæritur, imo quod negare videmur in prima parte conclusionis. Ergo.

R. N. ant. Certum namque est esse licitum et esse actum virtutis conservare vitam proximi, et hoc supponimus : hoc autem supposito, quærimus utrum ille actus virtutis non vitietur in hoc quod exerceatur cum dispendio propriæ vitæ, et respondemus negative, si exerceatur ex ipsa intentione ponendi actum virtutis in propriam et proximi salutem aliorumque ædificationem.

Et hac probabili sententia inferunt laudati theologi quod, si duo sint in extrema necessitate, unus possit alteri dare unicum panem quem habet; in fuga hostium possit concedere equum, quamvis pedibus fugere non possit; grassante peste possit servire

nectis; in naufragio possit cedere tabulam quam posset occupare, aut quam jam occupavit, si tamen nondum ea cœpit uti; quia, in hoc ultimo casu, inquit Sylvius, tabulam cedendo esset se præcipitare in mare, seu se submergere, quod videtur pertinere ad occisionem sui quæ nunquam licet.

Cæterum hanc sententiam proponimus ut probabilem, quia huic S. Th. videtur magis favere quam oppositæ, quæ tamen est etiam probabilis.

ARTICULUS IV.

Quis sit ordo servandus in dilectione proximorum?

Hic q. 26. a. 6. o. — Certum est aliquem ordinem esse servandum in dilectione proximorum, et unum magis esse diligendum quam alium; quia in quibus invenitur aliquod principium, ordo attenditur secundum comparationem ad illud principium: cum ergo principium dilectionis sit Deus et ipse diligens, necesse est quod secundum propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum, major sit dilectionis affectus. *Quæritur* 1° de conjunctis comparative ad meliores, deinde de conjunctis inter se.

Ibid. a. 7. o. — *Dico* 1° Meliores sunt magis objective diligendi quam nobis conjunctiores minus boni; quatenus secundum eorum præsentem justitiæ statum, debemus illis velle majorem beatitudinis participationem quam nobis conjunctioribus minus bonis, secundum præsentem eorum statum: quia ad charitatem pertinet ut velit justitiam Dei servari, secundum quam qui sunt meliores plus beatitudinem participant.

Ibid. — *Dico* 2° Nobis secundum carnem conjunctiores sunt per se loquendo magis intensive diligendi quam meliores extranei.

Ibid. — 1° Quia intensio motus pendet a proprio agente, quod natum est vehementius influere in propinquiora quam in remotiora. Ergo.

2° Magis intensive nos ipsos diligimus quam alios meliores: ergo et nobis magis conjunctos.

3° S. Scriptura pluribus in locis nobis specialiter commendat dilectionem conjunctorum, quod est indicium eos esse præ cæteris diligendos. In primis est speciale præceptum de honorandis parentibus; honorantur autem parentes, non solum reverentia et obedientia, sed etiam beneficiorum collatione, consequenter et affectu interiori, cui respondet beneficiorum collatio. Isai. 58, post enumerata varia opera misericordiæ, subditur: *Et carnem tuam ne despexeris.* 1 Timoth. 5: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior:* Apostolus vocat *suos* qui quovis modo sunt conjuncti, *domesticos* autem qui sanguine sunt juncti.

Ibid. — Est et alius modus plus diligendi conjunctiores quam extraneos, quia pluribus titulis diliguntur. Ad eos enim qui non sunt nobis conjuncti non habemus nisi amicitiam charitatis; ad eos vero qui sunt nobis conjuncti habemus aliquas alias amicitias, secundum modum conjunctionis eorum ad nos, v. g. amicitiam filiorum ad parentes et e contra fratris ad fratrem, concivis ad concivem, etc. Et quamvis isti amores non sint eliciti a charitate, sed sint naturales aut morales, in hominibus tamen bene ordinatis imperantur a charitate; quia, cum bonum super quod fundatur quælibet amicitia honesta, ordinetur tanquam ad finem ad bonum super quod fundatur charitas, consequens est ut charitas imperet actui cujuslibet alterius amicitiæ: sicut ars quæ est circa finem, imperat arti quæ est circa ea quæ sunt ad finem. Et sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus vel conjunctus est, vel quia concivis, vel propter quodcumque hujusmodi aliud licitum ordinabile in finem charitatis, potest a charitate imperari: et ita ex charitate eliciente cum imperante, pluribus modis diligimus magis nobis conjunctos.

Dixi, *per se loquendo;* quia per accidens, quando cætera non sunt paria, potest contingere quod meliores sint magis diligendi quam conjunctiores secundum carnem, ut si persona salvanda sit absolute necessaria bono communi. Si quis te a morte sive corporali sive spirituali, quam inferre volebant parentes, eripuit; si te a fratribus in gravi vel extrema necessitate derelictum suscepit et curavit; si inter spiritualiter conjunctos sit arctissima necessitudo, et vix ulla inter remotiores consanguineos, ut in tertio, quarto vel quinto gradu; in his et

similibus casibus magis diligendi sunt meliores quam carnaliter conjuncti.

Dices contra conclusionem. Christus, Matth. 12, prætulit cognationem spiritualem carnali, cum cuidam dicenti, *Ecce mater tua et fratres tui foris stant*, respondit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, ipse meus frater et soror et mater est.* Ergo.

R. inde probari sanctitatem esse præferendam cognationi carnali in dignitate et æstimatione, et cognationem carnalem non debere esse impedimento prædicationi Evangelii, nisi forte cognati sint in necessitate; non autem sanctiores magis esse affectu et affectu diligendos quam conjunctiores.

Inst. 1° Deus ipse magis diligit meliores: ergo et nos debemus sic diligere, ut voluntatem nostram divinæ conformemus. Adde quod in patria meliores magis quam conjunctiores diligemus. Ergo.

R. D. ant. Deus magis objective diligit meliores, *C.* sic et nos diligimus; magis intensive, *N.* Deus enim uno et simplici actu omnes diligit. Aliunde non tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinæ in volito materiali, sed formali tantum, ut dicitur de actibus humanis.

Hic a. 13. o. — *Ad confir. N. conseq.* Disparitas est, quod in patria cessabit provisio quæ est in præsenti vita, qua necesse est ut unusquisque sibi conjuncto provideat in spiritualibus et temporalibus magis quam alieno: ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione charitatis, homo plus diligit magis sibi conjunctum cui magis debet impendere charitatis effectum. Unde in patria totus ordo dilectionis speetatur ex propinquitate ad Deum; in hac autem vita etiam spectatur ex conjunctione ad diligentem.

Inst. 2° Deo conjunctiores sunt magis diligibiles, plus enim participant divinam bonitatem quæ est ratio diligendi ex charitate: ergo sunt magis diligendi.

Hic a. 7. o. — *R.* 1° *D. conseq.* Ergo sunt plus diligendi objective et secundum speciem, *L.* plus intensive, *N.* Itaque omnis actus proportionatur objecto et agenti; ex objecto habet speciem, ex virtute agentis habet modum suæ intensionis, sicut motus habet speciem ex termino ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis et virtute moventis. Sic ergo dilectio speciem habet ex objecto, sed intensionem habet ex parte ipsius diligentis: unde, quamvis Deo conjunctioribus majus bonum velimus, non tamen ideo magis intense volumus.

Ibid. — 2° *Posset absolute negari consequentia;* quia, licet meliores magis participent divinam bonitatem, et ideo sint secundum præsentem statum magis diligibiles, ista tamen participatio in hac vita est mutabilis, et qui hodie plus participat potest cras minus participare, et e contra qui hodie minus participat, potest cras magis participare; at conjunctio secundum carnem est immutabilis: unde possum diligere ut mihi conjuncti plus participent divinam bonitatem, sicque plus eos diligere quam qui nunc sunt meliores.

Inst. 3° Qui plures amat propter unum, magis amat eos qui sunt isti uni propinquiores: atqui diligimus ex charitate proximum propter Deum. Ergo.

R. D. maj. Cæteris paribus, *transeat;* cæteris imparibus, *N.* Hic autem cætera non sunt paria; quia 1° conjunctiores nobis pluribus titulis diliguntur quam propinquiores Deo; 2° quia specialiter est nobis a Deo commendata dilectio et cura nobis conjunctorum. Utrumque *patet ex probationibus conclusionis.* Sicut ergo, quamvis, v. g. gubernator civitatis omnes subditos regis diligat propter regem, non tamen magis diligit regi propinquiores quam suos cives, quia nempe pluribus titulis eos diligit, et eorum dilectio atque circa specialiter est sibi a rege commendata. Ita in nostro casu.

Dices. S. Aug. lib. de Vera Relig. cap. 26, dicit necessitudines propinquitatis carnalis esse ex peccato, et neminem esse aptum regno Dei qui non eas oderit. Ergo. *R.* S. Augustinum id retractasse lib. 1 Retract. cap. 13.

Recte observat doctissimus Sylvius quod cum Auctor, hic et a. 6, loquitur de intensione dilectionis, non accipiat eam stricte prout consistit in gradibus intensionalibus, sed generaliter pro perfectione actus, sive illa sit secundum plures gradus intensionales, sive secundum appretiationem; quatenus amicitia unius magis æstimatur, ideoque bonum illius amici magis procuratur quam alterius.

Ibid. a. 8. o. — *Dico* 3° Inter varie conjunctos, carnaliter conjuncti per se loquen-

do sunt magis diligendi in his quæ pertinent ad naturam quam aliter conjuncti.

Ibid. — *Supponit conclusio* varios conjunctionis modos : inprimis est conjunctio secundum carnem, ut inter parentes et consanguineos, altera est secundum societatem politicam, ut inter concives in eadem civitate, vel inter commilitiones in eadem militia, tum inter se tum cum suis magistratibus aut ducibus; altera est secundum communem vivendi modum in eadem religione; altera secundum rationem obsequii, sive spiritualis, sive temporalis.

Ibid. — *Dicit itaque conclusio* quod, per se loquendo, qui sunt carnaliter conjuncti, magis diligendi sint in his quæ pertinent ad naturam quam aliter conjuncti, quia intensio dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem; conjunctio autem carnalis originis est prior et immobilior, quia est secundum id quod pertinet ad substantiam : aliæ autem conjunctiones sunt supervenientes et removeri possunt.

Ibid. — Dixi, *in his quæ pertinent ad naturam;* quia in his quæ pertinent ad alias conjunctiones, sunt magis diligendi qui secundum alias conjunguntur; ita ut, inquit Auctor, « Unusquisque diligatur magis in eo quod pertinet ad illam conjunc» tionem secundum quam diligitur. » Intellige extra necessitatem, ut modo dicam : unde, v. g. in re bellica magis obeditur duci quam patri.

Attamen, comparando dilectionem dilectioni, conjunctionem conjunctioni, carnalis est cuicumque præferenda; ita ut, si non possint præstari ea quæ pertinent ad carnalem conjunctionem et ea quæ sunt propria aliis conjunctionibus, ista sunt omittenda, imo et istæ conjunctiones sunt deserendæ, si necesse sit : unde miles, v. g. debet militiam deserere ut subveniat necessitati parentum; religiosus exire ex monasterio in eumdem finem : unde relinquitur quod, simpliciter loquendo, carnaliter conjuncti sint magis diligendi quam aliter conjuncti.

Consectaria.

Ex his colliges 1° in gravi vel extrema necessitate corporali, per se loquendo, magis esse succurrendum parentibus, filiis, uxori et probabilius etiam fratribus et sororibus quam cuivis benefactori quantumvis insigni. Quantum ad parentes *patet*, quia inter beneficia, nullum est comparabile beneficio quod a parentibus accepimus : quantum ad filios et uxorem, quamvis parentes nihil accipiant a filiis, nec maritus ab uxore, tamen filii sunt aliquid parentum et uxor aliquid viri, sunt enim vir et uxor una caro. Idem videtur dicendum de fratribus et sororibus, quia arctior est conjunctio inter illos quam inter quosvis alios.

Dixi tam in conclusione quam in consectario, *per se loquendo;* quia conclusio cum consectario intelligenda est sub iis exceptionibus quas secundæ conclusioni apposuimus. Vide.

Colliges 2° etiam in pari necessitate spirituali, probabilius parentes et filios carnales esse præferendos parentibus et filiis spiritualibus; quia simpliciter loquendo, parentes et filii carnales sunt magis ex charitate diligendi quam quivis alii : atqui, si non præferantur aliis in necessitate spirituali, non magis diligentur ex charitate : ergo. *Prob. min.* Dilectio charitatis fundatur in participatione beatitudinis et in communicatione bonorum spiritualium in ordine ad illam : ergo, si non præferantur aliis in necessitate spirituali, non magis diligentur ex charitate quam alii.

Dices. Generatio spiritualis est majus beneficium quam carnalis : ergo plus debemus parentibus spiritualibus quam carnalibus.

R. N. conseq. Partim quia parentes spirituales non sunt æque causa nostræ regenerationis sicut parentes carnales sunt causa nostræ generationis carnalis; causa enim principalis nostræ regenerationis est Deus et Christus, sacerdos autem est causa instrumentalis tantum : at parentes sunt causa principalis nostræ generationis carnalis, partim quia generatio carnalis est fundamentum vitæ spiritualis, in quantum illa supponitur ad istam.

Inst. Unusquisque magis est diligendus in eo quod pertinet ad illam conjunctionem secundum quam diligitur, ut diximus paulo ante ex Auctore : atqui parentes et filii spirituales sunt nobis magis conjuncti quam carnales quantum ad ea quæ spectant conjunctionem spiritualem. Ergo.

R. hoc dictum Auctoris esse intelligendum de iis quæ sunt propria cuilibet conjunctioni, non vero de bono quod est com-

mune omnibus conjunctionibus, quale est vita æterna. Item intelligendum est extra necessitatem, quo casu fatemur parentes spirituales debere magis curare spiritualem profectum filiorum spiritualium aut spiritualiter conjunctorum quam parentum, filiorum, fratrum aut sororum carnalium : quo sensu dicebat S. Ambros. l. 1 de Offic. c. 7 : *Non minus vos diligo quos in Evangelio genui, quam si in conjugio suscepissem :* quam dilectionem Auctor hic a. 8, ad 2, explicat quantum ad officia spiritualia impendenda, ut instructionis in fide et in bonis moribus. Neque dubium est quin pastor magis debeat invigilare saluti suorum parochianorum quam parentum aut fratrum qui sunt alterius parochiæ et a suo pastore sufficienter curari possunt. Idem dic de officiis et obsequiis propriis cuilibet conjunctioni extra necessitatem parentum et cognatorum : sic civis concivi, frater spiritualis fratri aut patri spirituali in religione, etc., plus debet in his quæ sunt propria societati politicæ vel religiosæ quam parentibus et cognatis carnalibus.

Ibid. 9. o.— *Colliges* 3° patrem plus esse diligendum objective quam filium, filium autem plus intensive quam patrem. *Ratio prioris est*, quia diligimus patrem sub ratione principii quod habet rationem eminentioris boni et similioris Deo. *Ratio secundæ partis.* Id intensius diligitur quod est conjunctius ; filius autem est magis aliquid patris quam pater sit aliquid filii ; ramus enim est aliquid arboris, non arbor aliquid rami.—**In 3. d. 29. a. 7. o.**—Absolute autem loquendo, pater in necessitate est præferendus filio, quia pater diligitur ut causa, filius ut effectus ; major est autem obligatio effectus ad causam quam causæ ad effectum.

Hic. a. 10. o.—*Colliges* 4° patrem per se loquendo magis esse diligendum quam matrem ; quia pater est nobilius principium quam mater. Potest tamen facile contingere quod propter virtutes et merita matris, et e contra propter vitia et negligentias patris, mater sit magis diligenda : unde dixi, *per se loquendo.*

Q. 26. a. 11. — *Colliges* 5° patrem plus esse diligendum objective et appretiative quam uxorem, uxorem autem plus intensive quam patrem et filios. *Ratio est*, quia, *ut jam diximus*, diligimus patrem sub ratione principii quod habet rationem eminentioris boni et Deo similioris atque ratione accepti beneficii ; uxorem autem diligimus ut nostram carnem, sicque ut conjunctiorem quam patrem et filium : intensio autem dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem, ut jam non semel dictum est.

Cæterum observant theologi ordinem in tribus ultimis consectariis immutare, non esse grave peccatum ; quia non est notabilis excessus unius super alium.

ARTICULUS V.

An et quo sensu liceat Deum diligere et illi servire propter retributionem?

Dico 1° Fide certum est licere aliquo sensu Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo propter retributionem.

Ita definitum est in concilio Trid. sess. 6, cap. 11, et can. 31, his verbis : « Si quis » dixerit justificatum peccare dum intuitu » æternæ mercedis bene operatur, ana» thema sit. »

Constat ex S. Scriptura in pluribus locis. David Psal. 118, dicit : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem ;* Apost. Heb. 11, refert Abraham et Moysen bona egisse intuitu mercedis æternæ : de Abraham dicit quod ex obedientia in terra promissionis, *tanquam in aliena demoratus sit ; quia expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus ;* de Moyse, quod *Magis elegerit affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem, quia aspiciebat in remunerationem ;* Matth. 19, Apostolis dicentibus : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ?* respondit Christus, promittens illis ampliorem quam aliis mercedem : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, Coloss. 1, dicuntur habuisse fidem et dilectionem, *propter spem quæ reposita erat eis in cœlis*, et Christus, Matth. 5, eos incitat ad tolerantiam passionum intuitu mercedis ; *Gaudete*, inquit, *et exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.*

Idem passim asserunt SS. Patres. Cypr. Epist. 16 ; Chrysost. Hom. 63 in Matth. Ambros. l. 5 in cap. 6 Luc. Hieron. l. 1 cont. Jovin. c. 13 ; Aug. in Psal. 134, tract.

51 in Joan. et alibi. Item Ecclesia, quæ in officio martyrum cantat: *Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut hæredes fierent in domo Domini.*

In 3. d. 29. a. 4. o. — *Dico* 2° Non licet diligere Deum aut illi servire propter retributionem, tanquam propter finem rei amatæ seu Dei; tum quia Deus non potest ordinari ad aliquid tanquam ad finem, cùm ipse sit finis ultimus ad quem omnia ordinantur; tum quia alioquin retributio amaretur plusquam Deus, finis enim plus amatur quam ea quæ sunt ad finem.

Ibid — *Dico* 3° Licet servire Deo sive ipsum diligendo, sive virtutum opera exercendo propter retributionem æternam, sic ut retributio sit finis dilectionis et bonorum operum, non ultimus sed ulterius ordinabilis ad Deum.

Prob. prima pars. 1° Nulla est inordinatio quod media ad finem suum proprium et legitimum et merita ad præmium ordinentur : atqui finis proprius et legitimus bonorum operum eorumque præmium est æterna beatitudo, juxta illud Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et 1 Petri 1 : *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Idque probant ea quæ protulimus pro prima conclusione.

2° Amicorum est ut quærant invicem frui : atqui merces nostra nihil aliud est quam frui Deo : ergo.

Prob. secunda pars. Finis noster ultimus est Deus : atqui beatitudo æterna, licet objective sit Deus, formaliter tamen non est Deus, sed quid creatum, scilicet visio beatifica. Ergo.

Hinc sequitur tertia pars. Si enim possumus servire Deo propter retributionem æternam tanquam propter finem bonorum operum, sed non ultimum : ergo tanquam propter finem ulterius ordinabilem ad Deum, ita quod intendamus videre Deum, ut eum securius et intensius diligamus, atque in æternum laudemus et glorificemus; sic affecti, ut si nulla esset beatitudo speranda, nihilominus diligeremus illum atque illi serviremus.

Dico 4° Licet servire Deo intuitu mercedis temporalis, non tanquam finis proprie dicti bonorum operum; inordinatum enim esset quod actus virtutum qui sunt præstantiores bonis temporalibus, tanquam media ad illa ut ad finem ordinarentur; sed tanquam boni alicujus vel finem comitantis, vel ad eum conducentis, ita ut se habeant tantum ut quædam motiva accessoria. Juvant enim nos bona temporalia ad finem supernaturalem consequendum, 1° in quantum per illa vita hæc corporalis in quia sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur; 2° in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum.

Id confirmat praxis Ecclesiæ, quæ petit a Deo serenitatem, pluviam, fruges, etc., imo ipse Christus qui jubet nos in Oratione Dominica petere *panem nostrum quotidianum.*

Hic. q. 27. a. 3. o. — Potest adhuc alio sensu, licet improprio, Deus diligi propter beneficia, quatenus homo ex acceptis vel speratis beneficiis a Deo, disponitur et incitatur ad diligendum ipsum propter se; sed hoc non est diligere Deum intuitu mercedis.

Argumenta quæ opponi possunt contra tertiam conclusionem, attenta ejus explicatione, facile solvi possunt; unde breviter

Dices. Qui diligit Deum propter mercedem plus diligit mercedem quam Deum; propter enim unumquodque tale et illud magis. Ergo.

R. D. ant. Qui diligit Deum propter mercedem tanquam finem rei amatæ, plus, etc., *C.* tanquam finem dilectionis, *subdistinguo.* Tanquam finem ultimum, *transeat;* tanquam finem ulterius ordinabilem ad, *N. Solutio patet ex ipsa conclusione.*

Inst. 1° Amor Dei propter mercedem est amor mercenarius : atqui amor mercenarius, ut docet Auctor supra, q. 19, a. 4, ad 3, est semper malus. Ergo.

R. D. maj. Amor Dei propter mercedem, *ad sensum conclusionis*, est amor mercenarius proprie dictus, qui nempe principaliter intendit mercedem sive temporalem sive æternam, ita ut si non esset merces non diligeretur Deus *N.* est amor mercenarius improprie dictus, quo quis scilicet ita mercedem spectat, ut si nulla esset nihilominus diligeret Deum, *C.* At iste amor mercenarius non est malus.

Inst. 2° Diligere Deum propter mercedem pertinet ad amorem concupiscentiæ: ergo non est charitatis; charitas enim est amor benevolentiæ.

R. D. conseq. Ergo non est charitatis pri-

mano, *C.* secundario, *N.* Non repugnat enim quod qui charitate Deum diligit propter seipsum secundario aliquod commodum inde expectet; quia vera amicitia non excludit omnem respectum ad commodum ab amico consequendum, modo principaliter propter se ametur.

Quantum ad SS. Patres qui possunt opponi, intelligendi sunt de amore Dei propter mercedem temporalem, vel etiam æternam principaliter intentam et tanquam finem ultimum.

ARTICULUS VI.

Utrum sit melius et magis meritorium diligere inimicum quam amicum?

Hic q. 27. a. 7. o. — Auctor docet quod istæ dilectiones possint comparari dupliciter, ex parte proximi qui diligitur, et ex parte rationis propter quam diligitur; quod primo modo dilectio amici præemineat dilectioni inimici, quia amicus et melior est et magis conjunctus; secundo modo dilectio inimici præemineat, quia est purior et ostenditur esse fortior, quippe quæ se ad remotiora extendit.

In his conveniunt theologi; sed quæstio inter illos remanet, quæ istarum dilectionum secundum se et cæteris paribus sit absolute melior? ut si uno actu non cogitando de inimico diligam amicum ad duo, et alio actu non cogitando de amico diligam inimicum pariter ad duo: quæ dilectio sit absolute melior et magis meritoria? Constat namque quod si una sive amici sive inimici sit ad sex, sit melior altera quæ est tantum ad duo.

Dico. Secundum communiorem et probabiliorem sententiam, dilectio amici secundum se et cæteris paribus est absolute melior et magis meritoria quam dilectio inimici.

Videtur expressa sententia Auctoris, qui præsentem articulum septimum sic concludit: « Dilectio amicorum secundum se considerata, est ferventior et melior quam » dilectio inimicorum. » Et q. disput. de charitate a. 8, ad 17: « Si consideremus, » inquit, istos duos actus, absolute melius » est diligere amicum quam inimicum. »

Ibid. — *Prob ejus rationibus.* 1° Illa dilectio est absolute melior, cujus objectum est melius; bonitas enim essentialis actus petitur ex bonitate objecti: atqui amicus est melior, Deo et nobis conjunctior quam inimicus. Ergo. *Si dicas* amicum posse esse aliunde pejorem. *R.* conclusionem non spectare nisi præcise rationem amicitiæ et inimicitiæ respective ad amantem.

Ibid. — *Confirmatur* 1° Illud est absolute melius cujus oppositum est pejus: atqui pejus est absolute odisse amicum quam inimicum, ut in terminis dicit Auctor et apprehendit sensus communis. Ergo.

Confirmatur 2° Dilectio illius quod est vere diligibile est bona: ergo dilectio illius quod est magis diligibile est melior: atqui amicus est magis diligibilis quam inimicus. Ergo.

Obj. 1° S. Th. hic a. 7, dicit quod dilectio inimici præemineat secundum rationem diligendi: atqui excessus secundum rationem diligendi absolute est melior, quia objectum dilectionis non specificat nisi ut subest rationi diligendi. Ergo.

R. D. maj. Dilectio inimici juxta D. Th. præeminet secundum rationem diligendi spectatam essentialiter, *N.* spectatam secundum accidentia, *C. Ad cujus sensum distincta min. N. conseq.* Non intendit ergo S. Th. quod ratio diligendi quæ est bonitas divina, sit major seu magis participata in inimico quam in amico; quin potius contrarium docet in capite articuli, dum dicit amicum esse meliorem; sed vult tantum quod ratio diligendi in inimico sit purior et ostendatur fortior quia difficilior: hæc autem sunt accidentia respectu rationis diligendi.

Inst. 1° Secundum D. Th. ibid. dilectio inimici est reipsa fortior: ergo absolute melior. *Prob. ant.* S. Th. comparat dilectionem igni qui tanto est fortior quanto comburit remotiora, seu materiam minus combustibilem: ergo dilectio tanto est fortior quanto diligit objectum minus diligibile, scilicet inimicum.

R. N. ant. Ad probat. D. ant. S. Th. comparat dilectionem igni quantum ad aliquid, *C.* quantum ad omnia, *N.* In hoc ergo tantum stat comparatio D. Thomæ quod, sicut dum ignis extenditur ad remotiora et comburit materiam minus combustibilem, ostenditur esse fortior; ita dilectio, dum se extendit ad inimicum, ostenditur esse fortior: at non quod reipsa sit fortior præcise ut attingit inimicum, cum et eadem possit attingere amicum. Insuper minima charitas se extendit ad omnia diligibilia et diligit Deum super omnia, sicque potest

superare omnes difficultates, quod dici non potest de minimo igne respectu omnis materiæ combustibilis Unde charitate eadem et æque intensa possum diligere amicum et inimicum : et in hoc sensu procedit conclusio.

Inst. 2° Saltem, secundum D. Thomam, dilectio inimici est purior, quia non diligitur inimicus nisi propter Deum, cum amicus diligatur etiam propter aliud : ergo est melior.

R. D. conseq. Ergo est melior secundum quid et accidentaliter, *transeat;* simpliciter et absolute, *N.* Bonitas enim quæ petitur ab objecto est simpliciter et absolute melior. Dixi, *transeat*, quia admixtio motivorum naturalium in dilectione amici non semper causat remissionem seu diminutionem illius ; natura enim non est gratiæ contraria, sed a gratia perficitur : unde, quando illa motiva per charitatem ordinantur ad ejus finem, nullum ex illis patitur detrimentum, sed e contra proficit.

Obj. 2° Dilectio amicorum non meretur mercedem, juxta illud Christi, Matth. 5 : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Dilectio autem inimicorum meretur mercedem, ergo.

Ibid. ad 1. — *R.* sensum verborum Christi esse, quod dilectio amicorum apud Deum mercedem non habeat, quando propter hoc solum amantur quia sunt amici et non propter Deum : quod videtur accidere quando sic amantur amici, quod inimici non diligantur.

Obj. 3° ex Patribus. S. Chrysost. Hom. de Cruce et Latrone sub finem, dicit : « Melius est pro inimicis quam pro amicis » orare, nec enim tantum nobis præstat » pro amicis oratio quantum pro inimicis » deprecatio. » S. Aug. Enchir. c. 37 : « Minus magnum est erga eum esse benevolum, seu etiam beneficum, qui tibi » nihil mali fecerit; illud multo grandius » et magnificentissimæ bonitatis est, ut » tuum quoque inimicum diligas. » S. Bernar. Serm. feriæ quartæ hebdomadæ pœnosæ, ad hæc verba : *Majorem charitatem nemo habet*, etc. dicit : « Tu habuisti majorem, Domine, ponens etiam pro inimicis. » Ergo

R. nos et similes Patrum textus duplici sensu excipi : 1° non comparant dilectionem amicorum seorsim cum dilectione inimicorum, sed eam dilectionem quæ est amicorum tantum cum ea quæ supponit dilectionem amicorum, et insuper includit dilectionem inimicorum : et hæc indubie est melior et magis meritoria quam dilectio amicorum tantum ; 2° loquuntur SS. Patres in suppositione quod dilectio inimicorum fiat, ut sæpe contingit, intensior propter difficultatem, et quod eadem intensione non feratur in amicos; quo casu etiam est melior. Sed hoc non semper nec necessario sequitur, tum quia eodem gradu intenso quo diligo inimicos possum diligere amicos, tum quia, *ut jam dixi*, minima charitas se extendit ad omnia diligibilia et diligit Deum super omnia, sicque potest omnes difficultates superare : unde possum diligere amicum et inimicum in eodem gradu, puta ad duo; et hoc sensu, ut iterum repetam, procedit conclusio.

Obj. 4° Dilectio inimici est difficilior quam amici : ergo et melior.

Ibid. a. 8. ad 3. — *R. N. conseq.* Plus enim facti ad rationem meriti et virtutis bonum quam difficile : unde non oportet quod omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius ut etiam sit melius, ut proinde difficultas operis sequatur rationem boni. Difficultas autem quæ reperitur in dilectione inimici non sequitur rationem boni, cum non proveniat ex objecto quatenus bonum est, sed e contra quatenus a bono deficit. Denique exemplum patens est in dilectione Dei quæ melior est quam dilectio proximi, licet ista sit difficilior.

ARTICULUS VII.

De Præceptis charitatis.

Charitatis nomine hic non intelligitur habitus charitatis, sed actus ; non enim præcepta dantur de habitibus, sed de actibus. Cum itaque in præsenti dissertatione egerimus de præcipuo actu charitatis qui est dilectio, præsentem quæstionem hic propono quam tractat Auctor infra q. 44.

§ I. — *Utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno?*

Non pauci docuerunt non dari præceptum speciale et a cæteris distinctum diligendi Deum actu interno explicito, sed dilectionem Dei præceptam nihil aliud esse quam observantium cæterorum mandatorum, etiam sine ullo internæ dilectionis

affectu; quod sane non parum offendit pias aures. Contra quos itaque

Hic q. 44. a. 3. ad 1. — *Dico.* Datur speciale et a cæteris distinctum præceptum diligendi Deum affectu et actu interno explicito, et non solum effectu observando cætera mandata.

Prob. 1° ex his Christi verbis, Matth. 22 : *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum ; secundum simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum : in his duobus mandatis universa lex pendet.* Idem legitur Deut. 6 et Luc. 10.

Ex his triplex formo argumentum. Primum. Juxta S. Augustinum et omnes interpretes, verba S. Scripturæ in sensu naturali et obvio accipienda sunt, nisi obstet grave inconveniens : atqui ista verba, *diligere ex toto corde, in tota anima, in tota mente*, naturaliter et obvie affectum et actum internum dilectionis significant, nec nisi per apertam violentiam in alium sensum detorqueri possunt, neque huic sensui ullum obstat inconveniens, quinimo in hunc sensum omnia conspirant : ergo.

Secundum. Inter ea quæ distincta non sunt non potest numerari primum, secundum et tertium, neque unum potest dici maximum ; hoc per se patet : atqui, juxta Scripturam citatam, præceptum dilectionis Dei inter cætera numeratur primum, præceptum dilectionis proximi secundum, cætera quæ in his duobus pendent tertium. Item, præceptum dilectionis Dei dicitur maximum inter alia : ergo præceptum dilectionis Dei est speciale et distinctum a cæteris præceptis.

Tertium. Nihil pendet a seipso : atqui lex seu præcepta totius legis pendent ab his duobus præceptis : ergo hæc duo præcepta sunt a cæteris distincta.

Confirmatur. S. Scriptura distinguit dilectionem Dei et observantiam mandatorum ut causam et effectum, ut signum et significatum. Joan. 14 : *Si diligitis me, mandata mea servate :* ubi dilectio assignatur ut causa observantiæ mandatorum, et observantia mandatorum ut signum dilectionis.

Prob. 2° Virtus charitatis non est tantum imperativa actuum observantiæ mandatorum, sed etiam est elicitiva affectuum et actuum propriorum, ut per se constat : ergo etiam præceptum charitatis non obligat tantum ad actus imperatos, seu ad observantiam mandatorum, sed etiam ad actum proprium elicitum charitatis qui est formalis et explicitus amor Dei. Idque aperte innuit S. Scriptura non solum locis jam citatis, sed etiam 1 Cor. 16 : *Si quis non amat Jesum Christum, anathema sit ;* et 1 Joan. 4 : *Nos ergo diligamus Deum quoniam prior dilexit nos.*

Huc faciunt sequentes propositiones damnatæ. *Prima :* « Homo nullo unquam vitæ » suæ tempore tenetur elicere actum fidei, » spei et charitatis ex vi præceptorum di- » vinorum ad eas virtutes pertinentium : » est prima inter damnatas ab Alexandro VII anno 1665. *Secunda :* « An peccet mortali- » ter qui actum dilectionis Dei semel tan- » tum in vita eliceret ? condemnare non au- » demus. » *Tertia :* « Probabile est ne sin- » gulis quidem rigorose quinquenniis per » se obligare præceptum charitatis erga » Deum. » *Quarta :* « Tunc solum obligat » quando tenemur justificari et non habe- » mus aliam viam qua justificari possu- » mus. » Sunt quinta, sexta et septima inter damnatas ab Innocent. XI anno 1679. *Quinta :* « Finem ultimum homo non te- » netur amare neque in principio neque » in decursu vitæ suæ moralis » est damnata ab Alexand. VIII anno 1690.

Dices 1° Joan. 14, dicitur : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui me diligit :* ubi videtur dilectionem præceptam reponi in observantia mandatorum. Ergo.

R. his verbis nihil aliud significari quam quod observantia mandatorum sit signum dilectionis Dei ; quia fieri non potest quod quis sincere Deum diligat ex toto corde, et mandata ejus non servet.

Dices 2° S. Bernar. Serm. 50 in Cantic. dicit : « Est charitas in actu et in affectu ; » et de illa quidem quæ operis est puto da- » tam esse legem mandatumque firmatum : » nam in affectu quis ita habeat ut mande- » tur ? illa mandatur ad præmium, ista in » præmium datur. » Ergo.

R. S. Bernard. non excludere obligationem omnis affectionis internæ, sed affectionis tantum perfectæ et consummatæ ; distinguit enim ibi triplicem affectionem « quam » caro gignit, quam ratio regit, et quam » condit sapientia.... Prima quidem dulcis

» sed turpis; secunda sicca, sed fortis; ul- » tima pinguis et suavis. » Non ergo excludit obligationem secundæ affectionis in qua sita est essentialiter charitas per quam opera fiunt, sed obligationem tertiæ quæ est cum dulcedine et devotione consummata, quæque non præcipitur in hac vita, sed datur in præmium in patria.

Dices 3° Istud præceptum non ponitur in Decalogo. Ergo.

Ibid. ad 3. — *R.* 1° *N. conseq.* Quia omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei et proximi : præcepta primæ Tabulæ ad dilectionem Dei, secundæ Tabulæ ad dilectionem proximi : et ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi. 2° *D. ant.* Istud præceptum non ponitur explicite in decalogo, *C.* implicite, *N.* hoc ipso enim quod in capite Decalogi ponitur : *Ego sum Dominus Deus tuus*, recta ratio statim infert esse diligendum.

Quod diximus de præcepto diligendi interne Deum, dicendum est de præcepto diligendi interne proximum propter easdem rationes, quibus adde : jubemur diligere proximum sicut nos ipsos; nos autem diligimus nos affectu interno. Item Joan. 15, dicit Christus : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos :* Christus autem dilexit nos non solum per opera externa, sed affectu interno.

Neque dicas proximum sublevari duntaxat opere externo, nec curare affectum internum : *falsum* namque est *utrumque assumptum*; sublevatur enim proximum etiam orationibus internis, et dedignaretur opus externum si sine affectu illi exhiberetur.

Hinc sequentes propositiones damnatæ ab Innocent. XI : « Non tenemur proximum » diligere actu interno et formali : » est decima; « Præcepto proximum diligendi sa- » tisfacere possumus per solos actus exter- » nos : » est undecima.

Petes quid intelligatur in præcepto charitatis per istas particulas: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, et ex tota mente?*

Ibid. a. 4. et 5. o. — *R.* Supposito quod inter has particulas assignandum sit discrimen, *ex toto corde* significat ex tota intentione seu voluntate; *ex tota mente* significat quod intellectus noster subdatur Deo; *ex tota anima*, quod appetitus noster sensitivus reguletur secundum Deum; *ex tota fortitudine*, quod actus exteriores sint conformes divinis legibus.

Dixi, supposito quod inter has particulas assignandum sit discrimen; quia multi volunt his unum et idem significari, scilicet amorem Dei super omnia, easque apponit tantum ad majore explicationem et energiam, perinde ac si diceretur : Diliges Deum ex toto animo animi affectu et super omnia, sic ut in amorem Dei nihil illi anteponas aut adæques; idque colligunt ex eo quod S. Scriptura interdum tres particulas ponat, ut Deuteron. 6 et Matth. 22; aliquando duas, ut Deuteron. 10 et 30; aliquando quatuor, ut Marc. 12 et Luc. 10; quodque non semper eædem nec eodem ordine ponantur : nam Deuteron. 6, exprimitur *cor, anima et fortitudo*, apud Matth. *cor, anima et mens*, apud Marc. *cor, anima, mens et virtus*, apud Luc. *cor, anima, vires et mens :* quæ varietas signum est non esse magnum mysterium in distinctione harum particularum, sed perinde esse, sive istæ, sive illæ ponantur. Ita doctissimus Sylvius, qui addit quod, quamvis SS. August. et Bernard. discrimen ponant inter clausulas, cæteri tamen Patres, SS. Chrysost. Hilar. Hieron. et Ambros. nullam agnoscant, intelligentes sub ly *ex toto corde* cæteras contineri.

§ II. — *Quandonam obliget præceptum charitatis?*

Suppono hoc præceptum sicut cætera obligare dupliciter, per se et per accidens ratione alterius præcepti quod sine actu charitatis impleri non potest, *ut diximus* de præcepto fidei.

Dico 1° Præceptum dilectionis Dei per se obligat 1° initio usu rationis ad hoc sufficientis, de quo sat superque dixi in tract. de Peccatis, dissert. 8, art. 8. Vide.

2° Obligat per se in fine vitæ; quia, cum tunc spiritus revertatur ad Deum qui creavit illum, et diabolus maxime illi insidietur, gravissimæ negligentiæ et contemptus accusaretur homo si non se converteret per amorem ad Deum cui sperat amore æterno conjungi in beatitudine.

3° Obligat per se sæpius in vita, cum charitas sit virtus præcipua qua tendimus in finem propter quem creati sumus. At quoties et quando? incertum est.

Habemus ex propositionibus damnatis

quod non sufficiat semel in vita, nec semel in quinquennio. Non arbitramur etiam obligare quotidie, ut quidam putant colligere ex Oratione Dominica; quatenus, inquiunt Christus non docuit quotidie illam recitare, dum per eam jussit sic petere : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, dicendo enim *hodie* significat illud singulis diebus esse petendum; recitando autem cum intellectu Orationem Dominicam, exercemus actum formalem dilectionis, dicendo, *sanctificetur nomen tuum*, quod non est aliud quam velle quod nomen Dei ubique et ab omnibus habeatur sanctum. Ita quidam recentiores, quorum alii hanc sententiam tuentur ut verisimiliorem, alii ut non improbabilem.

Verum, *esto* Christus docuerit recitare quotidie Orationem Dominicam, ideone stricte præcepit? Hoc erat ante omnia probandum. Fortene condemnabitur peccati mortalis qui uno vel altero die non recitaret Orationem Dominicam, si interim alias orationes recitet; aut si quotidie recitaret, sed interdum *sine intellectu?* Item ex eodem principio pari jure inferam nos teneri quotidie ad actum dilectionis proximi : id quidem admittunt adversarii consequenter ad suum principium. Sed fallor, si hæc sententia non reputetur ab omnibus aliis singularis, durior et rigidior.

Denique, *dato* esse præceptum rigorosum recitandi quotidie Orationem Dominicam, potest hic præcepto satisfieri absque actu dilectionis. Si namque peccator timore inferni attritus, volens sincere reverti ad Deum, recitet attente et in quantum potest devote Orationem Dominicam, ut impetret a Deo dilectionem necessariam ad suam perfectam conversionem, nemo dicet eum peccare et non satisfacere obligationi recitandi Orationem Dominicam, et tamen non elicit actum dilectionis Dei super omnia : potest ergo recitari Oratio Dominica sic ut satisfiat ejus præcepto, si detur absque eo quod eliciatur actus dilectionis.

Longe ergo probabilius et moderatius sentiunt qui vel assignant dies dominicis et festos in quibus, cum fideles colunt Deum ut omnium rerum principium, inde incitantur etiam ad eum amandum, vel qui semel aut bis in septimana actum dilectionis requirunt. Sed cum, ut dixi, hæc incerta sint, hortandi sunt fideles ut sæpe et sæpissime, in quantum possunt, in his actibus charitatis se exerceant : quod facile præstabunt, si cum attentione et affectu recitent Orationem Dominicam; quamvis enim, ut dictum est, non importet necessario actum dilectionis, sæpe tamen adjunctum habet, quando cum attentione et speciali affectu recitatur.

Certo autem in hoc præceptum impingunt qui diu versantur in occasione proxima peccandi vel prava consuetudine; neque tamen tenentur hujus præcepti omissionem in confessione exprimere, quia satis intelligitur ex confessione occasionis proximæ aut pravæ consuetudinis : de eo tamen monendi sunt pœnitentes, ut peccatum suum agoscant et doleant.

Dico 2° Per accidens obligat præceptum dilectionis Dei quoties urget aliud præceptum quod non potest impleri sine dilectione, quia qui tenetur ad finem tenetur ad media. Hinc obigat 1° quando tentatio odii Dei aut alterius peccati superari non potest absque expresso actu dilectionis Dei; 2° quando homo tenetur aut vult justificari non solum sine sacramento, sed etiam, secundum nos, cum sacramento, intelligendo de dilectione Dei super omnia, etsi nondum sit charitatis; 3° in casu martyrii : plures alii casus a quibusdam assignantur, sed incerti. Confer quæ dixi de præcepto fidei, dissert. 2, a. 4. § 2

Quantum ad præceptum dilectionis proximi, obligat, inquit Sylvius, quando offensa est inimico condonanda, et quando ipsi est bene faciendum : addit, quando hoc esset necessarium ad superandam tentationem odii, vel alicujus alterius peccati contra proximum; sed hæc obligatio est per accidens. Subdit : de aliis casibus nihil est certi, nisi quod hæc dilectio non sit diu differenda. Hanc diu differre non præsumuntur qui sæpe attente ac devote recitant Orationem Dominicam, *ut dictum est.*

ARTICULUS VIII.

An et quomodo homo deliberate agens teneatur omnia et singula sua opera referre in Deum?

Huc revocandæ sunt variæ intentiones seu relationes operum in finem, quas art. 5 dissert. 1 de ultimo fine recensuimus, scilicet actualis, virtualis, interpretativa et habitualis; sed maxime attendendum ad du-

plicem virtualem, quarum unam diximus explicitam ratione prioris intentionis actualis virtualiter perseverantis; alteram implicitam ratione objecti ex se tendentis in finem, cujus objecti honestate movetur agens ad agendum. Confer prænotamen dicti articuli.

Lovanienses docent hominem, quotiescumque agit deliberate, teneri sub peccato veniali actum referre in Deum ex amore non quidem charitatis, sed benevolentiæ, relatione virtuali explicita, relicta scilicet ex actuali relatione præcedente quæ adhuc perseveret et in opus influat, sic tamen ut defectus hujus relationis ipsum quidem operantem inficiat, at non ipsum opus.

Pro explicatione et assertione sententiæ contrariæ, quæ est communis aliarum scholarum catholicarum,

Dico 1° Homo tenetur aliquoties omnia opera sua referre relatione virtuali explicita in Deum ut ultimum finem sive naturalem, sive supernaturalem, eo scilicet modo quo illum cognoscit aut cognoscere potest.

Prob. Quia omnis homo, sive fidelis sive infidelis, tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei ut ultimi finis seu super omnia : id omnes admittunt, etiam de infidelibus; quia, licet Deum ut auctorem naturæ non cognoscant, possunt tamen illum cognoscere, cum de eo non detur ignorantia invincibilis, ut diximus in prima parte : atqui in actu hujusmodi amoris Dei super omnia et ut ultimi finis, involvitur virtualiter relatio omnium operum in Deum ut ultimum finem, finis enim ultimus est id quod propter se appetitur et cætera propter ipsum. Unde Auctor in 2, d. 40, q. unica, a. 5, ad 6 : *Quando aliquis*, inquit, *cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad seipsum ordinat in Deum ordinatum erit.* Et infra : *Quandocumque habitus charitatis exit in actum, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

Dico 2° Ut tam operans quam opus eximantur a peccato, non est necesse ut homo deliberate agens toties quoties referat opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, sed sufficit relatio virtualis implicita. Seu, ut distinctius loquar, non est necesse ut præcesserit actualis relatio in Deum propter se dilectum cujus vi et influxu eliciatur opus, sed sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, ut opus sit ex objecto honestum et nullo pravo fine nullave alia prava circumstantia vitiatum, sic ut operans ex libera electione conformiter dictamini rationis et legis naturalis, sponte se subjiciat auctori hujus legis, diligensque honestatem particularem hujus operis, censeatur diligere virtualiter implicite primigeniam et fontalem honestatem quæ est ipse Deus, cujus hæc particularis honestas est participatio, consequenter intendat implicite ipsum Deum.

Hanc conclusionem impugnarunt quidam theologi non infimæ notæ, quorum responsiones et objectiones præcipue ex SS. Aug. et Thoma petitas referam et solvam. Igitur

Prob. 1° *conclusio.* Nulla lex, nullum præceptum assignari potest quo homo deliberate agens teneatur referre opus suum in Deum aliter quam sit dictum in conclusione, nisi præceptum dilectionis Dei, quod, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed certis temporibus et circumstantiis : ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum aliter quam sit dictum in conclusione. *Antecedens*, ultra quod *patebit* ex *sol. obj.* est expresse D. Th. in 2 cit. ad 6, ubi ait : « Si quæratur quando oporteat actum » referre in finem ultimum, hoc nihil aliud » est quam quærere quando oporteat habi» tum charitatis exire in actum. » Et 1, 2, q. 100, a. 10, sibi objiciens illud Apostoli, *Omnia in gloriam Dei facite :* respondet ad 1 sic : « Sub præcepto charitatis con» tinetur ut diligatur Deus ex toto corde, » ad quod pertinet ut omnia referantur in » Deum : et ideo præceptum charitatis im» plere homo non potest, nisi etiam omnia » referantur in Deum; sic qui honorat pa» rentes, tenetur ex charitate honorare, » non ex vi hujus præcepti, quod est : *Hono» rare parentes*, sed ex vi hujus præcepti : » *Diliges Dominum Deum tuum ex toto » corde tuo.* Et cum ista sint duo præcepta » affirmativa non obligantia ad semper, » possunt pro diversis temporibus obligare, » et ita potest contingere ut aliquis, im» plens præceptum de honoratione paren» tum, tunc non transgrediatur præceptum » de omissione modi charitatis. » *Si dicat*

cum adversariis S. Th. hic agere de charitate stricte dicta; *esto;* sed quod dicit de charitate est etiam intelligendum de amore Dei benevolo, cum utrobique sit eadem ratio præcepti affirmativi.

Contra hanc probationem quidam opponit 1° præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligare ad semper ad actus continuos, obligare tamen ad semper virtute.

R. ut in vindiciis operi posthumo professoris Lovaniensis oppositis, hanc objectionom esse directe contra S. Thomam : eodem enim modo loquitur S. Doct. de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes ; istud autem non obligat virtute ad semper : ergo nec illud. Insuper inauditum puto in scholis præcepta affirmativa obligare virtute pro semper ; hoc enim esset ipsa simpliciter obligare pro semper.

Inst. 1° S. Th. q. 1 de Charitate a. 11 et alibi, in terminis docet præceptum charitatis obligare virtute ad semper. Quomodo ergo solutio præcedens esset directe contra S. Th. et inaudita in scholis, præsertim in schola Thomistica?

R. S. Th. neque q. 1 de Charitate, neque alibi id docere, ut *patebit* ex *sol. obj.* 4 ; sicque remanet quod ista solutio sit directe contra S. Th. et inaudita in scholis.

Inst. 2° S. Th. eo modo loquitur de præcepto charitatis ac de præcepto honorandi parentes, dum agitur de tempore quo elici debet actus charitatis theologicæ, aut quo honorandi sunt parentes, non autem dum agitur de præcepto referendi opera in Deum; nullibi enim dicit S. Th. quod non teneamur virtualiter et explicite opera nostra referre in Deum, nisi quando urget præceptum eliciendi actum charitatis.

Sed contra. Dicit in terminis S. Th. in 2, d. 40, q. unica, a. 5, ad 6 *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum.*

Reponit. S. Th. loquitur de habitu charitatis : adversarii autem non dicunt ad relationem virtualem explicitam operum in Deum requiri habitum charitatis, alias qui carens habitu charitatis amaret Deum super omnia amore benevolo, per quod adimpletur præceptum charitatis, non referret virtualiter explicite omnia sua opera in Deum ; quod non admittunt.

R. quod id quod S. Th. hic dicit de habitu charitatis intelligat etiam de amore benevolo ; quamvis enim non sit in omnibus eadem ratio habitus charitatis et amoris benevoli, eadem tamen est, secundum S. Th. et rei veritatem, quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum. Ideo enim, secundum S. Th. et rei veritatem, qui elicit actum charitatis habitualis, omnia opera sua virtualiter explicite refert in Deum ; *quia quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad se ordinat in Deum ordinatum erit.* Sunt verba S. Doct. loco cit. Atqui qui elicit actum amoris benevoli Dei super omnia, per quem adimplet charitatis præceptum, se totum ad Dei dilectionem dirigit : ergo eadem est ratio habitus charitatis et amoris benevoli quoad relationem virtualem explicitam operum in Deum.

Neque verum est, ut prætenditur, S. Thomam ibi agere duntaxat de eo quod requiritur ad meritum de condigno, quasi sensus ejus verborum esset : *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum*, ut operans relatione sua mereatur de condigno, *hoc nihil aliud est quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum :* hoc, inquam, nullatenus verum est ; siquidem homo justus sæpe mereatur de condigno absque eo quod habitus charitatis exeat in actum formalem, ut docet S. Th. ibid. ad. 2.

Opponit 2° *contra eamdem probationem retorsionem argumenti sic.* Præceptum affirmativum non obligat ad semper : ergo non tenetur homo ad semper opus suum referre relatione virtuali implicita in Deum.

R. N. conseq Disparitas est, quod præceptum affirmativum referendi virtualiter implicite omnia opera in Deum, non solum involvat, sed coincidat cum præcepto negativo nunquam agendi malum, seu in eo fundatur tanquam in ratione sui ; non sic præceptum charitatis. Quærenti enim cur tenear referre virtualiter implicite actum meum in Deum, recte respondeo, quia prohibeor aliquem actum malum facere ; hoc ipso enim quod honum absolute ago, virtualiter implicite refertur in Deum ; nec aliquid ulterius responderi potest. Quærenti vero cur tenear referre omnia opera virtualiter explicite in Deum, responderi non potest, quia prohibeor non referre, aut ali-

quem actum malum facere, sed quia Deus est ultimus finis. Si dicas, *quia non licet hærere in creatura*, ulterius quæram cur non liceat hærere in creatura, et nihil aliud responderi potest quam quia Deus et non creatura est ultimus finis. Insuper falsum est quod qui actum absolute bonum virtualiter implicite ad Deum relatum facit, hæreat in creatura.

Oppon. 3° *contra eamdem probationem.* S. Thomas in his verbis, 1, 2, q. 100, a. 10: *Et cum ista duo præcepta, nimirum diligendi Deum et honorandi parentes, non obligantia ad semper, possunt diversis temporibus obligare, et ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis*, in his, inquit, verbis, *ex concessis* a nobis, D. Th. agit de charitate stricta et sub gravi obligante, sed non semper, quia præceptum charitatis statis duntaxat temporibus obligat. Quod quis autem possit implere præceptum de honoratione parentum et non peccare mortaliter, quamvis non eliciat actum charitatis, non sequitur quod possit illud implere et nequidem peccare venialiter, quamvis omittat relationem in Deum.

R. 1° me non concedere S. Th. agere ibi de charitate stricta, id tantum permitto: *esto*, inquio; quod vocabulum, ut omnes norunt, non est concedentis, sed transire permittentis. 2° Quamvis præceptum charitatis secundum se obliget sub gravi peccato, non tamen concessi quod non posset per accidens et ex circumstantiis obligare sub levi peccato, ut in aliis præceptis credendi, sperandi, honorandi parentes, solvendi debita, etc. 3° Non concedimus quod præceptum charitatis etiam late sumptæ referendi omnes et singulos actus nostros virtualiter explicite in Deum, si detur, secundum se obliget tantum sub veniali de quo infra. 4° Denique S. Th. loquatur de charitate stricte vel late sumpta pro amore benevolo, perinde est quoad præsentem quæstionem, cum utriusque præceptum sit affirmativum. Quæstio est inter nos et adversarios utrum, secundum S. Doctorem, teneamur ex præcepto charitatis, sive stricte sive late sumptæ pro amore benevolo, referre virtualiter explicite omnes et singulos actus nostros in Deum. Si teneamur, ut volunt adversarii, ergo obligat illud præceptum in omni actu, quod tamen diserte negat S. Thomas, quia est affirmativum. Vide nunc quæ sit vis argumenti.

Ad id quod dixerat laudatus professor, phrasi S. Thomæ, præceptum non obligare nisi dum et in quantum adstringit sub mortali, *respondi* in vindiciis sensum S. Thomæ esse quod peccatum veniale non sit contra legem, hoc sensu quod non evertat finem legis, esse tamen contra legem hoc sensu quod prohibeatur a lege. Et hoc concedit alter adversarius; sed quia in hanc rem quosdam textus D. Thomæ citaveram, contendit me perperam eos citasse, et videtur me quasi oscitantiæ aut malæ fidei arguere. Quamvis non difficile foret nostrum sensum in his textibus comprobare, quia tamen concedit quod principaliter intendo, et ipse dicat se istis non indigere, sufficit ad amovendam oscitantiæ aut malæ fidei suspicionem, si dicam me hos textus citasse eodem modo et eodem sensu quo illos citavit celeberrimus Sylvius, 1, 2, q. 71, a. 6, quem nemo, ut puto, oscitantiæ et malæ fidei arguet.

Prob. 2° *conclusio.* Infidelis seu peccator qui, nulla præcedente actuali relatione in Deum propter se dilectum, facit eleemosynam ex motivo misericordiæ, honorat parentes ex motivo pietatis, solvit debita ex motivo justitiæ, ex nullo capite peccat: non ex parte objecti, quod bonum et honestum est; non ex parte circumstantiarum, quia suppono nullam pravam adesse; non ex defectu finis, quia habet pro fine proxime et explicite honestatem particularem hujus operis, et cum hæc honestas particularis ex se tendat et referatur ad fontem, auctorem et consummatorem totius honestatis qui est Deus, Deum habet virtualiter implicite pro fine ultimo.

Confirmatur 1° Qui vult aliquod bonum, v. g. eleemosynam formaliter explicite propter particularem illius honestatem, vult virtualiter explicite propter honestatem secundum se; non enim movetur formaliter explicite ab honestate particulari, quin moveatur virtualiter explicite ab honestate secundum se; et cum hæc honestas secundum se in re sit Deus, vult virtualiter implicite propter Deum.

Confirmatur 2° *et magis explicatur hæc fundamentalis ratio.* Peccator seu infidelis in quo amor honestatis et æquitatis natura-

iis non est penitus abolitus, qui ex eo amore quædam justa et honesta facit absque ulla admixtione pravæ circumstantiæ, sed conformiter dictamini rectæ rationis et legis naturalis, v. g. reddit proximo quod suum est, servat fidem amico datam, misereatur innocentis afflicti, etc., præcise quia hæc justa videt, et ad ea se teneri lumine naturali sentit, 1° hic et nunc obedit Deo, licet eum non satis explicite cognoscat, quia facit quod Deus omnis æquitatis auctor facere præcipit; 2° operatur implicite propter Deum, quia operatur propter æquitatem et honestatem naturalem cujus Deus est auctor et consummator; 3° implicite et secundum quid amat Deum ut primam actionum honestarum regulam, quia amat honestatem quam Deus amare præcipit: unde S. Aug. in Psal. 100: *Quidquid bene fit, Deo fit, quia ex ejus præcepto fit.*

Et hæc est expressissima S. Th. sententia, qui in cap. 14 Rom. lect. 3, decretoriis verbis dicit: « In homine infideli cum infi» delitate est bonum naturæ; et ideo, cum » aliquis infidelis ex dictamine rationis ali» quod bonum facit, non referendo ad ma» lum finem, non peccat. » Nihil sane expressius, et est ipsa conclusio nostra; nec video quid respondeant adversarii. Neque enim dicere possunt quod non peccet peccato operis, sed operantis, cum dicat S. Doctor absolute, indefinite et sine ulla restrictione, *non peccat:* ergo neque peccato operis, neque peccato operantis; alias peccaret.

At forte S. Th. intelligit de peccato mortali, scilicet quod non peccet mortaliter, bene tamen venialiter: ita quidem interpretatur adversarius, sed toto cœlo aberrat; subdit enim immediate S. Doctor post verba laudata: *Non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum.* Ut quid, amabo, S. Th. hanc observationem addidisset, si censuisset hunc infidelem peccare venialiter in bono suo opere? Num forte aliquis unquam somniavit hominem peccando venialiter mereri, aut peccatum veniale esse meritorium?

Sed, inquit adversarius, S. Thomas satis explicat se intelligere de peccato mortali, immediate subjiciens: *Cum vero homo infidelis aliquid agit, ex eo quod infidelis est, manifestum quod peccat,* utique mortaliter.

Sed contra. In primis fallitur adversarius; non enim immediate, sed post plures lineas S. Doctor hæc verba prioribus sufficit. *Ad id parum.* S. Thomam his posterioribus verbis priora explicare ad sensum adversarii, ne vel Argus centum oculis videret. S. Thomas in posterioribus verbis agit de peccato mortali: *esto,* ideone in prioribus verbis? Infidelis agens ex infidelitate peccat mortaliter: ergo infidelis agens ex dictamine rationis aliquod bonum, non referendo ad malum finem, peccat venialiter, licet non mortaliter. Qualis consequentia? sit exemplum familiare: adversarius pœnitenti consulenti de diffamatione proximi, respondet: Si reveles gravia peccata proximi propter bonum et necessarium finem, non peccas; si reveles ex odio et intentione diffamandi absque necessario fine, peccas. In secundo membro agitur de peccato mortali: ideone etiam in primo? ideone revelans peccatum proximi ob bonum et necessarium finem, peccat venialiter, etsi non mortaliter? E quibus glossis et interpretamentis obscurantur verba clarissima S. Doctoris, ut vel invitus habeatur patronus singularis opinionis contra communem scholarum catholicarum sententiam. Redeat ergo argumentum prius factum. S. Thomas dicit absolute, indefinite, et sine ulla restrictione hunc infidelem non peccare: ergo non peccat neque mortaliter, neque venialiter, alioquin peccaret, quod negat S. Thomas. Eodem modo et sensu loquitur S. Doctor 2, 2, q. 10, a. 4, 6. ubi dicit: *Non oportet quod in omni opere suo peccent infideles; sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.*

Insuper contra hanc probationem opponit 1° adversarius retorsionem argumenti de actu conjugali, ex D. Th. in 4, d. 31, q. 2, a. 2; sed de hoc in *sol. obj. obj.* 3.

Opponit 2° Iste infidelis seu peccator non peccat quidem peccato actionis, peccat tamen peccato omissionis in quantum opus suum actu vel virtute non refertur ulterius in Deum, et ita stat in creatura, quod sine peccato esse non potest.

R. hunc infidelem seu peccatorem neque peccare peccato omissionis, quia opus ejus sufficienter refertur in Deum, nec datur præceptum ulterius referendi, vel assignet; sicque non inhæret in creatura.

Insuper S. Th. formalissime, indefinite,

absolute et absque ulla restrictione dicit hunc non peccare: quid ergo nobis occentat distinctionem inter peccatum actionis et omissionis? Forte ista distinctio subterfugit sagacitatem Angelici Doctoris?

Opponit 3° *contra eamdem probationem.* Nostra virtualis relatio non excusat ab omni peccato, *ut patet* ex S. Th. de actu conjugali. *Sed* ut ante de hoc arg. *in sol. obj. obj.* 3. Interim audiat S. Th. cit. *Non peccat:* ergo excusatur ab omni peccato.

Opponit 4° *contra eamdem probationem.* Nostra relatio non est veri nominis relatio, alias qui legit aut studet, quia amat aliquam particularem veritatem, censebitur Deum implicite diligere qui est prima veritas.

R. veritatem esse objectum intellectus, non voluntatis, nisi ut bonam: si quis ergo diligat veritatem ut sibi bonam, statui suo convenientem secundum dictamen rationis et prudentiæ, censebitur diligere Deum virtualiter implicite, sicut in aliis bonis operibus.

Prob. 3° *conclusio.* Si homo deliberate agens tenetur referre omnes actiones suas in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita ad sensum adversariorum, defectus hujus relationis vitiaret non solum operantem sed etiam opus: atqui *falsum consequens*, fatentibus ipsis adversariis. Ergo. *Prob. sequela majoris.* Actus non ordinatus ad debitum finem, est actus inordinatus et malus: unde S. Th. 1, 2, q. 18, a. 1, o, dicit: *Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali.* Ex quo principio infert non dari actum indifferentem in individuo: atqui, juxta adversarios, actus non relatus ad Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, est actus non ordinatus ad debitum finem. Ergo.

Reponunt adversarii defectum relationis operantem afficere, sed nullo modo opus; consequenter, etsi peccet operans per relationis explicitæ defectum, opus tamen manet intactum. Idque probare contendunt variis exemplis. sic, inquiunt, qui voto tenetur recitare septem psalmos pœnitentiales flexis genibus, si eos attente et devote recitet stando, peccat, sed ejus actio non est mala. Sic, qui ex præcepto confessarii tenetur referre virtualiter explicite in Deum eleemosynam sibi injunctam, et dando eleemosynam hanc relationem omittat, peccat, sed eleemosyna non est mala. Sic qui ex præcepto Ecclesiæ tenetur jejunare ad avertendum bellum et famem, et jejunat tantum propter unum finem, peccat, sed ejus jejunium non est malum. Sic, inquit Daelman, qui debet solvere centum florenos intra mensem, solvit tantum quinquaginta, peccat, et tamen solutio quinquaginta florenorum non inficitur nec mala est. Sic servus in arte pingendi peritus, qui tenetur omnia domino suo afferre, si imaginem quam eleganter pinxit subtrahat domino, peccat, at non ideo vitiatur imago, etc.

R. disparitatem esse, quod in his et similibus exemplis obligatio afficiat agentem et non actum; in nostro autem casu, secundum principia adversariorum, afficit utrumque: quia, juxta illos, ista obligatio oritur ex dominio quod Deus ut primum principium et ultimus finis habet non solum in agentem, sed etiam in ejus actionem; consequenter hæc obligatio afficit agentem et actum; nec minus iste finis debetur actioni in individuo quam qui dicitur aliunde intrinsecus, estque diversæ rationis ab aliis circumstantiis: unde sicut, secundum nos, actus foret malus si ratione alicujus circumstantiæ non referretur virtualiter implicite in Deum, sic secundum adversarios debet censeri malus, si non referatur explicite in Deum, præsertim cum juxta illos hæreat in creatura.

Contendit adversarius solum defectum finis debiti nunquam formaliter vitiare actionem. Quid ergo vult. S. Th. quando dicit quod *Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali?* Respondet: *Non dicit S. Th.... quod actus ad nullum debitum finem ordinatus formaliter vitietur a solo defectu finis.* Dicat, velim, num actum repugnare rationi et fieri malum ex defectu debiti finis, non sit actum vitiari formaliter ex defectu debiti finis? Ista sunt synonyma.

Non negamus tamen agentem absque debito fine habere malum finem, non secundum se, sed hoc sensu malum quia non est debitus; ex hoc ipso enim, inquit S. Th. actus repugnat rationi et habet rationem mali, eodemque sensu dixit S. Th. in 2, d. 40, a. 5, ad 5, quod finis actus deliberati non possit esse indifferens. Insuper, *dato*

requiri finem positive et secundum se malum in agente absque debito fine ut ejus actus sit malus, habetur in sententia adversariorum, scilicet hæsio in creatura.

Ad primum exemplum oppositum R. omissionem solutionis quinquaginta florenorum non esse circumstantiam afficientem moraliter solutionem quinquaginta florenorum, sicut omissio finis debiti afficit opus, sed esse concomitantem tantum sicut omissio sacri aut jejunii præcepti: cujus indicium est quod, transacta solutione quinquaginta florenorum, remaneat adhuc obligatio solvendi alios quinquaginta sic ipsum operantem seu debitorem afficiens, ut adhuc peccet donec solverit: at transacto opere, v. g. eleemosynæ, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans.

Ad secundum exemplum. Disparitas est, quod imago sit quid physicum et non morale, ideoque defectu finis debiti non vitietur; secus autem actus humanus in individuo.

Cæterum repecto quod dixi in prima editione hujus quæst. et deinde in vindiciis, me non insistere principaliter huic argumento. Imo permisi et etiam nunc permitto adversariis quod intendunt: *pato*, inquiebam, *opus defectu relationis non infici.* Quapropter supervacaneum puto hic diutius immorari.

Prob. 4° conclusio. Si homo, defectu relationis virtualis explicitæ in Deum propter se dilectum, peccat, cum opus ex objecto bonum facit, sequitur 1° quod necesse sit infidelem quamdiu manet infidelis peccare in omni opere, quod est damnatum ab Alexandro VIII, in hac propositione: *Necesse est infidelem in omni opere peccare:* est 8. Quod obvio sensu intelligitur, quamdiu est infidelis.

Opponit 1° contra hanc probationem adversarius, se agnoscere in infidelibus gratias sufficientes cum quibus possunt vitare peccatum.

R. Vel illæ gratiæ sufficientes inferunt cognitionem veri Dei, vel non: si primum, desinunt ex hac parte esse infideles; propositio autem damnata intelligitur de infidelibus quamdiu manent infideles: si secundum, non poterunt referre suos virtualiter explicite in Deum quem ignorant, et sic defectu hujus relationis necessario peccabunt in omni opere suo.

Opponit 2° infideles in sua sententia non peccare in opere, sed in omissione: sensus autem obvius hujus propositionis, *peccare in opere*, est quod opus sit vitiosum.

R. quod sensus obvius hujus propositionis, *Infidelis peccat in omni opere*, sit: *Infidelis peccat quoties operatur*, sive peccet peccato operis sive operantis: sicut cum dicimus Gallice, *Il pèche dans toutes ses actions*, sensus est: *Il pèche toutes les fois qu'il agit.* Admittunt autem adversarii infidelem peccare quoties operatur, defectu scilicet relationis explicitæ. Insuper hunc esse sensum damnatæ propositionis eruimus ex circumstantiis: quia, si summus pontifex damnasset tantum hanc propositionem quatenus dicit opus esse vitiosum, nihil aliud damnasset quam quod jam erat damnatum a tribus summis pontificibus in Baio, scilicet omnia opera infidelium esse peccata. *Neque dicas* hanc secundam propositionem adjicere primæ novam falsitatem, dum dicit: *Necesse est* omnia opera infidelium esse peccata; id enim etiam importatur in prima. Si namque omnia infidelium opera sunt peccata, procul dubio necesse est sic esse, alioquin aliter aliquando contingeret. 2° Quia juxta Baium, hujus propositionis auctorem, ideo omnia infidelium opera sunt peccata, quia non referuntur explicite in Deum: atqui impossibile est opera in Deum explicite referri ab iis qui illum ignorant, ut sunt infideles: ergo necesse est, in sensu propositionis damnatæ, omnia infidelium opera esse peccata.

Item Baius dicebat opera infidelium ad Deum non relata, esse peccata, quia adscribebat defectum relationis ipsi operi: et cum quidam theologi, post ejus damnationem, ut eam declinarent, dicerent opus non esse peccatum, sed tamen operantem peccare defectu relationis, adscribentes nimirum defectum relationis operanti et non operi, iterum fuerunt damnati in superiori propositione. Non ergo fuerunt damnati quia dicebant opera infidelium esse peccata, sed quia dicebant infidelem peccare in opere seu operando sine relatione.

Instat adversarius. Qui dicit aliquo auctore, *peccat in stylo*, sensus est, quod stylus sit vitiosus: ergo cum dicitur, *infidelis peccat in omni opere*, sensus est, quod omnia ejus opera sunt vitiosa.

R. Dato antecedente N. conseq. Dispari-

tas est, 1° quod in propositione adversarii explicite determinetur objectum et materia in qua peccatum est, non sic cum dicitur generaliter, *peccat in omni opere*, quod secundum communem intelligentiam significat, quoties operatur, *ut dictum est.* 2° Disparitas est, quod sensum quem tribuimus propositioni damnatæ eruamus ex circumstantiis, quales non habet propositio singularis adversarii: sensus autem naturalis et obvius alicujus propositionis attendi debet ex circumstantiis.

Sequitur 2° quod, qui dolet de peccato mere ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu, peccet: quod iterum videtur ab eodem pontifice damnatum in hac propositione: *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Scio adversarios vim facere in hac particula *offensum*, quasi peccator qui dolet de suo peccato propter ejus turpitudinem, si referat hunc dolorem ad Deum, possit referre ad Deum non offensum.

Sequitur 3° quod qui elicit actus fidei, spei aut etiam operatur bonum solius æternæ mercedis intuitu, absque ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccet; quod quam sit absurdum, S. Scripturæ, Patribus et sanæ doctrinæ repugnans, persentis ipse Daelman dum respondet id esse speciale actibus fidei et spei, quod habeant Deum pro objecto formali et in actu fidei includatur pia affectio erga primam veritatem, et in actu spei amorem concupiscentiæ quo Deum appetimus ut ultimum finem nostrum, dicitque id suffice re ut operans non peccet defectu relationis. Verum sic responde re non est argumentum solvere, sed, meo saltem judicio, est illi succumbere. Hinc enim habemus, fatente adversario, ut operans non peccet, non requiri relationem virtualem explicitam in Deum propter se dilectum: neque pia ista affectio erga primam veritatem ut objectum formale, neque iste amor concupiscentiæ ultimi finis nostri ut objecti formalis, respiciunt Deum propter se dilectum, sicque quidquid agat homo ex amore spei, seu propter obtinendum ultimum finem, sive orando, sive studendo, sive laborando, sive carnem macerando, sive indigenti succurrendo, sive parentes colendo, sive debita solvendo, aut quidvis aliud ex genere bonorum, sine ullo respectu ad Deum propter se dilectum, non peccat; ergo magna illa principia et generalia præcepta quæ tantopere extollunt adversarii, scilicet Deum esse ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Christi, in charitate esse facienda, non continent universalitatem actionum nostrarum immediate in seipsis, nec obligant pro semper: ergo penitus ruunt fundamenta hujus sententiæ; hæc sunt enim fere unica.

Tandem sequitur 4° peccatorem qui timet Deum et ejus justitiam, si hunc timorem non referat ad Deum propter se dilectum, non disponit ad Dei amorem et sui justificationem, contra Trid. sess. 6, cap. 6; non enim concipitur quomodo homo peccando etiamsi venialiter tantum, disponitur ad Dei amorem et sui justificationem. *Si dicas* eum non peccare quia timet, sed quia timorem non refert ad Deum propter se dilectum: capio. Sed interim peccat, et quantum per bonum timorem disponitur ad Dei amorem et sui justificationem, tantum retrahitur, et, ut ita dicam, indisponitur per peccatum, ita ut melius esset non timere quam timendo non referre timorem ad Deum propter se dilectum. *Dices*, Referat ad Deum propter se dilectum: *bene*, sed ad hoc deberet prius amare quam timere, et tamen concilium definit timorem, secundum legem Dei ordinariam, præcedere amorem et ad eum disponere.

Cæterum hæc dicta sint disputationis ergo; absit enim ut ullam notam inuramus theologis non minus religione quam doctrina commendatissimis, præsertim cum isti testentur hanc suam sententiam fuisse anno 1677 S. Sedi propositam, nec improbatam.

Prob. 5° *conclusio.* Si esset obligatio referendi virtualiter explicite omnia opera ad Deum propter se dilectum, hæc obligatio foret ex genere suo sub peccato mortali: atqui *falsum consequens*, fatentibus adversariis: ergo *et antecedens. Prob. sequela maj.* 1° Quia istam obligationem fundant in præcepto diligendi Deum ex toto corde: atqui hoc præceptum obligat ex genere suo sub mortali, ita ut illius transgressor in re gravi peccet mortaliter, ut omnes fatentur; potest autem hic esse materia gravis, ut si, v. g. longa series actionum in statu eligendo

subtraheretur Deo et ad ipsum propter se dilectum non referretur : ergo. 2° Quia fundant iterum hanc obligationem in præcepto naturali agnoscendi et constituendi Deum sicut primum principium, ita et ultimum finem omnium actionum nostrarum : atqui objectum hujus præcepti naturalis est secundum se grave : ergo et obligatio gravis, quia obligatio præcepti naturalis sequitur naturam sui objecti. 3° Quæro ab adversariis quo fundamento, Deo præcipiente omnia ad se propter se dilectum referri, dicunt istud præceptum obligare tantum sub veniali, dum alia præcepta sive naturalia sive divina positiva, ubi objectum secundum se est grave, obligant secundum se et ex genere suo sub mortali ?

Opponit adversarius *contra hanc probationem* sic. Qui solvit gravia debita, vitam pro patria fundit, non subtrahit Deo rem notabilem, quia ponitur, sed subtrahit tantum. Deo relationem rei notabilis, quæ est quid leve.

R. Qui hæc facit absque relatione explicita in Deum, in principiis adversariorum, subtrahit Deo rem notabilem : 1° quia quod fit et non fit propter Deum, illi subtrahitur ; 2° quia in his gravibus non habet Deum pro ultimo fine et hæret in creatura, quod est quid grave ; 3° quia in re gravi transgreditur præceptum dilectionis Dei super omnia.

Instat. Qui vovisset referre Deo explicite omnia sua opera diliberata in Deum, non peccaret mortaliter omittendo relationem rei notabilis : ergo similiter.

R. 1° *N. conseq.* Quia votum non obligat nisi secundum intentionem voventis ; non censetur autem vovens intendisse se obligare sub mortali ad relationem unius aut alterius rei etiam notabilis : at non sic de præcepto naturali et divino referendi explicite omnia ad Deum, si detur. 2° Abstrahendo ab intentione contraria voventis, existimo verum quod qui, tali voto adstrictus, pluries et diu in gravibus negotiis omitteret hanc relationem, peccaret mortaliter.

Instat iterum. Tenemur juxta nos omnia opera nostra referre in Deum relatione virtuali implicita ex præcepto naturali et divino, quod in materia gravi obligat graviter : ergo peccat mortaliter qui eleemosynam mille florenorum erogat pauperibus ex vana gloria ; quod est falsum.

R. N. conseq. Quia præceptum referendi virtualiter implicite omnia opera nostra in Deum, non distinguitur a præcepto non faciendi malum, ut jam alibi dixi : unde obligat juxta quantitatem mali, ita ut si malum sit grave, obliget sub mortali ; si leve, ut est vana gloria, obliget sub levi. Id autem dici non potest de præcepto referendi omnia in Deum relatione virtuali explicita, si detur, ut jam antea ponderavimus.

Quæ ulterius opponunt adversarii contra hanc prob. redibunt in *sol. obj.*

Et hæc plusquam sufficiunt ad stabiliendam et firmandam sententiam quæ est communis scholarum catholicarum, ut testantur ejus approbatores in prima editione. Quamobrem, et ne diutius detineam lectorem pro iis qui sunt minoris momenti, quasdam alias probationes ab inconvenienti hic omitto.

Id unum duntaxat observari velim, quod juxta adversarios teneamur omnes actus referre relatione explicita in Deum ex amore benevolentiæ, idque ratione præcepti diligendi Deum super omnia, et quia est noster ultimus finis ; alias esset hærere in creatura. Quando autem inde inferimus quod, qui observat mandata Dei ex obedientia tantum, qui elicit actum fidei aut spei seu agit intuitu æternæ mercedis sine ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccat ; quia illa non refert ad Deum ut in se bonum, adeoque non ex amore benevolentiæ, nec ut est ultimus finis. *Respondent ad primum,* quod non omnis actus benevolentiæ feratur in Deum ut in se bonum ; quia secundum D. Th. amare Deum amore benevolentiæ, est velle illi bonum quod in præfatis actibus reperitur ; *ad secundum,* quod hi actus referantur in Deum ut ultimum finem, hoc sensu quod sint propter ipsum et non propter aliud.

Contra primum. Amare Deum amore benevolentiæ est quidem velle illi bonum, sed absque præjudicio objecti formalis hujus amoris, quod est Deus in se bonus. Etenim objectum amoris est bonum : vel ergo homo amat Deum ut sibi bonum, et est amor concupiscentiæ ; vel ut in se bonum, et est amor benevolentiæ. Unde S. Th. 2, 2, q. 27, a. 2, ad 1, dicit quod, cum philosophus definit amare, quod est velle alicui bonum, *definiat amare non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad*

ejus rationem pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis actus.

Contra secundum. Finis ultimus est supremum bonum quod propter se appetitur et omnia propter ipsum, ratione cujus ideo debemus, secundum adversarios, omnes actus nostros ad illum referre: ergo ad inducendam hanc obligationem non sufficit finis ultimus secundum quid, ut exponunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Matth. 22, dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua:* atqui non sic diligimus Deum, si vel unus affectus cordis ad ipsum non referatur, sed tunc in creatura hæremus. Ergo.

R. etiam juxta nos omnem affectum cordis debere referri in Deum, vel virtualiter explicite in actu charitatis, vel virtualiter implicite appetendo secundum rectam rationem bonum honestum, in cujus appetitu Deus implicite appetitur, ut dictum est. Neque tunc hæremus in creatura, quia illud bonum honestum non appetimus in eo ultimate sistendo, sed ut bonum inchoatum tendens ad perfectum, et ut rem in suo gradu constitutam, ordinatam ultimate ad Deum, ut explicuimus.

Cæterum multum a vero aberrant adversarii, si intelligant istud dilectionis Dei præceptum quasi nihil præter Deum sit amandum, aut nihil amandum quod ad ipsum propter se dilectum explicite non referatur, nempe extra tempus quo urget præceptum charitatis. Longe verius Doctor Angelicus 2, 2, q. 184, a. 3, ad 2, illud intelligit sic: *Ut nihil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter ei, diligatur:* quod est, ut communiter dicitur, vere et sincere diligere Deum super omnia appretiative.

Obj. 2° Apostolus, 1 Cor. 10, dicit. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite;* cap. 16: *Omnia vestra in charitate fiant,* et ad Coloss. 3: *Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum:* atqui juxta S. Th. in cap. 3 ad Coloss. lect. 3, et alibi, hæc sunt præcepta et non mere consilia. Ergo.

Neque dicas esse præcepta affirmativa quæ non obligant pro semper; quia præcepta affirmativa quæ præcipiunt universalitatem actionum nostrarum qualia sunt assignata, obligant pro semper.

R. nos fateri cum Auctore hæc esse præcepta, sed omnia verificari in nostra sententia; dicimus namque hominem teneri aliquoties referre omnia sua opera in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita, quia tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei super omnia sive ut auctoris naturalis tantum, si sit infidelis, potest enim illum sic cognoscere; sive ut auctoris supernaturalis, si sit fidelis, in quo actu amoris involvitur virtualiter ordinatio omnium suorum operum in Deum propter se dilectum, sicque facit omnia in gloriam Dei, in charitate et in nomine Christi.

Cum autem opponitur præcepta affirmativa quæ præcipiunt universalitatem actionum nostrarum obligare pro semper, id quidem verum est de præceptis affirmativis præcipientibus universalitatem actionum immediate in seipsis, non voro de præcipientibus universalitatem actionum mediate tantum et in causa: præceptum autem referendi explicite omnes actiones in Deum propter se dilectum, non est de universalitate actionum immediate in seipsis, sed in causa, scilicet in ipso formali actu charitatis, ut diximus ex S. Th. in utraque conclusione: quod præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat pro semper. Cum autem ista ordinatio et consecratio omnium actuum vi charitatis facta, per peccatum mortale intercipitur, manet quidem obligatio iterum illos ordinandi per alium actum charitatis, non tamen statim, nec toties quoties, sed quando urgebit præceptum charitatis, quod, ut dictum est, non obligat pro semper nec toties quoties.

Insuper agnoscimus nominem toties quoties deliberate agit, tenere referre suum actum in Deum relatione virtuali implicita, quatenus tenetur semper agere quod de se bonum et honestum est, non ultimate in eo sistendo, neque in aliquem pravum finem detorquendo, sed conformiter dictamini rectæ rationis et legis naturalis, et ut in suo gradu constitutum, sicque intendere implicite Deum qui est hujus legis auctor et hujus boni plenitudo et ultimus finis propter quem est creatum. Et dicimus, hac virtuali relatione satisfieri præcepto Apostoli extra casus in quibus obligat præceptum

charitatis, ut plenius adhuc explicabitur in responsione ad sequentem obj.

Addo, secundum textum Apost. esse explicandum ad ipsis opponentibus; non enim volunt opera nostra esse ad Deum referenda ex charitate stricte dicta, sed tantum ex amore benevolo : non ergo dicimus cum Auctore in c. 16 1 Cor. lect. 2, sensum esse, *quod omnia debeant referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum et proximum,* eo modo quo ferunt conclusiones nostræ. Quantum ad tertium, etiam addo istud præceptum non spectare nisi fideles, sicque in eo fundari non posse sententiam adversariorum, qui etiam infideles astringunt præcepto referendi omnia opera ratione virtuali explicata in Deum propter se dilectum.

Obj. 3° S. Th. in 2, d. 4, q. 1, a. ultimo ad 7, explicans illud Apostoli ; *Omnia in gloriam Dei facite,* dicit : « Hoc posse intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sic est sensus : Nihil contra Deum facite, et hoc modo præceptum est : et sic hoc præceptum præteritur, vel per peccatum mortale quod contra Deum sit, vel per peccatum veniale quod præter præceptum et præter Deum sit. Si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse dupliciter : aut ita quod actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut et virtus ultimi finis manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis : et sic adhuc præceptum est, et contingit omissionem ejus esse venialem vel mortalem. » Atqui hæc ipsissima est sententia adversariorum. Ergo.

R. N. min. Nam adversarii volunt omissionem præcepti de relatione virtuali explicita in Deum propter se dilectum, in quovis casu esse tantum venialem : S. Th. vero dicit omissionem præcepti de relatione de qua agit, esse venialem vel mortalem : ergo sententia S. Th. non est ipsissima sententia adversariorum. Dicendum itaque quod, dum S. Doct. dicit : *Secundum quod virtus primæ intentionis manet in omnibus sequentibus actionibus,* in quibus verbis sita est vis argumenti, per virtutem primæ intentionis, nihil aliud intelligat quam actum charitatis seu amoris Dei super omnia, per quam homo virrtualiter omnia sua ordinavit et donavit Deo, quæ ordinatio et donatio perseverat donec per peccatum mortale revocetur, qua revocatione posita, obligatur iterum omnia sua ordinare et consecrare Deo per alium actum charitatis, non tamen statim nec pro semper, sed certo tempore et certis circumstantiis, in quibus, si non eliciat actum amoris Dei super omnia, peccabit venialiter aut mortaliter, secundum quod obligabit præceptum charitatis, attenta qualitate materiæ et circumstantiarum. Per id autem temporis intervallum quo actiones non sunt amplius ordinatæ vi actus charitatis ; nec urget ejus præceptum, non peccat homo dum agit actus ex objecto bono sine aliqua prava circumstantia, quia sunt adhuc virtualiter implicite ordinatæ ad Deum, ad sensum secundæ conclusionis.

Hanc esse mentem S. Th. constat ex ejus responsione immediate præcedente, ubi dicit : « Non oportet, quod intentio actualis » ordinans in finem ultimum sit semper » conjuncta cuilibet actioni quæ dirigitur » in aliquem finem proximum, sed sufficit » quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut » fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei » dilectionem dirigere; tunc enim quidquid » ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum » erit. Et si quæratur (*attende*) quando » oporteat actum referre in ultimum finem, » hoc nihil aliud est quam quærere quando » oporteat habitum charitatis exire in actum; quia, quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum et per consequens » omnium eorum quæ in ipsum ordinantur, ut bona sibi. » Et in 2, d. 41, q. 1, a. 2, ad 4 : « Præcepta affirmative non obligant ad semper, et ideo non oportet ut » actus infidelium qui in finem illum (scilicet ultimum) non est ordinatus (scilicet » explicite), semper sit peccatum, sed solum pro tempore illo in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre. » Idem dicit ibid. ad 2. Et lect. 7, in cap. 10 Epist. 1 Cor. dicit : « Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur, vel in actu, vel in » aptitudine referendi, » scilicet explicite. Unde, juxta S. Th. sensu præcepti apostolici affirmative sumpti, quando non urget præceptum charitatis, est quod omnia nos-

tra opera sint talia, ut de se tendant in gloriam Dei, sicque implicite ad iqsum referantur, et ex his Deus et Christus possint glorificari et proximus ædificari, juxta illud Matth. 5 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et clarificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Huic intelligentiæ aperte favet S. Aug. Serm. 2 in Psa. 34 in fine, ubi sic ait : « Suggero remedium unde tota die laudes » Deum, si vis : quidquid egeris bene age » et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum..... et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris, noli inebriari, et laudasti Deum. » Agrum colis, noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die. » Ex his et dictis in conclusionibus facile respondetur ad quædam alia quæ ex S. Doct. objici possunt.

Obj. 4° S. Th. in 1, d. 1, q. 3, a. unico, quærens utrum utendum sit de omnibus aliis a Deo, dicit 1° *Pœna utendum est et ordinanda ad finem secundum quod promovet meritum hominis, ducens eum in considerationem suæ infirmitatis, et secundum quod purgat peccata* : atqui tolerantia pœnæ propter finem naturalem et honestum non promovet meritum hominis, nec purgat peccata. Ergo.

2° Ibid. secundo loco sibi objicit sic : *Illo utimur, quo tendentes ad beatitudinem juvamur ; sed creaturis impedimur frequenter*, etc., ergo non omnibus possumus uti. Cui argumento sic respondet : *Ad secundum, dicendum quod creaturæ quantum est ex se non impediunt nos a consequenda beatitudine, sed ex parte nostra, in quantum eis abutimur in eis sistendo ut in fine.* Ergo agit D. Th. de tali creaturæ usu qui tendentes ad beatitudinem juvet ; *admittit* enim ut veram *majorem argumenti* propositi : atqui creaturæ usus ad beatitudinem juvans explicitam relationem importat ; implicita enim cum sit naturalis, ad eam non juvat. Ergo.

3° Ibid. ad 3, dicit : *Secundum theologum, nullus actus procedens a voluntate deliberante est indifferens ; quia si fertur in Deum, supposita gratia, est meritorius ; si autem non est referibilis, peccatum est ; si verò referibilis est et non refertur, vanus est.* Atqui actus referibilis in Deum non est actus malus, neque actus secundum speciem indifferens ; quia, cum relatio sit circumstantia, præsupponit actum in specie malis constitutum : ergo est actus moraliter honestus : ergo, præter ejus relationem implicitam, indiget explicita, alioquin secundum D. Th. est vanus et otiosus.

R. 1° *generaliter* S. Th. in hoc articulo nihil aliud intendere quam quod possit et debeat homo uti creaturis et non frui, sicut dixerat de Deo q. præced. Inter autem varios modos utendi creaturis, dicimus quod qui facit opus bonum, v. g. qui solvit debita ex amore justitiæ, parentes honorat ex pietate, sine ulteriori relatione, utatur et non fruatur creatura, quos nusquam negat S. Th.

R. 2° *etiam generaliter* S. Thomam in hoc articulo, ut homo non peccet in usu creaturæ, seu in operibus suis, requirere duntaxat relationem habitualem : *Similiter*, inquit in fine corporis, *opera nostra quæ mala non sunt ab ipso sunt et propter ipsum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum, sed sufficit ut habitualiter in Deo constituat finem suæ voluntatis.*

Reponit adversarius τὸ *habitualiter* sumi a D. Th. pro *virtualiter*. *Sed contra.* Quamvis non negem ita aliquando sumi a S. Doct., non ita tamen sumit in hoc articulo. *Patet ex resp. ad 4*, ubi dicit peccantem venialiter habere Deum *habitualiter* pro fine : ubi τὸ *habitualiter* sumi non potest pro virtualiter, cum certum sit hominem non peccare propter Deum virtualiter. Non est autem verisimile S. Th. eumdem terminum diverso sensu accepisse in eodem articulo.

Instat adversarius. S. Th. ad 3, dicit : *Si actus refertur in Deum supposita gratia, meritorius est* : atqui, si S. Th. terminum *habitualiter* non sumat pro termino *virtualiter*, ejus responsio habebit hunc sensum : *Si actus refertur in Deum vel actualiter vel habitualiter, supposita gratia, meritorius est* : quod est falsum, cum relatio habitualis non sufficiat ad meritum.

R. N. min. Quia S. Th. intelligit de gratia influente, est enim necessarius influxus gratiæ ad meritum ; ubi autem est influxus gratiæ, est plusquam relatio habitualis.

Et hæ duæ responsiones generales sufficerent ad omnia quæ opponit ex D. Th. loco cit. Ex abundanti tamen, *R. ad singula.*

Ad primum. 1° *D. min.* Tolerantia pœnæ propter finem naturalem non promovet meritum hominis nec purgat peccata actualiter formaliter, *C.* præsuppositive, *N.* Non dicit autem S. Th. quod utendum sit pœna actualiter merendo et purgando peccata, ad id enim non sufficeret relatio explicita, sed quod sit utendum pœna secundum quod promovet ad meritum, ducens hominem in considerationem suæ infirmitatis, et secundum quod peccata purgat. Qui autem patienter patitur, v. g. morbum causatum ex intemperantia, aut mortem ad quam est damnatus propter homicidium, agnoscens pœnam suo crimini esse debitam, is pœna utitur secundum quod promovet ad meritum, ducens ipsum in considerationem suæ infirmitatis, et secundum quod purgat peccata, hoc sensu quod hujusmodi tolerantia præsupponatur et prærequiratur ad meritum actuale, ita ut concurrentibus aliis ad meritum requisitis, de facto mereretur.

2° *Dato* quod S. Th. intelligat de usu actualiter meritorio, in hoc docuit modum optimum utendi pœna, sed non necessarium; nisi velis omnem usum pœnæ qui non esset meritorius, esse malum, quod falsum est.

Ad secundum. Nihil est in responso D. Th. quod militet contra sententiam nostram, nisi supponendo quod admittat *maiorem argumenti* propositi non solum ut veram, sed etiam ut exclusivam omnis alterius modi utendi creaturis, quod non probat nec probabit adversarius, nisi intelligendo ut supra de usu creaturæ qui juvet præsuppositive tendentes ad beatitudinem.

Ad tertium. N. min. pro secunda parte et illius probationem, quia in actibus secundum speciem in differentibus, circumstantia finis confert illi primam speciem moralem in individuo, ut docetur in tractatu de Act. Hum. Insuper non dicit S. Th. quod, qui actum referibilem non refert, simpliciter peccet, sed quod ejus actus sit vanus, otiosus et peccaminosus, quod jugulat sententiam adversariorum, si intelligatur de relatione explicita; negant enim actum defectu relationis explicitæ esse malum et peccaminosum.

Obj. 5° S. Th. in 4, d. 31, q. 2, a. 2, habetur q. 49 Suppl. a. 5, in resp. ad 1, dicit: « quod proles, prout est bonum sacramenti, » addit supra prolem prout est intentum a » natura : natura enim intendit prolem » prout in ipsa salvatur bonum speciei; » sed in prole, secundum quod est bonum » sacramenti matrimonii ultra hoc intelligitur, ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum : et ideo oportet quod intentio naturæ qua prolem intendit, referatur » actu vel habitu ad intentionem prolis » prout est bonum sacramenti, alias staretur in creatura, quod sine peccato esse » non potest. Et ideo, quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non » excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel » habitu ulterius ad prolem, secundum » quod est bonum sacramenti. » Non potest autem intelligi per habitualem relationem relatio implicita, quæ jam supponitur in ipso actu conjugali rite peracto causa prolis et fidei, siquidem ultra illam, aliam requirat S. Th. ergo explicitam requirit.

Pro hujus argumenti solutione, exponenda est doctrina laudati articuli. In primis S. Th. in corp. articuli, dicit « quod, » sicut bona matrimonii secundum quod » sunt in habitu faciunt matrimonium honestum est sanctum; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, » faciunt actum matrimonii honestum » quantum ad illa duo bona quæ ipsius actus respiciunt. » Duo autem bona quæ actum matrimonii respiciunt, sunt proles et fides. Et ideo addit S. Th. « Unde quando » conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quæ ad fidem pertinent, totaliter » excusantur a peccato. »

Nihil ergo aliud requiritur ut actus conjugii excusetur totaliter a peccato, quam intentio prolis vel fidei sine aliqua prava circumstantia. Et rationem subjicit S. Doctor, quia nempe tertium bonum quod est bonum sacramenti, non pertinet ad actum, sed ad essentiam matrimonii. *Sed tertium bonum*, inquit, *non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est : unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus.*

Concilianda est hæc doctrina cum resp. ad primum quæ nobis objicitur. Si S. Th. requirat necessario relationem explicitam in bonum sacramenti, ut conjuges excusentur totaliter ab omni peccato ergo non solum bonum prolis et fidei, sed etiam bo-

num sacramenti pertinet ad actum conjugii; neque solum ipsum matrimonium, sed etiam ejus actum honestum reddit: quod diserte negat S. Th. Item, neque conjuges convenientes tantum causa prolis vel fidei, totaliter excusantur a peccato, quod diserte affirmat D. Th.

Dicendum itaque quod in resp. ad primum, per relationem habitualem ad bonum sacramenti, non intelligat istam relationem explicitam adversariorum, sed implicitam in ipso actu conjugali rite peracto casu prolis vel fidei, absque ulla circumstantia vitiante.

At, inquit advers. jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa prolis vel fidei: ergo aliquid aliud requirit S. Th. *R. D. ant.* Jam supponitur relatio habitualis in actu conjugali causa prolis vel fidei, si nulla circumstantia vitietur, *C.* si vitietur aliqua circumstantia, prout facile vitiari potest, in hac præsertim materia, *N.* cum enim tunc non referatur ad Deum, nec ad bonum sacramenti refertur.

Adde quod, si S. Th. per relationem habitualem intelligeret explicitam, sequeretur quod sine ista non solum conjuges peccarent simpliciter, sed quod eorum actus esset malus; dicit enim S. Doctor *quod actus non excusatur omnino, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem secundum quod bonum est sacramenti:* quod sane evertit systema adversariorum.

Neque dicas S. Th. prævidisse hanc instantiam, eo quod in fine responsionis dicat: *Nec tamen sequitur quod motus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.* Nam aliud est motus ad actum, aliud ipse actus: motus naturæ ad actum potest non esse malus, sed imperfectus tantum, et tamen ipse actus vitiari aliqua circumstantia quæ impediat relationem habitualem quam requirit, ideoque esse malus. Et sane quis ista duo conciliare potest? Actus non excusatur a peccato omnino, et actus non est malus.

Obj. 6° S. Th. q. de Charitate, a. 11, quærens utrum omnes teneantur ad perfectam charitatem, ad 2, dicit: *Quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur.* Illa autem virtualis relatio non potest intelligi de relatione implicita, quia non pertinet ad perfectionem charitatis, et quia S. Th. dicit ibid. quod per eam homo potest in omnibus mereri, si charitatem habeat: per relationem autem implicitam non poterit mereri: ergo intelligit de relatione explicita.

R. S. Th. per relationem virtualem hic intelligere relationem equidem explicitam, sed importatam in actu charitatis strictæ, aut in æquivalenti, scilicet in amore Dei benevolo super omnia, per quem, ut docet in 2, d. 28, q. 1, a. 3, impletur præceptum charitatis: *Quandocumque enim*, inquit in 2, d. 40, q. unica, a. 5, ad 6, *aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere, tunc quidquid ad seipsum spectat in Deum ordinatum erit.* Constat autem quod, per amorem Dei super omnia, homo, si charitatem habeat, mereri possit, et quod iste amor possit elici a peccatore nondum justificato, seu charitatem non habente, ut probamus de attritione in tract. de Pœnit.

Obj. 7° S. Th. q. 22 de Charitate, a. 2, dicit: *Sicut in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio nisi per resolutionem ad prima principia, ita appetitus creaturæ rationalis non est rectus nisi per appetitum explicitum ipsius Dei actu vel habitu.*

R. 1° S. Th. in hoc art. resolvere quod omnia entia appetant Deum inanimata et non cognoscentia implicite, creatura rationalis explicite: unde hic sumit appetitum explicitum, non prout importat distinctam Dei cognitionem, sed prout opponitur appetitui innato inanimatorum; et ideo addit, *per appetitum explicitum Dei actu vel habitu.*

R. 2° *Dato* per appetitum explicitum S. Th. intelligere distinctam Dei cognitionem, dicit appetitum non explicitum non esse rectum, non quod sit malus, sed quia non est perfectus. Id evidens est ex ipso textu; si quis enim eliciat legitimam conclusionem ex immediatis principiis, licet non resolvat in prima principia, ista conclusio erit bona, sed non perfecta: ergo similiter, qui appetit aliquod bonum particulare propter ejus honestatem, licet non propter Deum explicite, appetitus non erit malus, sed tamen imperfectus; alioquin dicendum foret non solum quod agens peccaret, sed etiam quod actus ejus esset malus, quod non admittunt adversarii.

Inst. S. Th. 1, 2, q. 19, a. 10, dicit : *Ad hoc quod aliquis recta voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quod istud particulare bonum sit volitum materialiter, bonum autem commune divinum sit volitum formaliter.*

R. etiam in nostra sententia bonum commune divinum esse volitum formaliter ; qui enim vult aliquod particulare bonum, illud vult formaliter propter bonitatem et honestatem ut sic, quæ est Deus.

Obj. 8° 1, 2, q. 21, a. ad 3, dicit : *Totum quod homo est et quod potest et habet, ordinandum est ad Deum : et ideo omnis actus hominis bonus vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus* : atqui non potest intelligi de relatione implicita, alias ratio meriti apud Deum fundaretur in solis naturæ viribus : ergo de explicita.

R. N. min. Ad probat. D. Ratio meriti improprie dicit et ad mercedem temporalem fundaretur in solis naturæ viribus, *C.* meriti proprie dicti et ad mercedem æternam, *N. min.* Non est autem in istis articulis, inquit Sylvius, sermo præcise de merito vitæ æternæ, vel de merito respectu vitæ sempiternæ, sed generaliter intelligitur meritum prout meritum dicitur omne id quod facit aliquam mercedem aliquo modo debitam, sive temporalem, sive æternam, sive debitam ex justitia proprie dicta, sive ex alia. Ita celeberrimus Doctor Lovan.

Inst. S. Th. 1, 2, q. 102, a. 6, ad 7, dicit : *Cœlestis intentio omnibus operibus nostris debet adjungi* : atqui relatio implicita non est cœlestis. Ergo.

R. 1° *D. min.* Relatio implicita non est cœlestis explicite, *C. min.* implicite, *N. min.* 2° *Dato* intelligendam esse cœlestem explicite, nihil aliud his verbis intendit S. Th. quam quod dicit alibi, scilicet omnia debere referri in Deum explicite, non immediate in se, sed mediate in sua causa, nempe in actu charitatis, quando ejus præceptum obligat ; non autem obligat ad semper. *Vide primam conclusionem*, item *primam et secundam prob.* 2 *concl.* 3° Si contendas intelligendam esse intentionem cœlestem quoad singulos actus immediate in se, *D. maj.* Debet adjungi omnibus operibus nostris in ordine ad vitam æternam, *C.* in ordine ad bonitatem mortalem, *N. Cum* enim, inquit S. Doctor cit. in 2 prob. 2 concl. *aliquis ex dictamine rationis facit aliquod bonum, non referendo ad malum finem, non peccat.* Addo S. Th. illic agere duntaxat de fidelibus verum Deum colentibus, sicque in hoc ejus dicto fundari non posse sententiam adversariorum, qui etiam infideles astringunt præcepto omnia opera referendi explicite in Deum propter se dilectum.

Obj. 9° S. Th. 22, q. 83, a. 14, o. dicit : « De oratione dupliciter loqui possumus ; » uno modo secundum seipsam, alio modo » secundum causam suam. Causa autem » orationis est desiderium charitatis ex quo » procedere debet oratio, quod quidem » debet esse in nobis continuum vel actu » vel virtute ; manet enim virtus hujus » desiderii in omnibus quæ ex charitate » facimus ; omnia autem debemus in Dei » gloriam facere, ut dicitur 1 Cor. 10 ; et » secundum hoc, *id est, quia et in quantum* » *omnia debemus in Dei gloriam facere*, » oratio debet esse continua : unde S. Aug. » dicit ad Probam : *In ipsa fide et chari-* » *tate continuato desiderio semper oramus.* » Ex quibus sic arguitur. S. Th. fundat debitum orationis continuæ in præcepto Apostoli, *Omnia in Dei gloriam facite* : ergo in relatione explicita ; quia non nisi per hanc potest esse oratio continua. *Prob. ant.* Dicit S. Th. *et secundum hoc*, nimirum quia et in quantum debemus omnia in Dei gloriam facere, oratio debet esse continua : ergo.

R. N. ant. Ad prob. N. expositionem textus, et dico τὸ *secundum hoc* referri ad desiderium salutis, et non ad præceptum Apostoli. Si attendatur causa salutis, inquit Sylvius in expositione hujus articuli, quæ est desiderium salutis rerumque salutarium, ex quo procedere debet oratio, oportet orationem esse diuturnam, imo continuam ; quia tale desiderium debet homini christiano esse perpetuum pro se et pro aliis, saltem virtute. Ita eximius S. Thomæ interpres. Idque *patet* ex ipso textu S. Aug. quem citat S. Th. Non enim dicit S. Aug. *in actibus fidei et charitatis*, sed *in ipsa fide et charitate continuato desiderio semper oramus.* Et alioquin sequeretur quod homo etiam caritate instructus, cum nihil ageret, aut mente distractus ageret, nihil actu faciens in gloriam Dei, deficeret ab oratione, sicque non oraret continuo ; quod est alie-

num a sensu S. Th. Insuper S. Th. 1. 2, q. 100, a. 10 et alibi, intelligit textum Apost. de charitate stricta. Nolunt autem adversarii suam relationem esse ex charitate stricta : ergo non favet ipsis S. Th.

Obj. 10° ex S. Aug. lib. 1 de Trin. c. 13, dicente : *Illa visio Dei qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam..... sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipitur agere quidquid recte agimus.* Ergo S. Augustino non sufficit implicita relatio. *Prob. conseq.* Recte factum et nulla prava circumstantia vitiatum est in Deum implicite relatum : atqui tamen, juxta S. Aug. hoc ipsum recte factum summi boni adipiscendi causa præcipimur agere : ergo ulterius debet referri.

R. S. Aug. sumere præceptum lato sensu pro concilio illius quod est bonum et optimum, alioquin sequeretur quod, qui ex alio motivo etiam supernaturali quam adipiscendæ beatitudinis recte operaretur, peccaret.

Neque dicas cum adversario sensum S. Augustini non esse, quod in omni actione debeamus formaliter intendere beatitudinem æternam et ad illam omnia opera nostra referre, sed quod præcipiatur nobis quod in omni actu ad illam tendamus referendo illum ad Deum. *Contra est* enim quod S. Aug. formalissime dicat quod causa adipiscendæ beatitudinis præcipimur agere quidquid recte agimus. Quid est autem agere causa beatitudinis adipiscendæ omne quod agimus, nisi intendere formaliter beatitudinem et ad illam omnia opera nostra referre ?

Vel dicendum S. Aug. hac phrasi nihil aliud velle quam quod debeamus in omni opere habere Deum pro ultimo fine ; ille autem habet Deum pro ultimo fine qui, dum agit opus ex objecto bonum, illud nulla prava circumstantia, nullo pravo fine inficit

Et nisi alterutro sensu S. Aug. intelligas, ipsum conciliare non poteris. Docet enim S. Doct. lib. de Spiritu et littera, c. 27 et alibi, quædam infidelium opera, etiam attento fine, esse laudanda, licet non sint facta causa æternæ beatitudinis adipiscendæ, nec relata explicite in Deum. Ergo.

Obj. 11° S. Aug. lib. 19 de Civ. c 25, de virtutibus hominis infidelis dicit : *Virtutes quas sibi habere videtur..... nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius quam virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc superbæ et inflatæ sunt, et ideo non virtutes sed vitia judicanda sunt.* Atqui dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum. Ergo.

R. 1° *hanc objectionem* ab adversariis *esse solvendam.* Non enim volunt opera infidelium sine sua relatione virtuali explicita esse peccata et vitia, ut hic dicit S. Augustinus, sed infidelem duntaxat peccare non referendo in Deum.

Reponit adversarius has infidelium virtutes secundum S. Aug. esse vitia, non sumendo vitium pro actione secundum se, sed pro complexo ex actione et omissione, juxta communem modum loquendi : sic, v. g. dicimus de famulo qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod male fecerit ; nemo tamen infert quod peccaverit laborando.

Sed contra. S. Augustinus non dixit infideles in his virtutibus peccare, sed eas esse vitia et peccata. Sicut ergo, si dicerem de famulo qui injuncti laboris mediam partem tantum implevit, quod ejus labor est malus, juxta communem modum loquendi, intelligeretur de labore secundum se, et non de complexo ; ita similiter in nostro casu ; idque eo evidentius *patet*, quod S. Aug. vocet istas infidelium virtutes *inflatas et superbas.* Neque *dicas* cum adversario ideo sic vocari a S. Aug. quia cum non expeterentur propter Deum, debito honore illum privabant ; qui enim furatur aut fornicatur, longe magis Deum debito honore defraudat quam qui ad eum actionem bonam non refert explicite, et tamen iste fur aut fornicator non dicitur inflatus et superbus.

R. 2° *D. min.* Dum virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimate sistatur, *C. min.* si in eis ultimate sistatur tanquam in vera beatitudine, *N. min.* Et hoc sensu loquitur S. Aug. *ut patet* ex verbis immediate sequentibus : « Sicut enim, inquit, non » est a carne, sed super carnem, quod car» nem facit vivere ; sic non est ab homine, » sed super hominem, quod hominem facit

» beate vivere. » S. Aug. ergo hic alludit ad Stoicos qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituebant, et de quibus sermone de verbis Apostoli c. 7, sic loquitur : « Extiterunt autem alii superbi, quasi » a carne se removentes et totam spem suæ » beatitudinis in anima sua constituentes ; » posuerunt summum bonum in virtute » sua.... Tales fuerunt philosophi qui Stoici » nuncupati sunt.... Dicebat Epicureus : » Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoi- » cus : Mihi frui mente mea bonum est. Di- » cebat Apostolus : Mihi adhærere Deo bo- » num est. » Fatemur autem virtutes sic propter se ultimate appetitas, non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione intercipiatur virtualis relatio ad Deum, et hæreatur in creatura illa fruendo. Sed si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimate in ipso, neque in seipsum aut in alium pravum finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum et in suo gradu constitutum secundum rectam rationem, dicimus quod sit moraliter bonum, et agens non peccet, quia virtualiter implicite intendit Deum, ut hujus boni inchoati perfectionem et consummationem.

Inst. advers. S. Augustinus loco cit. de Civit. non magis agit de Stoicis quam de Turcis, sed generaliter agit de omnibus illis apud quos non est vera religio.

R. advers. hic loqui contradictoria. Si namque agat S. Aug. generaliter de omnibus apud quos non est vera religio, ergo etiam agit de Stoicis apud quos non erat vera religio, et magis quam de Turcis qui tunc nondum extabant : sicut, si nunc agerem generaliter de omnibus apud quos non est vera religio, indubie agerem de Turcis apud quos non est vera religio. Et sicut non implicat quod qui ageret generaliter de omnibus infidelibus, interdum sermonem deflecteret ad Turcas ; ita nihil impedit quominus S. Aug. agens generaliter de infidelibus, de Stoicis in particulari, occasione data, locutus fuerit. Et ita esse *patet* ex eo quod in utroque loco eumdem modum loquendi teneat. In lib. de Civit. vocat virtutes infidelium *inflatas et superbas;* in Serm. de verbis Apost. vocat Stoicos *superbos;* in lib. de Civit. dicit : *Sicut enim non est a carne, sed super carnem quod facit vivere, sic non est ab homine, sed super hominem quod hominem facit beate vivere.* Quæ verba exprimunt aperte dogma Stoicorum conformiter ad ea quæ de ipsis dicit in Serm. de verbis Apost. *Extiterunt autem*, inquit ibi, *illi superbi quasi a carne se removentes, et totam spem suæ beatitudinis in anima sua constituentes ; posuerunt summum bonum in virtute sua... Tales fuerunt philosophi qui Stoici nuncupati sunt.*

Neque dicas cum advers. sensum horum verborum in lib. de Civit. *sicut enim non est a carne*, etc., non esse quod infideles existimarent quod in virtutibus ad se et non ad Deum relatis consisteret beatitudo, sed quod conducerent ad beatitudinem.

Contra enim 1° sistendo in paritate S. Aug. sicut de materia ad vitam disposita, licet conducat ad vitam, non dicitur secundum S. Aug. quod faciat vivere, sed solus Deus ; ita nec de virtute conducente ad vitam beatam dicitur, secundum eumdem S. Aug. quod faciat vivere beate, sed solus Deus. 2° S. Aug. expresse docet in Serm. de verbis Apost. Stoicos constituisse suam beatitudinem in sua virtute : quidni haberet eumdem sensum in lib. de Civit. ubi tenet eumdem modum loquendi ? 3° Denique juxta aliquos *responderi* potest S. Aug. in lib. de Civit. condemnare eos qui expetebant virtutes propter se quidem, non tamen secundum se præcise et ut abstractas a subjecto, sed in concreto et ut in subjecto, scilicet ut virtuosi apparerent *Si inferas* : Ergo non solum propter se sed propter aliud expetebantur. *R.* quod solum propter se in concreto et ut in subjecto expetebantur, et hoc sensu non propter aliud.

Cæterum, nisi alterutro sensu S. Aug. intelligas, non video quomodo salvari possit a damnatione hujus propositionis : *Omnia infidelium opera sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* Neque dicas cum advers. S. Aug. alibi admittere opera infidelium posse esse bona : nam etiam ipsi auctores propositionis damnatæ non negabant opera infidelium posse aliquo sensu dici bona, et nihilominus fuerunt damnati.

Obj. 12° S. Aug. l. 1 de Doct. Christ. c. 22, dicit : hæc... regula dilectionis divinitus constituta est : *Diliges*, inquit, *proximum tuum* » *sicut te ipsum, Deum vero ex toto corde,* » *et ex tota anima, et ex tota mente*, ut om- » nes cogitationes tuas et omnem vitam et

» omnem intellectum in illum conferas, a » quo habes ea ipsa quæ confers. Cum au- » tem ait *toto corde, tota mente*, nullam » vitæ nostræ partem relinquit quæ vacare » debeat et quasi locum dare ut alia re ve- » lit frui, sed quidquid aliud diligendum » venerit in animum, illuc rapiatur, quo » totus dilectionis impetus currit. » Ergo, juxta S. Aug. omnia sunt referenda in Deum, ita ut nulla pars vitæ nostræ relinquatur quæ vacare debeat et quasi locum dare ut alia re frui velit. Quid autem sit re aliqua frui, expressit ibid. S. Aug. c. 4: *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam; uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre.*

R. hæc omnia verificari secundum sententiam nostram : primo in actu charitatis, dum urget præceptum; deinde etiam extra casum quo urget præceptum, in omni actu bono nulla ex parte vitiato. Cum enim appetatur formaliter explicite propter honestatem particularem hujus actus, appetitur virtualiter explicite propter honestatem ut sic, quæ cum in re sit Deus, appetitur virtualiter implicite propter Deum, sicque non est ea re frui, sed uti.

Contra hanc secundam resp. insurgit advers. ex S. Aug. ibid. cap. 21, cum dixisset: *Res illæ tantum sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus*, subdit: *Cæteris autem utendum est, ut ad illarum fruitionem pervenire possimus.* Atqui relatio virtualis implicita, cum sit naturalis, non conducit ad Dei fruitionem : ergo. 2° S. Aug. ibid. cap. 92, sic loquitur : *Quæritur utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud? Si enim propter se, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo, videtur autem mihi propter aliud diligendus.* Ergo, juxta S. Aug. diligere proximum propter se, seu propter ejus particularem bonitatem, non est sufficienter referre actum suum in Deum, cum sic diligere non sit uti proximo, sed frui.

Resp. ad primum. Inprimis non dixit S. Aug. quod cæteris utendum sit, quatenus in isto usu *conducit* ad beatitudinem, sed quod sit cæteris utendum, *ut pervenire possimus* ad beatitudinem : qui autem facit actum bonum nulla ex parte vitiatum, sic utitur creaturis, ut aliis adhibitis possit pervenire ad beatitudinem : necesse est enim ad illam adipiscendam ut actus bonos et non malos faciat, licet soli non sufficiant. Sed, etsi S. Aug. dixisset quod iste usus debeat *conducere* ad beatitudinem, nihil obesset quia revera conducit non quidem positive, sed præsuppositive et negative. Præsuppositive, quia, ut jam dixi prærequiritur ad adeptionem beatitudinis ut actus sit moraliter bonus et nulla ex parte vitiatus. Negative, quia faciendo actus moraliter bonos, non peccat, et sic removet impedimentum beatitudinis; quod voco conducere negative.

Ad secundum D. propositionem S. Aug et simul *conseq.* Si hominem propter se diligimus constituendo in eo nostrum finem, eo fruimur, *C.* non constituendo in eo nostrum finem, *N.* hæc solutio seu explicatio non est mea, sed ipsius S. Aug. qui in eodem lib. cap. 33, dicit : *Si vero inhæseris atque permanseris* in delectatione creaturæ *finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es.* Requiritur ergo juxta S. Aug. ut dicamur frui creatura, ut in ea finem nostrum ponamus. Porro qui facit actum moraliter bonum, nulla ex parte vitiatum, v. g. qui absque ullius pravæ circumstantiæ admixtione diligit parentes, amicos, viros probos, motus honestate particulari hujus legitimi amoris, nullatenus constituit finem suum in istis objectis, sed in ipsa honestate ut sic, quæ in re Deus est. Et hæc semel dicta ex S. Aug. sufficiant sæpe *iteratis instantiis* advers. petitis ex usu et fruitione creaturarum.

Obj. 13° S. Aug. lib. 9 de Trinit. cap. 7 et 8, dicit : « Nemo..... volens aliquid facit » quod non in corde suo prius dixerit : » Quod verbum amore concipitur sive crea- » turæ sive creatoris : ergo aut cupiditate » aut charitate. Non quod non sit amanda » creatura, sed si ad creatorem refertur il e » amor, non jam cupiditas, sed charitas » erit. Tunc enim est cupiditas, cum prop- » ter se amatur creatura : tunc non uten- » tem adjuvat, sed corrumpit fruentem. »

R. S. Aug. ibi sumere charitatem lato sensu pro amore boni honesti, ut ipsi familiare est. Sic lib. de Grat. Christi, cap. 21 : *Quasi vero*, inquit, *aliud sit bona voluntas quam charitas;* in Psal. 136 : *Ipsa est charitas quæ dicitur bona voluntas;* et lib. 8 de Trinit. *Quid est dilectio vel charitas,*

nisi amor boni? Sic ergo, juxta S. Aug. amor creaturæ, v. g. parentum, uxoris, filiorum, secundum dictamen rectæ rationis, est charitas dicto sensu et refertur ad Deum. Amor autem creaturæ constituendo in ea finem, vel illum prava circumstantia aut pravo fine inficiendo, est cupiditas; quia non refertur ad Deum nec etiam virtualiter. Neque enim dici potest amorem parentum juxta dictamen rationis, nulla circumstantia vitiatum, esse cupiditatem; quia tunc non solum peccaret amans, sed ejus amor, utpote cupiditas, foret malus : quod neque juxta S. Aug. neque juxta adversarios dici potest.

Inst. S. Aug. lib. 3 de Doct. Christ. cap. 10, definiens charitatem, dicit : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.* Ergo.

R. Non negamus S. Aug. sæpe sumere charitatem stricto sensu : sed negari non potest quin etiam sæpe sumat lato sensu pro amore boni, ut vidimus. Aliunde non volunt adversarii quod teneamur referre opera nostra in Deum ex charitate stricta : ut quid ergo urgent ex S. Aug. charitatem strictam?

Denique, si primus textus S. Aug. et quæ illi subjicit advers. dicens *quidquid fit amore fieri vel creaturæ vel creatoris, et consequenter cupiditate vel charitate ;* si hæc, inquam, intelligantur de charitate stricta et supernaturali, ita ut omne quod non est ex charitate stricta sit ex cupiditate vitiosa : statim occurrunt sequentes propositiones damnatæ. *Prima* : « Non sunt nisi » duo amores unde volitiones et actiones » nostræ omnes nascuntur : amor Dei, qui » omnia agit propter Deum, quem que Deus » remuneratur; et amor quo nos ipsos ac » mundum diligimus, qui quod ad Deum » referendum est non refert, et propter hoc » ipsum fit malus : » est 44 inter Quesnellianas. Affines sunt sequentes usque ad 59. *Secunda :* « Omnis amor creaturæ rationa» lis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus » diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut » laudabilis illa charitas qua per Spiritum » sanctum in corde diffusa Deus amatur : » est 38 inter Baianas. *Tertia* : « Omnis hu» mana actio deliberata est Dei dilectio vel » mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, » concupiscentia carnis, hoc est, mala est : » est 7 interdamnatas ab Alexandro VII.

Obj. 14° S. Aug. lib. 4 contra Julian. cap. 3, alloquens Julianum, dicit. « No» veris non officio, sed finibus a vitiis » discernendas esse virtutes : officium est » autem quod faciendum est, finis vero » propter quod faciendum est. Cum itaque » facit homo aliquid, ubi peccare non vi» detur, si non propter hoc facit propter » quod facere debet, peccare convincitur. » Et infra : « Quidquid autem boni fit ab » homine, et non propter hoc fit propter » quod fieri vera sapientia præcipit, ipso » non recto fine peccatum est. » Item infra, quærenti Juliano : Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est? respondet : « Prorsus in quan» tum non est ex fide, peccatum est, non » quia per seipsum factum quod est nudum » operire peccatum est, sed de tali opere » non in Domino gloriari, solus impius » negat esse peccatum. » Ex quibus evidens est non sufficere S. Aug. ut agens non peccet, quod ejus opus sit ex objecto bonum, sed insuper requiratur ut alia ulteriori relationi referatur in Deum, quæ alia esse non potest nisi virtualis explicita.

Antequam respondeam, observo S. Aug. ex his principiis inferre contra Julianum, opera infidelium esse peccata et eorum virtutes vitia. Si ergo S. Aug. ista sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo opus ex objecto bonum agens peccat, ut intelligunt et volunt adversarii, debent admittere hanc illationem, scilicet : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, esse de mente S. Aug. aut fateri S. Aug. male ratiocinatum fuisse. Neutrum admittunt : ergo fateantur necesse est se non intelligere legitimum sensum S. Aug. Quis sit autem S. doctoris sensus legitimus, in bona luce posuimus, dissert. 3 de Gratia, a. 3, § 2. Itaque nunc

R. 1° S. Augustinum hæc verba, *non recto fine, non in Domino gloriari* et similia, non sumere contradictorie seu negative, sed contrarie, quasi diceret : In alio quam in Domino gloriari, et perverso fine agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur : quo sensu in S. Scriptura, 1 Reg. 18, Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Ita S. Augustinum interpretantur S. Thomas et Estius, ut ostendimus loco citato de Grat.

Idque manifestum est ex ipso S. Aug. eodem cap. 3 cit. : « Quia, inquit, non fideli, » sed infideli, hoc est *stulta et noxia* faciunt » voluntate. » Ibid. « Possunt ergo aliqua » bona fieri, non bene facientibus a quibus » fiunt : bonum est enim ut subveniatur » homini periclitanti, præsertim innocenti ; » sed ille qui hoc facit, *si amando gloriam* » *hominum* magis quam Dei facit, non » bene bonum facit, quia non bonum facit » quod non bona voluntate facit : absit enim » ut sit vel dicatur voluntas bona quæ *in* » *aliis vel in seipsa*, non in Domino glo- » riatur ! »

Ad observationem præmissam responsioni obmutescit advers. cum tamen sit gravissimi ponderis : contra vero responsionem sic arguit. Nunquam admisit Julianus quod opera ad malum finem relata essent bona : ergo desuper non fuit controversia inter S. Aug. et Julianum. *Prob. ant.* Dicit S. Aug. Juliano : *Jam cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum.* Ex quibus *patet* quod virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, sit consequens quod S. Aug. deducit ex principio Juliani, non doctrina Juliani. Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. Virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, est consequens quod S. Aug. deducit ex principio Juliani, et quod negabat Julianus, *N.* et quod non negabat Julianus, quodque eum admittere supponebat S. Aug. *C* et *N. conseq. Patet* tum ex textu S. Aug. in resp. nostra laudato, ubi impugnando Julianum ostendit opera facta ex malo fine non esse bona : ut quid enim in hoc desudasset S. Aug. si non admisisset Julianus esse bona ? tum ex ipsis verbis objectis et sequentibus : dicit enim S. Aug. : « Jam tamen cernis, ut » arbitror, consequens esse ut vera sit vir- » tus avarorum prudentia, qua excogitant » genera lucellornm..... Ergo virtutes istæ » tali fine turpes atque deformes, et ideo » nullo modo germanæ veræque virtutes, » tibi tamen videntur et pulchræ, ut (verba » sunt Juliani) nec nominis sui possint nec » generis sustinere dispendium..... Ex quo » te tanta absurditas sequitur, ut veram » cogaris appellare justitiam, etiam cum » *dominam* reperis *avaritiam*. » Sic autem S. Aug. non potuisset alloqui Julianum, nisi supponendo eum admittere consequens quod ex illius principio doducebat. Sit exemplum : v. g. Molinista arguens contra Thomistam aut Augustinianum, ex positione gratiæ per se efficacis destrui liberum arbitrium, non posset dicere Thomistæ vel Augustiniano : « Jam cernis, ut arbitror, » consequens esse ut gratia per se efficax » destruat liberum arbitrium : ergo destruc- » tio liberi arbitrii por gratiam ex se effica- » cem tibi videtur dogma verum : ex quo te » tanta absurditas sequitur, ut cogaris ap- » pellare dogma verum quod est hæreti- » cum. » Non posset, inquam, sic loqui Molinista, nisi supponendo Thomistam aut Augustinianum admittere *consequens*, scilicet et positione gratiæ per se efficacis destrui liberum arbitrium. Ita in nostro casu.

Insuper, S. Th. ut jam dixi, intelligit sicuti nos S. Augustinum. En ejus verba 2, 2, q. 23, a. 7, ad 1 : « Augustinus dicit » in 4, contra Julianum, quod actus infi- » delis, in quantum est infidelis semper est » peccatum, etiamsi nudum operiat, vel » aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad » finem suæ infidelitatis. »

Ast, inquit advers. S. Thomas non dicit concertationem inter S. Aug. et Julianum fuisse de operibus bonis ad malum finem relatis. *R.* S. Th. dicere Augustinum scribentem contra Julianum loqui de operibus bonis ad malum finem relatis, quod est dicere S. Aug. disputasse contra Julianum de operibus relatis ad malum finem, præsertim si attendatur ad ea quæ *dixi in responsione*. Sed neque hoc solum dixit S. Thomas ; in eadem responsione ad 1, loquens de actu infidelis procedente ex bono naturæ, non relato ad malum finem, non dicit quod sit malus, sed *bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinario ad ultimum finem* : quæ est secunda responsio nostra, *ut mox videbimus*. Sicque S. Th. duplici membro suæ responsionis concludit totam concertationem inter S. Aug. et Julianum, quæ fuit et de actibus ex objecto bonis infidelium ad malum finem relatis, qui ideo sunt mali, et de istis actibus ad malum finem non relatis qui non sunt perfecte boni.

Denique nostram interpretationem esse legitimam ulterius constat ex hoc quod S. Aug. dicat in objectione, quod *solus impius* neget esse peccatum *non gloriari in Domino* de eleemosyna. Si enim non sumat

S. Doctor *non gloriari in Domino* contrarie pro eo quod est in alio quam in Domino gloriari et ex pravo fine agere, sed contradictorie, pro eo quod non est referre explicite in Deum, ut volunt adversarii, sequitur quod omnes nobiscum sentientes, hoc est, ferme omnes doctores catholici, qui negant esse peccatum, non referre virtualiter explicite opus bonum in Deum, dicendi sint impii, quod non admittunt adversarii.

Singularis nobis videtur *responsio* adversarii *ad hanc inst.* dicit quod tempore S. Aug. nullus catholicus negabat obligationem relationis explicite, sed omnes catholici in eam sententiam conspirabant, et ideo non dicit S. Aug. quod esset impietas illam negare, sed quod solus impius illam neget : unde non sequitur quod nunc dicendi sumus impii. Fallor, si hæc responsio non videatur omnibus, exceptis forte Lovaniensibus, parodoxum. Incredibile namque est omnes scholas catholicas, excepta quod sciam, Lovaniensi, recessisse a tot annis in materia præcepti divini a sententia in quam tempore S. Augustini omnes catholici conspirabant, et in errorem oppositum lapsos esse, absque eo quod vel Ecclesia vel summi pontifices vel episcopi reclamaverint. Jucundum foret scire quando, ubi, quo auctore iste error primum irrepsit in scholas catholicas.

R. 2° *ad principale argumentum*, opera quæ sunt sine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari a S. Aug. peccata lato sensu, sumendo peccatum pro omni eo quod a fine deficit et cui deest plenitudo suæ perfectionis, seu, ut dicit S. Th. prius cit. pro non perfecte bono, qualia sunt hujusmodi opera quæ, cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad regnum cœlorum. Eodem sensu dicit virtutes philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia, quia licet possint esse, etsi raro, sine malo fine, ut admittit S. Augustinus, lib. de Spiritu et Litt. non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim S. Aug. de virtutibus et bonis operibus, non moraliter et secundum philosophos, sed prout sunt meritoria regni cœlestis, seu, ut dicit in eodem cap. 2, *per quæ solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci*

Contra hanc responsionem sic arguit adversarius. Julianus concedebat sua bona opera non esse meritoria vitæ æternæ : ergo S. Aug. non agit de illis ut meritoriis.

R. D. conseq. Non agit de illis ut meritoriis, id est ut probet non esse meritoria, *C.* id enim concedebat Julianus ; ut probet non debere dici absolute bona, *N.*

Inst. Si S. Aug. fuisset nostræ sententiæ, Julianus potuisset illi respondere ipsa opera posse aliquo sensu dici bona; id enim nos dicimus. *R.* id etiam concedi Juliano a S. Aug. in fine capitis, ut mox videbimus, Et numquid ipsi adversarii concedunt hujusmodi opera esse aliquo sensu bona?

Reponit. S. Aug. ibid. dicit : *Fieri non potest ut steriliter boni simus :* ergo, si ista opera sint bona, sunt meritoria.

R. D. conseq. Si ista opera sint bona bonitate supernaturali, ad sensum S. Augustini, sunt meritoria, *C.* Si sint bona bonitate morali tantum, *subdistinguo :* sunt meritoria mercedis temporalis, *C.* æternæ, *N.*

Verum rem peremptorie dirimit S. Aug. ipse in fine hujus cap. 3, concludens totam suam dissertationem cum Juliano verbis sequentibus, quæ vix attigit adversarius : « Breviter, inquit, S. Doctor, accipe, ne » forte cum in rebus ipsis tantum erres » quantum errari plurimum potest, videar » tecum certare de verbis... Quoniam sal- » tem concedis opera infidelium quæ tibi » eorum videntur bona, non eos ad salutem » sempiternam regnumque perducere, scito » nos illud bonum hominum dicere, illam » voluntatem bonam, illud opus bonum » sine Dei gratia quæ datur per unum » mediatorem Dei et hominum, nemini » posse conferri, per quod solum homo po- » test ad æternum Dei donum regnumque » perduci. Omnia proinde cætera quæ vi » dentur inter homines habere aliquid lau- » dis, videantur tibi veræ virtutes, videan- » tur opera bona, et sine ullo peccato facta... » Dicantur secundum te hujus modi volun- » tates, arbores bonæ, sufficit quod apud » Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ. » Quibus verbis *luce clarius patet* S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum, opera et virtutes infidelium quæ non referuntur ad malum finem, hoc sensu non esse bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficiunt, eoque sensu dici peccata et vitia, quia eis deest suæ perfectionis plenitudo ; hoc vero concesso, permittere ut secundum alium sen-

sum dicantur bona et virtutes. Quædam leviora quæ ex sæpe citato 3 opponuntur omitto, quia ex dictis facile solvuntur.

Tandem hoc præceptum referendi explicite omnes actiones suas in Deum concludit et infert adversarius non esse intolerabile, *ut objeceram*, ex eo quod concilium de eadem relatione, *me concedente*, non sit intolerabile. At fallitur vir eruditus. Potest enim consilium de re difficili esse tolerabile, et præceptum de eadem re intolerabile, quia adstringit præceptum, non consilium : sic consilium de castitate perpetua, de paupertate et obedientia religiosa est tolerabile, præceptum autem foret intolerabile.

Obj. ultimo a ratione. Homo, ut rationalis, tenetur omnes suas actiones referre in finem rationi conformem : ergo homo, ut elevatus ad finem supernaturalem, tenetur omnes actiones suas referre in finem supernaturalem. *Subsumo.* Atqui ista virtualis relatio ad finem supernaturalem non potest esse implicita, cum opus bonum morale non tendat de se ad summum bonum supernaturale : ergo requiritur virtualis explicita, vi nempe prioris relationis actualis virtualiter permanentis.

R. 1° hoc argumentum non spectare infideles negativos; quia, licet sint etiam creati et elevati ad finem supernaturalem, cum tamen ignorent invincibiliter Deum ut auctorem supernaturalem, non adstringuntur præceptis ordinis supernaturalis et sic *deficit argumentum pro majori parte.*

Quantum ad christianos, *R.* 2° *juxta primam conclus. nostram*, eos teneri referre virtualiter explicite omnes actiones suas in Deum auctorem supernaturalem in actu charitatis strictæ, ad quem sæpe tenentur et per quem se et omnia sua referunt et consecrant Deo, ut ultimo fini supernaturali : quæ relatio et totalis consecratio virtualiter perseverat in omnibus actibus sequentibus, donec revocetur per peccatum mortale; qua revocatione posita, iterum tenetur ad eamdem relationem per alium actum charitatis, non tamen statim; quia præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, *ut jam toties dixi.* Insuper christianus sæpe tenetur operari propter fidem supernaturalem, nempe ubi agitur de actibus fidei, spei, de oratione, pœnitentia, susceptione sacramentorum et de pluribus aliis spectantibus religionem. Et puto raros esse inter christianos qui etiam in suis actibus moralibus non agant ex motivo supernaturali; paucos enim reperies, etsi aliunde peccatores, qui interrogati cur faciant eleemosynam, cur colant parentes, cur debita solvant et similia, non respondeant, quia sic Christus docuit, quia id decet christianum, quia sic docemur in religione, aut quid simile sapiens motivum supernaturale. Sed quidquid sit, si rigorose urgeatur comparatio argumenti quoad singulos actus et toties quoties.

R. 3° *N. conseq.* Disparitas est, 1° quod ratio sit homini intrinseca et inseparabilis regula omnium suarum actionum, elevatio autem ad finem supernaturalem sit quid extrinsecum et accidentale, non destruens, sed conservans naturam. 2° Quia, dum homo non refert actiones suas ad Deum ut finem supernaturalem, refert tamen, *ut suppono*, ad Deum ut finem naturalem, sicque habet semper Deum pro fine et illi adhuc deservit, et ideo non peccat. At si neque ad finem rationi conformem actiones suas referat, tunc nullatenus habet Deum pro fine et in nullo illi deservit, ideoque peccat. Pone casum : vir christianus sed peccator, occurrentis pauperis miseria commotus, et præcise cogitans eum sibi in eadem natura esse fratrem, secumque habere eumdem creatorem et Patrem, ex hoc sincero sed solo amore communis Patris et creatoris, huic misero erogat stipem : peccatne? dic velim : et tamen non agit ex motivo supernaturali : quam verius ergo compendio dixit Doctor noster 2, 2, q. 10, a. 4, ad 2 : *Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis!*

Alia argumenta quæ opponunt adversarii *a ratione* levia sunt et nihil aliud probant quam quod, cum Deus sit primum principium, ita debeat esse finis ultimus. Id autem ultro concedimus, cum hoc discrimine quod adversarii velint relationem virtualem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties; nos vero dicimus sufficere virtualem explicitam, quando urget præceptum charitatis, et virtualem implicitam toties quoties.

DISSERTATIO V.

DE ELEEMOSYNA.

D. Th. Q. 28.

Postquam Auctor egit de ipsa charitate et præcipuo ejus actu qui est dilectio, agit de ejus effectibus tam internis quam externis. Internos tres assignat, scilicet gaudium, pacem et misericordiam.

Hic q. 28. a. 1. o. — Gaudium spirituale de quo loquitur, est quædam delectatio de Deo : est effectus charitatis ; charitas enim est amor ; gaudium autem oritur ex amore, vel propter præsentiam rei amatæ, vel quia bene est amico dilecto. Quando ergo est de bonis Dei, provenit ex eo quod Deum diligamus.

Hic q. 29 a. 1. et 3. o. — Pax non solum dicit unionem voluntatum in diversis, sed etiam concordiam omnium appetituum qui sunt in eodem. Hæc pax causatur a charitate, quia charitas facit quod omnes appetitus nostri tam inferior quam superior inter se consentiant, quatenus feruntur in unum, scilicet Deum et ipsi subjiciuntur : facit etiam quod consentiant cum voluntate proximi, amando illum et ipsi bonum volendo sicuti nobis.

Ibid. q. 39. a. 1. o. — Misericordia definitur ab Augustino 9 de Civit. cap. 5 : *Alienæ miseriæ in nostro corde compassio seu tristitia qua utique, si possemus, subvenire compellimur.* Dicitur enim misericordia ex eo quod aliquis habet miserum cor super miseria alterius ; miseria autem felicitati opponitur : unde motivum seu objectum misericordiæ, est malum alterius sublevandum quod sit illi aliquo modo involuntarium. Hæc definitio tradita misericordiæ actualis per compassionem seu tristitiam convenit tantum misericordiæ prout est in nobis. Generaliter autem sumpta : *Est voluntas seu affectus alienam miseriam sublevandi* : et sic reperitur in Deo.

Ibid. a. 3. o. — Misericordia, prout pertinet ad appetitum intellectualem, est virtus specialis ; tum quia habet speciale objectum, scilicet miseriam alienam ope nostra sublevandam ; tum quia habet specialem difficultatem superandam ut voluntas sistatin medio : aliquando enim in appetitu inferiori surgit nimius affectus sublevandi miseriam proximi, aliquando tardior ; possunt etiam esse difficultates ex aliis circumstantiis, ad quas superandas et ut passiones reducantur ad medium, opus est virtute quam dicimus misericordiam, potestque definiri : *Virtus inclinans voluntatem ad alienæ miseriæ compassionem et sublevationem.*

Reduci potest ad justitiam, quatenus est ad alterum. De illa autem hic agit S. Th. propter magnam affinitatem quam habet cum charitate ex cujus quasi visceribus nascitur : ex amore enim proximi nascitur voluntas sublevandi ejus miseriam quam velut nostram reputamus.

Deinde Auctor assignat tres actus, seu effectus exteriores charitatis, scilicet beneficentiam, eleemosynam et correptionem fraternam.

Ibid. q. 31. a. 1. o. — Beneficentia est actus charitatis ; quia benefacere amico secundum rationem boni in communi, non attendendo vel rationem debiti erga proximum, vel ejus miseriam, vel aliam specialem rationem, sequitur ex charitate : in charitate enim includitur benevolentia qua quis vult bonum amico ; voluntas autem est effectiva eorum quæ vult, si facultas adsit : ergo benefacere amico ex charitate consequitur tanquam ejus effectus.

Ibid. a. 2. o. — Sicut dilectio charitatis se extendit ad omnes, sic omnibus est benefaciendum pro loco tamen et tempore ; quia actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi.

Ibid. a. 3. o. — Inter eos quibus est benefaciendum observandus est ordo, sicut supra dictum est de ordine charitatis servando.

De eleemosyna vero et correptione fraterna sunt speciales difficultates expendendæ : unde sit

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit eleemosyna?

Hic q. 32. a. 1. o. — Eleemosyna græce idem est ac latine misericordia ; in communi tamen usu misericordia sumitur pro virtute seu habitu, et eleemosyna pro actu. Definiri potest : *Opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum :* in qua definitione eleemosyna non sumitur, ut sæpe solet, pro re data, sed pro actione dandi. Dicitur *propter Deum*, quia hic agitur de eleemosyna christiana prout dis-

tinguitur a philosophica quæ fit ab ethnico, vel quovis alio, sine ordine ad Deum.

Ibid. o. — *Dico* 1° Eleemosina est actus charitatis mediante misericordia; quia exterior actus ad illam virtutem pertinet ad quam pertinet motivum ad agendum hujusmodi actum : atqui motivum ad dandam eleemosynam est ut subveniatur necessitatem patienti, quod pertinet ad misericordiam, ut dictum est: ergo dare eleemosynam est actus misericordiæ : et quia misericordia est effectus charitatis, ut etiam diximus, ex consequenti dare eleemosynam est actus charitatis mediante misericordia, ideoque est actus elicitus a misericordia et imperatus a charitate. Quod si fiat eleemosyna ex alio motivo, puta, ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a virtute pœnitentiæ; si in cultum Dei, erit actus imperatus a religione.

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 2° Eleemosynæ sunt duplicis generis, corporales et spirituales, juxta duplicem miseriam seu defectum hominis, corporis scilicet et animæ.

Ibid. in arg. 1. — Septem sunt eleemosynæ corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum et sepelire mortuum, quæ in hoc versu continentur :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ibid. — Sunt etiam septem eleemosynæ spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos et graves, et pro omnibus orare, quæ etiam hoc versu continentur :

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita tamen quod sub ly *consule* intelligantur consilium et doctrina.

Dices. Christus, Matth. 25, recensens opera misericordiæ, non meminit sepulturæ; nec videtur quid sepultura juvet mortuum. Ergo.

Ibid. a. 1. — *R. ad primum*, Christum non meminisse sepulturæ, 1° quia voluit enumerare ea quæ sunt evidentioris necessitatis; 2° quia homines solent esse potius nimii et superflui quam parci in sepulturis mortuorum; 3° quia sepultura est minimum inter opera misericordiæ, nec impenditur homini sicut alia opera misericordiæ sed tantum ejus corpori mortuo.

Ibid. — *Ad secundum.* Sepultura juvat mortuum, 1° ad hoc ut vivat in memoria hominum, cujus honor dehonestatur si insepultus remaneat : unde quandoque in punitionem delicti decernitur carentia sepulturæ aut abjectio corporis, quod est signum carentiam sepulturæ pertinere ad quoddam malum et miseriam hominis; 2° quia homines solent esse solliciti ut corpora sua honeste post mortem tractentur, cui sollicitudini piorum affectus conformari debet post ejus mortem : 3° quia honor sepulturæ redundat in parentes et propinquos defuncti; 4° quia occasione sepulturæ, saltem in piis locis, defuncti participes efficiuntur suffragiorum quæ ibi solent fieri pro mortuis.

Cæterum sepulturam mortuorum jure annumerari inter opera misericordiæ, constat ex lib. Tobiæ, c. 1, 2 et 12; ex 2 Reg. c. 2; ex 3 Reg. c. 13; ex cap. 22 Jerem. et ex 2 Machab. c. 5.

Ibid. ad. 3. — *Dico* 3° Eleemosynæ spirituales simpliciter loquendo sunt potiores corporalibus, 1° ratione rei exhibitæ, scilicet doni spiritualis quod est nobilius corporali; 2° ratione ejus cui subvenitur, scilicet spiritus, qui est nobilior corpore; 3° quantum ad ipsos actus quibus subvenitur proximo, quia spirituales sunt præstantiores corporalibus. Per accidens tamen et in particulari casu, præferenda est eleemosyna corporalis spirituali : sic potius pascendus est fame moriens, quam docendus qui potest alio tempore doceri.

ARTICULUS II.

Utrum dare eleemosynam sit in præcepto, et quando?

§ I. — *Notanda et supponenda.*

Notandum 1° præceptum eleemosynæ esse affirmativum, et ideo, licet semper obliget, non obligat tamen pro semper; obligatio autem ejus a duobus pendet et metienda est a necessitate aliena et facultate propria, nimirum ex parte dantis, ut habeat bona superflua; ex parte recipientis, ut patiatur aliquam necessitatem : unde

Notandum 2° ex parte accipientis triplicem distingui necessitatem, extremam, gravem et communem. Extrema est, cum vita proximi evidenter periclitatur nisi ei

succurratur : nec expectandus est articulus mortis, in quo non amplius prodesset eleemosyna. Necessitas gravis est, quando mors non equidem evidenter imminet, sed probabiliter timettur ; aut evidenter imminet aliquod notabile damnum minus morte, ut gravis morbus, abscissio membri, durus et diuturnus carcer, amentia, gravis diffamatio, amissio status, sic ut quis cogatur miseram vitam agere hominibus suæ conditionis indignam. Communia necessitas est quam patiuntur pauperes communes ostiatim mendicantes, qui, quamvis indigeant et non nisi necessaria vitæ petant, quia tamen a multis petunt et accipiunt, eorum necessitas non censetur gravis sed communis.

Ibid. a. 6. o.— *Notandum* 3° ex parte dantis, bona quæ habet posse esse illi dupliciter necessaria et superflua, scilicet quantum ad vitam et quantum ab statum. Necessaria vitæ sunt quæ requiruntur necessario ad conservandam vitam suam et suorum quorum cura ipsi incumbit, ut parentum uxoris et liberorum : ad vitam autem conservandam necessario requiritur victus, amictus et domicilium. Reliqua bona præter ipsa sunt superflua vitæ. Necessaria statui sunt sine quibus quis non potest convenienter vivere secundum statum et conditionem suam : unde bona superflua statui sunt sine quibus potest decenter suum et familiæ statum conservare.

Ibid. et in 4. d. 15. q. 2. a. 2. q. 1. — *Notandum* 4° hanc decentiam status non consistere in aliquo indivisibili ; quia multis additis homo non excedit status sui conditionem, multis etiam subtractis conditio sui status decenter servatur ; et posset tantum addi quod esset ultra conditionem sui status, et tantum diminui quod non servaretur honestas vel sui status decentia : et hoc quidem sermone determinari non potest, quia de singularibus non est judicium, sed statur in hoc prudentiæ arbitrio et discretionis quæ docet de omnibus. Cæterum caveant nobiles et potentes ne, secundum abusum hodierni temporis, summum quemque luxum reputent esse de ratione et decentia status sui.

Hic a. 5. ad 3.— Item, in judicando necessario status, non est tantum habenda ratio præsentis temporis, sed etiam futuri ; quod enim nunc non est necessarium, potest prudenter judicari fore postea necessarium, ut pro tempore morbi, senectutis, belli imminentis, pro educandis et dotandis liberis, pro augendo decenter statu cujus tamen spes sit probabilis. Sed cavendum ne ex ambitione aut ex avaritia fingantur necessitates futuræ, ubi nulla est illarum probabilitas, ut si cæcus fieres, si domus comburetur, etc. Notanda sunt singulariter verba Auctoris : « Non oportet, inquit, » quod consideret omnes casus qui possunt » contingere in futurum ; hoc enim esset de » crastino cogitare, quod Dominus prohibet, Matth. 6 ; sed debet dijudicari superfluum et necesarium secundum ea quæ » probabiliter et ut in pluribus occurrunt. » Alioquin omnia semper forent necessaria et nulla unquam in divitibus essent superflua, quod damnatum est ab Innocentio XI, in hac propositione : « Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. » Unde in his, tam pro præsenti quam pro futuro tempore, vir timoratus consulat directorem prudentem et doctum, et ejus stet judicio ; nulla enim alia regula certior hac in re statui potest. ***His notatis***,

Ibid. a. 4. o.— *Suppono* 1° eleemosynam esse maxime in consilio ; quia, licet secundum substantiam considerata habeat tantum effectum corporalem, attamen habet effectum spiritualem tam ex parte motivi quam ex parte recipientis qui inde inducitur ad orandum pro suo benefactore. Ex parte autem motivi est non secus ac alia opera bona meritoria, impetratoria et satisfactoria, sicque specialiter commendatur in S. Scripturis, Matth. 25 : *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi ; esurivi enim et dedistis mihi manducare ;* Eccli. 29 : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo*, id est, ut libereris ab omni malo ; Dan. 4 : *Peccata tua eleemosynis redime ;* et Christus ipse, Luc. 11 : *Quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Hæc tamen ultima verba non sic intellige, quasi sola eleemosyna sine pœnitentia et charitate sufficiat ad remissionem peccatorum ; sed Christus ibi volebat monere pharisæos ut darent eleemosynam secundum ordinem charitatis, inci

piendo a semetipsis, quod fit per fidem, dilectionem, pœnitentiam, restitutionem ablatorum et superflui erogationem, quo modo eleemosynas facere non curabant. Similiter intellige illud Tobiæ 12 : *Ipsa purgat a peccato et facit invenire misericordiam*, quatenus scilicet procedit ex charitate et Deum specialiter movet ut misereatur et det auxilia actualia ad conversionem ei qui sui proximi miseretur, ad idque excitatur precibus eorum quibus fit eleemosyna.

Q. 32. a. 5. o. — *Suppono* 2° neminem teneri dare eleemosynam etiam in extrema necessitate de iis quæ sunt suæ et familiæ vitæ necessaria, nisi persona extremam patiens necessitatem sit absolute necessaria bono communi. *Ratio primi est*, quia plus homo tenetur diligere se et suos quam extraneos. *Ratio secundi est*, quia bonum commune est præferendum privato.

Neque tamen inde inferas hominem non posse de necessariis ad suam vitam facere eleemosynam patienti extremam necessitatem; quamvis enim id quod diximus ex Auctore sit verum per se, et spectando præcise vitam et vitam, secus tamen, si fiat ex amore virtutis, ut probavimus dissert. præced. art. 3. Neque hoc est magis subtrahere sibi vitam, quam si ageretur de persona bono communi necessaria.

Nec refert quod S. Th. unum tantum casum referat in quo id sit licitum, scilicet cum periclitatur persona necessaria Ecclesiæ vel reipublicæ; tum quia voluit excipere casum certum, de nostro autem disputatur; tum quia voluit excipere casum in quo non tantum liceret, sed etiam oporteret dare eleemosynam de necessario vitæ, et hic unus est quem proposuit : in nostro enim casu, quamvis id sit licitum, non tamen est necessarium, imo nec licitum, si ageretur de necessariis ad vitam suorum.

§ II. — *Resolvitur quæstio.*

Ibid. a. 3. o. — *Dico* 1° Dare eleemosynam est in præcepto naturali et divino positivo.

De præcepto naturali constat ex hoc principio generali legis naturæ : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis* : atqui nullus est in vera necessitate positus, qui non velit ut sibi subveniatur ab habente facultatem : ergo. *Ex quo in feres* nec ipsos infideles eximi ab obligatione dandi eleemosynam.

Quantum ad præceptum divinum positivum, constat ex S. Scripturis. Proverb. 21 dicitur : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur*; Eccli. 4 : *Eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne avertas a paupere*; et cap. 29 : *Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.* — **Ibid. in a. s. c.** — Sed præcipue Christus, Matth. 25 : *Ite, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim et non dedistis mihi manducare* : nullus autem damnatur nisi propter omissionem actus qui erat ei præceptus.

Ibid. o. — *Prob. ratione.* Cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse et omnia illa cadere sub præcepto sine quibus dilectio proximi non conservatur : atqui ad dilectionem proximi pertinet ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud 1 Joan. 3 : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* : ad hoc autem quod velimus et operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynam : ergo eleemosynarum largitio est in præcepto.

Dices 1° Juxta S. Scripturam, videtur quod dare eleemosynam sit tantum in consilio. Sic Dan. 4 : *Consilium meum regi placeat : peccata tua eleemosynis redime*; et Apost. 2 Cor. 8, cum hortatur Corinthios ad dandam eleemosynam, ait : *Non quasi imperans dico*; et postea : *Consilium in hoc do.* Ergo.

Ib. ad 2. — *R.* 1° quod, cum præceptum eleemosynæ sit affirmativum, non obliget pro semper, et ideo quandoque est tantum in consilio. 2° Prudenter aliquando consulitur ab homine id quod est a Deo præceptum, quia hortando et consulendo sæpe plus obtinetur quam imperando. Et ita Daniel, Nabuchodonosor, et Apostolus Corinthiis consilium dabant de eleemosyna; ita ut esset consilium hominis et præceptum Dei.

Quantum ad id quod Auctor in hac responsione dicit, quod *Daniel loquebatur regi qui non erat legi Dei subjectus*, non loquitur de lege dandi eleemosynam, sed de lege colendi unum verum Deum : cui legi naturali quamvis omnes subjiciantur hoc sensu

quod illam debeant acceptare, non tamen hoc sensu quod illam acceptaverint; et hoc ultimo sensu dicit Auctor quod Nabuchodonosor *non erat legi Dei subjectus*. Quapropter Daniel id quod ad hanc legem pertinebat prudenter proponebat per modum consilii.

Dices 2° Omnia præcepta naturalia ad præcepta Decalogi reducuntur : atqui inter illa nihil continetur de erogatione eleemosynæ. Ergo.

Ibid. ad 4. — *R. N. min.* Reducitur namque omnis subventio proximi ad præceptum de honoratione parentum; quia nomine *honoris* intelligitur in Scripturis etiam subministratio necessariorum, ut 1 Timoth. 5 : *Viduas honora*, scilicet ministrando eis eleemosynas ex bonis communibus Ecclesiæ, ita ut quæ illis fraudarentur dicerentur despici, Act. 6, v. 1. Nec obstat quod parentes tantum nominentur, cum enim inter proximos primum locum obtineant, nomine parentum potest intelligi omnis proximus.

Dices 3° Quilibet, cum sit suorum bonorum dominus, potest illa retinere et ad quem voluerit usum expendere : ergo non tenetur ea erogare in eleemosynas.

Ibid. ad 3. — *R. D. ant.* Potest illa retinere, salva justitia, *C.* salva charitate, *N. Ad hunc sensum, D. conseq.* Ergo non tenetur ex justitia ea erogare in eleemosynas, *C.* ex charitate, *N.* Sic enim habet suorum bonorum proprietatem, ut in certis casibus teneatur ex charitate aliquorum usum concedere proximo. Unde S. Basil. in Serm. 1 ad divites avaros, dicit : « Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica » quam in arca conservas, discalceati calceus qui apud te marcescit, indigentis » argentum quod tu possides inhumatum. »

Ex hac conclusione sequitur quod sub mortali teneamur facere eleemosynam patienti extremam necessitatem ex bonis tam naturæ quam statui superfluis; quia, cum istud præceptum in aliquo casu obliget, nullus est certior quam ubi est necessitas extrema ex parte recipientis, et sunt superflua naturæ et statui ex parte dantis. An autem in aliis casibus obliget?

Dici 2° de superfluis naturæ, etsi necessariis statui tenemur sub mortali facere eleemosynam patienti extremam necessitatem. Est communis.

Prob. 1° ex cap. 3 Luc. ubi Christus dicebat turbis : *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur : et interrogabant eum turbæ : Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui habet escas similiter.* Ex prioribus verbis hujus textus *patet* hic agi de præcepto rigoroso et nos solum de consilio : *patet* ex posterioribus non teneri succurrere extreme indigenti, etiam de necessariis ad statum, prout debet teneri secunda tunica. Unde S. Hier. Epist. 150, ad hæc verba : « Quidquid, inquit, corpori nostro » sufficere potest et humanæ succurrere » imbecillitati, hoc una appellanda est tu» nica, quidquid in præsentibus alimentis » necessarium est, hoc unius diei victus ap» pellatur.... Si plus habes quam tibi ad » victum vestitumque necessarium est, illud » eroga et in illo debitricem esse te noveris. »

S. Gregor. Hom. 20 in Evang. « Minus » proximum amare convincitur, qui non » cum eo in necessitate illius etiam ea quæ » sibi sunt necessaria partitur. » Huc etiam pertinet illud solemne Ambrosii : « Pasce » fame morientem : si non pavisti, occi» disti. »

Prob. ex S. Th. de cujus mente quidam dubitant. S. Doctor in 4, d. 15, q. 2, a. 1, q. 4, o. cum distinxisset duplicem necessitatem, primam quam vocat absolutam, et secundam quam vocat conditionatam, « quæ » est, inquit, cum quis indiget aliquo ad » sui status decentem conservationem, » subdit : « Præceptum legis obligat quod » etiam necessitati extraneorum absolutæ » primo subveniatur, quam necessitati pro» priæ vel propinquorum conditionatæ : et » ideo dicitur communiter, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto, » et sic dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate; dare autem de eo quod » est necessarium necessitate secunda, non » autem de eo quod est necessarium necessitate prima, quia hoc esset contra ordinem charitatis. » Quibus verbis aperte docet S. Doctor nos teneri extreme indigenti subvenire, non de necessariis ad vitam, sed de necessariis ad statum. Addit ad 2 · « Quando alius est in statu extremæ » necessitatis, efficiuntur sibi omnia communia : unde, etsi per violentiam vel furtum acciperet, nec peccaret. »

Dices. S. Th. hic a. 6, scribit quod, « Quando occurreret extrema necessitas » alicujus personæ privatæ, vel etiam ali» qua magna necessitas reipublicæ, in his » casibus *laudabiliter* prætermitteret ali» quis id quod ad decentiam sui status per» tinere videretur, ut majori necessitati » subveniret. » Quibus verbis videtur docere S. Th. esse tantum consilii et non præcepti dare eleemosynam de necessariis status pauperi extrime indigenti. Ergo.

R. N. min. Quia etiam laudabiliter fit id quo præceptum adimpletur. Ideo autem hac forma loquendi usus est S. Th. quia prius dixerat quod « *Inordinatum* » esset, si aliquis tantum sibi de bonis » propriis subtraheret, ut aliis largiretur, » quod de residuo non posset vitam trans» igere convenienter secundum proprium » statum et negotia occurrentia. » Ab hac autem inordinatione excipit tres casus : primum, mutationem status, ut si quis fiat religiosus; secundum, quando facile resarciri potest detrimentum status; tertium, quando occurrit extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel magna necessitas reipublicæ : et dicit elargitionem necessarii statui in his tribus casibus non fieri *inordinate*, ut ante dixerat, sed *laudabiliter*. Sic ergo loquitur, non quia vult negare eam esse in præcepto pro ultimo casu, sed ut ostendat non esse inordinatam et illicitam, sicque servet antithesim. Neque etiam poterat dicere simpliciter *in his casibus* esse præceptum; quia non omnes quos excipit cadunt sub præcepto. Insuper idem censet de extrema necessitate privatæ personæ ac de magna necessitate reipublicæ : constat autem in ejus principiis necessarium status esse exponendum pro magna necessitate reipublicæ. Denique ex textu dubio et obscuro nihil evinci potest contra textum positivum et apertum, qualem protulimus *in probatione conclusionis*.

Prob. 3° *conclusio ratione.* 1° Secundum ordinem charitatis, debemus plus diligere vitam proximi quam status nostri dicentiam. Ergo. 2° Qui est in extrema necessitate, potest ab altero surripere quæ sunt ipsi superflua quoad vitam, etsi necessaria quoad statum, nec quisquam potest jure illum impedire; quia, ut superius dicebamus ex Auctore, in extrema necessitate omnia sunt communia : ergo tenebatur alter illi dare.

Neque tamen ex hac conclusione inferas divitem aut nobilem teneri se a suo statu dejicere, vel ingentem pecuniæ summam, puta, millia aureorum, etsi suo statui non omnino necessaria, expendere pro salvanda vita unius privati in extrema necessitate posita : 1° quia, licet vita hominis secundum se sit pretiosor alterius statu et toto censu, in ordine tamen ad bonum publicum magis valet magna bonorum seu pecuniarum quantitas quam vita unius privati; 2° quia nemo tenetur aretius vitam proximi quam suam conservare; nullus autem tenetur ad vitam suam conservandam sic opes effundere ut, sanus vel liber factus, miser evadat; id enim moraliter morti comparatur; neque etiam tenetur ingentem pecuniæ summam expendere pro comparandis sibi exquisitissimis medicamentis : ergo *a fortiori* ad hæc non tenetur pro altero. Itaque ordinariis mediis præcipit charitas succurrere, non extraordinariis : unde in his casibus opus est consilio viri prudentis qui, attentis circumstantiis, dicat quantum quis de suo statu minuere et de superfluo dare debeat.

Dico 3° In gravi necessitate proximi tenemur sub mortali illi subvenire de *aliquo modo* necessariis statui. *Sic exprimo conclusionem;* quia minor est obligatio in necessitate gravi quam in extrema, et ideo minus tribuendum de necessariis statui. Est communior.

Prob. 1° ex illo 1 Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Non est verisimile Apostolum loqui de sola extrema necessitate, quæ rarissima est : et qui habet sufficientia vitæ et statui, vere dicitur habere substantiam hujus mundi. Ergo.

2° Charitas exigit ut proximo gravem necessitatem patienti, ut si, v. g. gravi morbo laboret, frigore acriter affligatur, famæ vel honoris grave periculum patiatur, subveniamus, dum possumus absque gravi nostro incommodo : ergo tenemur illi subvenire de *aliquo modo* necessariis statui; id enim non est grave incommodum, quippe quod facile resarciri potest.

Dices. S. Th. hic a. 5, agnoscit tantum

duos casus in quibus urget præceptum eleemosynæ, scilicet, cum est superfluum ex parte dantis et extrema necessitas ex parte recipientis. Ergo.

R. per necessitatem extremam, S. Thomam ibi intelligere etiam gravem, *ut patet* ex resp. ad 3, ubi dicit præceptum eleemosynæ urgere cum quis habet superflua, et *cum apparet evidens et urgens necessitas :* evidens autem et urgens necessitas est, non solum extrema, sed etiam gravis.

Inferes, Ergo. quando S. Th. a. 7, ad 3, dicit licitum esse in extrema necessitate urripere alienum, intelligendus erit etiam de gravi; sicque licitum erit in gravi necessitate surripere alienum, quod est damnatum ab Innocentio XI.

R. N. illationem. Quamvis enim S. Th. per necessitatem extremam aliquando intelligat gravem, etiam aliquando intelligit stricte extremam, quod est æstimandum adjunctis et subjecta materia.

Ex hac conclusione inferes quemlibet teneri *a fortiori* sub peccato mortali in gravi necessitate proximi, illi facere eleemosynam ex superfluo status, quod non puto a quoquam posse negari, et quod *confirmabitur ex sequenti conclusione.*

Observandum autem tam in gravi quam in extrema necessitate, omnes divites qui illam norunt teneri in solidum ad eleemosynam faciendam, ita ut, si nullus subveniat, omnes peccent mortaliter; uno tamen subveniente, cæteri eximuntur. Non tenentur vero inquirere de necessitate, nisi sit pastor vel episcopus, aut alter pauperum curam habens, aut nisi sit justa ratio suspicandi esse gravem necessitatem in familia quæ, propter verecundiam et honestatem, non audet suas miserias explicare. Neque etiam, ut plurimum, est gravis obligatio dandi eleemosynam pauperibus publice expositis qui vel ex nuditate, vel morbo, vel defectu membrorum, vel aliter, gravem aut extremam necessitatem ostentant, quia illa signa ordinarie exaggerantur, si non omnino fingantur.

Dico 4° In necessitate communi quilibet tenetur aliquando pro loco et tempore facere eleemosynam de superfluo status.

Attende ad terminos conclusionis. Dicitur, *aliquando pro loco et tempore*; quia dives habens superflua, non tenetur semper et omnibus pauperibus occurrentibus dare, neque huic determinate, sed aliquando, modo uni, modo alteri, prout prudens judicaverit. Dicitur *de superfluo*, et non superflua status; quia non tenetur statim omnia superflua status dare in communi necessitate, sed potest reservare vel in alios pios usus, vel ad augendum rationabiliter statum, aliasve possessiones acquirendas, vel etiam pro majori necessitate pauperum aut reipublicæ.

Conclusio sic intellecta videtur nunc *communis*, præsertim post damnatam hanc propositionem ab Innocentio XI : *Vix in sæcularibus*, etc., ut supra notamine quarto; ita ut qui nunquam faceret eleemosynam aut proponeret, nunquam faceret de superfluo status in communibus necessitatibus, non videatur excusandus a peccato mortali.

Hancque arbitror esse expressam sententiam Auctoris in pluribus locis, quidquid opponant aliqui. Inprimis quodlib. 8, a. 12 : « Si, inquit, signa extremæ necessitatis non appareant, tunc non tenetur dare » pauperi petenti (huic scilicet determinato); quia, quamvis teneatur dare superfluum pauperibus; non tamen tenetur » omnibus dare, neque huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum. » Quod est fere in terminis ipsa nostra conclusio. Infra q. 66, a. 7 o : « Res quas aliqui superabundanter habent ex naturali jure debentur » pauperum sustentationi. » In 4, d. 15, q. 2, a. 1, q. 4, ad 4, dicit præceptum eleemosynæ obligare « ex parte dantis » quando habet homo multa quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ sui et » suorum, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremæ necessitatis (intellige etiam gravis) non » compareant : » et a. 4, quæstiunc. 1, in fine corporis : « Illud quod necessarium reputatur ad aliquid quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynam dispensari, et hoc cadit sub præcepto. » Quid expressius? Quæ opponuntur diluemus infra

Prob. itaque *conclusio* 1e ex locis S. Scripturæ jam citatis et aliis. Joan. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi*, etc., ut supra concl. præced. Luc. 3 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Dicit simpliciter *non habenti*, ut significet non esse

expectandum extreme aut graviter indigentem, sed dandum esse simpliciter egenti; atque ibi contineri præceptum, et non tantum consilium ostendimus concl. secunda. Matth. 6 : *Nemo potest duobus dominis servire..... non potestis Deo servire et mammonæ*. servire autem mammonæ, juxta SS. Hieron. et Chrysost. in hunc locum, est servare opes superfluas, et illas, honesta occasione data, nolle a se divelli : et hic est casus præsens. Deut. 6 : *Præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi;* in communi autem necessitate sunt egeni. 1 Timoth. 6 : *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere et communicare*: non autem facile tribuerent qui expectarent gravem aut extremam necessitatem proximi. Confer alia loca in prima concl. citata.

Prob. 2° *ex Patribus.* Chrysost. Hom. 34 ad populum : « Tuarum, inquit, es, o » homo, distributor pecuniarum.... non ad » hoc accepisti ut in deliciis absumeres, sed » ut in eleemosynas erogares..... res pau- » perum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus » justis sive ex hæreditate paterna possi- » deas. » S. Basil. Serm. 1 contra divites avaros, ad hæc verba Luc. 3, *Destruam horrea mea :* « An injustus est Deus inæ- » qualiter res nobis distribuens, ut tu abun- » des, ille vero mendicet; nisi ut tu bonæ » dispensationis merita consequaris, ille » vero patientiæ braviis condecoretur..... » Est panis famelici quem tu tenes, nudi » est vestis quam in arca custodis, etc. » S. Aug. in Psal. 147 : « Superflua divitum » necessaria sunt pauperum : res alienæ » possidentur, cum superflua possidentur. » Et Serm. 219 de Temp. « Quidquid Deus » plusquam opus est dederit, non nobis » specialiter dedit, sed per nos aliis ero- » gandum transmisit. » Plures alios omitto brevitatis causa.

Prob. 3° *ratione* 1° Quisque tenetur ex charitate diligere proximum sicut seipsum : atqui non diligit proximum sicut seipsum, qui magis diligit sibi superflua quam fratri necessaria ad sublevandam ejus necessitatem : ergo. 2° Quamvis singulæ necessitates communes non sint ita quid grave, ut hanc vel illam præterire sit peccatum, attamen multæ occurrentes in aliqua civitate efficiunt notabile gravamen et gravem miseriam, quam divites debent singuli pro aliqua parte sublevare : ergo, quamvis non sit præceptum dare singulis, huic vel illi eleemosynam, est tamen præceptum aliquando dare pro loco et tempore. 3° Si nullus dives habens absolute superflua teneatur dare eleemosynam in necessitate communi, brevi communis necessitas evadet gravis et gravis extrema. Ergo.

Dices 1° S. Th. hic a. 5, duo requirit ut eleemosyna sit in præcepto, unum ex parte dantis, quod habeat superfluum, alterum ex parte recipientis, quod sit in extrema necessitate. Ergo.

R. cum Sylvio hanc S. Thomæ doctrinam intelligendam esse divisim, non copulatim : ponit ergo S. Th. duos casus in quibus urget præceptum eleemosynæ : primum, quando ex parte dantis est absolute superfluum, quo casu tenetur dare eleemosynam quamcumque necessitatem patienti; alterum ex parte recipientis, quando est in extrema necessitate, vel etiam gravi, ut explicuimus, quo casu urget obligatio faciendi eleemosynam, etiamsi non sint superflua status, sed vitæ tantum. Hunc sensum indicat S. Doctor in fine articuli dicendo : « Sic ergo dare eleemosynam de superfluo » est in præcepto, et dare eleemosynam ei » qui est in extrema necessitate, » est scilicet etiam in præcepto : « alias autem dare » eleemosynas, » id est extra hos duos casus, « est in consilio. » Et adhuc clarius infra q. 118, a. 4, ad 2, ubi dicit quod « Aliquis » tenetur ex debito legali sua pauperibus » erogare, vel propter periculum necessi- » tatis, vel propter superfluitatem habi- » torum ».

Inst. S. Th. ibid. dicit quod « Non omnis » necessitas obligat ad præceptum, sed illa » sine qua is qui necessitatem patitur, sus- » tentari non potest » : ergo censet divites non obligari ad eleemosynam in necessitate communi.

R. cum eodem Sylvio sensum esse, quod non omnis necessitas obliget ad faciendam eleemosynam hic et nunc huic particulari determinate, licet obliget ad faciendam aliquando illi vel alteri. Vel sensus est quod, si ex duobus prædictis casibus consideretur tantum posterior, scilicet necessitatis, non obligat præceptum eleemosynæ in quacumque necessitate, sed tantum in extrema vel gravi, licet possit obligare ex alio capite, si nempe sit superfluum : cæterum

non videtur locus dubitandi de mente S. Doctoris post expressos ejus textus, quos inter probationes retulimus.

Dices 2° Ex sententia nostra *sequitur* 1° quod divites qui superflua retinent continuo peccent; 2° quod non possint ditiores fieri et ascendere ad statum altiorem, quod nemo admittit.

R. ad primum, N. sequelam. Quia non dicimus divites debere statim omnia superflua dare in necessitatibus communibus, sed aliqua tantum ex superfluis hinc et inde pro loco et tempore. *Ad secundum, N. pariter sequelam.* Quia modicæ eleemosynæ ex superfluis non impediunt assensum ad altiorem statum, et pertinent ad decentiam præsentis status.

ARTICULUS III.

Variæ quæstiones circa eleemosynam breviter resolvuntur.

Petes 1° utrum quis satisfaciat præcepto eleemosynæ, pauperi mutuando, commodando, aut vendendo credito;

Ante responsionem, nota aliquem posse esse dupliciter pauperem, simpliciter et secundum quid. Voco *pauperem simpliciter* qui neque actu hic aut alibi habet bona, neque est in potentia propinqua ut habeat; *pauperem secundum quid* qui, licet non habeat hic bona quibus juvari nunc possit, habet tamen alibi, aut est in potentia propinqua ut habeat, sive per artem et industriam, sive expectatam hæreditatem.

R. 1° Non satisfit præcepto eleemosynæ subveniendo illi qui simpliciter est pauper, mutuando, commodando, aut vendendo credito.

Prob. 1° Quia certum est eleemosynam esse in præcepto: atqui mutuare, commodare, vendere credito, non est facere eleemosynam; eleemosyna enim gratis datur, neque qui petunt mutuum, commodatum, aut emunt credito, dicuntur petere eleemosynam: ergo. 2° Inhumanum et ridiculum foret dare pauperi qui nihil neque in re neque in spe habet, sub conditione restituendi in posterum. Ergo.

Intellige de rebus in quantum sunt necessariæ ad subveniendum necessitati simpliciter pauperum. Unde, si sint res usu consumptibiles, ut sunt panis, vinum, cerevisia pecunia, etc. non sint restituendæ transacta necessitate: secus, si non sint usu consumptibiles, ut si concedatur equus ad fugam, transacta necessitate debet restitui equus, nisi forte in faga pereat: si tamen ipsa rei substantia usu non consumptibilis esset necessaria pauperi simpliciter, ut si extreme vel graviter indigsnti, non habeas quo illi succurras, nisi vestem tibi et tuis non necessariam, qua vendita posset sibi subvenire, non tenetur reddere.

R. 2° Satisfit præcepto eleemosynæ subveniendo pauperi secundum quid, mutuando, commodando, aut vendendo credito. Quia pauper secundum quid non est vere pauper, et præsens necessitas tollitur ipsi mutuando, commodando aut vendendo credito. Intellige de majoribus eleemosynis, nam de minutis insolitum est et inhumanum foret obligare mendicantes ad refusionem.

Dices contra primam responsionem. Dives solum tenetur subvenire necessitati pauperum: atqui per mutuum commodatum, aut venditionem credito, subvenitur pauperum necessitati: ergo.

R. divitem teneri subvenire necessitati pauperum, juxta naturam præcepti eleemosynæ; præceptum autem eleemosynæ est ut subveniatur pauperi gratis et sine ejus gravamine. Nec refert quod per mutuum, etc., obtineatur finis præcepti eleemosynæ; ut enim satisfiat præcepto non sufficit quod ejus finis obtineatur, sed debent adhiberi media quæ in ipso continentur. Sic, si quis sine sacramento pœnitentiæ obtineret remissionem peccatorum, teneretur tamen illud suscipere; si sine jejunio carne mortificaretur, non ideo eximeretur a præcepto jejunii.

Petes 2° utrum possit fieri eleemosyna de illicice acquisitis?

Q. 32. a. 7. o.— *R.* aliquid posse esse illicite acquisisitum tripliciter, uno modo, quando id quod acquiritur deberetur ei a quo accipitur, sicut in furto et rapina; et de talibus cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest, — In 4. d. 15. q. 2. a. 4. q 2. ad 2.—nisi forte pauper esset in extrema necessitate et aliter ipsi succuri non posset nisi per hæc illicite acquisita; tunc enim omnia sunt communia.

Hic et 16. ad 1.— Neque responsioni obstat quod Christus, Luc. 15, dicat: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* non enim omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, quia sunt injuste acquisitæ, sed quia sunt

iniquæ secundum usum iniquis qui in eis spem constituunt; vel secundum S. Ambros. l. 7 in Luc. cap. ultimo, dicitur mammona iniquum, quia variis divitiarum illecebris nostros tentat affectus, vel quia in pluribus prædecessoribus quibus patrimonio succedis, aliquis reperitur qui injuste usurpavit aliena, quamvis tu nescias; vel omnes divitiæ dicuntur iniquitatis, quia non æqualiter sunt omnibus distributæ, uno egente et alio superabundante.

a. 7. o.—Secundo modo aliquid est illicite acquisitum, quia ille qui acquisivit retinere non potest, nec tamen debetur ei a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam seu legem accepit, et alter similiter contra justitiam et legem dedit, sicut contingit in simonia in qua dans et accipiens contra justitiam legis divinæ agit: unde non debet fieri restitutio ei qui debet, sed debet in eleemosynas erogari. Ita quidem Auctor hic.

Sed intellige eleemosynas lato sensu acceptas pro erogatione in usus pios: quia infra q. 100, a. 6, ad 4, docet pretium simoniace acceptum esse resituendum Ecclesiæ in cujus injuriam datum fuit, nisi prælatus et totum collegium sit in culpa; quia tunc cum auctoritate superioris vel pauperibus vel alteri ecclesiæ debet erogari. Vide quæ dixi de Simonia, diss. 11, a. 7, § 1 et 2.

Ibid.—Tertio modo est aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio est illicita, sed quia id ex quo acquiritur est illicitum, sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium; et hoc proprie vocatur turpe lucrum: quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit contra legem Dei; sed in eo quod accipit non injuste agit, nec contra legem: unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest et de eo eleemosyna fieri. Hanc materiam fuse disputatam require diss. 1 de Contractibus, a. 8, ubi probavimus contractum sub conditione futuri operis turpis, purificata conditione, valere et obligare.

Ibid. a. 8. o.—*Petes* 3° quis possit facere eleemosynam?

R. per se loquendo, is et solus potest facere eleemosynam qui habet liberam administrationem suorum bonorum. Pro quo vide dissert. 2 de Contractibus, a. 2, § 2, ubi expendimus quis donare possit, et plura resolvimus circa minorennes, filiosfamilias, uxores et religiosos quæ ad præsentem quæstionem pertinent. Confer etiam dissert. 11 de Justitia, a. 5.

Addo tantum hic religiosum qui pastoratum aut aliud beneficium habet, posse de fructibus sui beneficii facere eleemosynas, aut illos expendere in alios usus pios et honestos; quia, licet non habeat dominium, habet tamen liberam administrationem: titulus enim beneficii tribuit facultatem disponendi de ejus reditibus in pios et honestos usus, ita ut administrator beneficii sit etiam administrator fructuum. Idem dicendum de religioso habente pastoratum in suo monasterio quoad fructus accidentales qui sibi obveniunt ex exequiis et administratione sacramentorum; quantum enim ad fructus essentiales, supponuntur incorporati monasterio.

Petes 4° utrum clerici strictius quam laici teneantur ad eleemosynas?

R. affirmative, præsertim ex honis ecclesiasticis congruæ sustentationi superfluis. Pro quo vide plura dissert. 8 de Justitia, a. 5. conclus. 4.

Petes 5° utrum fictus pauper peccet petendo et accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere?

R. affirmative; quia dantes non censentur dare nisi pauperi, et sub ea conditione tacita quod sit pauper: unde hæc donatio est nulla et receptio furtum, juxta Catechismum Tridentini, 3 p. in septimum præceptum Decalogi, n. 7: « Furtum, inquit, » præterea facere videntur qui fictis simu» latisque verbis, quive fallaci mendicitate » pecuniam extorquent, quorum eo gravius » est peccatum, quod furtum mendacio cu» mulant. » Debent ergo restituere veris pauperibus, quia donantes censentur abdicasse harum eleemosynarum dominium in favorem pauperum. Quidam excipiunt minutas et ordinarias eleemosynas, quia, inquiunt, præsumitur has fieri absolute; sed ista præsumptio non videtur nobis satis fundata. Si tamen quis esset vere pauper, sed fingeret se pauperiorem ut facilius aut largiorem obtineret eleemosynam, non videtur adstrictus restitutioni: quia est communis opinio quod pauperes exaggerent ordinarie suam paupertatem, et id supponunt donantes.

Petes 6° utrum qui præficitur distributioni eleemosynarum possit sibi retinere partem, si vere sit pauper?

Hic a. 9. ad 3. — *R. affirmative*, cum non sit pejoris conditionis quam alii pauperes. Excipe tamen, nisi designati sint pauperes quibus faciendæ sunt eleemosynæ.

Petes 7° utrum magistratus possint impedire ne in suis locis pauperes extranei mendicent ?

R. non posse omnes omnino impedire; quia plures sunt pauperes qui e suis locis natalibus exulare coguntur, sive sententia judicis, sive quia ibi habent inimicos aut dedecus passi sunt, sive quia urbes et pagi vel incursione hostium vel incendio sunt devastati; et hi tamen debent vivere : unde autem vivent, si ab omnibus expellantur ?

Petes 8° utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus qui si vellent non egerent?

R. faciendam esse iis qui sunt voluntarie pauperes propter Christum et ex amore virtutis sive in religione, sive extra : quia ob justam causam se ad hunc statum dimittunt, et reperitur in illis objectum misericordiæ. Vide Auctorem infra q. 187, a. 3, 4 et 5; et Opusc. contra impugnantes religionem. Iis vero qui sunt voluntarie pauperes ex ignavia, amore otii et cupiditate lucri, non est facienda eleemosyna ; tum quia illis non licet mendicare; tum quia esset eorum ignaviam et cupiditatem fovere. Non est tamen curiosius inquirendum in conditiones pauperum, ne forte veri pauperes prætereantur; plures sunt enim qui ex verecundia se pauperes declarare non audent : minus autem est incommodi dare non indigenti quam denegare indigenti.

DISSERTATIO VI.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

D. Th. Q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correptio et correctio; correptio enim est reprehensio ad emendationem fratris ; correctio est ipsa emendatio ; usu tamen recepto inter theologos confunduntur et pro uno et eodem sumuntur.

Hic q. 33. a. 1. o. — Duplex est correptio delinquentis : una, quæ adhibet remedium peccato in quantum est quoddam malum ipsius peccantis et ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna. Altera est quæ adhibet remedium peccato secundum quod est in malum aliorum et præcipue in nocumentum boni communis, et dicitur judicialis. Hæc est actus justitiæ cujus est conservare rectitudinem justitiæ unius ad alium : fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicitus a misericordia et imperatus a charitate.

Hic q. 30. a. 1. ad 1. — Neque refert quod objectum misericordiæ sit miseria seu malum involuntarium, peccatum autem sit voluntarium ; quia sufficit ad objectum misericordiæ quod sit aliquo modo involuntarium : quamvis autem peccatum sit simpliciter voluntarium, et hac ratione sit potius objectum indignationis quam misericordiæ, pluribus tamen modis est involuntarium : 1° ratione causæ, ut si sit ex ignorantia, qua fit ut non apprehendatur malitia peccati ; 2° ratione effectus, quia reddit hominem obnoxium damnationi, quod est contra ejus voluntatem ; 3° quia est contra inclinationem rationalem voluntatis. Et hæc sufficiunt ut sit objectum misericordiæ.

De correptione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna, quæ definiri potest : *Actus charitatis et misericordiæ, quo per convenientem sermonem, vel aliquid æquivalens, proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur.* Dicitur *actus charitatis et misericordiæ;* quia elicitur a misericordia et imperatur a charitate, ut dictum est. Dicitur, *per convenientem sermonem;* quia magna prudentia opus est ad faciendam correptionem fraternam. Unde Auctor hac q. 33, a. 1, ad 2, dicit esse actus prudentiæ exequentis et dirigentis. Dicitur, *vel aliquid æquivalens;* quia potest etiam fieri signis, vel quocumque modo utili ad removendum proximum a peccato. Dicitur, *a malo peccati;* quamvis autem juxta verba Christi, *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. infra referenda, correptio proprie respiciat peccatum commissum, conveniunt tamen omnes parem obligationem esse impediendi peccatum futurum imminens, quia est pariter eleemosyna spiritualis, et sive dicatur correptio, sive monitio, sive instructio, sive consilium, perinde est. De utroque peccato itaque tam commisso quam committendo procedit quæstio.

ARTICULUS I.

Utrum correptio fraterna sit in præcepto ?

Hic q. 33. a. 2. o. — *Eico.* Correptio fraterna est in præcepto naturali et divino po-

situvo, ita ut omni tempore, etiam ante legem obligaverit.

Prob. 1° ex S. Scriptura. Galat. 6 dicitur: *Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* ergo præceptum legis Christi est corripere peccantem. 2 Thessal. 3: *Nolite quasi inimicum existimare* (scilicet peccatorem), *sed corripite ut fratrem.* Sed præsertim Christus, Matth. 18: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

In hoc textu, qui præcipuus est, duo pariunt difficultatem: primum, quod videatur pertinere ad christianos tantum, quia dicit *frater*, et postea, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, quæ intelligi non possunt de non christianis; secundum, quod videatur spectare tantum peccata contra nos commissa, quia dicit, *si peccaverit in te frater tuus.*

Ad primum. Equidem Christus expresse tantum loquitur de christianis, non ut excludat alios, *ut patet* ex ratione quam subjungit de lucrando fratre, et ex præcepto naturali quo tenemur omnes peccatores corripere, ubi est spes emendæ, ut mox dicemus; sed quia volebat assignare ordinem correptionis fraternæ qui non potest ita bene servari inter ethnicos, et quia rarus est casus obligationis circa illos, cum sit rarior spes emendæ antequam fidem susceperint.

Ad secundum. Quidam interpretantur *in te*, id est, *te sciente;* quia, qui peccat coram nobis aut nobis scientibus, nos quasi testes et approbatores sui peccati facit, et quantum est ex conditione actus scandalum nobis præbet. Ita Auctor quodlib. 11, a. 12, interpretatur cum S. Augustino. Alii sensu magis litterali et proprio interpretantur *in te*, id est, *contra te:* et patet ex eo quod subjungit S. Petrus: *Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei?* Idque importat proprietas locutionis; peccare enim in aliquem est contra ipsum peccare. Ita etiam interpretatur S. Th. q. disput. de Corrept. fratern. a. 2, ad 1, et hujus q. a. 7, post SS. Chrysost. Hieron. Ambros. et Aug. Neque inde sequitur quod sola peccata contra nos commissa cadant sub præceptum correptionis fraternæ, 1° propter paritatem rationis quam affert Christus; non enim jubet nos corripere fratrem quia peccavit contra nos, sed quia peccando se perdidit: unde dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum;* per quodcumque vero peccatum, sive sit contra nos, sive non, peccator se perdit. 2° A minori ad majus; si enim debeam hoc correptionis beneficium impendere peccanti contra me, *a fortiori* illi qui me non offendit.

Ibid. in a. s. c. — *Prob.* 2° ex SS. Patribus. Aug. Sermon. 16 de verbis Domini: *Si*, inquit, *neglexeris corripere, pejor eo factus es qui peccavit;* sed hoc non esset si per hujusmodi omissionem seu negligentiam aliquod præceptum non transgrederetur. Idem SS. Ambros. l. 8 in Luc. Chrysost. et Hieron. in Matth. Basilius in Regulis brevioribus, ad interrogationem 47; et alii.

Prob. 3° *ratione.* 1° Præcepto naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti: ergo *a fortiori* spiritualiter indigenti. 2° Lege naturæ tenemur reducere bovem proximi errantem: ergo *a fortiori* ipsum proximum errantem. 3° Denique tenemur diligere proximum; dilectio autem proximi necessario importat non solum velle et præstare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possumus. Ergo.

Dices 1° Non tenemur subvenire voluntarie pauperi qui habet unde sibi subveniat: atqui miseria peccantis est ipsi voluntaria, et potest ipse sibi subvenire. Ergo.

R. N. conseq. 1° Quia, qui habet unde sibi corporaliter subveniat, non indiget tuis bonis ut a miseria corporali liberetur; at peccator, quamvis absolute possit sibi subvenire, non tamen nisi admodum difficile, sive ob illecebras peccati, sive ob inveteratam consuetudinem, sive ob ignorantiam; et ideo indiget tuo subsidio ut a miseria spirituali, licet voluntaria, subleretur. 2° Quia Christus non præcepit facere eleemosynam voluntarie pauperibus, sicut præcepit facere correptionem fraternam voluntarie peccantibus. Adde *majorem* non esse universaliter *veram;* potest enim contingere ut voluntarie pauperi teneamur ex nostris bonis succurrere, ut si, v. g. alicujus vita evidenter periclitaretur, et ipse, licet monitus, non adverteret periculum, nec vellet sibi de medicamine providere.

tenemur in hoc casu etiam de nostris illi subvenire.

Dices 2° Multi sunt notorii peccatores, ut meretrices, usurarii, ebriosi, etc., quos nemo corripit. Ergo.

R. hos et a pastoribus et a concionatoribus et a piis ac prudentibus viris aliquando corripi, non solum publice, sed etiam privatim; alii autem non corripiunt, tum quia illis deest sufficiens auctoritas, tum quia in illis nullam apprehendunt spem emendationis.

Dices 3° Nemo potest converti sine gratia Dei : atqui correptio non confert gratiam : ergo est inutilis.

Ibid. ad 1. — *R. retorquendo argumentum.* Nemo potest converti sine gratia Dei : atqui prædicatio verbi divini non confert gratiam : ergo est inutilis. Dicendum igitur quod in omnibus bonis agendis operatio hominis non est efficax, nisi adsit auxilium divinum; et tamen homo debet facere quod in se est, et quod Deus præcepit ut faceret, in mediante quo confert gratiam secundum suum beneplacitum : unde S. Aug. lib. de Correptione et Grat. c. 15, dicit : « Nescien» tes quis pertineat at prædestinatorum » numerum, et quis non pertineat, sic » affici debemus charitatis affectu, ut om» nes velimus salvos fieri. » Et ideo debemus omnibus fraternæ correptionis beneficium impendere sub spe divini auxilii.

Quædam objiciuntur ex veteri Testamento quibus videtur improbari correptio peccatorum; sed intelliguntur de peccatoribus in quibus non erat spes emendæ.

ARTICULUS II.

Quæ conditiones requiruntur ut præceptum correptionis fraternæ obliget?

Cum præceptum correptionis fraternæ sit affirmativum, non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis et positis quibusdam conditionibus. Quæ autem sint illæ conditiones et circumstantiæ?

Dico. Ut præceptum correptionis fraternæ obliget, requiritur 1° materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum vel committendum sit, per se loquendo, mortale; 2° requiritur certa ejus notitia; 3° spes emendationis; 4° necessitas correptionis. *Probantur et explicantur istæ conditiones*

Materia sufficiens.

Solum peccatum mortale et non veniale esse per se materiam sufficientem et propriam correptionis fraternæ, constat 1° ex verbis ipsis Christi, Matth. 18, ubi in explicatione hujus præcepti, dicit : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum :* ergo perierat. Unde S. Aug. Serm. 16, c. 3 de verbis Domini, « Si, inquit, te ille in quem » peccasti corripuerit et audieris illum, » lucratus est te : quid est lucratus est te, » nisi quia perieras, si non lucraretur te? » nam si non perieras, quomodo te lucratus » est? » Nemo autem perit quoad vitam spiritualem nisi per peccatum mortale. Addit Christus quod si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiæ et habendus ut ethnicus et publicanus; certum autem videtur hæc non præcipi de peccatis venialibus quæ quotidiana sunt et in ipsis justis reperiuntur. 2° Cum omnis correptio sit onerosa corripienti et odiosa correpto, et peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripiendi, onus foret importabile tam corripientibus quam corripiendis, et neque pax, neque tranquillitas inter homines servari posset.

Dices. Peccatum veniale est gravius malum quam quævis miseria temporalis : atqui tenemur subvenire proximo miseriam temporalem patienti : ergo et peccanti venialiter.

R. N. conseq. 1° Quia obligatio correptionis non est æstimanda ex sola gravitate mali, sed etiam ex ipsius correptionis necessitate; non videtur autem necessaria ad emendationem peccati venialis, quod est voluntarium et a quo quilibet facile liberari potest, secus de miseria corporali. 2° Nullum est inconveniens quod succurram cuilibet miseriæ corporali proximi, id enim est semper illi gratum, secus de correptione fraterna quæ est corripiendo odiosa.

Dixi, *per se loquendo;* quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correptionis fraternæ, ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinæ regularis : unde tenentur superiores in religione sub mortali corripere vo-

nitia, imo et transgressiones regularum obligantium tantum sub pœna, quando vident quod ex impunitate et licentia peccandi venialiter, aut transgrediendi regulas, disciplina regularis notabile detrimentum patiatur. Idem, proportione servata, dicendum est de aliis superioribus respectu suorum subditorum : non quod existimemus peccare mortaliter, si aliquoties, secluso scandalo, dissimulent defectum venialem in subditis, sed si sint in iis corripiendis graviter negligentes.

Circa peccata ignorantiæ.

De quibus est specialis difficultas, sequentes resolutiones accipe.

1° Peccata commissa ex ignorantia vincibili cujuscumque juris aut facti cadunt sub præceptum correptionis fraternæ, quia sunt vere peccata.

2° Peccata commissa ex ignorantia invincibili cujuscumque juris aut facti non cadunt sub præceptum correptionis fraternæ, quia non sunt peccata saltem formaliter : excipe nisi ex eis sequatur grave scandalum aut detrimentum proximi quod correptione possit impediri.

3° Peccata autem committenda ex ignorantia invincibili juris naturæ et divini positivi, aut facti contra ista jura, cadunt sub præceptum correptionis aut monitionis, si sit spes emendæ, et non sit periculum majoris mali : quia talis ignorantia, quamvis inculpata, est grande malum et turpis error quem quisque vellet a se depelli. Insuper quæ committuntur saltem ex ignorantia invincibili juris naturæ, sunt secundum se mala et peccata materialiter, quamvis committentes propter ignorantiam invincibilem excusentur.

Dixi 1° *si sit spes emendæ, aut non sit periculum majoris mali :* quia, si non sit spes emendæ, tunc non solum cessat finis correptionis, sed insuper sequitur gravissimum inconveniens, nempe quod is quem corripis aut mones, peccabit formaliter, cum antea peccaret tantum materialiter, et quod monitus damnetur qui non monitus potuisset salvari. Quod si sit spes emendæ, sed jure timeantur graviora inconvenientia quam sit peccatum mortale impediendum, debet etiam omitti correptio seu instructio, quia e duobus malus minus est eligendum.

Hinc inferes quod, dum quis invincibiliter ignorat se esse invalide matrimonio junctum, si non sit spes quod monitus recedet ab uxore putativa, aut si discedat, sequentur gravia inconvenientia et scandala, puta, odia capitalia, rixæ diuturnæ, incontinentia, honestæ familiæ et prolium infamatio, relinquendus sit in bona fide. Quod si agatur de matrimonio contrahendo, attendendum est ad irreverentiam sacramenti et ad mala quæ nata sunt sequi ex matrimonio invalido si proximus non moneatur : et hæc conferenda sunt cum inconvenientibus quæ prævidentur secutura si moneatur, et quod minus videbitur est eligendum, moneatur vel tacendo. Regulariter dum agitur de actu futuro, re adhuc integra manente, minora mala sequuntur si monendo quam si non moneatur : unde regulariter in hoc casu monendus est proximus. Confer quæ fusius dixi circa hanc materiam in tract. de Actibus hum. dissert. 5, a. 4.

Dixi : 2° ex *ignorantia invincibili juris naturalis aut divini positivi, seu facti contra illa jura;* quia, quoad ignorantiam invincibilem legis humanæ aut facti contra illam, nemo privatus tenetur saltem sub mortali, hanc ignorantiam tollere, seclusis scandalo, irreverentia Dei et religionis, et damno tertii : quia quæ sunt contra legem humanam non sunt per se mala sicut ea quæ sunt contra legem naturalem, nec tanti momenti sicut ea quæ sunt contra legem divinam positivam. Hinc non teneris saltem sub mortali, monere omittentem inculpate horas, aut missam in die festo, et similia : secus, si quis cum scandalo manducaret carnes in die jejunii, aut laboraret serviliter die festo ; item, si sacerdos ex inadvertentia accederet ad altare sine alba aut casula, propter reverentiam debitam sacro ministerio. In dubio autem an hujusmodi ignorantia sit culpabilis vel inculpabilis, videtur quod liceat dubium in meliorem partem interpretari.

Notitia peccati.

Ad hoc ut quis teneatur corripere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi vel committendi : unde non sufficit dubium, suspicio, timor, scrupulus, aut rumor ; quia, cum correptio pudorem ingerat et sit correpto odiosa, juste conquereretur si argueretur de pec

cato quod non constat ; et sæpe imprudendentes correptiones ex dubiis et incertis indiciis causant graves tricas et dissensiones. Adde quod in dubio præsumendum sit in favorem proximi. Hac ratione plerumque eximuntur a correptione facienda scrupulosi qui in omnibus timent et suspicantur peccatum. Neque debet privatus inquirere in vitam aliorum ad finem correptionis ; id enim redundaret in injuriam proximi et esset contra illud Proverb. 24 : *Ne quæras impietatem in domo justi :* hoc solum competit superioribus quibus ex officio incumbit vigilare super gregem sibi commissum, adeoque dubiis malis occurrere.

Dices. Ad eleemosynam carporalem sufficit probabilis aut conjecturalis notitia miseriæ proximi : ergo similiter ad spiritualem.

R. N. conseq. Disparitas est, quod eleemosyna corporalis absque ullo offensionis periculo admittatur etiam ab eis qui non indigent ; secus correptio fraterna, si temere aut leviter fiat.

Spes emendationis

Hic. a. 6. o. — Requiri spem emendationis manifestum est, quia cessante : finis autem correptionis fraternæ est emendatio proximi, in quo differt a correptione judiciali cujus finis est bonum commune. Adde quod, hoc ipso quo non prodest correptio, obsit, quia correptus non resipiscens gravius peccat : et hac ratione sæpe excusantur a correptione fraterna qui sunt inferioris conditionis corripiendo.

Non tamen requiritur spes certa, sed sufficit probabilis, modo etiam sit probabile correptionem non obfuturam. Si dubitetur an si profutura, et certum quod non sit obfutura, adhibenda est ; sicut medici adhibent medicinam quam certo sciunt non nociturum, quamvis dubitent an sit profutura, dum non est alius modus juvandi ægrotum. Si vero dubium sit an proderit et pariter dubium an nocebit, ut sæpe contingit in extraneis et ignotis cujus ingenium non novimus, conferenda est utilitas sperata cum damno quod timetur, et majus est minori præferendum. Hinc, si corrigendus credatur tantum pudore afficiendus, aut futurus in posterum minus amicus, aut ad tempus exacerbandus, sed postea corrigendus, nec melior occasio expectari possit, omnino est corripiendus ; quia bonum speratum præponderat malo timendo. Item in articulo mortis, stante dubio an proderit vel oberit, correptio est facienda : quia si prosit, proximus ab æterna damnatione liberabitur ; si obsit, eatenus tantum oberit quod qui damnandus erat propter alia peccata gravius damnetur propter istud novum. Huic autem malo præponderat bonum quod speratur. In æqualitate vero boni sperandi et mali timendi, omittenda est correptio ; quia præceptum negativum non nocendi proximo magis obligat quam præceptum affirmativum ipsi bene faciendi.

Hæc intellige de correptione præcise fraterna et quæ nihil aliud intendit quam emendationem delinquentis : quia, si agatur de correptione quæ assumeretur ad alium aliquem finem, ut ad impediendum damnum tertii, vel reipublicæ, aut dehonorationem Dei per blasphemias, vel seductionem populi per hæreticos, etiamsi nulla esset spes emendæ in peccante, si sit spes impediendi malum aut damnum ex ejus peccato consequens, potest et debet adhiberi correptio et redargutio.

Necessitas correptionis

Q. 53. a. 2. o. — Scilicet ad emendationem fratris. Quia (ut discurrit Auctor) correptio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, et ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem ; non autem quod quolibet loco vel tempore delinquens corrigatur.

Hinc sequitur 1° quod si nullus sit qui corripiat deliquentem, et ipse non possit aut non nisi difficile liberari a peccato nisi per tuam correptionem, tenearis ex hoc capite ilam adhibere.

Sequitur 2° e contra quod si frater sit emendatus, aut probabile sit quod ipse se emendabit, ut jure præsumitur in iis qui suæ salutis non sunt incurii et solent frequentare sacramenta, nec interim sit periculum relapsus, non tenearis corripere : similiter, si per alios sit corripiendus : at vero si adsint quidam qui possent forte melius et utilius corripere, et tamen non faciunt, teneris ; quia, ut dictum est de eleemosyna corporali, omnes scientes tenentur in solidum.

Dubium est inter auctores an peccatum præteritum, nullo relicto complacentiæ ves-

tigio, nec damni aut relapsus periculo, sit corripiendum. Aliis affirmantibus, aliis negantibus, *R. ex dictis* quod, si sit probabile quod ipse reus esse emendabit tempore debito, non sit corripiendus; secus, est corripiendus.

Ibid. ad 3. — His ergo omnibus conditionibus positis tenetur quilibet ad correptionem fraternam statim moraliter; ita quod si ex timore vel cupiditate absolute renuat eam facere, vel ita differat ut sinat elabi opportunitatem faciendi, præponens in animo timorem vel cupiditatem fraternæ charitati, peccet mortaliter; venialiter autem tantum peccabit si ex timore vel cupiditate tardior efficitur ad correptionem, modo sit ita affectus ut si ei constaret quod posset per suam correptionem fratrem retrahere a peccato, non omitteret propter timorem aut cupiditatem quibus in animo suo præponit charitatem fraternam: et hac ratione, quandoque viri sancti negligunt corripere delinquentes. Nullo autem modo peccabit si differat correptionem spe majoris opportunitatis.

An vero liceat differre spe majoris utilitatis sic nimirum ut proximus sæpius et gravius peccans efficacius corrigatur et emendatur? Quidam affirmant, quia, quamvis nunquam liceat facere mala ut eveniant bona, aliquando tamen licet permittere mala ex intentione majoris boni: et hoc est probabile. Attamen, si supponatur spes fundata præsentis emendationis, id nec satis tutum in praxi, nec satis probabile arbitror; quia in hac hypothesi, major utilitas quæ expectatur non est tantum bonum, ut præponderet honori Dei qui iteratis et forte gravissimis offensis læditur, et securitati salutis proximi qui interim potest mori, aut qui ex iteratis actibus obstinatior factus frustrabit spem efficaciorem emendationem expectantis.

Cæterum, pro colophone totius hujus articuli observandum est quod, cum istæ conditiones raro omnes simul reperiantur, raro etiam homines privati teneatur saltem sub gravi peccato ad correptionem fraternam.

ARTICULUS III.

Aliæ difficultates circa præceptum correptionis fraternæ discutiuntur.

Petes 1° utrum præceptum correptionis fraternæ obliget cum damno corripientis?

Ante responsionem, distingue duplicem necessitatem spiritualem proximi: unam gravem a qua licet possit absolute proximus se liberare, nonnisi tamen difficile, sive ob vehementiam passionis, sive ob inveteratam consuetudinem et obstinationem in malo, sive ob ignorantiam, sive ob aliam causam; alteram extremam a qua absolute liberari non potest nisi per correptionem, et hic casus est rarissimus et forte unicus, ut si quis ex ignorantia vincibili peccet et quærat doctorem, ego autem solus possum docere, monere, corripere illum, alioquin moriturum in peccato.

Dico. Quando peccator est in extrema necessitate spirituali, quilibet tenetur cum periculo vitæ adhibere correptionem; quia plus tenemur diligere animam proximi quam corpus nostrum, ut probavimus diss. 4, a. 3. In gravi necessitate quilibet tenetur cum aliquo damno suorum temporalium; quia plus diligere debemus salutem æternam proximi quam quædam bona temporalia: ii autem quibus cura animarum incumbit ex officio tenentur etiam cum periculo vitæ in gravi necessitate; quia ii magis tenentur quam alii, et debent esse parati *ponere animam suam pro ovibus suis.* Confer quæ superius dixi dissert. 4 citata de ordine charitatis, præsertim art. 3.

Petes 2° quinam tenentur ex præcepto facere correptionem fraternam?

Ibid. a. 3. o. — *R.* 1° Positis præfatis conditionibus, non solum prælati, sed omnes generaliter tenentur ad correptionem fraternam. *Patet* ex præcepto tam divino quam naturali quod est generale, ut vidimus art. 1 præsentis dissert.

Ib. ad 1. — *R.* 2° Prælati strictius tenentur quam cæteri ad corripiendos suos subditos; quia 1° præter communem obligationem, id illis ex officio incumbit; 2° quia pater plus tenetur quam extraneus benefacere filiis suis; prælatus autem est pater spiritualis suorum subditorum.

Item tenentur prælati inquirere in vitam subditorum ad finem correptionis fraternæ, 1° quia quilibet tenetur mala spiritualia a proximo depellere eo modo quo absque inconvenientibus potest: possunt autem prælati absque inconvenientibus quæ paterentur privati inquirere in vitam subditorum.

quia ad, propter auctoritatem et officium, non parit scandalum aut offensionem ; 2° quia, ut pater spiritualis, debet eleemosynam spiritualem his particularibus personis sibi subditis : — Ibid. a. 2. ad 4. — quod autem debetur sic determinatæ personæ, inquit Auctor, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat, sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquiramus.

Cæterum cavendum est prælato, inquit Cajetanus, ne ex una parte nimia suspicione fiat præceps et odiosus, et ex altera ne sua incuria invalescant delicta occulta. Neque debet nimis particulariter in unum aliquem absque sufficientibus indiciis inquirere, ne eum apud alios reddat suspectum et infamem.

Non videtur tamen quod teneantur ex stricta justitia, sed ex misericordia vel fidelitate qua tenentur adimplere suum manus; quia officium prælationis constituit prælatum judicem et patrem : quamvis autem obligatio quæ oritur ex illo, ut constituit judicem, pertineat ad justitiam, non tamen obligatio quæ oritur ex illo, ut constituit patrem; specialis autem obligatio in prælato corrigendi fraterne subditum oritur ex ejus officio, ut constituit patrem non judicem. Quæ hucusque diximus de prælatis, juxta cap. *Duo ista*, causa 23, q. 4, extendendum est ad parentes, judices, reges, secundum cujusque disciplinam.

Ibid. a. 4. o. — *R.* 3° Subditi possunt et aliquando tenentur corripere fraterne suos superiores ; quia eos pro loco et tempore possumus et debemus fraterne corripere quos tenemur ex charitate diligere : atqui subditi tenentur ex charitate diligere superiores. Ergo.

Ibid. — Debet tamen ad hanc correptionem adhiberi congruens modus, ut scilicet non fiat cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine, humilitate et reverentia, juxta illud Apost. 1 Timoth. 5 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.*

Ad correptionem superiorum, ut plurimum, sunt minus idonei homines de vulgo conditione et moribus viles; est enim periculum ne id superiores ducant contemptui et inde magis exasperentur : unde convenit quod correptores digniores instruant et adhibeant.

Ibid. a. 5. o. — *R.* 4° Etiam ipsi peccatores non eximuntur a præcepto correptionis fraternæ faciendæ. Sermo est de peccatoribus qui noscuntur tales ab iis qui corripiuntur ; si enim sint occulti, nihil obstat correptioni faciendæ.

Ibid. — *Ratio responsionis est*, 1° quia correptio delinquentis pertinet ad aliquem in quantum viget in eo rectum judicium rationis ; peccatum autem, etsi notum, non tollit rectum judicium rationis. Ergo. 2° Nemo propter peccatum eximitur ab obligatione legis. Ergo.

Quod si quandoque SS. Patres dicant officium correptionis fraternæ non competere peccatoribus, loquuntur de peccatoribus qui alios non corripiunt nisi ex superbia, minora in aliis dure reprehendentes, dum ipsi majora perpetrant : — Ibid. — non vero de peccatoribus qui præcise ut satisfaciant suæ obligationi, cum mansuetudine, humilitate et propriæ infirmitatis confessione, alios corripiunt, modeste monendo et rogando, juxta hoc præscriptum Auctoris ex S. Aug. lib. 2 de Serm. Dom. in monte c. 19, alias 3 : « Si inveniamus nos in eodem » vitio esse..... non objurgemus, sed congemiscamus et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum » invitemus. »

Petes 3° utrum peccator teneatur se emendare ut alium corripiat?

R. 1° Tenetur 1° si sit superior ; quia tenetur procurare ea quæ sunt necessaria ad suum officium rite obeundum inter quæ est ipsius emendatio ; 2° tenetur qui aliis scandalo est, quia tenetur abstinere a scandalo ; 3° tenetur si proximus sit in peccato mortali moriturus, nisi ipse emendatus corripiat ; quia videtur tunc gravis necessitas cui cum aliquo incommodo subvenire debet.

R. 2° Extra hos casus, probabilius est quod peccator non teneatur ex præcepto se emendare ut alium corripiat. Ita Dominicus Soto, lib. de Tegendo Secreto, membro 2, q. 3, concl. 6 ; Bannes, Wiggers, Sylvius et Serra in hunc articulum.

Favet Auctor in 4, d. 19, q. 2, a. 2, q. 2, ad 2, dicens : « Peccator non est perplexus » nec absolvitur a præcepto corripiendi ; » potest enim peccatum dimittere, aut » etiam humiliter peccatum suum recognoscens alium admonere rogando, et » tunc non peccat » : ergo non tenetur

absolute dimittere peccatum, sed vel illud dimittere, vel illud humiliter agnoscere, et alium rogando admonere.

Ratio est 1° quia, quando peccator corripit alium peccatorem cum humilitate, agnoscendo suam etiam infirmitatem, con gemiscendo et invitando ad æqualiter cavendum, ut diximus ex SS. Aug. et Th. si correptus non emendetur, ipsius pertinacia et culpa est, non corripientis. Ut quid enim quærit meum exemplum ut a peccato liberetur, cum ego meo exemplo non induxerim in peccatum et verbis meis sufficienter inducam ad emendationem? 2° Mea emendatio neque ex præcepto, neque ex natura rei est medium necessarium ad correptionem fraternam. Ergo.

Dices 1° Christus, Matth. 7, dicit: *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*. Ergo.

R. Christum ibi non præcipere ut quisque se emendet antequam alium corripiat, sed arguit pharisæos qui levia in aliis reprehendebant et dure condemnabant, dum ipsi circa proprios defectus cæcutientes, longe graviora perpetrabant.

Dices 2° Si quis acquirere posset unde sublevet gravem necessitatem corporalem proximi, ad id obligaretur: ergo obligatur hac via proximo succurrere in gravi necessitate spirituali constituto.

Respondet Serra post Soto, *negando ant.* dicitque « quod, sicut non tenetur quis re» cuperare perditam pecuniam ad subve» niendum pauperibus, quamvis posset, » nisi forte in extrema necessitate, ita nec » tenetur resipiscere a peccato, ut ea rea» tione adimpleat præceptum correptionis, » sicut nec tenetur procurare scientiam » quæ requiritur ad corripiendum, nisi » forte proximus esset in extrema necessi» tate spirituali. » Hæc ille.

R. 2° *Dato ant. N. conseq.* Disparitas est, quod qui potest acquirere unde sublevet necessitatem corporalem proximi et non acquirit, nihil ipsi confert quo possit ejus necessitas sublevari; sed qui non emendatus corripit fraterne et humiliter peccatorem, ut dictum est, ipsi confert quo possit sublevari ejus necessitas spiritualis; quod si non sublevetur, ejus pertinacia et culpa est, debetque sibi imputare et non corripienti. Et quid, si nolit emendari nisi dem ipsi centum florenos, teneborne forte de

Inst. 1° Peccator obligatur vitam emendare etiam statim, si urgeat aliud præceptum sub gravi obligans quod adimpleri nequit sine sui emendatione: ergo præsens casus non est a communi resolutione eximendus.

R. N. suppositum argumenti. Supponit argumentum quod præceptum correptionis fraternæ non possit impleri sine sui emendatione, quod negamus: qui enim non emendatus facit correptionem eo modo quo diximus, adimplet quantum in se est et debet præceptum.

Inst. 2° Emendatio est medium conveniens ad correptionem: atqui qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Ergo.

R. D. maj. Emendatio est medium conveniens ex consilio, *C.* ex præcepto seu ex natura rei, *N.* Nullibi enim præcipitur neque id necessario requiritur ex natura ipsius correptionis, quæ definitur etiam ab adversariis, actus quo per convenientem sermonem proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur. *Ad hunc sensum D. min.* Qui tenetur ad finem tenetur ad media convenientia, quæ vel ex præcepto vel ex natura rei conveniunt, *C.* ad media convenientia ex consilio tantum, *N.*

Inst. 3° Tenemur ex præcepto ad correptionem fructuosam: atqui in casu supponitur emendatio absolute necessaria ad hoc ut correptio sit fructuosa. Ergo.

R. D. maj. Tenemur ex præcepto ad correptionem fructuosam, id est, quæ quantum est ex se possit producere fructum, *C.* et talis est correptio facta a peccatore non emendato; quæ de facto fructum producat, *N.* Fructus enim seu emendatio correpti est finis præcepti; finis autem præcepti non cadit sub præcepto.

Insuper adverte quod si hæc omnia argumenta aliquid probarent, non probarent necessitatem emendationis absolutæ in corripiente, sed duntaxat emendationis quantum ad signa exteriora.

ARTICULUS IV

De ordine correptionis fraternæ.

Hunc ordinem tradidit Christus, Matth 18, his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore*

duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Sunt ergo tres gradus in ordine correptionis fraternæ : primus, corripere secreto ; secundus, corripere coram uno vel duobus ; tertius, dicere Ecclesiæ seu prælato. Quæstio est utrum iste ordo sit in præcepto quoad omnes suos gradus ?

§ I. — *Utrum in correptione fraterna admonitio secreta debeat præcedere denuntiationem ?*

Q. 33. a. 7. o. — *Dico* 1° Si peccatum sit publicum, id est, majori parti communitatis notum, admonitio secreta non debet necessario præcedere denuntiationem, sed est publice arguendum, juxta illud 1 Timoth. 5 : *Peccantes coram omnibus argue ut et cæteri timorem habeant ;* quod de peccatis publicis intelligit S. Aug. Serm. 16 de verbis Domini, concludens : « Ergo ipsa » corripienda sunt coram omnibus quæ pec» cantur coram omnibus : ipsa vero corri» pienda sunt secretius quæ peccantur se» cretius. »

Ibid. — *Ratio est,* 1° quia quando peccatum est publicum, non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit ut melior fiat, sed etiam aliis in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur; 2° quia finis propter quem præmittenda est admonitio secreta quæ est conservatio famæ, cessat, cum per publicitatem peccati fama peccantis sit perdita.

Ibid. — 2° Si peccatum sit occultum, sed vergens in nocumentum aliorum sive corporale sive spirituale, puta, si aliquis occulte tractet de proditione patriæ, si hæreticus privatim homines a fide avertat, si magus aut sortiarius occulte agat in perniciem aliorum, si pharmacopola vendat pharmaca perniciosa, etc., oportet statim procedere ad denuntiationem, non præmissa admonitione secreta, ut hujusmodi nocumentum impediatur : partim quia tunc non habent locum verba Domini, frater enim peccans non peccat in te tantum ; partim quia debemus magis curare ne proximus innocens in corpore vel anima lædatur, quam ne fama peccatoris perdatur.

Ibid. — Excipe nisi forte aliquis firmiter existimet quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire. Sed hoc vix locum habet in hæreticis, qui nec ipsam Ecclesiam audire volunt, et in magis ac sortiariis propter obstinatam voluntatem in malo.

Ibid. — *Dico* 3° Si peccatum sit occultum et soli peccati ac ei in quem peccatur noxium, per se loquendo, necessario est præmittenda secreta monitio denuntiationi.

Ibid. — *Prob.* 1° ex verbis Christi : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe inter te et ipsum solum.* 2° Lege naturali tenemur curare proximum cum minori, quantum fieri potest, damno ejus famæ; est enim fama utilis et in temporalibus et in spiritualibus : sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicujus membri abscissione ; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur : ergo fama fatris peccantis non est minuenda apud superiorem quando per privatam correptionem speratur emendatio. 3° Quia immediata denuntiatio sine secreta monitione sæpe movet proximum ad indignationem contra denuntiantem et ad ulteriorem lapsum, juxta illud S. Hieron. in verba citata Matth. : « Corripiendus est seorsim » frater, ne si semel pudorem vel verecun» diam amiserit, permaneat in peccato. » Multi enim præ timore infamiæ a peccato retrahuntur, qui quando se infamatos vident, irrefrenate peccant.

Dixi, *per se loquendo ;* quia per accidens non est præmittenda secreta correptio denuntiationi in certis casibus. 1° Non est præmittenda, si fundate præsumatur non profutura ; — Quodl. 11. a. 13. o. — 2° si correpturus sit minus idoneus ad corripiendum et videtur quod melius fiet per prælatum, quatenus prælatus est pius, discretus, spiritualis, non habens rancorem aut odium adversus subditum, potestque pluribus modis impedire peccatum, licet statim illi fieri delatio : (idem dic de aliquo alio viro pio et prudenti). Neque hoc est dicere Ecclesiæ ; quia non dicitur prælato ut judici et superiori, sed ut personæ præficienti ad correctionem et emendationem proximi et quasi alteri fratri.

Neque etiam in hoc violatur præceptum Domini de monitione secreta præmittenda denuntiationi, quia cum sit affirmativum et *in* bonum corripiendi, debet observari in

quantum circumstantiæ lucorum, temporum et personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corripiendus de sui diffamatione apud superiorem; levis enim est hæc diffamatio, attentis prudentia, probitate et benevolentia quæ supponuntur in prælato, debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute

Ibid. — Verum, propter conditiones diversas prælatorum et subditorum, non potest dari in hoc regula generalis, quia aliquando prælatus est imprudens et iracundus, aut movetur odio in subditum; vel subditus non bene fert verba prælati. Ideo tenendum est hoc pro regula generali, quod in omnibus istis servanda est charitas, et quod qui intendit id quod melius et magis expediens apparet, servans in quantum potest bonum proximi, non peccat.

Dices 1° *contra tertiam conclusionem* ex S. Scriptura. 1° Levit. 5, dicitur : *Si audierit vocem jurantis, nisi indicaverit, portabit iniquitatem*; 2° cap. 19 : *Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum*; 3° Genes. 37, Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo : ubi nulla fit mentio præmissæ admonitionis secretæ ; 4° Petrus, Act. 5, peccatum occultum Ananiæ et Saphiræ fraudantium de pretio agri non solum manifestavit, sed morte punivit; 5° Deus interdum publice punit hominem pro peccato, nulla admonitione secreta præcedente ; 6° ipse Christus non legitur secreto admonuisse Judam, antequam eum denuntiaret. Ergo.

R. ad primum, sensum esse quod, si quis audiverit vocem judicis interrogantis, et adjurantis de veritate, et nolit eam dicere, punietur ; vel, si quis audierit vocem jurantis seu juramento aliquid confirmantis, et postea juridice interrogatus de eo quod vidit aut audivit, veritatem dicere recusaverit, portabit iniquitatem suam.

Ad secundum, sensus est quod nemo debeat fovere odium in corde contra proximum, sed quod debeat publice, id est aperte, eum arguere et declarare quod velit ab eo satisfactionem pro injuria.

Ibid. a. 7. ad 2. — *Ad tertium.* Quamvis non sit scriptum quod Joseph non monuerit secreto fratres, non sequitur quod non ita sit, non enim omnia scripta sunt. Sed, *esto* non privatim admonuerit, ideo id præter-misit quia, cum fratres illum odio haberent et istud peccatum esset publicum et commune apud illos, non erat spes quod per ejus correptionem privatam emendarentur

Ibid. — *Ad quartum.* Petrus publicavit peccatum occultum Ananiæ et Saphiræ tanquam executor Dei, cujus revelatione illud cognovit ; Deus autem non tenetur lege ordinis correptionis fraternæ, *ut jam dicam.*

Ibid. — *Ad quintum.* Cum peccata occulta sint Deo nota, et ipse sit dominus famæ nostræ sicut et vitæ, non adstringitur præcepto ordinis servandi in correptione fraterna. Et tamen plerumque Deus peccatores quasi secreta monitione arguit per inspirationes, per conscientiæ remorsus, exteriorem prædicationem et aliis modis.

Ad sextum. Poterat Christus absque secreta monitione indicare peccatum Judæ ; tum quia ut Deus, non erat subditus ordini correptionis fraternæ ; tum quia noverat Judam non emendandum, sed deteriorem futurum. Neque tamen ejus peccatum aperte publicavit, sed obscure indicavit, ut diximus dissert. 6 de Eucharistia, a. 5, concl. 2.

Dices 2° Consuetum est in religionibus quod in capitulis aliqui proclamentur de culpis, nullo secreta admonitione præmissa. Item prælati præcipiunt, vel generaliter omnibus, ut in visitationibus, vel alicui specialiter, ut si quid sit corrigendum, eis dicatur : tenentur autem religiosi obedire suis prælatis. Ergo.

Ibid. ad 4. — *R. ad primum*, quod hujusmodi proclamationes quæ in capitulis religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus quæ famæ non derogant : si tamen essent talia de quibus frater infamaretur, contra præceptum Dei ageret qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.

Ibid. ad 5. — *Ad secundum.* Prælato non est obediendum contra præceptum divinum, secundum illud Act. 5 : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Et ideo, quando prælatus præcipit ut sibi dicatur quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum, salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum sit generaliter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, et ipse peccaret præcipiens, et ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens. Et ideo non

esset ei obediendum, quia prælatus non est judex occultorum, sed solus Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta, per infamiam, vel per aliquas suspiciones; in quibus casibus potest prælatus præcipere, sicut judex sæcularis vel ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda.

Inst. 1° Fertur statutum esse in Societate Jesu, ut omnes defectus etiam graves deferantur ad superiorem, non præmissa admonitione secreta. Ergo.

R. id non militare contra *conclusionem;* quia hujus religionis socii renuntiant juri famæ suæ cujus sunt domini; idque licitum est, cum fit ex honesta causa maxime in ordine ad bonum spirituale: unde qui illos denuntiant superiori, non violant præceptum de ordine correptionis fraternæ, quippe quod, hac posita conditione, non obligat. Existimat tamen Sylvius quod si moraliter certum sit, aut valde probabile, quod æque bene aut melius privata correptione quam denuntiatione frater emendabitur, denuntians posset peccare contra charitatem, licet non contra justitiam: sicut potest peccare contra charitatem, licet non contra justitiam, qui publice diffamatum sententia judicis in uno loco, diffamat in alio quo verisimiliter notitia ejus criminis non esset perventura.

Cæterum dicere, ut quidam dixerunt, quod correptio fraterna semper melius fiat per prælatum quam per socium, videtur erroneum et injuriosum doctrinæ Christi, atque aperte contra S. Thomam superius citatum. Item, dicere quod nulla communitas possit alio modo bene gubernari, videtur pariter injuriosum Christo et contra jus naturale.

Inst. 2° Inquisitores suis edictis præcipiunt ut peccata quæ in eis continentur statim ipsis denuntientur ante communicationem cum aliquo; consequenter sine admonitione secreta. Ergo.

R. perpetrantes crimina in edictis inquisitorum contenta, esse perditissimos homines de quibus vix haberi potest spes emendæ per privatam correptionem.

§ II. — *Utrum inductio testium debeat præcedere denuntiationem?*

Q. 33. a. 8. ad 1. — Quidam dixerunt quod post privatam correptionem infructuosam, si peccatum fratris non sit ita occultum quin innotescat aliis quam corripienti, hi possint induci in testes; sed si sit omnino occultum, non esse ulterius procedendum. *Contra quos*

Ib. o. et ad 1. — *Dico.* Si post pluries adhibitam infructuose admonitionem secretam, sit spes quod ulterius procedere, adhibendo testes, deinde denuntiando prælato, ut patri, quantumvis peccatum sit occultum. Si vero non sit spes quod alterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum.

Ib. in a. s. c. — *Prob. prima pars.* 1° Quia Christus statuens ordinem correptionis fraternæ, loquitur de peccato occulto, et soli corripienti noto: ergo. *Prob. ant.* Pro primo gradu statuit ut frater fratrem solus corriperet: atqui si peccatum esset alteri notum, non esset cur prohiberetur ne illi duo primum fraterne corriperent delinquentem: unde S. Aug. Serm. 16 de verbis Domini: *Peccavit in te frater tuus, si tu solus nosti.* Ergo.

2° Ex charitate tenemur consulere famæ et saluti proximi, magis tamen saluti quam famæ, si utraque haberi non possit: si ergo inductio testium aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famæ detrimentum ex adhibitione testium, aut ex denuntiatione facta prælato tanquam patri, ut salus obtineatur, sicut prudens medicus pro conservatione vitæ totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Auctore.

Prob. secunda pars. Correptio fraterna et totus ejus processus ordinantur ad bonum et emendationem fratris delinquentis tanquam ad finem; cessante autem fine, cessant media ad illum: ergo, si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium et ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Ibidem ad 1. — *Dixi* in conclusione 1°, *post admonitionem secretam pluries iteratam;* quia, quamdiu spes est proficiendi per correptionem privatam, non oportet procedere ad inductionem testium, sed iterari debet correptio privata: similiter inductio testium debet non semel tantum, sed pluries fieri quamdiu est spes eam profuturam, nisi ex dilatione inductionis testium aut

denuntiationis, esset periculum ne delinquens iterum peccaret.

Dixi 2°, *deinde denuntiando prælato ut patri*, quia si peccatum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale quod bonum commune exigat deferri ad judicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica prælato ut judici, sed tantum ut patri; nec potest prælatus cui istud peccatum per viam correptionis fraternæ innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica aut alia pœna diffamante punire; quia et ipsa correptio fraterna et totus ejus ordo atque processus ad solum bonum et emendationem fratris ordinatur; processus autem judicialis ad bonum duntaxat commune et publicum. Adde quod frater per suum peccatum occultum non amisit jus ad famam, neque ejus aut reipublicæ bonum exigit ut diffametur. Ergo.

Nec obstat quod id quod denuntiatur in fraterna correptione prælato, juxta Auctorem hic ad 4, *dicatur ei tanquam Ecclesiæ, id est, sicut in loco judicis residenti* : prælatus enim, ut bene observat Serra, residens in loco judicis, habet rationem judicis et patris : judicis, *patet* cum resideat in loco judicis; patris autem, colligitur ex S. Augustino dicente in regula, *præposito tanquam patri obediatur;* est autem ipsi obediendum, non ut particulari personæ, sed ut sedenti in loco superiori, nempe judicis. Sub utraque ratione est superior et habet auctoritatem corrigendi et puniendi, sed diverso modo, ut judex respiciendo bonum publicum, ut pater respiciendo bonum filiorum et subditorum. Prælato ergo ut patri subditus delinquens fraterne est denuntiandus, sic ut prælatus non possit ipsum excommunicatione publica aut aliis pœnis juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore et testibus seu paucis viris gravibus, ipsum corripere et moderatis pœnis privatis, ut flagellatione, jejunio et similibus castigare, ipsique prohibere sub pœna excommunicationis ne in tale peccatum relabatur; quod si non obtemperet, erit excommunicatus atque ita sicut ethnicus et publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim; neque poterit denuntiari ut talis, quamdiu peccatum manebit occultum.

Dices 1° *contra conclus* Nemo habet jus alterum diffamandi, et si pro ejus bono spirituali; sicut nemo habet jus surripiendi alienum, et si pro ejus bono spirituali. Ergo.

R. 1° *N. suppositum ant.* Revelatio enim criminis alterius ex juxta causa non est diffamatio formalis: pro quo vide dissert. 15 de Justitia, a. 2, § 3. *Ad probationem* disparitas est, quod bonum alienum ex natura sua ipsi non noceat; at ejus fama seu crimen occultum in casu ipsi nocet. Adde quod ista probatio universaliter sumpta non ipsi sit vera : si namque dives decumbens non vellet ex avaritia emere medicinam communem sine qua est moriturus, possem illi surripere pecuniam ad comparandam hanc medicinam.

Dices 2° Non videtur quo fine et fructu adhibhentur testes qui non sunt criminis conscii. Ergo.

Ib. ad 3. et in 4. d. 19. q. 2. a. ult. q. 2. ad 1. et 3. — *R.* testes induci ad plura : 1° ut si reus dubitet aut neget esse peccatum de quo corripitur, a testibus possit convinci; 2° ut, si factum neget, testes eum observent, et postea convincant si relabatur : neque ideo dicendi sunt exploratores vitæ alienæ; is enim non dicitur explorator vitæ alterius, prout prohibetur Proverb. 14, qui cum ejus peccati sit jam conscius, observat eum ut emendetur; 3° ut cum facienda erit denuntiatio apud prælatum, denuntians possit probare se servasse ordinem correptionis fraternæ; 4° tandem ut testes simul cum corripiente hortentur efficacius fratrem ad emendationem.

Ex dictis hucusque colliges ordinem correptionis fraternæ esse non solum juris divini positivi, sed etiam naturalis : quia lex naturalis dictat ut subveniamus proximo in necessitate sicut vellemus nobis subveniri, id est, modo suaviori et cum minori detrimento : sic autem fit secundum ordinem correptionis fraternæ. Primo corripitur frater privatim et amice, non semel, sed pluries, quamdiu spes est hac via proficiendi; si ista correptio nihil prosit, adhibentur unus vel duo qui prodesse possunt, non obesse : si nec sic habetur emendatio, quid restat nisi dicatur Ecclesiæ, id est, prælato ut patri, qui non judicialiter sed paterne corripiat delinquentem et pœnis moderatis coerceat? Reducitur autem hoc præceptum ad præceptum de honoratione parentum, *ut dictum est supra* de eleemosyna.

DISSERTATIO VII.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

D. Th. a Q. 34 ad 43.

Vitia charitati opposita sunt, juxta Auctorem quæstionibus citatis, odium Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni; acedia, quæ opponitur gaudio de bono proximi; discordia, quæ opponitur effectui charitatis qui ex pax; contentio, quæ opponitur paci quantum ad locutionem; schisma, bellum, rixa et seditio, quæ opponuntur paci quantum ad opus, et scandalum, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. De his omnibus plus aut minus, secundum majorem vel minorem materiæ necessitatem, dicemus in hac dissertatione.

ARTICULUS I.

De odio Dei et proximi, per quæstiunculas.

Petes 1° quid sit odium in communi et quotuplex?

R. Odium in communi est actus seu motus voluntatis quo quis malevole fertur in aliquid. Est duplex: odium abominationis et odium inimicitiæ. Odium abominationis est, quo aversamur aliquid ut nobis malum et disconveniens. Odium inimicitiæ est, quo volumus alicui malum ut illi male sit: unde istud odium non tam est aversio quam prosecutio alicujus quod apprehendimus ut nobis bonum et alteri malum.

Odium abominationis opponitur amori concupiscentiæ; quia, sicut amore concupiscentiæ volumus nobis bonum, sic odio abominationis aversamur nobis malum. Odium inimicitiæ opponitur amori amicitiæ; quia, sicut amore amicitiæ volumus alteri bonum ut illi bene sit, sic odio inimicitiæ volumus alteri malum ut illi male sit. Hoc ultimum sæpe nascitur ex primo; ex hoc enim quo aliquem ut nobis displicentem et molestum aversamur, sæpe contingit quod illi male velimus.

Odium abominationis proximi est duplex, scilicet odium abominationis ipsius personæ, quo ipsam secundum se, quantum ad naturam vel gratiam, velut malum displicens, aversamur; et est semper malum. Aliud est odium abominationis qualitatis proximi, et istud est aliquando malum, aliquando bonum: si sit de bonis qualitatebus, est malum; si de malis, est bonum.

Petes 2° utrum Deus possit odio haberi?

Hic q. 34. a. 1. o. — *R.* 1° Deus non potest odio haberi a beato qui videt illum clare per essentiam; quia Deus per essentiam suam est ipsa bonitas: ergo qui videt illum clare per essentiam, nullam potest apprehendere in eo rationem mali quam odio habeat.

Ibid. — *R.* 2° Deus potest odio haberi a viatore qui non videt eum clare per essentiam, sed obscure tantum per effectus; quia viator potest Deum apprehendere ratione quorumdam effectuum ut sibi malum et disconvenientem, puta, quatenus prohibet ea ad quæ natura corrupta inclinat, aut punit transgressiones legum, sicque ab eo ut malo et disconvenienti aversari, et velle affectu scilicet simplici et inefficaci illi malum; ut quod careat esse seu suis perfectionibus, quod non sit omnipotens, omniscius, justus, etc. Hinc S. Scriptura, Num. 10: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua*, Deuteron. 32: *His qui oderunt me retribuam;* Psal. 73: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper;* Joan. 15: *Oderunt me et Patrem meum.*

Si dicas inde probari effectus peccatori disconvenientes equidem ab ipso haberi odio, at non Deum secundum se: *R. N. assumptum.* Quamvis enim effectus peccatori disconvenientes sint ratio motiva odii, Deus tamen secundum se ut auctor horum effectuum potest esse objectum terminativum odii, *ut patet* ex locis citatis S. Scripturæ. sicut, cum homo hominem odit propter ejus defectus, quamvis substantia hominis non sit ratio motiva odii, sed isti defectus, attamen ille homo odio habetur. Est autem hæc differentia quod illi effectus nobis disconvenientes non sint in Deo, et defectus proximi sint in ipso.

Ib. a. 2. ad 3. — Cæterum non quicumque odit pœnas odit Deum pœnarum auctorem: nam multi odiunt pœnas, qui tamen eas patienter ferunt ex reverentia divinæ justitiæ. Unde et S. Aug. l. 10 Confess. c. 28, dicit quod mala pœnalia Deus tolerari jubet, non amari; sed prorumpere in odium Dei punientis, hoc est, habere odio ipsam Dei justitiam, gravissimum peccatum.

Petes 3°. utrum odium Dei sit omnium peccatorum maximum?

Ibid. o. — *R.* Odium Dei est ex genere suo peccatorum maximum : 1° quia optimo opponitur pessimum : atqui odium Dei opponitur charitati seu dilectioni Dei, in qua consistit optimum hominis : ergo ; 2° quia ratio culpæ consistit in voluntaria aversione a Deo : atqui ista aversio a Deo est potior et major in odio quam in aliis peccatis : ergo. *Prob. min.* Id quod est per se et directe intentum, est potius eo quod est secundum aliud et indirecte intentum : atqui aversio a Deo per se et directe importatur in odio Dei, cum per illud voluntas per se et ex intentione expressa et formali ab eo avertatur ; in aliis autem peccatis ista aversio importatur quasi participatione tantum, indirecte et secundum aliud, quatenus voluntas aliquid inordinate amans illud præfert Deo, et sic ab illo avertitur : v. g. cum aliquis fornicatur, non avertitur a Deo per se directe et ex intentione, sed indirecte et secundum aliud, in quantum appetit inordinatam delectionem cui annexa est aversio a Deo.

Hinc inferes odium Dei formale et expressum de quo loquimur, sive sit abominationis, sive inimicitiæ, esse peccatum speciale exprimendum in confessione ; secus odium quod participative tantum et indirecte importatur in aliis peccatis, quia non est proprie odium, sed secundum aliud, et est circumstantia generalis omnis peccati mortalis.

Dices. Gravissimum peccatum est peccatum in Spiritum sanctum quod est irremissibile, ut dicitur Matth. 12, 1 : atqui odium Dei non computatur inter peccata in Spiritum sanctum : ergo.

Ibid. ad 1. — *R.* odium Dei esse speciale peccatum in Spiritum sanctum ; quia dicitur speciale peccatum in Spiritum sanctum quod quis sciens et volens ex contemptu committit, atque abjicit ea per quæ peccatum potest impediri vel tolli ; hæc autem reperiuntur in odio Dei, *ut patet :* non tamen numeratur inter peccata in Spiritum sanctum, quia ejus malitia participatur et reperitur in omnibus aliis peccatis in Spiritum sanctum, *ut etiam patet.*

Petes 4° utrum odium proximi sit peccatum, et quantum?

Ibid. a 3. o. — *R.* Odium proximi, sive abominationis sive inimicitiæ, est ex genere suo peccatum mortale ; quia directe contrariatur charitati quæ est vita animæ, charitate autem tenemur diligere proximum secundum id quod habet a Deo, id est, secundum naturam et gratiam. Ergo adversari proximo secundum naturam et gratiam et ipsi malum velle, est ex suo genere peccatum mortale. Plura vide in dictis de dilectione inimicorum.

Potest tamen utrumque fieri veniale non solum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiæ : odium inimitiæ, si leve malum optetur proximo ; odium abominationis raro est mortale ; quia simplex displicentia personæ creatæ multis defectibus subjectæ et propter illos, sine mali imprecatione, non videtur tanta inordinatio, nisi talis sit ut quis recuset veniam petenti, vel communia charitatis officia, aut nisi sit causa gravis scandali, vel duret, dum urget præceptum diligendi proximum.

Dices. Christus, Luc. 14, dicit : *Si quis venit ad me et non odit patrem et matrem, non potest meus esse discipulus.* Ergo.

Ibid. ad 1. — *R.* vel sermonem esse de parentibus quatenus impedimentum nobis præstant accedendi ad Deum, qua ratione sunt peccatores et inimici, ideoque sub hac ratione odio habendi, juxta illud Davidis : *Iniquos odio habui ;* vel *odisse* ibi sumitur pro postponere seu relinquere, ita ut sensus sit : Et non reliquerit patrem et matrem ut me sequatur.

Ex his colliges 1° nunquam esse licitum optare proximo malum sub ratione mali, secus sub ratione boni, si bonum speratum præponderet malo optato : ut optare mortem sicariis, prædonibus, hæreticis, ne amplius noceant bono communi vel religioni ; optare infirmitatem, paupertatem, etc., peccatori ut convertatur. Cavendum tamen ne, sub pallio melioris boni, virus odii aut vindictæ lateat. Et quia vita hominis innocentis præponderat bonis fortunæ alicujus particularis, jure damnatæ sunt ab Innocentio XI sequentes propositiones : *Prima.* « Si » cum debita moderationes facias, potes » absque peccato mortali tristari de vita ali- » cujus et de illius morte naturali gaudere, » illam inefficaci affectu petere et desiderare, » non quidem ex displicentia personæ, sed » ob temporale aliquod emolumentum. » Est 13. *Secunda.* « Licitum est absoluto de- » siderio cupere mortem patris, non quidem

» ut malum patris, sed ut bonum cupientis ; » quia nimirum ei obventura est pinguis » hæreditas ; » est 14. *Tertia :* « Licitum est » filio gaudere de parricidio parentis a se in » ebrietate perpetrato, propter ingentes di- » vitias inde ex hæreditate consecutas ; » est 15. De his latius vide dissert. 15 de Justitia, a. 4, de maledictione.

Colliges 2° aliquem posse sibi optare mortem, ut fruatur Deo, ut ipsum amplius non offendat. Sed quid de illo qui sibi optaret mortem ut liberaretur a miseriis hujus vitæ? *R.* id per se illicitum ; quia mors est omnium malorum hujus vitæ terribilius. Attamen, si quis divinæ voluntati omnino conformis et absque ullo impatientiæ motu optaret finem suis urgentibus miseriis imponi per mortem a Deo, si ita illi placeret, non videretur graviter saltem culpandus, quia istud desiderium, ultra quod sit conditionatum, involvit implicite desiderium melioris vitæ, scilicet æternæ : sic communiter non culpatur qui damnatus ad mortem petit citius occidi, nec qui amico morienti optat breviorem agonem.

Petes 5° utrum odium proximi sit gravissimum peccatorum quæ in proximum committuntur ?

Ibid. a. 4. — *R.* odium proximi, si consideretur ex parte deordinationis peccantis, esse gravissimum peccatorum quæ committuntur contra proximum ; secus, si consideretur ex parte nocumenti proximo illati. *Ratio prioris est*, quia per odium deordinatur per se primo voluntas quæ est potissimum in homine, et a qua actus exteriores habent quod sint peccata. *Ratio posterioris est*, quod actus exteriores, ut furtum, homicidium, etc., majus nocumentum causent proximo quam simplex et internum odium.

Petes 6° utrum omnia odia sint ejusdem speciei ?

R. 1° Odium Dei et odium proximi specie differunt ; quia peccata contra Deum et peccata contra proximum commissa, ratione diversorum objectorum specie differunt. Nec obstat quod hæc duo odia opponantur eidem virtuti, scilicet charitati ; quia eidem virtuti possunt opponi diversa specie peccata, ut fidei variæ species infidelitatis, spei desperatio et præsumptio : et ratio est, quia pluribus modis contingit a bono deficere.

R. 2° Non omnia odia proximi sunt ejusdem speciei ; quia, licet, si considerentur præcise ratione objecti communis quod est malum proximi ut malum proximi est, possint dici ejusdem speciei propter unam rationem formalem talis objecti ; si tamen considerentur tum ex parte motivi, tum ex parte diversorum malorum in quæ feruntur, sunt diversæ speciei. Sic odisse proximum quia est creatura Dei, et odisse proximum quia damnum intulit, sunt duo odia specie distincta propter distinctum motivum seu distinctum objectum formale *quo*. Similiter optare proximo mortem et optare bonorum spoliationem, sunt odia specie distincta propter distinctas specie difformitates quas includunt et imperant ; sicut enim reipsa occidere et furari sunt distincta specie peccata, ita velle ex odio occidere et furari ; adeoque in confessione explicanda.

ARTICULUS II.

De acedia, invidia, discordia, contentione et schismate.

ACEDIA.

Hic q. 35. a. 1. o. — Acedia, secundum Damascenum, est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum ut nihil agere libeat, sicut ea quæ sunt acida etiam frigida sunt : et ideo acedia importat quoddam tædium operandi. A quibusdam dicitur torpor mentis bona negligentis inchoare. Sumitur autem a theologis pro tædio seu tristitia de bono spirituali : unde *patet* quod sit peccatum tam secundum se, cum de bono spirituali sit gaudendum, quam secundum effectum, quatenus retrahit hominem a bonis operibus.

Ibid. a. 2. o. — Acedia, prout est tristitia de bono spirituali communiter sumpto, non est speciale vitium, sed circumstantia omnis vitii ; quia omne vitium refugit spirituale bonum virtutis oppositæ. Similiter non est speciale vitium quatenus refugit spirituale bonum, prout est laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis ejus impeditivum ; quia hoc etiam commune est vitiis carnalibus quibus aliquis quietem et delectationem corporis quærit. Sed est speciale peccatum, quatenus est tædium de bono

divino ad nos pertinente apprehenso ut malo proprio : ut si quis tristetur de amicitia Dei, de beatitudine sibi proposita, aut de mediis ad Dei amicitiam et beatitudinem necessariis, ut de sacramentis, de divinis præceptis, de bonis operibus, quatenus sunt ad Dei amicitiam et beatitudinem necessaria.

Ibid. a. 3. o. — Hac ratione, acedia est peccatum mortale ex suo genere quia contrariatur charitati per quam habetur vita spiritualis; proprius enim effectus charitatis est gaudium de Deo; acedia est tristitia de bono divino ad nos pertinente, *ut dictum est.*

Ibid. a. 4. o. et ad 2. — Est vitium capitale; quia ex acedia profluunt plura vitis; inducitur enim homo ad plura peccata, vel ut tristitiam fugiat, vel ut illi satisfaciat. Sed ejus filias assignat S. Greg. 31 Moral., scilicet malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, evagationem mentis circa illicita, de quibus vide auctorem, hic a. 4, ad 1.

Ibid. a. 1. ad 4. — Acedia vincenda est resistendo et impugnando; e contra peccata carnis sunt vincenda fugiendo, quia in peccatis carnis continua cogitatio auget peccati incentivum; in acedia vero continua cogitatio de bonis divinis reddit ea magis placentia, ex quo cessat accedia.

INVIDIA.

Hic q. 36, a. 1. o. — Invidia est tristitia de bono alieno estimato ut malo proprio, quatenus est diminutivum propriæ gloriæ et excellentiæ.

Ibid. ad 2. 3 et 4. — Est peccatum, quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. Est peccatum ex genere suo mortale; quia contrariatur charitati : potest tamen esse veniale tum ex indeliberatione actus, tum ex levitate materiæ, si sit de exiguo bono proximi. Est vitium capitale, quia ex ea oriuntur plura peccata, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis. Vide Auctorem, a. 4, ad 3.

DISCORDIA.

Hic q. 37. a. 1. o. — Discordia generaliter sumpta, est dissensio voluntatum aut judiciorum. Discordia de qua hic agimus et prout opponitur charitati, est dissensio voluntatem circa bonum divinum vel proximi, in quo tenemur ex charitate consentire; quia, si non teneamur consentire, ut in opera supererogationis, non est peccatum; et si non teneamur consentire ex charitate, sed ex alia virtute, non erit contra charitatem, sed contra illam aliam virtutem : sic dissentire a voluntate superioris præcipientis, est contra obedientiam; dissentire a voluntate creditoris exigentis debitum, est contra justitiam.

Ibid. — Dupliciter contingit discordia, per se et per accidens : per se, quando quis scienter et ex intentione dissentit a bono divino et proximi in quod debet consentire ex charitate; et sic est peccatum mortale ex genere propter contrarietatem ad charitatem : per accidens, quando intentio aliquorum est ad bonum quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem; et talis discordia quæ potius est judiciorum quam voluntatum, non est peccatum nec repugnat charitati, nisi sit cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebite adhibeatur.

CONTENTIO.

Hic q. 38. a. 1. o. — Contentio generaliter sumpta, est pugna verborum; sicut enim discordia importat contrarietatem voluntatum, sic contentio importat contrarietatem verborum. Specialiter autem prout hic sumitur, definitur a S. Ambrosio : *Impugnatio veritatis cum confidentia clamoris;* intellige veritatem quam quis novit aut potest ac debet noscere, ut in hæreticis : intellige etiam impugnationem veritatis ex animo, non exercitii aut examinis causa.

Ibid. — Est ex genere peccatum mortale; tum quia Apost. 2 Timoth. 2, dicit : *Noli verbis contendere,* et Galat. 5 contentionem numerat inter opera carnis, quæ qui agunt *regnum Dei non possidebunt;* tum quia contrariatur charitati, quatenus contrariatur paci quæ est effectus charitatis. Ex duplici autem capite est peccatum : 1° ex parte objecti, scilicet veritatis quæ impugnatur, 2° ex parte modi, quatenus non servatur in verbis moderatio secundum convenientiam personarum et negotiorum.

Ibid. — Si ergo contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, non est peccatum, sed opus laudabile. Si sit cum inordinato modo, erit peccatum veniale, nisi sit tanta inordinatio in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum; ut si contendentes erumpant in verba injuriosa.

SCHISMA.

Hic q. 39. a. 1. o. — Schisma græce, latine scissio, ex usu recepto apud scriptores ecclesiasticos, sumitur pro speciali peccato quod definitur : *Voluntaria separatio sui ipsius ab unitate Ecclesiæ :* unitas autem Ecclesiæ in duobus potissimum attenditur, scilicet in connexione seu communicatione membrorum Ecclesiæ ad invicem, et in ordine omnium membrorum ad unum caput, quod est ipse Christus cujus vicem gerit in Ecclesia summus pontifex.

Unde triplici modo potest quis fieri schismaticus, se separando 1° a capite, 2° a membris, 3° a capite et membris simul.

Primo modo sunt schismatici qui renuunt subesse Romano pontifici ut tali, se ab illius obedientia separando. Dico, *pontifici ut tali;* quia non esset schismaticus qui renueret subesse pontifici ut est homo privatus, ex odio v. g. vel propter aliquam ipsius personæ qualitatem, aut nollet illi obedire in aliquo præcepto, puta jejunii, vel restitutionis ob ejus difficultatem; his enim non obstantibus, potest illum agnoscere ut Christi vicarium et illi subesse quantum ad definitiones fidei et morum : sic qui sunt inobedientes suis superioribus, non ideo non agnoscunt eos pro superioribus.

Secundo modo sunt schismatici qui recusant communicare cum catholicis in rebus fidei et religionis. Cum enim membra et caput sine inter se connexa, qui se expresse separat a membris implicite se separat etiam a capite, et e contra. Tertio modo sunt schismatici qui se expresse separant a Romano pontifice ut tali et ab his qui illi adhærent.

Ibid. — *Ex quibus sequitur* schisma esse peccatum speciale et mortale ex genere; quia contrariatur Ecclesiæ unitati quam facit charitas, quæ non solum unam personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Quamvis ergo peccatores nec Deum nec proximum ex charitate diligant, quamdiu tamen retinent amorem societatis ecclesiasticæ, eumdemque spiritum concordiæ, ita ut nec communem Ecclesiæ pacem turbare, nec unitatem scindere veliut, non sunt schismatici.

Si dicas Ecclesiam non posse non esse unam, cum unitas sit ejus nota : ergo schismaticus non rumpit unitatem Ecclesiæ : *R.* non equidem rumpere unitatem Ecclesiæ hoc sensu quod Ecclesia desinat esse una, sed rumpit quantum est ex se et affectu, nec affectu solum, sed etiam aliquo modo effectu, quatenus partes sibi adhærentes et prius Ecclesiæ unitas ipse ab ea separat.

Petes in quo differant schisma et hæresis ?

Ibid. ad 3. — *R.* differre secundum ea quibus utrumque per se et directe opponitur. Hæresis per se opponitur fidei et habet falsum dogma; schisma opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis, etiam sine falso dogmate : unde, sicut fides et charitas sunt distinctæ virtutes, ita hæresis et schisma sunt distincta vitia. Equidem schisma non est absque sententiarum diversitate, sed non est necesse quod ista sententiarum diversitas sit in rebus fidei; et ideo potest quis credere Ecclesiam esse unam et tamen velle se ab ejus unitate separare. Similiter potest credere Romanum pontificem esse caput Ecclesiæ et tamen nolle illi subesse. Fatendum tamen schisma esse viam ad hæresim, et quamvis in principio possit intelligi diversum ab hæresi, nullum tamen est schisma quod tandem non sibi aliquam hæresim confingat, ut rite ab Ecclesia recessisse videatur.

Schismatici non secus ac hæretici excommunicantur excommunicatione majori reservata papæ in bulla *Cœnæ* et alibi. Utrum schismatici retineant potestatem jurisdictionis ? *R.* schismaticos occultos retinere, non manifestos; quia hoc ipso quo se manifeste ab Ecclesia separant, censentur renuntiare jurisdictioni quam ab illa acceperant. Pro quo vide plura quæ dixi dissert. 4 de Fide, art. 3, § 3.

ARTICULUS III.

De bello.

Bellum, secundum aliquos, dicitur per antiphrasim, quia est minime bellum. Secundum alios, dicitur bellum a belluis;

quia bellantes sæpe belluarum feritatem imitantur. Definiri potest: *Congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios*, per quod distinguitur a duello quod est congressio unius contra unum.

Duplex est, defensivum, quod est ad propulsandam injuriam inferendam, et offensivum, quod est ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata.

§ I. — *Utrum bellare sit semper peccatum?*

Esse semper peccatum dogmatizarunt olim Manichæi, ex S. Augustino l. 22 contra Faustum, cap. 74; deinde Wiclefistæ, teste Waldensi. Lutherus autem existimavit pugnare contra Turcas esse contradicere Deo volenti per illos peccata nostra punire. Erasmus contendit omne bellum esse christianis interdictum. Contra quos

Hic q. 40. a. 1. o. — *Dico.* Bellare non est per se malum, sed positis tribus conditionibus, scilicet legitima auctoritate indicendi bellum, justa causa et recta intentione, est licitum.

Prob. 1° *ex S. Scriptura.* In lege naturæ Abraham, Genes. 14, cum trecentis octodecim vernaculis suis bellum gessit adversus quatuor reges qui Loth nepotem suum tulerant cum omni ejus substantia, et illi revertenti a cæde quatuor regum benedixit Melchisedech, sacerdos Dei summi.

In lege scripta sæpe Deus jussit aut probavit bellum, Exod. 17; Num. 21 et 25; Deuter. 7; 1 Reg. 15; 2 Reg. 8; Josue 1, 6, 8, 10, et alibi sæpe.

Ib. in a. s. c. — In lege nova, Luc. 3, militibus quærentibus quid facerent ut fugerent venturam iram quam Joannes Baptista peccatoribus intentabat, non jussit S. Præcursor militiam deserere, sed ea bene uti: *Neminem*, inquit, *concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris*, quibus verbis tacite approbat bellum. Unde S. Aug. Epist. 5 ad Marcellinum super hæc verba, scribit: «Si christiana disciplina omnino bella culparet hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur ut abjicerent arma seque militiæ omnino subtraherent; dictum est autem eis: *Neminem concutiatis, estote contenti stipendiis vestris;* quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare non prohibuit.»

Christus, Matth. 8, laudavit fidem centurionis qui habebat sub se milites; militiam autem deserere non jussit. Act. 10, Cornelius, centurio cohortis quæ dicitur Italica, laudatur ut vir religiosus et timens Deum.

Apost. Hebr. 11, laudat Gedeonem, Barac, Samsonem et alios qui *per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.*

Idem docent SS. Patres, Ambros. lib. 1 de Offic. c. 40; Aug. loco citato et Epist. 50 ad Bonifacium comitem; Greg. lib. 1 Epist. 72; Bernard. Sermone ad milites Templi, cap. 3.

Confir. ex usu Ecclesiæ quæ in pluribus conciliis decrevit bellum pro recuperatione Terræ Sanctæ; et ex victoriis quas singulari Dei providentia fideles reportarunt de infidelibus; inter plures nota est insignis victoria quam de Turcis reportavit Joannes Austriacus, anno 1571, sub pontificatu S. Pii cui fuit revelata.

Prob. ratibne. Lege naturæ licet vim vi repellere: ergo bellum defensivum est licitum. Quantum ad offensivum: privatus injuriam aut damnum passus, potest petere satisfactionem aut restitutionem: ergo similiter potest respublica. *Subsumo.* Atqui aliquando satisfactio seu restitutio haberi aliter non potest quam armis, puta, si injuriantes aut damnificantes requisiti nolint satisfacere seu restituere, nec habeant superiorem qui illos velit aut possit compellere ad satisfaciendum seu restituendum. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *ex S. Scriptura.* Isai. 2, prædicitur quod in adventu Christi omnia bella cessabunt; Matth. 26, dicitur: *Qui acceperint gladium, gladio peribunt;* Matth. 5: *Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram;* Apost. Rom. 12: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus;* 2 Cor. 10: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* Ergo.

R. ad primum, sensum esse tempore nativitatis Christi pacem ubique fore, quod revera adimpletum est; non autem puod ista pax foret perpetua.

Ibidem ad 1. — *Ad secundum.* tur accipere gladium qui nulla

legitima, vel jubente, vel concedente, armatur in alicujus sanguinem. Qui vero auctoritate reipublicæ, vel supremi principis, si sit persona privata, vel auctoritate Dei, si sit ipse supremus princeps, gladio utitur, non accipit gladium, sed ab alio sibi commisso utitur. Neque tamen etiam illi qui cum peccato gladio utuntur semper gladio materiali occiduntur; sed ipsi suo gladio pereunt, quatenus pro peccato gladii æternaliter puniuntur, si non pœniteant.

Ib. ad 2. — *Ad tertium.* Secundum S. August. lib. 1 de Serm. Dom. in Monte, c. 34, 35 et 36, hoc Christi præceptum est servandum in præparatione animi, ut scilicet semper homo sit paratus non resistere malo, sed ulteriorem injuriam sufferre, si opus sit pro Dei honore et salute proximi: unde Christus, Joan. 18, percussus a servo summi pontificis; alteram maxillam non præbuit, sed ratione se defendit, et tamen præceptum perfecte adimplevit. Alii dicunt his verbis nihil aliud præcipi quam ut patienter feramus injurias, nec privata auctoritate ulciscamur. Secundum alios, hæc verba important tantum consilium, quod tamen consilium intelligendum est, nisi injurians ex nostra patientia fiat pejor.

Ad quartum. Apostolus loquitur de injuriarum ultione privata auctoritate. *Ad quintum.* Loquitur de armis quibus utebatur ad conversionem infidelium et peccatorum, quæ non erant carnalia, sed spiritualia, quibus Deus conferebat virtutem.

Obj. 2° *ex Patribus.* Can. 11 concilii Nicæni, indicitur pœnitentia decem annorum iis qui ad militiam redeunt. Basil. Epist. ad Amphiloch. can. 13, dicit eis qui in bello aliquem occiderunt, abstinendum esse a communione per trienninm. S. Martinus dixit Juliano: *Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet*, ut refert Sulpitius in ejus vita, c. 3. Ergo.

R. ad primum, de quo jam alibi diximus, hunc canonem, si non sit interpolatus, intelligendum esse de iis qui redibant ad militiam idololatriæ conjunctam; vel de iis qui, cum deposito militiæ cingulo stadium pœnitentiæ decurrebant, victi laboriosis operibus pœnitentiæ, illam deserebant, et reassumpto militiæ cingulo, ad priora crimina revertebantur. Dixi, *si iste canon non non sit interpolatus*: quia acta Nicænæ synodi, partim injuria temporis, partim fraude Arianorum in aliquibus sunt adulterata: unde iste canon 11 de quo agitur, ex Arabico sic legitur: *Si hoc tempore pœnitentiæ ad vomitum redeant, et rursus agnoscant peccatum suum, debent agere pœnitentiam decem annis*; ubi nihil de militia.

Ad secundum. S. Basilius id non præcipit, sed consulit tantum subdubitando: *Recte*, inquit, *forte habet consulere*, quia nempe propter sanguinis effusionem minus apti rebus divinis videbantur. Iste autem Basilii canon non fuit usu receptus, quia alioquin milites nunquam essent sacramentorum participes.

Ad tertium. S. Martinus sic locutus est, quia erat miles Christi non solum per baptisma, sed etiam per professionem religiosam; ut enim colligitur ex Sulpitio, jam tunc erat monachus, vel ad monachatum voto adstrictus; hocque votum licite emiserat S. Martinus, quia non tenebatur amplius militare; meruerat enim viginti quatuor stipendia: iis autem qui viginti quatuor stipendia meruerant, jure Romano concedebatur honesta dimissio. *Respondent alii* S. Martinum detrectasse militiam quia indignum christiano ducebat militare sub imperatore impio et apostata, qualis erat Julianus. Cæterum certum est S. Martinum non existimasse militiam esse illicitam christiano, siquidem ipse ferme biennio post susceptum baptisma militaverit, ut refert Sulpitius, c. 2.

Plures aliæ Patrum auctoritates opponuntur quæ sunt intelligendæ vel de iis quibus militia erat occasio peccandi, vel de iis qui pœnitentiam publicam susceperant, quibus prohibitum erat per canones redire ad militiam, non quod esset per se mala, sed propter periculum relabendi et efficaciorem scandalorum reparationem; vel intelligendæ sunt, non ut damnantes militiam, sed ut quod perfectius est consulentes.

Obj. 3° Bellum contrariatur paci, quæ est effectus charitatis; et ideo Auctor recenset bellum inter vitia opposita charitati. Ergo.

Ib. ad 3. — *R. D. ant.* Bellum contrariatur paci secundum quid, *C.* quamdiu enim bellum geritur, non est pax; simpliciter et absolute, *N.* Bellum enim justum est via ad pacem: unde commune adagium: *Si vis pacem, para bellum*; et S. Aug. Epist. ad Bonifacium: *Bellum geritur ut pax acqui-*

ratur, addit : *Esto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Itaque, sicut medicina non dicitur contraria sanitati licet ad tempus illam lædat, quia assumitur ut medium ad sanitatem, ita bellum respectu pacis : bellum autem quod numeratur inter vitia opposita charitati, est bellum injustum.

Inst. Ex bello multa peccata et mala sequuntur, ex innocentibus. Ergo.

R. D. ant. Ex bello multa peccata sequuntur per se et ex natura belli, *N.* per accidens et ex malitia militantium, *C.* Atque hinc sequitur quod bellum non sit suscipiendum nisi urgente necessitate, at non quod sit secundum se illicitum.

Petes utrum exercitia bellica quæ fiunt in torneamentis et agitationibus taurorum aut aliarum bestiarum ferocium contra homines sint licita ! Torneamentum dicitur pugna hominis contra hominem etiam armis offensivis ad experimentum dexteritatis et virium.

Ib. ad 4. — *R. negative.* Quia sæpe contingit in eis aliquem occidi vel graviter lædi; unde ea jam prohibita in concilio Lateranensi S. Pius V severius prohibuit sub gravibus censuris. Quidam tamen existimant probabiliter ea licere, si talis adhibeatur cautela ut certum sit moraliter nullius mortem aut gravem læsionem secuturam. Quantum ad censuras a Pio V latas, Clemens VIII eas sustulit quoad sæculares, positis duabus conditionibus : prima, ut non fierent diebus festis ; secunda, ut provideretur quod nullius mors sequeretur.

§ II. — *Expenduntur tres assignatæ conditiones ad bellum justum.*

LEGITIMA AUCTORITAS.

Ibid. o. — *Dico.* Auctoritas requisita ad indicendum bellum offensivum debet esse suprema, quæ nullam aliam in temporalibus superiorem agnoscat, qualem habent imperatores, reges, quidam duces, reipublicæ independentes, ut Veneta, Helvetica, etc. 1° Quia quicumque habet superiorem potest apud ipsum prosequi jus suum : bellum autem moveri non potest, nisi quando non est alia via jus suum prosequendi. 2° Bellum offensivum est actus supremus justitiæ vindicativæ : ergo ad supremum principem pertinet.

Dices Quamvis sit supremus in sua ditione, non est tamen supremus respectu alterius principis contra quem movet bellum : ergo non potest in illum exercere actum justitiæ vindicativæ quæ non exercetur nisi in subditum.

R. D. ant. Non est supremus simpliciter et absolute respectu principis, etc. *C.* secundum quid et quoad hunc casum, *N.* Quia hoc ipso quo inter principes qui non habent superiorem unus offendit alterum, offendens fit offenso subditus, hoc sensu quod offensus possit offendentem punire juxta mensuram injuriæ.

Inferes. Ergo idem erit actor et judex, quod videtur contra jus naturæ.

R. esse quidem contra jus naturæ quod privatus sit actor et judex, quia illi competit alia via expeditior et certior componendi controversiam et jus suum prosequendi, scilicet recurrendo ad superiorem : at non est contra jus naturæ quod persona publica quæ non habet superiorem sit actor et judex, quia non suppetit illi alia via jus suum prosequendi.

Dixi 1°, *ad indicendum bellum offensivum ;* quia ad bellum defensivum, instante periculo, non requiritur auctoritas suprema ; sed principes, duces, comites, magistratus dependentes possunt jure naturæ illud indicere, cum cuique etiam privato liceat vim vi repellere. Intellige, durante periculo et necessitate ; his enim cessantibus, debent vindicandæ injuriæ judicium, potestatem et executionem a supremo principe vel republica independente petere et expectare.

Dixi 2°, *quæ nullum alium in temporalibus superiorem agnoscat ;* quia, licet principes christiani agnoscant auctoritatem summi pontificis sibi superiorem in spiritualibus, cum tamen non sit directe superior quoad temporalia, independenter ab illo possunt indicere bellum.

Petes utrum, si princeps supremus sit negligens in vindicanda injuria, possit princeps inferior aut respublica dependens bellum aggressivum indicere ad illam vindicandam ?

R. negative per se loquendo ; quia princeps inferior aut respublica imperfecta se habet ad principem supremum sicut privatus ad superiorem : atqui privatus non potest propria auctoritate jus sibi dicere et aperta vi alterum invadere, etiamsi supo-

rior negligat ei facere jus. Ergo. Adde quod, ut jam dictum est, bellum offensivum indicere sit supremus actus justitiæ vindicativæ, qui non nisi supremo principi competit.

Dixi, *per se loquendo;* quia per accidens, si ex impunitate hostis audacior fieret et inde immineret novum damnum, videtur quod princeps inferior aut respublica defendens posset eum aggredi; quia tunc censeretur aliquo modo bellum defensivum.

CAUSA JUSTA.

Dico generaliter loquendo. Justa causa indicendi bellum offensivum est unica, nempe injuria gravis illata, et non reparata, aut alio modo non reparanda. 1° Quia bellum offensivum est ad vindictam et satisfactionem obtinendam; non est autem locus vindictæ ubi non præcessit injuria, aut est reparata. 2° Princeps non est alteri principi subjectus, nisi fiat illi subjectus inferendo injuriam pro qua non est satisfactum nec satisfieri potest aliter quam per bellum. Ergo. 3° Princeps non habet tantam auctoritatem in extraneos quantam in subditos: atqui non potest animadvertere gladio in subditos, nisi propter injuriam. Ergo.

Dixi 1°, *generaliter loquendo;* quia sub hac unica causa generali plures particulares continentur. Communiter numerantur sequentes: prima, gravis injuria illata principi aut ejus legatis, 2 Reg. 10; secunda, recuperatio provinciæ aut civitatis, alteriusve gravis debiti; tertia, auxilium delatum hosti injusto, 2 Reg. 8; quarta, si qui impediant ne nocentes juste puniantur, Judic. 10; quinta, violatio pacti gravis momenti; sexta, denegatio justi tributi; septima, auxilium præstandum confœderatis justum bellum gerentibus, aut innocentibus injuste vexatis; octava, hæresis aut idololatria propriorum subditorum; nona, si infideles etiam non subditi impediant fidei prædicationem; decima, denegatio transitus innoxii, Num. 21, in quem locum S. Augustinus: « Notandum est, » inquit, quemadmodum justa bella gere» bantur; innoxius enim transitus nega» batur qui jure humanæ societatis æquis» simo patere debebat. » Audis, *transitum innoxium;* quia, si gravia damna ex armatis militibus transeuntibus fundate timeantur, ut sæpe contingit, potest denegari transitus, neque ista denegatio erit justa causa bellum indicendi.

Hinc inferes perniciosissime et damnabiliter errasse et errare qui existimarunt aut existimant amplificationem imperii, gloriam et celebritatem nominis, et ut vulgo dicitur jus convenientiæ, esse justas causas indicendi bellum: *Hoc,* inquit S. Aug. lib. 4 de Civit. c. 6, *quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?*

Dixi 2°, *injuria gravis;* quia foret aperte contra rationem quærere reparationem levis injuriæ vel levis damni per tale medium ex quo tot et tam ingentia mala utrique parti obveniunt; debet autem esse ita gravis, ut præponderet malis ex bello secuturis. Debet enim princeps seu respublica postponere damnum suum minus majori damno totius reipublicæ; sicut bonum privatum est postponendum bono communi. Observandum tamen est injuriam quæ secundum se est levis posse attentis circumstantiis esse gravem, ut si prævideatur quod non repressa sensim augenda sit in gravem, graviorem et gravissimam.

Dixi 3°, *non reparata, aut alio modo non reparanda,* quia si sit reparata, cessat ratio vindictæ; et si alio modo quam bello possit reparari, abstinendum est a bello: quia, cum princeps offendens non sit subditus offenso nisi ratione injuriæ vindicandæ, offensus non potest illam vindicare quando potest aliter habere satisfactionem. Antequam ergo bellum declaretur, tentandæ sunt aliæ viæ satisfactionis; et si offendent offerat plenam satisfactionem, offensus tenetur ex justitia illam acceptare; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit esse licitum.

Utrum vero id etiam sit verum post bellum inchoatum et quando aliqui jam cecederunt ex parte ejus qui justum bellum gerit?

R. affirmative in hypothesi quod satisfactio condigna offeratur, non solum pro injuria illata, sed etiam pro expensis belli; quia eadem est ratio. Equidem plures existimant hypothesim esse moraliter impossibilem; quia, inquiunt, ad condignam satisfactionem omnes qui bellum justum gerenti se opposuerunt, consequenter totus exercitus, deberent tradi in mortem, in quod nunquam consentirent. At id verum est duntaxat de iis qui injuste se opposuo-

runt; potest autem per accidens dari bellum justum ex utraque parte, ut dicemus modo. Et *esto* primores exercitus et etiam alii plures essent conscii injustitiæ belli, sunt etiam ordinarie plures qui penitus ignorant injustitiam belli et bona fide militant, qui ideo non deberent tradi in mortem. Cæterum non diffiteor satisfactionem condignam esse in hoc casu difficilem, et ubi non offerretur, non teneri offensum ex justitia acceptare oblatam; plerumque tamen teneretur ex charitate, quia æquitas naturalis et lex charitatis postulat ut supremus princeps aliquid de summo jure remittat.

Petes 1° utrum si dubia sit justitia belli, bellum sit licitum?

R. 1° Si agatur de reparatione injuriæ, princeps dubius de justitia belli non potest bellum indicere; quia in dubio præsertim tanti momenti, oportet eligere tutiorem partem. Si agatur de possessione recuperanda, in dubio melior est conditio possidentis, et ideo contra illum non potest moveri bellum : si neuter possideat, licet bellum inferre contra illum qui non vult rem dividere pro rata dubii.

R. 2° Qui sunt subditi principi bellum gerenti, jussi possunt et debent inscribi militiæ et inscripti bellare, etiamsi dubitent de justitia belli, formando tamen sibi judicium practicum quod sibi liceat obedire et bellare. Quia 1° superior habet jus certum præcipiendi, neque ob dubium subditi exuitur suo jure : ergo subditus tenetur obedire; sunt enim correlativa jus præcipiendi et obligatio odediendi. 2° Ex denegatione obedientiæ, dum ejus causa manifesta assignari non potest, enervatur auctoritas in superioribus, deperit obedientia in inferioribus, totumque regimen subvertitur : ex his itaque principiis subditus potest formare judicium practicum, quod jussus possit licite bellare. Confer quæ scripsi dissert. 5 de Actibus Humanis, art. 2 sub finem.

R. 3° Qui non sunt subditi principi bellum gerenti, in dubio de justitia belli non possunt militare; quia non militando nemini faciunt injuriam, cum non habeant necessitatem obediendi, sicut subditi de quibus in *resp. præced.*; militando autem exponuntur facere gravem injuriam alteri principi. Eadem omnino videtur ratio de subditis principi belligeranti, si non jussi, sed sua voluntate militent pro stipendio.

Attamen, quia causæ belli sæpe non sunt manifestæ et justitia belli etiam sæpe est obscura etiam ipsis theologis et jurisperitis : *ex hac responsione*, aliunde secundum se vera, *sequeretur* quod omnes ferme milites essent culpandi; quis enim ex illis, sive sint subditi sive non, inquirit de causis et justitia belli? Plures graves auctores existimant quod, si dubium eorum sit tantum negativum, quatenus non habent rationes pro aut contra, et propter principis et ejus consiliariorum probitatem et prudentiam, possint sibi persuadere quod bellum non moverent nisi esset justum, licite militent.

Qui vero sunt parati bellare, sive bellum sit justum, sive injustum, sunt certo in statu damnationis, propter voluntatem bellandi etiam injuste.

Petes 2° utrum bellum possit esse justum ex utraque parte?

R. Bellum per se et ex natura rei non potest esse juxtum ex utraque parte; potest autem per accidens et ex ignorantia : seu, ut alii dicunt, non potest esse justum ex utraque parte materialiter, bene tamen formaliter; quia fieri non potest secundum rei veritatem quod in uno sit jus petendi satisfactionem aut restitutionem, quin sit obligatio in alio satisfaciendi vel restituendi; sunt enim correlativa jus et obligatio : ergo si resistat, injuste resistit; et e contra si juste resistit, alter injuste petit. At vero si unus ignoret jus alterius, non peccat resistendo, et sic per accidens ratione ignorantiæ bellum est justum ex utraque parte.

RECTA INTENTIO.

Dico. Non debet bellum geri nisi ex intentione justitiæ et boni communis : unde S. Aug. Epist. 205 : « Bellum geritur, in» quit, ut pax acquiratur. » Et lib. 22 contra Faustum, cap. 74 : « Nocendi cu» piditas, ulciscendi crudelitas, impaca» tus et implacabilis animus, feritas rebel» landi, libido dominandi, et si qua se» milia : hæc sunt quæ in bellis jure cul» pantur. »

Hæc est autem differentia inter hanc conditionem et duas præcedentes quod, si desint præcedentes, scilicet vel auctoritas, vel justa causa, sit obligatio restituendi; secus si adsint et hæc tertia desit. Secus, si judex legitimus sententiam justam sed ex odio

rerat in aliquem : peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem.

Observandum est tamen quod, qui pugnant sine legitima auctoritate, non teneantur ad restitutionem quatenus res suas injuste ablatas recuperant, sed quatenus damna inferunt. Unde privati milites peccant et ad restitutionem tenentur, si sine consensu expresso vel saltem præsumpto ducis, occidant, incendant, prædas agant, etc.; tunc enim bellum gerunt sine legitima auctoritate.

§ III. — *Quid et quantum liceat in bello justo ? Quæ sint obligationes et peccata bellantium ?*

Dico 1° In bello justo nunquam licet per se et ex intentione occidere innocentes, nisi facta sit a Deo specialis auctoritas : licet tamen per accidens et præter intentionem.

Prob. prima pars 1° ex illo generali Dei mandato, Exod. 23 : *Insontem et justum non occides.* 2° Innocens non potest occidi in bello justo nisi propter culpam reipublicæ : atqui id non licet : ergo. *Prob. min.* Respublica non potest puniri ab hoste nisi in bonis quorum habet dominium : atqui respublica non habet dominium in vitam innocentium, sed solus Deus qui reipublicæ non concessit jus gladii nisi adversus eos qui male agunt. Ergo.

Innocentium autem nomine veniunt infantes, impuberes bello inepti, fœminæ, rustici, plebeii, mercatores nihil ad bellum conferentes, peregrini, extranei ; item expresse ex jure positivo clerici et religiosi cap. *Innovamus* de pace : hi omnes, inquam, juris præsumptione censentur innocentes, donec contrarium de illis probetur.

Prob. secunda pars. 1° Si neque per accidens et præter intentionem liceret in bello justo occidere innocentes, impossibile foret bellum perficere ; non posset, v. g. expugnari civitas aut turris everti in qua includerentur innocentes, non possent impeti hostes qui innocentes in fronte prælii constituerent, quod numquam omitterent ; sicque justitia bellantium frustraretur. — Hic q. 64. a. 7. o. — 2° Quando unius actus sunt duo effectus æque immediati, unus bonus alter malus, potest, subsistente justa ratione, intendi bonus effectus et malus permitti : atqui eversio turris aut explosio tormentorum bellicorum in hostes, est immediate defensiva patriæ et occisiva innocentium : ergo primus effectus potest intendi propter bonum commune et alter permitti. Hoc principium auctoris, latius deductum et explicatum habes diss. 10 de Justitia, a. 5, § 1.

Dico 2° Innocentes qui sunt pars reipublicæ hostilis possunt bonis spoliari, in quantum requirit necessitas vel victoriæ, vel pacis, vel satisfactionis ; quia respublica hostilis potest puniri in iis omnibus quæ subsunt ejus domino generali ; habet autem respublica dominium generale in bona civium in quantum exigit bonum commune. Ergo. Et hæc est consuetudo jure gentium introducta.

Dixi 1° *innocentes qui sunt pars reipublicæ hostilis.* Unde 1° hospites et extranei non possunt suis bonis spoliari, cum respublica hostilis non habeat in ea dominium : excipe nisi sint in culpa, aut hostibus faveant ; sic possunt spoliari annonis, armis, etc., quæ deferunt ad hostes. 2° Spoliari non possunt ecclesiastici, ecclesiæ et monasteria, quia non sunt vere pars populi hostilis, nisi forte hostes eis utantur ut propugnaculis.

Dixi 2° *in quantum necessitas vel victoriæ, vel justæ vel pacis, satisfactionis exigit ;* quia hi sunt fines belli justi, quibus cessantibus, cessare debet bellum, nisi jure gentium aliter sit dispositum, ut mox dicam.

Dico 2° Mobilia in bello justo capta, jure gentium sunt occupantis, etiamsi excedant justam compensationem. Ita colligitur ex jure, lib. 2 Instit. tit. 1, § 17, ubi dicitur : « Ea quæ ex hostibus capimus, jure gen» tium statim nostra fiunt, adeo quidem » ut et liberi homines in servitutem nos» tram deducantur. » Et ff. lib. 49, tit. 15, de captivis, leg. 28 : « Si quid bello cap» tum est, in præda est, non postliminio » redit. » Quæ leges cum sint sine ulla restrictione, intelliguntur a juris interpretibus etiam de bonis excedentibus justam compensationem : alioquin attento solo jure naturæ, illicitum foret, *ut dictum est conclusione præced.*

Quidam arbitrantur quod etiam bona injuste ablata quæ reperiuntur apud hostes, post pacificam possessionem unius noctis vel viginti quatuor horarum circiter, sint capientis ; attento nimirum non jure natu-

ræ, sed gentium consuetudine ex illo jure introducta ; idque existimant potuisse concedi a republica, ut milites sint ardentiores in bello, et obvietur innumeris litibus inter priores dominos et capientes.

Quantum ad servitutem de qua lex citata, observandum est, esse usu receptum inter eos qui Christi nomen profitentur, etiamsi sint hæretici, quod bello capti non fiant servi.

Dico 4° Bona immobilia in bello justo capta sunt principis supremi, in quantum necessarium est ad justam compensationem et pacem atque securitatem stabiliendam : idque tam jure naturæ quam jure gentium et usu recepto.

Dico 5° Obtenta victoria, stricto jure possunt occidi omnes nocentes in pœnam peccati. Dicuntur autem nocentes, non quia fortiter restiterunt, in hoc enim sunt potius laudabiles, sed quia restiterunt conscii de injustitia belli, vel propter aliquod aliud crimen quod in bellantes aut eorum principem admiserunt. Attamen attentis circumstantiis, interdum ex charitate multitudini est parcendum, ut jam diximus.

Quantum ad obsides, non licet eos occidere si sint innocentes, quia juri naturæ repugnat occidere innocentes, ut dictum est : neque obstat quod in mortem suam consenserint si pactum initum frangeretur, cum enim non sint propriæ vitæ domini, nullus fuit eorum consensus : neque tamen ideo dicendi sunt nocentes quia censentur consensisse quantum poterant.

Dico 6° Principes supremi et duces exercitus 1° tenentur ex officio curare, in quantum possunt, disciplinam militariam observari et coercere milites a rapinis, furtis, incensionibus, stupris, etc., alioquin peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem horum damnorum. 2° Peccant mortaliter si non provideant justa stipendia militibus, et tenentur restituere damna quæ milites defectu stipendii inferunt.

Dico 7° Duces subordinati peccant mortialiter et tenentur ad restitutionem, 1° si nulla cogente necessitate milites exponant temere certæ internecioni ; 2° si partem stipendii vel pecuniarum pro militibus concessarum retineant ; 3° si minorem numerum militum habeant et pro majori stipendia recipiunt, quales sunt qui dum lustrantur copiæ non milites sub habitu militari præsentant, vulgo *passe-volans*, vel eumdem bis aut ter præsentant ; quo etiam peccato implicantur ipsi lustratores seu commissarii qui id scienter admittunt : neque tantum de furto stipendii tenentur, sed de damno quod provenire potest reipublicæ ob insufficientem militum numerum. Excipe tamen nisi id fiat ex consensu expresso vel tacito principis ; audio enim id quandoque permitti in sublevamen et indemnitatem centurionum. Quod an ita sit, quando et quomodo, ipsi videbunt. 4 Peccant et tenentur ad restitutionem qui, dum ducunt copias per provinciam, ob accepta munera a certis pagis vel civibus, alios sive pagos, sive cives numero militum aggravant. Non enim possunt duces in itinere accipere nisi victualia prout fert consuetudo, et in hoc vel illo loco pro ratione itineris præscripti, aut si non sit præscriptum, ex æquo et bono a se dispositi : uno verbo, non licet ipsis, solo munerum oblatorum intuitu, unum sive locum sive civem præ alio gravare.

Dico 8° Milites gregarii 1° debent esse contenti suis stipendiis, juxta præceptum S. Præcursoris, Luc. 3 : unde peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem, si in terris non hostilibus præter tectum, lectum, paleas, etc., ut fert consuetudo, pecunias extorqueant, spolient, rapiant, aliterve damnificent. Neque eos excusat dudum auctoritas aut dissimulatio, nisi forte deficiente aut diminuto stipendio, sumerent præcise necessaria urgenti necessitati. 2° Tenentur, etiam cum certo vitæ periculo, non deserere stationem aut arcem, nisi plane desperata victoria.

§ IV. — *Utrum clericis sit licitum bellare ?*

Hic q. 4. c. a. 2. o.—*Dico.* Omnibus clericis jure ecclesiastico prohibitum est propria manu bellare extra casum urgentis necessitatis.

Prob. ex jure. Cap. *Quicumque*, causa 23, q. 8, dicitur : « Quicumque ex clero » esse videntur, arma militari non sumant, » nec armati incedant, sed professionis suæ » vocabulum religiosis moribus et religioso » habitu præbeant. » Idem ib. cap. *Quicumque clericus*, et cap. *Clerici* et alibi.

Ibid.—Huic prohibitioni fundamentum præbet ratio : bellica enim exercitia repugnant officiis clericorum propter duo, 1° generali ratione qua maximam inquietudi-

nem habent, unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum, laudibus divinis et oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum, et ideo sicut negotiationes eo quod nimis implicent animum interdicuntur clericis, ita et bellica exercitia; 2° ratione speciali, quia omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur Passio Christi, et ideo non competit eis occidere vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem, ut imitentur opere quod gerunt mysterio. Ergo.

Dixi 1°, *omnibus clericis:* intellige clericos sacris ordinibus initiatos, aut etiam tonsura vel minoribus, si beneficium habeant, non vero si sint simpliciter tonsurati aut minoristæ; quia vel jura de illis non loquuntur, vel sunt contraria consuetudine abrogata.

Dixi 2°, *jure ecclesiastico;* quia neque jure divino positivo neque naturali id ipsis prohibitum est. Non jure divino positivo, quia nullibi extat: imo legimus 1 Machab. cap. 10, 11, 12, Jonathan et Simonem fratres Judæ sacerdotes bellum gessisse. Neque obstat quod Christus, Matth. 26, dixerit Petro: *Converte gladium tuum in vaginam;* hoc enim dixit Petro non ut clerico aut sacerdoti, sed ut privatæ personæ, volens ostendere non esse licitum privata auctoritate ulcisci injurias. Quia tamen id magis indecens est in clericis quam in aliis, S. Th. hic in a. s. c. et quidam alii Patres hæc verba Christi specialiter aptant clericis.

Non jure naturæ; tum quia, ut dictum est, sacerdotes in antiqua lege bellarunt; tum quia, licet militia sit disconveniens clerico propter inquietudinem annexam, ista tamen disconvenientia non est tanta ut ipsum reddat suo officio ineptum et sit cum illo incompossibilis: unde militia habet fundamentum in natura ut prohibeatur, at seclusa Ecclesiæ prohibitione non foret absolute prohibita. Paritas est in negotiatione, venatione et matrimonio, quæ licet indecentiam et incongruitatem afferant statui clericali, et inde præbeant Ecclesiæ motiva ut prohibeantur, non forent tamen absolute prohibita, nisi accederet prohibitio Ecclesiæ.

Quod vero Apost. 2 Timoth. 2, ipsi dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*, sensus est, non quod militia prohibeatur clericis jure naturali vel divino, sed quod, sicut bonus miles non est sollicitus de comparando sibi victu per negotiationem aut laborem manuum, sed totus est ut placeat duci, ita facere debet quicumque militat Deo in ministerio spirituali.

Si quidam SS. Patres videantur dicere militiam ex se esse clericis prohibitam, intelligendi sunt naturam magnum præbere fundamentum ut prohibeatur ab Ecclesia, ut explicuimus: et hoc sensu intelligendus est Auctor dum propter rationes conclusionis dicit bellica exercitia maxime repugnare officiis clericorum; siquidem ad tertium dicat in terminis: *Non interdicitur clericis bellare quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum personæ non congruit.* Hinc inferes clericos posse bellare cum licentia papæ.

Dixi 3°, *manu propria bellare;* quia inprimis clerici qui habent jurisdictionem temporalem sufficientem, possunt bellum indicere, exercitum conscribere, duces belli præficere, etc. Cap. *Episcopus*, tit. Ne Clerici et Monachi, in 6. — **Ibidem ad 2.** — Item clerici quicumque possunt bello interesse, ut pugnantibus adsint spirituali auxilio et consilio; imo possunt hortari milites ad fortiter pugnandum pro patria, justitia, religione; non tamen dicere: *Occide, macta.*

Dixi 4°, *extra casum urgentis necessitatis;* quia in casu necessitatis, ipsum jus naturale permittit clericis sicut aliis propria manu pugnare, ut si necessarium sit ad propriam vel proximi innocentis, præsertim patriæ, civitatis aut religionis defensionem contra injustos invasores; item si, aliis militibus deficientibus, necessarium esset clericos pugnare ad consequendam insignem victoriam, ex qua salus Ecclesiæ vel reipublicæ multum dependet.

Quantum ad irregularitatem quam incurrunt bellantes, require dissert. 10 de Justitia, a. 10, § 1, tit. *Circa advocatos et alios*, etc.

§ V. — *Cætera difficultates spectantes bellum succincte discutiuntur.*

Petes 1° utrum liceat uti insidiis in bello? **Q. 40. a. 3.** — *R. affirmative*, modo id

fiat absque mendacio et violatione promissi. *Patet* ex cap. 8 Josue, ubi Israelitæ instruuntur uti insidiis adversus civitatem Hai : unde S. Aug. q. 10 super Josue, scribit : « Cum justum bellum quis susceperit, » utrum aperta pugna, utrum insidiis vin» cat, ad justitiæ causam non facit. » *Ratio est*, quia non semper tenemur veritatem aut consilia nostra aliis, præsertim hostibus, aperire : atqui uti insidiis nihil est aliud quam occultare veritatem aut consilium, nullatenus mentiri. Ergo.

Unde licitum est uti vestibus et vexillis hostium, simulare fugam, aggredi unam partem, dum fingitur aggressio alterius, etc. non ex intentione significandi exterius quod revera non est (hoc enim foret mendacium, licet officiosum tantum supposita justitia belli), sed ex intentione occultandi quod in mente et consilio habetur.

Petes 2° utrum sit licitum bellare diebus festis?

Ibid. a. 4. — *R.* esse licitum, quando id est necessarium ad reipublicæ salutem. Constat 1° exemplo Machabæorum de quibus 1 Machab. 2, dicitur : *Cogitaverunt laudabiliter Judæi dicentes : Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello in die sabbatorum, pugnemus adversus eum.*

Ibidem. — Ratio est, quia observatio festorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem : unde Dominus arguit Judæos, dicens Joan. 7 : *Mihi indignamini quia totum hominem salvum feci in sabbato :* ergo *a fortiori* non impedit ea quæ sunt necessaria ad salutem reipublicæ.

Porro non solum debet censeri necessitas in bello defensivo, seu quando irruit hostis, sed etiam in bello offensivo, quando occurrit occasio transiens cædendi hostem et reportandi victoriam qua respublica et ab hoste et ab onere belli liberetur.

Extra vero casum necessitatis pugnare diebus festis, quamvis id saltem nunc non reputetur opus servile, fiunt enim communiter exercitia bellica diebus dominicis et festis, idque æque convenit dominis ac servi. resolvit tamen Auctor — **Ibid.** — quod hoc non sit licitum, quia bellum maximam habet inquietudinem quæ contrariatur intentioni Ecclesiæ et fini præcepti : unde communius auctores reputant peccatum veniale.

Petes 3° utrum princeps catholicus possit vocare in auxilium infideles aut hæreticos, vel eos juvare?

R. Quamvis id non possit absolute damnari, si quidem Machabæi inierunt fœdus cum Romanis ut eos adjuvarent aut ab eis juvarentur, 1 Machab. 8, et Jonathas, cap. 11, misit regi Demetrio in auxilium tria millia Israelitarum; item legimus in Martyrologio, vigesimo secundo septembris, legionem Thebæorum militasse pro imperatore infideli; attamen, nisi urgens necessitas excuset, id est illicitum propter gravissima inconvenientia et mala quæ inde sequuntur in republica christiana : infideles namque et hæretici fidem ac religionem contemptui et ludibrio habent, sacris sive rebus sive locis sive personis nullum honorem deferunt, quin potius contumeliam et profanationem inferunt, erroribus suis simul cohabitantes imbuunt, eosque verbis et exemplis pervertunt, etc.

Petes 4° utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda?

R. affirmative; quia alioquin nunquam esset finis bellorum. Cum enim regulariter bellantes, sicut litigantes, existiment jus pro se stare, nullus est qui resumptis viribus bellum non instauret, et sic semper usque ad extinctionem gentis; et tamen necesse est dari medium pacis. Neque tamen propter hujusmodi pacta excusantur a restitutione coram Deo qui in bello injusto damna intulerunt; ad hoc enim tantum hæc pacta servanda sunt, ut bonum commune via pacis salvetur, non ut injuste ablata non restituantur.

De pactis initis ex errore, fraude aut dolo, vide dissert. 1 de Contract. art. 3 et 4. Item observandum quod si ipse hostis pactum frangat, nulla sit obligatio pacti servandi; quia non ineuntur pacta nisi sub hac tacita conditione quod utrinque servetur promissum : unde commune proverbium. *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

Petes 5° utrum repræsaliæ sint licitæ?

Repræsaliæ dicuntur quando princeps vel respublica subditis aut militibus suis damnum injustum passis, facit potestatem invadendi terram eorum qui damnum intulerunt, et occupandi bona incolarum etiam innocentium, donec damnum sit juste compensatum. Nunc *ad petitionem.*

R. quod, cum repræsaliæ sint quædam

species belli, de eis modo loquendum est ac de bello, esse scilicet secundum se licitas, si satisfactio aliter haberi non possit, non tamen facile concedendas, cum sint periculosæ et occasionem præbeant rapinis et multis aliis malis. Jure autem canonico, cap. unico de injuriis in 6, prohibetur sub pœna excommunicationis concedere aut agere repræsalias contra personas ecclesiasticas vel eorum bona.

ARTICULUS IV.

De rixa et seditione.

Hic q. 4. a. 11. o. — Sicut contentio importat contradictionem in verbis, ita rixa importat contradictionem in factis; estque bellum quoddam privatum in quo rixantes ex ira se percutere nituntur.

Ibid. — In eo qui alterum injuste invadit est ex genere peccatum mortale; inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali est ex se peccatum mortale. In eo autem qui se defendit potest esse sine peccato, quandoque cum peccato veniali et quandoque cum peccato mortali secundum diversum motum animi ejus et diversum modum se defendendi. Nam, si solo animo repellendi injuriam illatam et cum debita moderatione se defendat, non est peccatum nec proprie dicitur rixa ex parte ejus. Si vero cum animo vindictæ aut odii, vel cum excessu debitæ moderationis se defendat, semper est peccatum; sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii vel vindictæ se immiscet, vel cum non multum excedit moderatam defensionem; mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum vel eum graviter lædendum.

Hic q. 42. a. 1. o. — Seditio est tumultus partium ejusdem multitudinis ad pugnam se parantium. Est speciale peccatum, quia habet speciale bonum cui opponitur, scilicet unitatem et pacem civilem multitudinis. Distinguitur etiam a bello et rixa in duobus: 1° quia bellum et rixa important mutuam impugnationem in actu, seditio autem dicitur, sive impugnatio sit actu, sive tantum sit præparatio ad illam; 2° quia bellum proprie est contra hostes extraneos, rixa est unius contra unum, vel paucorum contra paucos; seditio autem est inter unius multitudinis, unius civitatis vel provinciæ incolas inter se dissentientes.

Est ex genere peccatum mortale, quia opponitur bono communi, scilicet paci et unitati multitudinis. Primo et principaliter pertinet ad eos qui seditionem procurant, et hi gravissime peccant; secundo ad eos qui illos sequuntur, perturbantes bonum commune: illi vero qui bonum commune defendunt eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi, sicut nec illi qui se defendunt dicuntur rixosi, *ut dictum est.*

ARTICULUS V.

De duello.

§ 1. — *Quid sit duellum?*

Duellum, græce μονομαχία, est pugna unius contra unum; et sic late sumptum est rixa duorum inter se; prout autem accipitur in jure et in ordine ad censuras ecclesiasticas, definitur communiter: *Periculosa duorum pugna ex composito seu condicto inita, cum designatione temporis et loci.* Et quia materia censurarum est odiosa et ideo restringenda, omnes hujus definitionis partes sunt stricte accipiendæ. Itaque

Dicitur 1° *pugna duorum*, quia si plures promiscue contra plures pugnent, erit simpliciter rixa, non duellum; nisi singuli determinati contra singulos determinatos pugnent, ut fit in duello solemni. Duplex namque distinguitur duellum, unum solemne seu publicum, quando adhibentur quædam cæremoniæ, ut electio patrinorum, seu, ut vocant, secundantium, assumptio testium, litteræ provocatoriæ, seu libelli citatorii vulgo *cartels*, etc. aliud simplex, quando non adhibentur istæ cæremoniæ.

Dicitur 2° *perieulosa pugna*, quia pugnæ quæ fiunt sine periculo occisionis aut gravis læsionis, ut pugnis, levi baculo, avulsione crinium, etc. quamvis quandoque sint gravia peccata, non tamen sunt proprie duella.

Dicitur 3° *ex composito seu condicto*, ita exprimunt Gregorius XIII, constit. *Ad tollendam*, data anno 1582, et Clemens in constit. *Illius vices*, data anno 1592; id est, ex conventione prius facta pugnandi determinato loco et tempore. Unde qui sibi ex improviso occurrentes pugnant, aut si unus alterum quæsierit vel minatus fuerit, non est duellum defectu condicti; similiter, si e duobus rixantibus unus vel uterque currunt ad domum et cum armis

redeunt et pugnant; item, si in impetu iræ dicant : Hic pugnemus, et pugnent; non est proprie duellum defectu condicti.

Dicitur 4° *cum designatione temporis et loci :* ita requirunt Gregorius XIII et Clemens VIII, in laudatis constitutionibus; ita ut, si designatio vel loci determinati vel temporis determinati desit, non sit proprie duellum censuris obnoxium.

Hinc, si qui rixantes in loco non apto ad pugnam, dicant : *Exeamus hinc*, vel : *Exi*, vel : *Veni foras*, et statim eodem impetu iræ pugnent, non est duellum, quia non est determinatio loci : equidem excluditur unus locus, sed non determinatur in quo sit pugnandum. Aliud videtur si convenerint pugnare statim ac fuerint extra locum, vel domum, vel ecclesiam, vel civitatem, vel cum pervenerint ad talem locum, quia tunc videtur determinatio loci et temporis. Similiter, si unus diceret : *Mane hic, quæro arma;* vel : *Quære arma, te hic expectabo;* videtur enim ibi adesse condictum et designatio loci et temporis, scilicet cum redierit. Non est autem duellum si quis dicat : Tecum pugnabo hoc anno, vel quando bellum erit absolutum, vel quando tibi occurram sine teste, vel ubicumque te reperero extra civitatem; quia ista designatio temporis et loci est vaga et non satis determinata; secus si diceret : Post prandium, quando sacrum erit absolutum, et determinaretur locus.

Cæterum circa casus in quibus est vel non est duellum, ratione condicti et designationis temporis aut loci, non parum variant auctores : quod nobis probabilius visum est cum pluribus, proposuimus, ex quibus alii casus resolvi possunt. Id unum observandum est, ut jam monui, quod cum sit materia odiosa propter censuras annexas, sit stricte intelligenda et potius restringenda quam extendenda. Quantum enim ad rationem peccati, sive sit ex condicto et cum designatione temporis et loci, sive non, semper est grave peccatum pugnare illicite cum armis.

§ II. — *Utrum duellum sit licitum?*

Dico 1° Duellum privata auctoritate non est licitum : 1° quia omnis vindicta privata est illicita; 2° quia præcepto *Non occides* non solum prohibetur occisio, sed etiam periculum proximum occidendi, ut in aliis præceptis; 3° quia tam Ecclesia quam principes christiani duellum sub gravissimis pœnis prohibent. « Detestabilis duellorum » usus, inquit Trid. sess. 25 de Reformat. » cap. 19, fabricante diabolo introductus, » ut cruenta corporum morte animarum » etiam perniciem lucretur, ex christiano » orbe penitus exterminetur. » Deinde gravissimas pœnas decernit contra duellantes et quovis modo duello cooperantes, quas Gregorius XIII et Clemens VIII bullis citatis confirmarunt, innovarunt et extenderunt ad duella privata, quia quibusdam videbatur quod concilium Trid. quia meminit patrinorum, locutum fuerat tantum de duellis solemnibus.

Dices 1° Si vir nobilis vel militaris non acceptet duellum aut non offerat in certis casibus, erit absque honore, habebitur ignavus et infamis, erit aliis contemptui et ludibrio, tenebiturque officio cedere cum suo et familiæ dedecore et forte necessitate. Ergo ipsi licitum erit duellum.

R. 1° *Dato ant. N. conseq.* Quia ad defensionem honoris aut bonorum fortunæ, non est licitum occidere injustum invasorem, ut probavimus dissert. 10 de Justitia, a. 6, § 1 et 3. Unde, sicut si non posset salvare honorem aut fortunam nisi pejerando, non ideo id ipsi liceret, ita nec duellum, quod in casu est intrinsece malum sicut perjurium.

2° *N. ant.* 1° Quia verus honor consistit in virtute et in æstimatione proborum et sapientum, non mundanorum : nemo autem probus et sapiens est, qui non multum laudet recusantem duellum, ne Deum offendat; quod ita verum est, ut ii ipsi qui maxime vituperant recusantes duellum, si duellans coram ipsis in judicio militari sisteret condemnarent eum tanquam infamem : obmutescant ergo injusti contemptores, aut videant quomodo possunt secum conciliari in tam aperta contradictione. Sufficit itaque si provocatus provocanti respondeat : Nolo duellum acceptare, quia nolo Deum et principem offendere, sed ubicumque me aggressus fueris, probabis me non ignavum; et sic maneat honor in tuto. 2° Duellum non est medium aptum ad conservandum vel recuperandum honorem; si enim qui injuriam passus est vincat, ideone probabitur innocens et injuste offensus? et si succumbat, probabi-

tarne nocens et juste offensus? Minime, cum sæpe innocentes occumbant, et nocentes vincant; ita ut in duello quasi jaciatur alea, an nocens vel innocens debeat occidi; quo nihil iniquius excogitari potest. Unde merito Alexander VII damnavit hanc propositionem : *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Est secunda inter damnatas.

Dices 2° Potest contingere quod provocans minetur mortem hic et nunc inferendam provocato, si non acceptet duellum : ergo potest tunc acceptare ut salvet vitam; est enim justa defensio.

R. N. conseq. Quia est alia via vitam defendendi, nimirum si provocans recusantem aggrediatur et exerat gladium, provocatus similiter exerat et se defendat, etiamsi cum internecione aggredientis.

At quid, si provocans proponat duellum non hic et nunc, sed postea exequendum sub minitatione mortis hic et nunc inferendæ provocato si non acceptet, nec habeat provocatus arma quo se hic et nunc defendat?

R. Salvo meliori judicio, quod in hoc casu provocatus possit acceptare, in quantum potest, duellum; quia est unica via ad salvandam vitam, et hæc acceptatio habet rationem justæ et necessariæ defensionis. Sed transacto periculo, nec potest nec debet huic acceptationi metu injuste incusso extortæ ideoque invalidæ stare, sed alia via minis provocantis occurrere.

Multi excipiunt a conclusione casum quo quis falso accusatus, certo prævidet se injuste occidendum nisi duello se defendat : quia, inquiunt, hoc est subire minus mortis periculum ut certam mortem evadat, ideoque est magis justa defensio contra invadentem quam duellum; non differt enim si injustus accusator me velit occidere gladio proprio vel alieno.

Verum, quamvis speculative loquendo id sit probabile, in praxi tamen vix patet locus huic casu : 1° enim neeesse est ut nulla alia via supersit evadendi mortem a judice inferendam, quod est rarissimum; 2° evadendo mortem ex hac parte, non debet ex altera incurrere æquale periculum mortis, quod tamen contingit, siquidem duellans secundum leges sit morte puniendus; 3° acceptando aut offerendo duellum purgabitne se apud judicem in iis in quibus est accusatus? E contra magis gravabitur propter duellum, ut jam dicebam.

Dico 2° Duellum auctoritate publica est raro licitum.

Prob. Inprimis certum est non esse licitum spectaculi aut ostentationis virium causa : quia princeps non habet jus in vitam subditorum nisi malefactorum; imo nec ipsi liceret duos malefactores morti adjudicatos cogere ad duellum, ut qui vincit patibulum evadat, propter periculum animæ ex affectu vindictæ qui posset irrepere; videtur tamen quod isti damnati possint pugnare, ut executores justæ sententiæ.

2° Certum est duellum esse illicitum ad detegendum crimen vel innocentiam, ut olim frequentabatur; quia in duello æque potest cadere innocens ac nocens : unde veritatis manifestatio expectaretur vel a diabolo, et esset superstitio; vel a Deo, et esset tentatio Dei.

3° Non est licitum duellum ad finiendam litem vel controversiam inter privatos; quia vel instituitur duellum ut per ejus eventum dignoscatur qua parte esset justitia, et sic redit argumentum præcedens; vel instituitur tantum ad hoc, ut facto duello partes a lite cessent, et tunc insanum et diabolicum est velle incurrere periculum vitæ, ut desistant a lite a qua possunt propria voluntate et tuta vita desistere, aut quæ potest auctoritate supremi principis vel sorte non periculosa terminari.

4° Per se loquendo non est licitum duellum ad finiendam controversiam, seu ad evitandum aut terminandum bellum inter supremos principes, quia duellum neque a Deo neque a natura est medium ordinatum et proportionatum ad propulsandam injuriam, vel ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, quæ sunt duæ bellorum et controversiarum causæ inter supremos principes. Ergo. *Prob. ant.* Is cujus respublica habet jus, potest æque vinci ac alter; vel enim est par utriusque pugnandi facultas, vel si unus sit exercitatior, plurima solent in hoc singulari certamine accidere ob quæ sæpe fortior et exercitatior succumbit; adeoque justitia et bonum commune reipublicæ, sive in propulsanda injuria, sive in obtinenda satisfactione, quod communibus totius communitatis viribus propugnari debet, exponitur aleæ duelli. Ergo

Neque dicas pariter bonum commune exponi aleæ belli; non enim potest princeps supremus inire bellum sive defensivum sive offensivum, nisi major spes affulgeat vincendi, sive vi, sive insidiis, sive ope confœderatorum, aut si vincatur, restaurandi et augendi vires; hostis enim in hostem se habet ut agens in passum, agens autem non agit nisi sit fortius passo.

Cum ergo opponitur melius esse terminare bellum morte unius quam multorum: *respondetur* id verum esse quando occisio unius est medium ordinatum et proportionatum ad utiliter pro republica terminandum bellum, quod negamus de duello, nisi per accidens in casibus infra referendis: et ideo dixi, *per se loquendo* id esse illicitum.

Quantum ad David qui duello pugnavit contra Goliath, communiter respondetur id fecisse ex instinctu divino, quod probavit eventus, siquidem, occiso uno Goliath, hostis fugam arripuit. Aliunde in casu Davidis licitum esse duellum probabile est, *ut patebit* in tertio casu sequenti.

Dixi in conclusione, *raro* duellum esse licitum auctoritate publica; quia a pluribus assignantur quidam casus in quibus videtur esse licitum auctoritate publica. *Primus est*, si is qui juste bellum gerit se viribus inferiorum hosti sentiat, et esse aut confligendum et succumbendum aut duellandum, potest et acceptare et offerre duellum; quia bonum commune eo meliori modo quo potest defendit et minus periculum eligit. Idem propter eamdem rationem videtur dicendum, si sit dubius de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu quo profligetur.

Secundus casus: si duces, attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, etc., utilius reputent reipublicæ controversiam duello quam bello dirimere; tunc enim reputatur a pluribus duellum licitum ex parte ejus qui bellum justum gerit, modo tamen inde non fiat victoria magis dubia quam in bello.

Tertius casus est, si, ex hoc quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior et potentior, alter dejectus et timidior, tunc etiam posse acceptari multorum est opinio. Et videtur in pari casu David pugnasse contra Goliath.

§ III. — *Quæ sunt pœnæ duellantium?*

Pœnæ duellantium sunt excommunicatio latæ sententiæ summo pontifici reservata extra mortis articulum, suspensio, interdictum in iis locis in quibus scientibus et permittentibus locorum dominis duella fiunt, inhabilitas ad beneficia ecclesiastica, privatio sepulturæ ecclesiasticæ, etiamsi duellans moriatur extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto. Ita novissima constitutio Benedicti XIV, data anno 1752, perpetua infamia et aliæ pœnæ corporales quæ non sunt nostri fori. Ita concilium Trid. sess. 25 de Reformat. cap. 19, Gregorius XIII et Clemens VIII, constitutionibus citatis. Itaque

Excommunicationem, quæ est præcipua pœna, incurrunt 1° principes, magistratus, duces militiæ, etc., præcipientes, aut tolerantes duellum, vel duellantibus locum concedentes; 2° pugnantes in duello; 3° quovis modo cooperantes ad duellum, scilicet « Qui aliis ad singulare certamen publice » vel occulte ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus » generis scripta, quæ manifesta, quæque » cartulæ provocatoriæ appellantur scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, ndivulganda, auxilium, consilium, operam vel » favorem præstiterint, sive id suaserint aut » mandaverint, quive in præmissis vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint; etiamsi neque pugna aliqua, nec » certamen, aut affectus, nec accessus aut » actus ad pugnam proximus, neque expressa et aperta provocatio subsecuta » fuerit: » ita in terminis Clemens VIII, bulla cita, § 6; 4° spectatores ex industria, ut dicit idem Clemens VIII, ita ut sua præsentia incitent ad pugnam, etiamsi juxta Gregorium XIII non secuta sit pugna, modo pugnaturi ad locum destinatum accesserint: unde non incurrunt excommunicationem qui transeundo spectant, aut qui ex industria quidem spectant, sed e loco in quo videri non possunt, neque si comitentur ad impediendum duellum.

Petes 1° utrum provocantes principales et pro se, pugna non secuta, incurrant excommunicationem?

R. rem videri dubiam. Inprimis Gregorius XIII, postquam excommunicavit eos qui *monomachiam commiserint*, dominos

permittentes, cooperantes, spectatores et socios, addit in fine §, *etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint.* Sed dubium est utrum hæc ultima clausula afficiat provocantes principales, et videtur pluribus quod non; quia pontifex de illis mentionem non facit, nisi quatenus *monomachiam commiserint;* provocare autem non est monomachiam committere. Insuper juxta bullam requiritur quod saltem duellaturi ad locum certaminis accessissent. Clemens VIII, sub finem § 6, ubi excommunicat instigantes et cooperantes duello, apponit quidem hanc clausulam, *etiam pugna non secuta*, sed § 7, loquens de iis qui *duellum ex composito ineunt*, consequenter de provocantibus principalibus, hanc clausulam non repetit. Quando autem pœna infligitur propter delictum, delicto non consummato, non infligitur nisi exprimatur in lege; sic qui imperat homicidium irregularis est si sequatur homicidium, secus si non sequatur. Et hæc est opinio plurium non omnino improbabilis.

Alii volunt quod il bulla Clementina sufficienter exprimantur provocantes principales, etiam non secuta pugna, quia § 5 excommunicat eum qui *ex condicto ad singulare certamen descendit aut alium provocat*, ubi distinguit descendentem ad certamen seu certantem a provocante. *Neque dici potest*, ut alii volunt, pontificem loqui de provocante in actuali pugna: quid enim necesse erat excommunicare specialiter provocantem in actuali pugna, cum hoc ipso quo pugnat, etiam non provocando, sit excommunicatus? Addunt hanc clausulam § 6, *etiam pugna non secuta* subintelligendam esse in § sequenti, ubi agitur de iis qui ex composito duellum ineunt, consequenter de provocantibus principalibus et acceptantibus; quia mirum et absurdum foret mere instigantes aut consulentes duellum esse excommunicatos, non secuta pugna, et provocantes principales aut acceptantes, etiam non secuta pugna, non esse excommunicatos. Ad rationem argumenti oppositi *respondent* in tantum esse veram in quantum ex ea non sequitur absurdum, ut hic sequeretur, præterquam quod provocantes principales sufficienter exprimantur, ut dictum est: et hæc sententia videtur communior.

Petes 2° utrum si unus vel ambo ad servandum honorem se provocent ad duellum non animo pugnandi, certo scientes impediendum ab amicis, aut aliter non futurum, vel etiam animo pugnandi et aliquos ictus inferendi, sed certi moraliter quod nullum inde damnum sit secuturum, verum potius pax concilianda, incurrant excommunicationem?

R. probabiliter negative: quia non provocant vere, sed apparenter tantum ad duellum; est enim duellum pugna periculosa: in foro tamen externo, ubi non judicatur de internis, reputabitur duellum: et ideo non est excusandum a culpa.

Petes 3° utrum si parato et armato ad duellum, a quo deterrere non possum, commodem arma mea, quia meliora sunt quam ipsius arma, incurram excommunicationem?

Respondet negative noster Loth post quosdam alios; quia non pecco, sed præsto obsequium licitum amico; non enim sum causa quod pugnet, sed quod pugnet cum periculo minori: sicut, si volenti absolute frangere jejunium cibo noxio, ipsi offeram innoxium, non pecco. Jura autem excommunicant subministrantes illicite arma pugnaturis in duello, et quæ sint aliquo modo via veniendi ad duellum. Hæc sententia videtur probabilis.

Petes 4° utrum qui ratam habet pugnam, vel provocationem aut aliam actionem in bullis pontificum expressam, suo nomini factam, incurrat excommunicationem?

R. Probabilius negative, quia pœnæ non sunt extendendæ ultra terminos legis, et quando legislator eas ad ratihabitionem vult extendere, id solet exprimere: unde in pœnis ratihabitio mandato non comparatur, nisi exprimatur: in præsenti autem casu non exprimitur.

Petes 5° utrum omnes istæ pœnæ incurrantur ipso facto ante sententiam judicis?

R. excommunicationem, suspensionem, interdictum incurri ante sententiam judicis: idem dicendum de privatione sepulturæ ecclesiasticæ, si in conflictu obierit: si autem dubitet pastor an fuerit verum duellum, non potest privare ante sententiam judicis aut inconsulto episcopo. Cæteræ pœnæ non incurruntur nisi post sententiam judicis: et quamvis posset esse difficultas de inhabilitate ad beneficia obtinenda, sic tamen videtur usu receptum.

Petrs 6° quis possit absolvere a casu duelli?

R. Clementem VIII, bulla citata, soli papæ hunc casum reservasse, derogando facultatibus et indultis concessis quibusvis personis cujuscumque ordinis, status, gradus aut conditionis.

Nihilominus graves auctores censent quod, quando casus est occultus, episcopi possint ab illo absolvere, propter privilegium illis concessum a concilio Trid. sess. 24, cap. 6, cui non est derogatum per hanc constitutionem Clementis VIII, cum de illa nulla fit mentio, prout debebat fieri, ut censeretur derogatum. Ita Dezana post Bonacinam et Sanchez : et talem puto esse praxim communem.

Etiam regulares privilegiati extra Italiam possunt ab illo absolvere, ut constat ex decreto S. Congreg. sub Urbano VIII, quod est posterius de constitutione Clementis VIII ; de quo vide dissert. 6 de Pœnitentia, art. 7, petit. 5.

ARTICULUS VI.

De scandalo.

§ I. — *Quid et quotuplex sit scandalum?*

Hic q. 43. a. 1. o. — Scandalum græce, significat latine offendiculum seu impactionem pedis. Contingit enim quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali cui impingens disponitur ad ruinam, et talis obex dicitur scandalum ; similiter in processu vitæ spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius, in quantum ejus inductione vel exemplo ad peccandum trahitur, et hoc proprie dicitur scandalum. Unde

Ibid. — *Dico* 1° Scandalum recte definitur : *Dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

Ibidem ad 1. — Dicitur 1°, *dictum vel factum*, non concupitum, ut in definitione peccati ; quia peccatum internum quod non apparet, non potest præbere alteri occasionem peccandi. Sub nomine dicti vel facti, intellige etiam omissionem dicti vel facti quod debet dici aut fieri, ut omissio horarum vel sacri die festo ; ad affirmationem enim reduciturnegatio, ut dictum est in definitione peccati.

Ibidem ad 2. — Dicitur 2°, *minus rectum ;* non hoc sensu quod sit rectum et ab aliquo alio superetur in rectitudine, sed quod habeat aliquem defectum rectitudinis, id est non rectum ; sive quia est secundum se malum et peccatum ; sive quia, licet ex genere bonorum, habet speciem mali ex circumstantiis, aut ex eo quod soleat male fieri, et facile præsumatur sic fieri etiam quando bene fit : sicut cum aliquis recumbit in idolo ; quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quamdam speciem mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ : et ideo Apostolus monet 1 Thess. 5 : *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Dicitur 3°, *præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis ;* ut cum quis suasione, consilio, exemplo, etc., inducit alium ad peccandum. Neque est necesse quod expresse intendat peccatum alterius, sed sufficit quod dicat vel faciat id ex quo attentis circumstantiis natum est sequi peccatum alterius. Non ergo omne peccatum coram aliis commissum semper habet malitiam scandali, sed quando prævidetur aut prævideri potest ac debet periculum ne alii coram quibus committitur, per illud inducantur ad peccandum ; sæpe enim contingit quod peccantes coram aliis tam pravis moribus et mala fama laborent, vel præsentes tam prudentes et in virtute constantes sint, ut nemo pravo peccantis exemplo moveatur (id tamen vix admittendum est in materia luxuriæ) ; vel etiam fieri potest quod præsentes sint ita animo parati ad peccandum ut exemplum aliorum nihil conferat ad eorum peccatum.

Hinc vides corrigendam esse opinionem plurium de vulgo qui, dum videntes aut rescientes aliorum peccata, juste commoventur, pudore suffunduntur, indignantur, dicunt se esse scandalizatos ; scandalizari enim est peccando pati ruinam spiritualem : isti autem non peccant, nisi forte inde erumperent in maledictiones aut judicia temeraria.

Ibidem ad 4. — *Dico* 2° Duplex est scandalum, unum activum quod definivimus ; aliud passivum, quod est ruina spiritualis proximi occasione dicti vel facti alterius.

Ibid. — Activum duplex : unum per se, aliud per accidens : activum per se est,

quando quis expresse intendit suo facto vel dicto inducere alterum ad peccatum, vel, si non intendat expresse, tale est factum aut dictum, ut ex se sit inductivum ad peccatum; activum per accidens, est dictum vel factum ex quo præter intentionem peccantis et conditionem operis, aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis alterius: et hoc scandalum, si nullo modo nec etiam implicite sit intentum, est improprie scandalum.

Scandalum passivum est etiam duplex, datum et acceptum: datum est quod vere oritur ex alterius dicto vel facto quod revera malum est aut speciem mali habet; acceptum est quo quis ex dicto vel facto alterius, præter omnem ejus intentionem et conditionem operis, ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi: idque vel ex infirmitate aut ex ignorantia, et dicitur scandalum pusillorum; vel ex sola malitia, et dicitur scandalum pharisaicum, quia pharisæi ex malitia scandalizabantur ex sanctissimis dictis et factis Christi, Matth. 15.

Ibid. — Quandoque ergo est scandalum passivum sine activo, ut pharisaicum, quandoque est activum sine passivo, ut cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit; quandoque est activum cum passivo, ut cum ad inductionem unius alius peccat.

§ II. — *Utrum scandalum sit peccatum?*

Ibid. a. 2. o. — De scandalo passivo non est dubium, quia nemo scandalizatur nisi quantum aliqualiter ruit spirituali ruina quæ est peccatum. De activo autem

Ibid. et a. 4. o. — *Dico* 1° Omne scandalum activum proprie dictum est peccatum ex genere suo mortale; quia vel opus scandalizans est secundum se malum, vel habet speciem mali, et ideo omittendum propter proximi charitatem qua tenemur saluti proximi providere: unde scandalum opponitur charitati et misericordiæ, quatenus hæc inclinat ad correptionem fraternam, consequenter peccatum mortale ex genere.

Ibid. a. 4. o. — Potest tamen fieri veniale, non solum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiæ; ut si quis, ex levi et veniali indiscretione, dicit aut facit id quod habet aliquam speciem mali unde alter præter intentionem agentis inducitur ad peccandum mortaliter; vel si quis per peccatum veniale intendat alium inducere in peccatum veniale tantum.

Dices 1° Peccata non eveniunt ex necessitate: atqui *necesse est ut veniant scandala;* inquit Christus, Matth. 18: ergo.

Ibid. a. 2. ad 1. — *R.* necesse esse ut veniant scandala non necessitate absoluta, sed ex hypothesi perversitatis et infirmitatis hominum qui sibi a peccatis non cavent: sicut, si aliquis medicus videns aliquos indebita dieta utentes diceret: Necesse est tales infirmari; quod intelligendum et sub hac conditione, si dietam non mutent: similiter necesse est evenire scandala, si homines conversationem malam non mutent.

Dices 2° Christus, Matth. 19, dixit Petro *Scandalum mihi es:* atqui non est verisimile Petrum in hoc peccasse, cum juxta S. Hieron. in hunc locum, Petrus ageret ex affectu pietatis: ergo.

Ibid. ad 2. et in 4. d. 38. q. 2. a 3. q. 1. ad 1. — *R.* hæc Christi verba duplicitere exponi posse: 1° sic ut Petrus excusetur ab omni culpa, sumaturque scandalum large pro quolibet impedimento; volebat enim Petrus Christi passionem impedire quodam pietatis affectu ad Christum: hunc sensum indicat hic Auctor; alio modo, sic ut scandalum proprie sumatur, et Petrus dicatur venialiter peccasse peccato scandali, quatenus in quantum ex se erat scandalizabat Christum, in quem tamen cadere non poterat scandalum passivum, volendo ipsum retrahere a passione de qua mandatum habebat a Patre: nec refert quod ita ageret Petrus ex affectu pietatis, possunt enim quandoque mala committi ex affectu pietatis et bona intentione ab eo qui habet zelum Dei, sed non secundum scientiam. Hunc sensum indicat Auctor in 4 citatus in margine, et in Catena aurea.

§ III. — *Utrum scandalum sit speciale peccatum?*

Ibid. a. 3. o. — Non est quæstio de scandalo passivo, quia certum est non esse speciale peccatum, siquidem ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit secundum quodcumque genus peccati. Nec hoc ipsum quod est occasionem peccandi sumere ex dicto vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit, quia non importat spe-

cialem deformitatem speciali virtuti oppositam. Quæstio est igitur de scandalo activo.

Ibid. — Auctor distinguit hic duplex scandalum . unum per se, aliud per accidens · non tamen intelligit hanc distinctionem eodem modo ac in art. 1. Vocat hic scandalum per se, quando quis suo inordinato dicto vel facto intendit expresse trahere alterum ad peccandum ; vocat scandalum per accidens, quando quis facit aut dicit id ex quo prævidet aut prævidere potest ac debet quod alter scandalizabitur, absque expressa intentione ipsum inducendi ad peccatum.

Ibid. — *Constat* 1° inter auctores scandalum per se et ex intentione expressa esse speciale peccatum, quia specialem repugnantiam habet ad charitatem qua tenemur velle bonum spirituale proximi : unde in hoc scandalo reperiri potest triplex peccatum, ut si quis agit impudica coram puella ut ipsam inducat ad fornicandum, est duplex peccatum, peccatum contra castitatem, et peccatum scandali contra charitatem et correptionem fraternam.

Constat 2° scandalum per accidens sine intentione expressa, si detur per opus secundum se bonum aut indifferens, sed habens speciem mali, esse etiam speciale peccatum ; quia est peccatum, et non habet aliam rationem peccati quam scandali.

Verum controversia est utrum scandalum per accidens quod datur per opus jam ex se malum, sit speciale peccatum, ut si quis coram aliis fornicetur, non intendens expresse inducere in luxuriam.

Multi ergo tenent hoc scandalum esse speciale peccatum, 1° quia in aliis peccatis sufficit virtualis et implicita intentio : ut qui sagittam incaute projiciendo hominem occidit, est homicida ; qui ex garrulitate lædit famam proximi, est verus detractor ; qui fornicatur cum moniali, est sacrilegus ; licet primus non intendat expresse, sed tantum virtualiter et implicite occidere ; secundus, detrahere ; tertius, rem sacram profanare ; 2° quia, ut modo dicebamus, conveniunt omnes scandalum per opus de se bonum aut indifferens habens speciem mali, esse speciale peccatum : ergo et scandalum per opus de se malum ; non enim istud est melioris conditionis quam primum et quamvis sit jam secundum se malum, nihil impedit quominus ex diverso capite referatur ad duplicem speciem peccati.

Negant autem hoc scandalum esse speciale peccatum Paludanus, Cajetanus, Bannes, Vasques, Azorius, Sanches, Beccanus, etc., et videtur expressa sententia S. Thomæ ; quærit enim ex professo S. Doctor in hoc art. 3, utrum scandalum sit speciale peccatum ? et sic resolvit : « Scandalum activum potest accipi dupliciter, per se sicut et per accidens : per accidens quidem, quando est præter intentionem agentis, ut puta cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solum suæ satisfacere voluntati ; et sic scandalum activum non est speciale peccatum, quia quod est per accidens non constituit speciem. Per se autem est activum scandalum, quando aliquis, suo inordinato dicto vel facto, intendit alium trahere ad peccandum : et sic ex intentione specialis finis sortitur rationem specialis peccati ; finis enim dat speciem in moralibus. » Nihil sane videtur expressius.

Respondent Wiggers et Sylvius quod, quando S. Th. dicit scandalum per accidens, prout explicat, non esse speciale peccatum, intelligendus sit de eo quod est prorsus per accidens, id est, quod neque directe neque indirecte et interpretative est volitum, sed omnium præter intentionem agentis, non solum expressam, sed etiam interpretativam : qui autem facit opus malum ex quo natum est sequi ruinam proximi, istud scandalum non est omnino per accidens ; quia etsi non sit expresse et directe volitum, est tamen indirecte et interpretative volitum.

Sed contra. Quod est omnino per accidens ; id est, neque directe, neque indirecte, neque expresse, neque interpretative volitum, non est peccatum ; et si non sit peccatum, non est verum scandalum, quia, ut ait S. Th. art. præced. in corp. *scandalum activum semper est peccatum in eo qui scandalizat ;* atqui, dum dicit hic quod scandalum per accidens non sit speciale peccatum, loquitur de scandalo quod sit peccatum et verum scandalum : ergo non intelligit de scandalo quod est omnino per accidens, id est, nullo volitum, sed de scandalo quod est indirecte et interpretative volitum.

Videtur, meo saltem judicio, noster Serra

verius attigisse mentem D. Themæ, et aperuisse viam ad conciliationem utriusque sententiæ; unde cum ipso.

Dico. Scandalum per accidens, de quo in casu, non est quidem speciale peccatum, est tamen specialis circumstantia actus mutans speciem.

Prob. cum laudato Serra, ex differentia quæ est inter speciem peccati et ejus circumstantiam. Species peccati, seu prima essentialis et specifica ejus malitia, desumitur ex objecto primario et directe volito; circumstantia autem, quæ est quoddam accidens actus moraliter sumpti, sumitur ab objecto secundario et indirecte volito, ut latius exposuimus ex Auctore, dissert. 4 de Actibus Humanis, art. 3, § 1 et 2. Ergo, quando quis dicto vel facto præbet alteri occasionem ruinæ, hoc directe et per se non intendens, tale scandalum non habet rationem specialis peccati, sed solum circumstantiæ; habebit autem rationem specialis peccati, quando per se primo et directe intendit alterum inducere ad peccatum.

Hoc autem sensu S. Thomam intellexisse scandalum per accidens non esse speciale peccatum, *patet* ex eo quod in corpore articuli et in resp. ad 1 et 3, nullam aliam rationem afferat cur non sit speciale peccatum, quam quia ratio specialis peccati habetur ex intentione specialis finis, et id quod est per accidens non constituit speciem : esse autem circumstantiam mutantem speciem, *probat prima ratio primæ sententiæ.*

Quantum ad secundam rationem. Disparitas est, quod opus ex se bonum seu indifferens, cum non habeat ex objecto primam et specificam malitiam, necesse est quod illam habeat ex circumstantia quæ in genere mali primo intenditur : at opus ex se malum eam habet ex objecto, unde ea quam habet ex circumstantia non est essentialis et specifica. Cum ergo objicitur quod sit speciale peccatum inferre nocumentum proximo, licet non sit directe volitum, sed indirecte tantum in causa, *distinguendum est.* Si causa sit ex se bona vel indifferens, *C.* si sit jam ex se mala, *N.* tunc enim est tantum circumstantia. Consule locum citatum de Actibus Humanis.

Dices. S. Th. in finem hujus art. 3, dicit : « Sicut furtum est speciale peccatum, aut » homicidium, propter speciale nocumen- » tum proximi quod intenditur, ita etiam » scandalum. » Atqui intentio quæ requritur ad speciale peccatum furti vel homicidii non est expressa et formalis inferendi proximo nocumentum, sed virtualis et indirecta : erge similiter in scandalo.

R. cum eodem Serra, *N. min.* Ut enim dicit S. Doctor 1, 2, q. 73, a. 8, *In furto et homicidio nocumentum est per se objectum peccati*, et homicida vel fur *operatur animo nocendi alteri ;* implicat enim contradictionem velle expresse alteri auferre vitam aut aliam rem, et non velle expresse illi nocere.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Ex dictis in duobus præcedentibus §§ *colliges* scandalizantem teneri explicare in confessione 1° non solum peccatum quo alterum scandalizavit, sed etiam speciem peccati ad quod illum pertraxit, puta, fornicationem, aldulterium, ebrietatem, etc., quia peccatum scandali non solum est contra charitatem proximi, sed etiam contra illam virtutem ad cujus violationem ipsum pertrahit; lex enim quæ ipsum directe obligat ad servandam castitatem v. g. illum obligat indirecte ne sciens et volens proximum ad violationem castitatis inducat.

2° Tenetur scandalizans explicare numerum personarum quas sive directe sive indirecte scandalizavit; quia tot sunt distincta nocumenta quot sunt personæ.

3° Tenetur explicare conditionem personarum scandalizatarum, quando ista conditio affert deformitatem specialem; ut si induxisti ad turpia monialem, uxoratam, consanguineam, etc.

4° Tenetur explicare an invitum, aut non cogitantem, an facile consentientem et paratum induxerit; quia in primo causat voluntatem et actum peccandi, in secundo actum tantum et exercitium peccati.

Ad hæc ut plurimum non satis attendunt tam pœnitentes quam confessarii, præsertim ubi agitur de scandalo per accidens et indirecte intento tantum.

5° Est etiam aliquando explicanda conditio scandalizantis, ut si superior, paterfamilias, parochus, etc., scandalizaverit subditos; quia hi tenentur non solum ex charitate, sed etiam ex officio præcavere ruinam suorum subditorum.

6° Qui induxit alterum ad peccatum injustitiæ, jussione, consilio, auxilio, etc., tenetur cum illo ad restitutionem, eo modo quo diximus dum de restitutione facienda a cooperantibus ad injustam damnificationem, dissert. 8 de Justitia, a. 13; quia non solum peccat contra charitatem respectu illius quem scandalizat, sed etiam contra justitiam respectu illius ad cujus damnum concurrit. Multi id negant, si exemplo tantum alium induxerit ad peccatum injustitiæ; sed contrarium probabilius docuimus, loco citato § 3 in fine : quia, si suo exemplo efficaciter movet ad damnificationem, æque peccat contra justitiam respectu damnificati ac si moveret consilio aut suasione.

§ IV. — *Utrum bona tam spiritualia quam temporalia sint dimittenda propter scandalum passivum vitandum!*

Q. 43 a. 7. o. — *Dico* 1° Bona spiritualia quæ sunt de necessitate salutis, id est, quæ prætermitti non posunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum passivum vitandum : 1° quia homo secundum ordinem charitatis plus debet diligere salutem suam spiritualem quam alterius; — **Ibidem ad** 5. — 2° quia implicat aliquod peccatum etsi tantum veniale esse licitum, hoc ipso enim desineret esse malum et peccatum : unde Apost. Rom. 3, dicit : *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Ibid. o. — *Dico* 2° Bona spiritualia quæ non sunt de necessitate salutis, seu quæ prætermitti possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum pharisaicum, si subsit aliqua causa ea non differendi; quia, cum hujusmodi, scandalizati peccent ex militia, non sunt in necessitate a qua non possint se facile liberare sine ope alterius; et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera cum vellent : unde hoc scandalum non esse curandum docuit Christus, Matth. 15, quando discipulis referentibus quod pharisæi scandalizabantur ex ejus dictis et factis, respondit : *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.*

Dixi tamen, *si subsit aliqua cause non differendi;* quia charitas dictat ne absque ulla causa offeramus etiam peccaturo ex malitia occasionem peccandi; abhorret enim charitas ab omni eo quod Deum offendit.

Ibid. — *Dico* 3° Bona spiritualia qua non sunt de necessitate salutis, ut in præcedenti conclusione, si non immineat periculum, sunt propter scandalum pusillorum ocultanda aut differenda, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset; quia proximo in necessitate spirituali constituto tenemur subvenire, quando commode possumus : atqui qui ex ignorantia vel infirmitate peccaturus est ex meo facto, est in necessitate spirituali : ergo, cum possum commode illud occultare vel differre donec instruatur, ad id teneor.

Dixi, *donec ratione reddita hujusmodi scandalum cesset;* quia « Si post redditam » rationem, inquit Auctor, scandalum du» ret, jam videtur ex malitia esse, et sic » propter ipsum non sunt hujusmodi spi» ritualia opera dimittenda. » Observat Sylvius S. Thomam consulto dixisse, *videtur ex malitia esse*, quia non sic semper est; potest enim scandalum pusillorum etiam post rationem redditam durare, sive quia hanc rationem ex stupiditate non apprehendunt, sive quia contraria ratione sibi magis apparente aut contraria consuetudine ducuntur : quo casu monet ex Cajetano, quod si ista spiritualia non necessaria sine nostra notabili jactura possint differri, adhuc ab eis sit abstinendum, donec scandalizati plenius informentur.

In hucusque dictis satis conveniunt theologi; sed controvertitur utrum ea quæ sunt legibus præcepta vel prohibita, possint aut debeant prætermitti ob scandalum pusillorum?

Quidam absolute et universaliter *negant*; quia, inquiunt, impletio operis præcepti nec in se est mala, nec habet speciem mali : ergo, si quis inde scandalizatur, scandalum non erit datum sed acceptum, sicque ruinam sibi imputet et non alteri. Nec obstat quod sit acceptum ex infirmitate, quia infirmitas illa non est sine malitia. Verumtamed cum communiori sententia.

Dico 4° Quando occurrit aliquod præceptum affirmativum, sive naturale sive positivum divinum vel humanum, aut etiam negativum divinum vel humanum, non prohibens res intrince malas, incompossibile cum præcepto naturali de vitando scandalo proximi, perpendendum est quodnam, omnibus attentis, sit majus et

magis obligans, et illud est servandum; quia, quando concurrunt duo præcepta quæ non possunt simul observari, majus obligat et alia desinunt obligare pro tunc. Porro præceptum de vitando scandalo pusillorum quandoque magis quandoque minus obligat quam alia, *ut patet* in casibus sequentibus qui communiter admittuntur.

Ibid. ad 1. et 3. — 1° Correptio fraterna est juris naturalis, et tamen est omittenda si corripiendus inde scandalizetur et fiat deterior. Similiter punitio peccatorum est juris naturalis, et tamen juxta S. Augustinum l. 3 contra Epist. Parmen. c. 2, est dimitttenda ubi ex illa periculum schismatis timetur.

Ibid. ad 2. — 2° Prædicatio Evangelii est juris divini positivi, et tamen ab ea cessandum est propter scandalum, Matth. 7, v. 6. Item integritas confessionis est præcepti divini, et tamen mulier in confessione potest et debet omittere peccatum ex quo intelligit confessarium, cui necessario confiteri debet, grave scandalum et infirmitate passurum.

3° Audire sacrum die fecto, jejunare in quadragesima, sunt præcepti ecclesiastici; si tamen uxor prævideat inde maritum morosum aut zelotypum notabiliter ex infirmitate offendendum, atque blasphemiarum, imprecationum est gravis dissensionis occasionem sumpturum, potest et debet semel et iterum ista omittere.

Solet hic proponi casus, an puella quæ scit aliquem determinate ex suo aspectu scandalizari, possit et debeat sacrum die festo omittere? *Respondetur* satis communiter quod possit et debeat semel et iterum omittere, non vero diu; neque semel, si aliqui tantum indeterminate sint ex ejus aspectu scandalizandi; alias nunquam de domo posset exire, aut respicere per fenestras, quod esset nimis durum. *Responsionem* hanc nolim absolute negare, si certo constet, ut supponitur, hanc puellam non posse sine scandalo determinatæ personæ ire ad ecclesiam: sed suppositionem difficile admitto. Numquid enim potet occulte ire ad ecclesiam, aut velata more patriæ, aut minus ornata? Si ita est, tenetur: unde casus videtur raro admittendus in praxi.

4° E contra: si scias ex ingressu in domum cujusdam mulieris in qua est infans baptizandus, quem nemo alius vult baptizare, oriri scandalum, nihilominus debes ingredi, præmissa, si possibilis fit, monitione; quia præceptum subveniendi saluti infantis præponderat præcepto scandali vitandi. Idem propter idem est dicendum, si ex baptismi necessarii collatione prævideas aliquos graviter commovendos et blasphematuros.

Itaque ad rationem in contrarium ante conclusionem positam *R.* quod, quamvis scandalum sit acceptum et interveniat aliqua malitia scandalizatorum, hi tamen sunt, hoc non obstante, misericordia et compassione digni, eisque subvenire urget præceptum charitatis: alioquin nunquam obligaret præceptum de vitando scandalo pusillorum, quod semper est acceptum et cum aliqua malitia. Et numquid ei qui ex scandalo accepto in desperationem actus vult sibi mortem inferre, teneris succurrere, etiam omittendo sacrum in die festo, si ita necesse sit? Et tamen est scandalum acceptum et intervenit aliqua malitia.

Neque dicas esse de necessitate salutis observare præcepta tam naturalia quam divina et humana. Id quidem verum est de præceptis actu obligantibus: nos autem dicimus ea non obligare in casibus positis et similibus, quia ipsis prævalet præceptum de vitando scandalo.

Ibid. a. 8. o. — *Dico* 5° Bona temporalia quæ non sunt nostra, sed nobis ad conservandum pro illis commissa, sicut bona Ecclesiæ, committuntur prælatis et bona communia rectoribus reipublicæ, non sunt propter scandalum dimittenda; quia horum conservatio, sicut et depositorum, his imminet quibus sunt commissa ex necessitate, nec illorum sunt domini. Idem dic de pupillorum tutoribus.

Observant tamen graves auctores, S. Antonius, Paludanus, Cajetanus et alii quoad bona Ecclesiæ, quod si ex eorum defensione ingravesceret scandalum in populo, nec ratione reddita sedari posset, prælatus melius faceret si consensum Ecclesiæ procuret ut debitum condonetur, quam si exigat.

Ibid. — *Dico* 6° Temporalia bona quorum non sumus domini, propter scandalum pusillorum, vel sunt totaliter dimittenda, ea tribuendo si penes non habeamus, aut ea non repetendo si penes alios sunt (intellige si non sint gravis momenti); vel scandalum est sedandum per monitionem aut instructionem: quia tenemur subvenire

necessitati spirituali proximi, licet non extremæ, cum aliquali nostro damno temporali, *ut patet ex dictis* de ordine charitatis et de correptione fraterna. Quod si post instructionem adhuc scandalum duret, ordinarie tunc est ex malitia.

Ibid. — Si vero scandalum sit ex malitia et pharisaicum, propter eos qui sic scandala concitant, non sunt dimittenda temporalia; quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, et noceret ipsis rapientibus qui retinendo aliena in peccato remanerent.

V. — *Cæteræ difficultates circa scandalum breviter resolvuntur.*

Petes 1° utrum sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id quod non est facturus sine peccato?

R. 1° Petere aut consulere absolute opus quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandali; quia hoc est directe inducere alterum ad peccandum. Dixi *absolute*, quia, si quis esset determinatus ad grave peccatum, liceret illi suadere minus; sensus enim non est quod absolute faciat minus, sed conditionaliter: Si decrevisti facere malum, fac potius minus.

R. 2° Si quod petitur fieri possit absque peccato, quamvis prævideatur alter non facturus absque peccato, subsistente justa causa, non est peccatum scandali illud ab eo petere. Sic in necessitate licet petere mutuum ab usurario, sacramenta a malis ministris; quia qui petit sic ex justa causa, petit quod justum est et rationabile, et quod alter potest bene facere si velit. Excipe casum quo quis peteret a malefico tollere maleficium quod quidem potest tollere sine maleficio, sed quem scis non ablaturum nisi per aliud maleficium; quia, cum dæmon sit Dei inimicus irreconciliabilis, omnis societas cum illo est jure naturali illicita, utpote contra fidelitatem et reverentiam debitam Deo. De his vide plura quæ scripsimus in, variis locis, nempe de Religione, dissert. 7, a. 5, § 2, petit. 2 sub finem; de Contractibus, dissert. 4, a. 7; de Sacramentis in genere, dissert. 5, a. 6, concl. 2, et alibi.

Petes 2° utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandali?

R. Quod cooperari peccato alterius per actiones secundum se indifferentes, ut contingit in captivis apud Turcas qui remigant contra christianos, in rusticis qui avehunt prædas furtivas militum, in caupone qui die veneris apponit carnes hospitibus, si id fiat metu mortis aut gravis damni, non sit peccatum scandali: de qua materia non parum implexa, vide plura quæ scripsi in tract. de Justitia, dissert. 8, a. 13, § 6.

Petes 3° utrum scandalum reperiatur in viris perfectis?

Ibid. a. 5. et 6. o. — *R.* scandalum non reperiri ordinarie in viris perfectis: non passivum, quia cum firmiter inhæreant Deo, non moventur aliorum dictis aut factis; non activum, quia, licet ex humana infirmitate a perfectione deficiant, id tamen fit occulte vel leviter, ex quo non potest ab aliis rationabiliter sumi occasio peccandi.

Dixi *ordinarie;* quia, licet Auctor hic absolute loquatur, intelligendum tamen esse de eo quod ordinarie et ut plurimum accidit, constat ex his quæ scribit in 4, d. 28, q. 2, a. 3, q. 1 et 2, ubi agnoscit aliquando, etsi raro, scandalum tam passivum quam activum posse reperiri in perfectis, sed quatenus deficiunt a perfectione: idque evidens est. Cum enim perfecti in via non sunt confirmati in gratia, possunt ex dictis vel factis aliorum moveri ad peccandum, et ipsi facere vel dicere id ex quo alii moventur ad peccandum.

DIGRESSIO HISTORICA.

UTRUM BELLUM QUOD FILII JACOB INTULERUNT SICHIMITIS PROPTER STUPRUM DINÆ SORORI ILLATUM, FUERIT JUSTUM?

Ad art. 3, de Bello.

Moyses, Genes. 34, narrat quod, cum Jacob juxta Salem, urbem Sichimitarum, tentoria fixisset, Sichem, filius Hemor Hevæi, Dinam Jacobi filiam seorsim repertam defloraverit; quam cum patre petiit in uxorem a Jacob; annuit Jacob ea lege ut omnes Sichimitæ cum rege et ejus filio Sichem circumciderentur: conditione accepta et adimpleta, Simeon et Levi fratres Dinæ primo, deinde cæteri filii Jacob, tertia die circumcisionis quo vehementissimus est ejus dolor, urbem invaserunt et irruerunt in Sichimitas, omnesque masculos cum rege et ejus filio trucidarunt, ac mulieres, pue-

ros greges, armenta abduxerunt. Quæritur utrum istud bellum fuerit justum?

Dico. Bellum quod filii Jacob Sichimitis intulerunt non erat justum. *Prob.* 1° quia illatum fuit sine legitima auctoritate, nempe inconsulto Jacob, cujus erat vindicare injuriam factam suæ filiæ; 2° illatum fuit contra fidem datam et pactum quod inierant filii Jacob cum Sichimitis; 3° quia Sichimitas ex recenti vulnere debilitatos, et ad bellum imparatos et inermes aggressi sunt, quod sapit crudelitatem; 4° quia longe majorem vindictam sumpserunt quam mereretur facinus Sichem: offerebat enim Hemor totam quam poterat satisfactionem, nec majorem exigebant Jacob et ejus filii, et tamen non solum reum, sed omnes masculos insontes occiderunt, urbem depopulati sunt, greges et armenta, mulieres et pueros abduxerunt.

Unde Jacob graviter objurgavit Simeonem et Levi, auctores facinoris, Genes. 34, v. 30: *Turbastis me*, inquit, *et odiosum fecistis me Cananæis et Pherezæis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus; illi congregati percutient me, et delebor ego et domus mea.* Et dum moriens benediceret filiis suis, de Simeone et Levi sic loquitur, Genes. 49: *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In concilium eorum non veniat anima, et in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Quæ verba, juxta S. Hieron. in Traditionibus Hebraicis, intelliguntur de cæde Sichimitarum per Simeonem et Levi.

Dices 1° Jacob, Genes. 48, v. 22, dicit filio Joseph: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de domo Amorrhæi in gladio et arcu meo.* Quod sic vertunt Septuaginta interpretes: *Do tibi Sichimam præcipuum supra fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo et sagitta.* Amorrhæi autem erant Sichimitæ: si ergo Jacob judicasset bellum contra Sichimitas injustum, eorum urbem non retinuisset, nec legasset filio suo Joseph, sed legitimis dominis restituisset. Ergo.

R. partem illam quam Jacob præcipuum dedit Joseph, non fuisse urbem Sichem, sed partem agri vicini quam centum agnis emerat a popularibus Hemor, Genes. 33, v. 19. Vox enim *Sichem* quam usurpant Septuaginta interpretes est ambiguæ significationis: quando sumitur ut nomen proprium, significat urbem Sichem; quando sumitur ut nomen appellativum, significat partem: sic autem hic accipi constat non solum ex S. Hieron. et latina versione, sed ex syriaca et arabica, et ex paraphrasi chaldaica. Dicit autem Jacob se eam tulisse *in gladio et arcu*, quia, licet eam primo emerat a popularibus Hemor, postea tamen Amorrhæos e vicino agro armis expulit, quia illam injuste irrepuerant a Sichimitis. Neque verum est *Hemor* et *Sichem* fuisse Amorrhæos; erant enim juxta S. Scripturam *Hevæi*. Insuper incredibile est Jacob, qui invasionem urbis Sichem tanquam injustam suis filiis exprobravit, et cujus auctoribus Simoni et Levi cap. seq. moriens maledicit, urbem hanc retinuisse, de ejus invasione gloriari, et eam Josepho tanquam suam dedisse.

Dices 2° Judith, cap. 9, laudat zelum Simeonis in invasione et eversione urbis Sichem.

R. Judith hac in re sensum Scripturæ non attigisse, vel tantum spectasse primum propositum Simeonis et Levi quo intendebant juste ulcisci stuprum Dinæ et familiæ dedecus. Nec obstat quod Judith dicat Deum illos adjuvisse; sæpe enim Deus adjuvat temporaliter peccatores.

FINIS TOMI QUINTI.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Petitionum, Consectariorum, Digressionum, etc., quæ in hoc tomo V continentur.

TRACTATUS DE FIDE. DISSERTATIO I. De objecto fidei. 1
Art. I. Quodnam sit objectum fidei? Ib.
Solvuntur objectiones. 2
Art. II. In quod fit ultima resolutio seu analysis fidei nostræ? 4
Petes utrum revelationes privatæ pertineant ad fidem? 6
Art. III. Utrum fidei possit subesse falsum? Ib.
Solvuntur objectiones. 8
Art. IV. Utrum objectum fidei sit necessario obscurum, et quomodo obscuritas se habeat ad illud? 9
Art. V. Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide? Ib.
Art. VI. Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia? 10
Solvuntur objectiones. 11
Art. VII. De articulis et symbolis fidei. 13
§ I. De articulis fidei. Ib.
Petes 1° utrum credibilia convenienter distinguantur per articulos? Ib.
Petes 2° quot sint articuli fidei? Ib.
Petes 3° utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint? 14
§ II. De symbolis fidei. 15
Petes 1° quid sit fidei symbolum? Ib.
Petes 2° an conveniens fuit articulos fidei redigi in symbolum? Ib.
Petes 3° quot sint fidei symbola in Ecclesia? Ib.
Petes 4° quare plura symbola proponuntur in Ecclesia? Ib.
Digressio prima historica. Utrum symbolum quod dicitur Apostolorum, sit ad Apostolis editum? Ib.
Digressio secunda historica. Utrum symbolum quod dicitur S. Athanasii sit genuinum ejus opus? 16
DISSERTATIO II. De motivis credibilitatis religionis christianæ, adversus incredulos vulgo deistas. 17
Art. I. Vaticinia Prophetarum de religione christiana et ejus auctore. 18
Art. II. Miracula Christi et Apostolorum, item promissiones Christi adimpletæ in confirmationem religionis christianæ. 20
§ I. Quædam quæstiones circa miracula breviter resolvuntur. Ib.
Petes 1° quid sit miraculum? 20
Petes 2° utrum omnia quæ videntur aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula? 21
Petes 3° quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturæ nobis ignota, ideoque esse verum miraculum? Ib.
Petes 4° unde dignosci possit factum miraculosum quod narratur, non esse suppositum et fabulosum? 22
§ II. Facta sunt vera miracula in confirmationem religionis christianæ. Ib.
Primum. Libri novi Testamenti non sunt supposititi. Ib.
Secundum. Facta quæ narrant sunt vera. Ib.
Tertium. Ista facta sunt vera miracula. 23
§ III. Prophetiæ et promissiones Christi adimpletæ. 25
Art. III. Modus mirabilis et plane divinus quo Christiana religio fuit fundata et propagata. Ib.
DISSERTATIO III. De actu interno et externo fidei. 26
Art. I. Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem? Ib.
Art. II. Utrum, in hoc statu legis evangelicæ, fides explicita Incarnationis et Trinitatis sit necessaria necessitate medii ad salutem? 28
Solvuntur objectiones. 34
Art. III. Cæteræ difficultates circa actum fidei internum expenduntur 33
§ I. Quæ sint credenda necessitate præcepti? Ib.
§ II. Quandonam obliget præceptum fidei? 34
§ III. Utrum ad assensum fidei requirantur motio voluntatis? 36
Petes 1° utrum actus fidei possit esse meritorius? 37
Petes 2° utrum ratio inductiva ad credendum, seu motiva credibilitatis, minuant meritum fidei? Ib.
Art. IV. De actu fidei externo. Ib.
§ I. De præcepto actus fidei externi negativo. Ib.
§ II. De præcepto actus fidei externi affirmativo. 39
DISSERTATIO IV. De habitu, subjecto, causis et effectibus fidei. 41

Art. 1. De habitu fidei, per quæstiunculas. 41
Petes 1° utrum fides recte definiatur ab Apostolo, Hebr. 11 : *Sperandarum*, etc. Ib.
Petes 2° utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto? Ib.
Petes 3° utrum charitas sit forma fidei? Ib.
Petes 4° utrum fides informis sit virtus? Ib.
Petes 5° utrum fides dicenda sit virtus intellectualis? 42
Petes 6° utrum sit idem habitus fidei formatæ et informis? Ib.
Petes 7° utrum fides sit prima inter virtutes? Ib.
Petes 8° utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus? 43
Petes 9° utrum fides sit discursiva? 44
Art. II. De habentibus fidem. Ib.
Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem. 47
Petes utrum fides possit esse major in uno quam in alio? 49
DISSERTATIO V. De vitiis fidei oppositis. Ib.
Art. I. De infidelitate in communi, per quæstiunculas. Ib.
Petes 1° utrum infidelitas sit peccatum? 50
Petes 2° utrum infidelitas sit in intellectu? Ib.
Petes 3° utrum infidelitas sit maximum peccatorum? Ib.
Petes 4° utrum omnia infidelium opera sint peccata? Ib.
Petes 5° quot sint species infidelitatis? Ib.
Petes 6° quæ species infidelitatis sit gravius peccatum? 51
Petes 7° utrum sit licitum disputare de fide cum infidelibus? Ib.
Art. II. Utrum infideles sint cogendi ad fidem? 52
Petes utrum ritus infidelium sint tolerandi? 54
Art. III. De hæresi. Ib.
§ I. Quid et quotuplex sit hæresis? Ib.
Petes 1° utrum qui negaret conclusionem theologicam, esset hæreticus? 56
Petes 2° utrum dubius in fide sit hæreticus? Ib.
§ II. De pœnis hæreticorum. 57
§ III. Utrum omnes hæretici manifesti priventur jurisdictione, sic ut non possint valide absolvere? 58
§ IV. Quis possit absolvere ab hæresi? 61
Petes utrum saltem virtute jubilæi possint confessarii absolvere ab hæresi occulta? Ib.
§ V. De libris hæreticorum et aliis prohibitis. Ib.
Petes utrum qui legit in libris catholicorum quædam dicta exscripta ex libris hæreticorum vel aliorum damnatorum, peccet et incurrat excommunicationem? Ib.
Art. IV. De apostasia. 64
Art. V. De blasphemia. Ib.
Petes cur virtuti opponatur blasphemia? 66
TRACTATUS DE REGULIS FIDEI. DISSERTATIO I. De Scriptura sacra. 67
Art. I. Quid sit, et an sit Scriptura sacra? 67
Art. II. Utrum singula Scripturæ verba sint a Spiritu sancto dictata? 68
Solvuntur objectiones. 69
Art. III. De divisione Scripturæ sacræ. 71
Petes utrum libri deuterocanonici sint æquales auctoritatis ac protocanonici. 72
Art. IV. De variis Scripturæ sacræ versionibus. 72
Versio chaldaica. Ib.
Versio syriaca. Ib.
Versio græca. 73
Versio latina. 74
Art. V. De auctoritate textus hebraici et græci, necnon editionis Septuaginta. Ib.
Art. VI. De auctoritate Vulgatæ editionis. 76
Art. VII. Utrum liceat legere Scripturam sacram in lingua vulgari? 79
Petes 1° Utrum saltem pastores, concionatores et ii qui ad hæc munia disponuntur, possint legere S. Scripturam in lingua vulgari? 81
Petes 2° utrum qui curæ animarum non deputantur, sciunt tamen linguam latinam, possint legere S. Scripturam in vulgari lingua? Ib.
Art. VIII. De Scripturæ sacræ sensibus. Ib.
Petes 1° ad quem sensum pertineat parabolicus? 82
Petes 2° utrum omnis textus S. Scripturæ habeat sensum litteralem? Ib.
Petes 3° utrum idem textus S. Scripturæ possit habere plures sensus litterales? 83
Petes 4° an quatuor sensus assignati, litteralis et triplex mysticus, possint reperiri in uno textu S. Scripturæ? Ib.
Petes 5° an in quolibet textu S. Scripturæ isti quatuor sensus reperiantur? Ib.
Petes 6° quis sensus sit potior, an litteralis, an mysticus? Ib.
Petes 7° utrum sensus S. Scripturæ sit obscurus? Ib.
Petes 8° quare sensus S. Scripturæ sit obscurus? 84
Petes 9° cujus sit judicare de vero sensu S. Scripturæ? Ib.
Petes 10° an non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem S. Scripturæ? Ib.
Petes 11° quid sit sensus accommodatitius? 85
Petes 12° utrum liceat cuique privato usurpare verba S. Scripturæ in sensu accommodatitio? Ib.
DISSERTATIO II. De traditionibus. Ib.
Art. I. Quid, quotuplex sit traditio, et quantæ auctoritatis? Ib.
Petes quæ sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam? 86
Art. II. Utrum traditiones divinæ sint necessario admittendæ? Ib.
Solvuntur objectiones. 88
DISSERTATIO III. De Ecclesia. 93
Art. I. Quid sit Ecclesia? Ib.

Art II. Qui sint in Ecclesia? 94
§ I. Utrum omnes et soli prædestinati sint in Ecclesia? Ib.
§ II. Utrum soli justi sint in Ecclesia? 95
§ III. Utrum catechumeni sint in Ecclesia? 96
§ IV. Utrum hæretici sint in Ecclesia? 97
§ V. Utrum schismatici et excommunicati sint in Ecclesia? 98
Art. III Utrum Ecclesia sit visibilis? 99
Solvuntur objectiones. 100
Petes utrum visibilitas competat sectis hæreticorum? 102
Art. IV. De notis veræ Ecclesiæ. Ib.
§ I. An et quæ sint notæ veræ Ecclesiæ? Ib.
Vera Ecclesia est una. Ib.
Vera Ecclesia est sancta. 103
Vera Ecclesia est catholica. Ib.
Vera Ecclesia est apostolica. 104
§ II. Cui Ecclesiæ hæ quatuor notæ conveniant? Ib.
Art. V. Utrum Ecclesia possit deficere, seu errare in fide et moribus?
Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione ordinum religiosorum?
Solvuntur objectiones.
Contra infallibilitatem Ecclesiæ circa mores.
Art. VI. Utrum Ecclesia sit supremus judex controversiarum fidei? 113
Solvuntur objectiones. 116
Art. VII. Utrum judicium Ecclesiæ de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis, sit infallibile? 119
§ I. Prænotanda. Ib.
§ II. Resolutio quæstionis. 121
§ III. Solvuntur objectiones. 125
§ IV. Solvuntur objectiones petitæ ex causa Trium Capitulorum. 133
Synopsis historica Trium Capitulorum. Ib.
Corollarium. De appellatione a constitutione *Unigenitus* ad concilium generale futurum. 136
Art. VIII. Utrum Ecclesia sit infallibilis in canonisatione sanctorum? 142
DISSERTATIO IV. De Summo pontifice. 145
Art. I. De primatu sancti Petri. Ib.
Solvuntur objectiones. 148
Art. II. De sessione S. Petri Romæ. 154
Solvuntur objectiones. 156
Art. III. De primatu Romani pontificis. 159
Solvuntur objectiones. 163
Art. IV. Quo jure Ecclesiæ pontificatus sit episcopatui Romano annexus? 171
Solvuntur objectiones 172
Art. V. De infallibilitate seu inerrantia summi pontificis in definiendis quæstionibus fidei et morum. 174
§ I. Prænotanda. Ib.
§ II. Communis sententia asseritur, et invictis S. Scripturæ testimoniis probatur. 176
§ III. Probatur conclusio ex SS. Patribus. 180
§ IV. Probatur conclusio ex conciliis et pontificibus. 183
§ V. Probatur conclusio ex Patribus, episcopis et theologis Gallicanis. 188
§ VI. Probatur conclusio ex praxi Ecclesiæ ab exordio. 191
§ VII. Probatur conclusio ratione. Ib.
§ VIII. Probatur conclusio ex absurdis adversæ sententiæ. 192
Petes 1° utrum celebris Declaratio cleri sit definitio ecclesiæ Gallicanæ. 194
Petes 2° quis fuerit Academiæ Parisiensis sensus circa hanc aliquorum episcoporum Declarationem? Ib.
Petes 3° quem exitum habuerit hæc Declaratio? Ib.
§ IX. Præcluditur commune et præcipuum effugium adversariorum. 195
Art. VI. Solvuntur objectiones. 196
§ I. Solvuntur objectiones petitæ ex inutilitate conciliorum et ex SS. Cypriano et Augustino. Ib.
§ II. Solvuntur objectiones ab exemplis summorum pontificum qui dicuntur errasse. 199
S. Petrus, Zepherinus, Stephanus I, Marcellinus, Liberius. Ib.
Zozimus. 201
Hormisdas, Vigilius, Honorius. 202
Gregorius III, Stephanus II, Nicolaus I, Stephanus VII. Sergius III. 203
Cœlestinus II, Alexander III, Bonifacius VIII, Bonifacius IX, Joannes XXII, Sixtus V. Ib.
§ III. Solvuntur objectiones petitæ a summis pontificibus qui dicuntur se agnovisse fallibiles, aut ab aliis habiti sunt fallibiles. 205
Art. VII. De præeminentia summi pontificis supra concilium generale. 206
Art. VIII. Solvuntur objectiones. 213
§ I. Solvuntur objectiones ex concilio Constantiensi et Basileensi. Ib.
§ II. Solvuntur cæteræ objectiones. 220
Art. IX. Utrum sit de fide Clementem XIV esse summum pontificem? 225
DISSERTATIO V. De conciliis generalibus. 228
Art. I. Cujus sit convocare concilium generale? 229
Solvuntur objectiones. 230
Art. II. Qui sint de jure vocandi ad concilium generale? 231
Art. III. Cujus sit præsidere concilio generali? 233
Art. IV. Utrum concilium generale sit infallibile in definiendis quæstionibus fidei et morum? 234
Solvuntur objectiones. Ib.
Art. V. Utrum concilium generale debeat necessario confirmari a summo pontifice? 237
Synopsis historica conciliorum generalium in Ecclesia receptorum. 239
Sectio I. De conciliis generalibus in Oriente celebratis. Ib.
Concilium Nicænum, generale primum. Ib.
Concilium Constantinopolitanum I, generale secundum. 241
Concilium Ephesinum, generale tertium. Ib.

Concilium Chalcedonense, generale quartum. 242
Concilium Constantinopolitanum II, generale quintum. Ib.
Concilium Constantinopolitanum III, generale sextum. Ib.
Concilium Nicænum II, generale septimum. Ib.
Concilium Constantinopolitanum IV, generale octavum. Ib.
Sectio II. De conciliis generalibus in Occidente celebratis. 243
Concilium Lateranense I, generale, nonum. Ib.
Concilium Lateranense II, generale decimum. 244
Concilium Lateranense III, generale undecimum. 245
Concilium Lateranense IV, generale duodecim. Ib.
Concilium Lugdunense I, generale decimum tertium. 246
Concilium Lugdunense II, generale decimum quartum. Ib.
Concilium Viennense, generale decimum quintum. 247
Concilium Pisanum, generale decimum sextum. 248
Concilium Constantiense, generale decimum septimum. 249
Concilium Florentinum, generale decimum octavum. 250
Concilium Lateranense V, generale decimum nonum. 252
Concilium Tridentinum, generale vigesimum et ultimum. 253
TRACTATUS DE SPE. DISSERTATIO UNICA. 255
Art. I. Quid sit spes? Ib.
Art. II. Quodnam sit objectum spei? 256
§ I. Quodnam sit objectum formale *quod* spei? Ib.
Solvuntur objectiones. 257
§ II. Quodnam sit objectum formale *quo* spei? 258
Art. III. De subjecto spei. 260
Solvuntur objectiones contra hanc ultimam conclusionem. 261
Art. IV. De dono timoris, per quæstiunculas. 263
Petes 1° utrum Deus possit timeri? Ib.
Petes 2° quotuplex sit timor? Ib.
Petes 3° utrum timor mundanus sit semper malus? Ib.
Petes 4° utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo quod per illum committitur? Ib.
Petes 5° utrum timor servilis sit bonus? 264
Petes 6° utrum timor servilis et filialis sint idem in substantia? Ib.
Petes 7° utrum timor servilis remaneat cum charitate? Ib.
Petes 8° utrum timor sit initium sapientiæ, et quomodo? Ib.
Petes 9° utrum timor initialis differat essentialiter a filiali? Ib.
Petes 10° utrum timor servilis sit donum Spiritus sancti? 265
Petes 11° utrum timor servilis sit habitus et virtus? Ib.
Petes 12° utrum crescente charitate minuatur timor? Ib.
Petes 13° utrum timor remaneat in patria? Ib.
Art. V. De vitiis spei oppositis. 266
§ I. De desperatione. Ib.
§ II. De præsumptione. 268
Petes utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum, vel minuat? 269
TRACTATUS DE CHARITATE. DISSERTATIO I. De charitate secundum se. Ib.
Art. I. Quid sit charitas? 270
Art. II. Utrum charitas sit proprie dicta amicitia inter Deum et hominem? 271
Solvuntur objectiones. 272
Art. III. De objecto charitatis. 273
§ I. Quodnam sit objectum formale charitatis? 274
§ II. Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus? 275
Consectarium. 277
Art. IV. Quomodo charitas se habeat ad alias virtutes? Ib.
DISSERTATIO II. De augmento, diminutione et amissione charitatis. 279
Art. I. Utrum charitas possit augeri, et quomodo? Ib.
Art. II. Utrum quolibet actu charitatis etiam remisso augeatur charitas? 281
Art. III. Quandonam confertur augmentum gratiæ et charitatis actibus remissis debitum? 283
Solvuntur objectiones. 286
Art. IV. De diminutione et amissione charitatis? 288
§ I. Utrum charitas possit diminui? Ib.
§ II. Utrum charitas possit amitti? 289
§ III. Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas? 290
DISSERTATIO III. De charitate erga proximum. 291
Art. I. Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum et peccatores? 292
Art. II. Utrum inimici sint ex charitate diligendi? 293
Art. III. Utrum inimicis sint exhibenda signa et opera charitatis? 294
Casus speciales. 296
Petes 1° utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti? Ib.
Petes 2° quis sit sensus hujus sententiæ Christi, Matth. 5: *Si offers munus tuum ad altare*, etc. 297
DISSERTATIO IV. De ordine et præcipuo actu charitatis qui est dilectio. Ib.
Art. I. Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus quam proximus? Ib.
Solvuntur objectiones. 299
Art. II. Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere quam proximum? 301

Art. III. Utrum homo magis debeat diligere proximum quam proprium corpus? 303
Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi? 304
Art. IV. Quis sit ordo servandus in dilectione proximorum? 306
Consectaria. 308
Art. V. An et quo sensu liceat Deum diligere et illi servire propter retributionem? 309
Art. VI. Utrum sit melius et magis meritorium diligere inimicum quam amicum? 311
Art. VII. De præceptis charitatis. 312
§ I. Utrum detur speciale præceptum diligendi Deum actu interno? Ib.
§ II. Quandonam obliget præceptum charitatis? 314
Art. VIII. An et quomodo homo deliberate agens teneatur omnia et singula sua opera referre in Deum? 315
Solvuntur objectiones. Ex S. Scriptura. 324
Ex S. Thoma. 325
Ex S. Augustino. 330
A ratione. 336
DISSERTATIO V. De eleemosyna. 337
Art. I. Quid et quotuplex sit eleemosyna? Ib.
Art. II. Utrum dare eleemosynam sit in præcepto, et quando? 338
§ I. Notanda et supponenda. Ib.
§ II. Resolvitur quæstio. 340
Art. III. Variæ quæstiones circa eleemosynam breviter resolvuntur. 345
Petes 1° utrum quis satisfaciat præcepto eleemosynæ, pauperi mutuando, commodando, aut vendendo credito? Ib.
Petes 2° utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis? Ib.
Petes 3° quia possit facere eleemosynam? 346
Petes 4° utrum clerici strictius quam laici teneantur ad eleemosynas? Ib.
Petes 5° utrum fictus pauper peccet petendo et accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere? Ib.
Petes 6° utrum qui præficitur distributioni eleemosynarum possit sibi retinere partem, si vere sit pauper? Ib.
Petes 7° utrum magistratus possint impedire ne in suis locis pauperes extranei mendicent. 347
Petes 8° utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus qui si vellent non egerent? Ib.
DISSERTATIO VI. De correptione fraterna. Ib.
Art. 1. Utrum correptio fraterna sit in præcepto? Ib.
Art. II. Quæ conditiones requiruntur ut præceptum correptioni fraternæ obliget? 349
Materia sufficiens. Ib.
Circa peccata ignorantiæ. 350
Notitia peccati. Ib.
Spes emendationis. 351
Necessitas correptionis. Ib.
Art. III. Aliæ difficultates circa præceptum correptionis fraternæ discutiuntur. 352
Petes 1° utrum præceptum correptionis fraternæ obliget cum damno corripientis? 352
Petes 2° quinam tenentur ex præcepto facere correptionem fraternam? Ib.
Petes 3° utrum peccator teneatur se emendare ut alium corripiat? 353
Art. IV. De ordine correptionis fraternæ. 354
§ I. Utrum in correptione fraterna admonitio secreta debeat præcedere denuntiationem? 355
§ II. Utrum inductio testium debeat præcedere denuntiationem? 357
DISSERTATIO VII. De vitiis charitati oppositis. 359
Art. I. De odio Dei et proximi, per quæstiunculas. Ib.
Petes 1° quid sit odium in communi et quotuplex? Ib.
Petes 2° utrum Deus possit odio haberi? Ib.
Petes 3° utrum odium Dei sit omnium peccatorum maximum? 360
Petes 4° utrum odium proximi sit peccatum et quantum? Ib
Petes 5° utrum odium proximi sit gravissimum peccatorum quæ in proximum committuntur? 361
Petes 6° utrum omnia odia sint ejusdem speciei? Ib.
Art. II. De acedia, invidia, discordia, contentione et schismate. Ib.
Art. III. De bello. 363
§ I. Utrum bellare sit semper peccatum. 364
Solvuntur objectiones. Ib.
§ II. Expenduntur tres assignatæ conditones ad bellum justum. Legitima auctoritas. 366
Causa justa. 367
Petes 1° utrum si dubia sit justitia belli, bellum sit licitum? 368
Petes 2° utrum bellum possit esse justum ex utraque parte? Ib.
Recta intentio. Ib.
§ III. Quid et quantum liceat in bello justo? Quæ sint obligationes et peccata bellantium? 369
§ IV. Utrum clericis sit licitum bellare? 370
§ V. Cæteræ difficultates spectantes bellum succincte discutiuntur. 371
Petes 1° utrum liceat uti insidiis in bello? Ib.
Petes 2° utrum sit licitum bellare diebus festis? 372
Petes 3° utrum princeps catholicus possit vocare in auxilium infideles aut hæreticos, vel eos juvare? Ib.
Petes 4° utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda? Ib.
Petes 5° utrum repræsaliæ sint licitæ? Ib.
Art. IV. De rixa et seditione. 373
Art. V. De duello. Ib.
§ I Quid sit duellum? Ib.
§ II Utrum duellum sit licitum? 374
§ III Quæ sint pœnæ duellantium? 376
Petes 1° utrum provocantes principales et pro se, pugna non secuta, incurrant excommunicationem? Ib.

Petes 2° utrum qui se provocant, non animo pugnandi, incurrant excommunicationem? 377
Petes 3° utrum si parato ad duellum commodem arma meliora, incurram excommunicationem? Ib.
Petes 4° utrum qui ratam habet pugnam vel provocationem, etc. incurrat excommunicationem? Ib.
Petes 5° utrum omnes istæ pœnæ incurrantur ipso facto ante sententiam judicis? Ib.
Petes 6° quis possit absolvere a casu duelli. 378
Art. VI. De scandalo. Ib.
§ I. Quid et quotuplex sit scandalum? Ib.
§ II. Utrum scandalum sit peccatum? 379
§ III. Utrum scandalum sit speciale peccatum? Ib.
Consectaria præcedentis doctrinæ. 381
§ IV. Utrum bona tam spiritualia quam temporalia sint dimittenda propter scandalum passivum vitandum? 382
§ V. Cæteræ difficultates circa scandalum breviter resolvuntur? 384
Petes 1° utrum sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id quod non est facturus sine peccato? Ib.
Petes 2° utrum cooperari materialiter peccato alterius sit peccatum scandali? Ib.
Petes 3° utrum scandalum reperiatur in viris perfectis? Ib
Digressio historica. Utrum bellum quod filii Jacob intulerunt Sichimitis propter stuprum Dinæ sorori illatum, fuerit justum? Ib

EXPLICIT INDEX TOMI QUINTI.

BILLUART

THEOLOGIA

JUXTA MENTEM D. THOMÆ

MORALIS

TOMUS III

TYPOGRAPHIE FIRMIN-DIDOT ET C^ie^. — MESNIL (

SUMMA

SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA

SIVE

CURSUS THEOLOGIÆ

JUXTA MENTEM DIVI THOMÆ

INSERTIS PRO RE NATA DIGRESSIONIBUS IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM

OPERA ET STUDIO

F. CAROLI RENATI BILLUART

REVINIENSIS, ORDINIS FF. PRÆDICATORUM, S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ETC.

EDITIO NOVA, ACCURATE EMENDATA

Accedunt index testimoniorum ex bibliis desumptorum indexque generalis et alphabeticus rerum atque verborum

---

TOMUS VI

DE PRUDENTIA; DE JURE ET JUSTITIA; DE STATU RELIGIOSO

quibus ultimis tractatibus accedunt

VARIÆ ANNOTATIONES DE IIS QUÆ JURE NOVO CIVILI STATUUNTUR

*auctore G***, Theologiæ professore*

PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA BONAPARTE, 90

—

1904

TRACTATUS

DE PRUDENTIA.

1. Th. a. Q. 47 ad 56.

Quamvis prudentia sit virtutum cardinalium prima et nobilissima, pauca tamen scitu necessaria ad praxim de ea occurrunt dicenda : quapropter, quæ fuse discutit S. Doctor, ea nos compendiose tractabimus.

DISSERTATIO I.

DE PRUDENTIA SECUNDUM SE.

ARTICULUS I.

Quid sit prudentia?

Q. 47. a. 1. o. — Prudentia dicta est a *porrovidendo;* quia *prudens*, inquit Isidorus lib. 10 Etymol. *dicitur quasi porro videns; perspicax est enim et incertorum prævidet casus.*

Ibid. a. 2. ad 2.— Dupliciter sumi potest : 1° largius, pro qualibet cognitione veri ad mores pertinente, sive sit speculativa sive practica; quo sensu comprehendit fidem et theologiam, ac sæpe in S. Scripturis vocatur sapientia : 2° sumitur stricte pro notitia practica proxime morum directrice. De ea sic sumpta hic agimus.

Ibid. ad 1. et 2. in a. 5. o.—*Dico* 1° Prudentia varie a variis definitur. Ab Aristotele 6 Ethic. cap. 5 : *Habitus cum ratione vera circa bona humana activus.* Item : *Recta ratio agibilium.* A S. Aug. lib. 83 QQ. *Cognitio rerum appetendarum et fugiendarum.* Ab aliis : *Virtus intellectiva qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe.* Item : *Habitus intellectivus humanarum actionum secundum rectam rationem directivus in omni eventu.* Hæ omnes definitiones in idem redeunt et sunt bonæ : *patebit ex sequentibus.*

Ibid. a. 1. et 2. o. — *Dico* 2° Prudentia non subjectatur in appetitu, sed in intellectu practico.

Ibid. a. 1. o.— *Prima pars patet* ex ipso nomine; prudentia enim, ut notatum est, dicitur a *visione;* visio autem non est virtus partis appetitivæ, sed cognoscitivæ : ergo prudentia pertinet ad vim cognoscitivam, non equidem sensitivam; quia per sensitivam cognoscuntur solum ea quæ præsto sunt et sensibus offeruntur, per prudentiam vero cognoscuntur futura ex præsentibus vel præteritis, quod fit per quamdam collationem, proindeque pertinet ad rationem seu intellectum.

Ibid. a. 2. o.— *Prob. secunda pars.* Prudentis esse posse bene consiliari : atqui consilium est de his quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem, et ratio eorum quæ sunt agenda propter finem est ratio practica. Ergo.

Dices contra primam partem. Prudentia est cognoscitiva singularium, cum ad ipsam pertineat applicatio ad operationem : operationes autem sunt in singularibus, et nullus posset recte applicare nisi cognosca id quod applicat et id cui applicat : atqui intellectus non est cognoscitivus singularium, sed universalium tantum; cognoscere autem singularia est cogitativæ. Ergo.

Ibid. a. 3. o.— *R.* prudentiam equidem esse cognoscitivam nedum singularium sed et universalium, quatenus applicat universalia principia rationis ad singularia. Sed *D. min.* Intellectus non est cognoscitivus singularium directe, *C.* indirecte, *N.*—**1. p. q. 86. a. 1. o. et q. 10. de verit. a. 5. o.**— Fateor itaque intellectum pro hoc statu conjunctionis ad corpus, non cognoscere directe singularia; quia id directe cognoscitur quod directe per speciem intelligibilem repræsentatur : per speciem autem intelligibilem, cum sit abstracta a conditionibus indi-

duantibus, non repræsentantur directe singularia, sed naturæ duntaxat universales. Potest tamen indirecte et per quamdam reflexionem singularia cognoscere, quatenus cognoscendo objectum suum quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, et ulterius in speciem quæ est sui actus principium, et ulterius in phantasma a quo species est abstracta, et sic aliquam cognitionem de singularibus accipit.

Ibid. a. 4. et 5. o. — *Dico* 3° Prudentia est vera et specialis virtus ab aliis distincta.

Ibid. a. 4. o. — *Prob. prima pars.* Virtus est quæ bonum facit habentem, et ejus opus bonum reddit : atqui talis est prudentia. Ergo.

Confirmatur et simul probatur min. Prudentia est mensura et regula aliarum virtutum moralium, rationem virtutis in eis imprimens : ergo ipsa non potest non esse virtus. *Prob. ant.* Sic, v. g. jejunium non est actus virtutis temperantiæ, nisi fiat secundum leges prudentiæ, scilicet eo loco, tempore, modo et circumstantiis quas prudentia dictat et determinat; et sic de cæteris.

Explicatur magis notio virtutis prudentiæ. Virtutes morales quæ sunt in appetitu, sufficienter quidem inclinant hominem ad sua objecta ut sic, nimirum justitia ad reddendum cuique jus suum, fortitudo ad fortiter agendum in periculis, temperantia ad temperate vivendum : sed quia non est veræ virtutis opus nisi servet medium rationis, hoc est, nisi vestiatur omnibus debitis circumstantiis, puta, nisi fiat quando, ubi, quomodo, quantum, etc., fieri debet, necesse est aliam esse virtutem in intellectu quæ suo lumine præfatas virtutes dirigat in attingendo medio rationis, indicando scilicet media congrua et circumstantias debitas cum quibus debeat fieri opus virtutis. Et ea est virtus quam dicimus prudentiam.

Ibid. a. 5. o. — *Prob. secunda pars conclusionis.* Prudentia habet speciale objectum formale, nimirum agibile in omni materia virtutum ut conforme appetitui recto : atqui virtutes distinguuntur per objecta formalia. Ergo.

Ibid. — Insuper varie differt prudentia a cæteris virtutibus : ab intellectualibus, in eo quod sapientia, scientia et intellectus sint circa necessaria; ars autem et prudentia circa contingentia : sed ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus et ejusmodi; prudentia autem est circa agibilia, quæ in ipso operante permanent, ut videre, velle et ejusmodi.

Ab aliis virtutibus moralibus distinguitur, quod istæ sint in appetitu, earumque actus elicitus sit appetitio; prudentia vero, in intellectu, ejusque actus elicitus sit notitia. Unde sequitur alia differentia, quod prudentia sit regula aliarum virtutum moralium; quia actus appetitus dirigitur per intellectum.

Sed petes sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? utrumque enim videtur adstruere hic S. Thomas; primum a. 5, ad 3, secundum a. 4, o. Fieri autem nequit ut eadem virtus respiciat suum objectum sub diversa ratione formali.

R. prudentiam respicere primo et essentialiter suum objectum sub ratione veri practici, consequenter et secundario sub ratione boni, in quo nulla est implicantia. *Pro cujus intelligentia*,

1. 2. q. 57. a. 5. ad 3. — *Nota*, aliud esse verum speculativum, alium practicum. Verum speculativum attenditur per conformitatem intellectus ad rem, ut scilicet intellectus concipiat et enuntiet rem sicuti est; practicum, per conformitatem ad appetitum rectum, ut scilicet intellectus concipiat et enuntiet id quod est conforme appetitui recte.

Prudentia itaque primo attingit suum objectum sub ratione veri practici; quia, ut dictum est, ejus objectum est agibile et conforme appetitui recto, adeoque practice verum; et sub hac ratione est virtus intellectualis, cui non subest falsum. Et quia non cognoscit istud honestum seu conforme appetitui recto, ut in ejus cognitione sistat, sed ut illud per alias virtutes morales operetur, quod est bonum; ideo secundario respicit suum objectum sub ratione boni, sicque ratione materiæ et finis est virtus moralis, non quidem elicitiva morum, ut aliæ virtutes, justitia, fortitudo et temperantia, sed directiva morum.

Dices 1° Judicium prudentiæ potest esse falsum, ut patet in congressu Jacob cum Lia: ergo prudentia non respicit suum objectum sub ratione veri.

R. Nego judicium proprium prudenti,

posse esse falsum, cum ipsa supponat rectitudinem appetitus, cui conformiter judicat. Fuerit ergo error speculativus in Jacob, quod crediderit hanc quæ ipsi offerebatur esse suam, non est hoc judicium prudentiæ; sed quod, posito hoc errore inculpato et aliis circumstantiis, judicaverit honestum esse accedere ad eam quæ ipsi offerebatur, hoc fuit judicium prudentiæ, nec falsum, sed conforme appetitui recto, ideoque non peccavit.

Non obstat etiam quod qui prudenter egerunt, quandoque postea dubiteut an bene egerint; hoc enim dubium sequens, ortum vel ex oblivione alicujus circumstantiæ, vel ex noxæ supervenientis consideratione, vel ex eo quod non simus absolute certi quod prudenter egerimus, non facit quod judicium præcedens, si vere fuerit ex prudentia, sit falsum.

Diees 2o Prudentia versatur circa singularia de quibus certitudo haberi non potest, tum quia sunt contingentia, tum quia sunt infinita, quæ ratione comprehendi non possunt: unde Sap. 9, dicuntur providentiæ nostræ incertæ. Ergo.

Q. 47. a. 3. ad 2. et a. 9. ad 2.—*R.* judicium prudentiæ propter rationes objectas non posse esse nobis certum certitudine physica, sed hæc non requiritur in moralibus. Potest autem nobis esse certum certitudine morali, quia per experientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita quæ ut in pluribus accidunt. Insuper dicuntur providentiæ nostræ incertæ propter incertitudinem eventus; quantumvis enim prudenter agamus, non semper attingimus scopum quem intendimus.

ARTICULUS II.

De actibus prudentiæ.

Ib. a. 8. o. — *Dico.* Actus seu functiones prudentiæ sunt: bene consultare, recte judicare et imperare: qui ultimus est præcipuus, quia est propinquior fini rationis practicæ.

Ibid.—*Explicatur.* Prudentia primo consultat seu quærit quæ media, quæ circumstantiæ sint necessariæ ut opus fiat honeste et secundum virtutem, quod est ipsius finis. Deinde judicat et concludit hæc media quæsita et inventa esse bona et convenientia, v. g. tantum, tali loco, tempore, modo esse restituendum, esse abstinendum, etc. Et tandem ea judicata imperat, movendo virtutes morales ad eorum executionem.

Ib. a. 9. o.—Hi autem actus ut bene fiant debent fieri cum sollicitudine et diligentia, prout conditio personæ et negotii requirit; quia prudentiæ est adhibere omnes circumstantias et omnia necessaria ut operatio honeste fiat, quod sine magna diligentia fieri nequit. Unde nemo dicitur prudens qui, sive in consultando, sive in judicando, sive in exequendo, diligentiam debitam pro gravitate rei et conditione personæ non adhibuerit: quam si adhibuerit et fecerit quod potuerit, licet speculative erret, judicium tamen erit prudens et non peccabit, ut jam supra dictum est.

Dices. Cæterarum virtutum moralium est imperare prudentiæ: ergo imperium non est actus prudentiæ. *Prob. ant.* Virtutes morales versantur circa finem, prudentia circa media: atqui virtus quæ est circa finem imperat virtuti quæ est circa media: sic ars militaris imperat equestri, equestris frænofactivæ, et sic de cæteris. Ergo.

Hic a. 6. et 7. o. et 1. 2. q. 66. a. 3. ad 3.—*R. N. ant. Ad probationem D. maj.* Prudentia versatur circa media tantum, *N. ant.* circa media et finem, *C. ant. Explicatur.* Finis virtutum moralium potest considerari dupliciter, in communi et in particulari: in communi, ut esse temperate vivendum, juste agendum, fortiter patiendum; et sic non præscribitur a prudentia, sed a synderesi quæ est habitus primorum moralium: proposita enim per synderesim honestate quæ est in temperate vivendo, appetitus humanus potest illi affici et firmiter velle sic vivere; quod firmum propositum et habitus permanens est virtus. Si autem loquamur de fine particulari et in certo casu; quod, v. g. quantum, quo modo, loco et tempore sit agendum, ut attingatur medium rationis quod est particularis finis virtutis moralis, hunc præscribit prudentia; quatenus non solum dictat media quibus attingatur hic finis, sed etiam dictat et jubet ut per illa in eum tendatur et attingatur.

Petes utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus?

Hic a. 13. et 14. o. — *Ante responsionem nota*, prudentiam aliam esse acquisitam naturalem, quæ non excedit limites rationis naturalis et versatur circa finem naturalem; aliam infusam seu supernaturalem,

quæ excedit limites rationis naturalis et versatur circa finem supernaturalem, scilicet vitam æternam. Acquisita alia est falsa seu per similitudinem dicta, quia quis disponit bene media ad malum finem, puta, ad latrocinandum; quo enim sensu dicitur bonus latro, eodem dici potest prudens latro. Alio vera; et hæc duplex : una imperfecta, qua quis adinvenit vias accommodatas ad aliquem finem particularem, puta, ad negotiandum, ad navigandum, et dicitur prudens negotiator nauta; alia perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, judicat et præcipit. *His notatis*,

Ibid. a. 13. o.—*R.* 1° Prudentia falsa in materia morali, est in solis peccatoribus. *Patet.*

Ibid. — 2° Prudentia vera sed imperfecta, est communis bonis et malis. *Patet etiam.*

Ibid. — 3° Prudentia perfecta acquisita, non est in peccatoribus; quia peccando etiamsi in uno tantum licet non perdant prudentiam secundum rationem habitus, perdunt tamen secundum rationem prudentiæ perfectæ, quæ requirit in omni opere judicium conforme appetitui recto.

Ibid. a. 14. o. et ad 3. et 1. 2. q. 65. a. 2. o. — 4° Prudentia infusa est in solis et omnibus justis quantum ad ea quæ sunt de necessitate salutis. *Patet utraque pars;* quia prudentia infusa non potest esse sine charitate, quæ homo bene se habet circa ultimum finem totius vitæ, nempe Deum : charitas autem est in solis et omnibus justis. Quantum ad prudentiam acquisitam, non est in omnibus justis; quia causatur exercitio actuum, ad quod requiritur experimentum et ætas.

DISSERTATIO II.

DE PARTIBUS PRUDENTIÆ.

D. Th. QQ. 48, 49, 50, 51.

ARTICULUS I.

De partibus prudentiæ in genere.

Q. 48. a. unico. o. — *Dico.* Partes prudentiæ, non secus ac cujusvis alterius virtutis moralis, sunt triplicis generis, scilicet *integrales*, subjectivæ et potentiales.

Ibid. — Partes integrales dicuntur, non quod ex eis tanquam ex partibus confletur, unus habitus potentiæ, sicut domus, v. g. integratur ex pariete, tecto et fundamento; est enim prudentia una virtus, unus habitus, non aliquid ex multis habitibus conflatum. Sed dicuntur partes integrales ad similitudinem partium integralium, ut scilicet ea dicantur partes integrales prudentiæ, sine quibus non est perfectus actus seu usus prudentiæ, sicut non est perfecta domus sine partibus suis integrantibus. Et sic numerantur octo : nempe *memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio* et *cautio*.

Ibid. — Partes subjectivæ sunt species in quas dividitur prudentia ut sic; et sunt duæ, scilicet : prudentia personalis, per quam quis regit seipsum; et prudentia politica seu gubernatrix, per quam aliquis regit multitudinem. Hæc dividitur in diversas species, secundum diversas species multitudinis. Est autem quædam multitudo adunata ad aliquod speciale negotium, sicut exercitus congregatur ad pugnandum, cujus regula est prudentia militaris. Quædam vero multitudo est adunata ad totam vitam, sicut multitudo unius domus vel familiæ, cujus regula est prudentia œconomica. Est etiam multitudo unius civitatis vel regni, cujus regula est in principe prudentia regnativa, in subditis prudentia politica, retento communi nomine.

Ibid. — Partes potentiales prudentiæ dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios vel materias, quasi non habentes totam potentiam prudentiæ; et sunt tres; *eubulia*, quæ est circa consilium; *synesis*, quæ est circa judicium eorum quæ secundum regulas communes fiunt; et *gnome*, quæ est circa judicium eorum in quibus oportet quandoque a communi a lege recedere. Prudentia vero est circa principalem actum qui est præcipere.

ARTICULUS II.

De partibus integralibus prudentiæ.

Q. 49. per 8. articul. — *Dico.* Octo partes assignatæ, scilicet, *memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio* et *cautio*, sunt partes quasi integrales prudentiæ, quia sunt necessariæ ad perfectum actum seu usum prudentiæ; ita ut qui illis sunt præditi, sint aliis prudentiores.

Ibid. a. 1. o. — *Probatur de singulis.* 1° *Memoria*, quæ hic sumitur non pro po-

tentia memorativa, sed pro ipsa recordatione præteritorum, necessaria est ad perfectum usum prudentiæ; quia cum prudentia versetur circa operabilia contingentia, homo debet in iis dirigi ex his quæ in pluribus accidunt. Quid autem sit in pluribus verum, oportet per experimentum considerare, et experimentum est ex plurium rerum memoriis: ergo ad prudentiam requiritur memoria.

Ibid. a. 2. o. et ad 1. et q. præced. — 2° *Intellectus*, seu *intelligentia*, hic non sumitur pro potentia cognoscitiva, neque pro virtute intellectiva, sed tum pro cognitione præsentium, tum pro recta æstimatione alicujus finis aut principii moralis particularis: et hanc concurrere ad perfectum usum prudentiæ *patet;* quia ut quis prudenter judicet, necesse est ut præsentem rei statum bene perspectum habeat, et recte cognoscat principium morale quod conclusioni practicæ applicet.

Hic a. 3. o. — 3° *Docilitas;* quia, ut dictum est, prudentia consistit circa particularia operabilia; in quibus cum sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab alio erudiri, et præcipue ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis sit bene disciplinæ susceptivus.

Ibid. a. 4. o. — *Solertia* est facilis et prompta conjecturatio circa inventionem medii congruentis, maxime ubi aliquid ex repentino occurrit agendum. Id autem multum conducere ad prudentiam evidens est.

Ibid. a. 5. o. — 5° *Ratio;* quia opus prudentis est esse bene consiliativum: consilium autem est inquisitio quædam ex quibusdam ad alia procedens, quod est opus rationis: unde ad prudentiam necessarium est quod homo sit bene ratiocinativus.

Ibid. a. 6. o. et ad 1. — 6° *Providentia*, vel sumitur pro ordinatione mediorum ad finem, vel pro consideratione futurorum eventuum qui possunt sequi ex opere: *et patet* utroque modo concurrere ad perfectum actum prudentiæ. Consule, si lubet, Cajetanum hic.

Ibid. a. 7. o. — 7° *Circumspectio* est attenta consideratio circumstantiarum; contingit enim aliquid secundum se consideratum esse bonum et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus circumstantiis redditur vel malum, vel non opportunum ad finem: unde *patet* quod circumspectio sit prudentiæ necessaria.

Ibid. a. 8. o. — 8° *Cautio* est cura vitandi mala et impedimenta quibus ab extrinseco opus virtutis vitiari aut impediri posset, quod pertinet ad perfectam prudentiam.

ARTICULUS III.

De partibus subjectivis prudentiæ.

Jam notavi art. 1, prudentiam dividi in prudentiam personalem et politicam seu gubernatricem, tanquam in partes subjectivas seu species; politicam seu gubernatricem, in regnativam, œconomicam, militarem et politicam specialiter dictam. Quæstio est modo utrum sint veræ et distinctæ species prudentiæ.

Q. 47. a. 11. o. — *Dico* 1° Prudentia personalis est species prudentiæ distincta a prudentia politica seu gubernatrice; quia habent diversos fines, nempe bonum proprium et bonum commune: ex respectu autem ad diversos fines, specificantur et distinguuntur habitus.

Ibid. ad 3. — Nec obstat quod prudentia respiciens bonum proprium, etiam respiciat bonum commune, quatenus bonum proprium quod est partis, est etiam bonum totius; respicit enim bonum commune consequenter tantum et mediate; prudentia autem politica illud respicit per se et immediate. Sic, licet ars equestris respiciat consequenter et mediate bonum commune exercitus, differt tamen specie ab arte militari.

Q. 50. a. 1. o. — *Dico* 2° Prudentia regnativa est vera species prudentiæ; quia ubi invenitur specialis ratio regiminis et præcepti in humanis actibus, ibi invenitur specialis ratio prudentiæ, cum ad prudentiam pertineat regere et præcipere: atqui in eo qui non solum seipsum habet regere, sed etiam communitatem perfectam civitatis vel regni, invenitur specialis et perfecta ratio regiminis; tanto enim regimen perfectius est quanto universalis est, ad plura se extendens et ulteriorem finem attingens: et ideo regi ad quem pertinet regere civitatem vel regnum, prudentia competit secundum specialem et perfectissimam sui rationem. Ergo.

Ibid. a. 3 et 4. o. — *Dico* 3° Prudentia œconomica et militaris sunt diversæ species prudentiæ. *Probatur eadem ratione.* Quia versantur circa diversa objecta, nempe circa diversas multitudines diverso modo regendas : œconomica, circa familiam in ordine ad domesticam conversationem; militaris, circa exercitum in ordine ad resistendum hostium insultibus pro defensione boni communis.

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 4° Prudentia politica specialiter dicta, ea nempe qua subditi regunt seipsos in ordine ad bonum commune, obediendo principatibus (hæc enim, ut dixi, retento communi nomine vocatur politica), est etiam species distincta prudentiæ; quia habet distinctum objectum, nempe seipsum et id quod ad suum privatum officium spectat, regere secundum præcepta majorum ad bonum commune; cum e contra princeps aut major præcipiendo respiciat omnia simul quæ singulos subditos spectant.

ARTICULUS IV.

De partibus potentialibus prudentiæ.

Dixi art. 1, partes potentiales prudentiæ esse virtutes ei annexas, quæ ordinantur ad aliquos actus secundarios, nec habent totam potentiam prudentiæ; et esse tres : *eubuliam*, *synesim* et *gnomen*.

Q. 51. a. 1. o. — *Eubulia* sic nominatur ab *eu*, quod est bonum, et *bule*, quod est consilium; quasi diceretur bona consultatio, vel potius bene consiliativa.

Ibid. a. 1. et 2. o. — *Dico* 1° *Eubulia* est virtus distincta a prudentia.

Ibid. a. 1. o. — *Prima pars patet;* quia facit opus humanum, nempe consultare, esse bonum, quod est proprium virtutis.

Ibid. a. 2. o. — *Probatur secunda pars.* Ubi sunt diversi actus non habentes eamdem rationem bonitatis, ibi ponendæ sunt diversæ virtutes : atqui actus *eubuliæ* est diversus ab actu prudentiæ, non habens eamdem rationem bonitatis, cum possit ab eo separari, ut patet in eo qui est bene consiliativus, et non est bene præceptivus. Ergo.

Ibid. — Quia tamen consiliari ordinatur ad præcipe. tanquam ad principalius, ita etiam *eubulia* ordinatur ad prudentiam tanquam ad principaliorem virtutem, et sic est virtus ei adjuncta seu pars ejus potentialis.

Dices. Bene consiliari est actus prudentiæ, ut diximus supra. ergo *eubulia* non est virtus distincta a prudentia.

Ibid. ad 1. et 1. 2. q. 57. a. 6. ad. — *R. D. ant.* Bene consiliari est actus prudentiæ elicitus, *N. ant.* imperatus, *C.* Non quidem hoc sensu, quod in intellectu sit actus imperans ipsam consultationem, quasi ab ipsa distinctus; sed hoc sensu, quod prudentia consultationem perficiat mediante *eubulia* ut virtute sibi subjecta; quod autem facit per virtutem sibi subjectam, censetur facere per imperium.

Hic a. 3. o. — *Dico* 2° *Synesis*, quæ est virtus bene judicativa de operabilibus secundum regulas communes, est distincta ab *eubulia* et prudentia, quia ab ipsis est separabilis; contingit enim quosdam esse bene consiliativos qui non sunt bene judicativi, et quosdam esse bene judicativos qui non sunt bene præceptivi.

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 3° *Gnome* est specialis virtus distincta a *synesi*.

Ibid. — *Prob. Synesis*, ut dixi, est virtus bene judicativa secundum leges et regulas communes : *gnome* autem est virtus bene judicativa secundum altiora principia in iis in quibus aliquando recedendum est a lege communi licet non a mente legislatoris, puta, depositum non esse reddendum impugnatori patriæ, quod quidem est contra mentem legislatoris. Virtus quæ hic respondet in voluntate, vocatur *epiikia*.

APPENDIX.

De dono consilii correspondente prudentiæ.

Petes quid sit donum consilii, et utrum prudentiæ correspondeat?

Q. 52 a. 1. o. — *R.* Dona Spiritus sancti, ut habetur 1, 2, q. 63, a. 1, sunt quædam dispositiones quibus anima redditur bene et facile mobilis a Spiritu sancto, præcipue in arduis quæ ad salutem pertinent. Igitur donum consilii est lumen quoddam quo, quasi consilio a Deo accepto, homo videt quid sit agendum in ordine ad salutem. Unde sicut per prudentiam seu *eubuliam* homo est bene consilians, ita per donum consilii est bene consiliatus : sicut in humanis qui sibiipsis non sufficiunt inquisitione consilii, requirunt a sapientioribus consilium.—**Ib. a. 2. o.** — *Ex quo patet* donum consilii respondere prudentiæ sicut ipsam adjuvans et perficiens.

DISSERTATIO III.

DE VITIIS OPPOSITIS PRUDENTIÆ.

D. Th. QQ. 53, 54 et 55.

Q. 53 in prooemio.—Duplicis generis sunt vitia prudentiæ opposita: quædam ipsi opponuntur per defectum; quædam, quæ habent similitudinem cum illa, ipsi opponuntur per excessum seu per abusum eorum quæ ad prudentiam requiruntur.

ARTICULUS I.

De vitiis oppositis prudentiæ per defectum.

Q. 53 et 54. — *Dico.* Prudentiæ opponitur per defectum imprudentia. Sub imprudentia continentur præcipitatio, inconsideratio, inconstantia et negligentia. Ad hæc alia reducuntur. *Explicatur.*

Q. 53 a. 1. et 2. o. — Imprudentia sumi potest tripliciter: 1° negative, pro sola carentia prudentiæ; et sic potest esse sine peccato, ut patet in pueris: 2° privative, pro carentia prudentiæ quam quis natus est et debet habere; et hoc modo est generale peccatum per participationem. Sicut enim prudentia participantur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum; ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis: nullum enim peccatum potest accidere nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis. 3° Sumi potest imprudentia contrarie, secundum quod ratio directe movetur et agit contra prudentiam, spernendo et repudiando consilium aut divina documenta: et hoc modo imprudentia est speciale peccatum, et quidem mortale, in confessione exprimendum, si sit gravis contemptus divinarum regularum; alioquin est tantum veniale.

Ibid. a. 3. — Præcipitatio in actibus animæ metaphorice dicitur, secundum similitudinem a corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundum corporalem motum quod a superiori in ima pervenit, secundum impetum quemdam proprii motus vel alicujus impellentis non ordinate descendendo per gradus. Summum autem animæ est ipsa ratio, imum est operatio per corpus exercita, gradus medii sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum; per quos quidem gradus aliquis ordinate descendit recte consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cum ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quod vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

Ibid. a. 4. o. — Inconsideratio est, cum quis contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit: unde manifestum est quod sit peccatum in imprudentiam pertinens.

Ibid. ad 5. o. — Inconstantia importat recessum quemdam a bono proposito diffinito: et quamvis hujusmodi recessus principium habeat a vi appetitiva, non enim aliquis recedit a bono proposito nisi propter aliquid quod sibi inordinate placet; non consummatur tamen nisi per defectum rationis, quæ fallitur in hoc quod repudiat id quod recte acceptaverat. Unde inconstantia secundum sui consummationem, ad imprudentiam pertinet. Et sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilii, et inconsideratio circa actum judicii, ita inconstantia circa actum præcepti; ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quod ratio deficit in præcipiendo ea quæ sunt consiliata et judicata.

Ibid. a. 6. o.—Hæc autem vitia oriuntur potissimum ex luxuria; quia perfectio prudentiæ sicut et cujuslibet virtutis intellectualis consistit in abstractione a sensibilibus; delectatio autem maxima quæ est in venereis, totam animam absorbet et trahit ad sensibilem delectationem, et ideo maxime corrumpit æstimationem prudentiæ.

Q. 54. a. 1. o. et ad 2. et a. 2. o. — Negligentia potest sumi dupliciter: primo generaliter pro omissione cujuscumque actus debiti; et sic non opponitur prudentiæ, sed virtuti in cujus materia versatur, ut negligentia in restituendo, justitiæ. Sumitur secundo pro defectu sollicitudinis requisitæ in actu interiori intellectus ad excitandam et dirigendam voluntatem in executionem boni operis conciliati et judicati; et sic opponitur prudentiæ.

Ibid. a. 2. ad 1. 2. et 3. — Negligentia hoc secundo sensu sumpta distinguitur ab omissione, pigritia, torpore et inconstantia, in hoc quod negligentia consistat, ut dixi,

in defectu interioris actus rationis non præcipientis quod debet aut eo modo quo debet. Omissio autem pertinet ad exteriorem actum, pigritia et torpor pertinent ad executionem; ita tamen, ut pigritia importet tarditatem ad exequendum, torpor autem remissionem quamdam in ipsa executione. Tandem inconstans deficit in præcipiendo quasi ab aliquo impeditus, negligens vero per defectum propriæ voluntatis.

ARTICULUS II.

De vitiis oppositis prudentiæ quæ habent similitudinem cum illa, et ipsi opponuntur per excessum.

Q. 55. per 7. art. — *Dico.* Vitia prudentiæ opposita per excessum, sunt prudentia carnis, astutia, dolus, fraus et nimia sollicitudo de temporalibus et futuris. *Explicatur.*

Ibid. a. 1. et 2. o. — Prudentia carnis dicitur secundum quod quis providet media idonea ad perficienda opera carnis : est peccatum *ut patet*, et quidem mortale, si in operibus carnis constituatur ultimus finis; alias est tantum veniale.

Ibid. a. 3. o. — Astutia proprie dicta est, cum quis ad finem aliquem consequendum sive bonum sive malum excogitat non veras vias, sed simulatas et apparentes : unde est quoddam peccatum prudentiæ oppositum et distinctum a prudentia carnis; quia hæc deordinatur circa finem, illa circa media.

Ibid. a. 1. — Dixi, *astutia proprie dicta;* quia quandoque astutia abusive sumitur pro circumspectione, ut Proverb. 1 : *Ut detur parvulis astutia;* et 13 : *Astutus omnia agit cum consilio.*

Ibid. a. 4. et 5. o. — Dolus et fraus sunt astutiæ executio; fraus per facta, dolus principaliter per verba, licet etiam quandoque per facta : unde hæc vos *dolus*, est generalis, complectens sub se fraudem.

Ibid. a. 6 et 7. o. — Sollicitudo importat studium quoddam ad aliquid consequendum vel conservandum. Potest tripliciter esse illicita circa temporalia et futura : uno modo si temporalia tanquam finem quæramus, ea præponendo spiritualibus; secundo, si superfluum studium ad ea acquirenda vel conservanda adhibeatur; tertio, si sit timor et anxietas ne, faciendo quod fieri debet, necessaria nobis deficiant. Non ergo omnis sollicitudo circa temporalia et futura est damnanda, sed immoderata duntaxat, quam damnat Christus, Matth. 6. Hinc S. Hieron. in hunc locum : *Labor exercendus est, sollicitudo tollenda,* nimirum superflua et animum inquietans.

APPENDIX.

De præceptis prudentiæ.

Q. 56. a. 1. o. et ad 1. — *Dico.* Non fuit conveniens ut inter præcepta Decalogi aliquod præceptum poneretur ad prudentiam directe pertinens; quia præcepta Decalogi, sicut sunt data omni populo, ita etiam statim ab omnibus apprehendi debent quasi ad naturalem rationem pertinentia : cujusmodi sunt quidam generales fines humanæ vitæ, et ea quæ omnibus promiscue apparent quod sint debita. Prudentia autem non est circa tales fines, sed circa media, ut dictum est; nec omnibus promiscue est manifestum quod ejus actus sint debiti, sicut est manifestum de actibus justitiæ.

Ibid. o. — Dixi, *ad prudentiam directe pertinens;* quia indirecte omnia præcepta Decalogi ad eam pertinent, secundum quod ipsa est directiva virtuosorum actuum.

Ib. ad 2 et 3. — Verum, licet inter præcepta Decalogi non exprimatur præceptum de prudentia, alibi tamen et in veteri Testamento, sed et maxime in novo, in quo continetur doctrina perfectionis, exprimitur. Prov. 4 : *In omni possessione tua acquire prudentiam;* c. 9 : *Ambulate per vias prudentiæ;* c. 16 : *Acquire prudentiam, quæ est pretiosior auro.* Matth. 10 : *Estote prudentes sicut serpentes.* Tit. 2 : *Loquere quæ decent sanam doctrinam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes.* 1 Pet. 4 : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* Et alibi.

Hæc de prudentia sufficiant

TRACTATUS

DE JURE ET JUSTITIA.

D. Th. a. Q. 57 ad Q. 78.

DISSERTATIO I.

DE JURE.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit jus?

Q. 57. a. 1. o. — *Dico* 1° Varie accipitur nomen juris : 1° pro eo quod justum est; justum autem dupliciter sumitur : generaliter, pro eo quod est legi consonum; stricte, pro æqualitate alteri debita; dicuntur enim vulgariter ea quæ adæquantur, justari : et jus sic sumptum, est objectum justitiæ, ut infra dicemus.

Ibid. ad. 1. — Et quia consuetum est quod nomina a prima sui impositione detorqueantur ad alia significanda, sicut nomen medicinæ, v. g. impositum est primo ad significandum remedium quod præstatur infirmo ad sanitatem, deinde tractum est ad significandam artem qua hoc fit : ita etiam hoc nomen, *jus*, primo impositum est ad significandam ipsam rem justam seu rem alteri æqualem; postmodum autem derivatum est ad artem qua cognoscitur quid sit justum, unde dicitur studere juri; et ulterius ad significandum locum in quo jus redditur, sicut aliquis dicitur comparere in jure; et ulterius dicitur etiam quod jus redditur ab eo ad cujus officium pertinet justitiam facere, licet etiam quod decernit sit iniquum.

2o Jus accipitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, possidendi, alienandi, etc. cujus violatio constituit injuriam; quo sensu quis dicitur uti jure suo : est secundum se quid morale competens homini ex Dei vel hominum ordinatione, sicut esse magistrum, doctorem, regem, etc. licet præsupponat aliquid physicum, ut jus docendi, v. g. præsupponit scientiam.

De hoc jure secundo modo sumpto plures præmittemus dissertationes, quia ab eo pendet jus primo modo sumptum, quod est objectum justitiæ. Nihil enim est alteri debitum ad æqualitatem sine juri in altero, quia quod est debitum, est jure debitum; sunt enim correlativa jus et debitum : et ideo hoc jus est fundamentum juris primo modo sumpti seu justi, et potest dici objectum formale quo justitiæ, ut forte latius dicam suo loco.

3° Sumitur jus pro lege, quæ est regula justi in genere. Unde ab hoc jure pendet jus secundo modo sumptum; quod enim aliquis habeat jus ad aliquid, id ipsi tribuitur, vel a lege naturæ, vel a lege positiva, vel saltem ex concessione libera Dei vel hominum. Quapropter

Dico 2° Jus hoc triplici modo sumptum, potest eadem divisione dividi in jus naturale et positivum.

Et quantum ad jus sumptum pro lege, *patet;* quia lex alia naturalis, alia positiva. Non ponitur lex æterna, quia hæc divisio fit in membra omnino diversa; lex autem naturalis non est quid omnino diversum a lege æterna, sed est ejus participatio in rationali creatura, ut docetur 1, 2, q. 91, a. 2, ad 1. Jus naturale, aliud simpliciter naturale, quod oritur ex ipsa natura rei secundum se considerata, quodque ratio naturalis intra ordinem naturæ manens dictat, ut bonum faciendum, malum fugiendum, etc. Aliud connaturale gratiæ, quod oritur ex natura rei seu hominis, non secundum se considerata, sed ut elevata ad ordinem gratiæ supernaturalemque beatitudinem ordinata : hujusmodi sunt præcepta de actibus virtutum theologicarum, christianæque pœnitentiæ.

Lex seu jus positivum dividitur in divinum et humanum. Divinum, aliud veteris, aliud novi Testamenti : item aliud pertinens ad ordinem naturæ, a Deo tantum per specialem revelationem juri naturali superad-

ditum ad bonam reipublicæ gubernationem, cujusmodi erant præcepta judicialia veteris legis; aliud pertinens ad ordinem gratiæ, ut jus sive lex de baptismo et de aliis sacramentis. Jus positivum humanum dividitur in jus gentium, jus canonicum et jus civile. Jus canonicum, quod nos specialiter spectat, conflatur ex canonibus conciliorum, decretis pontificum et sententiis Patrum. Quid sit censendum de canonibus Apostolorum et de epistolis decretalibus veterum pontificum, dicemus in digressionibus ad calcem dissertationis.

a. 2. o. — Jus sumptum pro justo similiter dividitur adæquate in jus naturale et jus positivum; quia jus sic sumptum est justum, seu alteri adæquatum : atqui dupliciter potest aliquid esse alteri adæquatum, uno modo ex natura rei, puta, cum aliquis tantum dat ut tantumdem recipiat; et hoc vocatur jus naturale : alio modo aliquid est alteri adæquatum seu commensuratum ex beneplacito ponentium, ut dum duæ personæ privatæ sic inter se paciscuntur, vel communitas consentit tale quid esse habendum pro justo, vel princeps lege statuit ita esse; et hoc dicitur jus positivum. Cæteræ subdivisiones ut in divisione legis.

Jus sumptum pro *facultate legitima*, etc. dividitur etiam ex parte principii in naturale quod lege vel concessu naturæ competit, et in positivum quod lege positiva vel libera Dei aut hominum concessione competit. Cæteræ subdivisiones ut in divisione legis. Item hoc jus, ex parte termini quem respicit, dividitur in jus in re et jus ad rem.

Jus in re est, quod quis habet in re jam sua et obtenta : unde dat actionem realem in ipsam rem. Ad hoc requiruntur tres conditiones : existentia rei, legitimus titulus, ut emptio, donatio, etc. et traditio rei. Ita, exceptis quibusdam casibus, jus disposuit, l. *Traditionibus* 20, c. de Pactis : ibi *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Juncta lege *Nunquam* 31, ff. de Acquir. rer. dom. ibi *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.*

Defectu primæ conditionis, beneficiarii v. g. non habent jus in re fructuum sequentis anni, quia nondum existunt. Defectu secundæ, fures et usurarii non habent jus in re bonorum quæ furto aut usuris possident, quia deest ipsis legitimus titulus. Defectu tertiæ, ille qui emit equum aut vestem v. g. etiam persoluto pretio, non habet jus in re illius vestis aut equi, quandiu non sunt ipsis tradita : unde si venditor eamdem vestem aut equum alteri vendat et tradat, secundus emptor acquirit jus in re talis vestis vel equi, nec primus emptor habet actionem realem in rem illam quæ jam alterius effecta est, sed habet tantum actionem personalem in venditorem qui tenetur ipsi satisfacere.

Dixi, *exceptis quibusdam casibus;* quia ex dispositione legum, in certis casibus non requiritur traditio ad jus in re seu dominium : 1° in iis quæ dantur, venduntur aut relinquuntur civitatibus, ecclesiis, locis piis, aut in redemptionem captivorum, l. *Utuntur*. c. de Sacrosanctis ecclesiis; 2° in collatione beneficiorum, modo accedat acceptatio, c. *Si tibi absenti*, ut de præbendis in 6; 3° in successione hæreditatis, sive per testamentum, sive ab intestato, modo adeatur hæreditas; aditur autem hæreditas dum acceptatur verbo vel facto : similiter in legatis, quorum legatarius acquirit jus in re hoc ipso quo hæreditas acceptatur ab hærede, l. *Officio* 27, et l. *Hæredes* 23 ff. De acquirenda vel amittenda possessione; 4° in donatione fundi, agri, domus, etc. sub conditione præstandi alimenta donatori; hoc ipso enim quo donatarius conditioni non satisfacit, privatur dominio rei donatæ, reditque sine ulla traditione ad donatorem, l. *Si doceas* 1, c. de Donationibus quæ sub modo. 5° Si princeps contrahat cum aliquo et intendat ipso contractu conferre jus in re, seu dominium, erit translatum absque alia conditione; quia, sicut ex ejus voluntate est quod requiratur traditio, ita etiam ejus arbitrio potest omitti, ut docet Covarr., l. 2 Variar., cap. 19, n. 3. Item jus hypothecæ vel pignoris confert actionem realem in hypothecam vel pignus sine traditione, l. 1, ff. *de Pignoribus*. Item Lessius hic n. 13, ex Covarr. excipit casum quo res tibi vendita et alteri tradita titulo gratuito aut etiam titulo oneroso, sed scienti eam tibi antea venditam; tunc enim, inquit, posses illam vendicare.

Jus ad rem est, quod quis habet ut res aliqua fiat sua : ad hoc nulla alia requiritur conditio quam legitimus titulus. Non dat actionem in rem ipsam, sed in personam tan-

tum. Tale jus acquiritur per donationem, emptionem, etc., ante traditionem; item per electionem, præsentationem ad officium, collationem beneficii ante acceptationem, etc.

Hæc quoad jus in re et ad rem, de jure communi : huic autem jura particularia quandoque derogant : unde notat Perfector Tournely, in Gallia rem censeri traditam peracto venditionis contractu, in quo testatur venditor se rei possessionem relinquere et alteri cedere. De quo iterum in sequentibus.

ARTICULUS II.

In quo differunt jus naturale et positivum, et quomodo jus naturale dicitur immutabile?

Dico 1° In multis differunt jus naturale et jus positivum.

Prima et præcipua differentia est, quod ea quæ sunt juris naturæ ideo sint præcepta quia bona, ideo prohibita quia mala; quæ vero sunt juris positivi, ideo bona quia præcepta, ideo mala quia prohibita.

Unde, ut dignoscas an aliquid ad jus naturæ pertineat, an ad jus positivum, sit hæc regula. Si obligatio ad illud oritur ex natura rei quæ præcipitur vel prohibetur, quia nimirum aut in se necessaria est ut fieri debeat, aut in se mala ut omitti oporteat, ad jus naturæ pertinet. Si vero non oritur ex natura rei quæ prohibetur vel præcipitur, sed ex præcepto et voluntate jubentis aut prohibentis, *esto* a parte rei habeat quamdam congruitatem, pertinet ad jus positivum.

Secunda differentia est, quod juris naturalis Deus sit auctor quatenus est naturæ auctor, unde vocatur etiam jus divinum; positivi autem, divini quidem, etiam Deus; humani, homo.

Tertia, quod jus naturæ obligat omnes; jus positivum eos tantum quibus vel a Deo vel ab hominibus ponitur.

Quarta, quod jus naturæ sit immutabile; jus positivum mutabile.

Verum, ut intelligas quomodo jus naturæ sit immutabile, *nota* triplicis generis distingui præcepta juris naturæ. Quædam sunt prima et universalissima, qualia sunt ista : *Declina a malo et fac bonum; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Homini secundum dictamen rectæ rationis est vivendum;* et alia hujusmodi quæ generaliter præscribunt necessariam honestatem, non determinatam ad certam materiam; vel prohibent turpitudinem, non in hac vel illa materia, sed universim.

Quædam sunt quæ, licet non sint omnino prima et universalissima, sed ex ipsis immediate deducta, sunt tamen prima in certo genere, ita ut ex illis etiam multa deduci possint, ut : *Deus est colendus; Parentes sunt honorandi; Virtutes sunt amplectendæ; Justitia est servanda; Temperate vivendum est; Non est mentiendum; non pejerandum*, etc.

Quædam tandem sunt quæ ex primis et communibus mediate, ex secundariis immediate deducuntur, ut depositum esse reddendum, talem contractum esse injustum, etc. Sic v. g. Bonum est faciendum : ergo justitia servanda : *subsumo :* atqui conservatio justitiæ exigit redditionem depositi : ergo depositum est reddendum. *His notatis,*

Dico 2° Prima et universalissima juris naturæ præcepta non possunt unquam mutari, quia in se continent primo intentionem legislatoris, secundo intrinsecam bonitatem, et eorum opposita intrinsecam malitiam, et consequenter veram causam ob quam sunt necessario amplectenda vel fugienda; neque ulla occurrit circumstantia quæ mutationem inducere posset, cum circumstantiæ non occurrent circa prima et universalissima principia, sed circa conclusiones practicas et actiones particulares.

Idem dicendum de secundariis præceptis, prout ea exposuimus; tum quia salvatur in eis ratio primorum per necessariam consequentiam, v. g. Bonum est faciendum : atqui colere Deum est bonum : ergo Deus est colendus; Malum non est faciendum : atqui pejerare est malum : ergo non est pejerandum; tum quia ex circumstantiis quæ etiam circa hæc non occurrunt, utpote prima in suo genere, non potest induci variatio.

Quantum vero ad tertiaria præcepta, eatenus sunt mutabilia quatenus non salvatur semper in eis ratio primorum principiorum, neque semper ex eis legitime deducuntur propter circumstantias occurrentes : v. g. Bonum est faciendum : ergo justitia est servanda; *subsumo :* atqui justitia exigit ut reddatur depositum petenti in sui vel alterius perniciem : ergo ipsi est reddendum. *Negatur subsumptum;* quia justitia exigit duntaxat ut reddatur depositum rationabiliter petenti. Ubi adverte hanc mutationem

non accidere juri naturæ secundum se, sed ratione materiæ. quæ propter circumstantias desinit esse ejus materia; semper enim et immutabiliter stat bonum esse faciendum, justitiam esse servandam, depositum esse reddendum rationabiliter petenti, quæ sunt præcepta juris naturæ.

ARTICULUS III.

Utrum jus gentium sit idem cum jure naturali?

Q. 57, a. 2. o. — *Dico* 1° Si jus naturale sumatur late, prout quandoque sumunt jurisconsulti, l. 1. Instit. tit. 2, et lib. 1. ff. tit. 1, l. 1, pro omni eo quod est ex instinctu naturæ habentis aliquam cognitionem finis, ut est v. g. conjunctio maris cum fœmina: certum est quod distinguatur a jure gentium; quia jus gentium solis hominibus convenit, jus naturale vero sic sumptum convenit hominibus et brutis, siquidem bruta etiam finem absolute apprehendunt.

1. 2. q. 94. a. 2. 3. 4. in 3. d. 7. a. 3. — Verum quia bruta non sunt proprie capacia injuriæ et injustitiæ, ita nec juris et justitiæ; et ideo theologi strictius sumunt jus naturale prout solis hominibus competit, vocantque illud quod ratio naturalis dictat. Unde *Dico* 2° Jus gentium non est idem cum jure naturali proprie et stricte sumpto, nec sub illo continetur, sed sub positivo.

Quamvis S. Th. disertis verbis hanc conclusionem non tradat hic, satis tamen aperte docet, cum solvat argumenta in contrarium; et adhuc apertius 1, 2, q. 95, a. 4, ubi ait quod *Jus positivum dividitur in jus gentium et jus civile:* censet ergo jus gentium contineri sub positivo, non sub naturali quod opponitur positivo.

Probatur. Jus naturale est absolute et ex natura rei necessarium independenter a consensu hominum; jus positivum e contra: atqui jus gentium non est absolute et ex natura rei necessarium, sed secundum utilitatem et congruentiam ex hominum beneplacito et consensu introductum: ergo. *Min. patet* 1° ex ipsa definitione juris gentium; definitur enim *Id quod communi hominum seu populorum consensu fuit introductum*, sive interim apud omnes universim nationes observatur, sive apud plerasque tantum. 2° *Probatur eadem min.* exemplis ipsarum rerum quæ dicuntur juris gentium, ut sunt agrorum divisio et proprietas, servitus captorum in bello, legatorum admissio et securitas, etc. Hæc enim et alia hujusmodi non sunt absolute et ex natura rei necessaria vitæ humanæ, sed tanquam utilia duntaxat et congruentia, ex voluntate hominum introducta, sic, ut eadem voluntate possint abrogari, sicut de facto abrogata est inter christianos servitus captorum in bello, et abrogari posset admissio et securitas legatorum ex consensu duorum regum inter se bellantium. Ipsa etiam bonorum terræ communitas servari potuisset secundum se, si homines essent quales debent esse fideles, probi, bono communi magis quam proprio intenti, prout de facto redintegrata est nascente Ecclesia Jerosolymis, et etiam nunc in monasteriis; sed quia ex naturæ corruptione homines cupiditatibus, maxime avaritiæ et proprio commodo, magis quam communi bono sunt intenti, omnes nationes judicarunt expedire ad cultum agrorum et pacificum illorum usum ut dividerentur. Ergo.

Confirmatur. Jus naturale aut est primum principium per se notum, aut conclusio ex illo necessitate absoluta deducta; independenter ab hominum voluntate: atqui jus gentium non est primum principium, *ut patet*, neque conclusio sic necessario deducta, sed tantum utilis et congruens humanæ societati, in quam omnes aut fere omnes gentes consenserunt. Ergo.

Dices. Leges quæ sunt juris gentium, inferuntur ex jure naturæ: ergo jus gentium pertinet ad jus naturæ, sicut conclusiones ex principiis physicis deductæ, sunt physicæ.

R. D. ant. Quæ sunt juris gentium, inferuntur ex jure naturæ per necessariam consequentiam, tanquam ex natura rei simpliciter necessariæ, *N.* per consequentiam non necessarium, neque ut simpliciter necessariæ, sed ut congruentes tantum et valde condecentes, *C. Patet in hoc discursu.* Ad vitam humanam servandam agri sunt excolendi: atqui si essent communes, non bene colerentur, cum homines sint in rebus communibus segniores: ergo sunt dividendi. Hæc conclusio licet bene inferatur, non tamen est absolute necessaria, siquidem etiam posita communitate agrorum possunt absolute excoli, si homines essent probi ut debent esse; sed infertur ut conveniens, supposita hominum incuria in bonis com-

munibus. *Ad paritatem, eodem modo respondendum*, conclusiones necessario deductas ex physicæ principiis, esse physicas; secus si congruenter tantum et probabili argumento inferantur: tunc enim non sunt physicæ nisi materialiter et secundum quid.

DIGRESSIO I HISTORICA.

UTRUM CANONES APOSTOLORUM SINT GENUINI?

A l art. I. dissertat. præced.

Canones qui dicuntur Apostolorum, vulgo circumferuntur octoginta quinque. Quam varie de iis senserint auctores, refert Gratianus in suo Decreto dist. 16. Quidam omnes octoginta quinque admittunt, quidam sexaginta tantum; alii quinquaginta, alii aliter. Omnes octoginta quinque recipit concilium Trullanum anno 692, sed nullius est auctoritatis, utpote acephalum. Dionysius Exiguus, circa annum 530, quinquaginta priores retulit in codicem Ecclesiæ Latinæ; sed monet in sua præfatione, quod iis plurimi non præberent assensum facilem. Postea successu temporis plures ex his SS. pontifices inter ecclesiasticas regulas admiserunt; ex quo, quamvis sint Apostolis suppositi, ut modo dicam, auctoritatem acceperunt. Quæstio est igitur utrum hi canones vel ex parte vel ex integro sint genuini Apostolorum fœtus, an potius illis falso adscripti. Pro quo

Dico. Omnes canones qui dicuntur Apostolorum, sunt ipsis falso adscripti.

Prob. 1° ex Gelasio papa, qui in synodo Romana anno 494, decernit in hunc modum: *Liber Canonum Apostolorum apocryphus.* Refertur c. *Sancta Romana* d. 15.

Prob. 2° ex S. Isidoro Hispalensi qui septimo ineunte sæculo sic loquitur: « Canones qui dicuntur Apostolorum, sed » quia eosdem nec Sedes apostolica recipit, » nec sancti Patres illis assensum præbue» runt, pro eo quod ab hæreticis sub no» mine Apostolorum compositi dignoscun» tur, quamvis in eis utilia inveniantur, ta» men auctoritate canonica atque apostolica, » eorum gesta constat esse remota atque » inter apocrypha deputata. » Refertur dist. 16, c. 1.

Prob. 3° Plures ex istis canonibus continent falsam doctrinam. Primo, canones 46, 47 et 67 reprobant baptismum collatum ab hæreticis. *Neque dicas* sermonem esse tantum de baptismo collato ab hæreticis qui formam baptismi non observabant; tum quia loquuntur simpliciter et indiscriminatim de baptismo collato ab hæreticis: *Episcopum*, inquit canon 46, *aut presbyterum, hæreticorum baptisma suscipientem, damnari præcipimus*; cum quia ratio canonis petitur non a forma baptismi, sed a persona baptizantis, hoc modo: *Episcopum aut presbyterum, hæreticorum baptisma suscipientem, damnari præcipimus; quæ enim conventio Christi cum Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli?* atqui hæc ratio convenit omnibus hæreticis: ergo vel loquitur de baptismo cujusvis hæretici, vel inepta est ejus ratio. Secundo, canon 49 præcipit trinam immersionem in baptismo, cum tamen constet Apostolos ea non fuisse usos. Tertio, canon 65 prohibet jejunium sabbati sub pœna depositionis, cum tamen certum sit hoc jejunium fuisse in usu Romæ tempore S. Ambrosii. Quarto, canon 84 recenset inter libros sacros tres Machabæorum libros, et rejicit librum Sapientiæ. Ergo.

Prob. 4° Si canones illi forent ab Apostolis editi, veteres Patres quatuor priorum sæculorum eos retulissent in canonem sacrarum Scripturarum sicut alia Apostolorum opera. Item eorum meminissent Eusebius et S. Hier. dum Apostolorum opera summa diligentia recensent. Meminisset Victor papa in controversia de Paschate adversus Asiaticos, utpote cui aperte favet canon 7, quo constituitur ne pascha cum Judæis celebretur; neque id ignorassent sanctissimi Orientis episcopi contra sentientes. Meminissent Cyprianus et Firmilianus de baptismo hæreticorum iterando contra Stephanum papam; quippe quibus favent canones 46, 47 et 67. Meminisset Demetrius Alexandrinus in causa Origenis de sui abscissione, quam damnant canones 21, 22 et 23. Atqui neque Patres quatuor priorum sæculorum hos canones in canonem Sacrarum Scripturarum retulerunt, neque illorum meminerunt Eusebius et S. Hieronymus, neque ullus ex laudatis, etsi res eorum ita deposcerent. Ergo.

Objicies 1° Plures tam Patres quam synodi priorum sæculorum sæpe decernunt eadem quæ continentur in canonibus Apostolorum, et in suorum decretorum confirmationem allegant *antiquas leges, leges ecclesiasticas, doctrinam apostolicam,*

canones apostolicos, canones ecclesiasticos, etc. : atqui his terminis videtur nihil aliud posse intelligi quam illlam collectionem canonum de quibus est quæstio. Ergo.

R. N. min. His enim terminis significantur duntaxat usus moresque sacri qui tunc vigebant in Ecclesia, ex Apostolorum doctrina seu traditione promanantes; erat enim tunc, prout nunc est, consuetudo solemnis, quam etiam asserit S. Aug. contra Donatistas, referendi ad acceptas ab Apostolis traditiones et apostolicas regulas disciplinæ, mores sacros in Ecclesia servari solitos, qui in S. Scripturis non exprimebantur. Exemplo sit ipsa synodus Nicæna; can. 13 sic decernit : « Lex antiqua » regularisque servabitur, ita ut si quis » egreditur de corpore, ultimo et necessa- » rio viatico minime privetur. » Canone 18 statuit ex antiquiore canone, illicitum esse diacono eucharistiam presbytero porrigere : et tamen neque in collectione canonum Apostolorum, neque in ullis prioribus Ecclesiæ monumentis legitur hæc antiqua lex aut antiquior canon.

Obj. 2° Synodus 7 œcumenica can. 1, 5 et 10; Romana sub Greg. VII, can. 2; Trid. sess. 25 de Reform. cap. 1; Nicol. I passim in suis decretis, Leo IV, d. 19, c. *Libellis;* Joannes VIII et alii, citant illos canones ut apostolicos. Ergo.

R. quod citent hos canones sub nomine Apostolorum, quia ut ita citarentur usus invaluerat : at non decernunt vere an falso Apostolis inscribantur, uti nec quæstionem illam quæ ad eorum institutum non pertinebat, expenderunt.

Obj. 3° Priores ecclesiæ Romanæ pontifices, Anacletus Alexander, Julius, Eleutherus, Marcellus, Fabianus, etc. diserte meminerunt canonum apostolicorum in variis suis epistolis, eosque probarunt. Ergo.

R. has epistolas ab eruditis pene omnibus censeri spurias et suppositas, ut digressione sequenti dicimus. Unde

DIGRESSIO II HISTORICA.

UTRUM EPISTOLÆ DECRETALES VETERUM PONTIFICUM ROMANORUM QUI FLORUERUNT QUATUOR PRIMIS ECCLESIÆ SÆCULIS USQUE AD SIRICIUM, SINT GENUINÆ?

Ad eumdem art. I.

Non est quæstio de illis priorum pontificum epistolis quæ a sanctis Patribus aut veteribus et fide dignis Ecclesiasticæ historiæ auctoribus referuntur, quales sunt Epistolæ S. Cornelii, inter opera S. Cypriani relatæ; Epistola Julii I, apud S. Athanas. Apol. 2; Epistolæ Liberii, apud S. Hilarium in fragmentis; Epistola Damasi ad Illyrici episcopos, apud Theodoretum lib. 2 Hist. et aliæ ejusdem pontificis, apud S. Hieronymum : hæ enim ab omnibus pro genuinis habentur. Quæstio est igitur duntaxat de illis epistolis quasi Isidorus Mercator in sua Conciliorum collectione inseruit, et quas ex eo alii conciliorum editores in suas collectiones transtulerunt : quarum quinque adscribuntur S. Clementi; tres Anacleto; duæ Evaristo; tres Alexandro; duæ Sixto; una Thelesphoro; duæ Hygino; quatuor Pio (Collectio Isidori edit. Paris, 1524 qua utimur, habet tantum duas); una Aniceto; duæ Soteri; una Eleuthero; quatuor Victori (edit. Paris. duæ); duæ Zephirino; duæ Callisto; una Urbano; duæ Pontiano; una Antero; tres Fabiano; tres Cornelio (edit. Paris. duæ); una Lucio; duæ Stephano; duæ Sixto II, duæ Dionysio; tres Felici; duæ Eutichyano; una Caio; duæ Marcellino; duæ Marcello; tres Eusebio; una Melchiadi; una Sylvestro; una Marco; duæ Julio : duæ Liberio; duæ Felici; sex Damaso. Quæstio est, inquam, utrum illæ epistolæ sint genuinæ, an supposititicæ.

Dico. Has omnes veterum pontificum epistolas decretales eruditi plerique habent pro supposititicis.

Probant 1° Quia illæ epistolæ usurpant sacram Scripturam secundum Vulgatam editionem, a S. Hieronymo post illos pontifices adornatam; obiit enim S. Hieronymus anno 420, annis 24 post Siricium.

2° Quia in omnibus his epistolis idem stylus, idem scribendi character occurrit, quod non esset si a tot pontificibus diversis temporibus essent conscriptæ.

3° Quia nullus auctor ecclesiasticus, nullum concilium, nullus pontifex ante nonum sæculum, aut saltem finem octavi, has decretales unquam citavit vel nominavit. Et Dionysius Exiguus, qui, ut ipsemet testatur in Epistola ad Julianum, Romanum presbyterum, summa accuratione omnium et singulorum veterum pontificum epistolas collegit, suam collectionem incipit a Siricio, hancque collectionem Ecclesia Romana probavit, teste Cassiodoro coævo cap. 28 Divin.

Instit. Florebat Dionysius Exiguus sæculo sexto; obiit enim anno 533.

4° Quia illæ epistolæ sunt compilatæ ex epistolis, operibus et decretis pontificum, Patrum et conciliorum Siricio posteriorum. Neque dici potest hos auctores posteriores e contra ex præfatis epistolis plurima hausisse; si enim vera foret hæc responsio, aliquando decretalium auctores nominassent, sicut alios nominarunt, tum honoris causa, tum in confirmationem suorum dictorum, utque tantis testimoniis et tam venerabili auctoritate hæreticos efficacius confutarent; quod tamen nusquam fecerunt. Ergo.

Objicitur 1°, has epistolas citatas et agnitas fuisse ut genuinas a variis conciliis, Aquisgranensi sub Greg. IV, Coloniensi, Moguntino, Metensi sub Arnulpho, Remensi, Lateranensi sub Callisto II. Item auctores gravissimi et doctissimi, Benedictus Levita, Compilator Capitularium Caroli Magni, Hincmarus Laudunensis, Luitprandus, Ordo Romanus, Anselmus Lucensis, Burchardus, Ivo Carnutensis, Gratianus in suo Decreto quod sequitur Ecclesia et quod in scholis legitur; omnes tandem juris pontificii interpretes, omnes theologi, ipsemet doctor Angelicus, ab annis 400 et amplius, harum epistolarum testimonia protulerunt et laudarunt. Ergo.

Respondent 1°, hæc omnia concilia et auctores esse sæculo nono posteriores, nec præfatas epistolas, quantum ad eorum auctores, juxta severioris criticæ regulas expendisse; et ideo tot sæculorum silentium junctum gravissimis rationibus, videri anteponendum testimoniis posteriorum; eo maxime quod plures ex istis recentioribus decepti fuerint honesto nomine *Isidori*, sub quo prodiit harum epistolarum artifex, putantes esse S. Isidorum Hispalensem.

2° Plura concilia, plures auctores has epistolas occasione data citarunt, non ut genuinas, sed quia noverant illas, quoad dogmatum veritatem, disciplinæ rationem et judiciorum ordinem, esse ab Ecclesia et usu receptas, minime curantes de illarum auctoribus, nec ad instituentes examen criticum: quod non erat eorum instituti. Hanc respons. innuit Baronius ad ann. 865.

Quod vero additur, Ecclesiam sequi Decretum Gratiani, *negant*. Multa enim, inquiunt, sunt in ea collectione quæ Ecclesia probare non potest, cum scateat innumeris erroribus, pseudepigrapha frequenter citet, et Patribus, conciliis, pontificibus plura decreta tribuat de quibus nequidem cogitarunt, ut probat Antonius Augustinus, episcopus Tarraconensis, in suo *Gratiano emendato*.

Objicitur 2° Has epistolas ut genuinas agnoverunt S. Leo Magnus, Gelasius et Leo IV, easque ut genuinas ab Ecclesia recipi jusserunt. Ergo. *Prob. ant.* S. Leo in Epistola data ad universos episcopos, sic ait: « Omnia decretalia constituta omnium præ» decessorum nostrorum ita vestram dilec» tionem custodire debere mandamus, ut si » quis illa comtempserit, veniam sibi dein» ceps noverit denegari. » Gelasius in synodo Romana anno 494, sic decernit: « Item » decretales epistolas quas beatissimi papæ » diversis temporibus ab urbe Romana pro » diversorum Patrum consultatione dede» runt, venerabiliter recipiendas decerni» mus. » Leo IV, in Epistola ad episcopos Britanniæ apud Gratian. d. 20, cap. *de Libellis*, ait: « Regulæ quibus in omnibus ec» clesiasticis utimur judiciis, sunt canones » Apostolorum, Nicænorum, Ancyrano» rum... et cum illis regulæ præsulum Ro» manorum, Sylvestri, Siricii, Innocen» tii, etc. » Ergo.

Respondent negando ant. Ad probationem, dicunt hos pontifices in verbis laudatis respicere ad epistolas decretales non veterum pontificum qui Siricium præcesserunt, cum hi nullam dederint, sed Siricii et sequentium pontificum: unde S. Leo loco cit. decreta suorum decessorum commendans, initium ducit ab Innocentio I, Siricii successore. Verum est quidem quod Leo IV nomine Sylvestrum, sed hunc solum ex omnibus qui præcesserunt Siricium; illum autem citat, non ratione epistolarum, sed respiciendo ad acta synodi Romanæ sub isto Sylvestro: *quod patet* ex ipsius laudatæ epistolæ initio, ubi profert sub nomine Sylvestri regulam constitutam in dicta synodo pro ordine canonicorum judiciorum.

Inst. Nicolaus I, in Epist. 47 ad universos episcopos Galliæ, S. Leonis et Gelasii verba laudata extendit ad omnes decretales quæ suo tempore circumferebantur. Ergo.

Respondent, Nicolaum id gratis asserere, et præter mentem S. Leonis et Gelasii.

Urg. Saltem ipse Nicolaus I, in laudata Epist. admisit has decretales, easque con-

tra episcopos Galliæ observari jussit. Ergo.

Respondent 1°. *D. ant.* Admisit has decretales ut vim constitutionis in Ecclesia habentes et usu receptas, *transeat;* ut genuinas, *N.* Id enim nihil intererat causæ quam agebat contra Gallos. Contendebat præfatus pontifex, episcopum non posse deponi in synodo provinciali, inconsulta Romana Sede, etiamsi ad eam non appellasset : pro quo jure stabiliendo proferebat illas decretales quibus id sancitur. Galli e contra, qui huic juri tanquam novo reluctabantur, contendebant se illis decretalibus non adstringi, eo quod in canonem non essent relatæ, adeoque non haberent vim constitutionis seu legis obligantis. Unde inter eos quæstio non erat an illæ decretales essent germani fœtus pontificum quibus adscribuntur, sed utrum haberent vim legis, etsi in canone, sicut aliæ, non essent relatæ.

Respondent 2°. *Dato* Nicolaum has decretales decrevisse esse genuinas, nihil cogit hac in re ipsi differre; cum hic non decernat dogma fidei ut pontifex, et validiora sint in contrarium argumenta.

Petes qui fuerit iste Isidorus qui harum decretalium dicitur artifex?

R. 1° Videtur certum non fuisse S. Isidorum Hispalensem, ut quidam, nomine delusi, existimarunt; quia in his epistolis citatur concilium Toletanum anno 675, concilium sextum œcumenicum 681, Gregorius II et III, et Zacharias, qui post annum septingentesimum floruerunt. Obiit autem S. Isidorus Hispalensis anno 636, ut testantur Redemptus diaconus in illus vita, Braulio episcopus Cæsaraugustanus in Catalogo Operum Isidori, Lucas Tudensis lib. 3 et Mariana lib. 6, c. 7. Adde præfatum Braulionem, S. Isidoro coævum et amicum, nullam mentionem facere harum epistolarum in Catalogo quem texuit ipsius Operum.

R. 2° incertum esse quis fuerit iste Isidorus qui dicitur Mercator. Quidam existimant fuisse episcopum, alii fuisse monachum qui præ humilitate se *Peccatorem* dicere soleret; scribas autem, ex oscitantia, pro *Peccator* scripsisse *Mercator*.

DISSERTATIO II.

DE DOMINIO ET ALIIS SPECIEBUS JURIS.

Cum jus secundo modo sumptum, pro facultate aliquid faciendi, acquirendi, etc. sit fundamentum juris seu justi quod est objectum justitiæ; multa de illo scitu necessaria præsenti tractatui occurrunt discutienda, maxime de dominio, quod est præcipua ejus species. Unde sit

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit dominium? Quid ususfructus et usus?

Q. 7. de Pot. a. 10. — Dominium ut sic, ex una parte importat auctoritatem et potentiam in rem, vel personam; ex altera, subjectionem rei, vel personæ, talem, ut ipsa dicatur esse alterius. Dominus enim dicitur qui habet aliquid suum de quo possit disponere, vel in quod possit auctoritatem exercere.

Duplex est : dominium jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos; actus autem gubernandi sunt, præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, præmiare in ordine ad bonum commune : et dominium proprietatis, quod est facultas disponendi de aliqua re ut sua in proprium commodum; et de illo hic potissimum agitur.

Dominium proprietatis iterum est duplex: unum plenum et perfectum; aliud non plenum et imperfectum. Dominium plenum, est jus ad proprietatem rei et commoda ejus. Non plenum, est jus ad proprietatem rei absque ejus emolumentis, vel jus ad emolumenta absque proprietate. Primum dicitur dominium directum : tale competit, v. g. principi respectu feudi. Secundum dicitur dominium utile : tale competit usufructuariis, feudatariis, emphiteutis, etc. Igitur

Dico 1° Dominium proprietatis plenum et perfectum, prout directum et utile complectitur, recte definitur : *Jus in re, seu facultas legitima disponendi de re tanquam sua, ad quemlibet usum lege non prohibitum, in proprium commodum.* Colligitur ex D. Th. hic q. 66, a. 1.

Explicatur. Ponitur *jus in re*, tanquam genus : quia omne dominium est jus in re, non e contra; qui enim habet hypothecam, pignus, usum fructum, habet jus in re, non tamen dominium plenum.

Dicitur, *disponendi de re*, propria nempe auctoritate, non ex alterius commissione.

Dicitur, *tanquam sua*, ut excludatur simplex jus ad rem, et nuda possessio sine proprietate, ut in usufructu, hypotheca, pignore, etc.

Dicitur, *ad omnem usum*, vendendo scilicet, donando, vel aliter alienando, consumendo, destruendo, etc. per quod excluditur omne dominium non plenum, sive directum tantum, sive utile tantum.

Dicitur, *lege non prohibitum;* quia licet dominium ex natura sua tribuat potestatem ad qualemcumque usum, potest tamen hæc potestas impediri per legem ne exeat in actum : ut fit in pupillo, qui ante legitimam ætatem non potest bona sua alienare, licet sit verus illorum dominus; unde si alienaret non peccaret non contra justitiam : et in fidecommissario, qui non potest cuilibet voluerit fidecommissum transferre : quo casu nihil quidem detrahitur ipsi potentiæ, sed duntaxat impeditur ejus actus; sicut, manente vera potentia videndi, impeditur actualis visio per velamen oculorum : ita ut, sublato legis impedimento, absque novi juris accessu, possit dominium exire in hunc actum prius impeditum, ut patet in pupillo, dum attigit ætatem a lege definitam.

Dicitur, *in proprium commodum*, per quod distinguitur maxime a dominio jurisdictionis, quo quis uti non potest in proprium commodum, sed in commune et subditorum bonum : in quo valde allucinantur nonnulli qui putant reges posse pro libitu quomodo et quando voluerint disponere de personis et bonis subditorum : tales verius vocares tyrannos quam reges.

Si petas quæ conditiones requiruntur ad perfectum dominium? R. easdem requiri ac pro jure in re. Require eas cum suis exceptionibus articulo 1 præc. dissert.

Dico 2° Ususfructus definitur : *Jus utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia.* Ita in jure.

Dicitur *Jus;* quia non definitur hic actus utendi quem juristæ vocant *usum facti*, sed ipsum jus utendi fruendi.

Dicitur *utendi*, ut distinguatur a jure quod habet depositarius in deposito, creditor in hypotheca vel pignore, qui his rebus uti non possunt invito domino, absque obligatione restituendi æstimationem usus.

Dicitur *fruendi*, ut distinguatur a simplici usu; qui enim habet simplicem usum, potest tantum uti re, v. g. equo, domo, horto, agro, silva, etc., ad necessitatem propriam et quotidianam, ita ut nec superfluos fructus nec jus quod habet possit alteri locare, vendere, aut gratis cedere; cum is qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere. Ita l. 12, ff *de Usu.*

Fructus autem reputantur non solum in immobilibus, ut in fundo fœnum, segetes, virgulta, arbores cæduæ, *bois taillis* (fructiferæ enim non reputantur fructus), sed etiam in mobilibus, ut in grege lana, lac, fœtus, etc. Ubi *nota*, silvam cæduam etiamsi intempestive cæsa sit, esse in fructu, sicut olera immatura lecta, item fœnum immaturum cæsum, l. 48, ff. *de Usufructu.* Quoad messem vero et vindemiam expectanda est maturitas usufructuario.

Nota insuper quod, si usufructuarius moriatur antequam collegerit fructus etiamsi maturos, hi acquirantur domino proprietatis et non hæredibus fructuarii. Ita in instit. *de Rerum divisione*, § Is vero. Ratio est; quia quandiu adhærent fundo, censentur unum cum ipso : unde pertinent ad dominum fundi, donec fructuarius eos colligendo fecerit suos.

Dicitur, *rebus alienis;* quia usufructus est servitus quæ nonnisi in rebus alienis constitui potest; *nemini enim res sua servit, sed prodest jure dominii*, ut dicitur l. 26, ff. *de Servitute præd. rustic.*

Dicitur, *salva rerum substantia;* quia usufructuarius debet rem integram proprietario reservare : unde usufructus non potest proprie constitui in rebus quæ unico usu consumuntur, ut in vino, oleo, etc. (1).

Ut autem salva maneat rei substantia, quædam onera incubunt usufructuario.

1° Si habet usumfructum gregis vel armenti, in locum capitum demortuorum alia capita e fœtu quem percipit submittere debet, quæ cedent in dominium proprietarii, Inst. *De rer. divis.* § 86. Si tamen non gregis collective sumpti, sed singulorum capitum usumfructum habuerit, non tenetur substituere alia capita in locum demortuorum, l. 70 ff. *de Usufructu.* Ratio est; quia grex est æternus, sed singula capita pereunt. Idem dicendum si pecus sit ejus naturæ ut prolem non habeat.

2° Si habet usumfructum silvæ aut vineæ, in locum arborum aut vitium demortuarum tenetur alias plantare, et tunc priores quæ mortuæ sunt pertinent ad ipsum usufructuarium, l. 18, ff. *de Usufructu.* Si vero vi tempestatis eversæ sunt, non debet alias

(1) Vide notamina ad calcem tractatus : notamen primum.

substituere, sed eversæ pertinent ad proprietarium nisi forte essent necessariæ ad refectionem villæ, quo casu iis uti poterit usufructuarius, l. 59, 19, 12, ff. *de Usufructu.*

3° Si habet usumfructum domus, tenetur ad modicas reparationes, ne pereat rei substantia; non tamen ad majores, neque ad reparationem ædium si vetustate corruerint : ei quoque incubunt onera rei annexa, ut tributorum solutio. Hæc de oneribus usufructuarii ex Sylvestro v. *Usus*, q. 9.

Petes 1° quomodo acquiratur ususfructus?

R. acquiri sicut acquiruntur altera jura, scilicet vel auctoritate legis, et dicitur ususfructus civilis; vel privata dispositione, et dicitur conventionalis.

Petes 2° quomodo amittatur?

R. ex Sylvestro loco cit. q. 11, amitti 1° per mortem usufructuarii; 2° si res in qua est constitutus pereat, ut si domus incendio consumatur; ita ut etiamsi reficeretur, non revivisceret ususfructus; si usufructuarius jure suo non utatur tanto tempore quod sufficit ad præscriptionem, hoc est, triennio pro mobilibus; si vero agatur de immobilibus, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes. Sufficit tamen quod per alium utatur. 4° Finito tempore pro quo erat constitutus : et si sine temporis determinatione relinquatur Ecclesiæ vel civitati, finitur post centum annos, quia *is finis vitæ longævi hominis est*, inquiunt jura, l. 58, ff. *de Usufructu.* 5° Per maximam et mediam capitis diminutionem, non per minimam. Maxima dicebatur capitis diminutio, cum quis simul amittebat libertatem, civitatem et patriam, quales erant hi qui damnabantur ad metella, ad bestias, aut ad aliud genus mortis, quod non raro differebatur ad longum tempus; media, quando quis amittebat familiam et civitatem, non libertatem, ut erant hi qui exulabant; minima, quando quis amittebat familiam tantum. Pro quo vide, si lubet, Sylvestrum loco cit. et Lessium hic c. 3, dub. 5.

Perfector Tournely tradit in Gallia extingui usumfructum morte naturali et civili; censet autem mortuos civiliter, 1° qui damnati sunt ad mortem; 2° qui carceri perpetuo, triremibus, aut exilio perpetuo, vel saltem ultra novem annos duraturo mulctantur; 3° qui solemnia vota religionis emittunt, *Lois civiles*, pag. 15. In hoc tamen ultimo casu, jure communi transit ad monasterium, ubi est capax successionis. Ita Navar. apud Less. cit.

Dico 3° Usus definitur a juristis : *Jus utendi tantum rebus alienis, salva earum substantia.*

Dicitur *Jus utendi tantum*, et non fruendi; quia, ut jam dixi, simplex usuarius potest tantum fructus rei, ut olera, poma, fœnum, in propriam et quotidianam necessitatem percipere; sed eos non potest vendere seu donare, nec rem ipsam locare, quod potest usufructuarius.

Dicitur, *salva rerum substantia;* quia in usu, sicut in usufructu, debet res integra conservari domino.

Ex quo habes, hanc usus definitionem non competere rebus unico actu consumptibilibus, ut vino, oleo, pani, etc. quia per talem usum non manet salva rei substantia : unde si generalius sumatur usus, prout convenit rebus tam unico actu consumptibilibus quam non consumptibilibus, est *jus utendi re aliena.*

Circa hunc usum rerum unico actu consumptibilium, magna fuit olim concertatio, non solum inter theologos, sed etiam inter pontifices, utrum distingueretur a dominio.

Huic quæstioni occasionem dederunt FF. Minores de Observantia, quibus cum per regulam prohibeatur habere sive in communi sive in particulari ullius rei dominium, dubitatum est inter doctos an etiam rerum uno actu consumptibilium, ut cibi et potus, non haberent dominium, possetque usus in illis separari a dominio. Ita sensuit Clemens V, Clement. *Exivi de paradiso;* Nicolaus, III, cap. *Exiit qui seminat*, De verborum significationibus, in 6; item Joannes IV et Gregorius IX, quos citat Nicolaus, qui declaraverunt FF. Minores simplicem usum habere suorum mobilium, etiam ipso unico usu consumptibilium; dominium autem manere penes summum pontificem, qui ideo FF. Minoribus syndicos constituit, qui suo nomine, scilicet pontificis, quæ Fratribus in eleemosynas conferuntur recipiant, et ipsis in necessitate distribuant. Hoc negavit Joannes XXII in variis bullis, quibus et abdicavit tale dominium, et prohibuit constitui syndicos qui nomine Ecclesiæ talia bona

administrarent. Pro cujus quæstionis resolutione, sit.

ARTICULUS II.

Utrum usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a dominio?

Vides quæstionem non esse de usu immobilium, sive etiam mobilium quæ ipso uno actu non consumuntur ; evidens est enim eum distingui a dominio, ut patet in eo qui vel equo vel veste utitur alterius, penes quem remanet dominium equi vel vestis.

Nota, ad tollendam æquivocationem, duplicem usum distingui : unum juris, qui est ipsum ejus utendi ; alterum facti, qui est actualis usus, supponens tamen jus ; alias foret usus injustus. Uterque iterum est duplex: unus independens et irrevocabilis ad nutum concedentis, ut in mutuo ; alter dependens et revocabilis ad nutum concedentis: talem habent convivæ ad dapes appositas, religiosi particulares ad cibum aut potum sibi a superiore concessum; hæc enim, sive dapes, sive cibi et potus, quandiu existunt, a domino vel superiore auferri possunt absque injustitia.

Usus irrevocabilis, quisquis sit, vocatur a Nicolao III cap. cit. *Exiit*, et a quibusdam theologis, usus juris, quia est jus absolutum et solidum ; usus revocabilis, usus facti, quia jus quod importat aut supponit, est valde debile, utpote dependens a voluntate alterius.

Certum est usum irrevocabilem in ipsis rebus uno actu consumptibilibus a domino non distingui : ad rationem enim dominii pertinet et sufficit jus utendi re aliqua, libere et a quovis independenter ac irrevocabiliter, etiam eam consumendo : atqui hoc totum in usu irrevocabili reperitur . ergo. Et ideo in mutuo cum tale jus transferatur, censetur transferri dominium. His notatis et suppositis,

Dico. Usus revocabilis in rebus uno actu consumptilibus, distinguitur a dominio.

Prob. 1° Separatio est manifesta realis distinctionis probatio : atqui usus revocabilis ut in conclusione est separabilis a dominio: ergo. *Prob. min.* Qui concedit alteri facultatem utendi re sua, retinendo potestatem revocandi pro nutu hanc facultatem et disponendi de re sua ad quem voluerit usum, is concedit usum et retinet dominium. Ergo. *Prob. ant.* Quod concedat usum, *per se patet :* quod retineat dominium, *probatur.* Ille est vere dominus, qui rem suam ad se pro libitu revocare potest, nullo contractu interveniente, et de ea ad quemlibet usum disponere. Ergo.

Dices. Qui vendit fundum cum facultate retroemendi, non retinet illius dominium, sed transit in emptorem : ergo a pari.

R. Disparitas est, quod venditor non posset fundum suum recuperare nisi mediante altero contractu vendjtionis, ideoque dependenter a voluntate primi emptoris; quod est signum et ipsum ejus dominium amisisse et primum emptorem illud acquisivisse sub aliqua tamen restrictione, ex qua fit quod non sit dominium omnino perfectum : at in nostro casu conferens usum potest absque ullo contractu, pro mero suo nutu et omnino independenter a voluntate usuarii, rem suam revocare et ad quemlibet usum expendere, quod probat et ipsum retinuisse rei suæ dominium, nec illud transtulisse in usuarium, nisi umbratice et omnino improprie.

Prob. 2° Religiosi particulares habent usum eorum quæ ipsis conceduntur ad victum, revocabilem a superiore : atqui non habent eorum dominium : ergo. *Major est evidens. Minor etiam constat :* tum quia vi solemnis voti paupertatis abdicaverunt omnium rerum dominium et proprietatem ; tum quia concilium Trid. sess. 25, cap. 2, statuit nemini regularium licere bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, tanquam propria possidere vel tenere, sic, ut superior possit absolute his rebus eos privare antequam consumantur. Ergo.

Confirmatur exemplo quo utitur Nicolaus III. Paterfamilias præbens hospitibus convivium, dat eis ciborum usum ad nutum suum revocabilem : atqui tamen non transfert eis dominium : ergo. *Prob. min.* Convivæ non sunt domini eorum quæ mensæ apponuntur, nec illis uti possunt ad quemlibet usum, sed tantum ad comedendum ; idque sic dependenter a voluntate patrisfamilias, ut nullam injustitiam committeret si quæ exposuit tolleret. Ergo.

Ita nobiscum sentiunt Nicolaus III, Clemens V, et ante illos Alexander III et Gregorius IX, Soto, Navarr. Sylvius, Lessius et alii plures, integra Scotistarum schola.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Joannes XXII, Extravag. *Ad conditorem*, asserit contrarium nostræ sententiæ, et ait quod, dicere in talibus rebus usum separatim posse constitui a dominio, repugnet juri et obviet rationi: ergo vel ille, vel prius laudati pontifices erravere.

R. 1° *esto* admittamus Joannem XXII in hac parte errasse, nihil sequi absurdi, cum non sit materia fidei aut morum, sed partim naturalis, partim civilis, et aliunde id dixerit non definiendo ut pontifex, sed ratiocinando ut doctor particularis. Quod ut clarius intelligas,

Nota Joannem XXII edidisse tres bullas huc spectantes: primam, *Cum inter nonnullos*, mense novembri, pontificatus an. 7: secundam, *Ad conditorem*, mense decembri, eodem anno; tertiam, *Quia quorumdam*, mense novembri, anno pontificatus 9. In prima definit Christum et Apostolos habuisse quædam propria in communi. Et quamvis Nicolaus III antea definivisset cap. *Exiit*, de Verb. signif. in 6, Christum et Apostolos non habuisse propria in communi, non tamen in hac parte sibi contradicunt hi pontifices. Quia sensus Nicolai III est, quod Christus et Apostoli aliquando nihil habuerint proprium in communi; sensus Joannis XXII est, quod aliquando habuerint proprium in communi, quod utrumque verum est. In secunda bulla Joannes XXII definit Romanam ecclesiam bonorum usu consumptibilium quæ conferuntur FF. Minoribus, non habere dominium quod ipse abjecit, quodque in posterum non sint constituendi syndici qui ea bona administrent nomine Ecclesiæ. In tertia, quæ fuit edita contra obtrectatores utriusque præcedentis bullæ, definit quod, qui primæ contradixerit, sit hæreticus; quod qui contra definita et ordinata in secunda dixerit aut defenderit, sit contumax et rebellis ecclesiæ Romanæ. Definita vero et ordinata in hac secunda constitutione, *Ad conditorem*, sunt, ut jam dixi, quod ecclesia Romana non habeat dominium dictorum bonorum, et quod pro illis non deberent institui syndici. Et quamvis ut doctor particularis hujus suæ definitionis et ordinationis multas rationes afferat, hanc potissimum, quod *usus facti non distinguatur a dominio*, istæ tamen rationes non sunt ex ibi definitis et ordinatis, sed motiva tantum et rationes definitionis, quæ non sunt necessario cogentes, sed possunt esse falsæ, ut contingit in variis bullis SS. pontificum, quamvis aliunde definitio sit vera. Huic autem ordinationi Joannis XXII et dominii dictorum bonorum abdicationi expresse postea derogavit Paulus IV, bulla *Ex Clementis sede*, data prima julii 1555.

Responderi potest 2°, nec in hoc errasse Joannem XXII, quia non sumit dominium stricte et proprie, sed late et improprie pro jure etsi tenuissimo, seu potius pro licentia utendi re eam consumendo; quæ cum in rebus usu ipso consumptibilibus quoad effectum æquivaleat dominio (Fratres enim Minores æque libere cibos consumunt, ac si essent domini), ideo pontifex hoc jus, licet tenuissimum et revocabile, vocavit dominium, æquivalenter scilicet et similitudinarie. Hanc solutionem innuit Glossa in Clement. *Exivi de paradiso*, § Proinde.

Inferes. Ergo saltem tempore Joannis XXII, bona FF. Minorum nullius erant, sicque primo occupantis, quod videtur absurdum. *Prob. illatio.* Non erant Ecclesiæ aut summi pontificis, qui eorum dominium abdicaverat; non donantium, qui dando illa alienaverant; non Fratrum Minorum, qui sunt dominii incapaces etiam in communi secundum nos. Ergo nullius.

R. D. illatum. Ergo dicta bona tunc erant nullius quoad dominium, *transeat;* quoad usum, *N.* Erant enim quoad usum facti legitimum FF. Minorum. Porro quod dicitur bona quæ sunt nullius esse primo capientis, intelligitur de bonis quæ sunt nullius quoad dominium et quoad usum; unde *negatur ulterior consequentia.*

Obj. 2° Non habetur in jure alia definitio usus quam quod sit jus utendi re aliena salva ejus substantia. Ergo ubi substantia non salvatur, non est simplex usus, sed dominium.

R. illic definiri usum rerum quæ uno actu non consumuntur, ut equi, vestis, domus, etc. Si autem velis definire usum generaliter, prout etiam comprehendit res unico actu consumptibiles, est jus utendi re aliena, ut jam dixi: quod si sit irrevocabile ut in mutuo, transit in dominium; si revocabile, remanet simplex usus a dominio distinctus et separatus.

Inst. S. Thomas infra q. 78, a. 1. o, lo-

quens de rebus ipso actu consumptibilibus, ut de vino, tritico et similibus, dicit : « In » talibus non debet seorsim computari usus » rei a re ipsa ; sed cuicumque conceditur » usus, ex hoc ipso conceditur res. » Ergo.

R. S. Thomam loqui de usu irrevocabili, qui conceditur in mutuo.

Repones. Saltem secundum nos, poterit seorsim in mutuo computari et tradi usus revocabilis et dominium, sicque duplex pretium recipi, unum pro usu, alterum pro dominio : atqui hoc vel inducit vel excusat usuram, et est contra D. Thomam, ibidem probantem inde malitiam usuræ, eo quod in rebus usu consumptibilibus quæ mutuo dantur, non debeat seorsim computari usus rei a re ipsa. Ergo.

R. N. min. Quia in hoc casu usus et dominium seorsim sumpta non deberent pluris vendi quam si conjunctim venderentur ; si quidem usus pro nutu revocabilis non tanti valeat quam si esset irrevocabilis conjunctus dominio, nec dominium sine usu tanti valeat quam cum usu. Unde nihil acciperetur ultra sortem, nec proinde foret usura, sicque insolitus iste mutuandi modus esset prorsus inutilis. S. Thomas vero loquitur de mutuo prout fieri solet, in quo conceditur usus irrevocabilis, qui proinde non potest computari seorsim a re.

Insistes. Saltem poterit tradi simplex usus retento dominio, et pro illo usu, non pro dominio, aliquid accipi ultra redditionem sortis, sicut in locatione : atqui hoc semel admisso nulla amplius erit usura. Ergo.

R. 1° talem contractum non esse contractum mutui, de cujus ratione est quod transferat dominium rei mutuatæ.

R. 2° *N. suppositum majoris*, nempe in hoc casu reddendum esse aliquid æquale sorti ; nihil enim debebit reddi pro dominio, quia non fuit alienatum, sed pro usu duntaxat : usus autem absque dominio minus valet quam cum dominio : unde talis contractus foret magis damnosus mutuanti quam utilis.

Obj. 3° Ille censetur verus alicujus rei dominus, qui potest rem illam destruere : atqui qui habet usum rei, per unum actum consumptibilem potest illam destruere. Ergo.

R. D. maj. Ille censetur verus alicujus rei dominus, qui potest illam destruere independenter a quovis alio, *C.* dependenter ab alio qui hanc potestatem ad nutum revocare potest, *N.*

Inst. Saltem in ipso usu quando res illa consumitur actu, puta, cum cibus trajicitur in stomachum, Minorita qui habet usum habet dominium, cum tunc usus sit irrevocabilis. Ergo.

R. N. ant. Quia supposito quod usus sit irrevocabilis, eo quod res illa non subjaceat amplius liberæ hominum dispositioni, non est tunc amplius capax dominii : si vero supponatur adhuc revocabilis et subjecta liberæ hominum dispositioni, et ideo capax dominii, illud est penes eum qui prius habebat.

Obj. 4° Qui dat, v. g. Minoritis eleemosynam cibi aut potus, nullum sibi amplius vindicat dominium hujus cibi aut potus, neque illud transfert in summum pontificem, cum illi non faciat eleemosynam, nec de ipso cogitet : ergo Minorita acquirit illud dominium cum usu, idque maxime si donans intendat illi transferre.

R. D. ant. Dans eleemosinam Minoritis, non intendit formaliter explicite illius dominium transferre SS. Pontifici, *transeat ;* non intendit virtualiter et implicite, *N. ant.* Intendit enim, ut suppono, dare eleemosynam Minoritis eo modo quo possunt et volunt recipere ; non possunt autem nec volunt eleemosynam recipere, nisi quatenus dominium transfertur summo pontifici ; proinde censendus est donans sic transferre. Quod si id nullatenus intendat, quin e contra velit illud dominium Minoritis transferre, nec sic quidquam obtinet ; quia ad acquisitionem dominii non sufficit voluntas dantis, sed insuper requiritur voluntas et capacitas accipientis. Unde in hoc casu dominium penes ipum remanet aut nullius est.

Inst. Tale dominium sive pontifici, sive conferenti usum, foret prorsus inutile : ergo non est agnoscendum.

R. N. ant. Quia potestas repetendi rem suam pro libitu et ad quemlibet usum expendendi, est quædam utilitas. Sed et *dato* nullam tali domino remanere utilitatem temporalem, obvenit ipsi et recipientibus spiritualis saltem. « Retentio dominii talium » rerum, inquit Nicolaus III, *c. Exiit*, » cum concessione usus facta pauperibus, » non est infructuosa domino, cum sit me-

» ritoria ad æterna, et professioni paupe- » rum opportuna » : quatenus utentes re aliena, eorum animus minus ad illam affi- citur, minusque a studio virtutis revocatur.

ARTICULUS III.

DE POSSESSIONE.

Quid et quotuplex sit? Quomodo acquiritur et amittitur? Quæ ejus privilegia?

Possessio dicitur a *pedum positione;* quia per *pedum positionem* super immobilia solet acquiri possessio. Sumitur vel pro actu possidendi, et dicitur *possessio facti;* vel pro jure possidendi, et dicitur *possessio juris.*

Dico 1° Possessio facti est *Detentio rei adminiculo corporis, animi et juris.* Ita communiter cum Sylvest. v. *Dominium,* q. 2.

Explicatur. Dicitur *detentio:* quo nomine intelligitur etiam prima apprehensio, quæ est possessionis inceptio et acquisitio.

Dicitur *rei,* non solum corporeæ, ut agri, domus, aut mobilium; sed etiam incorporeæ, ut census, beneficii, servitutis, et similium jurium, qui dicuntur quasi possideri.

Dicitur, *adminiculo corporis;* quia non incipit nec est possessio, nisi interveniat actus externus seu corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se vel in alio in quo contineri censeatur, ut dicam modo.

Dicitur, *adminiculo animi;* quia requiritur intentio rem sibi et non alteri possidendi et detinendi: unde depositarius non proprie possidet depositum, nec tutor bona pupilli.

Dicitur, *adminiculo juris:* non quod necesse sit ut jus eam approbet, alias omnis possessio foret justa; sed quia ad possessionem requiritur ut jus non impediat quin rei detentio censeatur ejus possessio: qua de causa detentio rei sacræ a laico, non est possessio, nequidem facti, jure id prohibente: detentio vero rei furtivæ profanæ, licet injusta, est tamen vera possessio facti; quia jus non impedit quin talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

Dico 2° Possessio juris est *jus insistendi alicui rei ut suæ, non prohibitæ possideri.*

Dicitur *jus,* ut distinguatur a possessione facti, ex qua oritur hoc jus, si sit justa.

Dicitur *jus insistendi rei,* ut distinguatur a dominio, quod per se et formaliter est tantum jus disponendi de re: possessio juris autem est jus constanter rem suam tuendi, et eam adversus invadentes seu perturbantes juris remediis defendendi.

Dicitur, *ut suæ;* alias non sibi, sed alteri possideret: sic tutor non possidet bona pupilli, sed pupillus per tutorem. Excipitur servus et filius non emancipatus, qui non sibi, sed patri vel domino acquirunt, licet id non intendant.

Dicitur, *non prohibitæ possideri,* per legem scilicet. Nemo enim habere potest jus possidendi contra juris dispositionem: sic v. g. locus publicus a privato, sacer a laico, neque juste neque vere possidetur; quia jure prohibetur ne talium rerum detentio censeatur possessio, ut jam dixi.

Petes utrum detentio injusta, puta, rei furtivæ, quam modo dixi esse possessionem facti, possit esse aut dici aliquo sensu etiam possessio juris?

R. esse hoc sensu, quod sic possidens possit eam defendere contra extraneos seu non dominos: et quamvis dominus possit furem fugientem persequi, eique vi rapere rem furto ablatam, quandiu non est sic translata de loco in locum, ut sit extra ejus custodiam; si tamen sic sit translata, non potest amplius vi illam rapere absque injuria possessori, licet injusto irrogata; quia in tali casu amittit possessionem civilem. Puto tamen in foro interiori levem esse hanc injuriam, si quæ sit, de quo alibi.

Dico 3° Inter varias possessionis divisiones (alia enim est justa, alia injusta, alia proprio nomine, alia alterius nomine), præcipua est in *civilem, naturalem* et *civilissimam.*

Civilis est quæ, corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur et continuatur: sic civiliter possidet qui abest a rebus suis, sed animo et facultate eas retinet et occupat ut suas, quandiu per alium a possessione non dejicitur. Dicitur *civilis;* quia magis constat jure civili quam naturali, cum modus naturalis possidendi sit per corporalem insistentiam; et etiam quia parit effectum civilem, scilicet præscriptionem.

Naturalis est, qua res corpore simul et animo occupatur. Censetur autem quis corporaliter occupare, quando ita rei vicinus est, ut illi possit continuo adesse. Hæc naturalis possessio potest separari a civili: nam fur, v. g. rem meam possidet naturaliter, ego civiliter, donec per abstractionem ejus

de loco in locum ponatur extra meam custodiam; tunc enim a civili possessione dejicior. Similiter si quis me absente invadat agrum meum, possidet illum naturaliter, ego civiliter, donec resciens invasionem, aut negligo, aut frustra tento fundum recuperare; tunc enim amitto possessionem civilem, et invasor possidet naturaliter et civiliter. Et licet naturalis possessio sit infirmior civili, ad hoc tamen valere potest, ne possessor deturbari possit ab extraneo, et interdum ne ab ipso quidem domino sine auctoritate publica, ut dixi supra.

Civilissima est, quæ sola legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis et animi adminiculo. Sic hæres parvulus defuncti hæreditatem possidet, præsertim in Gallia et patria Leodiensi, ubi mortuus induit vivum: *Le mort saisit le vif.* Ratio est, quia modus acquirendæ possessionis humano juri subjacet, quod potest diversos modos statuere, prout magis videtur expedire reipublicæ.

Dico 4° Tribus modis acquiritur possessio: *Apprehensione vera, apprehensione ficta,* et *legis dispositione.*

Apprehensio vera est, quæ fit manibus aut pedibus: et hæc est necessaria, quando acquirenda est possessio earum rerum quæ nullius sunt, ut ferarum, thesaurorum, etc. Aut quando quis clam seu vi vult possidere.

Apprehensio ficta est, quæ fit vel oculis, ut cum antiquus possessor eminus vel cominus ostendit mihi acceptanti fundum; oculi enim dicuntur longæ manus, quibus res visæ quasi contrectantur; vel cum tradit claves domus in qua sunt merces possidendæ; vel quando tradit instrumentum seu scripturam qua constet de titulo et jure quo rem possidebat; vel cum rei absentis mihi venditæ se constituit meo nomine possessorem, aut rei præsentis venditæ conductorem; vel quando post contractum ipso consentiente appono meo nomine custodiam rei sive mobilis, sive immobilis, et aliis similibus modis a jure vel consuetudine introductis. Talis apprehensio ficta habet locum, quando res ab aliquo possessore vel auctoritate judicis traditur.

Legis dispositione etiam quandoque acquiritur possessio absque ulla apprehensione sive vera, sive ficta. Et hæc est possessio civilissima, de qua supra.

Dico 5° Amittitur possessio naturalis et civilis mobilium: 1° sola voluntate possessoris, nolentis amplius rem possidere; 2° per furtum et rapinam alterius, si res ablata aliquandiu detineatur; 3° per amissionem, v. g. bursæ; vel per fugam animalis, si non habeat consuetudinem redeundi; nunquam tamen servi, l. *Pomponius* 15, ff. De acquir. poss.

Rerum vero immobilium possessio amittitur: 1° per longam absentiam domini, nec per se nec per alium rei suæ insistentis; 2° per negligentiam, aut timiditatem, aut impotentiam rem suam ad injusto invasore repetendi; 3° per longam oblivionem quod res sit sua; tunc enim caret animo possidendi.

Petes utrum amissa possessione semper amittatur dominium?

R. negative. Etenim rei amissæ aut furto ablatæ amitto possessionem saltem naturalem, non tamen dominium.

Dico 6° Præcipua privilegia possessionis sunt; 1° quod pariat præscriptionem; 2° quod in dubio sit melior conditio possidentis; 3° quod non sit possessoris probare quod res sit sua, sed oppugnantis probare quod non sit. De possessione vide plura apud legum interpretes.

DISSERTATIO III.

DE SUBJECTO ET OBJECTO DOMINII.

ARTICULUS I.

De subjecto dominii in genere.

Hic q. 66, a. 1, o. — *Dico.* Omni et soli naturæ intellectuali, nempe Deo, angelo et homini competit dominium; quia omni et soli naturæ intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus et voluntas, per quæ habet potestatem disponendi de suis actibus, et per actus de rebus externis. Unde Gen. 1, dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris et bestiis terræ:* ubi tribuit homini dominium in bestias et pisces, eo quod sit imago Dei: est autem imago Dei per intellectum et voluntatem.

Deus habet dominium universale, absolutum, independens, et ut dicit S. Th. principale in omnes res creatas ratione creationis et continuæ conservationis earum, juxta

illud Psal. 23 : *Domini est terra et plenitudo ejus*, et Sap. 12 : *Omnium Dominus es.*

Hoc dominium Deus neque abdicare, neque ulli creaturæ communicare, neque ullam creaturam ab illo eximere potest; quia ejus titulus, nempe creatio et conservatio assidua causæ supremæ et independentis, neque potest communicari, neque quisquam ab ea eximi potest.

Sicut tamen non obstante quod sit causa universalis, communicat rebus creatis rationem particularem agendi : ita quamvis sit Dominus universalis omnium, communicat creaturis intellectualibus particulare dominium suo universali dominio subordinatum : ex quo fit quod, quamvis omnia donet, postquam etiam sunt donata, semper maneant Dei dominio subjecta : sicut quamvis communicet virtutem agendi causis creatis, remanet tamen suprema causa; quod de particularibus dominiis dici non potest. *Ex quibus patet* dominium Dei esse infinite perfectius et altioris ordinis ad dominium creaturarum.

Angeli, sive boni sive mali, non habent proprie dominium nisi suarum operationum. Boni administrant quidem res corporales, sed non ut suas, neque in suum commodum, sed ut præfecti regii qui nomine regis provincias administrant : et hac ratione quandoque vocantur domini, sicut ipsos præfectos regios vocamus dominos. Diabolus autem vocatur caput malorum, princeps hujus mundi, rector tenebrarum harum; non quod sit vere alicujus rei dominus, sed quia homines incitat ad malum, et eos sive peccato actuali, sive peccato originali obnoxios, detinet captivos ut tortor.

Soli ergo homini inter omnes creaturas competit proprie dominium, maxime in res sublunares, juxta illud Psal. 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves,* etc. Dico, *maxime in res sublunares;* nam in corpora cœlestia, licet in utilitatem hominis condita, proprie non habet dominium, quia circa ea nihil potest disponere aut mutare : potest tamen dici dominus commoditatum quæ ex illis percipiuntur. Unde non potest homo absque injuria privari, v. g. lumine solis.

Ex dictis colliges 1°, etiam amentes et pueros ante usum rationis esse capaces dominii; quia, licet ad actualem usum dominii requiratur usus rationis, non tamen ad dominium habituale, quod immediate fundatur in potentiis : alias dormiens vel ebrius amitteret dominium. Unde Apost. Galat. tribuit parvulo verum dominium hæreditatis relictæ, his verbis : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* Cujus aperta signa sunt, quod pueris et amentibus injuriam faceret qui eorum bona usurparet, et quod tutor vel curator eorum bona administret non ut sua, sed ut eorum bona.

Colliges 2° etiam infideles et peccatores esse capaces dominii; cum nec infidelitas, nec peccatum ipsos privet libero arbitrio, quod est fundamentum dominii; nec aliunde probari possit sive fidem sive gratiam requiri ad dominium. Unde S. Scriptura agnoscit pro veris dominis principes infideles, ut Pharaonem, Nabuchodonosorem, Balthasarem, Cyrum, etc., item et reges peccatores, ut Davidem, Salomonem, Achab, etc., 1 Petri c. 2 : *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* Quapropter jure damnata est in conc. Const. hæc propositio 30 Joannis Hus, et 15 Wicleffi : *Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.*

Nec obstat quod hæretici in jure, cap. *Cum secundum* de Hæretic. in 6, priventur dominio bonorum suorum; id enim fit, non quia hæretici sunt incapaces dominii, sed in pœnam sui dilecti : quod Ecclesia non facit erga alios peccatores, nec facere potest contra infideles qui ei non subduntur, sicut subduntur hæretici ratione baptismi. Adde hæreticos non privari ipso facto, licet judicant quod bona eorum sint ipso jure confiscata; quia nulla pœna positiva mandatur executioni antequam reus facti convincatur.

Quantum ad servos, remanent domini bonorum quæ prius habebant : vel enim sunt servi jure belli, et satis est ut amittant libertatem; vel se in servos vendiderunt, sed per venditionem libertatis non censentur vendidisse sua bona. Idem dic de servis qui per sententiam addicuntur servituti, etsi forte per illam etiam bona auferantur.

Postquam vero semel facti sunt servi, sicut et ii qui tales sunt a nativitate, ut qui nascuntur ex matre serva (hic enim valet adagium commune, *Partus sequitur ventrem*), regulariter quidquid acquirunt, domino acquirunt. Ita in jure, Instit. *Per quas*

personas cuiq. acquir. § Item nobis; et l. *Id vestimentum* 25, ff. de Peculio; et cap. *Cum olim* 2, de Privilegiis.

Dixi *regulariter*; quia quidam theologi docent dominium etiam perfectum servis competere in certis casibus : nimirum, quando dominus consentit; quando datur aliquid servo ea lege ut non transeat ad dominum, vel etiam sine conditione, sed solius servi intuitu, ut propter singularem ejus industriam aut singulare obsequium; item quando servus de pecunia sibi tradita lucratur, aut sibi subtrahit de eo quod libere potuisset consumere; aut quando præter opera præscripta facit aliquod opus lucrativum. In his, inquam, casibus quidam theologi volunt servis competere perfectum dominium, ita ut dominus non possit illa bona ab eis auferre absque vera injuria et obligatione restituendi. Quoad jura vero prius laudata, respondent ea esse intelligenda regulariter, vel contraria consuetudine esse mitigata.

Alii vero concedunt tantum servis in præfatis casibus aliquod dominium imperfectum, sic nempe ut hujusmodi res non teneantur dominis suis tradere, quamvis domini possint absque injustitia proprie dicta illos privare, peccaturi tantum contra humanitatem et fidem tacite datam. De quo vide, si lubet, latius auctores; cum enim servitus inter christianos exulaverit, non vacat his immorari.

De dominio filiorumfamilias, uxorum, clericorum et religiosorum sunt speciales difficultates, quas modo per distinctos articulos discutiemus.

ARTICULUS II.

De objecto dominii humani in genere.

Dico 1° Omnes res sublunares cadere possunt sub dominio hominis, quatenus potest eas sibi comparare, et de comparatis pro nutu disponere : earum vero de facto est dominus, quas legitimo titulo possidet. Confer quæ dixi articulo præcedenti.

1. 2. q. 17. a. 5. 6. et seq. — Est etiam absolute dominus operationum quæ libere exercentur per intellectum et voluntatem, per sensus exteriores, et per potentiam locomotivam; quia ejusmodi subduntur libero ejus arbitrio. Non ita perfecte est dominus actionum quæ naturaliter exercentur per sensus interiores et appetitum sensitivum, quia hæ quandoque pendent ex dispositione organi corporalis, quod non est in potestate hominis. Actionum vero facultatis vegetativæ nullo modo est dominus, quia nullatenus subduntur imperio rationis.

Item potest dici dominus actuum supernaturalium, seu qui exercentur per gratiam sive actualem, sive habitualem; quia hi actus eatenus subsunt libero ejus arbitrio, quatenus ab eo libere procedunt. Ipsius vero gratiæ habitualis et aliorum habituum infusorum in tantum potest dici dominus, in quantum potest eis uti vel non uti, eos retinere vel amittere. Quantum ad acquisitionem tamen, cum gratis a Deo conferantur, non subduntur absolute ejus dominio, sed diminute tantum et aliqualiter, in quantum ex auxilio gratiæ actualis potest aliqualem ad eos dispositionem ponere.

Hic q. 64. a. 5. ad 3. — *Dico* 2° Homo non est absolute et directe dominus vitæ suæ et membrorum, sed custos tantum et usuarius : solus vero Deus est dominus. Ita passim doct.

Prob. 1° ex S. Script. Deut. 32, dicit Deus : *Videte quod ego sim solus et non sit alius Deus præter me. Ego occidam, et ego vivere faciam;* et Sap. 16 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*, id est solus.

Prob. ratione. 1° Vita et corpus præsupponuntur ad dominium tanquam ejus fundamenta. Ergo non subjacent dominio. *Si dicas* libertatem etiam esse fundamentum dominii, et tamen hominem esse ejus dominum, si quidem possit illam vendere per servitutem. *R.* per servitutem non vendi ipsam libertatem seu potentiam liberi arbitrii quæ est fundamentum dominii, sed tantum usum : sicut etiam potest homo vendere usum sui corporis. 2° Præcepto *Non occides*, prohibetur occisio non solum alterius, sed etiam sui ipsius et mutilatio. Ergo homo non potest pro libitu disponere de vita aut membris, et consequenter non habet in ea dominium. 3° Dominium non est nisi in eas res quas nostra industria possumus acquirere; has enim sicut possumus acquirere, ita et relinquere : atqui vitam aut membra non possumus propria industria acquirere. Ergo. 4° Dominium non est nisi in res distinctas : atqui vita et membra non sunt quid distinctum a nobis. Ergo.

Dico 3°. Nec principes nec respublica ha-

bent dominium directum in vitam et membra civium, quasi pro libitu cives possint occidere aut mutilare; sed indirectum tantum, in quantum quorumdam vita est bono publico noxia. *Patet*, tum ex præcepto laudato; *Non occides*, tum quia quisque privatus se habet ad rempublicam sicut membrum ad corpus: nemo autem est dominus membrorum suorum, ut dictum est. Ergo.

Hic q. 73. a. 4. ad. 1. — *Dico* 4° Homo est dominus propriæ famæ et honoris. Est communis contra Cajet. q. 73, a. 2. Istud dominium tamen est aliquando ligatum.

Prob. prima pars. Homo proprio labore acquirit famam aut saltem jus ad illam, semel acquisitam per facultatem arbitrii regit, conservat aut amittit citra cujusque injuriam, ut fecit S. Augustinus lapsus suos manifestando. Ergo est ejus dominus. *Patet conseq.* quia hi omnes actus sunt præcipui actus dominii.

Confirmatur. Si homo non esset dominus suæ famæ, non posset ejus restitutionem condonare seu remittere; nemo enim potest remittere quod suum non est: atqui tamen id sæpe fit, et laudabiliter fit. Ergo.

Nec obstat quod homo possit condonare mutilationem membri, cujus tamen non est dominus; nam si membrum posset restitui sicut fama, non posset ejus restitutionem condonare: quod ergo condonat non est restitutio membri, sed satisfactio pro injuria illata, et restitutio pecuniaria pro damno secuto.

Dices insuper cum Cajetano: Fama cujusque civis est bonum reipublicæ. Ergo non civis, sed respublica est ejus domina.

R. D. ant. Fama cujusque civis est bonum reipublicæ ipsi debitum ex justitia legali, quomodo divitiæ particularium debentur, *C.* ipsi debitum ex justitia commutativa, *N.* Sic est bonum cuique particulari debitum.

Petes an non sit saltem peccatum diffamare se, negligere famam suam absque causa rationali?

R. esse peccatum non injustitiæ, sed prodigalitatis; sicut qui sine causa dissiparet divitias suas, quarum tamen est dominus. Et ideo Eccles. 41, præcipitur nobis *habere curam de bono nomine.*

Prob. secunda pars. Fama nostra est aliquando necessaria proximo: ergo tunc non possumus de ea disponere ad libitum, eam vel negligendo vel prodigendo.

Sed petes an qui in hoc casu famam negligit vel prodigit, peccet contra justitiam?

R. famam nostram posse tripliciter esse proximo necessariam: 1° sic, ut ex fama nostra pendeat fama proximi, et ex infamia nostra sequatur ejus infamia; ut ex infamia monachi sequitur infamia communitatis, et ex infamia patris sequitur infamia familiæ; 2° sic, ut fama nostra sit necessaria proximo ad præstandum ipsi officium quod stricto jure ei debetur; sicut fama prælati est necessaria ut bene regat subditos; 3° sic, ut fama nostra sit necessaria proximo, ut ei præstetur officium ex charitate tantum ei debitum. Qui in hoc ultimo casu famam negligit aut prodigit, peccat tantum contra charitatem; sicut qui pecuniam qua pauperibus prodesse poterat, abjiceret. Qui vero in duobus prioribus casibus famam negligit aut prodigit, probabiliter peccat contra justitiam, non præcise quia seipsum infamat, sed quia proximo nocet vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad impendendum ei officium stricte debitum: sicut peccaret contra justitiam, qui domum propriam destrueret sine causa, ex quo sequeretur destructio domus vicini.

Dico 4° Homo potest cadere sub dominium proprietatis alterius hominis.

Prob. Servitus nullo jure prohibetur. Non naturali; quia, ut dicimus, homo habet dominium utile sui corporis: ergo potest illud in alium transferre. Non divino, *ut patet* ex veteri Test. Levit. 25, et Exod. 21; et ex novo, 1 Cor. 2, et 1 Timot. 1. Non humano, *ut patet* ex variis utriusque juris locis, ubi multa disseruntur de servis. Fuit autem introducta servitus jure gentium: sed nunc jure novo disponente, nulla amplius admittitur servitus inter christianos. Excipe regiones Americanas, in quibus Europæani habent adhuc Africanos servos.

Petes 1° quotuplici titulo fit aliquis alterius servus?

R. Quadruplici: 1° titulo nativitatis, ut dum quis nascitur ex matre serva, licet patre libero; 2° jure belli; 3° justa condemnatione; 4° emptione.

Petes 2° an sit licitum servis fugere ad recuperandam libertatem?

R. 1° Servis qui sunt tales emptione, aut quia ex matre aliter quam bello serva nati sunt in servitute, non licet fugere; tales enim

numerantur in rebus domini sui, sicut cæteræ ejus possessiones.

2° Servis qui tales sunt per justam sententiam, etiam non licet fugere; quia tenentur parere justæ sententiæ.

3° Servis qui periculose sollicitantur ad peccatum, aut quos vult dominus occidere, aut quibus necessaria ad vitam denegat, licitum est fugere; jus enim quod illi habent a natura ad vitam suam, sive corporalem sive spiritualem, prævalet jure domini sui.

Hæc satis constant inter auctores; sed major difficultas est de servis captis in bello justo : utrum liceat ipsis fugere jure postliminii ? Jus postliminium est jus recuperandæ rei suæ ab extraneo et in statum pristinum restituendæ. Dico, *in bello justo;* quia indubitatum est eos qui injuste capti sunt, debere remitti, *et a fortiori* posse fugere. Igitur.

4° Servis jure belli etiam justi licitum est fugere ad suos; non tamem dominis sive detinentibus sive persequentibus vim inferre. Ita Soto, Covar. Bannes, Sylvius, Lessius et alii contra Sylvest. Navar. Molin. et alios.

Prob. prima pars. 1° Ex jure lib. 2 Instit. tit. *De rerum divisione*, § Item ea, ubi dicitur : « Ea quæ ex hostibus capimus jure » gentium statim nostra fiunt, adeo quidem » ut et liberi homines in servitutem nostram » deducantur : qui tamen si evaserint nos- » tram potestatem et ad suos reversi fuerint, » pristinum statum recipiunt. » Atqui si eis non liceat fugere, libertas quæ in termino fugæ conceditur, foret inutilis, cum non possint eam consequi nisi per peccatum : quod autem absque peccato haberi non potest, censetur apud fideles moraliter haberi non posse : ergo.

Prob. 2° Servitus jure gentium inducta est : atqui eodem jure cautum est ut capti in bello etiam justo licite possint ad suos fugere : ergo. *Minor patet*, tum ex communi et constanti usu bella gerentium, qui servorum fugitivorum nunquam pretium aut petunt aut mittunt; tum ex communi hominum sensu, quibus persuasum est hujusmodi servos licite fugere, dum possunt.

Dixi, *fugere ad suos ;* quia ea tantum fuga eis jure et consuetudine permittitur, qua libertatem recuperare possunt : libertatem autem non recuperant, nisi cum ad suos pervenerint, *ut patet ex jure citato.* Censentur autem rediisse ad suos, cum ad regnum suum pervenerint.

Prob. secunda pars. Domini habent jus hujusmodi servos detinendi et intercipiendi quandiu reditu ad suos libertatem non recuperaverunt; alioquin inutilis esset servitus : ergo servi non possunt contra illos vi se tueri; non enim potest esse bellum ex utroque parte justum.

Argumenta, si lubet, require in Sylvio hic q. 66, a. 2; quæsito 8, et in Lessio hic c. 5, et plura alia servitutem spectantia.

ARTICULUS III.

De dominio uxorum (1).

Nota. Triplicis generis distinguuntur bona uxoris, nempe paraphernalia, dotalia et communia. *Paraphernalia* sic dicta græce a παρὰ, juxta, et φερνὴ, dos, quasi juxta dotem marito traditam, habet vel acquirit sive donatione, testamento, legato, etc. sive propria industria et labore ultra debitam familiæ gubernationem, sive subtrahendo de sibi concessis a marito in victum, vestitum, recreationes, donationes; etc. Ut tamen hæc omnia reputentur paraphernalia, uxor debet ea sibi vel explicite reservasse; alioquin omnia censentur dotalia, cum mulier nubens censeatur se et omnia sua marito tradere. Quapropter si in contractu matrimoniali marito donet omnia bona præsentia et futura, *présens et à venir*, nulla sunt aut erunt ipsi paraphernalia. Si autem dotem tantum exprimat, cætera implicite sibi reservat, quæ ideo erunt ipsi paraphernalia secundum jus commune.

Dotalia sunt, quæ uxor tradit marito in sublevanem onerum matrimonii. Communia, quæ utriusque conjugis labore tempore matrimonii acquiruntur.

Dico 1° Uxor habet dominium plenum, directum scilicet et utile, et administrationem bonorum paraphernalium.

Prob. ex Jure, l. *Hac lege* 8, c. de Pactis convent. lib. 5, tit. 14 : « Hac lege decerni- » mus ut vir in his rebus quas extra dotem » mulier habet, quas Græci παράφερνα di- » cunt, nullam uxore prohibente habeat » communionem, nec aliquam ei necessita- » tem imponat. Quamvis enim bonum erat » mulierem, quæ seipsam marito commit- » tit, res etiam ejusdem pari arbitrio guber-

(1) Vide Notameo secundum.

» nari ; attamen, quoniam conditores legum » æquitati convenit esse fautores, nullo mo» do, ut dictum est, muliere prohibente, vi» rum in paraphernis se volumus immis» cere. »

Ratio etiam id suadet ; quia uxor quoad hujusmodi bona sibi propria, non se habet ut uxor, sed ut homo condistinctus a marito.

Dico 2° Bonorum dotalium uxor habet dominium directum, maritus autem utile et administrationem.

Prob. ex jure, l. *Dotis* 7, ff. de Jure dotium, lib. 33, tit. 3, ubi dicitur : « Dotis » fructum ad maritum pertinere debere æ» quitas suggerit. Cum enim ipse onera ma» trimonii subeat, æquum est eum etiam » fructus percipere. » Qua lege statuitur secunda pars conclusionis, et prima aperte insinuatur. Si enim marito fructus dotis duntaxat conceditur, consequens est quod dominium directum penes uxorem remaneat. *Patet* etiam ex hoc quod mortuo marito dos absque omni contractu obveniat uxori, licet non sit hæres necessaria, saltem ubi sunt liberi : ergo signum est eam ante in illam dotem habere dominium.

Dico 3° Medietatis bonorum communium uxor habet dominium directum ; quia, ut dicebamus modo de dote, marito defuncto hæc medietas obvenit uxori. Dominium autem utile et administratio competunt marito; quia, cum sit caput et moderator familiæ, ad ipsum pertinet bonorum non solum dotalium, sed communium fructus et administratio.

Hæc omnia de jure communi, ut jam notavi; sunt enim variæ locorum consuetudines, quæ aliter disponunt. Sic juxta articulum primum Consuetudinis Leodiensis, nulla sunt bona paraphernalia liberæ uxoris dispositioni relicta, nisi pactum aut conventio in contrarium interveniat; sed omnia præsentia et futura mariti dominio subsunt.

Ex dictis juxta jus commune *colliges*, uxorem posse disponere de bonis paraphernalibus ad quoslibet usus lege permissos : secus vero de bonis dotalibus et communibus, nisi de consensu saltem tacito mariti, exceptis certis casibus. De quo plura dum de eleemosyma aut furto.

ARTICULUS IV.

De dominio filiorum familias (1).

Nota, bona filiorumfamilias sub patria potestate degentium, quæ dicuntur peculium, esse quadruplicis generis : *castrensia*, *quasi-castrensia*, *adventitia* et *profectitia*. Castrensia sunt, quæ in militia justa seu occasione militiæ acquiruntur, v. g. stipendia militum, prædæ ex hostibus, donativa ducum vel commilitonum, testamenta vel legata, occasione militiæ, mobilia a parentibus vel aliis data proficiscenti ad militiam ; item quæ filiusfamilias acquirit in aula et obsequio principis, et quæ ipsi obveniunt ex illis bonis per contractum legitimum, ut si ex illis negotietur, ludat, aut fundum emat, l. *Ex castrensi* 18, ff. de Castrensi peculio.

Quasi-castrensia, sic dicta quia, licet non sint castrensia, castrensium tamen privilegio gaudent, sunt quæ acquiruntur : 1° in militia sacra, scilicet clericatu, sive ex beneficio ecclesiastico, sive aliunde acquirantur; ita ut quidquid post clericatum advenit, quod aliis foret adventitium, quasi-castrense censeatur. Authent. *Presbyteros*, c. de Episcopis et clericis. Bona tamen ante clericatum possessa, remanent ejusdem conditionis ac ante. 2° Quæ acquiruntur ratione alicujus officii publici non mechanici, puta, judicis, advocati, notarii, aut professione alicujus artis liberalis, ut theologiæ, juris, medicinæ, cui officio seu professioni debitum sit publicum stipendium, et ea quæ ad debitum eorum exercitium conceduntur, ut libri, vestes convenientes, etc. l. 7, *Cum multo*, c. de Bonis quæ liberis.

Dixi, *cui debitum sit publicum stipendium*. Id negat Layman ; sed expresse habetur lege *Cum antiquis*, c. De inofficioso testam. l. 3, tit. 28, de quo vide Sylvest. v° *Peculium* 2, n. 1, ubi dicit, ad peculium quasi-castrense requiri publicam causam et publicum salarium, vel saltem quod debeatur publicum salarium. Admittit tamen n. 1, advocatos acquirentes aliquid non ex publico, sed a clientulis, habere illud quasi-castrense; quia cedit eis loco publici salarii, ex quo hodie eis non solvitur ex publico.

3° Habetur quasi-castrense quod filius

(1) Vide Notamen tertium.

habet ex dono principis, aut quod ipsi datur expresse ut sit quasi-castrense; quod tamen fieri non potest nisi a superiore ipsi et patri.

Adventitia sunt, quæ non proveniunt a patre, neque ex ejus bonis formaliter, neque ejus causa aut intuitu principaliter dantur filio seu filiæ, sed huic obveniunt successione vel donatione, alio intuitu principali quam patris facta, vel industria propria, vel fortuito; ut si inveniat thesaurum, si lucretur ex pecunia propria, vel mutuo accepta, vel etiam furto a patre ablata (quia tunc non est formaliter patris, nec ejus nomine agit). Item bona quæ proveniunt ex matre mortua, aut ex aliis propinquis in linea materna : hæc bona dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

Profectitia tandem sunt, quæ filius acquirit ex bonis patris, v. g. ex eis negotiando, seu ea administrando, vel quæ sunt ipsi data, legata intuitu patris principaliter.

Dico. Filiusfamilias sub patria potestate habet dominium plenum bonorum castrensium et quasi-castrensium : adventitiorum habet tantum dominium directum seu proprietatem, pater dominium utile, seu usumfructum. Profectitiorum tandem nec directum, nec utile dominium habet filius; sed totum est patris.

Prima pars statuitur in jure, ff. et c. *de Castrensi peculio.* Secunda et tertia pars lib. 2 Instit. tit. *Per quas personas* 9, ubi Justinianus corrigens antiquum jus, quod inter adventitium et profectitium non distinguebat, sed utrumque patri addicebat, statuit et dicit : « Sancitum a nobis est ut, si » quid ex re patris ei, scilicet filio, obve» niat, hoc secundum antiquam observatio» nem totum parenti acquiratur; quæ enim » invidia est, quod ex patris occasione pro» fectum est, hoc ad eum reverti? Quod au» tem ex alia causa sibi filiusfamilias acqui» sivit, hujus usumfructum patri quidem » acquirat, dominium autem apud eum re» maneat, ne quod ei suis laboribus vel pro» spera fortuna accesserit, hoc in alium per» veniens, luctuosum ei procedat. »

Hinc sequitur 1° filium de bonis castrensibus et quasi-castrensibus posse ad omnem usum lege permissum disponere etiam testando, modo sit pubes quatuordecim annorum : patrem vero non posse et teneri ad restitutionem, si aliquid ex ipsis detrahat præter vestimenta et alimenta ipsi filio necessaria; non enim tenetur pater ex propriis hæc procurare filio habenti propria, id est, castrensia, vel quasi-castrensia, vel adventitia.

Sequitur 2° e contra filium de bonis adventitiis, quandiu vivit pater, non posse pro nutu disponere; mortuo tamen patre, ea non debere computari in partem ejus hæreditatis : patrem vero posse disponere de fructibus, non tamen de substantia; alioquin tenebitur restituere per se, vel per hæredes.

Assignantur tamen quidam casus in quibus usufructus adventitiorum etiam ad filium devolvitur : 1° in datis sub conditione quod filius et non pater habeat usumfructum; 2° quando pater ipse concedit filio usumfructum; 3° si filius cum patre constituatur hæres; tunc enim filius suæ partis habet usumfructum; 4° si filio nonnisi usufructus relictus sit.

Sed specialis est difficultas de lucris quæ facit filiusfamilias in domo paterna : cujus sint generis, an adventitia, an profectitia?

R. 1° Lucra quæ facit filiusfamilias in domo paterna ex propria industria, ut jam dixi, sunt adventitia. Item quæ, præstitis familiæ ordinariis et debitis operibus ex labore indebito et extraordinario acquirit; hæc, inquam, lucra sunt adventitia. Item, ejusdem generis censentur lucra ex operibus artificialibus provenientia, ut si filius sit faber, sartor, musicus, etc. Ita censet Layman l. 3, t. 4, c. 8, n. 11, addens esse communem doctorum sententiam, pro qua citat Rebel. Navar. Gabr. Sanchez, Dias. Huic etiam sententiæ subscribunt ex recentioribus Cabassutius l. 6 Theor. et prax. c. 4, n. 6; Pontas v. *Compensation*, cas. 5 et alii : idque probant argumento deducto ex leg. penult. ff. *De obseq. parent. præb.* quæ sic habet : *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Adde hæc lucra non esse ex rebus patris : ita ut filius mortuo patre possit ea recuperare deductis expensis ad suum victum et amictum necessariis; quia, ut jam dixi, pater non tenetur alere filium habentem propria. Intellige tamen modo iste filius artifex intenderit expresse vel tacite hæc sibi acquirere, alias censebitur titulo pietatis patri laborasse.

R. 2° Lucra quæ facit filiusfamilias ex

rebus paternis nomine et voluntate patris, agens licet cum aliqua propria industria, ut filius mercatoris, campsoris, etc. de quibus est major difficultas, valde probabiliter profectitia censeo cum Sylvet. v. *Peculium* 1, n. 12, Layman cit. et aliis quos refert; quia jura laudata indistincte aiunt, quæ *ex re patris* acquiruntur, acquiri patri : neque consuetudo fert ut filius exinde salarium aut partem lucri petat a patre; quamdiu enim est in domo paterna, videtur, ex gratitudine et pietate debita patri, ad similes obsequiales operas obligatus. Vide Sylvest. cit.

Contrarium tamen non improbabiliter tenent Less. Navar. Angelus, Lopez; et ex recent. Cabassut. Pontas prius cit. et Perfector Tournely hic p. 2 de jure, c. 3, a. 2 : primo, quia hujusmodi lucrum, cum non tantum ex bonis paternis sed etiam ex filii industria proveniat, ideo partim inter profectitia, partim inter adventitia numerandum est; secundo, quia filius non est deterioris conditionis quam extraneus, cui indubie daretur stipendium. Nec jure naturæ tenetur laborare pro patre non indigente. *Ex quo inferunt*, si pater nullam lucri partem filio quasi jure societatis relinquat, tantumdem salarii illi dare teneri quantum alicui extraneo deberet, saltem si filius exigat. Si autem ob metum reverentialem petere non audeat, vel sciat se, si petat, repulsam passurum, consequenter aiunt se clam a patre accipere posse, deductis prius expensis pro victu et vestitu a patre factis.

Petes quot modis filiusfamilias patria potestate liberatur, suique juris effectus, bonorum adventitiorum usumfructum acquirat?

R. Pluribus : 1° per mortem naturalem patris; 2° per mortem ejus civilem, puta, per exilium ob maleficium, Instit. *Quibus modis jus patriæ*, etc. § Cum animis; 3° per lapsum patris in hæresim; 4° per electionem filii ad patritiam dignitatem, ibid. § *Filiusfam.* vel episcopatum aut cardinalatum, Authent. *Sed hodie*, c. de Episcopis et clericis; 5° per emancipationem filii factam coram judice : sed in hoc casu propter beneficium emancipationis relinquitur patri medietas fructuum, l. *Cum oportet*, § Cum autem, c. *De bonis quæ liberis;* et l. *Si viva*, c. De bonis matr. et Glossa ibid. Layman l. 3, t. 4, c. 8, n. 14, dicit quod in quibusdam locis, cum primum liberi conjugio sunt locati, censeantur emancipati et sui juris. Id alii simpliciter asserunt, videturque consentaneum et usu receptum, et hoc constanter verum est saltem in provinciis consuetudinariis.

ARTICULUS V.

De dominio clericorum.

Nota 1° triplicis esse generis bona clericorum, patrimonialia scilicet, quasi-patrimonialia, et ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ ipsis obveniunt independenter ab omni tam ministerio quam beneficio ecclesiastico, suntque ipsis et laicis communia. Quasi-patrimonialia sunt, quæ clericis obveniunt non ratione beneficii ecclesiastici seu ex bonis ipsi Ecclesiæ oblatis et appropriatis, sed ratione ministerii personalis ecclesiastici, quasi ejus merces et stipendium; sive, quod idem est, quæ a fidelibus offeruntur non ipsi Ecclesiæ approprianda, sed particularibus ejus ministris in operis stipendium, v. g. ob celebrationem missæ, funeralia obsequia, concionem, cantum, etc. Ecclesiastica sunt, quæ secundum originem suam ad ipsam Ecclesiam spectant, ipsique Ecclesiæ a fidelibus primitus oblata et incorporata sunt, ex quorum tamen intentione Ecclesia proventus illorum bonorum deputavit clericis in eorum congruam sustentationem, propter obsequium spirituale ab eis præstandum, maxime officium canonicum; seu brevius, ea sunt quæ recipiuntur a clericis ratione et titulo beneficii, puta, canonicatus, decanatus, etc.

Disputant auctores ad quæ bona revocandæ sunt distributiones quas vocant interpræsentes. Sporer cum aliis revocat ad quasi-patrimonialia; quia, inquit, dantur propter ministerium personale quo clerici personaliter Ecclesiæ deserviunt. Verius tamen puto cum Navarro quod, si dentur ex ipsis bonis Ecclesiæ, ut fit ordinarie, revocandæ sint ad ecclesiastica, ut erant ante hanc distributionem : nec enim urget ratio Sporer; quia ipsa ecclesiastica bona sunt etiam propter pensum personale, puta officium, et tamen remanent ecclesiastica. Unde dixi, bona quasi-patrimonialia censenda esse, quæ non ex bonis Ecclesiæ appropriatis et titulo beneficii debitis, sed independenter ab illo et

præcise ratione ministerii personalis ipsis ut stipendium conferuntur.

Nota 2° primis Ecclesiæ temporibus bona clericorum fuisse communia, sicut nunc sunt in monasteriis, dispensatione penes episcopum relicta, sic, ut aliqui clerici in communi mensa cum episcopo viverent, aliqui seorsim quidem, sed quibus secundum merita distribuebatur certa pecuniæ summa, quantum exigebat honesta cujusque sustentatio, superfluo sive ex communi mensa, sive ex particulari, pauperibus relicto. At vero crescente in dies fidelium et clericorum multitudine, cumque ex quorumdam cupiditate redderetur difficilior communis vivendi modus, summi pontifices jusserunt hæc bona in quatuor portiones dividi : prima assignata episcopo; secunda clero; tertia fabricæ; quarta pauperibus. — Q. 185. a. 7. o. — Ita legitur caus. 12, q. 2, cap. *Concesso*, cap. *Quatuor*, cap. *de Reditibus*, cap. *Cognovimus*, etc.

Hæc divisio primum inchoata sub B. Sylvestro circa annum 324, *ut patet* ex cap. 4 conc. Rom. per eum celebrati, non ubique statim invaluit, sed paulatim profecit. Quidam volunt eam ubique fuisse receptam septimo vel octavo sæculo. Sed S. Th. supponit nondum suis temporibus ubique invaluisse; dicit enim loco cit. in Summa : *Si ergo distincta sint bona*, etc. et iterum : *Si vero non sint prædicta bona distincta.* Cæterum nunc et a pluribus sæculis videmus ubique esse receptam erectis beneficiis, et certis proventibus singulis titulis assignatis.

Porro progressu temporis accidit quod hæc quarta pars pauperum in pluribus ecclesiis non reperiatur seorsim ab aliis. Unde quidam existimant eam esse permixtam cum portione vel episcopi, vel cleri, vel fabricæ, vel cum omnibus simul. Verum etsi res ita esse possit quoad ecclesias ante præfatam partitionem erectas, id tamen non est necessario concedendum. Etenim potuit ista pars injuria temporum, aut hostium direptione, aliave calamitate periisse : vel forte non fuit constituta in fundis, sed in pecuniis, quæ distributæ tandem finem acceperunt; cum e contra ex aliis portionibus empta sint immobilia bona seu fundi : vel tandem neque a fundatoribus, neque ab Ecclesia prælatis ulla forte fuit portio assignata pauperibus, quod saltem plerumque verum est quoad ecclesias post tempora factæ divisionis erectas; et cum paucæ ex antiquioribus nunc subsistant, saltem in eo statu in quo tunc erant tempore factæ partitionis, non est mirum si raro inveniatur ista quarta pars pauperum.

Nota 3° beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus sunt necessarii ad honestam sustentationem, vel quatenus sunt superflui huic honestæ sustentationi, quæ non consistit in indivisibili, ut dicemus infra.

2. 2. q. 185. a. 6. et 7. o. — *Suppono* 1° ut certum, clericos habere dominium bonorum patrimonialium, sic, ut de ipsis pro libitu valide disponere possint; quia in sua ordinatione non abdicaverunt tale dominium, neque ordinatio aut officium clericale ad id eos obligat : unde quantum ad hoc, paris sunt conditionis ante et post susceptum clericatum.

Ibid. a. 7. o. — Possunt tamen in istorum bonorum dispensatione peccare, propter inordinationem affectus, per quam contingit quod vel sibi plura conferant quam oporteat, vel aliis etiam non subveniant, secundum quod requirit debitum charitatis; non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ, ut dictum est.

Suppono 2°, ante divisionem factam, nullam sive episcopum sive clericum in particulari habuisse dominium bonorum ecclesiasticorum, sed fuisse toti cœtui communia, ut diximus in secundo not., quia erant donata et appropriata Ecclesiæ, ut ipsa seu ejus prælati dispensarent clericis; et de bonis ecclesiasticis secundum hunc statum loquitur S. Th. dum dixit a. 7 cit. *quod episcopi bonorum ecclesiasticorum sint dispensatores vel procuratores.* Addit Sylvius ibid. conclusione 2, quod, postquam de communi massa cujuslibet portio fuisset assignata singulis, hi, si quid supererat congruæ sustentationi, non erant domini hujus superflui, sed debebant ex justitia refundere in communem massam, nisi aliunde esset expensum in usus pios; quia, inquit, hæc erat mens Ecclesiæ seu superioris dispensantis. Hæc, inquam, addit laud. auctor, sed non probat : potest tamen elici ex communi vita quam tunc agebant clerici, qualem nunc agunt religiosi in monasteriis.

His notatis et suppositis, quæstio est de bonis quasi-patrimonialibus et mere eccle-

siasticis. Circa bona quasi-patrimonialia, prout ea supra exposuimus, quidam censent ejusdem esse conditionis ac mere ecclesiastica. Ita inter alios Steyartius, tom. 2 Aphor. Controv. 1, q. 2, cum P. Aurelio Piette; alii vero communius censent eamdem esse rationem de illis ac de patrimonialibus. Unde cum istis

Dico 1° Bonorum quasi-patrimonialium clerici habent absolutum dominium, non secus ac patrimonialium, sic, ut de illis pro libitu possint disponere absque ulla obligatione restituendi. Ita Navar. de Red. Ecclesiast. § 19, Covar. Sylvius hic q. 185, a. 7, concl. 2; Less. lib. 2, cap. 4, dub. 6, concl. 2; Cabass. lib. 6, cap. 24, et alii communiter.

Ratio est; quia hæc bona dantur clericis ut stipendium quoddam sustentationis, non mere gratuitum, sed eis debitum ratione operis personalis, ideoque relictum liberæ eorum dispensationi. Neque enim fideles conferentes intendunt aliquod onus ipsis imponere, sed suæ obligationi satisfacere: neque ullo canone juris evinci potest aliquod onus ab Ecclesia imponi talibus bonis; quinimo contrarium innuitur can. *Episcopi*, caus. 12, q. 1, ubi declaratur, episcopum posse suis hæredibus relinquere res proprias vel *acquisitas:* bona vero quasi-patrimonialia sunt vere acquisita. Hoc etiam verum putamus, etsi stipendium longe superet laborem, si seorsim a re spirituali consideretur; quia libere datur et absque ullo onere, ut dictum est.

Confirmatur. Clerici non sunt deterioris conditionis quam officiales laici, v. g. judex, consiliarius, advocatus, etc. atqui hi, licet aliunde stipendio publico sint conducti, fiunt tamen absolute domini eorum quæ dantur actu propter officia hic et nunc præstita: ergo et clerici. Et sane communi sensui et usui prorsus repugnare videtur cantorem, v. g. concionatorem, theologum, etc. non fieri absolute dominos stipendiorum quæ recipiunt ratione suorum operum, sic ut ea restituere teneantur, si in pios usus non impendant. Nihilominus

Dices 1° cum Steyartio. Par ratio est horum bonorum et eorum quæ ex beneficio proveniunt: atqui constat clericos non posse saltem licite disponere pro libitu de bonis beneficii, sicut possunt de bonis patrimonialibus. Ergo.

Prob. maj. 1° Utraque perinde sunt res ecclesiasticæ, vota fidelium Deo et Ecclesiæ consecrata. 2° Non potest allegari textus ullus vel auctoritas quæ inter ista distinguat. Ergo.

R. N. maj. Ad primam probationem, N. ant. Patet ex primo notamine. Ecquis enim dicat stipendium collatum cantori, concionatori, theologo, etc., esse rem ecclesiasticam, Deo et Ecclesiæ consecratam, et non potius rem operi debitam, et labore seu industria acquisitam? Est autem eadem ratio de aliis. *Ad secundam prob. N. pariter ant.* Hoc ipso enim quo canones loquuntur de bonis duntaxat ecclesiasticis, distinguunt inter hæc et quasi-patrimonialia, quæ non sunt ecclesiastica.

Dices 2° *cum eodem.* Si de his bonis foret libera clericis dispositio, jam olim Apostoli et viri apostolici primis sæculis, cum nulla adhuc essent quæ hodie vocamus beneficia, pro libitu disponere potuissent de oblatis sibi a populo cui prædicabant aliaque spiritualia administrabant. Idemque hodie foret de missionariis in partibus infidelium, ubi adhuc solis fidelium eleemosynis vivunt: atqui tamen nemo id dicet, aut dixit (quod sciam) unquam. Ergo.

R. primis Ecclesiæ temporibus non fuisse statuta stipendia pro certis ministeriis spiritualibus, sicut sunt nunc; sed fideles, ex motivo perfectionis evangelicæ, ultro offerebant Apostolis et viris apostolicis bona sua, seu potius bonorum suorum pretia, quæ fiebant omnibus communia, non cuiquam particulari propria. Unde est disparitas a præsenti clericorum statu.

Quoad missionarios in partibus infidelium, dico eos revera posse pro libitu disponere de oblatis sibi a populo præcise in stipendium officiorum personalium, v. g. celebrationis missarum, cantus, obsequiorum funeralium, concionum, etc., et hoc absque absurdo dicere debent et possunt quotquot conclusionem nostram docent: hi autem sunt fere omnes theologi. Secus tamen de oblatis expresse alio titulo, puta, in fabricam seu ornatum ecclesiæ, in sublevamen pauperum, etc.

Ex hac conclusione et prima suppositione *colliges* cum Sylvio et pluribus aliis, valde probabile esse quod, cum clerici vivere possint ex proventibus ecclesiasticis, ut dicam infra, de patrimonialibus vero et quasi-

patrimonialibus pro libitu disponere; si ex his vivant, aut ea in usus pios impendant, possint compensatione uti, et tantumdem accipere de bonis ecclesiasticis atque de iis disponere sicut de patrimonialibus et quasi-patrimonialibus.

Dico 2° Clerici portionis proventuum ecclesiasticorum necessariæ congruæ sustentationi videntur absolute domini, sic, ut de ea non secus ac de patrimonialibus et quasi-patrimonialibus pro libitu disponere possint : est saltem sententia communior et probabilior. Henno dicit esse omnium theologorum ; Lessius, esse sententiam fere communem theologorum, etsi multi canonistæ dissentiant. *Ratio est*, quia hæc portio est justum stipendium officii quod beneficium annexum habet ; qui enim altari deservit, jus habet ut de altari vivat, secundum Apostolum 1 Corinth. 9 : unde idem dicendum est ac de quasi-patrimonialibus.

Confirmatur. Omnis operarius manualis, et quod proprius non tangit, cantor, v. g. organista, sacrista laici, fiunt absolute domini portionis quæ ipsis tribuitur ex bonis ecclesiasticis in stipendium sui officii, et de ea ad libitum disponere possunt; quidni et clericus ?

Dices cum Steyartio. Sacri canones non distinguunt inter hanc partem redituum ecclesiasticorum et alias, sed volunt indistincte eas omnes vel sustentationi pauperum, vel aliis causis piis impendi. Ergo.

R. sacros canones esse intelligendos de parte superflua, non vero de portione congruæ sustentationi necessaria ; quia hæc cum sit debita ex justitia sacris ministris ratione officii, Ecclesia non debuit nec potuit magis de illa disponere in aliorum utilitatem quam de portione cantoris, sacristæ, organistæ, etc.

Inst. Conc. Trid. sess. 25, cap. 1 de Reform. omnino interdicit ne ecclesiastici consanguineos ditare studeant ex reditibus ecclesiasticis. Et S. Th. q. cit. a. cit. ad 2, dicit quod, « Si clericus velit sibi subtrahere » et consanguineis vel aliis dare, non peccat, modo illud faciat moderate, id est, » ut non indigeant, non autem ut ditiores » inde fiant. » Ergo.

R. concilium non loqui de iis quæ sibi clericus subtrahit de necessariis ad sustentationem, et labori personali correspondent (hæc enim non tam censentur fructus beneficii quam propriæ industriæ et laboris) ; sed loquitur de iis quæ præcise titulo beneficii obveniunt et sustentationi redundant.

Similiter S. Th. non loquitur de parte necessaria sustentationi, sed de tota portione deputata clerico; dicit enim : *Si de eo quod usui episcopi vel alicujus clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere*, etc. Veritas responsionis adhuc evidentius *patet* ex argumento cui respondet S. Doctor, quod procedit expressis terminis de parte superflua, *ut legenti patet.*

His in antecessum expeditis, utpote facilioribus, difficilior nunc superest quæstio de parte proventuum ecclesiasticorum superflua congruæ sustentationi. Equidem inter omnes convenit, clericos non posse licita de ea disponere pro libitu, sicut de patrimonialibus, aut quasi-patrimonialibus, aut parte necessaria dixi; sed teneri saltem ex lege charitatis et ex præcepto ecclesiastico illam impendere pauperibus aut aliis usibus piis : utrum vero etiam teneantur ex justitia, sic, ut obnoxii sint restitutioni si in alios usus profanos expendant, valde controvertitur. Eorum qui partem affirmativam tuentur, non unum est principium : quidam id affirmant, quod putent clericos nullatenus habere dominium hujus partis superfluæ ; alii, quod, licet agnoscant verum dominium, velint illud esse vinculatum, sicut v. g. dominium hæredis in hæreditatem legatis vel debitis gravatam. Hanc sententiam alterutro fundamento nixam ultro fatemur esse probabilem, in praxi tutiorem et clericis consulendam. Attamen cum probabiliori et nunc communiori sententia.

Dico 3° Probabilius est clericos, saltem nunc post creata beneficia, habere absolutum dominium partis proventuum ecclesiasticorum congruæ sustentationi superfluæ, sic, ut de illa possint pro libitu valide disponere (licet illicite, ut dicam infra), nec teneantur ex justitia illam erogare pauperibus aut in usus pios, adeoque nec sint obnoxii restitutioni si in alios usus impendant. Ita Ostiensis, Barbatias, Adrianus, Dom. Soto, Bannes, Lorcas, Valentia, Lopez, Covarruvias, Lessius, Sarmiento, Banat, Garcias, Wiggers, Sylvius, Cabassutius et plures alii. Unde fallitur Major laudatus a P. Henno, dum dicit nullum ante se nostram sententiam tenuisse; ipsum enim præcessere Barbatias et Adrianus; sed et maxime Doc-

tor Angelicus, quem hujus sententiæ assertorem evidenter demonstrare conabor.

Prob. conclusio, 1° ab auctoritate canonum. Cap. *Consuetudinem*, de Clericis non residentibus 1, 3, t. 3, in 6, Bonifacius VIII, cum statuisset distributiones quotidianas esse tribuendas præsentibus, subdit : « Qui » aliter de distributionibus quidquam rece» perit (exceptis illis quos infirmitas seu » justa et rationabilis necessitas aut evidens » Ecclesiæ utilitas excusaret), rerum sic » perceptarum dominium non acquirat, nec » faciat suas : imo ad omnium restitutio» nem quæ contra hujusmodi nostram con» stitutionem receperit, teneatur. » Cui canoni insistens concilium Trid. sess. 22, c. 3 de Reform. statuit ut, qui personaliter competens sibi servitium quolibet die statuto non impleverint, illius dici distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant : ergo, a contrario sensu, qui officio satisfaciunt, harum distributionum acquirunt, dominium et faciunt suas, ne alioquin pares sint qui servitium implent et qui non implent.

Neque refert hæc jura loqui duntaxat de distributionibus; est enim eadem ratio de aliis fructibus, cum distributiones sint, sicut cætera, fructus beneficii. Insuper non solum de distributionibus, sed etiam de omnibus fructibus loquuntur jura eodem modo : sic cap. *Commissa*, de Election. in 6, dicitur quod suscipiens parœciam sine animo accipiendi sacerdotium infra annum, debeat restituere fructus parœciæ, quod eos non faciat suos. Pius V, bulla 138, declarat beneficiatum non recitantem officium, non facere fructus suos. Conc. Trid. sess. 24 de Reform. cap. 12, statuit ne canonicus vel beneficiatus curam animarum vel dignitatem habens, faciat fructus suos si non emittat fidei professionem intra duos menses a die adeptæ possessionis : ergo ut ante a contrario sensu satisfacientes officiis suis, faciunt fructus suos, hoc est, verum habent illorum dominium.

Respondent quidam, hæc jura intelligenda esse de parte fructuum necessaria congruæ sustentationi, non autem universim de omnibus.

Sed contra 1° Jura indiscriminatim loquuntur de fructibus beneiii : porro tam superflui quam necessarii, imo magis superflui quam necessarii sunt fructus beneficii : ubi vero jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus. 2° Sequeretur inde quod clerici non satisfacientes suis officiis, privarentur tantum fructibus necessariis, superfluorum autem retinerent saltem usum et administrationem ; quod foret absurdum.

Respondent alii jura velle duntaxat quod clerici implentes sua munera, faciant fructus suos et sint domini quoad fidelem administrationem, non quoad proprietatem.

Sed contra. Hæc intelligentia non solum non est naturalis, sed est plane extorta atque aliena a mente canonum et maxime Tridentini, quod ubique profitetur modum loquendi planum, proprium et præcisum. Nunquam autem administrator dictus est aut dici potest vere et proprie *dominus* aut *facere fructus suos :* sic prælatus regularis, licet sit administrator bonorum monasterii, non dicitur tamen vere et proprie eorum dominus, aut fructus facere suos ; sic curator non dicitur dominus, bonorum minorennis, aut ea facere sua, quamvis sit illorum administrator. Unde reverendissimus Steyartius licet in multis hac in parte nobis contrarius, in fin. Aphor. controv. 1, q. 3, n. 1, ingenue fatetur *sibi non videri quomodo salva reverentia erga S. synodum Trid. aliter theologus loqui possit, quam ut absolute admittat clericos habere tale dominium*, id est dominium proventuum beneficii.

Cum ergo stet juxta canones, clericos esse vere et proprie dominos omnium fructuum suorum beneficiorum, sequitur naturaliter eos posse de illis valide pro libitu disponere absque onere restitutionis. *Si opponas* cum laudato Steyartio, tale eorum dominium esse vinculatum : *R.* nihil tale innui auctoritatibus citatis, neque probari posse ulla alia auctoritate aut ratione sufficienti, *ut patebit ex solutionibus obj.* Quinimo, contrarium evinci ex probationibus. *Nisi forte dicas*, vinculum afficere non res ipsas, sed personas, quatenus tenentur ex lege charitatis et Ecclesiæ præcepto illa bona impendere in usus pios ; tale vero vinculum quod agnoscimus, non officit vero et absoluto dominio, nec importat obligationem ex justitia, aut onus restitutionis.

Prob. 2° *ratione.* Clerici sunt in possessione omnium fructuum sui beneficii, *ut per se patet*, et ex nullo capite probari potest eos

non habere absolutum illorum dominium, eosve teneri ad restitutionem si male impenderint : ergo censendi sunt absoluti illorum fructuum domini, neque teneri ad restitutionem si illos male impenderint. *Conseq. patet* ex hoc principio juris notissimo et receptissimo, maxime in materia justtiæ qualis est hæc : *In pari causa seu in dubio potior est conditio possidentis*, reg. 65, in 6, sic, ut qui rem possidet censeatur ejus dominus, neque sit cogendus eam a se abdicare ex justitia, nisi constet esse alienam.

Prob. ant. Clericos non habere dominium fructuum ecclesiasticorum quos possident, eosque teneri ad restitutionem, si male impendant, probari non potest neque ex parte donantium, neque ex parte Ecclesiæ recipientis. Ergo.

Non ex parte donantium; quia fideles donarunt hæc bona Ecclesiæ et ecclesiasticis simpliciter et absolute : non vero sub conditione saltem expressa et in pactum deducta erogandi superflua in usus pios. Quamvis enim id forte speraverint et intenderint, hanc tamen intentionem non deduxerunt in pactum tanquam conditionem sine qua non, quod foret necessarium ut donatio censeretur conditionata et non absoluta ; non enim mens interior contrahentis afficit contractum, aut obligat ex justitia alterum contrahentem, nisi sit expressa et in pactum deducta. V. g. Caius legat Titio nepoti suo studenti mille florenos, item Sempronio alteri nepoti patrifamilias mille aureos ; intendens et sperans fore ut et ille impendat mille florenos in studiis, et iste mille aureos in sublevamen familiæ : si tamen intentionem hanc non exprimat, nec ut conditionem apponat, Titius fit absolute dominus mille florenorum, et Sempronius mille aureorum ; nec ad eorum restituonem tenentur, si in alios usus expendant. Sic iterum das eleemosynam pauperi, intendens et sperans fore ut pro te oret : non orat pro te pauper, nihilominus fit absolute dominus eleemosynæ, nec tenetur eam restituere. *Prob. itaque ant.* 1° Hæc conditio expressa et in pactum deducta nullibi legitur, vel ostendnat adversarii. 2° Non est verisimile fideles, maxime priorum sæculorum, qui tam reverentes erant erga suos prælatos, hanc eis rigorosam obligationem imposuisse, præsertim cum non dubitarent quin sponte essent facturi id quod passim videbant eos facere tanta sollicitudine et charitate. 3° Si talis fidelium donatio esset conditionata, sequeretur quod clerici qui superflua non erogarent pauperibus, nullius partis suorum proventuum essent domini (quod negat major pars adversariorum), cum donatio sub conditione non purificata corruat. Ergo.

Non ex parte Ecclesiæ recipientis. Si Ecclesia censeret aut vellet clericos stricto jure teneri ad restitutionem fructuum male expensorum, id procul dubio claris et expressis terminis alicubi declarasset : atqui id nullibi claris et expressis terminis declaravit : ergo. *Major videtur necessario admittenda*, cum res hæc sit maximi momenti, quippe quæ spectat conscientiam omnium beneficiatorum, ædificationem publicam et sublevamen pauperum, et a pluribus in dubium revocetur aut negetur. Et sane si declaraverit Ecclesia clare et expresse in rebus minoris momenti, v. g. clericum qui non interest divino officio, aut qui omittit preces canonicas, aut qui abest a sua residentia, teneri ad restitutionem, quo modo in re majori et dubia taceret, suoque silentio tantam iniquitatem toleraret, præsertim cum nulla appareat tam perniciosi silentii ratio ?

Prob. itaque min. Nullum prorsus canonem sive conciliorum sive pontificum hucusque proferre potuerunt adversarii, qui hanc restitutionis obligationem clare et expresse importet aut significet : ergo nullibi id declarat Ecclesia, aut dicant ubi.

Dicent forte, Ecclesiam virtualiter, ideoque sufficienter id declarasse, dum dixit clericos non esse proventuum ecclesiasticorum dominos, sed procuratores ; hos proventus esse erogandos pauperibus, esse patrimonia pauperum, bona Crucifixi et similia.

Sed contra, nego his et similibus textibus importari virtualem, ideoque sufficientem difficultatis propositæ declarationem, siquidem hos et similes textus facile solvamus, et alio sensu recte explicemus : saltem non apprehendunt hanc quæ obtenditur virtualem declarationem, quotquot sunt assertores nostræ sententiæ, et hi sunt numero et merito commendabiles. Hæc enim sententia, inquit Cabassutius, *hodie prævalet, usuque passim recipitur*. Insufficiens ergo foret hæc virtualis declaratio, sed necessaria foret formalis et expressa, ut requirit argumentum, si revera Ecclesia sentiret cum adversariis.

Prob. 3° *altera ratione.* Juxta communem sententiam quam admittit major et sanior pars adversariorum, beneficiarii sunt absolute domini quorumdam fructuum, scilicet eorum qui suæ sustentationi sunt necessarii, de iisque pro libitu saltem valide disponere possunt : ergo et omnium. *Prob. conseq.* Beneficiarii reditus omnes suorum beneficiorum indistincte recipiunt, hos aut illos in sui sustentationem applicare possunt, et consequenter de his aut illis valide saltem pro libitu disponere : ergo ex parte fructuum non possunt dici aliquorum determinate domini, et non aliorum ; sed cum omnes indistincte percipiuntur, indistincte eamdem subeunt sortem quoad rationem dominii : ergo omnium ; ita ut obligatio quam habent superfluos impendendi in usus pios, non sit realis, hoc est, ipsi rei annexa, sed personalis, hoc est, ipsi personæ imposita : quæ obligatio neque repugnat vero et absoluto dominio, neque impedit validam rerum dispositionem, neque onus restituendi inducit, ut patet in obligatione eleemosynæ.

Confirmatur. Clericus potest aliis locare omnes fructus sui beneficii, proindeque illorum in eos transferre dominium : atqui nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habeat, ut fert reg. juris 79 in 6. Ergo.

EXPENDITUR MENS D. THOMÆ IN PROBATIONEM CONCLUSIONIS.

Adversariorum quidam, teste Perfectore operum Tournely, ingenue agnoscunt S. Thomam sibi contrarium ; alii vero nihil non tentant ut eum in suas partes, etiam vel invitum contrahant. Imo quidam (quod non semel miratus sum) eo pervenerunt, ut asserant S. Doctorem ipsorum sententiam formalissime et constantissime ad mortem tenuisse : ita Pontas et P. Henno. Rem conficiet et ipsis lipporum oculis propalabit simplex expositio textus D. Thomæ.

S. Doctor Quodl. 6, q. 7, a. 12, ubi discutit an clerici teneantur sub mortali dare eleemosynam de superfluis, cum in corp. dixisset generatim de bonis ecclesiasticis ut sic clericos non esse dominos sed dispensatores, et resolvisset eos posse dupliciter peccare in eorum bonorum administratione, uno modo ex rei ipsius conditione, dum scilicet usurpant sibi tanquam rem propriam quod est alterius ; alio modo ex inordinato usu eorum quæ in suam partem cedunt, sicut de aliis, id est de patrimonialibus, dixerat initio corporis (quod jam aperte asserit nostram sententiam), proponit sibi argumentum ordine tertium his verbis. — Quodl. 6. q. 7. a. 12. ad 3. — « Qui- » cumque consumit quod est alterius, te- » netur ad restitutionem : sed bona clerico- » rum sunt pauperum, ut patet per Glos- » sam Hieronymi supra illud Isaiæ 2 : *Ra- » pina pauperum in domo vestra :* ergo si » clerici inutiliter bona ecclesiastica consu- » munt, tenentur restituere pauperibus » aliunde si habuerint. » En ipsissimum adversariorum argumentum. Audiamus responsum S. Doctoris. « Ad tertium, *in- » quit*, dicendum quod bona ecclesiastica » non solum sunt dispensanda pauperibus, » sed etiam Ecclesiæ ministris : unde, se- » cundum canones, debent dividi hoc mo- » do, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, » et aliqua pars in usus ministrorum et in » cultum Ecclesiæ. Aliter ergo dicendum » est de illis ecclesiasticis bonis quæ princi- » paliter sunt attribuenda necessitatibus » pauperum et ex consequenti necessitati- » bus ministrorum, sicut sunt bona hospita- » lium et aliorum hujusmodi ; et aliter de » illis bonis quæ sunt principaliter attributa » usibus ministrorum, sicut sunt præbendæ » clericorum et alia hujusmodi. Nam in pri- » mis bonis peccatum committitur, non so- » lum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum » conditione, dum aliquis in suos usus as- » sumit quod est alterius ; et ideo tenetur ad » restitutionem tanquam defraudator rei » alienæ. In secundis vero bonis non com- » mittitur peccatum nisi per abusum, si- » cut et de bonis patrimonialibus dictum » est. Unde non tenetur quis ad restitutio- » nem, sed solum ad pœnitentiam pera- » gendam. »

Eamdem sententiam et plerumque eumdem loquendi modum constanter tenet S. Doctor in Summa q. 185 jam sæpe cit. a. 7, o, ubi quærit *utrum episcopi mortaliter peccent, si bona ecclesiastica quæ procurant, pauperibus non largiantur.* Quidquid autem resolvit de episcopis in hac parte, idem dicendum de aliis beneficiatis. Igitur cum præmisisset episcopos bonorum propriorum habere absolutum dominium, et vi talis dominii posse pro libitu valide de illis disponere, nec teneri ad restitutionem si male impendant, quippe quod non peccent ex

rerum conditione, sed propter inordinationem affectus: bonorum vero ecclesiasticorum generatim scilicet et indistincte non esse dominos, sed administratores et procuratores tantum; quia inter bona ecclesiastica, præter bona episcopi, numerantur etiam bona aliorum clericorum, fabricæ et pauperum, quorum episcopi non sunt domini, sed administratores tantum: his, inquam, præmissis, subdit S. Doctor: « Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum » episcopi cellere, ab his quæ sunt pauperibus et ministris et cultui Ecclesiæ eroganda; et si aliquid sibi retinuerit episcopus » de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel » etiam in usum ministrorum aut in cultum » divinum expendenda: non est dubium » quin contra fidem dispensationis agit, et » mortaliter peccat, et ad restitutionem tenetur. De his autem (*N. B.*) quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse » eadem ratio quæ est de bonis propriis: ut » scilicet propter immoderatum affectum et » usum peccet quidem, si immoderate sibi » retineat et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. » Hic deesse hanc clausulam errore typographi vel amanuensis, *Non tamen tenetur ad restitutionem*, notat Sylvius post Dom. Soto et editionem Duacensem; et bene, alias erit imperfecta sententia, nec ulla erit, quam tamen intendit S. Doctor, distinctio inter bona deputata usui episcopi et non deputata, sed utrobique erit peccatum et obligatio restituendi.

Verum, etsi hanc clausulam non expresserit S. Th. plusquam sufficienter eam indicasse et certo esse de ejus mente evidenter probant momenta sequentia. 1° Disparitas de qua modo, quam intendit S. Doctor inter utraque bona, *ut patet ex textu*, quæ alioquin non subsistet. 2° Quod dicat eamdem esse rationem de bonis deputatis usui episcopi quæ est de propriis bonis. Hanc porro paritatem indubie intelligit S. Thomas, non quidem quantum ad omnia generatim (certum est enim bona ecclesiastica esse magis obstricta pauperibus et usibus piis quam patrimonialia, idque aperte significat S. Doctor ad 2, ubi dicit illa non posse impendi ad ditandos parentes, quod tamen licet de bonis patrimonialibus): sed hanc, inquam, paritatem intelligit quantum ad ea omnia quæ prius tribuerat bonis patrimonialibus; hujus enim propositionis *Videtur esse eadem ratio quæ est de bonis propriis*, sensus naturalis et planus est: *Videtur dicendum quod dixi de bonis propriis;* dixit autem de bonis propriis, episcopos *habere verum illorum dominium*, et inde non obligari *ex ipsa rerum conditione ea aliis conferre*, sed posse *pro libitu* de eis valide disponere, quamvis quandoque illicite propter *inordinationem affectus*, vel plusquam oporteat sibi retinendo, vel minus quam exigit charitas pauperibus largiendo; quo tamen casu, *eos non teneri ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ:* ergo idem per omnia censet et dicit de bonis deputatis usui episcopi; nisi velis ipsum et falsitatis et oscitantiæ arguere. Et per hæc præcluduntur omnes evasiones adversariorum.

Respondet 1° Steyartius, S. Thomam studio omisisse hanc clausulam, *et tamen non tenetur ad restitutionem*, eo quod non fuerit tunc illi eadem sententia, saltem ita exploratа, ut in Quodlibetis.

Sed contra, probavimus omissionem hujus clausulæ potius esse tribuendam typographo aut amanuensi quam S. Doctori, cum alias sensu imperfecto locutus fuisset, et non subsisteret distinctio quam inter bona usui episcopi deputata et non deputata astruere intendit; qua etiam ratione diximus, etsi eam non expresserit, sufficienter tamen indicari: similiter ex eo quod dixerit eamdem esse rationem de his bonis ac de propriis; quod foret falsum, si obligationem restituendi non excluderet. Insuper si non fuit illi in Summa eadem sententia quæ in Quodlibetis, cur aperte eam non retractavit? quin potius eam variis modis astruxit, *ut patet ex dictis*. Dicis saltem non fuisse illi satis exploratam, *Urgeo ut ante:* imprudenter ergo distinxit inter bona deputata episcopo et non deputata, cum utrobique par esset ratio; imprudenter dixit esse eamdem rationem de primis ac de bonis propriis, quod est aperte asserere sententiam quam dicis non fuisse illi satis exploratam. Item si S. Doctor hanc difficultatem satis exploratam non habuit, falsum est ergo quod tam alte efferunt adversarii, nimirum suam sententiam aperte esse definitam et traditam in canonibus conciliorum, pontificum et SS. Patrum; hanc enim tam apertam definitionem et traditionem minus exploratam

non habuisset Doctor oculatissimus et canonum studiosissimus. Unde recurrit fundamentalis nostra ratio, scilicet in dubio seu pari causa potiorem esse conditionem possidentis, et ideo cogendos non esse clericos ex justitia a se abdicare rem quam possident.

Ex quibus patet quam infundate Stoyartius concludat S. Thomam hæc duo bonorum genera, scilicet propria et deputata usui episcopi, in eo solum comparare, *quod propter immoderatum affectum et usum peccet quidem episcopus si immoderate sibi retineat et aliis non subveniat.* Ut enim hæc vera essent et comparatio non importaret verum dominium et exclusionem obligationis restituendi ut in bonis propriis, non debuisset S. Doctor hæc bona usui episcopi deputata a non deputatis distinguere, sed illa potius cum istis comparare, cum eadem foret utrorumque conditio. Item non debuisset addere esse dicendum absolute de his bonis deputatis, quod dixerat de bonis propriis. Sed demus gratis et ad instans comparationem D. Thomæ id solum litteraliter importare quod intendit adversarius, nihil idcirco obtinet; sic enim ex ipso contra ipsum arguo : S. Thomas secundum te in eo comparat bona propria episcopi cum bonis ecclesiasticis ejus usui deputatis, quod eodem modo in utrisque peccet episcopus propter inordinatum affectum et usum : atqui in bonis propriis sic peccat per immoderatum affectum, ut non peccet ex rerum conditione : ergo similiter in bonis suo usui deputatis. *Subsumo.* Atqui qui peccat in usu bonorum propter immoderatum affectum tantum, et non ex rerum conditione, non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem : ergo. Vide D. Thomam initio corp.

Inst. ex eodem. Hæc D. Thomæ verba, *De his autem quæ sunt specialiter usui episcopi deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis,* in quibus facimus vim, nimis probant, adeoque nihil; probant enim bona ecclesiastica posse impendi in profanos usus æque licite ac propria; quod tamen negat S. Thomas ad 2, et nos cum ipso. Ergo.

Responsio patet ex jam dictis. Non enim dicimus S. Thomam facere paritatem inter hæc duo bonorum genera quoad ea omnia, duntaxat quæ prius dixerat de bonis propriis, ita ut sensus laudatorum verborum sit : Videtur dicendum de istis bonis usui episcopi deputatis, quod prius dixi de propriis. Vide supra.

Necdum sistit reverentissimus Steyartius, sed ulterius pergit; neque jam nobis D. Thomam cespitantem exhibet, sed oppositam sententiam insinuantem; quatenus in resp. ad 2 relinquit insolutum argumentum quod sibi objecerat de obligatione restituendi. Verum eadem semper chorda aberrat eximius doctor, nec S. Doctoris mentem attingit. Objecerat sibi S. Thomas ex D. Hieronymo, bona ecclesiastica esse pauperum; ex quo inferebat, eos qui illa conferunt aliis quam pauperibus, mortaliter peccare, et teneri ad restitutionem. Hoc totum sane debuisset concedere S. Doctor, si cum adversariis censuisset; est enim ipsa eorum ratio : sed toto cœlo distat. *Negat ant.* et dicit, bona ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam in alios pios usus esse expendenda : ex quo infert, non peccare clericos qui ista bona non elargiuntur pauperibus, si in alios pios usus impendant, ut si dent moderate consanguineis, non quidem quia de facto indigent, sed præcise ut non indigeant. Porro si non peccent, *a fortiori* non tenentur ad restitutionem. Neque opus erat id exprimi, cum sit apertius. Utrum vero si neque in similes alios pios usus expendant, sed in profanos, etiam non teneantur restituere, non resolvit hic S. Thomas; quia argumentum cui respondet id non exigebat, cum de istis aliis piis usibus non procederet, sed de pauperibus duntaxat.

His satis fuse expeditis contra reverendissimum Steyartium, qui nobis visus est præ cæteris subtilius exagitasse textum S. Thomæ, ad alias aliorum vitilitigationes descendimus. Igitur.

Respondet P. Henno, S. Doctorem *manifeste* loqui de portione congruæ sustentationi necessaria, non de superflua. Et ego dico hanc evasionem *manifeste* repugnare textui S. Thomæ; loquitur enim S. Doctor, *ut legenti patet,* de integra portione specialiter usui episcopi deputata, et prout est distincta ab aliis portionibus pauperum, fabricæ et aliorum clericorum. Et insuper si clerici sint domini alicujus partis, sunt totius, ut probavimus supra.

Pergit nihilominus confidenter laudatus auctor his verbis : « Quod autem D. Thomas

» non adversariis, sed nobis formalissime » faveat, patet ex Quodlibeto 6, ubi dicit: » *Bonorum ecclesiasticorum clerici non » sunt veri domini, sed dispensatores.* » Pace viri religiosi dixerim: non legit S. Thomam loco cit. alias vidisset ibidem ipsum *formalissime* asserere, clericum indebite impendentem bona ecclesiastica suis usibus deputata, peccare tantum per abusum, ut dixerat de patrimonialibus, *nec teneri ad restitutionem, sed tantum ad pœnitentiam peragendam.* Relegatur textus supra citatus.

Quando vero S. Thomas dicit, non solum Quodlibeto cit. sed etiam in Summa, quæst. jam sæpe cit. 185, bonorum ecclesiasticorum clericos non esse dominos, sed dispensatores, non loquitur de bonis ecclesiasticis quæ sunt specialiter usibus clericorum destinata, nisi velis ipsum intra paucas lineas pugnantia loqui; sed de bonis ecclesiasticis vel ut ante divisionem consideratis; vel, quod verius est, de iis quidem post divisionem, sed indistincte et in communi, quatenus comprehendunt bona fabricæ et ea quæ *sunt principaliter attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium et alia hujusmodi.* Hæc non gratis nec ex nobis, sed *formalissime*, ut vides, ex S. Thoma Quodl. cit. Porro de talibus bonis ecclesiasticis non dicimus clericos esse dominos, sed tantum dispensatores. Vocantur autem hujusmodi bona ecclesiastica, tum quia, ut dicit S. Thomas, *Ex consequenti sunt attribuenda necessitatibus ecclesiasticorum;* tum quia sunt bona primitus Ecclesiæ data, et per Ecclesiam usibus præfatis assignata; tum tandem quia eorum administratio est ecclesiasticis concredita.

Eodem sensu et de iisdem bonis intelligendus est S. Thomas loco quem nobis objicit Perfector Tournely, scilicet in cap. 12 Epist. 2 Cor. lect. 5, ubi sic habet S. Doctor: « Principes non dederunt divitias præ» latis propter se, sed propter pauperes, » et ideo non dederunt eis, sed pauperi» bus... Prælatis autem dantur tanquam » pauperum dispensatoribus. » Intellige, inquam, divitias quæ, ut ait S. Doctor, *sunt principaliter destinatæ necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium et alia hujusmodi.*

Respondet insuper præfatus Perfector Tournely, D. Thomæ auctoritatibus a nobis laudatis, S. Doctorem velle duntaxat, ubi certa pars pauperibus est assignata, clericum nihil ex justitia illis debere, nihilominus teneri ex justitia fundatoribus debita divinum cultum augere; neque hoc ullibi negare S. Doctorem.

Sed contra. Negat disertissime S. Thomas locis cit. clericum abutentem suis bonis ecclesiasticis, sive per defectum, quando non tribuit pauperibus quæ debet tribuere, sive per superabundantiam, quando ea consumit in quæ non oportet, hoc est, quovis modo abutentem; negat, inquam, teneri ad restitutionem, et consequenter negat teneri ex justitia fundatoribus debita ex illis bonis augere cultum divinum.

Judicet nunc æquus lector qua vel specie veri dixerit clarissimus Pontas verbo *Beneficier* cas. 13, S. Thomam *usque ad mortem perstitisse in opposita sententia, ut,* inquit, *patet in sua Summa, ubi clarissime et sine ambiguitate docet eamdem sententiam.* Doctorem hunc Parisiensem antiquioribus et oculatissimis S. Thomæ interpretibus longe oculatiorem esse oportet, qui in eo clarissime et sine ambiguitate viderit, cujus summi illi et oculatissimi viri Summam Angelicam diu noctuque versantes nec umbram viderunt; imo cujus oppositum clarissime et sine ambiguitate traditum agnoverunt.

Dico 4° Clerici strictiori jure quam seculares, tenentur erogare superflua ecclesiastica pauperibus aut in usus pios, ita ut mortaliter peccent, si in profanos usus impendant. Est communis.

Prob. 1° ex strictissimo Ecclesiæ præcepto, quod ex antiquis canonibus, qui in sol. obj. referentur, innovat concilium Trid. sess. de Reform. cap. 1, his verbis: « Om» nino eis (episcopis) interdicit, ne ex re» ditibus Ecclesiæ consanguineos familia» resve suos augere studeant, cum et Apos» tolorum canones prohibeant ne res eccle» siasticas, quæ Dei sunt, consanguineis do» nent; sed si pauperes sint, iis ut pauperi» bus distribuant, eas autem non distrahant » nec dissipent illorum causa. » Quod exdit infra ad omnes beneficiatos.

Ubi notanda hæc particula, *quæ Dei sunt,* qua significatur motivum hujus præcepti; cum enim hæc bona sint oblata Deo, vel potius Ecclesiæ, ut cedant in Dei cultum

(Deus enim non potest visibiliter adiri, nec his rebus indiget), conveniens est ex ipsorum conditione ut impendantur in usus Deo gratos, qualiter ipse Deus impenderet si de illis ut homo disponeret; et ideo præcepit Ecclesia in tales usus impendi.

Quia vero Ecclesia præcipiens aut prohibens aliquid ex motivo alicujus virtutis, transfert materiam præceptam vel prohibitam ad speciem talis virtutis : sic, v. g. quia prohibet furtum in loco sacro ex motivo religionis, furari in loco sacro est peccatum contra religionem; sic iterum quia præcipit jejunium in quadragesima ex motivo temperantiæ, tale jejunium pertinet ad temperantiam, et ejus violatio est contra temperantiam. Hinc recte, saltem meo sensu, dicam clericos, nedum ex obedientia Ecclesiæ debita, sed etiam ex virtute religionis, teneri superflua impendere in usus pios, et eos qui in usus profanos dissipant peccare contra religionem. Si forte in hoc particulari meo sensu errem, doctior me corrigat.

Confirmatur probatio petita ex præcepto Ecclesiæ. Ante bonorum ecclesiasticorum divisionem, variis canonibus præcipiebatur ut portio fructuum et proventuum quæ episcopo, clero et fabricæ non esset necessaria, pauperibus distribueretur, quod a temporibus Apostolorum observabatur : atqui non est verisimile Ecclesiam, eodem semper charitatis spiritu informatam, per bonorum divisionem et beneficiorum erectionem huic ordinationi derogatum voluisse, quin potius voluisse ei per singulos pro cujusque facultate satisfieri. Unde, sicut episcopi olim, cum hæc bona administrarent, tenebantur ex mente et præcepto Ecclesiæ superfluum dare pauperibus, sic nunc beneficiarii qui in hujus administrationis partem successerunt, tenentur sibi superflua dare pauperibus, aut saltem impendere in usus pios, ubi gravis necessitas succurrendi pauperibus non occurrit. Et sane improvide egisset Ecclesia, si ecclesiasticis tanta bonorum copia affluentibus strictam hanc obligationem non imposuisset, aut impositam abrogasset. Quid enim hoc esset aliud quam ipsis omnium malorum ansam præbere et pia fidelium vota defraudare?

Prob. 2° Clerici ratione gradus quem obtinent in Ecclesia, sunt veluti patres et tutores pauperum : ergo strictiori præcepto charitatis quam sæculares tenentur illis subvenire.

Itaque secundum nos triplici titulo tenentur beneficiarii fructus sibi superfluos sui beneficii impendere in sublevamen pauperum aut in alios pios usus : 1° ex lege Ecclesiæ; 2° ex virtute religionis, 3° ex præcepto charitatis.

Solvuntur objectiones contra tertiam conclusionem.

Obj. 1° et multa simul congeres ab auctoritate conciliorum, SS. pontificum et SS. Patrum. Primo, caus. 12, q. 1, c. *Res Ecclesiæ* 16, quæ tribuitur Urbano I, dicitur : « Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut » communes et Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios quam præfatos » usus sunt fideliter dispensandæ. » Similiter canone *Episcopi* ibid. Item can. 37 inter eos qui dicuntur Apostolorum; can. 49 conc. Carthag. anno 397; can. 31 alterius conc. Carthag. a. 398 : *Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.* Can. *Quisquis* 19, caus. 12, q. 2 : « Omnium Ecclesiasticarum rerum » episcopus habeat sollicitudinem, et dispenset eas tanquam Deo contemplante; » non liceat autem ei defraudare quidquam » ex illis, vel cognatis propriis dare quæ » Dei sunt; quod si pauperes fuerint, ut » pauperibus largiatur. »

Alexander III, qui florebat sæc. duodecimo, cap. *Fraternitatem* 2, Extra de Donat. lib. 3, tit. 24, Parisiensi episcopo respondet : « Fraternitatem tuam credimus » non latere quod, cum episcopus et quilibet prælatus rerum ecclesiasticarum sit » procurator et non dominus, conditionem » Ecclesiæ meliorem potest, facere vero deteriorem non debet. » Huc etiam referri possunt quæ adduximus de concil. Trident. in probationem quartæ conclusionis.

Secundo, quoad SS. Patres. Hieron. in cap. 3 Isaiæ ait : « Rapina pauperum in domibus sacerdotum, qui Ecclesiæ opes sibi » thesaurizant, et in deliciis abutuntur, » quæ ad sustentationem pauperum dantur, etc. » Idem ad Damas. cap. 9 : *Quidquid habent clerici, pauperum est.* Aug. Epist. 50, n. 55 : *Non illa nostra sunt, sed pauperum.* Idem caus. 2, q. 1, can. *Si privatum* : Proventuum ecclesiasticorum *quodammodo procurationem gerimus, non pro-*

prietatem. Similiter SS. Ambros. Chrysost. Gregor. et alii antiquiores Patres.

Inter recentiores S. Bernardus Epist. 2 ad Canon. Lugdumensem : *Quidquid præter necessarium victum et vestitum de altari retines, tuum non est, sacrilegium est.* Similiter B. Laurentius Justin. et alii. S. Thomas præter ea quæ jam expendimus, sic habet 2, 2, q. 100, a. 1 ad 7 : « Quamvis res » Ecclesiæ sint papæ ut principalis dispen- » satoris, non tamen sunt ejus ut domini et » possessoris. » Innocent. IV, cap. *Cum super*, Extra. de Causa poss. et prop. *Non prælatus, sed Christus dominium et possessionem rerum Ecclesiæ habet.* S. Raymundus in Summa lib. 2, tit. 5 *de Raptoribus*, § 6, dicit clericos qui dant bona Ecclesiæ turpibus personis aut consanguineis ad eos ditandos, esse *raptores* et teneri ad restitutionem. S. Antoninus 3 p. Summæ Theol. tit. 15, cap. 1, § 19, subscribit sententiæ S. Raymundi.

Denique proventus ecclesiastici passim in jure, in conciliis, in decretis SS. pontificum et apud SS. Patres tam antiquiores quam recentiores dicuntur *res Dei*, *bona Crucifixi*, *patrimonia*, *alimenta pauperum*, etc. Ergo.

R. 1° Quæ objiciuntur ex Urbano I, caus. 12, ex can. Apost. ex can. *Quiquis*, ex conc. Carthag. ex SS. Hieron. Aug. Ambrosio, Chrysostomo et aliis sive Patribus, sive pontificibus, sive conciliis, qui floruerunt ante octavum sæculum, intelligenda esse de bonis ecclesiasticis ante illorum divisionem et beneficiorum erectionem, dum clerici viverent adhuc in communi : quo tempore fatemur neque episcopum, neque ullum clericum in particulari esse illorum dominos, sed administratores tantum, dominio penes ipsam Ecclesiam seu communitatem remanente, ut fit adhuc modo in monasteriis.

R. 2° Tametsi daremus gratis has et alias similes auctoritates intelligendas esse de bonis ecclesiasticis, etiam pro statu divisionis, non ideo multum urgerent ; possunt enim saltem pro magna parte recte explicari ad sensum quartæ conclusionis. Nam, posito quod clerici teneantur ex præcepto impendere superflua in usus pios, sequitur quod *non quasi propria, sed ut communia sint dispensanda ;* quod *non possint illa dare parentibus ad eos ditandos ;* quod non sint *illorum domini, sed admi istratores*, hoc sensu quod non possint de illis pro libitu licite disponere ; quo sensu divites sæculares dicuntur etiam quandoque a SS. Patribus administratores tantum suorum bonorum et non domini, licet revera sint domini ; quod hæc superflua *sint pauperum ;* quia ex præcepto illis debentur, licet non ex justitia ; et sic de cæteris. Item attende, inter bona ecclesiastica computari etiam bona fabricæ et pauperum, ut dixi supra, quorum clerici non sunt domini.

Ad Alexandrum III, qui floruit duodecimo sæc. *resp.* ipsum loqui non de proventibus beneficiorum, sed de bonis Ecclesiæ seu episcopatui peculiariter appropriatis, quæ Parisiensis episcopi antecessor inconsulto capitulo distraxerat : *patet ex textu ;* sequitur enim : « Accepimus autem quod » prædecessor tuus graves donationes in re- » bus episcopatus fecit in detrimentum Ec- » clesiæ, suis canonicis inconsultis : unde, » quia istæ donationes hujusmodi de jure » non tenent, indulgemus tibi ut liceat do- » nationes hujusmodi tam a clericis quam a » laicis legitime revocare. » Porro si quæstio fuisset de proventibus beneficii episcopalis, impertinens fuisset consultatio capituli ad legitimum vel illegitimum illorum usum.

Eadem solutio adhibenda est iis quæ objiciuntur ex lib. 2 Instit. tit. de Rerum divis. § *Nullius*, et ex c. *Sine exceptione*, caus 12, q. 2.

Quantum ad textum Tridentini et alios similes in jure, important quidem, ut diximus, strictam obligationem ex lege Ecclesiæ, religionis et charitatis, non tamen justitiæ impendendi in usus pios proventus ecclesiasticos.

Ad S. Bernardum et alios sive antiquiores sive recentiores, qui similem loquendi modum usurparunt, præter responsiones jam datas, *iterum respondeo* non intelligendos esse in rigore, sed secundum quamdam piam exaggerationem, seu, ut dicitur, *concionatorie*, non *theologice*. Hujus rei exempla passim reperiuntur in iis ipsis Patribus. Sic S. Aug. Serm. 129 de sæcularibus ait, illos aliena invadere qui superflua non erogant pauperibus. Sic S. Basilius de iisdem sæcularibus avaris : « Esurientis est, inquit, » panis quem tu retines, nudi est vestis » quam in arca custodis, discalceati est cal- » ceus qui apud te marcessit, egentis est ar-

» gentum quod in terra defossum possides; » quare tot injurius es hominibus quot po- » teras opem conferre. » Item notissimum illud S. Ambrosii ad sæculares : *Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti.* Hæc, inquam, et similia de divitibus laicis, qucis tamen non idcirco adimitur dominium in sua superflua, nec asseritur obligatio ex justitia, sed tantum ex charitate illa effundendi in eleemosynas. Quidni ergo et *a fortiori* eumdem figuralem loquendi modum tenere potuerint adversus ecclesiasticos divites, absque ulla eorum dominii immutatione, eo quod strictiori titulo quam sæcu- ares, licet tamen non justitiæ, teneantur pauperibus succurrere?

Insuper si hujusmodi phrases in rigore et litteraliter esse intelligendas contendas, jam solis pauperibus, et nullis aliis usibus etiam piissimis impendi poterunt bona ecclesiastica, cum de solis pauperibus hi textus loquantur : quod tamen falsum est.

Ad S. Thomam, resp. ipsum loco cit. non loqui de bonis ecclesiasticis papæ particularibus ex ejus beneficio provenientibus, sed de bonis totius Ecclesiæ, quorum dicit papam non sic esse dominum, quasi possit ea vendere absque simonia; quod est impertinens ad nostram quæstionem.

Quantum ad verba Innoc. IV, non reperiuntur loc. cit. Steyartius vero, qui ea sibi objicit, respondet hunc pontificem loqui de bonis Ecclesiæ specialiter assignatis.

Ad SS. Raymundum et Antoninum, fatemur eos nobis adversari; sed iis, præter auctoritates, ex jure opponimus S. Thomam et plures alios graves auctores.

Ad ultimum tandem, *R.* bona ecclesiastica vocari *res Dei, bona Crucifixi*, etc., quia propter Christum et in Dei cultum, ejusque ministrorum sustentationem sunt donata : non autem quod nullus præter Christum aut Deum sit eorum dominus; nisi forte sic intelligas, quod nullus sit eorum dominus sicut patrimonialium; quasi de illis æque licite ac de istis pro libitu possit disponere.

Similiter dicuntur patrimonia et alimenta pauperum, quia ipsis debentur ex rigoroso præcepto Ecclesiæ, religionis et charitatis, quamvis non justitiæ. Sic ab iisdem SS. Patribus superflua laicorum pariter dicuntur quandoque patrimonia pauperum, quamvis certo certius sit eis non deberi ex justitia, sed ex charitate tantum. Insuper hi et similes modi loquendi possunt recte intelligi de bonis ecclesiasticis prout complectuntur non solum bona clericorum, sed fabricæ et pauperum.

Obj. 2° cum Steyartio. Ante bonorum divisionem et beneficiorum erectionem, ita erat penes unamquamque ecclesiam dictorum bonorum dominium, ut quæ essent congruæ sustentationi episcopi et ministrorum superflua, ex obligatione justitiæ cederent in alias causas pias; quod a nemine hactenus negatum vidi : atqui ista bona per divisionem non mutarunt naturam, nec conditio pauperum aut aliarum piarum causarum facta est deterior. Ergo.

R. 1° *N. maj.* quam Steyartius dicit se a nemine hactenus negatam vidisse; illam, inquam, *nego* cum Dom. Soto, Bannes, Valentia, Lorcas, Maldero quos citat et sequitur Sylvius; idque conformiter principiis in secunda probatione positis, *magisque patebit ex sequentibus obj.* Interum dico verisimilius esse episcopos qui horum bonorum erant administratores, ex charitate et religione atque in bonum fidelium exemplum, aliquam portionem pauperibus distribuendam separasse : hanc autem portionem ab episcopo seu præsbyterorum cœtu semel seorsim designatam et clericis particularibus ad distribuendum commissam, tenebantur hi clerici ex justitia eam huic usui applicare, ita ut si in alterum usum distraherent aut sibi retinerent, tanquam raptores rei alienæ censebantur, et erant restitutioni obnoxii.

R. 2° *Dato* quod superflua bonorum ecclesiasticorum, dum erant communia, ex justitia forent impendenda in causas pias; hoc ipso tamen quo Ecclesia in eorum divisione assignavit unicuique suam partem, censetur piis causis sicut clericis tribuisse quod suum erat, et unicuique dividentium contulisse suæ partis dominium, quod antea erat penes totam communitatem; ita ut sicut nunc pauperes non tenentur ex justitia subvenire clericis ex superfluo suæ partis, ita nec clerici pauperibus. *Unde ad min. D.* Ista bona per divisionem non mutarunt naturam physice, *C.* moraliter et quoad dominium, *N.* Nam ante divisionem nullius erant in particulari quoad dominium, sed omnium in communi : post divisionem vero, fatente ipso Steyartio, quisque beneficiatus est dominus suæ partis; quod et alii adver-

sarii plerumque concedunt, saltem pro parte necessaria congruæ sustentationi. Quod si inde forte facta sit deterior conditio pauperum et aliarum piarum causarum, id est valde per accidens et contra intentionem Ecclesiæ, quæ per hanc divisionem e contra voluit providere bono communi, et pauperum conditionem facere meliorem, eis assignando portionem certam et independentem ab arbitrio quorumdam clericorum, qui jam tum suis rebus magis quam pauperum necessitatibus studebant.

Nec obstat huic solutioni quod addit Steyartius, Ecclesiam non aliud nec aliter clericis dominium dedisse quam quod et qualiter babebat ante divisionem. *Resp.* enim, stando in eadem solutione, quod, licet id non potuerint ecclesiæ particulares, potuit tamen Ecclesia universalis, potuerunt SS. pontifices ratione dominii jurisdictionis quod habent in omnia bona ecclesiastica in ordine ad bonum commune. Et sane si id possit respublica civilis erga bona civilia particularium, ut patet in præscriptione; quidni respublica ecclesiastica circa bona ecclesiastica?

Obj. 3° Fideles tot bona Ecclesiæ donarunt non pro solis ministris, sed etiam pro pauperibus, seu sub conditione ut superflua saltem cederent pauperibus : atqui qui recipit aliquid non sibi solum, sed et aliis, seu sub conditione partem elargiendi aliis, non habet hujus partis dominium, aut non habet nisi vinculatum, ita ut talibus dare teneatur ex justitia, et si non det, ad restitutionem teneatur. Ergo.

R. D. maj. Fideles tot bona dederunt Ecclesiæ sub conditione sperata et intenta ut superflua cederent pauperibus, *C.* sub conditione expressa et in pactum deducta, *N. Et ad hunc sensum D. min. N. conseq. Solutio patet ex secunda probatione conclusionis.* Cui addo ex Sylvio, multas suppetere causas cur fideles Ecclesiæ et ecclesiasticis tot bona contulerint, etiamsi non intenderent eos obligare ex justitia ad faciendas eleemosynas : nimirum 1° ut clerici a sollicitudine acquirendi temporalia liberati, et abundanter necessariis victui et amictui instructi, soli Deo vacarent; 2° ut haberent quo Ecclesiæ ornatum promovere, et egentium necessitates ex charitate possent sublevare; 3° ut a sæcularibus non contemnerentur propter inopiam : quamvis enim in Ecclesiæ primordiis oportuerit ipsius ministros esse pauperes, ne fidei introductio adscriberetur humanæ potentiæ, aut ne gentiles existimarent Apostolos fidem prædicare intuitu bonorum temporalium; postquam tamen fides plantata est, et ejus veritatis virorumque apostolicorum sinceritas comprobata, valde conveniens fuit ut præcipui Ecclesiæ ministri aliquam haberent temporalem auctoritatem et majestatem, et consequenter aliquam bonorum temporalium affluentiam, eo quod homines sensibilibus assueti facile contemnant aut parum revereantur eos qui humana potentia seu auctoritate carent. Ita laudatus auctor.

Inst. In Capitularibus Caroli Magni legitur hæc formula : « Offero Deo atque dedico » omnes res quæ in chartula tenentur inser» tæ, pro remissione peccatorum meorum » ac parentum ac filiorum, ad serviendum » ex his Deo in sacrificiis missarumque so» lemniis, orationibus, luminariis, paupe» rum ac clericorum alimoniis, et cæteris » divinis cultibus, atque illius ecclesiæ uti» litatibus. Si quis autem eas inde (quod » fieri nullatenus credo) abstulerit, sub pœna » sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas of» fero atque dedico, districtissimas reddat » rationes. » Et in conc. Aquisgranensi I, cap. 116, dicitur : « Facultatibus suis sanc» tam locupletem fecerunt Ecclesiam (nem» pe fideles), ut ex his et milites Christi ale» rentur, ecclesiæ exornarentur, pauperes » recrearentur. »

R. 1° his auctoritatibus importari quod ultro concedimus, nimirum intentionem et votum donatorum fuisse ut hæc bona impenderentur in usus pios; at non evinci hanc intentionem fuisse in pactum deductam, et appositam tanquam conditionem sine qua non. Neque refert quod in formula Carolina exprimatur esse intentionem donantium ut donata serviant pauperum et fabricæ usibus; quia intentio expressa in contractu donationis non semper censetur deducta in pactum et opposita ut conditio sine qua non, sed aliquando simpliciter tantum enuntiata, ut innotescat donatario, eumque secundum ejus prudentiam dirigat in administratione rerum absolute donatarum : hunc que esse sensum formulæ Carolinæ, *inde Patet*, quod alioquin si bona sic donata expenderentur in usus pauperum tantum, seclusa fabrica, vel in usus fabricæ tantum, seclusis pauperibus, irrita foret donatio defectu conditionis, et

esset obligatio restituendi; quod nullus admittit.

R. 2° has et similes auctoritates intelligi posse, non tantum de proventibus beneficiorum usibus clericorum deputatis, sed etiam de aliis bonis sive ecclesiarum fabricæ, sive pauperibus specialiter assignatis. Quandoque enim fideles sua bona distinguebant, quædam specialiter assignantes pro clericis, quædam pro fabrica, quædam pro pauperibus; aut si conferrent in globo, designatis tantum usibus intentis, ut in formula Carolina, Ecclesia, conformiter eorum intentioni, quandoque cuique suam portionem specialiter assignabat: portiones autem sic semel fabricæ et pauperibus specialiter assignatas, stricto jure in hos usus debere impendi nullus negat. Huic distinctioni fundamentum præbet S. Th. q. 185, et Quodlib. 6 citatis.

Urgebis. B. Clemens lib. 2 Constit. cap. 25, al. 29, monet episcopum ut ex decimis et primitiis perceptis, omnibus egentibus cum justitia distribuat. Et l. 8, c. 30, al. 36, dicit decimas offerri ad victum clericorum, virginum, viduarum et pauperum. Ergo.

Resp. 1° constitutiones B. Clemen. esse apocryphas et dubiæ fidei. Vide Natalis Alexander sæc. 1.

R. 2° *ad primum locum ut ante*, B. Clementem loqui non solum de bonis ipsis clericis collatis, sed etiam de iis quæ in pauperum usum erant specialiter donata. Verba ejus sunt: « Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, decimas dico et primitias, » insumat episcopus ut homo Dei; quæ » causa pauperum sponte offeruntur, dis» tribuat decenter in pupillos, in viduas, » in afflictos, etc. Impertite igitur, episco» pi, cum justitia omnibus egentibus. »

Ad secundum locum, *R.* B. Clementem referre Constitutionem S. Matthæi, qua præcipitur « ut omnes primitiæ offerantur » episcopo, et presbyteris, et diaconis ad » eos alendos: omnis vero decima offeratur » ad alendos reliquos clericos, et virgines, » et viduas, et pauperes. » Juxta hanc itaque constitutionem, non tenebantur episcopi, sacerdotes et diaconi ex justitia dare pauperibus superfluum de perceptis primitiis, sed tantum decimarum portionem. Dum autem primitiæ desierunt solvi majoribus clericis, aut fuerunt insufficientes, inolevit hæc constitutio, et decimæ ipsis ex justitia solvuntur, ut probatur alibi; de hisque teneri superflua dare pauperibus ex justitia, nullatenus probatur.

Obj. 4° In jure clerici prohibentur testari de bonis ecclesiasticis; item statuitur quod si emant immobilia de fructibus Ecclesiæ, teneantur ea emere nomine Ecclesiæ, aut in Ecclesiam transferre: ergo non habent illorum dominium, aut saltem est vinculatum.

R. equidem esse vinculatum quoad actus assignatos ex Ecclesiæ prohibitione aut præcepto, sicut, v. g. dominium pupilli; non tamen quoad alios actus. Insuper dico hæc jura jamdudum contraria consuetudine, scientibus et non contradicentibus superioribus, in Gallia, in Hispania, in Belgio et in pluribus aliis provinciis inolevisse.

APPENDIX

Ad præcedentem articulum.

Petes 1° utrum clerici habentes propria, possint vivere ex bonis ecclesiasticis?

R. affirmative: est communis contra auctorem *Vitæ contemplat.* qui olim credebatur D. Prosper; nunc verius quidam Julianus Pomerius quinti sæculi. Item contra Dionysium Carthus. et paucos modernos, qui Juliani sententiam his temporibus intempestive suscitarunt.

Prob. 1° ex Apost. 1 Cor. 9, ubi probat variis argumentis ex jure naturæ petitis, eum omnem qui spiritualia populo ministrat, jus habere secundum ordinationem Christi ut de altari vivat et carnalia metat, etiamsi aliunde possit vivere, ut ipse vivere poterat et reipsa vivebat; idque confirmat exemplo ministrorum templi Judaici, quibus, licet essent divites et haberent aliunde unde viverent, licitum erat tamen de sacrario edere.

Hinc Innoc. III, in cap. *Cum secundum* 16 de Præbendis et dignit. Extra, l. 3, tit. 5, ait: « Cum, secundum Apostolum, qui al» tari servit vivere debeat de altari, et qui » ad onus eligitur non debet repelli a merce» de; patet a simili ut clerici vivere debeant » de patrimonio Christi, cujus obsequio de» putantur. » ubi nulla mentio indigentiæ sed solum officium clericatus ut titulus sufficiens stipendii ad victum profertur. Et itorum clarius conc. Agath. can. 36, refertur

can. *Clerici* fin. caus. 1, q. 2, universaliter dicit : « Clerici etiam omnes qui Ecclesiæ » fideliter vigilanterque deserviunt, stipen» dia sanctis laboribus debita, secundum » servitii sui meritum vel ordinationem ca» nonum, a sacerdotibus (id est episcopis) » consequentur. »

Confirmatur. Plus juris indubie circa bona ecclesiastica tribuitur et tribuit clericis Apostolus quam cæteris fidelibus : atqui cæteri fideles jus habent ut de bonis ecclesiasticis vivant, si sint pauperes : ergo jus ministrorum ad casum paupertatis non restringitur.

Prob. 2° Secundum jura et D. Th. a 6 et 7, q. cit. clerici possunt habere propria et ea suis parentibus tribuere aut aliter de eis pro libitu disponere : ergo non tenentur ex eis vivere.

Prob. 3° S. Thomas a. 7 cit. cum sibi objecisset tertio loco verba quæ tribuuntur S. Hieron. quibus dicitur illos solos clericos debere stipendiis Ecclesiæ sustentari, quibus parentum bona nulla suffragantur; qui autem bonis parentum aut propriis opibus sustentari possunt, sacrilegium committere si quod pauperum est accipiunt : *respondet* restringendo hanc obligationem vivendi de patrimonialibus ad solum casum gravis necessitatis pauperum, et dicit : « In tali ne» cessitate peccaret clericus, si vellet de re» bus Ecclesiæ vivere, dummodo habeat » bona patrimonialia de quibus vivere pos» sit. » Ergo extra casum gravis necessitatis non peccat.

Prob. 4° Juxta adversarios apud Steyartium Controv. 1, q. 4, in fine Aphoris. clericus qui haberet summam capitalem, quam si vellet expendere, ex ea posset tota vita honeste sustentari, ad id non tenetur ut bonis ecclesiasticis parcat; item nec qui aliqua arte posset sibi decenter necessaria sustentationi acquirere, *ut etiam patet* ex ipso Apostolo : ergo nec qui habet proventus patrimoniales. *Patet conseq.* a paritate rationis, nec ullum argumentum potest proferri contra hunc ultimum casum, quod non militet contra duos priores.

Adde in confirmationem, praxim communem piissimorum ecclesiasticorum, imo totius Ecclesiæ, quæ sæpe potentioribus potentiora confert beneficia, et utrorumque bonorum ac utriusque potentiæ conjunctione insignia percipit emolumenta; item, nullum esse sufficiens fundamentum tam grave onus imponendi clericis.

Objicitur 1° canon *Ex his*, caus. 12, q. 1, ubi dicitur : « Ex his autem (rebus Eccle» siæ) quibus indiget episcopus, si tamen » indiget, ad suas necessitates et peregrino» rum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil » ei possit omnino deesse. Lex enim Dei » præcipit ut qui altari deserviunt, pascan» tur de ipso. » Idem repetitur ex concilio Antiocheno 3, can. seq. *Episcopus* 23; vis est in his verbis, *si tamen indiget.*

2° Verba S. Hieron. ad Damasum, can. *Clericos*, caus. 1, q. 2, quæ supra objicit S. Thomas : « Clericos autem illos convenit » Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus pa» rentum et propinquorum nulla suffragan» tur bona : qui autem bonis parentum et » opibus suis sustentari possunt, si quod » pauperum est accipiunt, sacrilegium pro» fecto committunt, et per abusionem ta» lium judicium sibi manducant et bibunt. » Quid simile habetur canon, seqq. 7, 8 et 9, ex Auctore *Vit. contemplat.*

3° S. Aug. Ep. 50 Bonifacium, suo et omnium Ecclesiæ ministrorum nomine, dicit ad ersus Donatistas : « Quæ bona Eccle» siæ) si pauperum compauperes sumus, » et nostra sunt et illorum. Si autem pri» vatim quæ nobis sufficiant possidemus, » non sunt illa nostra, sed pauperum, quo» rum procurationem quodammodo geri» mus, non proprietatem nobis usurpatio» ne damnabili vindicamus. »

4° *Objicitur* auctoritas Pseudo-Prosperi in *Vit. contemp.* hoc est, Juliani Pomerii, Dionysii Carthus. et Gratiani sup. can. *Pastor* caus. 1, q. 2; item et conc. Aquisgranensis quod Juliani Pomerii sententias adoptat.

5° *Arguitur* ex conc. Trid. sic. Juxta Trid. sess. 25, c. 1 de Reform. non licet ecclesiasticis consanguineos et familiares augere ex reditibus ecclesiasticis : ergo neque ex propriis, dum interea beneficiatus ex reditibus Ecclesiæ vivit; quia sic æquivalenter auget parentes ex reditibus Ecclesiæ, cum ex his fiat ut de propriis parentes augere possit.

Ad primum, *respondet* Pontas v. *Bénéficier*, cas. 22, hæc verba, *si tamen indiget*, non solum referri ad hæc præcedentia, *ex his quibus indiget episcopus*; sed etiam ad hæc sequentia, *ad suas necessitates et pere-*

grinorum fratrum usus. Quasi diceret : *Ex his quibus indiget episcopus accipiat ad suas necessitates et peregrinorum fratrum usus, si tamen ad hoc indigeat.* Nec aliter, inquit clarissimus autor, potest intelligi, siquidem canon 39 inter Apostolicos ex quibus excerptus est is qui objicitur, habeat expresse episcopum posse habere propria, et de eis pro libitu disponere. *Respondet* Steyartius cit. hunc canonem respicere duntaxat episcopos qui ultra veram indigentiam ex bonis Ecclesiæ sumerent : in idem redit. Addo ergo canones qui dicuntur Apostolorum, esse apocryphos, nec esse tantæ auctoritatis in Ecclesia ut probationibus nostris præponderent. Idem *a fortiori* dicendum de canon. *Episcopus* desumpto ex conc. 3 Antiocheno, quod fuit Arianorum. Aliam insuper solutionem generalem infra superaddam.

Ad secundum, respondet Steyartius, hæc verba quæ tribuuntur S. Hieron. non exstare in ejus operibus, et conjicit esse alicujus posterioris qui sapuit cum Juliano Pomerio. Ast cujusvis sint, *R.* cum S. Th. supra, esse intelligenda pro casu gravis necessitatis. Quantum ad alios canones ibidem laudatos, dico esse non D. Prosperi, sed Juliani Pomerii, de cujus auctoritate nihil est quod laboremus.

Ad tertium quod est S. August. *resp.* Pontas esse intelligendum sensu quo S. Thomas intelligit S. Hieron. de casu gravis necessitatis. Insuper dico S. Aug. illic referre quid ipse et alii sanctiores episcopi facerent; plura autem faciebant quæ non erant absolutæ necessitatis, ut vivere in communi, etc.

Ad quartum, resp. auctoritatem Juliani Pomerii, Dionysii Carthusiani et Gratiani, levioris esse momenti ut eam nostris probationibus et pientissimorum ac totius Ecclesiæ praxi non dico præferamus, sed et æquemus. Adde Julianum sano sensu a clarissimo Pontas explicari loc. cit. Dionysium fateri aperte se bellum indicere omnibus scholasticis; Gratianum sic obscure loqui ut vix intelligatur.

Quantum vero ad synodum Aquisgranensem, aperte nobis favet, dicit enim, « Eos » qui et suas et Ecclesiæ habent facultates, » et utilitatem Ecclesiæ..... conferunt, posse » accipere potum et cibum et partes eleemo» synarum in congregatione, » et non plus; eos vero qui propria non habent posse accepere integrum victum et vestitum, et partes eleemosynarum. In quarum regularum confirmationem, synodus profert quasdam sententias Juliani Pomerii, quem putabat D. Prosperum, sed quas non intelligit in sensu adversariorum; aut saltem eas in isto sensu non adoptat, cum sic intellectæ plus probarent quam intendat synodus.

Cæterum ad has omnes objectiones generatim unum dico. Dato aliquandiu aut alicubi viguisse hanc praxim, ut clerici divites non permitterentur vivere ex bonis ecclesiasticis; jamdiu illi derogatum est per contrariam praxim, passim apud timoratos receptissimam et ab ipsa Ecclesia probatam.

Item et sit altera generalis solutio. Ex Prospero Fagnano in caput *Si quis*, de Peculio clerici n. 14 et seqq. distingue triplicem Ecclesiæ statum quoad præsentem materiam. Primus est nascentis et adolescentis Ecclesiæ, quando Apostoli et ipsis vicini nulla habebant immobilia, sed solis oblationibus contenti, eas possidebant in communi.

Secundus, quo præter oblationes Ecclesia incepit habere immobilia, et hæc cum oblationibus in quatuor portiones distribuit, earum tamen administratione penes episcopum remanente. Hinc factum ut clerici, a priorum fervore deficientes, retentis bonis propriis, in communitates confluerent, ut illic ex bonis ecclesiasticis viverent, et propriis parcerent; cum e contra de sua sorte securi per abundantiam ecclesiasticorum, propria abdicare potius debuissent aut Ecclesiæ consignare exemplo suorum prædecessorum : in eam ergo defervescentiam et relaxationem avita communi insurrexerunt Patres tertii, quarti, quinti sæculi, non quasi injustam ex retentione propriorum, sed ut scandalosam, ambitioni, avaritiæ et cupiditati obsequentem contra exempla majorum.

Postea vero, et est tertius status, unusquisque clericus suæ portionis obtinuit possessionem et administrationem, quam sensim et citra scandalum patrimonio junxit, nullo amplius reclamante.

Tandem adde hæc omnia argumenta pariter militare contra eum qui, habens summam capitalem unde possit sustentari, viveret ex bonis ecclesiasticis; quod tamen est licitum juxta adversarios.

Ad quintum, *R.* longe aliud esse ditare consanguineos ex bonis ecclesiasticis, quod prohibet S. synodus, et aliud vivere ex illis; in hoc enim casu bona ecclesiastica impenduntur in usum cui destinantur, in priore impenduntur in usum profanum et prohibitum. Nec refert quod inde parentibus obveniat utilitas, id enim est per accidens, quo lex non extenditur : sic, v. g. Titius accipiens beneficium potest, juxta adversarios, bona sua relinquere, ex quo tamen per accidens parentibus obvenit emolumentum.

Hanc quæst. fusius tractatam vide apud Pontas v. *Bénéficier*, cas. 22 cit. et apud Steyartium loc. cit. qui discutit eam problematice.

Petes 2° quæ censeatur congrua clerici sustentatio ?

R. id admittere latitudinem, nec posse exacte definiri, sed remittendum judicio viri prudentis ac pii, attenta qualitate personæ; plus enim necessarium est debili et infirmo quam robusto, attenta qualitate officii et beneficii; plus enim exigit conditio episcopi quam decani, plus conditio decani quam simplicis canonici, attenta qualitate loci; quod enim vix sufficit in certis provinciis, superabundat in aliis. Item congruæ sustentationis limites non excedunt modesta supellex, libri ad eruditionem comparandam suo statui conformem, honesta convivia, moderata munera pro more patriæ inter consanguineos et amicos, equus non ad vagandum, sed ad necessaria itinera; hæc enim et similia concurrunt ad decentiam status et ad societatem vitæ.

Utrum vero habenda sit etiam ratio nobilitatis, non conveniunt auctores : *affirmat Navarrus* cum multis, *negant alii*. Porro mihi certum videtur non licere clerico ratione nobilitatis ex bonis Ecclesiæ pretiosam supellectilem sibi comparare, multitudinem famulorum, equorum, canum, etc. alere, magnificentiam in vestibus, in hortis, in ædificiis, etc. colere more nobilium; non enim bona Ecclesiæ ad pompam sæcularem, sed ad honestam ministrorum ejus sustentationem destinata sunt. Unde « *Turpiter errant*, inquit noster Ban» nes, qui se propter multam supellectilem, plurimamque eleganter vestitam » familiam, multamque vasorum ex auro » et argento copiam, pluris esse æstiman» dos putant. » Nihilominus condemnare non ausim canonicum nobilem qui suos parentes aut amicos paulo lautius exciperet quam canonicus plebeius suos; id enim videtur exigere tum honestas cum charitas. Idem dic de aliquo alio simili, quod si non fieret, multum deprimeret conditionem nobilis.

Petes 3° utrum in solo casu paupertatis liceat clericis subvenire consanguineis ex bonis ecclesiasticis ?

R. id eos etiam licite posse in duobus aliis casibus. 1° Ut non indigeant, etsi non sint de facto pauperes. Ita S. Th. q. cit. a. 7, ad 2. 2. —Q. 85. a. 7. ad 2.— 2° Ut ipsis in ecclesiastica dignitate constitutis non sint dedecori : quia in utroque casu non est dare ad superfluitatem, sed supplere defectum, et conservare decentiam status. Hinc non videtur damnandus beneficiatus qui ex bonis ecclesiasticis alit in studiis aut in aliqua arte dicenda suos nepotes, quibus ad hoc parentum mediocritas non sufficit. Cæterum summopere caveant clerici ne hujusmodi decentia status aut conditionis parentum longius protendatur quam ferat necessitas. Et illud Petri Blesensis Epist. 102 præ oculis habeant : *Terret me B. Hieronymus dicens quod multi dum parentibus miserentur, animas suas perdant;* et illud Ludolphi Carthusiani : *Dum Genitor rerum privavit semine clerum, Ad satanæ votum successit turba nepotum.* Vide Pontas v. *Bénéficier* cas. 14 et 15.

Petes 4° utrum beneficiarius non possit sibi reservare aliquid in futurum ?

R. posse quædam moderate reservare, ut obvietur infirmitati, bellorum incommodo et similibus, si revera subsit eorum periculum, et non urgeat gravis necessitas pauperum

MONITUM CHRISTIANUM

Ad auctorem Theologiæ Christianæ, in defensionem præcedentis doctrinæ.

I. Et mei et tui causa te hodie convenio, R. Pater. Ignoscere injurias, famam suam, maxime dum aliis est adstricta, defendere, fratrem delinquentem corripere, hæc omnia sunt officii *christiani*. Injuriis atrocibus me afficis, famam meam meo et tuo ordini, atque mæ provinciæ, qui jam tertio præsse cogor, alligatam laceras; in his delinquis.

Injurias, quantum possum et debeo, *christiane* ignosco, famam meam *christiane* defendo, et tui magis quam mei miseratus, te *christiane* corripio : si me audieris, te lucratus ero, et hoc maxime intendo.

Quod ergo de dominio clericorum aliter quam ego sentias, nihil moror ; hac in materia ut in pluribus aliis, unusquisque in suo sensu abundet, prout ipsi probabilius videtur : sed arguis me *probabilismi, frequentioris laxitatis, fraudis, oscitantiæ non ferendæ, cavillationis indignæ :* me contumeliose exibes seu virum *iracundum, imo furentem, aliorum derisorem, deridendum et exsibilandum.* Itane dictat R. P. Theologia christiana? Itane docuit Christus? Minime certe. In his ergo peccasti : quapropter me, te fraterne et christiane corripientem, paulisper sustine; pedetentim te sequar, succincte tamen, ne tædio sim tibi et aliis. Quo animo, an contemptus, an familiaritatis ergo, me sæpe convenias his terminis, *Mi Billuart*, non multum anxior : tu mihi semper christiane eris Reverendus Pater.

II. Tomo 2 tuæ *Theologiæ Christianæ*, cap. 18, p. 77, scribis me *frequenter ad laxiora declinare;* et pag. 87, me *sequi unum Sylvium, cujus commentaria laxitatis probabilisticæ fuligine tincta deprehendisti; et ideo opus meum non raro simili laxitatis luc aspersum esse.*

Opinio laxior, R. P., dicitur, non quæ præcise favet libertati, nisi laxitatis velis arguere SS. doctores et omnes theologos, sed quæ, cum faveat libertati, est minus aut non magis probabilis quam quæ favet legi. Probabilista dicitur, qui sequitur sententiam faventem libertati, quam ipse judicat minus aut non magis probabilem quam ea quæ favet legi : sic tu ipse resolvis tom. 2 tui Apparatus pag. 376. Edissere nunc, R. P., num ego unquam docuerim aut amplexatus fuerim opinionem faventem libertati quam judicaverim minus aut non magis probabilem, quam oppositam faventem legi? Provocote : assigna vel unam.

At tibi visæ sunt plures ex meis opinionibus laxiores : sit ita. Ideone sunt revera et secundum se laxiores? Tune regula et lapis lydius veræ vel falsæ doctrinæ? Tune oraculum mundi cui fasces submittere debent omnes theologi? Sed iterum, sint secundum se laxiores : itane mihi visæ sunt? Id tamen necessum erat, ut mihi probabilismum objicere posses.

Ex tot laxitatibus in quas dicis me frequenter declinare, duas duntaxat, saltem quantum scio ex tuis indiciis, impugnas, hanc scilicet præsentem, et alteram de simonia, de qua suo loco : verosimilius quia hæ duæ tibi inter laxiores visæ sunt laxissimæ. O R. P. si ita sit, si aliæ sententiæ meæ quas intactas relinquis, sunt minus laxæ, imo non laxiores his duabus, quam bene consultum est meo operi! mihi certa spes est quod inoffenso pede curret, sicut hucusque cucurrit, et quod æquis rerum æstimatoribus non videbitur *frequenter respersum lue probabilistica.*

Denique qua specie veri mihi affingis probabilismum, quem non secus ac tu toto animi conatu aversor, quem non secus ac tu omni genere argumentorum impugno? Lege, si lubet, meam hac de re dissertationem in tractatu de Actibus humanis, et forte te pudebit hanc notam fratri tuo inussisse.

III. Ibid. pag. 79, n. 29, scribis *me alto silentio premere integram doctrinam D. Thomæ Quodlib. 6, q. 8, a. 12 o; et ut opertæ fraudis notam evaderem, me existimasse sat esse propriis,* id est meis, *verbis eamdem indicare.*

Si fraus sit, R. P., ex qua parte stet judicet æquus lector.

Doctrinam D. Thomæ in corpore retuli et meis et propriis ejus verbis, nec ea ejus verba omisi in quibus totam vim repones, scilicet clericos non esse dominos, sed dispensatores bonorum ecclesiasticorum, adjuncta glossa, quod S. Thomas intelligat generatim de bonis ecclesiasticis ut sic. Hæc sunt verba mea : S. Doctor Quodlib. 6, q. 7 (non 8, ut scribis), a. 12, ubi discutit an clerici teneantur sub mortali dare eleemosynam, cum in Corpore dixisset generatim de bonis ecclesiasticis ut sic, *non esse dominos sed dispensatores*, et resolvisset eos posse peccare dupliciter, uno modo *ex rei ipsius conditione, dum scilicet usurpant rem sibi tanquam propriam quod est alterius, alio modo ex inordinato usu eorum quæ in partem cedunt, sicut de aliis*, id est, de patrimonialibus, ut dixerat initio Corporis, etc. Vides me non propriis tantum, sed etiam propriis S. Doctoris verbis ejus sententiam exposuisse; maxime in eo quod tibi favere existi-

mas. Qua ergo conscientia mihi exprobras quod *alto silentio premerim integram rescriptam doctrinam in corpore articuli a S. Doctore constitutam*, et *ideo opertæ fraudis notam* mihi inuris? Non hæc est doctrina *christiana*, R. P.

IV. Quantum ad doctrinam S. Thomæ in responso ad 3, in quo diserte meam sententiam asserit, tu dicis pag. 80, n. 24, eam *hoc responso penitus profligari*. Unicum tibi effugium ab hac invicta auctoritate fingis, scilicet, S. Doctorem loqui duntaxat de portione necessaria congruæ sustentationi clerici. Verum tuum jugulum petunt hæc S. Doctoris verba, *sicut sunt præbenda clericorum*. Dic, velim, num præbendæ clericorum seu beneficia contineant tantum quæ sunt necessaria congruæ sustentationi clericorum?

Excurris postea in tritum argumentum, quod ejusdem sint rationis bona clericorum post ac ante divisionem, et inde me *cavillationis theologo indignæ* arguis. Lege meam dissertationem in priori meo opere obj. 2, pag. 99, et ibi videbis tuum argumentum in pulverem contusum.

V. Pag. 81, n. 25, profers ea quæ docet S. Th. in Epistola 2 ad Cor. et sic concludis: *Adeo luculenta hæc sunt, ut nec hiscere audeat P. Billuart; solum dicit eodem in sensu ac alia quæ ex S. Doctore adduximus interpretanda esse.*

Contradictoria loqueris, R. P. Si *hiscere* non ausus fuerim, quomodo ergo dixi, *hæc esse interpretanda eodem sensu ac priori?* Numquid hoc est, *hiscere?* Neque id solum dixi, sed addidi: *Intellige divitias quæ, ut ait S. Doctor, sunt principaliter destinatæ necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, et alia hujusmodi.* Id sane est plusquam *hiscere*. Sed forte adhibes verba quæ non satis intelligis. Non *audere hiscere*, significat non audere aperire os, aut ullum verbum proferre, vernacule, *N'oser ouvrir la bouche ou dire un seul mot;* consule dictionarium. Ausus sum ego *hiscere* et plusquam *hiscere*.

VI. Pag. 81, n. 26, accedis ad doctrinam S. Th. in sua Summa q. 185, a. 7 o, quam dicis *me non ausum fuisse integram referre sed truncatam particulam adduxisse; quia fucum facere lectoribus existimaverim, et stiluisse capitale S. Thomæ principium, quod beneficiarii sint dispensatores et procuratores redituum Ecclesiæ.* Judicet inter me et te orbis litterarius.

Pag. 85 mei operis prioris sub finem, hæc scribo: *Igitur cum præmisisset* (S. Th.) *episcopos bonorum propriorum habere absolutum dominium, et vi talis dominii posse pro libitu valide de illis disponere, nec teneri ad restitutionem si male impendant, quippe quod non peccent ex rerum conditione, sed propter inordinationem affectus, bonorum vero ecclesiasticorum generatim scilicet et indistincte non esse* dominos, sed administratores et procuratores tantum; *quia inter bona ecclesiastica, præter bona episcopi numerantur etiam bona clericorum fabricæ et pauperum, quorum episcopi non sunt domini, sed administratores tantum; his, inquam, præmissis, subdit S. Doctor. Si ergo distincta sint bona*, etc. Idne est non audere referre integram doctrinam S. Thomæ? Idne est ipsam truncare ad faciendum fucum lectoribus? Idne est tandem silere *principium capitale* S. Thomæ, quod ipsismet ejus verbis refero?

VII. Ut decretoriæ contra te S. Thomæ auctoritatis ex ejus Summa vim eleves, duo fingis: primum, quod S. Thomas loquatur de portione episcopi, suæ congruæ sustentationi necessaria. At fingis, inquam, R. P. Loquitur enim S. Doct. *ut legenti patet*, de integra portione specialiter usui episcopi deputata et prout est distincta ab aliis portionibus, fabricæ, pauperum et aliorum clericorum. Item dicit quod, si episcopus de sua portione *immoderate sibi retineat et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis, peccet.* Dic, quæso, num episcopus de portione suæ congruæ sustentationi præcise necessaria possit aliquid immoderate sibi retinere? item, num teneatur, ex debito charitatis, de sibi necessariis ad sustentationem, aliis subvenire?

Alterum quod fingis, est, portionem pauperum esse permixtam cum portione clericorum. At quomodo id probas? Quia, inquis § 5 tuæ dissertationis, administratio portionis pauperum semper penes episcopos et beneficiarios remansit. Inprimis, id non est omnino verum; videmus enim etiam nunc in pluribus locis administrationem bonorum pauperum aliis quam beneficiariis esse commissam, nec quæ affers ex quibusdam conciliis contrarium evincunt.

sunt enim intelligenda de bonis ecclesiasticis nondum ullo modo divisis, aut de aliqua portione pauperibus ex charitate eroganda. Sed sit sicut prætendis : quis inde? Administratio portionis fabricæ est penes beneficiarios; indene sequitur quod portio fabricæ sit permixta cum portione beneficiariorum?

Non potest, inquis, ostendi portionem hanc pauperum separatam exstare a bonis beneficiorum. Unde scis bona pauperum quæ in pluribus locis exstant, item hospitalia et alia loca pia, non esse istam portionem? *Sed esto*, jam in antecessum tibi responsum est quod ista pars, vel perierit injuria temporum aut hostium direptione, aliave calamitate; vel forte non fuit constituta in fundis, sed in pecuniis, quæ distributæ tandem finem acceperunt, cum e contra ex aliis portionibus empta sint immobilia bona seu fundi; vel tandem neque a fundatoribus neque a prælatis Ecclesiæ ulla forte fuit portio assignata pauperibus, quod saltem plerumque verum est quoad ecclesias post tempora factæ divisionis erectas, et cum paucæ ex antiquioribus nunc subsistant, saltem in eo statu in quo tunc erant tempore factæ partitionis, non est mirum si raro inveniatur illa quarta pars pauperum.

Cæterum te hic et alibi S. Thomæ communis magistri mentem non esse assecutum, non est quod miremur. Diceris enim, ut audio, ex illo genere Thomistarum qui S. Thomæ doctrinæ in omnibus adstringi reformidant, licet id pro lege habeamus : unde religioni non ducunt tam scrupulose ejus mentem inquirere, quin potius S. Doctorem suis opinionibus jam præconceptis vel invitum servire subinde cogunt.

VIII. Pag. 86, n. 3, summatim refricas et aggravas calumnias et convicia quibus me prius affecisti. Regeris ergo me, ut liberius indulgerem meis cavillationibus, non retulisse, neque ex Quodlibetis, neque ex Summa, verba quibus S. Doctor declarat clericos meros esse dispensatores rerum Ecclesiæ : sed cum te in hoc apertæ falsitatis convicerim, pura putaque calumnia est, quod inde fraudis aut oscitantiæ me arguas.

IX. Ibidem dicis *me irasci P. Henno, celebri theologo Franciscano :* potuisses addere, et Thomistis frequenter injurioso. Et paulo infra, quod *derideam ejus interpretationem, ipse deridendus atque exsibilandus.*

Testor omnem alium a te lectorem, num sit umbra iræ et derisionis in meis responsis. Simpliciter respondeo, evasionem P. Henno *manifeste repugnare textui S. Thomæ.* Et id probo ibid. Ad aliam instantiam ejusdem Henno, qua contendit quod S. Thomas Quodlib. 6, ipsi formalissime faveat, respondeo sic : *Pace viri religiosi dixerim, non legit S. Thomam, alias vidisset ibidem ipsum formalissime asserere, clericum indebite impendentem bona ecclesiastica suis usibus deputata, peccare tantum per abusum, ut dixerat de patrimonialibus, nec teneri ad restitutionem, sed tantum ad pœnitentiam peragendam.* Ubi ira, ubi derisio? Num potuissem majori urbanitate ac modestia respondere? Et tamen sum, secundum te, in istis responsis *iracundus, derisor, deridendus et exsibilandus.* Non sic, R. P., docet *theologia* vere *christiana.*

X. Ibidem improperas mihi quod *excandescam* adversus Pontas, imo quod sim *furens* in ipsum, quia dixi quod *iste doctor Parisiensis debuerit esse oculatior antiquioribus et oculatissimis S. Thomæ interpretibus, qui diu noctuque Summam Angelicam versantes, nec per umbram viderunt quod iste clarissime et sine ambiguitate vidit, imo cujus oppositum clarissime et sine ambiguitate viderunt.* Et hoc vocas *furere in auctorem!* Numquid ipsum arguo, sicut me arguis, fraudis, oscitantiæ non ferendæ, cavillationis indignæ? Numquid ipsum voco, sicut tu me vocas, iracundum, furentem, derisorem, deridendum et exsibilandum? Absit. Simpliciter dico occulatissimos et antiquiores ipso, non vidisse in D. Thoma quod ipse dicit se clarissime vidisse. Si hoc sit *furere in auctorem*, R. P., in quo gradu furoris contra me tu collocandus eris? At silere jubet, maledicere vetat charitas.

XI. Deinde quæris quinam sint isti oculatissimi et antiquiores interpretes D. Thomæ. Quid quæris quod habes præ oculis? Numquid legitis meam conclusionem, in quam tanto impetu debaccharis? Illic laudo ut ejus patronos, Dominicum, Soto, Bannem, Lorcam, Wiggers, Sylvium, etc. Et hi sunt S. Thomæ interpretes, ut puto oculatissimi et antiquiores, saltem respective ad

Pontas. Ft hinc jam habes me non unum sequi Sylvium. Insuper volve, si lubet, revolve meum opus integrum; jam pervenit in Italiam, reperies quod optas, me *legisse doctissimos Dominicanos; tum antiquos, tum modernos*, non unum Sylvium, cujus aliunde opiniones non paucas impugno. Item videbis me nunquam recedere a sententiis scholæ nostræ propriis; et quantum ad eas quæ in ea controvertuntur, me nullam amplecti quæ non sit fulta auctoritate alicujus *doctissimi Dominicani*.

XII. Pergis : Legistine, inquis, sanctum Antoninum? Hic, fateor, hæreo. An ridere, an indignari, an tibi compati debeam, vix scio. Objectione prima quæstionis quam impugnas et in qua versamur pag. 95, post medium sic mihi objicio : *S. Raymundus in Summa lib. 2, tit. 5 de Raptoribus* § 6, *dicit, clericos qui dant bona Ecclesiæ turpibus personis aut consanguineis, ad eos ditandos, esse raptores et teneri ad restitutionem*. S. Antonius 3 p. Summæ Theol. tit. 15, c. 1, § 19, subscribit sententiæ S. Raymundi. Pag. 98, circa medium; ad hanc objectionem sic respondeo : Ad SS. Raymundum et Antoninum, fatemur eos nobis adversari, sed iis, præter auctoritates ex jure, opponimus S. Thomam et plures alios graves auctores. Legi ergo S. Antoninum : sed tu legistine meum opus? Te non legisse opus quod ex professo et calamo felle tincto impugnas, verisimile non est, atque id fateri tibi probrosum foret. Legisti ergo. Qua itaque fronte petis a me num legerim S. Antoninum quem, citatis parte, titulo, capite et paragrapho, mihi objicio, et quem tibi favere verbis expressis declaro? Forte confugies, ut olim, ad *debilitatem visus tui* (1) : sed crede mihi, R. P. hæc excusatio, ut mitius loquar, multis infirma videtur.

XIII. Tandem his verbis absolvis : Hæc pauca pro re nata adversus domestici scriptoris commenta scripsi, cujus personam colo et veneror, oroque ut in morum doctrina explicanda cautior sit in posterum.

Vocas commenta quæ tibi ad palatum non sapiunt; sed non ideo sunt commenta : cemmentum est, R. P., quod confictum est, et nulla ratione fulcitur. Auderesne dicere sententiam quam propugno esse confictam, et nulla ratione fulciri? Plures attuli, et vix unam attigisti.

Personam meam, inquis, colis et veneraris : vellem a te scire qua specie cultus veneraris personam quam tot conviciis, ludibriis, contumeliis despicatissimam fecisti atque palam inhonorasti?

Monitum tuum seu preces tuæ; ut sim *cautior in morum doctrina explicanda*, serius venerunt, et si citius venissent, fuissent inutiles. Qui probabilismum tota animi contentione adversatur et impugnat, non indiget monitis aut precibus ut laxiora declinet et probabiliora sectetur. Videbuntur forte tibi laxiora; sed, pace tua, R. P., non babes clavem scientiæ, nec gaudes privilegio infallibilitatis. Oro ego vicissim ut in suggillandis aliorum opinionibus, et in servandis circa autorum personas charitatis *christianæ* et justitiæ juribus, sis in posterum cautior.

XIV. Dixeras pag. 77, *te meas opiniones a S. Thomæ doctrina alienas, occasione data, pro meritis labefacturum, ut hinc intelligant omnes non pro domo, pro instituto, sed pro veritate pugnare*. Qui pro veritate duntaxat pugnat, R. P., non confugit ad injurias, convicia et calumnias : his præsidiis non eget veritas quæ proprio fulgore lucescit, et solidis rationibus circumquaque fulcitur. Proprium est muliercularum in foro sua tueri clamando et conviciando; non sic theologi *christiani* in suis opinionibus tuendis: hi, semotis verborum aculeis, animo pecato suas rationes modeste proferunt, objectiones adversariorum pariter solvunt; tu vero continuo jurgaris et conviciaris. Contra unam ex meis solutionibus specialiter insurgis pag. 76, indeque scandalum videris pati : mei muneris est illud excutere.

Itaque ad objectionem ex S. Bernardo qui Epist. 2 ad Canon. Lugd. scripsit : *Quidquid præter necessarium victum et vestitum de altari retines, tuum non est, sacrilegium est*, respondeo sic : « Ad S. Bernardum et » alios, sive antiquiores, sive recensiores, » qui similem loquendi modum usurpa» runt, præter responsiones jam datas, ite» rum respondeo non esse intelligendos in » rigore, sed secundum quamdam piam » exaggerationem, seu, ut dicitur concio» natorie, non theologice. Hujus rei exem-

(1) R. P. accusatus et convictus quod propositiones laxas et erroneas falso tribuisset quibusdam auctoribus, in excusationem attulit *debilitatem sui visus*. Ita in sua declaratione præfixa tom. I. sui Apparatus.

» pia passim reperiuntur in iis ipsis Patribus. » Sic S. Aug. Serm. 129, de sæcularibus ait, » nos aliena invadere qui superflua non » erogant pauperibus. Sic S. Basilius de iis- » dem sæcularibus avaris Serm. 1 : *Euse- » rientis est panis quem tu retines, nudi » est vestis quam in arca custodis, discal- » ceati est calceus qui apud te marc escit, » egentis est argentum quod in terra de- » fossum possides; quare, tot injurius es » hominibus, quot poteras opem ferre.* Item » notissimum illud Ambrosii ad sæculares : » *Pasce fame morientem; si non pavisti, oc- » cidisti.* Hæc, inquam, et similia de divi- » tibus laicis, queis tamen non idcirco adi- » mitur dominium in sua superflua, nec as- » seritur obligatio ex justitia, sed tantum » ex charitate illa effundendi in eleemosy- » nas. Quidni ergo et *a fortiori* eumdem fi- » guralem loquendi modum tenere potue- » rint adversus ecclesiasticos divites, abs- » que ulla eorum dominii immutatione, » eo quod strictiori titulo quam sæculares, » licet tamen non justitiæ, teneantur paupe- » ribus succurrere? Insuper si hujusmodi » phrases in rigore et litteraliter esse intelli- » gendas contendas, jam solis pauperibus » et nullis aliis usibus etiam piissimis, im- » pendi poterunt bona ecclesiastica, cum » de solis pauperibus hi textus loquantur, » quod tamen falsum est. »

En integra mea solutio, in qua vides me jam præter illam alias dedisse ad idem argumentum. Et tamen, aliis intactis, contra hanc unam insurgis, præsertim contra hos terminos *concionatorie* et *theologice*, quasi, si semel admittantur, actum sit de religione et vincant hæretici. At terriculamentum est, R. P., inde tua hallucinatio, quod hos terminos contra sensum meum et communem, imo contra verba mea perperam intelligas. Tolle, si lubet, hos terminos qui tibi stomachum movent, et lege duntaxat : Patres in præsenti casu *non esse intelligendos in rigore, sed secundum quamdam piam exaggerationem:* nihil detrahis meæ solutioni, et tota tua declamatio evanescit. Non enim negare potes ea quæ refero ex SS. Augustino, Basilio et Ambrosio, de sæcularibus divitibus avaris esse dicta, non in rigore, sed secundum quamdam piam exaggerationem, quod voco dictum *concionatorie* non *theologice*. Non ergo intelligo, nec ullus unquam intellexit, adhibendo hanc distinctionem, omnia quæ dicuntur in concione esse concionatorie dicta, ut fingis, sed ea tantum quæ dicuntur secundum quamdam piam exaggerationem, quod familiare est concionatoribus, non quando præcise exponunt dogmata, sed quando invehunt in vitia peccatorum, *ut patet* in exemplis citatis. Unde nullatenus sequitur quod infers, Lutheranos et Calvinistas posse dicere Patres locutos fuisse concionatorie in exponendis dogmatibus de eucharistia, de justificatione, etc.

Aliquid singulare hic nobis obtrudis. *Non alia Patrum*, inquis, *qui ante Petrum Lombardum floruerunt opera habemus, nisi quæ ad populum prædicabant.* Itane, quæso? Omnia quæ scripsit S. Augustinus contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos, Semipelagianos et ad diversos particulares (idem dic de aliis Patribus); hæc omnia, inquam, et alia plura S. Augustinus prædicavit ad populum? Id somniasti, R. P., nullibi legisti.

XV. Tempus est modo ut vela contraham, et ut tibi tua verba reddam : *Quæso te, R. P. ut leni placatoque animo dulce colloquium habeamus.* Num te tua conscientia in aliquo non remordit? Famam meam, meo et tuo ordini atque provinciæ meæ alligatam, multis atrocibus injuriis proscidisti : plura fulsa mihi imposuisti; in his charitatis *christianæ* et justitiæ jura violasti : non ignoras inde nasci obligationem damni reparandi. Aliqualem reparationem videris intendisse tomo 6, pag. 182, ubi laudas *prudens judicium* meum de D. Tournely, et addis : *B. Billuart opiniones aliquas* (scilicet duas) *quæ mihi visæ sunt laxiores refelli, ut intelligant adversarii nostri, me non pro domo, sed pro veritate pugnare. Verum eadem sinceritate opus Cl. P. Billuart in pluribus commendo et recensitum judicium magnopere probo.* Bene. An autem hæc necessariæ reparationi sufficiant, tu videris. Quantum ad me, et tuæ saluti et meæ famæ studeo, magis tamen tuæ saluti quam meæ famæ. Uterque, R. P., adstabimus aliquando coram summo Judice, et ibi unusquisque referet prout gesserit in corpore, sive bonum, sive malum. Formidolosa est Spiritus sancti sententia : *Neque maledici... regnum Dei possidebunt*, 1 Corinth. 6; et ista altera ibid. xiii : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans et cymbalum tinniens.* Item

istud solemne S. Augustini : *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Forte zelum doctrinæ christianæ in excusationem adduces. At scito, zeli pallio sæpe occultari amorem proprium. Item attende nullam excusationem, nullam defensionem admittendam esse coram supremo Judice in his quæ sunt aperte contra jus naturæ. *Doctrinam christianam* poteras et debebas *christiane defendere*, tum auctoritatibus, cum rationibus, non conviciis. Diceris uti facili calamo : gratulor. Adverte tamen quod non multa, sed bona bene scribere sit laudabile. Ut autem bona bene scribas (monitum pro monito, consilium pro consilio reddo, ut nihil tibi debeam ex hac parte), auctor tibi sum ut, juxta divinum oraculum, *Non innitaris tuæ prudentiæ, nec sis sapiens apud temetipsum, nec te credas solum videntem.* Quæ scribenda habes, maturiori judicio perpende; et quæ in aliis refellenda putas, attentius lege : quod tibi non vis fieri alteri ne feceris : sic charitatis et justitiæ jura servabis, eritque tua theologia ex hac parte vere *christiana.*

Redi ergo ad cor, R. P., et quod tibi incumbat, serio attende. Quod si forte, contra spem, horum quæ dixi minime contentus, ea refellere aggrediaris, idque præstes *theologice et christiane*, certamen non detrecto : at si, ut ante, conviciis pugnes, ea prudenti silentio et animo christiano contemnam. Vale et vive in charitate Domini nostri Jesu Christi. Amen.

ARTICULUS VI.

DE CHRISTI DOMINIO.

Utrum Christus fuerit rex temporalis totius mundi, aut alicujus saltem provinciæ, puta Judææ?

Certum est 1° Christum qua Deum, fuisse et esse universorum regem ac dominum temporalem; et quia Christus simpliciter dictus supponit pro persona Divina utrique naturæ divinæ et humanæ unita, pari certitudine constat Christum simpliciter dictum esse totius mundi dominum et regem.

Certum est 2°, Christum qua hominem, esse omnium hominum regem et dominum spiritualem, id est, in ordine ad salutem æternam, quatenus in hunc finem regit et gubernat homines per fidem, gratiam, leges et sacramenta, vitia punit, virtutes præmiat, quod maxime præstabit in ultimo judicio et deinceps.

Certum est 3°, Christum qua hominem, potuisse esse regem temporalem, non solum Judææ, sed etiam totius mundi : sed dubitatur an de facto fuerit, saltem quoad jus et dominium : conveniunt enim auctores, hujus juris et dominii usum et exercitium noluisse habere, cum vitam pauperem et abjectam duxerit, juxta illud Apostoli : *Cum esset dives, pro nobis egenus factus est.*

Dico 1°. Probabile est Christum qua hominem, fuisse regem temporalem omnium quoad jus et potestatem regiam, non quidem jure hæreditario (siquidem Maria non fuerit regina, nec Joseph rex, neque possit probari Christum propinquiorem fuisse solio quam alios ex familia David. Adde quod tunc sceptrum esset ablatum de hac familia, et ex Jerem. 22, nullus ex ea post Jechoniam sessurus erat jure hæreditario super thronum David), sed ex commissione et institutione Patris æterni.

Hanc sententiam tenent Burgensis, Melchior Cano, etc., probabilem reputat Bannes q. 4 de Dom. ad. q. 62 D. Th. *Patebit ejus probabilitas ex argumentis proponendis adversus sequentem conclusionem.*

Dico 2° Communior sententia est, Christum qua hominem non fuisse regem temporalem sive totius mundi, sive alicujus provinciæ, etiam quantum ad jus et regiam potestatem ; potuisse tamen indirecte de omnibus temporalibus disponere. Ita Dom. Soto, Victoria, Bannes, Medina, Bellarm. Sylvius et alii.

Prob. ex S. scripturis, Joann. 18, ubi Pilato interroganti Christum an esset rex Judæorum, respondit Christus : *Regnum meum non est de hoc mundo ; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis ; nunc autem regnum meum non est hinc.*

Respondent patroni adversæ sententiæ, regnum Christi non esse de hoc mundo, hoc sensu quod non haberet nec vellet habere usum potestatis regiæ, sicut habent reges hujus mundi ; et hunc esse sensum responsionis Christi factæ Pilato, non autem quod non haberet jus et potestatem regiam temporalem.

Sed contra. De usu et exercitio potestatis regiæ non interrogavit Pilatus Christum ; hoc enim ipsum non habere compertum erat Pi-

lato, cum videret et sciret eum pauperum vitam agere. Interrogavit ergo de potestate ipsa, an scilicet eam haberet qua posset contradicere Cæsari: sensus autem respondentis idem fuit qui et interrogantis.

Sect. 6 in c. 18 Joan. — Verificatur adhuc magis hæc interpretatio ex verbis ibidem sequentibus; cum enim ex prima responsione Christi assumpsisset Pilatus: *Ergo rex es tu? respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quibus verbis aperte significat Christus suum regnum non esse temporale, sed omnino spirituale, utpote ad docendam veritatem.

Confirmatur hæc prima probatio. Quoties Christus dicitur rex in S. Scripturis, semper aut fere semper additur aliquid quo significatur ejus regnum esse spirituale. Sic Zachar. 9. dicitur: *Ecce Rex tuus venit tibi Justus et Salvator, ipse pauper et ascendens super asinam:* per quæ verba, *pauper*, etc., significatur regnum non esse temporale, et per hæc, *Justus et Salvator*, significatur esse spirituale. Sic Isaiæ 6: *Super solium David et super regnum ejus sedebit in æternum, ut confirmet et corroboret illud amodo usque in sempiternum.* Similiter Lucæ 1: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Constat autem Christum nunc non sedere neque sessurum in æternum super solium temporale Davidis, sed super solium spirituale, cujus regnum temporale Davidis fuit figura. Sic Matth. 28: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Verba sequentia explicant sermonem esse de potestate spirituali, cum subditur: *Euntes ergo in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos*, etc. et sic alibi.

Adde verba Apostoli 2 Cor. 8: *Qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est*, et illud Christi Matth. 8: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Quæ verba recte verificari non possent, si Christus haberet omnium rerum dominium et possessionem, quamvis illis uti noluerit.

Item Lucæ 12, cum quidam peteret a Christo: *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*, respondit Christus: *Homo, quis me constituit judicem super vos?* Ubi advertendum, non dixisse, Nolo de vobis judicare; sed, Quis me constituit judicem super vos? quasi negans se constitutum esse judicem super sæcularia, ut sæculariter judicaret.

Prob. 2° ex SS. Patribus. Hieron. lib. 4 sub c. 22 Jerem. explicans illud, *Scribe virum istum sterilem*, scilicet Jechoniam, etc. dicit quod regnum Christi non erat terrenum et breve, sed perpetuum et cœleste. Ambros. lib. 3 in Luc. cap. penult. negat regnum Christi fuisse temporale, quale fuit David, vel Roboam, vel Jechoniæ. Aug. Tract. 114 in Joan. explicans illud Psalmi: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, dicit: *Sion illa et mons ille non sunt de hoc mundo; quod est regnum ejus, nisi credentes in eum?* Et iterum: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, quam possideas ad eorum salutem, et quæ tibi fructificant spiritualia.* Et 17 de Civit. cap. 7, dicit: *Qui populus* (scilicet Judaicus) *regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro, non carnaliter sed spiritualiter regnaturo.*

S. Bernardus Serm. 3 sup. *Missus*, dicit: « Quæro quomodo dederit ei Deus sedem » David patris sui, cum ipse in Jerusalem » non regnaverit? sed novimus quamdam » aliam Jerusalem ab ea quæ nunc est, in » qua regnavit David, significatam, multo » ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc » igitur puto hic fuisse significatam; isto » videlicet usu loquendi quo sæpe reperis » in S. scripturis significans pro significato. » *Et postea:* Dabit ergo ei Dominus Deus » sedem patris sui, non typicam, sed veram; » non temporalem, sed æternam; non ter» renam, sed cœlestem. »

D. Thomas lect. 6 in cap. 18 Joan. ad illa verba: *Regnum meum non est de hoc mundo*, dicit: « Ita responsionem suam » temperavit, ut nec manifeste confiteretur » se esse regem, cum rex non esset eo modo » quo Pilatus intelligebat; nec negaret, » cum spiritualiter esset Rex regum; dicit » ergo: Tu dicis quod rex sum ego, scilicet » carnaliter, secundum quem modum rex » non sum; sed alio modo rex sum ego. » Modum autem et rationem regni sui os» tendit dicens: *Ego in hoc natus sum, et* » *ad hoc veni in mundum, ut testimonium* » *perhibeam veritati.* » Idem in Catena aurea ad eadem verba. Et 3 p. q. 31, a. 2 ad 3.

et q. 36, a. 2, ad 3, de diabolo et Herode dicit, quod « Uterque regni sui successorem » timebat, diabolus cœlestem, Herodes ter- » renum : superflue tamen, quia Christus » non venerat regnum in terra habere. »

Prob. ratione. Potestas regia temporalis non erat conveniens fini Incarnationis : ergo eam non assumpsit Christus. *Patet conseq.* Quia Christus assumpsit humanitatem iis conditionibus affectam quæ fini Incarnationis convenirent, aut saltem ei non disconvenirent. *Prob. ant.* Christus venit ut nos salvaret, viamque salutis nos doceret verbo et exemplo per contemptum mundanæ gloriæ et omnium rerum terrenarum : atqui huic fini non conveniebat, *ut patet*, regia potestas etiam secluso usu : ergo.

Confirmatur. Christus nos verbo et exemplo docuit viam salutis nedum necessariam, sed etiam perfectam ; seipsum enim totius perfectionis exemplum proposuit : unde de illo dictum est Act. 1 : *Cœpit facere et docere :* atqui perfecta paupertas non consistit in abdicatione usus rerum temporalium, saltem non in ea sola ; hunc enim usum habent religiosi, qui tamen profitentur paupertatem perfectam ; sed maxime in abdicatione juris et dominii : unde ipse Christus dixit : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes et sequere me :* ergo tale dominium non habuit Christus.

Prob. secunda pars conclusionis. Qui habet directe potestatem supremam et efficacem in finem, habet utique indirecte in ea quæ finem vel promovere vel impedire possunt ; alioquin potestas ejus non foret suprema et efficax : atqui Christus habet directe supremam et efficacem potestatem in finem ultimum, salutem scilicet spiritualem, et hunc finem temporalia quandoque vel promovere vel impedire possunt : ergo habet indirecte potestatem in illa, de iisque potest disponere.

Solvuntur objectiones contra primam partem conclusionis secundæ.

Obj. 1° plura S. Scripturæ loca, quibus dicitur Christum esse constitutum regem universorum, sessurum super solium David, omnem potestatem ei datam esse, et similia. Ergo,

R. 1° hæc et similia loca intelligenda esse de regno Christi spirituali in universam Ecclesiam, *ut patet ex dictis in prima propositione ;* 2° quædam intelligi posse de dominio indirecto, *ut explicuimus in probatione secundæ partis ;* 3° nihil vetare quin intelligantur de Christo simpliciter dicto, quatenus nimirum supponit pro Persona divina utrique naturæ divinæ et humanæ unita, *ut dictum est in notaminibus.*

Repones. Quoties nomen regis in S. Scripturis tribuitur homini, accipitur pro rege temporali. Ergo.

R. Non mirum, quia solus Christus fuit rex spiritualis.

Obj. 2° D. Bernardus lib. 3 de Consideratione ad Eugenium papam, dicit illi : « Dispensatio tibi credita est, non data possessio ; non tu ille de quo ait Propheta : Et » *erit omnis terra possessio ejus :* Christus » hic est qui sibi possessionem vindicat et » jure creationis, et merito Redemptionis, » et dono Patris. » Ergo.

R. hæc verba esse intelligenda de regno Christi spirituali et æterno ; loquitur enim Bernardus de illo regno cujus dispensatio credita est summo pontifici : istud autem regnum est spirituale, non temporale. Hoc porro spirituale regnum licet ab Incarnatione habuerit Christus, ejus tamen manifestationem et plenum exercitium acquisivit et meruit per obedientiam, mortem et passionem.

Obj. 3° plura ex D. Th. lib. 3 de Regimine principum, ubi inter alia diserte asserit S. Doctor, Christum fuisse dominum temporalem orbis, et Augustum gessisse vices ejus. Ergo.

R. solos duos priores libros de Regimine principum, esse D. Thomæ, tertium vero et quartum esse adulterinos et ipsi falso supposito : *quod patet* maxime ex eo quod in iis referantur facta quæ non nisi post mortem S. Doctoris acciderunt : sic cap. 20 libri 3, refertur electio Rodulphi imperatoris sub finem anni 1274, ejus mors 1291 ; electio Adolphi Nassaviæ comitis anno 1292, hujus occisio ab Alberto Austriæ duce 1298 : obiit autem S. Doctor sub initium anni 1274. Quæ clare evincunt hos libros ipsi esse falso suppositos. Adde diversitatem styli et alia apud Echard *Scriptores ord. Præd.* qui illos tribuit Bartholomæo Lucensi, S. Thomæ discipulo. Vide si lubet laud. auct. ad an. 1274, pag. 336 et seqq. et ad an. 1321, pag. 543.

Inst. S. Thomas 3 p. q. 59, a. 4, docens judiciariam potestatem in omnes res huma-

nas convenire Christo etiam qua homini, dicit ad 1 : « Judiciaria potestas consequitur » regiam dignitatem : Christus autem quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen » in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit ; unde ipse dicit Joan. 28 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, » qui venerat homines ad divina transferre. » Quibus verbis aperte docet S. Doctor, Christum qua hominem, revera habuisse regiam potestatem sicut et judiciariam in omnia temporalia, sed neutra uti voluisse. Ergo.

R. Fateor hac autoritate non leviter innui alteram sententiam, quam dixi probabilem : quia tamen hanc quam tuemur aperte docet S. Doctor locis in probationibus laudatis, videntur hæc præsentia verba intelligenda esse de potestate regia et judiciaria indirecta in temporalia, quatenus cum Christus haberet summam et superexcellentem potestatem tum regiam tum judiciariam in ordine ad ultimum finem, scilicet salutem spiritualem æternam, potuisset etiam de omnibus temporalibus disponere et judicare, si id ad hunc finem expedivisset ; et hanc esse S. Doctoris mentem apparet ex tertia ratione in corpore articuli, ubi probat judiciariam potestatem convenire Christo in res humanas ; « Quia » res humanæ ordinantur in finem beatitudinis quæ est salus æterna, ad quam homines admittuntur vel repelluntur judicio » Christi : » quæ ratio non probat nisi indirectam potestatem in temporalia.

Obj. 4° Tribuenda est humanitati Christi omnis potestas et perfectio possibilis, quæ vel non involvit contradictionem, aut fini Incarnationis non repugnat : atqui regia potestas temporalis erat possibilis Christo, nullam involvit contradictionem, *ut patet*, et fini Incarnationis non repugnat, siquidem hoc ipso quo ea non fuit usus, fuerit vere pauper et paupertatis præbuerit exemplum. Ergo.

R. N. min. et ejus probationem, et dico quod non fuisset vere et perfecte pauper, neque perfectæ paupertatis præbuisset exemplum, si regiam potestatem et dominium directum in temporalia habuisset, quamvis de facto eo non fuisset usus, *ut probavimus supra.*

Obj. 5° Secundum D. Th. 2, 2, q. 40, a. 2 ad 3 (quod etiam communiter admittunt theologi et philosophi), omnis persona, vel potentia, vel ars, aut virtus ad quam pertinet finis, habet disponere de iis quæ sunt ad finem : atqui temporalia sunt propter spiritualia tanquam propter finem ; ordo enim naturæ est propter ordinem gratiæ, ut docet idem S. Doctor loco 5 partis supra cit. Ergo cum Christus habuerit summam potestatem in ordine ad finem spiritualem, potuit de omnibus temporalibus disponere.

R. D. conseq. Potuit de omnibus temporalibus disponere indirecte, *C.* directe, *N.* Nec plus probant præmissæ. Sic, v. g. ars equestris versatur circa finem artis frenofactivæ, et tamen non est formaliter frenofactiva, sed habet tantum hanc artem dirigere ad suum finem. Similiter Christus, licet sit rex spiritualis, non habet ideo formaliter et directe jus ad gubernationem sæcularem tanquam ad officium sibi proportionatum et proprium, instar aliorum principum terræ ; sed homines duntaxat dirigendi ad finem beatitudinis, prædicatione, exemplo, redemptione, minando pœnas, proponendo præmia, etc. Quia tamen hæc potestas Christi ad finem spiritualem erat supereminens et efficax, extendebatur indirecte ad temporalia, quatenus hunc finem vel promovere vel impedire poterant : et sic fuit potestas formaliter spiritualis ; extensive autem tantum et indirecte temporalis, non formaliter, qualis est potestas regum hujus mundi.

Ex dictis inferunt, iisdemque fere momentis probant non pauci nec ignobiles theologi, summum pontificem, Christi in terris vicarium, habere etiam potestatem indirecte in temporalia regum : hanc vero sententiam e contra non solum explodunt Galli ut infundatam, sed ut absonam et erroneam cachinnis aut censuris excipiunt. De quo vide Bellar. de Summo Pontifice ; Bannem q. 4 de Dom. dub. 2, ad q. 62 D. Th. Sylvium hic q. 66, a. 1, q. 5, pro parte affirmativa ; auctores Gallos pro negativa.

DISSERTATIO IV.

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

Res respective ad dominium sunt duplicis generis : quædam sunt appropriatæ, id est, habent proprium et determinatum dominum ; quædam sunt communes aut quasi communes, quæ scilicet nullum ex se con-

sentur habere dominum, ut sunt feræ in silvis, pisces in fluviis, etc. Et juxta hanc rerum diversitatem, diversi sunt modi earum dominia acquirendi. Harum quæ sunt alicui appropriatæ, acquiritur dominium voluntate domini vel auctoritate legis; illarum quæ nullius sunt, acquiritur dominium prima occupatione. Sed antequam de his variis modis disseram, præmitto discussionem ipsius divisionis dominiorum. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum divisio rerum et dominiorum fuerit licita et conveniens? quo jure et tempore facta sit?

Dico 1° In statu naturæ integræ et eo perseverante, probabilius permansisset bonorum communitas; quia in illo felici statu summaque hominum inter se concordia, nulla fuisset causa seu necessitas dividendi, qualis est post lapsum, ut modo dicam : imo decens erat et ad dignitatem atque magnificentiam generis humani pertinens, ut hujus mundi bona communiter donata, communiter possiderentur.

1. p. q. 96. a. 4. o. — Nihilominus etiam probabilius est quod eo in statu fuissent inter homines regna et imperia; quia vel introducta fuisset bonorum divisio, vel non. Si primum, necessaria erat inter homines aliqua superior potestas, quæ bonorum distributioni præesset, et posset sua auctoritate ac judicio dirimere innumerabilia dubia, quæ etiam absque injustis cupiditatibus oriri potuissent circa rerum dominia, proprietates, usus, usufructus, servitutes, alienationes et permutationes. — L. 1. de Regim. Princip. — Si secundum, etiam necesse fuisset aliquos principes existere, qui dum singuli propriis ac suorum familiarium commodis invigilarent, bonum commune suis studiis et jussionibus procurarent, atque singulis suas partes suaque officia in ordine ad communem utilitatem distribuerent.

Dico 2° In statu naturæ lapsæ, nedum licita sed et conveniens fuit rerum et dominiorum divisio.

Quod fuerit licita, *patet* ex veteri Testamento, ubi Patriarchæ dicuntur multa possedisse divisim a cæteris : nec tamen ideo desierunt esse amici Dei. Item ex novo, 1 Timoth. 6, ubi Apostolus Timotheum sic admonet : *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vero.* Super quæ verba S. Aug. Epist. 89, agens contra hæreticos dictos Apostolicos, quod assererent neminem posse salvari, nisi instar Apostolorum viveret nudus ab omni proprietate, ait : « Puto quod ista præcipiens divites » instruebat, non fallebat Apostolus, qui » non ait : Præcipe divitibus hujus mundi » ut vendant omnia quæ habent, dent pau» peribus et sequantur Dominum; sed, » non superbe sapere, neque sperare in in» certo divitiarum. » Et Lucæ 19, Zachææ diviti salus a Deo facta est.

Hic q. 66. a. 2. o. — Quod fuerit conveniens, *prob.* 1° quia per hoc melius providetur procurationi, conservationi, culturæ et administrationi bonorum humanæ vitæ necessariorum. Cum enim homo in hoc statu naturæ corruptæ sit totus in sui amorem et commodum incurvatus, est magis sollicitus ad procurandum, conservandum et excolendum id quod sibi soli competit quam id quod est commune omnium vel multorum, atque laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum.

Ibid. — 2° Quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, innumeræ lites et rixæ resecantur, dum unusquisque re sua contentus est : unde videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur.

Dices 1° Ex divisione rerum et dominiorum oriuntur etiam quam plurimæ lites et discordiæ, ut experientia patet : unde illud vulgare :

Si duo de cunctis tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine fine foret.

Idem dicit S. Chrysost. Hom. 33. Ergo.

R. quod majora adhuc incommoda sequerentur ex rerum communitate, *ut patet ex dictis.* Adde quod etiam tunc *meum* et *tuum*, quæ nunc dicuntur semina litium, non vitarentur, dum quisque conaretur rem communem, quando ea indigeret, facere suam; unde lites et jurgia. Stat ergo quod per divisionem obviatum sit pluribus inconvenientibus, si non in toto saltem in parte.

Dices 2° Divisio bonorum est contra jus naturale : ergo nec est licita nec conveniens. *Prob. ant.* Jure naturali omnia sunt communia, ut communiter dicitur et habetur in jure. Ergo.

Ibid. ad 1. — *R. N. ant. Ad prob. D. ant.* Jure naturali permittente, omnia sunt communia, *C* jure naturali præcipiente, *N.* Communitas igitur rerum tribuitur juri naturali, non quod jus naturale illam præcipiat, sed quia non jubet distinctionem possessionum, et permittit communitatem rerum : adeoque proprietas seu possessionum distinctio non est contra jus naturale, sed juri naturali, ut quid magis conveniens, superadditum per adinventionem rationis humanæ, ut modo dicam.

Dices 3° Cap. *Dilectissimis*, caus. 12, q. 1, S. Clemens papa dicit : « Communis » usus omnium quæ sunt n hoc mundo, » omnibus esse debuit ; sed per iniquitatem » alius dixit hoc esse suum, et alius istud, » et sic inter mortales facta est divisio. » S. Ambros. in cap. 12 Luc. S. Chrysost. Hom. 1 in 1 Cor. S. Basil. Serm. ad divites avaros, dicunt neminem debere dicere, *Hoc est meum, hoc est proprium*, eo quod omnia sint communia. Ergo,

R. ad primum, sensum non esse, quod divisio bonorum sit iniqua, sed quod iniquitatis occasione et ad iniquitatem avertendam sit facta.

Ib. a. 2. o. et ad 2 at 3. — *Ad secundum*, dico sensum sanctorum Patrum esse, divites non debere sic res suas possidere, quin quoad usum faciant eas quodammodo communes, eas de facili communicando in necessitate aliorum. Unde Basil. ibidem ait : « Cur tu abundas, ille vero mendicat ; nisi » ut tu bonæ dispensationis merita conse» quaris, ille vero patientiæ præmiis coro» netur? »

Dices 4° Injustum est quod quis sine culpa privetur jure suo : atqui ante divisionem quisquis habebat jus utendi omnibus rebus, quo jure privatur per divisionem. Ergo.

R. D. maj. Si bonum publicum id non exigat, *C.* si id exigat, *N.* ita reg. juris 23 in 6. Adde hanc jacturam fuisse compensatam per appropriationem proprietatis et usus partis concessæ.

Dices 5° Si hæc divisio fuit conveniens : ergo communitas in primitiva Ecclesia fuit et nunc est in monasteriis inconveniens.

R. N. sequelam ; quia communitas non est per se perniciosa, sed propter inconvenientia quæ attenta hominum corruptione ex ea occasionaliter sequuntur. Hæc autem inconvenientia vitari possunt inter paucos charitate ferventes, ut erant primi christiani, vel perfectioni studentes sub uno capite, a quo, posita votorum obligatione, in ordinem redigi possunt, ut in monasteriis ; non vero in tota hominum multitudine, qui præfatis repagulis non coercentur.

Repones verba Christi Luc. 14 : *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus :* omnes autem debent esse Christi discipuli. Ergo.

R. hanc renuntiationem esse intelligendam in præparatione animi, qua quis sit dispositus omnia potius perdere quam Deum offendere.

Ibid. ad 1. — *Dico* 3° Divisio rerum facta est, non jure naturæ, quia jus naturæ neque eam præcipit, neque ad eam inclinat ut ad quid simpliciter necessarium, sed ut ad quid magis conveniens tantum ; non jure divino positivo, cum neque in S. Scriptura neque in traditione ullum de ea exstet præceptum ; sed jure gentium, quatenus homines, dum, attenta corruptione naturæ, quæ est sui amans, alieni negligens, cupiditati et ambitioni serviens, viderent gravia et plura incommoda sequi occasionaliter ex communitate bonorum, divisionem, non dico præceperunt, alioquin peccarent monachi, sed ut vitæ sociali et bonorum administrationi magis convenientem communi consensu formali vel tacito introduxerunt. Unde l. 1 Digest. dicitur, *Ex hoc jure gentium discretas esse gentes, regna condita, dominia distincta, agris terminos positos.*

Dices 1° Illud est juris naturalis, quod naturalis ratio dictat : atqui, supposita naturæ corruptione, naturalis ratio dictat divisionem bonorum. Ergo.

R. D. maj. Illud est juris naturæ, quod naturalis ratio dictat ut simpliciter necessarium, *C.* ut necessarium secundum quid et magis expediens, *N. Similiter D. min.* et dico quod, etiam supposita naturæ corruptione, bonorum divisio non sit simpliciter et absolute necessaria ad vitam socialem et bonorum administrationem, cum absolute, licet difficilius, hæc servari possint in communitate ; sed tantum ad hos fines magis conveniens.

Dices 2° Qui furatur, peccat contra jus naturæ : ergo alter possidet jure naturæ.

R. N. conseq. Quia jus naturæ prohibet rem auferri alterius, quovis jure illam pos-

sident : sic, v. g. vir possidet uxorem suam, non jure naturæ, sed humana electione; et tamen adulterium est contra jus naturæ.

Dices 3° cum Prefectore Tournely. Annon jure naturali pecorum greges quos apprehenderat Abel, ipsius erant? An si Abel proprio labore et industria egregiam imaginem depinxisset, furtum non admisisset qui eam ipsi abstulisset? Ergo proprietas rerum et per consequens earum divisio in ipsum etiam jus naturæ refundi debet.

R. ad primum. Abelem non jure naturæ, sed gentium, apprehendisse pecorum greges; tunc enim erat jam aliqua rerum divisio, ut dicam modo : qua apprehensione semel posita, juris naturalis erat ut ipsi servarentur. *Ad secundum*, *R.* quod hujus imaginis ablatio ante divisionem, non magis fuisset furtum quam ablatio messis in agro.

Dico 4° Ex Genes. cap. 4, apparet ante diluvium aliquam fuisse bonorum divisionem; siquidem ibi dicatur quod Cain obtulerit *de fructibus terræ Domino*, et Abel *de primogenitis gregis sui*, quo significatur gregem fuisse illi proprium.

At longe major facta est divisio post diluvium, *ut patet* Genes. 10 et 1 Paralipom. 1, ubi filio *Heber* datur nomen *Phaleg*, eo quod in diebus ejus divisa sit terra; ibique describuntur termini habitationis filiorum Noe cum eorum posteris.

S. Epiphanius Hæresi 66, tradit Noe, missis sortibus, divisisse terram inter tres suos filios, ita ut Sem obtigerit Asia, Cham Africa, et Japhet Europa. Quoad vero minores portiones, singuli fratrum et nepotum occupaverunt agros et loca sibi commoda, quæ tunc in nullius adhuc possessione erant; deinde jure civili seu auctoritate principum, sive inventione, contractibus et aliis modis jure civili approbatis, factæ sunt particulares portiones et attributiones : unde S. Aug. Tract. 6 in Joan. dicit : *Quod hæc villa sit mea, et illa tua, est ex jure imperatorum.*

ARTICULUS II.

De modis acquirendi dominia rerum quæ nullius sunt.

Jam notavi supra quod, non obstante rerum divisione, quædam adhuc remanserint communes et nulli appropriatæ, ut sunt feræ in sylvis, pisces in fluviis, gemmæ, lapilli in littore maris, thesauri, etc. quæ quo modo acquiruntur in præsenti discutiendum aggredior per varios paragraphos.

§ I. — *De occupatione animalium* (1).

Nota, Triplicis generis animalia solent distingui. Quædam sunt ex natura sua feræ, ut cervi, apri, lepores, pisces, etc. Quædam ex his consuetudine cicurantur et fiunt domestica, ut cervi, columbæ, cuniculi, etc. Quædam tandem sunt ex natura sua et consuetudine cicurata et domestica, ut gallinæ, boves, oves, etc. *Hoc notato*,

Dico 1° « Bestiæ, et volucres, et pisces, » et omnia animalia quæ mari, cœlo et terra » nascuntur, *ex natura sua et consuetudine* » *fera*, simul atque ab aliquo capta fuerint, » jure gentium statim illius esse incipiunt : » quod enim ante nullius est, id naturali » ratione occupanti conceditur.

» Nec interest feras bestias et volucres » utrum in suo fundo quis capiat an in alieno. » Attamen qui alienum fundum ingreditur » venandi aut aucupandi gratia, potest a » domino, si is præviderit, prohiberi ne in- » grediatur. » (Quod puto cum Lugo et aliis, intelligendum secundum usum receptum, de fundo circumsepto.)

« Quidquid autem ceperis, eo usque tuum » intelligitur donec tua custodia coercetur. » Cum vero tuam evaserit custodiam, et in » libertatem naturalem sese receperit, tuum » esse desinit, et rursum occupantis fit. Na- » turalem autem libertatem recipere intel- » ligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel » ita sit in conspectu tuo ut difficilis sit ejus » persecutio. » Hucusque in terminis imperat. Justinianus Inst. lib. 2, tit. de Rerum divis. § *Feræ*.

« Hinc sequitur quod apes, quippe quarum fera est natura, quæ in arbore tua » consederint, antequam a te alveo inclu- » dantur, non magis tuæ intelligantur esse, » quam volucres quæ in arbore tua nidum » fecerint; ideoque si alius eas incluserit, is » earum dominus erit; favos quoque, si quos » effecerint, eximere quilibet potest. plane » integra re, si prævideris ingredientem fun- » dum tuum, poteris eum jure prohibere » ne ingrediatur (hoc intellige ut ante). » Examen quoque quod ex alveo tuo evola- » verit, eo usque intelligitur esse tuum do- » nec in conspectu tuo est, nec difficilis ejus

(1) Vide Adnotationem quartam.

» persecutio est; alioquin occupantis fit. » Idem in terminis ibid. § *Apum.*

Quæri solet hic an fera laqueo meo capta aut a me vulnerata, sit mea, an capientis?

R. Si ita sit capta ut laqueo se extricare non possit, aut ita vulnerata ut eam insequens certo sim capturus, est mea; quia per me amisit suam libertatem, et furtum facit qui eam capit. Quidam excipiunt dominum fundi : quo tamen jure non satis video.

Si vero sit ita capta laqueo (idem dic de piscibus captis in nassa vel rete) ut eo se possit extricare, aut ita vulnerata ut eam insequens non sim certo capturus, aut etiam lethaliter vulneratam insequi desinam, non est mea, sed primo capientis; quia tunc aut non censetur amisisse libertatem naturalem, aut censeor eam deseruisse. Quidam tamen existimant spem esse æstimandam et ab altero compensandam, quod videtur satis conforme æquitati naturali. Quod si sit dubium, præda est inter utrumque dividenda, pro ratione dubii. Et ita intelligendus est Justinian. loc. cit. § *Illud quæsitum*, cum communi sententia cont. Covarr.

Si fera quam ego persequor incidat in tuum laqueum, uterque habemus jus occupandi, et erit primo capientis. Videtur tamen æquitas naturalis exigere ut aliquid congruum de præda alteri cedat. Tandem si post extractos pisces a meo rete vel nassa (idem dic de laqueo respectu feræ), iterum illud disponas in capturam piscium, ii quos secundo ceperis tui erunt, si prior occupaveris ut ante; licet enim rete sit meum, tua tamen industria capti sunt; sed, ut modo dicebam, exigit æquitas naturalis ut pars congrua prædæ mihi cedat, et teneris insuper mihi compensare damnum et usum retis; item lucrum cessans, si rete meo permanente plures pisces cum prioribus capturus fuissem. Ita Lessius Layman, Sporer, etc.

Dico 2° Animalia ex natura sua fera, sed consuetudine cicurata et mansueta, « Eo » tua intelliguntur, donec revertendi animum habeant, *aut facile possunt reduci :* » nam si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt et fiunt occupantium; *quia tunc censentur recuperasse » suam libertatem.* Revertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cum » revertendi consuetudinem deseruerint. » Idem ibid. § *Pavonum.* Hæc juris Romani doctrina viget in Galliis, inquit Perfector Tournely, nisi quod accipiter et falco, etiam cum desinunt reverti, nostri esse non desinunt.

Quantum ad consuetudinem et consequenter animum non revertendi, non una est pro omnibus regula. Sic, v. g. columbæ quæ tribus aut quatuor diebus continuis ad columbarium non revertuntur, censentur communiter amisisse consuetudinem et animum revertendi, fiuntque illius ad cujus columbarium evolaverint, nisi fraude eas attraxerit. E contra, cervi v. g. cicurati, licet tribus vel quatuor diebus circa domum vagentur, non censentur amisisse animum revertendi, quia facile possunt reduci. Unde id est relinquendum judicio prudentum.

Dixi de columbis, *nisi eas fraude attraxerit*, quia si quis illecebris appositis in suo columbario, vel suis columbis alienas ad se attraxerit, furatur, et tenetur ad restitutionem : secus si absque prava intentione suas melius alat, aut locum commodiorem aptet. Hujus occasione,

Petes utrum columbaria sint licita ?

R. affirmative cum Navar. Cajet. Sylvestro, Soto, Sylvio et aliis communiter. *Patet* 1° ex consuetudine, annuente republica; 2° quia deserviunt utilitati publicæ, nec notabile damnum afferunt, siquidem colligunt tantum grana ex spicis delapsa, nec scalpendo detegunt semina terræ mandata. Item æque vescuntur granis pravis quæ sata suffocarent, ac bonis. Adde quod stercorando terrarum fœcunditatem promoveant. Qui tamen suis columbis alimenta consueta denegaret, et inde grave detrimentum agris vicis inferrent, non videtur omnino excusandus et a culpa et a restitutione.

Si quæras quibus sint de jure licita columbaria ?

R. jure Cæsareo esse omnibus licita, jure autem particulari plurium provinciarum certis tantum personis permittuntur, ut dynastis et habentibus jus decimarum aut certam quantitatem terrarum arabilium.

Ex dictis colliges, eos esse furti reos et restitutioni obnoxios, qui occidunt columbas in alieno columbario, aut etiam extra columbarium, intra tamen terminos in quibus leges prohibent occidi, nisi redeundi consuetudinem amiserint, ut dictum est.

Dico 3° Animalia ex natura sua domes-

tica et mansueta, « Licet conspectum tuum » effugerint, quocumque loco sint, tua esse » intelliguntur, et qui lucrandi animo ea » detinet, *vel eorum* « *am, plumas, ova,* » etc., *sibi appropriat*, furtum committere intelligitur. Id. *ib.* § *Gallinarum*. Quia cum ex natura sua sint domestica, quocumque excurrant, non censentur recuperare libertatem, sed manent prioris domini : ita ut, si etiam e faucibus lupi eripiantur, quod superest ipsi sit restituendum.

§ II. — *Utrum venatio, aucupatio, piscatio possint prohiberi?*

Dico. Respublica seu princeps potest variis titulis venationem, aucupationem et piscationem prohibere, nedum in propriis fundis, sed etiam in locis publicis, eamque sibi reservare. 1° Ex consensu populi. 2° Jure belli quo, provincia devicta, victor jus venandi in ea sibi reservare potest, quibus voluerit conditionibus. 3° Jure præscriptionis, quo videmus quibusdam principibus aut dynastis jus venandi a tempore immemoriali reservatum. 4° Justa lege ob rationabilem causam lata, puta, ad conflandam magnam pecuniæ summam in bonum commune ex talis juris elocatione; ad honestam principis sustentationem, imo etiam ad solam ejus recreationem : cum enim bono communi invigilet et adlaboret, justum est ut ex bono communi sustentationem et recreationem percipiat; idque confert ad ejus auctoritatem et dignitatem. Neque vero solus princeps venationem sibi reservare potest, sed quivis alius cui vel princeps ipse, vel consuetudo legitime præscripta hoc jus concessit; sicut videmus concessum pluribus monasteriis et nobilibus.

Nec obstat si dicas venationem jure naturæ et gentium esse omnibus licitam, proindeque lege positiva principis prohiberi non posse. Etenim hoc duntaxat sensu jure naturali licita est, quod jus naturæ eam non prohibeat, non autem hoc sensu quod jus naturæ eam semper et in omni eventu esse licitam jubeat; unde nihil vetat quin justa causa superveniente prohiberi possit : sic, v. g. esus carnium est jure naturæ omnibus licitus, quia per illud non prohibetur; Ecclesia tamen justis de causis eum prohibet certis diebus.

Cæterum circa præsentem resolutionem hæc sequentia notanda sunt : 1° durum nimis fore ac sapiens tyrannidem, si princeps solius proprii commodi et oblectationis gratia, in omnibus locis publicis venationem sibi reservaret, totumque populum omnino privaret hac utilitate et recreatione, quæ aliunde jure naturæ vel gentium ipsi concessa est. Excipe 1° nisi id fiat de consensu populi, 2° nisi princeps hac de causa aliquid remittat de tributis, aut aliunde compenset; 3° nisi provinciam in qua tale jus exercet, jure belli victor sibi acquisiverit, hujusque servitutis conditionem tum ipsi imposuerit.

Nota 2°, quod princeps prohibens venationem, teneatur ad restitutionem damnorum, non solum quæ ipse in venatione causat, sata conculcando, sepes diruendo, arbores secando; sed etiam illorum quæ sequuntur ex multiplicatione ferarum. Neque semper ideo excusatur, quod permittat rusticis occidere feras quæ suos agros devastant; plerumque enim his vacare non possunt pauperes rustici. Intellige hoc notamen sub triplici exceptione notaminis præcedentis.

Nota 3°, quod qui injuste venationem aut piscationem prohibet, teneatur ad restitutionem secundum spem lucri quod ex ea reportassent subditi.

Nota 4°, quod princeps juste prohibens venationem, non possit regulariter punire pœna corporali contravenientes, nisi sint incorrigibiles; quia, seclusa contumacia aut contemptu, hæc transgressio non videtur tam grave crimen, ut modo dicam, quod tanta pœna plecti debeat. Viderint ergo qui in hac parte severius agunt erga miseros subditos. Pro Gallia edicto Henrici IV sancitum dicitur, ut qui feram in proprio fundo excitarit, eam possit in alieno insequi, donec capta sit aut omnino evaserit. Ita observat Perfector Tournely.

Sed quid de homine privato? potestne prohibere venationem in proprio fundo? *R.* posse in fundo circumsepto; quia, *ut patet ex juribus* § præced. citatis, potest quemcumque prohibere ne fundum suum ingrediatur : quod intelligit Delugo cum aliis de fundo circumsepto, non tamen in fundo omnibus pervio; saltem sic usus invaluit. Et sane ridiculum se exhiberet rusticus qui nunc vellet impedire insequentem leporem aut perdices, ne ingrederetur agrum suum patentem; secluso tamen damno.

§ III. — *Utrum et quomodo peccet qui contra justam prohibitionem venatur aut piscatur; et an teneatur ad restitutionem?*

Nota, venationem et piscationem ex triplici capite posse prohiberi. 1° Ratione status personæ : sic prohibetur clericis. 2° Ratione publicæ utilitatis, ut dum prohibetur mensibus quibus segetes intumescunt aut animalia sunt gravida pariuntve; vel dum prohibetur ne fiat certis instrumentis quibus munita et nimia animalia caperentur, sicque soboles exstingueretur aut multum minueretur. 3° Ratione loci, ut ne fiat in fundo alieno, vel publico, sed reservato.

Dico 1°. Peccat clericus, *a fortiori* religiosus frequenter vacans venationi clamosæ ; non tamen tenetur ad restitutionem. *Patet prima pars* cap. *Episcopum* Extra. de clerico venat. tit. 24, ubi dicitur : « Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canones aut accipitres aut hujusmodi ad venandum habere non licet : quod si quis talium personarum hac voluptate sæpius detentus fuerit; si episcopus est, tribus mensibus a communione ; si presbyter, duobus ; si diaconus, ab omni officio suspendatur. » Cui succinit Trid. ses. de Reform. cap. 12, mandans clericis, *ut ab illicitis venationibus, aucupiis... abstineant.*

Patet secunda pars. Quia talis prohibitio facta ratione conditionis personæ et propter decentiam atque dignitatem ejus status, non reddit acquisitionem feræ injustam aut invalidam.

Dixi 1° *venationi clamosæ ;* de ea enim duntaxat loqui canones intelligunt plerumque theologi et canonistæ, inter quos S. Raymundus ; et innuit Trid. cit. dicens *ab illicitis venationibus*, quo significat quasdam esse licitas. Imo venatio clamosa formaliter exprimitur Clement. 1 *de Statu monach.* tit. 10, lib. 3, ubi agitur de prohibitione venandi facta monachis. Unde non videtur peccare clericus qui sine magno strepitu equorum et canum modeste venatur, modo divinum officium et studium non negligat.

Dixi 2° *frequenter ;* quia sic loquitur canon laudatus. Hinc qui raro et sine scandalo exerceret venationem clamosam, non videtur peccaturus nisi venialiter.

An autem qui *sæpius*, peccaret mortaliter? *Quidam affirmant*, ob gravem pœnam impositam ; *quidam negant*, eo quod hæc pœna non sit amplius in usu. Cæterum est valde indecens atque modestiæ clericali repugnans, sæpius *inter canum latratus versari et incomptis obstrepere vocibus*, ut loquitur conc. Aquileiense.

Dico 2° Qui venatur, aucupatur, piscatur contra prohibitionem factam ratione utilitatis publicæ, peccat ; quia agit contra justam legem, ut supponitur ; peccat mortaliter vel venialiter, pro ratione damni illati ; quia ista prohibitio fit causa damni vitandi, et tenetur ad hujus restitutionem, quia qui causat damnum tenetur illud resarcire ; non tamen tenetur ad restitutionem prædæ, quia ista prohibitio non facit injustam neque invalidam acquisitionem feræ, cum, ea non obstante, remaneat adhuc fera in sua libertate, fitque proinde adhuc primo capientis, sed facit tantum illicitam.

Dico 3° Qui venatur, aucupatur, piscatur in fundo pervio alterius habentis jus venandi, aut in loco publico, sed principi vel alteri de ejus concessione conservato, peccat ut ante contra legem justam ; peccat mortaliter vel venialiter, pro ratione damni illati, ad cujus proinde reparationem tenetur, non tamen prædæ captæ, propter rationem præcedenti conclusione allatam, quæ magis hic adhuc urget, cum feræ non sint fructus fundi sicut sunt arbores.

Porro grave damnum in hac et præcedenti conclusione censetur, non præcise præda capta, etsi sit gravis momenti, sed id unde notabiliter in prohibente jus venandi ; aut facultas tale jus aliis locandi minuitur ; ut si aquæ inficiantur, feræ abigantur, proles earum magna ex parte extinguantur, animalia magni momenti crebro capiantur ; Ex his enim et similibus valde imminuitur jus venandi quod habet princeps seu respublica, et facultas illud aliis locandi. Item grave damnum censetur, si segetes enormiter conculcentur, sepes evellantur, et similia.

Quod si sit leve damnum respective ad jus venandi in principe, puta, si quædam feræ seu quidam pisces etiam magni momenti capiantur, sed raro et in magno saltu aut in magno fluvio, quos princeps non erat certo capturus ; non videtur obligatio restituendi, cum neque principes neque respublicæ hanc levem restitutionem curare soleant, sed sint contenti si transgressores deprehensi pœnas luant.

Dices contra ultimam partem utriusque

conclusionis. Nemo per actionem alteri injuriosam acquirit sibi dominium : atqui hæc venatio prohibita est injuriosa principi seu domino fundi. Ergo.

R. D. min. Est injuriosa principi, præcise quatenus est acquisitiva dominii, *N.* princeps enim non habet in prædam dominium sive jus in re : est injuriosa principi, quatenus violat jus quod habet ne quis in eo loco venetur, *C. min. et N. conseq.*

Dixi in conclusione, *in fundo pervio alterius.* Si enim quis feras in loco circumsepto, aut pisces in vivario caperet, furtum committeret, et tenetur ad restitutionem ipsorum animalium; quia cum amiserint libertatem, sunt sub dominio illius qui ea custodit et concludit, nisi forte absque fraude venatoris aut piscatoris, e loco septo vel vivario egressa, naturalem recuperaverint libertatem; tunc enim iterum fiunt primo capientis.

§ IV. — *De lignatione et pastione.*

Dico 1° Qui cædit ligna viridia in sylvis alienic, sive sint regis aut principis, sive sint particularium per hæreditariam possessionem aut emptionem a republica, fur est et tenetur ad restitutionem; quia surripit alienum invito rationabiliter domino : nec enim eadem est ratio de arboribus ac de feris; arbores sunt fructus terræ, non feræ. Ita Sylvius, Soto et alii plures contra quosdam.

Dixi, *ligna viridia;* quia quoad ligna mortua et sicca, et non videntur curare domini sylvarum, censenturque pauperum usibus cedere : sicut et quædam arbuscula minoris momenti, ut genista, saltem in his partibus.

Dico 2° Qui ligna cædit in sylvis sibi et aliis incolis communibus, contra prohibitionem reipublicæ seu magistratus, aliquando non peccat, si nempe non cædat nisi pro urgente necessitate familiæ cui aliter succurrere non potest; quia eo usque non censetur extendi prohibitio reipublicæ circa rem aliunde communem : aliquando peccat, si sine urgente necessitate cædat; quia agit contra justam prohibitionem : non peccat tamen mortaliter si, aliquali necessitate compulsus, ad solum usum familiæ cædat; quia non censetur gravis injuria facta reipublicæ, nec ipsa censetur tam stricte velle obligare suos subditos circa bona illis propria. Nec etiam ipse subditus in casu posito tenetur ad restitutionem, quia non accipit proprie alienum, sed quod sibi est commune cum aliis quibus suas etiam portiones relinquit. Si vero grave damnum inferret, magnas strages edendo, multas et notabiles stirpes evellendo, grandiores arbores ædificiis idoneas cædendo; palam est ipsum peccare mortaliter et teneri ad restitutionem, tum propter transgressionem legis justæ in re gravi, cum propter injuriam gravem aliis incolis illatam. Hunc casum facile incurrere possunt qui frequenter cædunt non in usum familiæ, sed ad vendendum aliis, lucrumque inde reportandum : nisi forte ejusdem loci incolis vendant vili pretio, solius operis stipendio contenti.

Quod dixi de lignatione in sylvis sive communibus, idem propter easdem rationes est dicendum de pastione in pascuis sive communibus. Item idem dicendum, juxta Bonacin. et Lessium, de incolis duarum civitatum habentium loca compascua vel sylvas vicinas, si alteri in alterorum sylvis aut pascuis hinc et inde lignentur vel pascant; quia tunc censentur communitates vicissim sibi condonare quod ereptum fuerit, contenti mulcta, si qui in furto deprehendentur.

§ V. — *De thesauris* (1).

Thesaurus, prout hic sumitur, non est quicumque pecuniæ cumulus, metus vel custodiæ causa in futurum depositus, sed est *Vetus quædam depositio pecuniæ cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ita l. 51, ff. 41, tit. 1.

Dicitur *vetus;* quia si esset recens depositio, haberet dominium, scilicet deponentem seu ejus hæredes, proindeque non foret thesaurus.

Dicitur *depositio*, sive in re immobili, ut in agro; sive in re mobili, ut in vetusta veste, in saccis laneis : perinde est enim ad rationem thesauri ubi lateat; modo sit vetus et ejus non exstet memoria.

Dicitur *pecuniæ*, per quod intelliguntur quæcunque opes mobiles, ut gemmæ, catenæ aureæ, vasa aurea, argentea, etc.

Dicitur, *cujus non exstat memoria;* quia quantumvis sit vetus, si tamen adhuc aliqua ejus extest memoria, sic saltem ut hæredes illorum qui recondiderunt sciri possint, probabilius puto cum Delugo contra Les-

(1) Vide quintam Adnotationem.

sium, non esse thesaurum, cum tunc habeat dominum : non enim lapsus temporis aufert dominium rei, quandiu remanet potestas eam recognoscendi et recuperandi, modo tamen ab alio non sit legitime præscripta.

Hic. q. 66. a. 5. ad 2. *Dico* 1° Jure gentium thesaurus est totus inventoris, quivis sit. Idem dic de lapillis, gemmis, conchiliis quæ inveniuntur in littore maris. Quia quæ nullius sunt, jure gentium fiunt primo occupantis, ut sæpe dictum est. Jure tamen Cæsareo, aut municipali provinciarum, diversæ sunt dispositiones. Unde

Dico 2° Jure Cæsareo thesaurus inventus in proprio fundo, totus est inventoris. Ita Justinian. Inst. l. 2, tit. 1, § *Thesausos* 39, et c. l. *Nemo* de Thesauris.

Inventus fortuito in fundo alieno, dimidium est inventoris et dimidium domini fundi : ibid. Quod dimidium est domino fundi tradendum etiam ante sententiam judicis; quia, ut advertunt auctores, hæc juris dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum.

Inventus de industria in fundo sine consensu domini, totus est domini, C. loc. cit. Quia tamen hæc dispositio quoad medietatem, quæ alias obtingeret inventori, est pœnalis, propter injuriam factam domino fundi, non tenetur inventor hanc medietatem dare domino ante sententiam judicis. Et id indicat ipsa lex dicens : *Totum locorum domino reddere compellatur.*

Inventus de industria in fundo alieno cum consensu domini, secluso pacto, totus est inventoris, juxta Navar. Less. et alios; quia hoc ipso quo dominus fundi consentit in effossionem thesauri, absque eo quod paciscatur aut aliquid exigat ab effodiente, censetur ipsi condonare suam partem. Quidam tamen, inter quos Perfector Tournely, existimant id facile non posse præsumi, ideoque tutius esse ex æquo dividere. Equidem tutius erit inventori, sed minus tutum domino. *Sed esto* sit tutius, non tamen videtur probabilius, nisi forte inventor scivisset ibi latere thesaurum, et se nescire simulasset; tunc enim dominus ita deceptus non censetur condonasse suam partem. Ita Sylvest. v. *Inventum* 3.

Si sint duo domini, unus directus, alter utilis, ut feudatarius aut emphiteuta, ex æquo dividunt medietam thesauri; ita ut si unus ex his sit inventor, tres partes habebit, unam ut dominus fundi, duas alias ut inventor, conformiter juribus laud.

Nomine *domini utilis*, quidam ut Navarrus intelligunt etiam simplicem usuarium aut usuarium. Contrarium tamen videtur colligi ex l. *Fructus*, ff Soluto mat. lib. 24, tit. 3, ubi dicitur quod, si thesaurus inveniatur in fundo dotali, cujus vir usufructuarius medietatem percipit stante matrimonio, post divortium debeat hanc medietatem restituere uxori, quasi in alieno fundo inventum. Ita communiter juxta Less.

Inventus fortuito in loco sacro, secundum Justinian. § *Thesauros* cit. totus est inventoris. Sed plerique intelligunt hoc ita dictum a Justinian. quod tum loca sacra censerentur esse nullius. Nunc autem cum vix aut ne vix sit aliquis locus sacer qui non sit sub speciali alicujus dominio, idem videtur dicendum de thesauro invento, sive fortuito, sive de industria, in loco sacro, ac de invento in fundo alieno.

Idem etiam puto dicendum de invento in loco publico : licet enim Lessius post Covarr. distinguat inter locum et locum, idque concedat de loco publico qui habet dominum proprietatis, neget autem de illo qui habet tantum dominum jurisdictionis; attamen jus laud. non distinguit; dicit enim simpliciter et absolute : *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis, thesaurum invenerit, dimidium esse fisci vel civitatis.* Ubi vero jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Aliunde vix ullum modo agnoscimus locum publicum qui non sit sub dominio speciali proprietatis alicujus, puta, vel principis, vel reipublicæ, vel civitatis.

Inventus tandem arte magica in proprio fundo, totus est fisci : ita communiter, et colligitur ex l. *Unica* c. de Thesauris. Si eadem arte inveniatur in fundo alieno, dimidium quod debuisset esse inventoris, fit fisci; dimidium domini ipsi remanet, quia non tenetur culpa alterius, nisi ipsi cooperatus fuisset. Porro medietas quæ aliunde obvenisset inventori, non debet tradi ante sententiam judicis, quia est dispositio pœnalis et quidem sententiæ ferendæ. Hucusque jus Romanum. Si aliter disponant jura particularia, illis standum est.

Quæritur hic utrum qui novit thesaurum latere in alieno fundo, licite emat fundum

illum secundum communem æstimationem antequam thesaurum eruat, et efficiatur totius hujus thesauri dominus postquam eruerit?

R. affirmative cum Soto, Navarr. Banne, Sylvio et aliis communiter.

Quidam id probant ex parabola Christi, Matth. 13, ubi tanquam a re honesta et licita Christus sumit comparationem dicens: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vadit et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum.* Verum alii arbitrantur id inde non posse magis probari, quam probetur ex parabola villici iniquitatis eum recte egisse cum suo domino. Sed quidquid sit,

Ratio nostræ responsionis est; quia is emit agrum justo pretio: thesaurus autem inventus in agro proprio, totus est inventoris, ut dixi.

Quod emat agrum justo pretio, *prob.* 1° quia thesaurus non auget pretium fundi, cum non sit fructus ejus, nec de ejus substantia; neque ante inventionem aut apprehensionem pertineat ad dominum, sed sit nullius. 2° Quia alicujus rei pretium non sumitur ex majori vel minori illius intrinseca utilitate vel præstantia, sed ex communi æstimatione hominum, saltem expectorum in tali arte vel materia; hæc enim est regula justa et mensura immediata pretii justi et humani: atqui is de quo agitur emit, ut suppono, agrum secundum communem æstimationam: ergo. Hæc secunda ratio probat id etiam licere si ageretur de mineralibus in fundo reconditis, quæ quis, vel fortuito, vel singulari perspicacia, sciret illic latere.

Dices 1° Qui gemmam pretiosam a rustico ignaro emit vili pretio, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem: ergo similiter in præsenti casu.

R. N. conseq. Disparitas petitur ex duplici ratione præcedenti. 1° Qui vendit gemmam vili pretio, decipitur circa substantiam rei venditæ; secus qui vendit agrum in nostro casu; thesaurus enim, ut dixi, non est de substantia agri, neque emitur aut venditur, cum nemo ante apprehensionem sit ejus dominus, sed solus ager. Exemplum ponit Sylvius in eo qui vidisset equum in aquis haurientem gemmam: posset illum equum vulgari pretio emere, et apprehensæ gemmæ fieri dominus: ita similiter in præsenti casu. Altera disparitas ex secuda ratione est, quod gemma non vendatur justo pretio secundum communem æstimationem saltem expertorum in arte; bene autem ager.

Dices 2° Qui scit thesaurum latere in agro, jam illum invenit: ergo juxta dicta dimidium est domini agri: ergo pluris hunc agrum emere debet.

R. D. ant. Jam illum invenit inchoate, *C.* complete et sufficienter ad acquirendum dominium, *N.* non acquiritur enim nisi apprehensione et occupatione.

Sed quid si thesaurum inventum et apprehensum ex fundo alieno, iterum in eo recondam? possumne emere fundum hunc communi pretio, et fieri totius thesauri dominus? *R.* id me posse attento jure naturæ, juxta quod thesaurus est totus inventoris; idque indicat parabola Christi, de qua supra. At non possum attento jure positivo, juxta quod, ut dictum est, medietas thesauri inventi et apprehensi, pertinet ad dominum fundi in quo repertus est.

§ VI. — *De rebus derelictis, amissis et vacantibus* (1).

Hic q. 66. a. 5 ad 2.—*Dico* 1° Jure Rom. *Si rem pro derelicta a domino habitam occupaverit quis, statim ejus dominus efficitur*, Instit. lib. 2, § ultimo; quia, ut sæpe jam dixi, quæ nullius sunt, fiunt primo occupantis. Jure Gallico bona derelicta pertinent ad dynastam loci. Ita Tournely ex Ferrier.

Pro derelicto autem habetur quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit; ideoque statim ejus dominus esse desinit: Instit. cit. Quandonam vero talis sit mens domini, venandum ex rerum et temporum circumstantiis.

Hinc inferes, bona naufragantium, sive vi tempestatis naufragio facto projecta in mare, sive causa levandæ navis ejecta; item ea quæ per eluvionem abripiuntur, non esse bona derelicta, quia regulariter domini pro derelictis non habent, quin potius ea libentissime recuperarent: et ideo furti rei sunt qui illa sibi surripiunt; et si sint bona christianorum naufragantium, incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*. Si tamen

(1) Vide sextam Adnotationem.

dominus sciens ubi et quomodo posset ea recuperare, non curaret, quia vel parvi facit, vel forent expensæ faciendæ quæ rei recuperandæ æquivalerent, præsumeretur tunc habere pro derelictis. Hujus generis esse puto in his partibus parva ligna quæ intumescente Mosa fluctibus abripiuntur, et quæ riparum incolæ expiscantur.

In Galliis edicto Ludovici Magni anno 1681, sancitum dicitur, bona naufragantium in littore maris, si proprietarius per se vel per alium post annum et diem non compareat, esse dividenda in duas partes, quorum una cedat regi, altera magno amirali. Quod si hæc bona e maris fundo, vel in summis aquis fluctuantia extracta sint, tertia pars cedat ei qui extraxerit, reliquum reddatur proprietario, si compareat; alias dividatur ut ante inter regem et magnum amiralem. Ita refert Perfector Tournely. In Belgio edicto Caroli V 1547, statuitur ut bona naufragantium in littore maris inventa, redderentur domino infra annum comparenti. Ita Zypeus.

Sed quid si hæc naufragantium bona non derelicta certo periissent si non apprehendissem, ut v. g. saccharum, farina, frumentum, et similia? possumne retinere?

R. negative. Quia, ut habetur l. *Pomponius* ff. De acquirendo rerum dominio, quælibet res nostra, quantumvis periclitetur, manet nostra donec sit consumpta, modo velimus manere nostram; ut si ovis mea e faucibus lupi, vel domus mea ab incendio eripiatur, manet mea. Potes tamen repetere pretium expensarum quas fecisti, aut periculi quod subiisti; imo, secundum auctores non ignobiles, retinere de re recuperata id unde pro his compenseris, si non solvatur.

Dico 2° Bona vacantia sunt, quæ quis relinquit moriens ab-intestato, nec habens hæredes qui ei juxta legem ab-intestato succedunt. Hæc addicuntur fisco regio, l. *Vacantia*, c. de Bonis vacantibus.

Excipe bona mobilia peregrinorum, qui si ab-intestato decesserint sine hæredibus, debent eorum bona per manus episcopi loci in pias causas erogari. Authent. *Omnes peregrini*, c. Communia de Success.

In Gallia bona extraneorum ibi morientium qui dicuntur *aubains*, quasi *alibi nati*, pertinent ad regem; exceptis bonis legatorum, mercatorum et regnicolarum.

Ibid. — *Dico* 3° Bona recens amissa non sunt inventoris, sed remanent illius qui ea amisit, cui proinde necessario restituenda sunt, si fieri possit; quia horum bonorum dominio non spoliatur qui amisit, nec illud acquirit qui invenit: quo enim jure? non auctoritate legis, nulla est quæ possit assignari; non voluntate domini, quin potius vult e contra ea sibi reddi, et ideo diligenter inquirit, pro redditis gratias agit, etiam cum inquirere desierit.

Dico 4° Si, facta diligendi inquisitione (quæ debet esse major vel minor pro rei conditione), non possit cognosci dominus, bona inventa debent expendi secundum voluntatem ejus præsumptam: id lex naturalis indicat. Præsumpta autem ejus voluntas regulariter censetur esse, ut expendantur in usus sibi, aut suis, aut saltem reipublicæ utiles, proindeque in pauperum sublevamen, in missas aut alios pios usus. Quin ita sit, cujusque conscientiam testor, num non ita vellet res suas perditas expendi.

Hic q. 62. a. 5. ad 3. — Hæc sententia est communis contra Soto et quosdam ejus sequaces, qui volunt post sufficientem inquisitionem, esse inventoris. Colligitur ex Authent. cit. statuitur in conc. Mediol. sub S. Carolo; traditur expresse in Catechismo Rom. p. 3, n. 7, eamque aperte asserere videtur S. Th. his verbis: « Si ille cui debet » fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet » homo restituere secundum quod potest, » scilicet dando in eleemosynas pro salute » ipsius, sive sit mortuus, sive vivens; præ» missa tamen diligenti inquisitione de » persona ejus cui est restitutio facienda. » Nec valet si respondeas S. Thomam illic loqui de possessore malæ fidei; nihil enim in eo loci lego quo hæc verba restringantur ad possessionem malæ fidei. *Sed esto:* eadem ejus ratio æque militat pro possessore bonæ fidei, quia iste, non minus quam ille, *debet restituere secundum quod potest.*

Dices 1° Jure præsumitur dominum velle potius rem perditam manere apud inventorem quam distrahi pauperibus. Ergo. *Prob. ant.* Jure præsumitur dominum velle id quod sibi magis est utile: atqui ipsi magis est utile ut res perdita maneat penes inventorem: ergo. *Prob. min.* Facilius eam recuperabit ab inventore quam a pauperibus. Ergo.

R. N. ant. prob. N. min. Ad prob. D. ant. Facilius eam recuperabit ab inventore,

et non est probabile quod rem a quoquam sit unquam recuperaturus, *C.* et est probabile quod aliquando sit eam recuperaturus, *N.* Cum enim supponatur adhibita diligens inquisitio, incertum est, imo et improbabile dominum rem suam unquam recuperaturum : commodum autem quod ipsi ex usu pio rei suæ obvenit, est certum. Porro nemo est sensatus qui bonum certum non præponat incerto, et cujus vix aut ne vix aliqua spes superest.

Dices 2° Neque jure naturali neque positivo tenetur inventor rem recens inventam erogare pauperibus aut in usus pios : non positivo, quia nullum assignari potest quo id certo evincatur ; non naturali, quod probatur 1° quia fieri potest ut dominus in hæresi vel peccato sit mortuus, cui proinde nihil potest prodesse res erogata in usus pios. 2° Lex naturalis idem omnibus dictat : atqui non dictat omnibus, puta ethnicis, res inventas esse erogandas in usus pios. 3° Quandoque fit compositio a SS. pontifice super inventis, sicut et super allis bonis incertis, ut ea possint retineri ab inventoribus seu possessoribus. Item in Gallia animalia aberrantia, vulgo *epaves*, post diligentem inquisitionem non compareat dominus, sunt dynastæ : alibi bona defunctorum ab-intestato qui nullum habent hæredem intra decimum gradum, sunt fisci, et similia : quæ omnia forent injusta, si res inventæ jure naturæ deberent expendi in pauperes aut in utilitatem dominorum, cum eadem sit ratio de istis bonis incertis ac de inventis. Ergo.

R. jure naturali inventorem teneri rem inventam expendere juxta voluntatem vel formalem vel præsumptam domini ; habet enim res perdita dominum, quamvis ignoretur quis sit : id videtur certum, nec a quoquam arbitror negandum. Eatenus vero jure naturali tenetur impendere in pauperes aut in usus pios, quatenus præsumitur eam esse domini voluntatem ; ita ut si fundate præsumitur voluntatem domini esse aliam, aliter deberent impendi. Sed quia fundate præsumimus talem esse regulariter domini voluntatem, ut expendantur in eos usus, unde sibi, aut suis, aut saltem reipublicæ utilitas obveniat ; in hac suppositione dicimus inventorem jure naturæ ad id teneri. Hinc facilis est responsio ad opposita.

Ad primum. Dato distributionem rei inventæ factam pauperibus nihil prodesse defuncto in hæresi vel peccato, proderit ejus hæredibus, vel saltem reipublicæ, quod quisque præsumitur potius velle, quam prodesse uni particulari, qui forte rem in usus illicitos dissipabit.

Ad secundum, primo *D. maj.* Lex naturalis idem dictat omnibus, supposita fide, *C.* seclusa fide, *N.* Sic lex naturalis dictat sacramenta non esse indigne tractanda, sed supposita fide. Unde non est mirum si non dictet ethnicis, inventa esse distribuenda in usus pios ; quia cum careant fide, ignorant per temporalia posse acquiri spiritualia et æterna. 2° *Posse negari minor* et dici quod ad istud dictamen forte non attendant ethnici, passionibus abrepti et ethnicæ superstitionis tenebris obcæcati ; sicut olim juxta S. Th. latrocinia reputabantur licita apud Germanos. Cæterum si jure præsumatur aliter velle dominum, aliter expendantur ; nihil inde contra nos, *ut patet ex responsione superiori.*

Ad tertium et quartum. Cum ea quæ fiunt per supremam auctoritatem intuitu boni publici, juxta censeantur, præsumitur perditor huic justæ dispositioni consentire. Adde quod spectat summum pontificem, ipsum supplere ex thesauro Ecclesiæ quod perditori per eleemosynas obvenire potuisset.

Cæterum non desunt theologi qui negant hanc inesse auctoritatem SS. pontifici, nisi debitor ipse sit pauper attenta conditione status.

Dices 3° Thesaurus est inventoris : ergo et res perdita. *Si dicas* thesaurum esse nullius, idem dicam a pari de re perdita.

R. N. Conseq. Ad prob. dico disparitatem esse, quod ob lapsum longissimi temporis, jure præsumatur thesauri nullum amplius existere dominum ; et ideo leges statuerunt esse inventoris : quod propter oppositam rationem non statuerunt de re recens amissa.

Petes 1° utrum saltem, si inventor sit pauper, possit sibi rem inventam retinere ?

R. posse si ejus paupertas sit certa et evidens : sed quia plurumque homo sibi ablanditur, dum agitur de propria utilitate, consulat prius confessarium aut virum prudentem et timoratum. Neque enim, *quod advertas*, hæc distributio debet necessario fieri paupertatibus, licet id sit consilii ; sed sufficit quod fiat vere pauperibus, imo et in alios

usus pios, puta, in missas et quid simile : alioquin foret inventori valde onerosa et infinitis scrupulis obnoxia.

Petes 2° an inventor, etiamsi non sit pauper, possit exigere vel retinere aliquid pro mercede inventionis ?

R. posse pro expensis, si quas fecerit in rei inquisitione et inventione ; item, etiam seclusis expensis, posse aliquid petere ex mera gratitudine, sed nihil tanquam ex justitia debitum, quia res tota est domini, quam ideo non debet ex parte emere.

Sed quid si dominus rem invenienti et referenti promiserit præmium ? Respondent satis communiter auctores, id posse rigorose exigi ut debitum vi promissionis. Quidam tamen id negant, nec improbabiliter ; quia, inquit, hæc promissio plerumque non est omnino voluntaria, sed facta metu rem perdendi, nisi hac arte alliceretur inventor ad eam reddendam : quapropter, juxta illos, non potest magis exigere aut recipere inventor præmium, quam mutuans possit exigere aut recipere quod mutuatarius ipsi promisit ultra sortem : quod juxta omnes est illicitum, nisi omnino libere et ex mera gratitudine fuerit donatum.

Petes 3° quid facto opus si, re distributa in pauperes aut in usus pios, compareat dominus ?

R. 1° Si res adhuc subsistat in se vel in suo pretio, reddenda est domino, quia dominus est ; et hæc distributio non censetur facta nisi sub conditione quod non compareat dominus re adhuc integra permanente ; sic enim præsumitur velle dominus, saltem ubi res est gravis momenti. Quapropter in tali casu magis convenit eam distribuere ecclesiis vel xenodochiis quam particularibus pauperibus, qui statim eam absument, et erunt impotentes reddere quidquam. Ita docet auctor Opusculi 73, inter opera D. Th. cap. 13. Hoc Opusculum nostro Ægidio de Lessine Harnoni adscribsit P. Echard ad an. 1278.

2° Si res sit omnino consumpta, et facta fuerit sufficiens inquisitio domini ante distributionem, neque ipse inventor, sive ut distribuens, sive ut recipiens, si sibi ut pauperi aliquid retinuerit, neque ipsi pauperes quibus facta est distributio, tenentur ad restitutionem, nisi in quantum sunt facti ditiores. De inventore ut distribuente, *patet ;* quia ipse jam restituit ut potuit et debuit : de ipso ut recipiente et aliis pauperibus recipientibus, *etiam patet ;* quia hi non tenentur ratione rei acceptæ, cum amplius non subsistat ; neque ratione injustæ acceptionis, cum, ut supponitur, distributio fuerit juste et legitime facta.

3° Si sufficiens inquisitio domini non fuit adhibita ab inventore, et res sit consumpta, tenetur ipse inventor restituere æquivalens pro gravitate negligentiæ ; quia in culpa est et propter ejus culpam dominus non debet re sua privari. Item rem alienam tractavit invito rationabiliter domino, in id enim non tenebatur consentire dominus. Ergo.

Dixi, *pro gravitate negligentiæ ;* quia si adhibuit revera diligentiam, licet non omnino sufficientem, sic, ut sit tantum levis et venialis negligentia, non arbitror ipsum stricte teneri ad restitutionem nisi valde levem : tum quia alioquin res inventæ forent onus intolerabile inventoribus ; tum quia culpa levis non importat obligationem gravem, *ut latius patebit ex dicendis de restitutione.*

Petes 4° quanta diligentia sit adhibenda ut censeatur inquisitio sufficiens ?

R. id certo definiri non posse ; sed, ut jam monui, adhibenda est major vel minor pro rei gravitate vel levitate, prout judicabit vir probus et prudens : v. g. si inveneris centum aureos, non sufficit inquirere in loco inventionis, sed etiam in locis vicinis et aliis in quibus spes est posse perditorem inveniri. Hæc autem inquisitio commode fit per promulgationem in ecclesiis, vel affixionem schedularum in locis publicis. Facta inquisitione sufficiente et non comparente domino, non statim facienda est rei distributio, sed differenda, juxta quosdam, ad unum vel alterum annum. Quod si res sit parvi momenti, v. g. annulus, vel pauci aurei, sufficit minor inquisitio et minor dilatio, puta, ad unum vel alterum mensem.

§ VII. — *De venis metallicis et aliis non metallicis* (1).

Dico 1° Venæ non metallicæ, ut sunt lapidicinæ, carbonariæ, tegulariæ, cretariæ, etc. sunt illius cujus est fundus, non solum quoad jus effodiendi, sed etiam quoad dominium et proprietatem : quia sunt fructus, aut saltem pars fundi, atque de ejus substantia. Ita communiter.

(1) Vide Adnotationem septimam.

Dico 2° Attento solo jure naturæ, idem eadem ratione dicendum est de venis metallicis auri, argenti, cupri, ferri, stanni, etc. Nec probo quod dicunt Sylvius et Lessius ex Soto, eas esse nullius, proindeque fieri primo occupantis; sunt enim, ut non metallicæ, fructus aut pars fundi atque de ejus substantia.

Fateor tamen legitime effectum esse, sive jure communi, sive consuetudine communiter recepta, ut principes aut respublicæ eas sibi vindicent, parte concessa inventori, et compensato damno quod domino fundi infertur. 1° Quia id convenit principibus aut rebuspublicis ad sustinenda onera communia. 2° Quia hæ venæ sunt magnæ æstimationis, et simul difficillimæ et rarissimæ inventionis, quibus proinde effodiendis plerumque sunt impares privatorum facultates: quapropter reipublicæ interest excitare homines proposito præmio ad hujusmodi venarum inquisitionem et inventionem.

§ VIII. — *De acquisitione dominii per alluvionem, accessionem, confusionem et commixtionem.*

PER ALLUVIONEM (1).

Dico. « Quod per alluvionem agro tuo flumen adjicit, jure gentium tibi acquiritur. » Est autem alluvio incrementum latens, » *ideoque* per alluvionem id videtur adjici » quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi » non possit quantum quoque temporis momento adjiciatur. » Ita in terminis lib. 2 Instit. de Rerum divisione, § *Præterea* 20.

« Quod si vis *repentina* fluminis de tuo » prædio partem aliquam detraxerit et vicini » prædio attulerit, palam est eam tuam permanere. Si tamen longiore tempore fundo » vicini tui hæserit, arboresque quas secum » traxit in eum fundum radices egerint, ex » eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse. » Ibid. in terminis § *Quod si vis* 21.

« Insula quæ in mari nata est (quod raro » accidit), occupantis fit; nullius enim esse » creditur. » Ibid. § *Insula* 22. Idem dic de insula dudum ab incolis deserta. « At insula » in flumine nata (quod frequenter accidit), » si mediam partem fluminis tenet, com» munis est eorum qui ab utraque parte flu» minis prope ipam prædia possident; pro » modo scilicet latitudinis cujusque fundi » quæ prope ripam sit. Quod si alteri parti » proximior sit, eorum est tantum qui ab ea » parte prope ripam prædia possident. Quod » si aliqua parte divisum sit flumen, deinde » infra unitum, agrum alicujus in formam » insulæ redegerit; ejusdem permanet is » ager cujus et fuerat. » Ibid.

« Quod si, naturali alveo in universum » derelicto, ad aliam partem fluere cœperit, » prior quidem alveus eorum est qui prope » ripam ejus prædia possident, pro modo » scilicet latitudinis cujusque agri quæ prope » ripam sit: novus autem alveus juris esse » incipit cujus et ipsum flumen est. Quod si » post aliquod tempus ad priorem alveum » reversum fuerit flumen, rursus novus al» veus eorum esse incipit qui prope ripam » ejus prædia possident. » Ibid. § *Quod si* » *naturali* 23.

« Alia sane causa est si cujus totus ager » inundatus fuerit; neque enim inundatio » fundi speciem commutat, et ob id si re» cesserit aqua, palam est eum fundum ejus » manere cujus et fuit. » Ibid. § *Alia sane causa* 24.

PER ACCESSIONEM (1).

Accessio est, quando res unius accedit seu adjungitur ad rem alterius per laborem aut industriam humanam.

Dico, et sit regula generalis. Quando res unius conjungitur rei alterius, totum compositum ex utroque est illius cujus est principale in composito, l. *Cum aurum* 19, § Perveniamus 13, ff. De auro et argento lib. 34, tit. 2, et conformiter huic reg. juris 28, in 6: *Accessorium sequi congruit naturam principalis.* Intellige tamen semel pro semper cum obligatione reddendi domino æstimationem minus principalis, etiam si bona fide fuerit usurpatum.

Hinc inferes 1° quod, si ornatus causa gemmam alienam annulo tuo inferas, purpuram alienam vesti tuæ consuas, Herculem in mensa aliena depingas, pictura cedat mensæ, purpura vesti, gemma annulo, etiamsi gemma sit pretiosior annulo, aut purpura vestimento; quia id cujus ornandi gratia aliud adjungitur, censetur principale, ideoque accessionis jure hoc aliud sibi vindicat, l. cit. et Institut. Ed. 2, tit. 2, De rerum divisione, § *Si tamen* 26. Delugo apud Sporer existimat quod, si res aliena possit separari absque totius destructione,

(1) Vide octavam Adnotationem.

(1) Vide nonam Adnotationem.

ut gemma ab annulo, remaneat prioris domini. Sed jura laudata contradicunt. Remanet tamen priori domino actio ad exhibendum annulum ut excludatur gemma.

Inferes 2o e contra quod, si pinxeris in tela aliena, hæc cedat tuæ picturæ, si pictura sit pretiosior tela; quia id non fit causa ornandi telam. Idem dic de scriptura. Quamvis enim Instit. cit. § *Litteræ*, dicatur litteras etiamsi aureas debere cedere chartis seu membranis, id videtur intelligendum de chartis et membranis quæ tunc temporis erant rariores et pretiosiores litteris. Sed cum nunc sint vilis pretii, contrarium videtur dicendum, maxime cum litteræ non adhibeantur chartis ad earum ornatum, sed chartis utamur tanquam subjecto seu materia. Ita plerique auctores.

Inferes 3° « Cum in suo loco aliquis aliena » materia ædificavit, ipse dominus intelli- » gitur ædificii; quia omne quod ædificatur » solo cedit tanquam principali. » Ita in terminis l. *Adeo*, § *Cum in suo*, ff. De acquirendo rerum dom. lib. 41, tit. 1. Sed diruto ædificio, et non ante, materiæ dominus poterit eam vindicare, nisi prius ipsi sit data satisfactio, quam quovis tempore potest exigere. Ibid.

« Ex diverso, si quis in alieno solo sua » materia ædificavit, illius fit ædificium cu- » jus est solum; et si scit alienum solum es- » se, sua voluntate amisisse proprietatem » materiæ intelligitur: ita ut neque diruto » quidem ædificio, vindicatio ejus materiæ » competat, *saltem in foro externo*. » Ibid. Excipe tamen ex æquitate naturali, nisi ea re negotium domini absentis utiliter gessisset. Si vero nescit qui ædificavit, alienum esse solum, pretium materiæ et operarum repetere potest. Ibid.

Inferes 4° « Si alienam plantam in meo solo posuero, mea erit. Ex diverso, si meam » plantam in alieno solo posuero, illius erit, » si modo utroque casu radices egerit; ante- » quam enim radices ageret, illius perma- » net cujus et fuit... Et ideo in confinio ar- » bor posita communis est. » Ibid. § *Si alienam*.

Si vero arbor tota in fundo meo radicata vel posita, aliquas tamen radices agat in fundo vicino, mea est. Sed si ramos in fundum vicinum extendat, inde decidentes fructus sunt vicini. Quod si rami impendeant alterius ædibus, monito et nolente arboris domino illam succidere, is qui damnum patitur totam arborem cædere et ligna tollere non prohibetur. Quod si agro impendeant tantum ad quindecim pedes a terra, potest arbor coerceri, seu ejus rami exscindi, l. 1, ff. *De arboribus cædendis*, lib. 43, tit. 27.

PER CONFUSIONEM (1).

Confusio rerum dicitur, quando corpora distincta ita miscentur ut in unum coeant, sic, ut nulla pars designari possit quæ non sit utriusque miscentis: ut si vinum meum cum tuo misceatur in dolio, ex meo frumento et tuis lupulis concoquatur cerevisia; sicut enim in his et similibus nulla pars assignari potest quæ non sit vinum aut cerevisia, sic nulla assignari potest quæ non spectet ad utrumque dominum.

Dico 1° Quando ex consensu duorum dominorum aut casu materiæ confusæ fuerint, totum conflatum est pro rata ipsis commune, l. *Adeo* sup. cit. et Instit. *De rerum divisione*, § Si duorum. Ratio est; quia consensus reciprocus vel casus utrique accidens id præstare videtur.

Si vero uno volente et altero nolente aut ignorante, materia utriusque confundatur, totum conflatum illius erit cujus, attentis opera et materia, principale erit in conflato, conformiter reg. supra laud. quod accessorium sequi congruat principale. Unde si ex tritico tuo et prope æquali alieno cerevisiam confecisti, tua erit, cum obligatione tamen reddendi æstimationem partis alienæ: e contra, si ex tritico alieno et solis tuis lupulis confecisti, erit illius cujus erat triticum, quia est principale; cum obligatione tamen tibi reddendi tuorum lupulorum æstimationem, saltem si bona fide egeris. Quod addo, quia quidam auctores negant quidquam reddendum miscenti mala fide: quod utrum sit admittendum in foro conscientiæ non ausim asserere, cum æquitatis naturalis sit neminem posse ditari alieno, nisi forte damnum patiatur ex confusione.

Confusioni affinis est formatio speciei, seu, ut loquuntur juristæ, specificatio. Pro qua

Dico 2° Dum quis ex aliena materia novam speciem formavit, si species ad priorem materiam integre redire possit, pertinet ad dominum materiæ: ut si quis ex tuo ra-

(1) Vide Adnotationem decimam.

gento sciphum fabricavit, tuus est. Si vero species ad priorem materiam integre redire non possit, pertinet ad eum qui fabricavit: ut si ex lana aliena vestem, ex corio alieno calceum confecisti, tua est vestis, tuus est calceus, semper tamen cum obligatione solvendi pretium materiæ; l. *Adeo* sæpe cit. § 7, et Instit. *De rerum divisione*, tit. 1. § Cum ex 25.

Quidam ex æquitate naturali, ut putant, excipiunt vinum factum ex uvis alienis et oleum ex olivis alienis; sed jura laudata expresse contradicunt, quippe quæ hæc exempla formaliter proponunt in sensu nostræ conclusionis, et frumentum duntaxat ex spicis alienis excussum excipiunt; quia inquiunt, « Cum grana quæ spicis continen» tur perfectam haheant speciem suam, qui » excussit spicas non novam speciem facit » sed eam quæ est detegit, » l. *Adeo* cit. quod dici non potest vino, oleo et similibus; unde est disparitas.

Quod si partim ex sua materia, partim ex aliena prope æquali speciem aliquam fecerit quis, veluti ex suo vino et alieno melle mulsum fecerit, erit illius qui fecit; quia principale ponit, juxta id quod diximus de confusione, § *Cum ex*. cit.

Nota tamen quod, si quis sciens materiam esse alienam, eam confuderit, aut ex ea novam speciem fecerit, res a pristino domino vindicari possit, l. *De eo*, § Si quis, ff. *Ad exhibendum* lib. 10, tit. 4.

PER COMMIXTIONEM.

Commixtio differt a confusione, quod in commixtione corpora non faciunt continuum, sed separata inter se maneant quoad substantiam, licet facile discerni nequeant: ut patet in commixtione tui et mei frumenti, tuæ et meæ pecuniæ; quodlibet granum manet meum a tuo distinctum, licet quodnam sit propter mixtionem non cognoscatur. In confusione autem, ut dictum est, corpora in unum coeunt, sic, ut nulla sit pars quæ non sit mea et tua: ut si vinum tuum et meum misceantur, quælibet guttula est mea et tua, seu ex meo et tuo.

Dico. Quando duorum dominorum materiæ utriusque consensu miscentur, communicatæ censebuntur, hoc est, cumulus erit utrique communis. At si casu vel neutro domino volente misceantur, non fit translatio dominii, sed singulis competit in rem actio, quatenus vel apparet, vel judex, re cognita, arbitrari poterit in illo acervo cujusque esse, l. *Idem Pomponius*, ff. De rei vindicatione, lib. 6. tit. 1, et Inst. *De rerum divis.*, § Quasi frumentum. *Ratio est*; quia re manente integra, non debet illius transferri dominium, nisi de consensu domini. *Si dicas* id tamen fieri in confusione: disparitas est, quod in ea partes non maneant quoad substantiam separatæ sicut in commixtione, sed in unum continuum coeant, ut dictum est.

Si vero, uno tantum domino nolente aut inscio, mixtio fiat ab altero cum voluntate formali vel implicita acquirendi dominium totius, juxta l. *Si alicui nummi* 48, ff. De solutionibus, lib. 46, tit. 3, reipsa acquirit. At contrarium videtur decerni § *Quod si frumentum* 28, Inst. De rerum divis.

ARTICULUS III.

De modo acquirendi dominia rerum quæ sunt alicujus; Nimirum.

DE PRÆSCRIPTIONE (1).

Nota. Dominia rerum quæ sunt alicujus, duplici modo acquiruntur, volente et nolente domino. Volente domino, ut donatione, testamento, venditione et aliis contractibus, de quibus specialiter et late suo loco. Nolente domino, et hoc tripliciter: 1° jure gentium, ut res captæ bello justo fiunt capientis; 2° sententia judicis, ut dum fur damnatur ad quadruplum; 3° auctoritate legis, ut præscriptione; et de hac nunc versatur quæstio.

§ I. — *Quid præscriptio, quid usucapio?*

Præscriptio in jure idem est ac exceptio, et præscribere idem ac excipere. Excipere autem est opponere aliquid contra actionem ab altero intentatam, sive in civilibus, sive in criminalibus, ad eam vel omnino impediendam, vel ad differendam tantum, non tamen inficiendo fundamentum, sive, ut dicitur in jure, instantiam actionis aut litis; v. g. Titius instituit contra te actionem pro solutione equi tibi venditi; si neges venditionem, quæ est fundamentum actionis, non est exceptio, sed defensio, et onus probandi incumbit actori. Si vero fatearis venditionem, sed opponas, puta, pretium esse solutum, aut quid simile, est exceptio, et hujus-

(1) Vide undecimam Adnotationem.

probatio tibi incumbit. Quod si actor tuam oppositionem contraria exceptione redundat, dicitur replicatio; quam si tu impugnes, dicitur duplicatio, et sic deinceps, triplicatio, quadruplicatio, etc.

Porro exceptio et duplex, ut jam innui: una peremptoria, qua actio simpliciter et perpetuo excluditur, ut in præcedenti exemplo: alia dilatoria, qua actio non simpliciter et perpetuo excluditur, sed respectu certi loci vel certæ personæ, ut si opponas judicem non esse competentem, actio non simpliciter et perpetuo excluditur, sed tantum respectu talis tribunalis. Exceptiones dilatoriæ regulariter debent opponi ante litis contestationem, secus peremptoriæ. Dico *regulariter;* quia sunt quædam exceptiones de quibus vide si lubet juristas.

Præscriptio autem de qua hic agimus, hoc sensu sumpta, est quædam species exceptionis peremptoriæ, qua domino repetenti rem suam pristinam, opponitur possessio per certum tempus a lege definitum; tali enim possessione acquiritur dominium, ut dicam infra: ipsa vero acquisitio dominii dicitur usucapio.

Verum nunc usu communi et in jure recepio præscriptio sumitur pro ipsa usucapione, sive agatur de mobilibus, sive de immobilibus: non enim est n jure fundatum quod quidam dicunt, usucapionem esse de mobilibus, et præscriptionem de immobilibus, siquidem detur præscriptio de mobilibus, et usucapio de immobilibus, Instit. lib. 2, tit. 6. His notatis.

Dico 1° Præscriptio seu usucapio est *Acquisitio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito*, l. 2, ff. *de Usurpat. et usucap.* lib. 41, tit. 3.

Dico 2° Ad legitimam præscriptionem requiruntur quatuor conditiones. 1° possessio vera; 2° titulus præsumptus: 3° bona fides; 4° tempus legitimus. Ita communiter ex Sylvestro nostro, v. *Præscriptio* 1, n. 1. Quæ conditiones distinctis §§ expenduntur.

§ II. — *Vera possessio.*

Ita reg. juris 3 in 6: *Sine possessione præscriptio non procedit;* et patet, quia totum hoc jus oritur ex possessione. Et ideo in tantum aliquis præscribit aut præscribere potest, in quantum vere et proprie, hoc est, suo nomine possidet, et quidem *civiliter* saltem: nam possessio naturalis non sufficit, ut patet in colono qui possidet naturaliter, et tamen præscribere non potest. Naturalis et civilis simul optima est: sufficit tamen sola civilis, qua quis absens rei suæ animo et facultate insistit; ideo enim partim civilis dicitur, quia hunc civilem effectum parit. Vide quæ dixi supra de possessione.

Hinc inferes 1°, laicum non posse præscribere jus decimarum, quantocumque tempore illud detineat; quia secundum jura est incapax possidere jus ecclesiasticum, quale est jus decimarum formaliter sumptum, hoc est, quatenus fundatur in spirituali officio: secus si ex privilegio aut concessione Ecclesiæ illud habeatur, quales sunt decimæ quæ dicuntur infeodatæ ante conc. III Lateran. anno 1179, quia tunc non est jus spirituale. Idem dicendum de quovis alio jure ecclesiastico, cujus sunt incapaces laici; item de rebus et locis sacris, quas jus prohibet a laico possideri.

Inferes 2°, usufructuarium, colonum, locatorem, commodatarium, pignoratorem, emphiteutam, feudatarium, tutorem, curatorem et similes non posse præscribere rem quam possident, quia illam non possident proprio nomine et ut suam, sed nomine domini directi. Possunt tamen qui fructuarii sunt præscribere jus ad fructus, quia illud vere possident.

Inferes 3°, religiosum nihil posse præscribere, quia nihil potest proprio nomine possidere: item nec amentem, nisi initio et fine possessionis fuerit mente compos; quia, sicut hoc sufficit ad possessionem, ita et ad præscriptionem.

Notandum hic, in præscriptione jurium, quæ dicuntur *quasi possideri*, hoc axioma communiter receptum apud jurisconsultos: *Per actus liberos non inducitur præscriptio.* Unde quantovis tempore aliquis libere et non tanquam ex obligatione mihi præstat aliquod servitium, nihil possum unquam præscribere, quia non sum in possessione juris erga ipsum.

§ III. — *Titulus præsumptus.*

Qualis est, v. g. emptio, donatio, aut quivis alius modus quo transfertur dominium. Dico, *præsumptus;* quia si esset verus, absque præscriptione transferret dominium. Sufficit ergo quod rationabiliter et bona fide credatur verus; ut si emas vel dono

accipias ab eo qui reputatur rei dominus, et non est.

Cæterum quamvis ad omnem præscriptionem inchoandam requiratur titulus, alioquin deficeret bona fides; item quamvis ad perficiendam præscriptionem, quæ dicitur brevis et longi temporis, nimirum decem vel viginti annorum, requiratur allegatio et probatio tituli : conveniunt tamen communiter doctores, ad perficiendam eam quæ dicitur longissimi temporis, id est, triginta vel quadraginta annorum, regulariter non requiri probationem tituli, quippe qui tanto temporis spatio variis modis perire potuit. Excipe tamen quando ex jure vel aliunde vehemens est præsumptio rem cujus præscriptio prætenditur fuisse mala fide acquisitam aut possessam, nisi probetur possessio immemorialis, id est, cujus initii non exstat memoria apud seniores qui testantur se nunquam aliter vidisse aut audivisse, et talem semper fuisse famam et communem loci opinionem; Sylvest. v. *Præscriptio* 1, q. 1. Quia, juxta commune juristarum effatum, *Possessio temporis immemorialis est loco tituli.*

§ IV. — *Bona fides.*

Quodl. 12. a. 24. o. — Ita reg. juris 2 in 6 : *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Item c. *Vigilanti*, c. *Quoniam*, cap. *fin.* de Præscriptionibus, Extra. lib. 2, tit. 26, ex conc. Later. sub Innoc. III, ubi corriguntur leges civiles, quæ videntur admittere præscriptionem triginta vel quadraginta annorum ut legitimam absque bona fide, his verbis : « Quoniam omne quod non » est ex fide, peccatum est, synodali judicio » definimus, ut nulla valeat absque bona » fide præscriptio tam canonica quam civilis, cum generaliter sit omni constitu- » tioni et consuetudini derogandum, quod » absque mortali peccato non potest observari : unde oportet ut qui præscribit, in » nulla temporis parte habeat rei alienæ » conscientiam. » Et ratio est; — In 4. d. 41. q. 1. a. 5. q. 1. ad 2. — quia possessor malæ fidei est in continuo statu peccati mortalis, rem alienam scienter detinendo : illa autem quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur; quia ut Innoc. IV dicit in cap. *Non debet* 8, de Consang. affin. *Diuturnitas temporis non minuit, sed auget peccatum.* Adde quod alioquin aperiretur via furibus ad præscribendum, indeque multiplicarentur in immensum, in detrimentum et destructionem reipublicæ.

Est autem bona fides, credulitas seu actus intellectus quo quis inculpabiliter credit rem esse suam, aut nescit esse alienam. Dico *inculpabiliter*, quia ubi error aut ignorantia unde hæc persuasio procedit, est culpabilis, non est bona fides.

Dices 1° Admittenda est præscriptio quam leges civiles admittunt : atqui leges civiles admittunt præscriptionem cum mala fide, ut videtur concessum, *et patet* ex l. *Sicut*, et l. *Si quis*, c. De præscript. 30 vel 40 annorum lib. 7, tit. 39. Ergo.

Huic argumento duplex adhiberi potest solutio. Unde R. 1° *D. maj.* Admittenda est præscriptio quam admittunt leges civiles, si non repugnet bonis moribus, nec improbetur a jure canonico, *C.* secus, *N.* Repugnat autem bonis moribus præscriptio cum mala fide, quia sic præscribens est in continuo peccato, et ideo improbatur a jure canonico. — **Quodl. cit. ibid.** — Porro hujus contrarietatis inter leges civiles et canonicas ratio est, quia alius est finis quem intendit civilis legislator, scilicet pacem servare et stare inter cives, quæ impediretur si præscriptio malæ fidei non curreret, quatenus sub prætextu malæ fidei vexarentur legitimi possessores : finis autem juris canonici tendit ad quietem Ecclesiæ et salutem animarum; nullus autem in peccato salvari potest, nec pœnitere de damno vel alieno, nisi recompenset.

R. 2° *D. min.* Leges civiles admittunt præscriptionem malæ fidei pro foro exteriori tantum, *C.* pro foro conscientiæ, *N.* Eatenus ergo leges civiles admittunt præscriptionem malæ fidei, quatenus rejiciunt in foro exteriori actionem contra possessorem triginta vel quadraginta annorum, nec cogunt ipsum ad allegationem tituli, nec curant an bona vel mala fide possideat, ne, ut dixi, prætextu malæ fidei, legitimi et bonæ fidei possessores vexentur, sicque turbetur tranquillitas publica continuis litibus; non autem quod conferant dominium in conscientia possidenti mala fide : imo si appareret mala fides, possessio nihil prodesset, et cogeretur possidens etiam in foro exteriori restituere. Ita l. *Si quis emptionis*, c. de Præscript. 30 vel 40 ann. lib. 7, tit. 39, ubi

sic dicitur : « Si bona fide ab initio eam rem » tenuit, simili possit uti præsidio (*scilicet* » *exceptionis* 30 *vel* 40 *ann.*); sin vero mala » fide eam adeptus est, indignus eo videa» tur. » Et Innoc. IV, in cap. *Quia plerique*, Extra. de Immunitate Ecclesiæ, dicit : « Nec obest quod diximus de præscriptione » 30 vel 40 ann. quia ibi jus non dat aliquod » dominium possidenti, sed tantum in » odium adversarii datur ei exceptio : sed » in eo cujus est exceptio odiosa.... dicimus » quod tenetur reddere. » Sic etiam resolvit Pontas ex Domat v. *Prescription*, cas. 8.

Inst. contra primam resp. Possessor malæ fidei legitime acquirit dominium rei possessæ post tempus a lege definitum : ergo præscriptio malæ fidei non est contra bonos mores. *Prob. ant.* Potestas civilis habet auctoritatem transferendi rerum dominia, ut dicemus infra : atqui reipsa confert possessori malæ fidei per præscriptionem quam approbat. Ergo.

R. N. ant. Ad prob. Posset distingui minor ad sensum secundæ resp. Sed insistendo primæ resp. et majoris explicationis gratia, *D. maj.* Potestas civilis habet auctoritatem transferendi rerum dominia, ubi id exigit bonum commune, *C.* ubi id non exigit bonum commune, *N.* — **Ibid. ad 1.** — Igitur omnia sunt quidem principum ad gubernandum, sed non ad retinendum sibi vel ad dandum aliis; et si quæ leges tales sunt, tyrannicæ sunt et non absolvunt a conscientia, sed a foro judiciali et violenta, nisi id exigat bonum commune. Non exigit autem bonum commune quod possessori malæ fidei transferatur in conscientia dominium rei possessæ, 1° quia, ut jura laudata loquuntur, eo beneficio indignus est; 2° quia hoc beneficio inescati homines, ut plurimum bonis fortunæ inhiantes, per fas et nefas occupare aliorum bona contenderent in perniciem reipublicæ; 3° sufficienter succurritur tranquillitati communi, denegando actionem in foro externo contra iniquum possessorem cujus mala fides probari non potest; sic enim legitimi possessores sunt securi ab injusta vexatione.

Dices 2° Possum præscribere contra eum quem scio habere jus servitutis in meo prædio, v. g. agendi suum currum per illud, pascendi gregem in illo, etc. atqui est ibi mala fides, cum adsit scientia juris alieni. Ergo.

R. N. min. Licet enim sciam illum habere jus servitutis in meo prædio, quale exponitur in instantia, nihil tamen ago illicitum, nec aliquid omitto quod debeam ponere; non enim teneor illum monere ut suo jure utatur : sum ergo in bona fide sino (quod mihi licet) illum jure suo non uti, et mihi libertatem reddi seu creari. Secus esset si aler haberet jus non quidem aliquid faciendi circa rem meam, sed ut ego aliquid non faciam, v. g. ut altius non ædificem, ut fenestras in hortum ipsius non aperiam, etc. tunc enim ut extinguerem illud jus, requireretur ut illud ignorans bona fide facerem contrarium, et ille per certum tempus non contradiceret.

Aliud est ergo, *nota bene*, obligatio aliquid omittendi vel faciendi; aliud obligatio aliquid tolerandi aut permittendi, si alter exigat : ad extinguendam priorem obligationem, requiritur ignorantia juris alterius, alioquin peccatur agendo contra illam, et consequenter subest mala fides : ad extinguendam vero posteriorem obligationem, sufficit sola negligentia aut cessatio exactoris, quantumvis conscius sim illius juris; quia, ut dixi, non teneor ipsum monere, sicque sine peccato proinde bona fide sino ipsum non uti jure suo.

Pari modo et ob eamdem rationem, præscriptio currit contra leges obligantes ad pœnam pecuniariam infligendam per judicis sententiam, v. g. ob non solutum vectigal, ob venationem loco aut tempore prohibito : secus tamen de debitis pecuniariis quæ non sunt in pœnam aut de actionibus ad illa. *Et ratio disparitatis est;* quod in his, etsi non interpellat creditor, monet tamen terminus solutionis elapsus : unde cum debitor non solvendo peccet, non est in bona fide, proindeque non potest in ejus favorem currere præscriptio, *ut patet etiam ex cap. fin. cit.* Ut igitur præscribatur tale debitum pecuniarium aut actio ad illud, requiritur quod debitor certo temporis spatio existimet se nihil debere, aut putet esse solutum vel condonatum. Sed in debitis quæ sunt in pœnam, ut si lex decernat centum libras solvendas ab eo qui fraudaverit vectigal, qui venatus fuerit in loco prohibito, etc. idem si bona mea fisco sint addicta ob crimen commissum; non teneor monere, aut offerre bona mea fisco, nisi exigantur : et sic ex hac parte sum in bona fide, currituque præscri-

gtio tacente exactore per certum tempus.

Dices 3° et specialiter contra modo dicta de debitis pecuniariis. In variis provinciis, per leges municipales, famuli, operarii, medici, chirurgi, pharmacopolæ, venditores rerum ad consumptionem, etc. qui intra certum tempus post præstitum servitium aut merces venditas non petunt mercedem pactam (in Belgio assignatur biennium edicto Caroli V, in consuetudine Parisiensi art. 125 assignatur annus tantum), excluduntur a jure petendi, nisi debitoris chirographum ostendant. Item Philippus II pro eodem Belgio sancivit ut non nisi tres anni censuum exigi possent, etsi plures deberentur. Ergo.

R. juxta communem doctorum intelligentiam, has leges non eximere in conscientia debitores ab obligatione solvendi, si revera non solverint; sed valere duntaxat pro fore externo, sic, ut in eo denegetur actio præfatis creditoribus. Et hoc merito; quia alioquin, cum minuta debita et eorum solutiones facile memoria excidant, debitores subjacerent periculo sæpius idem solvendi, et lites super iis perpetuæ suscitaretur.

§ V. — *Utrum bona fides, orta ex quavis ignorantia inculpata, sufficiat ad præscriptionem?*

Dico 1° Bona fides, orta ex ignorantia facti inculpata, sufficit ad præscriptionem, ut si accipias a religioso vel minorenne, putans bona fide non esse religiosum aut minorennem.

Est certa et communis, habeturque expresse l. *Juris*, ff. de Juris et facti ignorantia, *ut patebit modo*. Et ratio est; quia cum bona fides requisita ad præscriptionem oriatur semper ex aliquo errore, vix haberi posset præscriptio si error facti non sufficeret, maxime cum sit difficultas de errore juris, ut modo dicam.

Dico 2° Bona fides, fundata in ignorantia inculpata juris obscuri et vere dubii, sufficit ad præscriptionem. Sic Sylvester v. *Præscriptio* 1, q. 3, § 3 et alii communiter; cum jus est obcurum et dubium, non præsumitur in eo qui ignorat mala fides, qualem præsumunt jura, quando jus est clarum, ut modo dicam. Franciscus Henno fingit rem esse dividendam proportionate ad rationes utrinque militantes; sed quo fundamento non aperit, nec video, cum supponatur præscribens ignorare inculpate rationes contrarias; si enim sciret, jam non foret inculpate ignorans, sed dubius.

Dico 3° Ignorantia inculpata juris clari probabiliter non sufficit ad bonam fidem requisitam pro præscriptione. Est communior.

Prob. l. *Juris* cit. ubi dicitur: « Juris » ignorantia in usucapione negatur prodesse, » facti vero ignorantiam prodesse constat. » L. *Nunquam*, ff. de Usucap. « Nunquam in » usucapionibus juris error possessoribus » prodest. » Item l. *Pro emptore*, § Si a pupillo 15, ff. Pro emptore, lib. 41, tit. 3: « Si a pupillo emero sine tutoris auctoritate, » quem puberem esse putem, dicimus usu» capionem sequi... Quod si scias pupillum » esse, putes tamen pupillis licere res suas » sine tutoris auctoritate administrare, non » capies usu; quia juris error nulli pro» dest. »

Ex quibus conficitur hoc argumentum. Vis præscriptionis ex legum dispositione pendet: atqui leges non admittunt præscriptionem fundatam in ignorantia etiam inculpata juris præsertim clari, *ut patet*: ergo.

Confirmatur. Cum mala fide nullo tempore procedit præscriptio: atqui is qui per ignorantiam juris rem acquirit, habet malam fidem, ut jura loquuntur, l. *Quemadmodum*, c. de Agricolis et censitis: ergo.

Excipiunt tamen hujus sententiæ patroni eos in quibus juris error toleratur, ut sunt minorennes, rustici, mulieres, etc. quia jus in iis non præsumit malam fidem, si aliquam diligentiam adhibuerint.

Item plerique illorum existimant errorem juris clari, etsi non sufficiat ad præscribendam rem ipsam, sufficere saltem ad præscribendos fructus rei; quia, inquiunt, error circa fructus videtur esse error facti, putat enim possessor se illos percipere ex re sua.

Dico 4° Mihi probabilius est ignorantiam inculpatam juris clari, si detur, sufficere ad bonam fidem, nec officere præscriptioni saltem longissimi temporis scilicet triginta annorum, ad quam non requiritur titulus. Ita Joan. Medina, Covarr. ad reg. *Possessor* p. 2, § 7, concl. 2, et alii apud Lessium, qui tenet eamdem sententiam.

Prob. Covarruviæ et ejusdem Lessii rationibus. 1° Præscriptio triceraria non requirit titulum, sed tantum possessionem bo-

næ fidei tanto tempore continuatam : atqui qui errat in jure etiam claro, potest habere bonam fidem et possidere tempore præscripto : ergo. *Prob. min.* Quia, ut suppono, fecit quod commode potuit ut cognoscat jus, alias ejus ignorantia non foret inculpata, qualis supponitur : ergo habet bonam fidem. *Confirmatur.* Error circa jus obscurum non excludit bonam fidem, quia supponitur invincibilis ex hoc quod homo fecit quod in se erat ut cognosceret veritatem : ergo similiter, quando jus est quidem secundam se clarum, sed tamen quærenti ignotum, si fecit quod in se est ut assequatur veritatem.

Prob. 2° Ideo ignorantia juris clari impedit præscriptionem, quia qui illud ignorat præsumitur habere malam fidem, vel etiam revera habet secundum modum loquendi in jure : atqui secundum jus cicile, præscriptio tricenaria habet locum etiam cum mala fide, ut dictum est. *Statim repones*, jus civile quoad hoc esse emendatum per jus canonicum : equidem ; sed non est emendatum nisi quoad malam fidem quæ si cum peccato, *ut patet ex juribus laudatis :* non est autem peccatum in possessione, ubi error est invincibilis, proindeque jus civile quoad hoc non est emendatum.

Ad rationes in contrarium, R. 1° jure illa intelligenda esse de præscriptione quæ fit tempore ordinario decem vel viginti annorum ; non vero de præscriptione longissimi temporis triginta vel quadraginta annorum. Qui, ut observat hic Lessius, præscriptio tricenaria jure Pandectarum, unde præfatæ leges citantur, non est cognita, sed jure codicis introducta. Adde in jure sæpe dici quædam præscribi non posse, quia non præscribuntur tempore ordinario, licet præscribantur tempore extraordinario, ut sunt, v. g. legata, fidei-commissa, furto ablata, etc.

R. 2° illa jura procedere ex præsumptione malæ fidei ; jure enim præsumitur aliqua negligentia aut culpa, adeoque mala fides in eo qui jus clarum et evidens ignorat : et ideo in foro externo non prodest talis error, nisi probetur adhibitam fuisse omnem diligentiam ; attamen prodesse potest in foro interno, ubi cessat præsumptio et statur pro veritate.

Ad confirmationem, R. pariter talem vocari malam fidem ex præsumptione, aut saltem non esse malam fidem quæ sit cum peccato, quæ sola officit præscriptioni.

Et sane, cum jura universaliter et indifferenter loquantur de errore juris, non distinguendo inter jus clarum et obscurum, non video cur error juris clari potius officeret præscriptioni quam error juris obscuri, si utrinque sit inculpatus ; quod tamen ultimum satis communiter admittitur. Hoc unum fateor, rariorem et raro admittendum esse errorem inculpatum juris clari, quia regulariter mediocri diligentia depellitur.

§ IV. — *Utrum dubitans sitne res sua vel aliena, sit possessor bonæ fidei, possitque præscribere?*

Dico 1° Qui ante inchoatam possessionem dubitat sitne res sua an aliena, non est possessor bonæ fidei, nec posest præscribere. Ita communiter. Quia non est ratio cur ille potius rem possideat quam alter, proindeque sibi vindicans facit injuriam alteri, et se exponit periculo usurpandi alienum.

Dico 2° Qui post inttam bona fide possessionem dubitat sitne res sua an aliena, si facta diligenti inquisitione non deprehendat esse alienam, probabilius remanet possessor bonæ fidei, potestque præscriptionem continuare. Ita Sylvester, Navar. Covar. Sylvius, Pontas v. *Prescription*, cas. 8, et communius contra Soto et aliquos recentiores.

Plures probant hanc assertionem ex cap. cit. *Finali* de Præscript. ubi dicitur : « Unde oportet ut qui præscribit, in nulla » temporis parte habeat rei alienæ conscien» tiam. » Et ex cap. *Si virgo* 34, q. 1, ubi dicitur : « In jure prædiorum tandiu unus» quisque possessor bonæ fidei dicitur, » quandiu possidere se ignorat alienum : » atqui, inquiunt, dubius non est sibi conscius rem esse alienam, et ignorat se possidere alienum. Ergo.

Verum, inquiunt alii, datur conscientia non solum certa, sed et dubia et probabilis ; neque dici potest simpliciter ignorare se possidere alienum, qui dubitat aut probabiliter credit esse alienum. His itaque probationibus in sua probabilitate relictis, aliunde

Prob. 1° *conclusio.* Juxta reg. juris, *In dubio melior est conditio possidentis :* atqui hanc meliorem conditionem sic intelligunt omnia tribunalia tum civilia cum ecclesias-

tica, ut totum adjudicent possessori; isque est omnium hominum sensus, ut credant se tuta conscientia retinere quod sibi ratione possessionis adjudicatum est : ergo. 2° Cum homines ex una parte rerum avidi, non soleant suas apud alios relinquere, sed diligenter eas custodiant, et ex alia vir probus non soleat acquirere possessionem alicujus rei absque justo titulo : hinc quando in bonis fortunæ dubium independenter a possessione oritur utrinque æquale, ipsa possessio magnam infert præsumptionem possessorem esse dominum rei quam possidet.

Igitur quamvis possessor in nostro casu dubitet speculative sitne res sua an aliena, et an possit eam retinere; attamen ex duplici principio posito potest reflexe sibi formare judicium practice certum, sic; 1° Secundum jura possessio bona fide inchoata, est sufficiens ratio in dubio superveniente ad rem sibi retinendam : atqui possideo possessione cum bona fide inchoata : ergo. 2° In pari dubio probabilius est ex ipsa possessione possessorem in bonis fortunæ esse dominum rei quam possidet; sed licitum est sequi id quod est probabilius. Ergo.

Scio quosdam recentiores negare hoc effatum, *In dubio melior est conditio possidentis*, reperiri in jure canonico; sed errant. Etenim cap. *Ad aures*, Extra. de Præscriptionibus, lib. 2, tit. 26, Alexander III dicit Mauritano episcopo : « Tuæ fraternitati te» nore præsentium innotescat quod de jure » divino et humano melior est conditio pos» sidentis; quia quadragenalis præscriptio » omnem prorsus actionem excludit. » Item reg. juris 65 sic habet : *In pari causa melior est conditio possidentis :* quod idem est. Insuper, *dato* quod hæc regula in terminis non reperiretur in jure canonico, sufficeret quod illam sua praxi approbat Ecclesia, juxta illam formando sua judicia, lites dirimendo, de beneficiis disponendo, uti constanter facit.

Dixi in conclusione, *qui dubitat sitne res sua an aliena;* quia si dubitaret an possit eam retinere, amitteret bonam fidem, nec posset præscribere; ut habetur expresse l. *Si fur*, ff. de Usucapionibus. Et ratio est, quia tunc ageret cum conscientia dubia, ideoque illicite et cum mala fide.

Dices cum Perfectore Tournely. 1° Ad bonam fidem requiritur ut quis quiete et tranquille judicet rem esse suam : atqui in dubio fundato non potest hoc quietum et tranquillum judicium efformare, sed vacillans tantummodo : ergo. 2° Non licet se exponere periculo rem retinendi alienam; sed qui dubium grave et discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi. 3° Non satis explicatur cur non liceat possessionem inchoare cum dubio, eamdem vero liceat cum dubio continuare. Ergo.

R. hæc argumenta facile solvi ex principiis positis. Unde *ad primum*, *D. maj.* Ad bonam fidem requiritur ut quis quiete et tranquille judicet rem esse suam, judicio practico, *C.* judicio speculativo, *N.* Dubitans autem speculative in casu, reflexe ad principia posita, judicat certo practice rem esse suam, seu saltem posse eam retinere ut suam : tum quia jura permittunt possessionem bona fide inchoatam posse, non obstante dubio superveniente, continuari, *ut patet ex dictis.* Jure autem id posse nulli dubium esse debet; si enim possint quandoque transferre dominium, *a fortiori* possessionem, quæ est quid minus. Porro quod licite possidetur, bona fide possidetur.

Ad secundum, *pariter D. min.* Qui dubitat practice, exponit se periculo, etc. *C. min.* qui dubitat speculative tantum, et per judicium reflexum judicat certo contrarium, *N. min.*

Ad tertium, *N. ant.* Ei enim qui cum dubio inchoat possessionem, nulla ratio suffragatur, qua possit practice judicare id sibi licere, *ut patet.* Illi vero cui post inchoatam bona fide possessionem supervenit dubium, suffragatur præsumptio orta ex ipsa possessione seu ejus circumstantiis; suffragantur et jura permittentia talem possessionem continuari, ex quibus practice judicat se posse rem illam retinere. Nec sibi satis constare videtur laudatus theologus; siquidem infra de restit. in genere art. 5, sect. 3 sub finem, quærens utrum possessor dubiæ fidei, si facta inquisitione remaneat dubium, possit rem vendere, *respondet affirmative.*

Dices iterum cum Aurelio Piette. Qui dubitat an sit in statu peccati, non accedit cum bona fide ad sacramentum eucharistiæ : ergo similiter qui dubitat an res sit aliena, non eam bona fide possidet.

R. N. conseq. Disparitas est, quod in primo casu nihil occurrat quod dubitanti bonam fidem conferat, *ut patet :* in secundo

autem occurrit tum præsumptio ex ipsa possessione, tum facultas juris hanc possessionem ut licitam approbantis, ut sæpe dictum est.

Inst. cum eodem. Possunt occurrere motiva quæ elidant illam præsumptionem ex possessione. Ergo.

R. Vel illa motiva sic elidunt præsumptionem ex possessione, ut evidenter aut probabilius ostendant rem non esse possessoris, et tunc non remanet dubium, de quo solo est quæstio; vel sic elidunt præsumptionem ex possessione, ut hoc non obstante remaneat adhuc dubium, et tunc succurrit possessori facultas concessa a jure rem retinendi.

Repones cum eodem. Hæc facultas non colligitur certo ex laudato juris axiomate, quod *in pari causa vel dubio melior sit conditio possidentis.* 1° Quia, absque eo quod totum concedatur possessori, non teneatur statim se possessione spoliare, sed possit antea inquirere, et quod judex non possit contra ipsum sententiam ferre; hoc enim duplici modo est melior conditio ejus. 3° Quia Glossa in hanc regulam affert plura exempla ex diversis locis juris, quæ ostendunt illam ad aliud pertinere quam ad assecurandum eum qui rem dubius possidet. Ergo.

R. posthabitis rationibus allatis, et interpretatione Glossæ, laudatum axioma, ut dixi prius, in omnibus tribunalibus civilibus et ecclesiasticis nostro sensu intelligi, sic, ut totum sit adscribendum possessori; et ita ubique judicari; proinde temerarium videri hanc universalem tum reipublicæ tum Ecclesiæ praxim, et communem omnium cordatorum sensum, velle suggillare.

Replicabis cum eodem. Innoc. III, interrogatus utrum conjux dubitans de validitate matrimonii, possit petere et reddere debitum: respondet posse reddere, non petere, cap. *Inquisitioni*, Extra. de Sententia excomm. lib. 5, tit. 39. Ergo laudatum axioma non intelligebat pontifex uti nos intelligimus, alioquin non solum reddere, sed et petere debitum concessisset.

R. N. Conseq. Sic enim et nos intelligimus in casu posito matrimonii, sed inde non sequitur eodem modo esse intelligendum in bonis fortunæ; quia disparitas est 1° quod in casu posito possessio matrimonii non faciat præsumptionem pro illius validitate (puta quod prior conjux sit potius mortuus quam vivus, quod non sit impedimentum consanguinitatis aut alius), sicut possessio in bonis fortunæ facit præsumptionem pro jure possidentis. 2° Quia validitas matrimonii alias invalidi non subjacet dispositioni legum humanarum, sicut subjacet translatio aut conservatio possessionis in bonis fortunæ.

§ VII. — *Tempus legitimum.*

Nota 1°, respective ad præscriptionem multiplex tempus distingui in jure, breve, longum, longissimum, et immemoriale. Breve, est trium annorum. Longum, est decem aut viginti ann. Longissimum, triginta vel quadraginta ann. Immemoriale, cujus non extat memoria apud seniores.

Nota 2° res quæ præscribi possunt, alias esse mobiles, alias immobiles. Mobiles dicuntur, quæ loco moveri possunt, ut sunt animalia, vestes, currus, naves, instrumenta, pecuniæ, etc. ad quas reducuntur debita mobilium et actiones ad illa. Immobiles sunt, quæ loco moveri non possunt, ut domus, prædium, etc. ad quas reducuntur jura est actiones ad immobilia; item beneficia, census, jus patronatus, usufructus et servitutes; hæc enim fixa manent et instar immobilium fructum afferunt.

Dico. 1° Res mobiles sive privatorum sive Ecclesiæ (nisi forte excipias ecclesiam Romanam), cum titulo præscribuntur spatio trium annorum tam inter absentes quam inter præsentes.

Quantum ad res privatorum, habetur Instit. *de Usucap.* § 1 etc. *de Usucap. transformanda*, l. unica.

Quantum ad res Ecclesiæ, habetur Authent. *Quas actiones*, c. de Sacrosanctis Ecclesiis, his verbis: « Quas actiones alias decennalis, alias » vicennalis, alias tricen» nalis præscriptio excludit. Hæ, si religio» so loco competant, quadraginta annis ex» cluduntur: usucapione triennii vel qua» driennii præscriptione in suo robore du» rantibus; sola Romana ecclesia gaudente » centum annorum spatio vel privilegio. » Propter quæ ultima verba excepi sub dubio ecclesiam Romanam. Quidam enim hæc verba referunt ad solam præscriptionem decennalem, vicennalem, tricennalem, quæ est de immobilibus: alii referunt ad totum contextum, proindeque ad usucapionem triennii, vel quadriennii, quæ est de mobilibus; et his favet jus canonicum causa 16, q. 3,

cap. ultimo, utrecipiens præfatam Authenticam non distinguit inter res mobiles vel immobiles, nec restringit ad solas immobiles, sed generaliter et indistincte dicit *res ecclesiæ Romanæ*. Hæc sunt verba: « Veterandæ Romanæ leges divinitus per ora » piorum principum promulgatæ, rerum » ejus (*scilicet ecclesiæ Romanæ*) præscriptionem nonnisi per centum annos admittunt. » Vide si lubet Lessium hic dub. 7, pro et contra disserentem.

Excipiuntur etiam res furtivæ, quæ in cujuscumque manus perveniant, præscribi non possunt nisi spatio triginta annorum, Instit. *de Usucap.* § Furtivæ. « Unde, *ut* » *advertit ibid. Justinianus*, in rebus mobilibus non facile procedit ut bonæ fidei » possessoribus usucapio competat (*intelli*» *ge tempore ordinario*); nam qui sciens » alienam rem vendiderit, vel ex alia causa » tradiderit, furtum ejus committit. »

Dixi, *tam inter absentes quam inter præsentes;* quia licet Henno requirat quatuor annos inter absentes, jura tamen laudata nullam faciunt distinctionem inter præsentes et absentes quoad mobilia, neque hanc distinctionem lego in aliis auctoribus.

Dico 2° Absque titulo res mobiles sive privatorum sive Ecclesiæ (excepta ut supra Romana), non præscribuntur nisi triginta annis.

Quantum ad mobilia privatorum, colligitur ex l. *Sicut* 3, c. de Præscript. 30 vel 40 ann. lib. 7, tit. 39, ubi decernuntur triginta anni ad præscriptionem immobilium absque titulo; et cum nihil aliud sit jure sancitum pro mobilibus absque titulo, colligunt auctores idem de utrisque esse censendum.

Quantum ad mobilia ecclesiarum, *ratio est;* quia cum ecclesiæ (excepta forte Romana ut ante), non habeant privilegium pro mobilibus, eodem modo loquendum est de illis ac de mobilibus privatorum.

Dico 3° Res immobiles privatorum cum titulo præscribuntur decem annis inter præsentes, viginti annis inter absentes. Ita Instit. *de Usucap.* § 1 et l. *Cum longi*, c. de Præscript. longi temporis. Absque titulo autem sive inter præsentes sive inter absentes, requiruntur triginta anni, l. *Sicut in rem*, et l. *Si quis*, c. de Præscript. 30 vel 40 ann.

Præsentes censentur jure Rom. qui habitant in eodem territorio, v. g. Leodiensi, etiamsi res alibi sint sitæ. Absentes e contra, qui habitant in diversis territoriis. In Gallia præsentes dicuntur qui sunt sub unius ballivi vel senescalli jurisdictione. Sed quia is contra quem præscribitur respective ad præscribentem potest esse partim præsens, partim absens; notant communiter auctores, duos annos absentiæ computandos esse pro uno anno præsentiæ; ita ut qui possedit quinquennio inter præsentes, si rei dominus absit in posterum, præscribens debeat iterum possidere decennio, antequam præscriptionem perficiat.

Dico 4° Ad præscribenda immobilia contra ecclesiam Romanam, sive cum titulo, sive sine titulo, sive inter præsentes, sive inter absentes, requiruntur centum anni, l. cit. *Quas actiones;* contra alias ecclesias, monasteria, hospitalia, causas pias, quadraginta anni, ibidem; contra monasteria ordinis S. Benedicti et aliorum ordinum qui hujusmodi privilegiis communicant, sexaginta anni, ex privilegio Eugenii IV.

Hæ sunt regulæ communes, a quibus tamen fiunt plures exceptiones. Præcipuas pono. Excipitur 1° pupillus contra quem, quandiu est in ætate pupillari, nulla procedit præscriptio sive mobilium sive immobilium, l. *Sicut in rem*, c. de Præscript. 30 ann. Si vero sit minor, requiruntur triginta anni, l. *Ultima*, c. In quibus causis.

2° Qui pacifice absque simoniaco ingressu possidet triennio beneficium, præscribit contra actionem cujusvis impetitoris, reg. 33 Cancellariæ.

3° Actio injuriarum exspirat lapsu unius anni, l. *Si non convicii*, c. de Injuriis. Actio ad accusandum adulterium ad pœnam sive criminalem sive civilem, præscribitur lapsu quinquennii, l. *Adult.* c. Ad legem Juliam de adulter. Non tamen extinguitur ad petendum divortium, cap. *Admonere* 33, q. 2. Actio de aliis criminibus accusandis ad pœnam, extinguitur lapsu viginti annorum, l. *Querela*, c. de Falsis. Non tamen extinguitur in judice jus quo possit ex officio procedere contra infamatum. Actio ad reclamandum contra professionem religiosam, exspirat quinquennio, ex conc. Trid. sess. 25 de Regular. cap. 19.

4° Si res hypothecata possideatur a debitore vel ab ejus hærede, actio hypothecaria creditoris non extinguitur nisi quadraginta annis. Si vero ab alio quam a debi-

tore aut ejus hærede possideatur, ut si vendita fuit illi qui ignorabat hypothecam, extinguitur decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, l. *Cum notissimi*, c. de Præscript. 30 ann. et l. 1 et 2, c. *Si adversus creditorem*.

5° Actio fisci contra bona fisco addicta, ob non solutum vectigal aut similem causam, extinguitur quinquennio, l. 2, c. *de Vectigalibus et commissis*. Si ob crimen aliud, non extinguitur actio fisci, quandiu reus puniri potest. Quod si bona jam fisco sint tradita, non extinguitur ejus actio nisi quadraginta annis, l. *Omnes*, c. de Præscript. 30 vel 40 annorum.

6° Contra civitates, et *a fortiori* contra provincias et regna, non præscribitur nisi quadraginta annis, quoad bona quæ ipsis obveniunt per hæreditatem, legatum, fideicommissum, donationem et emptionem, l. *Ut inter divinum*, c. de Sacrosanctis Ecclesiis. Idem cense de iis regum et principum bonis quæ sunt coronæ annexa, ut sunt urbes, castra, prædia, silvæ, vivaria, etc. quia hæc sunt bona regni seu provinciæ. Quæ autem rex seu princeps possidet ut privatus, præscribuntur ut bona privatorum.

7° Servitutes præscribuntur tempore ordinario ut immobilia, excepta servitute quæ dicitur discontinua, quia non semper et continuo exercetur, ut servitus agendi currum per agrum alterius; hæc enim non præscribitur absque titulo, nisi tempore immemoriali. Ita colligunt auctores ex l. *Servitutes* 4, ff. de Servitutibus.

8° Immunitas a solvendis decimis cum titulo præscribitur quadraginta annis, sine titulo tempore immemoriali. Quamvis enim decimæ debeantur jure naturali, quia tamen interdum aliqui ex privilegio eximuntur, potest hæc exemptio præscribi.

9° Quando jus commune aut præsumptio malæ fidei obstat præscribenti, res ab eo præscribi non potest nisi quadraginta annis cum titulo, et sine titulo tempore immemoriali, cap. 1 *de Præscript.* in 6; quia possessio immemorialis habet vim tituli, quatenus facit justi tituli præsumptionem et excludit præsumptionem malæ fidei.

De dormitione et interruptione præscriptionis.

Tandem plus solito temporis requiritur quando dormit aut interrumpitur præscriptio. Tunc dormire dicitur, quando jam inchoata cessat; sic tamen ut, finita causa propter quam dormiebat, iterum reviviscat, et posteriores anni computentur cum prioribus, non computatis iis quibus dormivit. Et hoc accidit 1° tempore belli aut pestis, quando jus non dicitur; 2° quando is contra quem præscribitur, agere non potest, ut pupillus, filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum, uxor vivente marito, captivus, absens propter publica negotia, ut legatus. 3° Quando Ecclesia caret rectore aut habet impotentem, dormit præscriptio contra Ecclesiam.

Dicitur autem interrumpi præscriptio, quando sic cessat ut, si rursus reviviscat, posteriores anni non continuentur cum prioribus, sed debet de novo inchoari. Et id accidit 1° naturaliter, ut cum aliquid incipit deesse quod necessario requiritur ad præscriptionem, ut bona fides, vel possessio, etiam vi ablata, si ejectus per vim non postulat intra annum restitui, l. 3, c. *Unde vi;* 2° civiliter, quando nempe per actum juridicum interpellatur, ut per litis contestationem. Si tamen actor sponte litem deserat, non interrumpitur præscriptio, quia tunc censetur agnoscere injustitiam contestationis. Quidam etiam arbitrantur litis contestatione non interrumpi præscriptionem triennalem; conveniunt tamen quod si præscribens condemnetur, debeat restituere.

§ VIII. — *An et quanto tempore consuetudo præscribat contra legem?*

1. 2. q. 97. a. 3. — *Dico* 1° Consuetudo non potest derogare legi naturali aut divinæ, utpote in quam nihil potest humana potestas : potest tamen derogare legi humanæ, si sit rationabilis et legitime præscripta. Ita can. *Cum tanto* 11, Extra. de Consuetudine lib. 1, tit. 4, his verbis : « Cum tanto sint » graviora peccata quanto diutius infelicem » animam detinent alligatam, nemo sanæ » mentis intelligit, naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quamcumque consuetudine, quæ dicenda est » verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ » consuetudinis non sit vilis auctoritas, non » tamen est usque valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi » fuerit rationabilis et legitime præscripta. »

Dico 2° Consuetudo legi contraria, quam

legislator scit in particulari et tolerat, tollit vim legis post duas vel tres ejus infractiones, absque determinato tempore et independenter a præscriptione. Ita Sylvester, v. *Consuetudo* n. 6, et alii passim. *Ratio est;* quia dum legislator scit suam legem non servari et tolerat, etiamsi id fiat metu difficultatum, censetur consentire ut non servetur, ne respublica perturbetur, sicque implicite suæ legi detrahit.

Quæ autem opponi possent ex jure de longo tempore requisito ad hoc ut consuetudo deroget legi, intelligenda sunt de consuetudine quam princeps in particulari ignorat, et quæ ideo indiget præscriptione. Unde

Dico 3° Consuetudo legi contraria quam legislator ignorat in particulari, non præscribit contra legem civilem nisi decem annis.

Ratio est, quia quando princeps ignorat consuetudinem in particulari, non censetur ita huic consentire, sicut illi quam novit et tolerat; sed illi in tantum consentit, in quantum consentit in genere decreto juris quo statuitur consuetudinem legitime præscriptam derogare legi : ad hoc autem requiritur certum temporis spatium, quod auctores determinant ad decennium contra legem civilem, ex l. 1, 2, 3, c. *Quæ sit longa consuetudo*, ubi dicitur, *longam consuetudinem habere vim legis*. Decennium autem in jure dicitur longum tempus.

Idem esse dicendum de consuetudine adversus legem ecclesiasticam nondum receptam moribus utentium, censent Navarr. Felinus, Dominic. Covarr. Asor. quos citat et sequitur Lessius. At contra receptam quadraginta annos requirit communior sententia Sylvestri et aliorum; quia secundum jura, contra Ecclesiam non præscribitur nisi quadraginta annis : attamen etiam sufficere decem annos probabile reputat idem Lessius; quia obligatio subditorum ad legem non dicitur proprie et in rigore bonum ecclesiasticum.

Utrum vero requiratur bona fides in subditis ad hoc ut consuetudo præscribat contra legem, affirmat Sylvester, Lessius, etc. negat Sporer cum quibusdam aliis; quia, inquit, alias vix unquam ulla lex præscriberetur. Ego tamen arbitror requiri bonam fidem, ex illa reg. generali, quod *Possessor malæ fidei nullo tempore præscribat*, a qua non datur exceptio in jure canonico. Ad rationem Sporer, *R.* quod, quando major par legem recusat, præsumitur prudens legislator non velle cogere suos subditos ad ejus observantiam, ne injiciat illis laqueum in eo ipso quod ad eorum bonum ordinatum volebat; idque dum persuasum habent subditi, bonæ fidei dici possunt : et ex tunc tantum, meo saltem judicio, currere incipit præscriptio.

Hic notandum pro conscientia, quod, quando lex aliqua passim non observatur, præsertim a viris probis, quamvis id nesciat in particulari legislator, nec affluxerit tempus requisitum a lege pro ejus præscriptione, et ideo possit legislator et qui ejus vices gerunt hujus legis nondum præscriptæ, absque nova promulgatione, observantiam urgere in foro contentioso, atque in eodem secundum hanc legem judicare : attamen in foro conscientiæ desinit obligare, ex mente præsumpta legislatoris, qui, ut diximus, non intendit injicere laqueum animabus. At de hoc forte latius dum de Legibus.

§ IX. — *An et quanto tempore præscribat, qui rem bona fide accepit a possessore malæ fidei?*

Dico 1° Hæres immediatus possessoris malæ fidei non potest ullo tempore præscribere. Ita Sylvester et communiter. *Patet* ex § *Diutina* Instit. de Usucap. ubi dicitur : « Si ille *(defunctus)* initium justum non habuit, hæredi et bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest. » Idem l. *Ultima*, c. Communia. Ratio est; quia hæres immediatus ex fictione juris censetur una eademque persona cum defuncto, et eorum possessio una eademque continuata possessio; sicque ex ista fictione hæres immediatus censetur mala fide possidere, sicut ipse defunctus.

Dico 2° Hæres mediatus, item qui a possessore malæ fidei immediate quidem accepit, sed alio titulo quam hæreditatis, puta legato, emptione, donatione inter vivos, etiamsi res mobilis sit furtiva et immobilis vi possessa, potest præscribere.

Ratio est; quia jura duas fictiones ex eadem causa non admittunt, et ideo fictio illa juris de mala fide hæredis immediati non transit ad secundum hæredem, nec censetur eadem cum defuncto persona. Quod *a fortiori* est dicendum de legatario, emptore, donatario, etc., qui defuncti personam nullatenus repræsentant, et quibus ideo non

nocet vitium auctoris, ut jura expresse statuunt : l. *An vitium*, ff. D. diversis temporalibus præscript.

Dico 3° Res bona fide acceptæ a possessore malæ fidei, quatenus præscribi possunt, regulariter præscribuntur tempore ordinario. Ita communiter ex l. cit. *An vitium*.

Dixi, *regulariter ;* quia excipitur 1° si res sit immobilis, et is contra quem præscribitur ignoret eam ab alio possideri ; 2° si res sit furtiva aut vi possessa : in utroque enim casu requiruntur triginta anni. Quoad primum casum, *patet* ex Authentica *Malæ fidei*, c. De longi temporis præscriptione. Quoad secundum, *patet* ex §*Furtivæ*, Instit. de Usucap.

Dices. Instit. *de Usucap.* § Quod autem lib. 2, tit. 6, dicitur de rebus furtivis et vi possessis, quod non solum fur non possit usucapere, *Sed nec ullus alius, quamvis ab eo bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat.* Ergo.

R. hæc jure intelligenda esse de præscriptione temporis ordinarii, non de præscriptione temporis extraordinarii. Ita jus posterius codicis *De diversis temporalibus præscript.* l. An vitium, ubi dicitur, *Vitium auctoris non obesse emptori vel legatario.* Item expresse l. *Super* 1, c. de Annali exceptione, § Ad hæc lib. 7, tit. 40 et alibi. Nec mirum, plura enim dicuntur in jure non posse præscribi, quia non præscribuntur tempore ordinario, licet præscribantur tempore extraordinario.

§ X. — *Quæ non possint præscribi?*

1° Ea non possunt præscribi quæ non possunt possideri, ut jure ecclesiastica a laico, et alia de quibus supra § 2 ; require ibi.

2° Contra jus naturale aut divinum non procedit præscriptio ; quia in ea nihil valet potestas humana, a quo pendet præscriptio.

Hinc infertur, subditum, quandiu manet subditus, non posse præscribere immunitatem ab obedientia et correctione superioris, item nec ab appellatione ad ipsum, item nec a solutione eorum quæ ipsi debentur in recognitionem supremæ illius potestatis ; quia hæc sunt juris naturæ et intrinseca auctoritati superiorum respectu subditorum. Secus de immunitate a solvendis certis tributis et collectis, quæ non in recognitionem supremi dominii imponuntur, sed pro expensis alicujus belli aut aliqua simili necessitate. Similiter postest prescribi libertas qua quis desinit esse subditus : quamvis enim sit de jure naturæ quod subditus, quandiu est subditus, obediat suo principi, non est tamen de jure naturæ quod sit illi subditus ; et ita multi populi præscripserunt libertatem contra dominium imperii Romani. Excipe S. pontificem, cui omnes christiani jure divino subduntur. Item licet sit de jure naturæ quod populus alat ministros Ecclesiæ, qui tamen interdum aliqui ex privilegio aut concessione eximuntur a decimis solvendis, potest hæc exemptio prescribi quadraginta annis cum titulo, et sine titulo tempore immemoriali.

3° Præscribi non possunt quæ sunt usibus publicis deputata, ut viæ publicæ, plateæ, pontes, etc., l. *Usucapionem*, ff. de Usucap. 4. Non potest præscribi homo liber ut fiat servus, l. *Ultima*, cap. De longi temporis præscript. 5. Limites certi provinciarum, episcopatuum et parœciarum non possunt præscribi ; secus si sint incerti, ex cap. *Dilectio* 16, q. 3.

Notat hic Perfactor Tournely, jure Gallico nulla temporis possessione præscribi servitutes prædiales sine titulo, jura publici furni et molæ, et res fiscales, seu quæ semel sunt incorporata fisco ; secus si nondum sint incorporata.

Notandum insuper quod plura jure Romano dicantur non posse præscribi, quia non præscribuntur tempore ordinario, licet possint præscribi extraordinario triginta annorum et supra : sic sunt res furtivæ, ut jam notavi ; item res fisci, fidei-commissa, legata, fundus dotalis, majoratus, bona adventia, etc., l. *Sicut*, c. De annali except. lib. 7, tit. 4 ; l. *Sicut in rem ;* l. *Omnes* c. de Præscript. 30 vel 40 ann. 7, 39.

§ XI. — *Utrum præscriptio valeat in foro conscientiæ?*

Valere in foro externo, sic, ut in illo non cogatur qui præscripsit reddere rem domino comparenti, neque huic detur actio adversus eum qui præscripsit, indubitatum est. Sed an in conscientia et coram Deo non teneatur præscribens reddere rem domino priori, si compareat, quæstio est.

In hujus resolutione dubius hæsit S. Raymundus lib. 2 *Summæ*, tit. 5, § 15 sub finem, ubi prolatis juribus pro et contra, dicit omnes fere theologos stare pro invalidi-

tate, et addit : « Consulerem ei (præscri- » benti) ut restitueret saltem propter am- » biguum duplicitatis, et quia vix poterunt » concurrere omnia quæ exiguntur ad præ- » scriptionem : si nollet acquiescere, non » audeo sibi dare securitatem quod sit in » statu salvandorum per jura pro prima » parte adducta, non audeo etiam præcise » definire eum teneri vel esse propter hoc » in statu damnandorum, præsertim cum » sic videatur servare per universum orbem » quocumque se diffundit Ecclesia. » Hæc ille.

Alii existimant valere duntaxat qnando intercessit negligentia dominii. Ita Adrianus VI. Alii tandem volunt valere non solum in casu negligentiæ domini, sed etiam quando res comparata est titulo oneroso ; secus si titulo gratuito. Ita Alanus de insulis, quem novissime secutus est Franciscus Farvacques, Augustinianus Lovaniensis.

Verum nunc communi omnium ferme theologorum et juristarum consensu, constantique juris tum civilis cum canonici praxi, sententia opposita prævaluit. Unde.

Dico. Omnis præscriptio legitime facta valet in foro conscientiæ, sic, ut qui legitime præscripsit, si post præscriptionem completam deprehendat rem fuisse alienam, possit retinere ut suam, nec teneatur in conscientia reddere priori domino comparenti, sive hujus negligentia intercesserit sive non, sive res fuerit comparata titulo gratuito sive oneroso.

Prob. 1° Omnis præscriptio legitima transfert in conscientia præscribenti dominium rei præscriptæ, sive intercesserit negligentia prioris domini sive non, sive res fuerit comparata titulo oneroso sive gratuito. Ergo.

Prob. ant. Præscriptio indistincte et indefinite definitur in jure : *Acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore lege definitio*, Authent. *Quas actiones*, c. de Sacrosanctis ecclesiis lib. 1, tit. 2 ; Instit. lib. 2, tit. 6 & *Usucap. init.* l. 1, ff. de Usucap. et alibi. Quam juris civilis dispositionem non solum non reprobat, sed positive approbat jus canonicum, tum sua praxi, tum suis sanctionibus, cap. *Sanctorum.* Extra de Præscript. lib. 2, tit. 26 ; cap. *de Quarta* ibid. cap. *Ad aures* ibid. cap. *Quoniam* finali, ibid. et alibi. Hanc vero dispositionem jus canonicum non solum non probasset, sed positive reprobasset, si salva conscientia non posset servari, sicut ob hanc causam improbavit præscriptionem malæ fidei ; ergo omnis præscriptio legitima transfert dominium in conscientia, sive adsit negligentia domini sive non, sive sit comparata titulo oneroso sive gratuito.

Consequentia patet. 1° Quia propositio indefinita in materia dogmatica æquivalet universali, ut loquuntur dialectici. 2° Quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. *De pretio* 8, ff. De publica in rem actione. 3° Quia universalis consuetudo, quæ est optima legum interpres, sic intelligit. 4° Tandem, quia motiva ob quæ introducta est præscriptio, et de quibus modo, communia sunt et militant pro omni præscriptione, independenter a negligentia domini et titulo acquisitionis. Ergo.

Prob. 2° Negari non potest quin princeps aut respublica possit, si velit, ob commune bonum transferre dominia privatorum ab uno ad alium, independenter a negligentia dominii : atqui id voluit, ita exigente bono communi. Ergo. *Maj. patet ;* tum quia finis potestatis civilis est bonum commune, cui cedere debent bona privatorum ; tum quia qua potestate in prima divisione assignavit particularibus distincta rerum dominia, eadem nunc potest auferre si id exigat bonum publicum. Unde illud S. Aug. Tract. 6 in Joan. n. 25 et 26 : « Unde quisque possidet » quod possidet ? nonne jure humano ?... » Jure imperatorum ? quare ? quia ipsa jura » humana per imperatores et reges sæculi » Deus distribuit generi humano... ! Tolle » jura imperatorum, et quis audet dicere, » Mea villa, aut Meus est ille servus, aut Do- » mus hæc, mea est ? Quid mihi et regi ? » Quid tibi ergo et possessioni ? per jura re- » gum possidentur possessiones. »

Prob. min. et quidem quod voluerit, *patet* ex juribus citatis et pluribus aliis. Quod voluerit justis de causis in bonum commune, ostenditur istarum causarum expositione. Prima est : *Ne diu et fere semper quarumdam rerum dominia incerta essent*, l. 1, ff. *de Usurpat. et usucap.* lib. 41, tit. 3 ; *Et ut aliquis litium finis esset*, l. *Ultima*, ff. Pro suo lib. eod. tit. 10 ; ac denique, *Ne possessores probe immortali timore teneantur*, l. *Cum notissimi*, c. de Præscript. 30 vel 40 ann. lib. 7, tit. 39. Secunda causa est, ut acuatur negligentia dominorum res suas prosequi prætermittentium, l. *Ut perfectius.*

c. De annali except. et cap. Vigilanti. Extra *de Præscript.*

Ubi vides, primam præcipuam causam esse independentem a negligentia dominorum, et quod procedat in foro conscientiæ; si enim in eo non valeret præscriptio, remanerent semper incerta dominia, et eo magis quo diutius possiderentur, cum diuturnitate temporis veri tituli facilius amittantur et falsi fabricentur. Non erit finis litium et rixarum saltem privatarum in familiis, dum unus clam aut vi rem suam rapere, alter defendere contendet, et possessores immortali timore ac perpetuis conscientiæ scrupulis tenebuntur. Ergo.

Confirmatur. c. *Sanctorum* cit. Extra. de Præscript. dicitur, *Sanctorum Patrum sanctiones statuisse* ut bona præscripta *quiete et sincere perpetuo teneantur* : atqui si præscriptio non valeret in foro conscientiæ, sed remaneret obligatio restituendi, possessores non *quieti perpetuo*, sed anxii semper remanebunt. Ergo.

Neque dicas hunc canonem esse intelligendum de tranquillitate exteriori, non interiori; finis enim proprius canonum et sanctionum Patrum est vitare peccatum coram Deo, et conscientiarum tranquillitati invigilare : quam ob causam in præsenti materia improbavit præscriptionem malæ fidei, quam videbantur admittere leges civiles.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° S. Th. Quod. 12, a. 25, non assignat aliam causam institutæ præscriptionis quam negligentiam dominorum : ergo ea seclusa non valet præscriptio in foro conscientiæ.

R. N. conseq. S. Thomas enim assignando unam causam non negavit alias. Ita Sylvius. Et sane, ut præcedentibus probationibus id adjiciam, cum non posset sæpe certo sciri an fuerit negligentia domini et quanta (debet enim esse gravis, ut tam gravi pœna plectatur), si soli negligentiæ domini niteretur præscriptio, res foret plena periculis et inutilis ad praxim.

Obj. 2° Juxta reg. Juris 48, *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Et juxta reg. 23, *Sine sua culpa nemo re sua privandus est.* Unde S. Aug. cit. a Gratiano causa 33, q. 5, cap. 4 : *Si tamquam tenuisset ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum.* Ergo.

R. ad primum, præscribentem non locupletari cum alterius injuria; quia qui utitur jure sibi per leges concesso, nemini facit injuriam. Quod si locupletetur cum alterius jactura, hoc non facit auctoritate privata, quod prohibetur per laud. reg. sed auctoritate legum civilium et ecclesiasticarum, ob bonum commune id statuentium. *Ad secundum*, dico legem non referri integre; sic enim habet : *Sine sua culpa, nisi subsit causa, non est aliquis re sua privandus.*

Ad tertium, dico S. Aug. non loqui loco cit. de dominio bonorum exteriorum, sed de mutua potestate quam conjuges habent in corpore; quæ potestas semper perseverat, nisi uterque consenserit. Et ideo subdit ibid. S. doctor : « Sed post quantumlibet tempus » me consuluisses, nihil aliud tibi respondere rem, nisi quod ait Apostolus : *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.* »

Obj. 3° Bona fides est fundamentum præscriptionnis : atqui dum constat etiam post præscriptionem rem fuisse alienam, cessat bona fides. Ergo.

R. N. min. Præscribens enim potest vere judicare rem quæ fuit prius aliena, esse modo suam beneficio legis; sicque permanet in bona fide. Quod si forte id sibi non possit persuadere, tenebitur quidem restituere, sed hoc per accidens ratione conscientiæ erroneæ.

Obj. 4° Finis præscriptionis est pax et tranquillitas publica : atqui hæc sufficienter obtinebitur denegando in foro externo actionem priori domino rem repetenti. Ergo.

R. 1° *D. maj.* Finis præscriptionis ut statutæ per leges civiles, est pax et tranquillitas publica, *C. maj.* ut statutæ per leges canonicas, *N.* ut sic enim habet pro fine vitationem peccati et conscientiæ tranquillitatem.

R. 2° *N. min.* Per id enim non sufficienter obviabitur litibus et rixis privatis, probatum est.

Inst. Post quinquennium præscribitur contra religiosum qui prætendit eo non esse valide professum : atqui hæc præscriptio valet tantum pro foro externo, ut scilicet in eo non audiatur; non autem in foro interno, cum non ideo fit vere religiosus, si aliunde non sit : ergo similiter in aliis præscriptionibus.

R. N. conseq. Disparitas est, quod esse

religiosum non subjaceat legibus humanis, sicut subjacent bona exteriora, sed omnino pendeat ' consensu profitentis. Unde non est hic proprie præscriptio, sed duntaxat exclusio a jure reclamandi in foro exteriori; vel si vis, est præscriptio juris reclamandi.

Obj. 5° Si judex secundum allegata et probata adjudicasset bona uti litigantium, quæ ipse litigans certo sciret esse aliena, non posset illa retinere in conscientia : ergo similiter si præscribens certo sciat rem fuisse alienam.

R. N. conseq. Disparitas est 1°, quod judex ferendo sententiam non transferat dominium ab uno ad alterum, sed tantum declarat ad quem secundum allegata et probata pertineat; secus præscriptio. 2° Disparitas est, quod sententia judicis nitatur in falsa præsumptione, quæ cedere debet veritati : secus leges præscriptionis; non enim adjudicant rem præscribenti præcise quia præsumunt esse illius, sed ne diu maneant incerta dominia, litium seges excrescat, et aliis de causis assignatis, sive interim sit præscribentis, sive alterius.

Inst. Post ultimum sententiam, a qua non datur appellatio, sequuntur eadem incommoda, nisi transferatur dominium, nimirum incertitudo dominiorum et privatæ lites : atqui tamen leges non transferunt ideo dominium, ut dicitur in responsione præcedenti : ergo nec in præscriptione.

R. N. conseq. Quia in arbitrariis non valet argumentum a pari. Id placuit legislatoribus pro præscriptione, ut constat ex dictis, non placuit pro suprema sententia. Et ideo forte quia sufficit præscriptio, cujus nempe beneficio etiam frui potest qui vicit in lite.

Obj. 6° Nihil cogit intelligere dominium de quo loquuntur leges præscriptionis, de dominio absoluto et perpetuo, sed potest et debet intellegi de dominio quoad tempus, sic, ut præscribens sit rei dominus et ejus fructus faciat suos, donec resciat esse alienam; sic enim cessabunt incommoda, scilicet incertitudo dominiorum et lites. Ergo.

R. N. ant. 1° Quia jura absolute et non ad tempus concedunt dominium præscribenti, *quod patet* tum ex locis cit. et maxime ex cap. *Sanctorum*, ubi conceditur quod res præscripta *quieta perpetuo* teneatur; tum ex eo quod nonnisi raro et in certis casibus indulgeant privilegium restitutionis in integrum, de quo modo. 2° Quia falsum est quod assumitur in probationem antecedentis, nempe hoc modo cessatura incommoda. Hoc ipso enim quod dominium non sit absolutum, poterit adhuc ab aliis repeti, prolatis titulis dubiis aut falsis, aliis veris diuturnitate temporis obliteratis vel amissis; sicque vacillabunt semper dominia, nec finientur lites.

Deinde *dato* hac via potuisse occurri inconvenientibus : non quærimus hic quid potuerint leges, sed quid reipsa fecerint. Nec debemus præsumere quod semper fecerint id quod nobis melius videtur; satis est quod fecerint id quod bonum est, et quod attentis circumstantiis visum est melius legislatoribus. Sed

Petes 1° utrum qui rem præscripsit, non teneatur saltem reddere fructus currente præscriptione perceptos, si postea resciat rem fuisse alienam?

R. meo judicio teneri, quia currente præscriptione nondum erat dominus rei, sed tantum possessor bonæ fidei, cum non fiat dominus nisi post elapsum tempus a lege statutum. Intellige tamen de fructibus adhuc exstantibus, aut de eo in quo per ipsos factus est ditior; quia est possessor bonæ fidei.

Petes 2° utrum non detur aliquod remedium priori domino adversus præscriptionem?

R. dari, nempe restitutionem in integrum. Est autem restitutio in integrum, facultas a jure concessa priori domino, qua possit auctoritate judicis restitui in dominium et possessionem rei amissæ.

Hoc privilegium conceditur 1° minoribus ætate, l. *Unica*, c. Si adversus usucapionem. 2° Ecclesiis et locis piis, quæ in jure habeutur instar minorum, cap. 1 et 2 *de Restit. in integrum* in 6, et communiter doctores in Authent. *Quas actiones*, c. de sacrosanctis Ecclesiis. Quo beneficio præfati tam minores quam loca pia potiuntur totc quadriennio a die quo, re intellecta, integrum ipsis fuit repetere restitutionem, etiam si sciverint præscriptionem contra ipsos currere, et ei potuerint resistere. 3° Iis qui reipublicæ causa absunt, aut in vinculis detinentur, aut alio legitimo impedimento non potuerint rem suam currente præscriptione defendere, et hoc etiam quadriennii spatio a cessatione impedimenti, l. 1, ff.

Ex quibus causis, l. *Ultima*, c. De temporibus in integ. restit. et alibi. 4° Aliis ætate majoribus, si probent invincibiliter ignorasse currentem præscriptionem, etiam conceditur : saltem in præscriptione decem aut viginti ann. (de præscriptione enim longissimi temporis dubium est), l. 1 cit. ff. *Ex quibus causis.* Et hoc similiter quadriennio a notitia præscriptionis completæ.

In Gallia, juxta perfectorem Tournely, potest aliquis restitui in integrum intra decem annos : et solus rex beneficium restitutionis in integrum concedit per litteras cancellariæ.

Hucusque et plusquam satis ad institutum nostrum de præscriptione, maxime secundum jus Romanum. Si leges municipales aliter statuant, consulendæ sunt et observandæ. Plura si, lubet, videri possunt apud nostrum Sylvestrum, v. *Præscriptio*, et alios sive canonistas sive juristas, sed quæ potius spectant forum externum quam internum.

DIGRESSIO HISTORICA

AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM.

Cui ecclesia Romana accepta refert sua dominia.

Quasdam possessiones privatas, quædam prædia et latifundia ecclesiam Romanam accepisse a Constantino Magno negari non potest : *patebit ex sequentibus.* Quantum vero ad supremum dominium sive in urbem Romam, sive in alias civitates et provincias, dissentiunt auctores. Quidam eidem Constantino acceptum referunt, alii christianissimis regimus Pippino, Carolo Magno eorumque successoribus usque ad Carolum Calvum. Quæ utrique proferunt in suæ sententiæ defensionem, refere mus.

Pro prima sentintia profertur 1° edictum Constantini Magni, quod legitur tomo 1 Conciliorum, in quo religiosissimus imperator donat B. Sylvestro papæ ejusque successoribus palatium suum Romæ, ipsam urbem Romam et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, loca, civitates, eaque juri ac ditioni S. Romanæ ecclesiæ perpetuo subjicit.

Profertur 2° testimonium Anastasii Bibliothecarii, in Vtia S. Sylvestri, qui scribit Constantinum insulam Sardiniæ donodedisse ecclesiæ SS. MM. Marcellini et Petri, quam erexerat in suburbio urbis Romæ.

Profertur 3° quoddam privilegium Dagoberti Francorum regis, in quo dicit rex Constantinum dedisse S. Petro *arcem Romani imperii cum omni integritate.*

Profertur 4° epistola Adriani papæ ad Carolum Magnum, data an. 775, in qua scribit, per eum esse restitua quæ ecclesiæ Romanæ ab imperatoribus, patriciis et aliis concessa erant in partibus Tusciæ. Spoleto seu Benevento, atque Corsica simul et Sabiniensi.

Pro secunda sententia profertur 1° quod a temporibus Constantini Magni usque ab Pippinum et Carolum Magnum, nulla fuerit auctoritas temporalis Romanorum pontificum in urbem Romam et Italiam. Quod probant 1°, quia Constantius imperator, filius Constantini Magni, vocat Liberium *suæ civitatis episcopum*, ex Theodoreto l. 2 Hist. cap. 16. 2° Idem Constantius ipsum summum pontificem Liberium exulem fecit Bœrœam Thraciæ, quod nollet subscribere condemnationi S. Athanasii, ex ipso Theodoreto ibid. et ex Athanasio in Epist. ad Solitarios. 3° Prætextatus Romæ præfectus urbe expulit auctoritate Valentiniani imperatoris Ursicinum antipapam, et pontificatum Damaso successori Liberii adjudicavit, et Rufino l. 2 Hist. cap 10, et Baronio ad annum 368. 4 Similiter Honorius imperator jus dixit inter Bonifacium electum pontificem et Eulalium pontificatum ambientem, et Bonifacii electionem sacra sanctione firmavit: apud Baronium ad ann. 419. 5° Leo Augustus an. 465, misit Anthemium, *ut Romanis imperaret:* apud Evagrium l. 2 Hist. cap. 16. 6° Anno 475, Odoacer rex Herulorum Romam et universam Italiam invasit, pulso in exilium Augusto ultimo Romanorum imperatore. Hunc Odoacrum post quatuordecim annos pluries devictum regno et vita privavit Theodoricus Gothorum rex : hunc vero supremam in urbem Romam et totam Italiam potestatem habuisse constat, ex eo quod absque ejus auctoritate non congregarentur synodi, quodque confirmaret electiones pontificum, *ut patet* ex actis synodi IV Palmaris dictæ. Constat etiam ex ejus Epistolis apud Cassiodorum, quop senatui, populo et præfecto urbis imperaret, judices Romæ designaret, ingressum in urbem egressumque concederet, etc.

Theodorico successit Athalaricus, Athalarico Theodatus : huic bellum indixit Justinianus imperator, multisque reportatis victoriis Romam recuperavit an. 537.

Sub imperatoribus autem Græcis ad Pippinum usque, nullam etiam fuisse Romæ et in Italia temporalem pontificum auctoritatem, probant ex eo quod ii imperatores, mutata regiminis forma, creaverint exarchum Ravennæ qui præsset toti Italiæ, et in primariis civilatibus, ut Romæ, Beneventi, etc., duces qui exarcho parerent, exarchum vero soli imperatori. In eo rerum statu imperatores confirmandorum pontificum auctoritatem usurpabant, quam interdum etiam exarchis concedebant, in schismatibus cui vellent pontificatum decernebant, pontifices sibi invisos exilio mulctabant, ipsis ut subditis jussiones sacras faciebant, etc., ex Anastasio Biblioth. in Agathone, Canone, etc., ex Liberato in Breviario, et ex Joanne diacono, in Vita S. Greg. lib. 1, cap. 40. Ad hujus probationis cumulum, profertur Epistola Gregorii II, qui obiit anno 731, ad Ursum Venetiarum ducem, in qua pontifex diserte testatur urbem Romam subditam esse imperatoribus, ducemque rogat ut cum exarcho qui capta Ravenna a Longobardis Venetias fugerat, adlaboret ut « Ravenna civitas, *inquit*, quæ est » caput omnium, ad statum pristinum » sanctæ reipublicæ in imperiali servitio » dominorum Leonis et Constantini filio- » rum nostrorum magnorum imperatorum » revocetur, ut zelo et amore fidei nostræ in » statu reipublicæ et imperiali servitio fir- » mi persistere, Domino cooperante, valea- » mus. »

2° Proferunt *in probationem secundæ sententiæ* donationes regum christianissimorum Pippini et Caroli Magni.

Cum Aistulphus Longobardorum rex Ravennam et plures alias exarchatus urbes, fugato Eutychio ultimo exarcho, invasisset, et Romanis arcibus excidium minaretur, Stephanus II, frustra implorato imperatorum Græcorum auxilio, confugit ad Pippinum Francorum regem ; advenit Pontiniacum 6 januarii 754, et 14 aprilis ejusdem anni Pippinus in conventu Carisiuco. *Quiercy*, Stephano præsenti promisit expeditionem in Italiam adversus Longobardorum regem, et ex tunc ipsi donavit urbes et provincias quas tyrannus usurpaverat, ex Anast. Biblioth. in Vita Adriani, et D. Fleury, lib. 53, n. 12.

Illata igitur in Italiam expeditione, Francorum rex Papiam obsidet, et Aistulpho redacto atque pacem petente, ea conditione obsidionem solvit, ut restitueret Romanæ ecclesiæ non solum ejus patrimonia quæ invaserat, sed etiam exarchatum Ravennæ et adjunctas provincias. At, Pippino reduce in Gallias, Aistulphus fidem fregit nihilque restituit ; quin e contra, comparato exercitu, Romam properavit atque obsedit. Rursum Stephanus ad Pippinum datis epistolis recurrit : Pippinus alteram expeditionem infert in Italiam, Papiam, quo Aistulphus, audito Pippini adventu, confugerat, iterum obsidet. Interim imperatoris Copronymi legati ad Pippinum, accedunt, ipsumque rogant ut Ravennæ exarchatum aliasque provincias quas a Longobardis jure belli erat erepturus, restitueret imperio et non Sedi apostolicæ. Respondet Pippinus, se bellum adeo arduum non suscepisse nisi in honorem B. Petri, atque e vestigio donationem scriptam exarchatus Romam transmittit : interim Aistulphum premit et ad petendam veniam fracti fœderis, atque ad restitutionem civitatum de quibus in primo fœdere pepigerant, cogit. « De quibus om- » nibus civitatibus receptis, inquit Anast. » Biblioth. donationem in scriptis, a B. Pe- » tro, atque a S. Romana ecclesia vel om- » nibus in perpetuum pontificibus aposto- » licæ Sedis, misit possidendam, quæ et » usque hactenus in archivio sanctæ nostræ » ecclesiæ recondita tenetur. » Civitates regis nomine recepit Fulraldus, S. Dionysii abbas, obsidesque a singulis civitatibus datos una cum clavibus et supra scripta donatione sanctæ Sedi, Pippini nomine, obtulit. Hæc anno 745 complectebatur Pippini donatio tres provincias, Picenum, Flaminiam et Æmiliam, et in eis viginti præcipuas civitates, inter quas Ravenna, Ancona, Bononia et Ferraria eminebant ; post has Imola, Faventia, Ariminum, Bisaurum, Urbinum, etc., Æmilia auutem continebat ducatus Parmensem, Placentinum et Mutinense.

Ravennæ etiamnum legitur, quiunt Papyrius Massonus, lib. 2 Annal. et Baronius ad annum 758, vetus inscriptio his verbis exarata : *Pippinus. Pius. Primus. Amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit, et exarchatum Ravennæ cum amplissimis*, etc. Reli-

qua inscriptionis verba delevit injuria temporum.

Anno 773, Carolus Magnus, Pippini filius, Adriani papæ precibus motus, trajecto in Italiam exercitu, Desiderium Longobardorum regem, ecclesiam Romanam inique vexantem compescuit, quem captum cum filio ejus Adalgiso reduxit victor in Galliam, Longobardorum rex appellatus, prius Romanæ ecclesiæ non solum restitutis provinciis quas illi concesserat Pippinus et quas Longobardi eripuerant, sed etiam adjectis territorio Sabinensi, ducatu Spoletino et Beneventano aliisque plurimis: ex Anast. Biblioth. in Vita Adriani.

Anno 807, Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Paschali pontifice maximo, confirmavit donationem factam ecclesiæ Romanæ a decessoribus suis, adjecta integra Sardinia: ex Leone Ostiensi, in Chronico, et ex Cassinate lib. 1, c. 18. Similiter Carolus Calvus, Ludovici Pii filius, prædecessorum suorum beneficia in ecclesiam Romanam confirmavit: ex Epist. 9 Joan. VIII ad Landulphum, Capuanum episcopum.

Ad primum fundamentum primæ sententiæ respondent patroni secundæ, edictum Constantini esse suppositium; idque probare contendunt 1° quia, ut mox ostensum est, a tempore Constantini usque ad Pippinum, summi pontifices nullam sive Romæ sive in aliqua alia Italiæ civitate vel provincia jurisdictionem temporalem habuerunt; 2° quia antiquiores auctores de illo edicto siluerunt, cum ipsorum intererat illud appellare. Sic de illo siluit Adrianus I, in Capitulis Angilramo episcopo Matensi datis, in quibus privilegia et jura Romanæ ecclesiæ stabilit. Siluit Anastasius Biblioth, in Vita S. Sylvestri, cum tamen omnia Constantini Magni in Ecclesiam beneficia minutatim recenseat. Siluit Nicolaus I, in Epistola ad Michaelem Græcorum imperatorem, in qua recenset imperatores qui de Romana ecclesia bene meriti sunt. Siluit Luitprandus Othonis primi legatus ad Nicephorum Phocam Græcorum imperatorem, cum ipsi exponeret beneficia Constantini in ecclesiam Romanam. Siluit Burchardus Wormatiensis, in sua Canonum collectione. Siluit tandem Gregorius VII, qui omnes conatus adhibuit et omnia antiquitatis monumenta lustravit, ut temporalem SS. pontificum auctoritatem defenderet. 3° Eo edicto statuitur ut ecclesia Romana habeat principatum super Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam et Constantinopolitanam: et tamen tunc Byzantium nondum erat auctum in Constantinopolim, nec imperatoris nomine insignitum; id enim contigit tantum anno 330: edictum autem scribitur datum sub quarto consulatu Constantini, qui fuit 315. Item in eo memoratur baptisma Constantini, quod longe post dictum annum accidit, fatentibus adversariis. Item dicitur Constantinus quarto consul cum Gallicano, et tamen constat fuisse quarto consulem cum Licinio. 4° Illud edictum donat Sylvestro *urbem Romam et totius Italiæ seu occidentalium regionum provincias*. Porro constat Romanos pontifices nunquam fuisse totius Occidentis dominos; et quod Italiam spectat, præter ea quæ jam diximus, hanc Constantinus paterno testamento tribuit filio suo Constanti in partitione imperii quam fecit inter filios, teste Victore in *Constantino*, Socrate lib. 2, Zonara tom: 2 Annal. hanc autem filio non dedisset, si jam in ditionem SS. pontificis tradidisset. 5° Hoc edicto statuitur quod ecclesiæ Romanæ clerici fiant patricii et consules; quod Romanæ ecclesiæ clerus ornetur sicut militia imperialis; quod clericorum equi manipulis et linteaminibus candidissimi coloris ornentur, et ita equitent: quæ omnia videntur absurda. Plures alias rationes suppositionis hujus edicti referunt auctores qui illud explodunt, quales sunt Æneas Sylvius, Hieronymus Paulus, camerarius Alexandri VI, S. Antoninus, cardinalis Cusanus, cardinalis Baronius, Glossa Decreti, Spondanus, Morinus, de Marca, Laurentius Valla, Moreri, Natalis Alexander.

Nec refert quod hujus edicti circa medium sæculi noni meminerit Hincmarus Rhemensis, et hic primus, post ipsum Leo IX, Petrus Damiani, Anselmus Lucensis, Ivo Carnutensis et Gratianus; efficacius enim ejus suppositionem probant tum antiquiorum silentium, tum rationes quas protulimus.

Ad secundum, respondent Anastasium Biblioth. loco citato, per *insulam Sardiniæ*, non intelligere illam celebrem maris Mediterranei insulam, cum verisimile non sit regionem tam late patentem referre duntaxat census annui 1024 libellas, ut narrat laudatus auctor, tot scilicet quot cuivis civi sua villa suppeditaret. Neque item verisimile

sit Constantinum tantam provinciam dedisse uni privatæ ecclesiæ in suburbio Romæ, cum aliis præcipuis urbis ecclesiis prædia tantum et latifundia tribuceret. Nomine itaque insulæ, hic non significatur terra continens in medio mari vel flumine, sed domus a cæteris avulsa, viis undequaque cinctæ, sicut insula maritima undequaque pelago cingitur; domibus enim hujusmodi apud Romanos esse metaphorice translatum insulæ nomen probant ex Suetonio in vita Tiberii c. 48, et in vita Neronis. c. 16; ex Spartiano, ex Sexto Rufo, ex Victore et aliis. Ex quibus concludunt, *insulam Sardiniæ*, de qua loquitur Anastasius, fuisse domum quæ complectebatur hortos quosdam, agellos aut vineas muris septas, et viis undequaque cingebatur, hancque domum cui nomen erat *Sardinia*, et quæ Romano more *insula* vocabatur, Constantinum dedisse in dotem ecclesiæ sanctorum Marcellini et Petri, quam in suburbio Romanæ civitatis extrui curaverat.

Ad tertium, quidam respondent per *arcem Romani imperii*, non significari urbem Romam, sed palatium Lateranense in quo Constantinus magnificam erexit ecclesiam quæ ejus nomine *basilica Constantiniana* nuncupata est, et quæ semper fuit sedes Romani patriarchatus. Alii respondent, hoc Dagoberti privilegium esse supposititium.

Ad quartum, respondent verbum *restituendi*, quo interdum utuntur pontifices cum de regum Christianissimorum munificentia erga Sedem apostolicam loquuntur, referri non ad urbes aut provincias, sed ad patrimonia quæ Ecclesiæ eripuerant Longobardi. *Patet* ex altera ejusdem Adriani epistola ad Constantinum et Irenem quæ refertur act. 2 synodi VII, in qua distinguit arces, urbes et provincias a prædiis et latifundiis seu patrimonio Ecclesiæ; illasque datas dicit a Carolo Magno, hæc vero restituta. Vel etiam provinciæ potuerunt dici restitutæ, non supponendo donationem factam a Constantino, quippe quæ nulla fuit, sed supponendo primam donationem factam a Pippino, quam secundum pacta non adimpleverant reges Longobardi, aut adimpletam rursum violaverant. Nec refert quod in priori Epistola Adrianus dicat, Constantinum dedisse ecclesiæ Romanæ *potestatem in his Hesperiæ partibus;* quia intelligitur potestas non dominationis in urbes et provincias, sed proprietatis in prædia et latifundia.

Instant insuper adversarii hujus secundæ sententiæ. Juxta Anastasium Biblioth. in Vita Zachariæ, Luitprandus, Longobardorum rex, ann. 742, ante tempora Pippini et Caroli Magni, ipsi Zachariæ papæ restituit quatuor civitates ducatus Romani. Ergo.

R. has civitates fuisse restitutas Zachariæ, non pro ipso aut pro sede Romana, sed pro imperatoribus Græcis, inter quos et Longobardos mediator erat et sequester Zacharias.

Urgent. Male parta donari non possunt, sed restitui debent legitimis dominis: atqui imperatores Græci erant legitimi domini provinciarum Italiæ quas usurpaverant Longobardi: ergo eas Pippinus et Carolus Magnus donare non potuerunt ecclesiæ Romanæ.

Respondent has provincias, quamvis primitus pertinuerint ad imperatores Græcorum, tamen factas esse Pippini et Caroli Magni proprias jure belli; quia dominium alicujus rei amittit, inquiunt, qui illam invasoribus permittit et deserit, eamque sibi ereptam recuperare negligit: unde cum imperatores Græci Italiæ urbes ac provincias a Longobardis occupatas et inique vexatas recuperare neglexerint, atque instantibus ac urgentibus Romanis pontificibus suppetias adversus tyrannos ferre recusaverint, ab earum provinciarum dominio exciderunt, quod Pippinus et Carolus Magnus debellatis Longobardis, et provinciis quæ sub eorum tyrannide gemebant occupatis, jure victoriæ legitime consecuti sunt; adeoque non res alienas sed suas ecclesiæ Romanæ donarunt.

DISSERTATIO V.

DE JUSTITIA.

D. Thom. Quæst. 58.

Inter varias justitiæ acceptiones, dupliciter potissimum accipitur: primo generaliter, pro sanctitate christiana seu pro collectione omnium virtutum; justum enim dicitur, quod est suæ regulæ adæquatum, et justitia, quæ hanc adæquationem efficit: omnium autem virtutum collectio reddit voluntatem adæquatam suæ regulæ, nempe legi divinæ, proindeque recte dicitur jus-

titia, et quælibet virtus pars justitiæ. De justitia hoc sensu accepta intelligitur illud Christi, Matth. 5 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam;* item illud : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum*, etc. Secundo justitia specialiter sumitur pro virtute particulari quæ est secunda inter cardinales, qua quis inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est. Et de justitia sic sumpta agitur in præsenti.

ARTICULUS I.

De definitione, objecto et subjecto justitiæ.

Q. 58. a. 1. o. — *Dico* 1°. Justitia convenienter definitur in jure ex Ulpiano : *Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens.*

Ibid. ad 1. — *Explicatur.* Dicitur *voluntas :* hæc particula non nominat potentiam volendi, sed actum; non est autem insolitum apud auctores quod habitus definiantur per actus. — **Ibid. o.** — sic S. Aug. Tract. 79 in Joan. dicit : *Fides est credere quod non vides.* Insuper ponitur hæc particula ad ostendendum quod actus justitiæ debet esse voluntarius.

Ibid. ad 3 et 4. — Dicitur *perpetua*, non ex parte actus qui perpetuo duret, sic enim solius Dei voluntas est perpetua, sed ex parte objecti, quatenus justus vult reddere perpetuo et in omnibus cuique jus suum. Non enim ad rationem justitiæ sufficit quod aliquis velit servare justitiam ad horam et in aliquo tantum negotio; quia vix invenitur aliquis qui velit in omnibus et semper injuste agere; sed requiritur quod homo habeat voluntatem conservandi justitiam perpetuo et in omnibus.

Ibid. ad 4. — Dicitur *constans :* et hæc particula se tenet ex parte voluntatis, indicans firmitatem ejus propositi, quasi diceretur firma et constans voluntas conservandi justitiam perpetuo et in omnibus : unde non coincidit hæc particula cum *perpetua :* in his autem omnibus particulis convenit justitia cum cæteris virtutibus.

Ibid. o. — Dicitur, *jus suum cuique tribuens :* quibus particulis differt justitia a cæteris virtutibus; in his enim importatur ejus proprius actus per comparationem ad suum objectum, quod est jus alteri debitum. Sicque habes hanc definitionem esse bonam, utpote quæ constat genere et differentia, nisi quod actus ponatur pro habitu : si autem quis vellet eam ad debitam formam definitionis reducere, posset sic dicere : Justitia est *virtus inclinans constanter voluntatem ad perpetuo reddendum unicuique jus suum.* Adverte autem quod sub hoc actu positivo, quod est *jus suum cuique tribuere*, etiam intelligatur negativus, quod est nemini nocere : sicut enim qui reddit alteri debitum quod non habet, ita qui ei relinquit quod habet, censetur illi jus suum tribuere

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 2° De ratione justitiæ proprie dictæ est, quod sit ad alterum suppositum.

Ibid. — *Prima pars sequitur ex præcedenti conclusione, et iterum probatur.* Nomen justitiæ æqualitatem importat; ea enim justari dicuntur quæ sunt æqualia : atqui nihil est æquale sibi, sed alteri. Ergo.

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Ad justitiam pertinet actus humanos rectificare : ergo æqualitas quam requirit est diversorum agere potentium. *Subsumo.* Atqui actiones sunt suppositorum et totorum proprie loquendo, non partium, aut formarum, aut potentiarum, non enim proprie dicitur quod manus percutiat, sed homo per manum; neque quod calor calefaciat, sed ignis per calorem : ergo justitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum. Id tamen intellige inter puros homines, in quibus scilicet non reperitur diversitas naturarum sub uno et eodem supposito, sicut reperitur in Christo, qui ideo ut homo, sibi ipsi ut Deo, secundum justitiam satisfecit; de quo in tractatu de Incarnatione.

Ibid. — Dixi in conclusione, *de ratione justitiæ proprie dictæ;* quia nihil vetat quominus justitia metaphorice dicta, reperiatur inter partes ejusdem supposití : cum enim in uno et eodem homine per similitudinem accipiuntur diversa actionum principia, quasi diversa agentia, v. g. ratio imperans, et irascibilis aut concupiscibilis obediens, oculi dirigentes pedes, pedes portantes oculos, sic etiam metaphorice inter partes ejusdem hominis dicitur esse justitia.

Ib. a. 9. et 10. o. — *Dico* 3° Objectum materiale remotum justitiæ sunt res exteriores quæ commutantur aut distribuuntur. Materiale proximum sunt actiones quibus

hæ res commutantur aut distribuuntur. *Patebit ex infra dicendis* circa materiam justitiæ.

Hic. q. 57. a. 1. o. — Objectum formale quod est jus acceptum pro justo, seu æquali alteri debito ; quia id principaliter intendit et facit justitia, *ut patet ex ejus definitione*, et per hoc ab aliis virtutibus distinguitur : unde dicitur justus qui hanc æqualitatem facit aut servat, injustus qui non servat.

Confirmatur. Illud est objectum formale quod alicujus virtutis, quod est medium inter excessum et defectum in materia illius : atqui justum est medium inter excessum et defectum in materia justitiæ. Ergo.

Objectum formale quo, est ratio debiti seu jus in altero, sumptum pro legitima facultate possidendi, alienandi, etc. Ratio enim cur æquale alteri reddam, est, quia ipsi debeo : debeo autem quia ille alter habet jus illud ; debitum enim et jus sunt correlativa.

Hic q. 58. a. 4. o. — *Dico* 4° Subjectum justitiæ est appetitus rationalis seu voluntas.

Ibid. — *Prob.* Justitia non subjectatur in intellectu, neque in appetitu sensitivo : ergo in rationali. *Probatur prima pars ant.* Virtus subjectatur in illa potentia ad cujus actum rectificandum primario et principaliter ordinatur : atqui justitia non ordinatur primario et principaliter ad dirigendum aliquem actum cognositivum ; non enim dicimur justi ex hoc quod recte aliquid ignoscamus, sed ex hoc quod aliquid recte agimus : ergo. *Probatur secunda pars ant.* Dicimur justi in hoc quod aliquid recte agimus, et proximum principium actus est vis appetitiva : ergo necesse est quod justitia sit in aliqua vi appetitiva : atqui non sensitiva : ergo rationali. *Probatur subsumptum.* Appetitus sequitur apprehensionem : atqui apprehensio sensitiva non considerat proportionem unius ad alterum, quod spectat ad justitiam ; hoc enim est proprium rationis. Ergo.

Petes utrum inter virtutes cardinales proprium sit justitiæ et virtutum ipsi annexarum subjectari in voluntate?

Negant Scotistæ, voluntque fortitudinem, temperantiam et alias virtutes ipsi annexas etiam subjectari in voluntate ; quia, inquiunt, virtus est habitus electivus, et ipsius est facere rectam electionem : debet ergo subjectari in ea potentia cujus est eligere ; hæc autem est voluntas. Nihilominus.

1. 2. q. 56. a. 4. et 6. — *R. affirmative.* Quia non ponitur virtus ubi non est difficultas vincenda : rectificatis autem passionibus per fortitudinem et temperantiam cæterasque virtutes eis annexas, voluntas per se et sine difficultate eligit, seu fertur in opus harum virtutum ; quia cujusque rei appetitus est per se propensus in bonum proprium, nec indiget habitu ad id ipsum inclinante ; recte vero agere secundum virtutem fortitudinis et temperantiæ, bonum est hominis proprium, in quod proinde ejus voluntas per se nullo opitulante habitu fertur et propendet, tota difficultate, si quæ sit, se tenente ex parte appetitus sensitivi, sæpe irretiti passionibus ad quas moderandas ponuntur præfatæ virtutes fortitudinis et temperantiæ. De justitia vero diversa est ratio ; quia cum ejus objectum sit bonum alienum, voluntas non est per se in illud propensa sicut in bonum proprium, sed habitu indiget ad hoc eam inclinante, et est justitia.

Si dicas actum justitiæ, seu reddere unicuique quod suum est, esse etiam bonum operantis ; virtus enim est bonum virtuosi : *R.* quod licet justitia sit formaliter bonum operantis, objectum tamen ejus est bonum alienum, et in hoc est difficultas vincenda per habitum justitiæ.

Ad rationem Scotistarum. R. virtutem dici habitum electivum non elicitive, sed dispositive, quatenus rectificando passiones in appetitu sensitivo, disponit voluntatem ad rectam electionem. De hac materia proprius locus dicendi est in 1 2, q. 56.

Ib. a. 3. o. — *Dico* 5° Justitia est virtus moralis. *Probatur.* Virtus moralis est quæ reddit bonum habentem, et ejus opus bonum facit : atqui justitia est hujusmodi. ergo. *Probatur min.* Bonum hominis est operari secundum rationem : atqui nihil est magis rationi consentaneum quam cuique suum reddere. Ergo.

ARTICULUS II.

De divisione justitiæ.

Hic q. 58. a. 5. o. — *Dico* 1° Justitia, ut sic dividitur in generalem, quæ alio nomine dicitur legalis, et particularem.

Ibid. — *Probatur.* Justitia ut sic est virtus ordinans hominem per comparationem

ad alium, ut dictum est : atqui hæc comparatio potest fieri dupliciter : uno modo, ut ad singularem seu privatam personam; alio modo, ut ad quoddam totum bonumque commune. Sicut enim in corpore naturali unaquæque pars habet duas habitudines, unam ad aliam partem, alteram ad totum corpus; ita in corpore politico unusquisque civis habet duas habitudines, unam ad alium civem tanquam ad privatum hominem, alteram ad rempublicam seu totam communitatem : ergo datur duplex justitia, una quæ ordinat civem ad civem, et est justitia particularis; altera quæ ordinat cives ad bonum generale seu commune, ut partes ad totum, et est justitia generalis.

Ibid. — Porro hæc dicitur generalis, partim ex objecto et fine, quia bonum commune est omnium generale; partim ex effectu et proprio munere, quia omnes virtutes et earum actus ordinat ad bonum commune : sic ex imperio justitiæ generalis, vir fortis strenue pugnat in bello ob bonum commune, vir temperatus abstinet ab alieno thoro ob ejusdem boni communis conservationem. Et quia iste ordo partium ad bonum commune fit per leges; leges enim instituuntur in bonum commune; ideo hæc justitia vocatur etiam legalis.

Sunt autem qui putant hanc justitiam generalem non esse specialem virtutem, sed rationem quamdam omni virtuti communem; ita quod quatenus fortitudo, v. g. movet militem ad strenue pugnandum propter honestatem propriam fortitudinis, sortiatur nomen fortitudinis; quatenus vero movet ad sic dimicandum propter bonum commune, dicatur justitia generalis : similiter de temperantia, justitia particulari et aliis virtutibus. Contra quos.

Ibid. a. 6. o. — *Dico* 2° Justitia generalis est specialis virtus, a cæteris virtutibus realiter distincta.

Ibid. — *Probatur* 1° Generale dicitur aliquid dupliciter, uno modo per prædicationem, sicut animal est generale ad hominem et equum, et ad alia ejusmodi; et hoc modo generale oportet quod sit idem essentialiter cum his ad quæ est generale, quia genus pertinet ad essentiam speciei et cadit in definitione ejus : alio modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut causa universalis est generalis ad omnes suos effectus, ut sol ad omnia corpora quæ illuminantur vel immutantur per virtutem ipsius; et hoc modo generale non oportet quod sit idem in essentia cum his ad quæ est generale, quia non est eadem essentia causæ et effectus : atqui hoc secundo modo prædicta justitia legalis dicitur generalis, ut dictum est, in quantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem, bonum nempe commune, quod est movere per imperium omnes alias virtutes. Ergo.

Ibid. — *Confirmatur a simili.* Charitas est virtus specialis, distincta realiter a fide, spe et cæteris virtutibus, ea tamen per imperium movet et ordinat omnes alias virtutes ad Deum ut ad finem supernaturalem : dum enim quis temperate utitur cibo propter naturalem honestatem, opus illud est a virtute temperantiæ; si id agat propter Deum, est charitatis imperantis : ergo similiter justitia generalis est virtus specialis, ab aliis distincta, quamvis omnes alias virtutes in suum finem, nempe bonum commune, referat.

Prob. 2° Ibi est admittenda virtus specialis, ubi est specialis ratio boni et difficilis : atqui objectum justitiæ generalis est bonum speciale, scilicet bonum commune ut debitum toti a parte, et specialem habet difficultatem; multi enim possunt bene uti rebus suis in proprium usum, non tamen in usum communem; et ideo sæpe videmus, communibus neglectis, optime privata curari : unde fert commune adagium, aliud esse bonum virum, aliud bonum civem : ergo.

Dices 1° Juxta philosophum 5 Ethic. cap. 1, justitia legalis complectitur omnes virtutes, nec est pars virtutis, sed tota et integra virtus. Ergo.

Ibid. — *R.* sensum philosophi esse, quod quæcunque virtus prout a justitia legali imperatur, possit denominari justitia legalis, eo sensu quo quælibet virtus prout a charitate imperatur, potest dici quodammodo charitas, et charitatis præceptum tota lex. Item, eo sensu quo rex dicitur totum regnum, et supremus in quolibet senatu, a cujus ore et consilio cæteri pendent, dicitur totus senatus.

Dices 2° Quælibet virtus de se inclinat in bonum commune : ergo non est adstruenda ad id virtus specialis. *Probatur ant.* Quælibet virtus de se inclinat ad recte agendum secundum omnes circumstantias, quarum

præcipua est bonus finis, qualis est conservatio boni communis : unde fortitudo, v. g. inclinat ad strenue pugnandum non solum pro defensione propriæ virtutis, sed etiam pro salute patriæ et boni communis ; et sic de cæteris. Ergo.

Ibid. ad 4. — *R. N. ant. Ad prob.* D. *ant.* Quælibet virtus inclinat ad recte agendum secundum omnes circumstantias quarum præcipua est bonus finis, proprius nempe hujus virtutis, seu qui illi competit ex propria specie et intrinseca ejus ratione, *C. ant.* finis qui illi competit ex motione superioris virtutis, *N.* Quælibet enim virtus secundum propriam rationem ordinat actum suum ad finem sibi proprium ; quod autem ordinetur ad ulteriorem finem, non habet ex propria ratione, sed ex motione alicujus superioris virtutis. Porro bonum commune non est finis proprius cujuslibet virtutis, sed virtutis superioris quæ dicitur justitia legalis : sic fortitudo, qua talis, non respicit directe bonum commune, sed ut subest imperio dictæ justitiæ legalis.

Repones. Quælibet virtus respicit bonum proprium, sed ex bono proprio sequitur bonum commune : ergo quælibet virtus respicit bonum commune.

R. D. consequens. Ergo quælibet virtus respicit bonum commune secundario et mediate, *C.* primario et immediate, *N. Solutio patet.*

Dices 3° Ad consulendum bono communi, sufficiunt pietas et obedientia : ergo superfluit altera virtus. *Prob. ant.* Per pietatem præstamus patriæ quod illi debemus ; per obedientiam legibus obtemperamus, et omnes virtutum actus legibus præcepto exercemus. Ergo.

R. N. ant. Ad prob. D. ant. Per pietatem præstamus patriæ quod illi debemus, ut est nortri ortus principium, et per obedientiam exercemus omnes actus virtutum ut nobis præceptos, *C.* hæc præstamus præcise propter bonum commune, ut debita toti a partibus, *N.* Igitur justitia legalis ad hæc nos movet, non quia superior præcipit, aut quia patria est nostri ortus principium, sed quia ratio boni communis et reipublicæ cujus membra sumus hæc a nobis requirit tanquam debita toti a partibus, sive interim hæc legibus præcepta sint, sive non, sive in ea republica nati simus, sive non. Hoc autem debitum quo adstringitur membrum suo corpori, est diversæ rationis et strictius quam debitum quo effectus adstringitur causæ secundariæ seu homo patriæ, ratione auxilii quod ipsa ad ejus ortum contulit, quod est debitum pietatis, cujus signum est quod quisque teneatur præferre bonum commune parentibus, licet parentes sint magis principium ortus nostri quam patria. Ubi autem est diversa ratio debiti, debet poni diversa virtus : nec aliunde superfluit ad idem materiale bonum ex diversis motivis impelli

Inferes. Ergo adstruenda est etiam virtus aliqua specialis quæ consulat bono communi familiæ et sic non erit adæquata divisio justitiæ in generalem et particularem.

R. N. illationem. Quia domestica multitudo, juxta philosophum 1 Polit. distinguitur secundum tres conjugationes, scilicet patris et filii, uxoris et viri, domini et servi : hujus autem multitudinis bonum sufficienter procuratur per pietatem inter patrem et filium, et per quasdam justitias particulares inter virum et uxorem, et inter dominum et servum. Bonum autem commune totius reipublicæ cum latius se extendat, indiget virtute speciali quæ omnes alias virtutes in hunc finem dirigat.

Petes 1° utrum justitia generalis habeat veram rationem justitiæ ?

1. Part. a. 5. o. — *R.* habere veram rationem justitiæ, sed, ut videtur, imperfectam.

Patet prima pars ; quia inter communitatem et cives habetur verum debitum, diversitas suppositorum et quædam æqualitas, dum alter alteri præstat quod ei debet secundum leges.

Patet etiam secunda pars ; quia non est perfecte ad alterum, in quantum cives comparantur ad communitatem ut pars ad totum ; pars autem id quod est, totius est.

Cæterum quamvis a perfectione justitiæ secundum quid deficiat, est tamen perfectior virtus quam justitia particularis ; quia objectum ejus quod est bonum commune est præstantius bono particulari : imo perfectior est justitia quam ea quæ invenitur inter patrem et filium, inter virum et uxorem, inter dominum et servum, tum ratione dicti objecti, tum quia est perfectius ad alterum : civis enim libere est pars reipublicæ, seu libere pendet ab ea, quam pro libitu deserere potest et alio transmigrare ; non sic

filius a patre, servus a domino, uxor a viro. Adde quod, licet communitas coalescat ex singulis civibus, attamen fictione juris habetur pro distincta persona, siquidem habeat in bona civium jus distinctum a jure ipsorum civium; primum dicitur *jus altum*, secundum *jus bassum*. Ratione cujus fictionis quidam existimant esse sufficientem, ut ita dicam, altereitatem, ut justitia legalis dicatur perfecte participare rationem justitiæ.

Si quæras quid sit jus altum, quid jus bassum? *R.* jus altum esse jus quod habet princeps aut respublica in bona subditorum ad conservationem boni publici, ubi id exigit necessitas. Jus bassum est jus quod habent subditi in propria bona ad omnem usum lege permissum. Primum, ut vides, est conditionatum, si nempe adsit necessitas boni communis, et talis in qua ipse civis etiam non compulsus sua erogare deberet in bonum commune. Alterum et absolutum. Aliud insuper jus competit principi in bona subditorum, ratione scilicet contractus impliciti, quo princeps se adstrinxit rempublicam protegere et conservare, et vicissim respublica principi propriis expensis subvenire. Hoc jus spectat ad justitiam commutativam; jus autem altum ad legalem.

Dices contra primam partem responsionis. Primo, liberalitas non habet veram rationem justitiæ, quia tribuit ex propriis: atqui etiam justitia legalis tribuit ex propriis. Ergo. Secundo, violatio justitiæ legalis non obligat ad restitutionem; civis enim qui non confert in bonum commune res proprias ut debet, non tenetur restituere, neque qui incendium aut aliud damnum reipublicæ non impendit, nisi forte ad id teneretur ex officio : ergo justitia legalis non est vera justitia.

R. Ad primum, D. *min.* Justitia legalis tribuit ex propriis et tamen proprie debitis, *C.* non proprie debitis, *N.* Disparitas est ergo, quod quæ confert liberalitas non sint vere et proprie debita, sed ex quadam morum honestate; quæ autem confert justitia legalis, licet sint propria conferentis, sunt tamen vere et proprie debita secundum leges et jura reipublicæ, ita quod in casu necessitatis illa posset vi auferre respublica.

Ad secundum, *N. conseq.* Non enim obligatio restituendi oritur ex violatione cujuscumque justitiæ, sed solius justitiæ commutativæ; quia id quod debet civis reipublicæ et ei non confert, licet sit proprie debitum, ut dictum est, non est tamen debitum simpliciter, quatenus non est ipsi appropriatum seu non est ejus propria possessio ut in justitia commutativa, sed est debitum secundum quid, quatenus est proprium partis, quæ quod est, totius est.

Petes 2° utrum justitia legalis sit ejusdem speciei in principe et in subditis?

R. probabilius affirmative; quia est idem utriusque objectum formale, scilicet bonum commune. Non enim ex se et ratione sui inclinat principem ad imperandum, et subditum ad obediendum, sicut facit prudentia regnativa in principe et politica in civibus; sed tantum ratione subjecti, quia nempe reperitur in tali subjecto competit imperare, et in tali cui competit obedire. Q. 58. a. 6. o. — Quam ob causam S. D. dixit esse in principe, non quidem simpliciter *architectectonice*, sed *quasi architectonice*, in subditis autem *quasi* administrative.

Justitia legalis ut sic, dividitur in justitiam legalem stricte dictam epiikiam, de qua ad q. 12 art. 2.

ARTICULUS III.

De subdivisione justitiæ particularis in commutativam et distributivam.

Hic q. 61. a. 1. o. et ad 5. — *Dico.* Justitia particularis adæquate dividitur in commutativam et distributivam, tanquam in duas species essentialiter distinctas.

Ibid. o. — *Prob. prima pars.* Justitia particularis est virtus qua quis ordinatur ad aliquam personam particularem : atqui duplex est ordo unius ad alterum particularem, nempe vel partis ad partem, vel totius ad partem : ad primum dirigit justitia commutativa. Ergo.

Ibid. ad 5. — *Prob. secunda pars.* Primo. Cum ad rationem justitiæ pertineat quod debitum alteri reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus : atqui in justitia commutativa et distributiva invenitur specialis ratio debiti : ergo. *Probatur min.* In commutativa redditur cuique quod suum est debitum simpliciter, scilicet quod est ipsi proprium et appropriatum atque in ejus dominio ac possessione, licet ab altero detineatur : in distributiva vero redditur cuique

quod suum est et debitum non simpliciter, sed secundum quid, jure scilicet condignitatis et communitatis cujus est pars; quæ enim sunt totius, quodammodo sunt partium : atqui hæc ratio debiti est diversa, *ut patet;* alia enim ratione debetur res quæ est propria creditoris et jam in ejus dominium immissa, alia quia est totius communitatis cujus est membrum, est ea ratione, attenta ejus condignitate, habet jus ut fiat propria. Ergo.

N. B. Et hæc est ratio cur violatio justitiæ commutativæ inducat obligationem restituendi, non violatio justitiæ præcise qua distributivæ.

Ibid. a 2. o. et ad 2.— *Prob.* 2° Generalis forma justitiæ est æqualitas : atqui reperitur diversa æqualitas in justitia commutativa et distributiva : ergo. *Prob. min.* In commutativa est æqualitas absoluta rei ad rem, quæ dicitur proportio arithmetica, ut si debeas centum, reddas centum; in distributiva et æqualitas non absoluta, sed proportionis, quæ dicitur geometrica, ut si, v. g. in distributione boni communis dentur decem nummi ei qui habet sex gradus meriti, dentur quinque ei qui habet tres gradus. Ergo.

Confirmatur. Est specialis difficultas in actu utriusque virtutis : ergo sunt speciales virtutes. *Probatur ant.* Alia et major est difficultas in dispensatione bonorum communium, quam in commutationibus : unde sæpe contingit eos qui in commutationibus exactam servant justitiam, sordescere nihilominus bono communi sibi concredito. Ergo.

Dices 1° *contra primam partem.* Est justitia quæ dicitur vindicativa : atqui hæc non est commutativa, cum sit tantum in principe aut republica; neque distributiva, cum nulla bona communia per eam distribuantur. Ergo.

R. N. min. pro prima parte cum ejus probatione. Quamvis enim justitia vindicativa si in principe ut vindicante et malum pœnæ pro malo culpæ retribuente, est tamen etiam in reo reddente per pœnam quam sustinet, sive læso, sive reipublicæ, sive legi, justum et æquivalens.

Hic q. 80. a. unico ad 1. — Advertendum itaque, quod justitia vindicativa possit considerari dupliciter : primo, ut est in judice, agente ex officio in reum ultionem sceleris, et consequenter in reo patiente; secundo, in læso aut alio privato, requirente ultionem a judice. Primo modo considerata in judice æquam pœnam crimini rependente, et in reo patiente, est actus elicitus justitiæ commutativæ : erit autem actus imperatus justitiæ legalis, si judex hanc ultionem ordinet non solum in bonum partis læsæ, sed etiam in bonum commune. Secundo autem modo considerata, non est proprie dicta justitia, proindeque neque commutativa neque distributiva, sed justitiæ pars potentialis quæ dicitur vindicatio, et definitur virtus moderans appetitum vindictæ : quia licet conveniat cum justitia proprie dicta in hoc quod sit ad alterum, deficit tamen a illa in ratione debiti stricti et legalis; quamvis enim possit privatus petere ultionem a judice, ad id tamen non tenetur debito stricto, quin e contra melius faceret omittendo, ut dicam infra ad q. 108, nisi forte esset persona publica læsa in sua fama quæ esset aliis obligata, tunc enim vindicatio seu petitio vindictæ a judice pertineret ad justitiam commutativam.

Dices 2° *contra secundam partem.* Dum bona communia distribuuntur in præmium et mercedem iis qui communitati utiliter inservierunt, puta, militibus qui strenue pugnaverunt, est actus justitiæ distributivæ, quia communia distribuuntur; est etiam justitiæ commutativæ, quia merces debetur ex justitia commutativa : ergo non stat distinctio inter utramque justitiam.

R. Dato ant. N. conseq. Quamvis enim hæ justitiæ distinguantur, sæpe tamen contingit eas ad eumdem actum concurrere; quia nihil vetat eamdem rem utriusque justitiæ titulo deberi : quod forte dici posset de casu posito *— **Hic q. 61. a. 4. ad. 2.**; — licet tamen videatur magis esse justitiæ commutativæ quam distributivæ; dum enim retribuitur aliquid alicui pro servitio communitati impenso, id est justitiæ commutativæ et non distributivæ; quia in justitia distributiva non attenditur æqualitas ejus quod quis accipit ad id quod ipse impendit, sed ad id quod alius accipit secundum modum utriusque personæ.

Dices 3° In justitia commutativa non minus quam in distributiva attenditur dignitas personarum, ut patet in reparatione injuriarum; majori enim supplicio afficitur qui injuriam facit principi quam plebeio : justitia autem vindicativa, ut dictum est, pertinet ad commutativam. Ergo.

Ibid. a. 2. ad 3. — *R. N. maj.* Quia conditio seu dignitas personæ in justitia distributiva attenditur secundum se et in omni suo actu, ut constituat formam æqualitatis ad se pertinentis, scilicet proportionem rerum distribuendarum et personarum quibus sunt distribuendæ. In commutativa autem attenditur tantum per accidens et secundum quod per hoc res diversificantur, quod accidit in sola compensatione injuriarum; quatenus cum ex dignitate personæ crescat injuria, major debetur pœna : secus in aliis; non enim plus debet dare pro equo regis quam pro equo alicujus rustici, si sit in se ejusdem valoris.

ARTICULUS IV.

Quæ sit materia circa quam versatur justitia particularis?

Hic q. 58. a. 8. o. — *Nota,* omnia quæcumque rectificari possunt et ad medium reduci, esse materiam virtutis moralis quæ definitur per rectam rationem. Ea autem omnia quæ subsunt liberio arbitrio, possunt per rationem rectificari et ad medium reduci. Hujusmodi sunt tria : interiores animæ affectus seu passiones, exteriores actiones, et res exteriores quæ in usum hominis veniunt. Quæritur itaque utrum sit proprium justitiæ particularis versari circa actiones et res exteriores, an non etiam versetur circa passiones, ut fortitudo, temperantia et aliæ virtutes ipsis annexæ? De justitia generali non currit quæstio; diximus enim supra materiam ejus esse actus omnium virtutum ut ordinabiles in bonum commune.

Ibid. et a. 9 o. — *Dico.* Proprium est justitiæ particularis versari per se primario circa exteriores operationes et res, non circa passiones.

Ibid. a. 9. — *Prob.* 1° Justitia in hoc differt ab aliis virtutibus moralibus, quod hæ rectificent primario et per se hominem in seipso, *ut patet et magis explicabitur in solutionibus objectionum;* justitia vero in ordine ad alium, *ut patet ex ejus definitione :* atqui ordinatio unius hominis ad alium non attenditur secundum interiores affectiones seu passiones, sed secundum exteriores actiones et res quibus homines sibi invicem communicare possunt, ut sunt quoad res, bona fortunæ, pecuniæ, domus, agri, frumenta, etc., quoad actiones, eæ quibus istæ res commutantur, nimirum venditio, solutio, mutuum, commodatum, locatio, etc., item etiam eæ actiones in quibus nulla intervenit res exterior, ut honoratio, laudatio, detractio, etc. Ergo.

Ibid. — *Prob.* 2° Virtus quæ est per se primario ad moderandas passiones, subjectatur in ea potentia in qua insurgunt passiones : atqui justitia non subjectatur in appetitu sensitivo, in quo solo insurgunt passiones, sed in voluntate, ut dictum est ergo.

Dixi, *per se primario;* quia nihil vetat quin justitia secundario et mediantibus aliis virtutibus, passiones moderandas respiciat, si id exigat ratio sui objecti, nimirum æqualitas constituenda inter res exteriores, ut non raro contingit. Quando enim concupiscentia, v. g. movet ad injustitiam adulterii, aut avaritia removet a redditione debiti, in his et similibus casibus justitia advocat in auxilium temperantiam et liberalitatem aliasque virtutes morales, easque movet imperio ut has passiones moderentur et rectificent, quibus rectificatis, ipsa opus suum, scilicet alteri non nocere, aut illi reddere quod suum est, præstat, et difficultatem, si quæ sit in hac æqualitate seu conservatione boni alieni, per se vincit.

Dices 1° Nulla est virtus quæ non versetur circa operationes : ergo id non est proprium justitiæ. *Prob. ant.* 1° Virtus est quæ bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit. 2° Omnis virtus est habitus electivus : ergo ejus actus est electio voluntatis, electio autem est operatio. Ergo.

R. D. ant. Nulla est virtus quæ non versetur circa operationes late sumptas, *C.* stricte et in sensu conclusionis sumptas, *N.* Dupliciter itaque sumi potest operatio : primo generaliter et late, pro cujusvis facultatis actu, sive fiat cum immutatione organi sive non; sed quia operatio quæ fit cum immutatione corporali, speciali vocabulo dicitur passio, hinc secundo specialiter et stricte dicitur operatio, qua organum corporale non immutatur. Et hæc iterum duplex : interior, ut actus intellectus aut voluntatis; et exterior qua homo homini communicat, ut commutatio pecuniæ pro merce. *Et hinc fluit solutio utriusque probationis ant.* prima enim intelligitur de operatione late sumpta, secunda de operatione interiori; nostra autem conclusio, de operatione exteriori stricte sumpta.

Nota insuper quod, cum virtus definitur

habitus electivus, non sit sensus quod electio recta voluntatis sit elicitive a virtutibus moralibus, excepta justitia, sed dispositive tantum, in quantum appetitu sensitivo recte disposito per virtutes in eo residentes, voluntas facile et recte eligit circa earum materias. Et quamvis ipsa voluntatis electio circa operationes exteriores sit ipsius justitiæ actus, non debet tamen dici ejus materia; quia materiæ circa quam versatur virtus, est quid velut informe quod virtus rectificat et ab extremis ad medium reducit, in eo quasi sui formam imprimens. Electio autem voluntatis non sic est respectu justitiæ, sed operationes duntaxat exteriores quas reducit ad æqualitatem per electionem voluntatis: unde electio est principium hujus medii seu mediocritatis, non materia quæ ad illam reducitur.

Inst. Aliæ virtutes morales versantur etiam circa operationes exteriores, v. g. fortitudo circa pugnam, temperantia circa usum cibi et potus aut venereorum. Ergo. *Confirmatur.* Ira et concupiscentia ordinantur ad alium, ira ad occidendum, concupiscentia ad violandum thorum alienum: ergo fortitudo et temperantia, quæ sunt harum passionum moderativæ, sunt etiam ad alterum, proindeque circa actiones exteriores, fortitudo, v. g. ne quis ex ira occidat, temperantia ne ex concupiscentia violet thorum alienum. Ergo.

1. 2. q. 60. a. 2. o. et ad 1. — *R. D. ant.* Aliæ virtutes morales versantur etiam circa operationes exteriores per se principaliter et primario, *N. ant.* secundario et minus principaliter, *C. ant.* Fortitudo namque non movet ad pugnam nisi quatenus moderatur timores et audacias, temperantia ad moderatum usum ciborum et venereorum nisi quatenus moderatur concupiscentiam delectabilium: at vero justitia per se primario et principaliter versatur circa ipsas operationes exteriores.

Similiter ad confirmationem, D. Ira et concupiscentia per se primario et principaliter ordinantur ad alterum, *N.* secundario et minus principaliter, *C.* Passiones itaque, puta, ira et concupiscentia, per seipsas neque prosunt neque nocent proximo, sicque per se primario et principaliter non ordinantur ad alterum, sed ad ipsum habentem, qui eis bene vel male in se afficitur; proinde earum moderatio per fortitudinem et temperantiam per se primario non respicit alterum, sed ipsum habentem. Quia tamen earum passionum effectus sunt ad alterum ordinabiles, ideo secundario ratione nempe effectus possunt dici ad alium ordinari: secus justitia, quæ, cum non respiciat aliud quam ipsos effectus seu operationes exteriores quæ sunt ad alterum, eas ideo primario et principaliter per se respicit.

Dices 2° Liberalitas et misericordia non minus ordinantur ad alterum quam justitia: atqui tamen versantur circa operationes et passiones: ergo.

R. N. ant. Justitia enim ordinatur per se ad alterum tantum: præfatæ autem virtutes ordinantur ex æquo ad bonum proprium operantis et ad bonum alienum: ad bonum operantis, quatenus misericordia moderatur compassionem in appetitu, et liberalitas pecuniæ cupiditatem; ad bonum alienum, quatenus misericordia sublevat alienam miseriam, liberalitas alteri erogat pecuniam: justitia autem, ut dixi, per se et directe ad ulterum tantum ordinatur, quia per se et directe solum respicit debitum alteri reddendum.

Dices 3° Juxta philosophum 2 Ethic. cap. 3, omnis virtus versatur circa delectationes et tristitias: atqui hæ sunt passiones. ergo.

Hica. 9. ad 1.—*R. D. maj.* Omnis virtus versatur circa delectationes et tristitias ut materiam, *N.* ut effectus et fines consequentes, *C.* quia ad omnem virtutem sequitur gaudium, ad iniquitatem tristitia.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Ibid. a. a. 10. o.—*Ex dictis colliges* 1°, medium in justitia particulari non esse medium rationis, ut in cæteris virtutibus moralibus, sed medium rei; quia, ut dictum est, in hoc differt justitia particularis a cæteris virtutibus, quod hæ versentur circa passiones, illa circa actiones et res: passionum autem rectificatio, quod est medium virtutis, non attenditur secundum æqualitatem unius rei ad aliam, sed secundum comparationem ad ipsum subjectum juxta dictamen rationis. v. g. medium temperantiæ non est ut sumas præcise libram panis, aut tali hora, sed olus vel minus, citius vel tardius secundum quod recta ratio dictat tibi convenire attenta tui conditione; quod enim satis est parco, minus est voraci; quod convenit sano, nocet infirmo. Unde tale medium est variabile pro con-

ditione subjectorum, nec ex natura rei determinatur, sed per rationem, attenta qualitate subjecti et circumstantiarum; et ideo dicitur medium rationis. In justitia vero, cum versetur circa actiones et res, et consistat in rerum æqualitate, medium non sie pendet ex rationis judicio, sed ex ipsa rerum natura sumitur: ut si debeas centum, reddas centum; si emas merces pro quinquaginta, solvas quinquaginta, quisquis sis, princeps vel plebeius, sanus vel infirmus, nulla habita ratione subjecti: et ideo dicitur medium rei; non quidem hoc sensu quod non sit secundum rationem, nihil enim est magis rationi consentaneum quam cuique debitum ad æqualitatem reddere (quam ob causam solvatur in justitia laus et ratio virtutis moralis), sed hoc sensu quod tale medium non pendeat a ratione tanquam a causa, nec constituatur per illam ex conditione subjecti ut in aliis virtutibus moralibus, quin potius in eo ratio pendet a rerum natura. Ideo enim solvere debitum est rationi conforme, quia est rerum æqualitas; non e contra et rerum æqualitas, quia est rationi conforme. Secus in aliis virtutibus: ideo enim libra panis et mihi medium temperantiæ, quia est secundum rationem conformis meæ conditioni; non, e contra est conformis, secundum rationem; meæ conditioni, quia est libra. Igitur omne medium rei est quidem medium rationis, non tamen e contra omne medium rationis est medium rei. Istud autem medium rei non est omnino idem in justitia distributiva et commutativa; in hac enim est æqualitas absoluta, in illa æqualitas proportionis, ut dictum est art. præcedenti.

Hic q. 57. a. 1. o.—*Ex his* ulterius *colliges*, rectum absolute et materialiter in opere justitiæ haberi per solam commensurationem ad alterum sine commensuratione ad agentem, secus in aliis virtutibus: v. g. qui debens centum reddit centum, facit rectum seu justum absolute et materialiter, quamvis id sit suis viribus improportionatum, puta, quod inde patiatur egestatem in familia, aut malo animo faciat: non est autem temperatum, neque forte etiam absolute et materialiter, nisi sit commensuratum conditioni agentis.

Hic q. 59. a. 2. ad 3.—Dixi, *rectum absolute et materialiter*, quia si loquamur de recto formaliter et prout procedit ab habitu virtutis, necesse est in materia justitiæ sicut in materia aliarum virtutum, quod fiat propter finem virtuti convenientem et cum omnibus aliis circumstantiis.

Dices, non videri justum nec rectum quod impotens solvat creditori, neque quod majoribus occupatus aut loco dissitus, hic et nunc restituat: ergo justum seu rectum etiam in opere justitiæ sumiter per comparationem ad agentem.

R. N. conseq. quia antecedens est de executione justi; nos autem loquimur de justo absolute. Si enim debitor, sive sit pauper sive dissitus, solvat quod debet, est justum absolute, quia est juri alterius adæquatum: utrum vero in talibus circumstantiis teneatur solvere, alia est quæstio.

Dices insuper. Etiam in aliis virtutibus habetur rectum absolute et materialiter sine comparatione ad agentem: v. g. qui fortiter pugnat ex inani gloria, facit opus forte; qui temperate manducat ex avaritia, facit opus temperatum, absolute scilicet et materialiter. Ergo.

R. hæc non esse recta etiam absolute et materialiter absque comparatione ad agentem. Sic in primo non est opus forte nisi sit commensuratum ejus viribus; in secundo non est temperatum nisi sit commensuratum ejus valetudini. In justitia autem erit justum, modo sit commensuratum juri alterius, etiamsi præsentis dispositioni non sit commensuratum.

Si quæras utrum opus illius qui pugnat aut manducat per comparationem ad seipsum seu conformiter suæ conditioni, sed ex prava intentione aut non cum debitis circumstantiis, possit dici rectum, seu forte et temperatum materialiter; sicut dicitur rectum seu justum in materia justitiæ per commensurationem ad alterum.

R. tale opus eatenus posse dici forte aut temperatum, quatenus servat medium in materia fortidudinis et temperantiæ, eo modo quo gentiles dicebantur temperate aut fortiter agere, licet ex inani gloria agerent; id enim dicitur opus alicujus virtutis materialiter quando servat medium in materia talis virtutis, licet ab ea non procedat.

Colliges 3°, in summa justitiam particularem differre quatuor modis ab aliis virtutibus moralibus: primo, quod justitia sit ad alterum, aliæ virtutes ad ipsum subjectum; secundo, quod justitia versetur circa actiones

externas et res, aliæ virtutes circa passiones; tertio, quod medium justitiæ sit medium rei, medium aliarum virtutum, medium rationis. Quarto denique, quod in opere justitiæ habeatur rectum absolute per solam commensurationem ad alterum, in aliis autem virtutibus per commensurationem ad ipsum agentem.

ARTICULUS V.

Utrum inter patrem et filium, inter dominum et mancipium, inter virum et uxorem sit justitia proprie dicta?

Dico 1° Inter patrem et filium non emancipatum inter dominum et mancipium, non est justitia omnino perfecta; est tamen vere et proprie dicta justitia.

Hic q. 57. a. 4. c. —*Prob. prima pars.* Ad justitiam perfectam tria requiruntur, *ut patet ex dictis:* primum, quod sit ad alterum; — **Ibid.** — secundum, quod id quod redditur sit debitum; quod sit æquale: atqui inter præfatos non reperitur perfecte prima conditio: ergo. *Probatur min.* Filius est aliquid patris, nempe pars ejus, et servus est aliquid domini, nempe ejus instrumentum; comparatur enim ad dominum sicut securis ad artificem: ergo comparatio filii ad patrem et servi ad dominum non est ad perfecte alterum. Idem dic de patre ad filium et de domino ad servum, quia si primus non est perfecte alter a secundo, secundus non est perfecte alter a primo.

Et ob hanc causam, inter præfatos non dicitur justitia seu ejus simpliciter, sed cum addito, nimirum, jus paternum et jus herile, seu dominativum, ut distinguatur a jure politico, quod est perfectum inter cives.

Ib. ad 2. —*Prob. sec. pars.* Quamvis filius ut filius sit aliquid patris, ut homo tamen est suppositum distinctum a patre; similiter pater ut homo respectu filii: ergo justitia inter illos sub ista ratione est ad alterum, proindeque salvat rationem justitiæ, licet quia sic est suppositum quod tamen sit genitus a patre, non sit perfecte ad alterum. Idem dic de domino et servo. Hanc esse mentem D. Th. pluribus rationibus probat Sylv. Vide si lubet.

Confirmatur. Si filius etiam non emancipatus furaretur a patre, teneretur ad restitutionem: atqui restitutio est actus justitiæ commutativæ proprie dictæ. Ergo.

Dixi, *inter filium non emancipatum;* quia inter patrem et filium emancipatum potest esse justitia perfecta, non quidem quoad ea quæ sibi mutuo naturaliter debent, puta quoad honorem, obedientiam, sustentationem, etc. quæ filius debet patri, aut quoad curam paternam quam pater debet filio; quia filius etiam emancipatus est semper filius et aliquid patris; proindeque quoad ea quæ ut talis debet patri non est perfecte alter a patre, sed quantum ad civilia, quæ sunt communia etiam iis qui sunt inter se extranei, ut sunt contractus, v. g. Quoad hæc enim filius emancipatus est sui juris sicut alter civis; sicque in iis potest exercere perfectam justitiam erga patrem, et vicissim pater erga filium. Secus si non sit emancipatus; quia tunc non est sui juris, etiam quoad civilia, sed juris paterni, cum necdum sit civis, nec se regat, sed regatur a patre, nec pro se bona administret, sed pro patre.

Dices 1° *contra primam partem.* Ibi locum habet perfecta justitia, ubi invenitur perfecta injustitia; injustitia enim est violatio justitiæ: atqui inter patrem et filium, inter dominum et servum potest reperiri perfecta injustitia, ut si filius occideret patrem, servus dominum. Ergo.

R. Data maj. D. min. Inter patrem et filium reperiri potest perfecta injustitia, id est, gravissima, *C. min.* id est, perfecta secundum omnes qualitates justitiæ, *N. min.* Non enim est tam perfecte ad alterum, sicut est inter duos cives; est tamen gravior, quia violat jus strictius et graviorem obligationem; est enim majus debitum filii ad patrem quam civis ad civem.

Omisi majorem, quia potest negari. Cum enim minus requiratur ad malum quam ad bonum; bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu; minus requiritur ad perfecte injustum quam ad perfecte justum.

Dices 2° *contra eamdem.* Inter patrem et filium potest esse perfecta amicitia. Ergo et perfecta justitia.

R. N. conseq. Disparitas est, quod amicitia non sit ad alterum tam perfecte quam justitia; quia cum amor sit unio amantium, saltem secundum affectum, tendit ad alterum ut quodammodo unum: justitia autem cum sita sit in æqualitate unius ad alterum, tendit in alterum ut perfecte distinctum, et non quodammodo unum.

Dices 3° *contra secundam partem.* Virtus qua pater filio et filius patri reddit quod suum est, non est justitia proprie dicta, sed pietas quæ solum est annexa justitiæ, ut dicitur infra q. 80 et 101. Ergo.

Respondet Sylvius, pietatem esse veram et propriam justitiam licet imperfectam, quatenus non est ad perfecte alterum, et non importat perfectam æqualitatem. Respondent alii, præter pietatem qua filius est debitor patri ut principio sui esse, posse in eo reperiri justitiam commutativam propriam licet imperfectam, qua sit debitor patri sub alia ratione, puta dati et accepti inter duo distincta supposita; ut si furaretur a patre, teneretur ex dicta justitia commutativa restituere ad æqualitatem : unde inferunt, filium in tali casu duplex peccatum committere, nempe contra pietatem et contra justitiam commutativam. Alia argumenta contra utramque partem solvit Sylvius q. 57, a. 4.

Ibid. o. — *Dico* 2° Inter virum et uxorem est perfectior justitia quam inter patrem et filium, dominum et servum; nec est tamen secundum omnem perfectionem.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Uxor magis distinguitur a viro quam filius a patre et quam servus a domino. Ergo. *Prob. antec.* Vir et uxor sunt distincta supposita, quorum neutrum accipit esse ab altero sicut filius a patre, nec alteri subest ut instrumentum sicut servus domino, sed simul junguntur ad vitam socialem secundum quamdam æqualitatem. Etenim quantum ad debitum conjugale, sunt omnino æquales; quantum ad familiæ administrationem, sunt æquales æqualitate proportionis; sicut enim uxor debet obedire et auxiliari viro, ita vir debet uxorem regere et ipsi providere de necessariis, proles autem utrique obedire. Ergo. Quia tamen vir est caput mulieris et hæc est sub potestate viri, non e contra, hinc fit quod justitia inter eos non sit secundum omnem perfectionem, ideoque non dicitur justitia simpliciter, sed justitia œconomica, quod est secunda pars conclusionis.

Nec obstat quod secundum S. Scripturam vir et mulier dicantur *una caro*, et quod Apostolus Ephes. 5, dicat : *Qui uxorem diligit, se ipsum diligit.* Quoad primum enim sensus est, quod vir et mulier sint una caro, hoc est, unum principium carnale generationis. Quoad secundum sensus est quod, cum vir sit caput mulieris, caput autem et corpus unum quid constituant, vir qui diligit uxorem, diligit suum corpus et consequenter se ipsum.

Quæri posset hic utrum detur in Deo justitia proprie dicta respectu hominum : sed hæc quæstio pertinet ad primam partem q. 21.

Petes pro coronide utrum justitia præcmineat aliis virtutibus moralibus?

Hic a. 12. o. — *R.* Justitia tam generalis quam particularis præeminet virtutibus moralibus quæ subjectantur in appetitu sensitivo, nimirum fortitudini et temperantiæ, aliisque virtutibus annexis.

Ibid. — Quantum ad justitiam generalem, *patet;* quia ejus objectum, utpote bonum commune, præstantius est objecto istarum virtutum moralium, quod est privatum bonum unius personæ.

Quantum ad justitiam particularem, *etiam patet;* tum quia est in nobiliori parte animæ, scilicet voluntate; tum quia ordinatur non solum ad bonum virtuosi ut assignatæ virtutes, sed etiam ad bonum alterius.

Si dicas liberalitatem quæ subjectatur in appetitu sensitivo etiam ordinari ad bonum alterius, et in hoc præeminere justitiæ, quod illa det de suo, non ista.— **Ibid.**—*R. Esto* quod quantum ad hoc liberalitas præemineat justitiæ, quod illa det de suo, non ista; justitia tamen aliunde ipsi præeminet in tribus : primo, justitia propinquius accedit ad bonum commune reddendo cuique quod suum est, quo servatur pax publica, ad quam liberalitas non ita concurrit. Secundo, justitia latius extenditur, est enim necessaria respectu omnium, quod liberalitati non convenit. Tertio, fundamentum liberalitatis est justitia; nemo enim liberalis nomen meretur largiendo quod non debet, nisi prius sit justus reddendo quod debet. De hac materia late disserit Soto lib. 3, quæst. 2, art. 8.

Vides hic non fieri comparationem justitiæ cum virtutibus theologicis, neque cum virtutibus intellectualibus, neque cum virtutibus moralibus infusis, neque cum aliis quæ etiam subjectantur in voluntate, ut est religio, quas S. Doctor alibi probat præeminere justitiæ, sed tantum cum virtutibus naturalibus quæ subjectantur in appetitu sensitivo, ut dixi in conclusione.

DISSERTATIO VI.

DE INJUSTITIA IN GENERE.

D. Th. q. 59.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT INJUSTITIA?

Quis dicendus injustus?

Nota. Sicut justitia ut dixi diss. præcedenti, sumitur dupliciter, late pro omni virtute, et stricte pro speciali virtute quæ est secunda inter cardinales; sic injustitia quæ opponitur justitiæ sumitur etiam dupliciter; — **Hic q. 59. a. 1. ad 1.** — primo late pro omni transgressione legis, quæ alio nomine dicitur iniquitas, quo sensu omne peccatum est injustitia; secundo stricte, prout opponitur justitiæ quæ est secunda virtus cardinalis: sic accepta, sumitur vel actualiter, et est juris alieni violatio; vel habitualiter, et est prava dispositio inclinans voluntatem ad hujusmodi violationem.

Ibid. o. — Injustitia hæc sive actualis sive habituatis, dividitur ut justitia in generalem seu illegalem et particularem: hæc in commutativam et distributivam; quia oppositorum est eadem ratio.

Ibid. — *Dico* 1° Utraque injustitia tam illegalis quam particularis est vitium speciale.

Ibid. — *Probatur prima pars.* Injustitia generalis seu illegalis respicit objectum speciale, scilicet bonum commune quod contemnit aut contra quod agit ex intentione: ut si quis fornicetur, furetur, occidat, non solum ut suæ passioni satisfaciat, sed ex contemptu boni communis aut ex certa intentione agendi contra illud: hoc, inquam, *ut patet*, est speciale objectum constituens speciale vitium injustitiæ, in confessione explicandum. Si autem, seclusa hac intentione, ex sola passione quis furetur fornicetur, etc. tunc non erit vitium speciale, sed generalis conditio omnis peccati: sicut inobedientia, v. g. est speciale peccatum, dum quis omittit opus præceptum quia præceptum est, seu ex certa intentione agendi contra legem, est vero generalis tantum conditio cujuscumque vitii, dum seclusa hac intentione, legem ex sola passione transgreditur.

Ibid. — *Ex quo habes*, injustitiam illegalem esse quidem speciale vitium secundum essentiam, generale vero secundum intentionem; quia ex animo agentis potest omnibus vitiis immisceri, quatenus homo in omni peccato potest agere ex contemptu boni communis.

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Quia injustitia particularis habet pariter objectum speciale, nempe inæqualitatem in rebus, dum homo vult plus habere de bonis, minus de malis: v. g. carius vendendo, vilius emendo, etc. Ergo.

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 2° Injustitia sive illegalis, sive particularis est ex genere suo peccatum mortale; quia contrariatur charitati, cujus privatio est mors animæ.

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 3° Non omnis qui facit injustum, hoc ipso dicendus est injustus saltem philosophice, sed solus ille qui facit injustum ex habitu aut ex deliberata electione nocendi sive injustum faciendi. Quia, juxta morem philosophorum, injustus est nomen significans habitum; — **Ibid.** — qui autem injustum facit ex deliberata electione injusti quasi ipsi per se placeat injustificatio, magnum præbet indicium habitus præexistentis; siquidem unicuique habenti habitum secundum se placeat quod convenit illi habitui: ergo solus ille dicendus est injustus, qui facit injustum ex habitu aut ex deliberata electione injusti.

Confirmatur. Nemo dicitur simpliciter virtuosus ex hoc quod facit unum actum virtutis, neque justus quod faciat unum actum justitiæ, neque castus quod semel tentationi resistat: ergo a pari, etc.

Dices. Qui ex sola cupiditate furatur, adulteratur, etsi semel, dicitur fur et adulter: ergo similiter, etc.

R. talem equidem dici furem et adulterum, non tamen furacem et adulteratorem; quia prima nomina sunt significativa tam actus quam habitus, posteriora habitus tantum: hæc autem, *injustus, justus, virtuosus*, et alia hujusmodi, sunt more saltem philosophorum significativa habitus: unde est disparitas et *neganda consequentia.*

Dixi, *more philosophorum;* quia cum voces significativæ habitus sæpe ex usu transferantur ad significandum etiam actum, hinc factum est ut in vulgo dicatur injustus qui facit aliquem actum injustum, sive agat ex habitu aut ex electione injusta, sive non.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis possit pati injustum volens formaliter loquendo; seu, ut communiter dicitur; utrum scienti et volenti fiat injuria?

Hic a. 3. ad 3. — *Nota*, injustum agere aut pati, posse sumi materialiter et formaliter : agere aut pati injustum materialiter, attenditur secundum id quod exterius agitur prout in se consideratur, abstrahendo a voluntate tam agentis quam patientis : v. g. capis alienum putans esse tuum, facis injustum materialiter loquendo, quia facis inæquale. Injustum agere vel pati formaliter loquendo, attenditur secundum voluntatem agentis vel patientis; formale enim in moralibus petitur a voluntate : v. g sciens et volens capis alienum, facis injustum formaliter, et alter patitur injustum formaliter si sit invitus. Solum autem injustum formaliter solet dici injuria : unde, quamvis pati injustum sumatur materialiter et formaliter, tamen pati injuriam solet tantum sumi formaliter.

Ibid. o. — *Dico*. Sicut nullus potest facere injustum per se et formaliter loquendo, nisi volens : ita nec pati injustum per se et formaliter loquendo, nisi nolens. Per accidens autem quasi materialiter potest quis nolens facere injustum et pati volens.

Prob. prima pars. Sicut de ratione intrinseca actionis transeuntis est ut ab agente procedat; ita et de intrinseca ratione passionis est ut sit ab alio, passo non conferente vim seu renitente; ex quo colligit philosophus 3 et 8 Phys. idem secundum idem non posse esse agens et patiens, et omne quod movetur ab alio moveri : atqui si quis formaliter loquendo pateretur volens, actio foret a patiente et passio ab agente, atque idem secundum idem agens et patiens. Ergo. *Probatur min.* Principium formale et proprium hominibus agendi est voluntas : unde illud formaliter et proprie per se homo facit, quod volens facit, seu quod ab ejus voluntate procedit; quod autem involuntarie fecit, non censetur formaliter facere ut homo, sed materialiter tantum : et e contra illud proprie et formaliter homo patitur, quod præter seu contra ejus voluntatem de eo fit; pati enim est vinci et esse violentiæ obnoxium : atqui si quis volens pateretur injustum formaliter loquendo, passio esset ab agente quia a volente, et actio, volitio scilicet, esset a patiente, ut supponitur. Item idem secundum idem foret agens et patiens : patiens, ut supponitur; agens, quia vellet; secundum idem, quia secundum eamdem voluntatem secundum quam formaliter loquendo pateretur et ageret volendo. Ergo.

Confirmatur. Illud dicitur homo proprie et formaliter pati, quod præter seu contra ejus voluntatem de eo fit, ut dictum est : atqui ubi quis volens pateretur, nihil de eo fieret præter aut contra ejus voluntatem. Ergo.

Prob. 2° Nemo formaliter loquendo patitur injustum seu injuriam nisi quantum jus ejus violatur : atqui hoc ipso quo consentit aut vult lædi vel pati, jus ipsius qua ipsius est non violatur. Ergo. *Prob. min.* Hoc ipso quo vult lædi vel pati cedit jure suo, illudque a se in quantum in ipso est abdicat, ac in lædentem transfert; ita quod se ridiculum exhiberet, si in tali casu de damno vel injuria conquereretur, atque restitutionem seu satisfactionem exposceret. Ergo.

Dixi, *jus ipsius qua ipsius est;* quia licet non violetur jus consentientis qua ipsius est, potest tamen violari quatenus ad alterum pertinet, quando nempe plures in eamdem rem jus habent, *ut patebit ex solutionibus objectionum.*

Adstipulatur conclusioni regula juris 27 in 6 : *Scienti et consentienti non fit injuria neque dolus.* Cæterum intellige volentem et consentientem, tam in hac regula quam in conclusione et probationibus, sic, ut omnino libere consentiat, nec ullo modo sit involuntarius : unde qui necessitate adactus, v. g. solvit usuras, aut metu mortis, latroni pecunias erogat, vere patitur injuriam; quia licet simpliciter velit, nollet tamen, et consensus præsens contra jus et per injuriam extorquetur.

Ibid. — *Prob. secunda pars.* Potest quis, v. g. solvere alteri minus quam debeat, putans solvere totum quod debet ad æqualitatem; vel e contra sciens et volens solvere plus quam debeat : atqui in primo casu nolens facit injustum per accidens et materialiter; in secundo autem casu patitur volens : ergo.

Ex his inferes quod, aliquem facere injustum et alium pati injustum materialiter loquendo, semper se comitantur; nullus

enim facit injustum nisi aliqui patienti injustum. Sed si formaliter loquamur, potest aliquis facere injustum, intendens injustum facere; tamen alius non patietur injustum, quia, altero nesciente, volens patitur, cedens jure suo, et bene cupiens ut alter faciat id quod illi facit. Et e converso potest aliquis pati injustum formaliter, si nolens id quod est injustum patiatur; et tamen ille qui hoc facit ignorans, non faciet injustum formaliter sed materialiter tantum : ut si capias rem alienam putans esse tuam, et is a quo accipis id invitus et nolens ferat.

Dices 1° Martyres a tyrannis vere passi sunt injuriam : atqui tamen erant volentes : ergo. Idem dic de Christo respectu Judæorum.

R. N. min. Erant volentes respective ad Deum, *C.* respective ad tyrannos, *N.* Martyres itaque, supposita tyrannorum malitia, iniquas eorum actiones patienter tolerabant propter Deum; at eas non approbabant nec eis consentiebant, quasi suo jure cederent, aut ipsis jus aliquod in suam vitam concederent, cum id non possent. Idem dic de Christo respectu Judæorum.

Dices 2° Qui occidit volentem et rogantem occidi, proprie committit injustitiam atque injuriam : ergo volenti fit injuria. Idem dic de illo qui cognoscit uxorem alterius consentientis.

Ibid. ad 2. — *R. D. ant.* Qui occidit volentem, committit proprie injustitiam respectu volentis, *N.* respectu Dei et reipublicæ, *C.* Itaque homo potest considerari dupliciter, uno modo secundum se seu ut persona singularis; secundo modo ut est aliquid reipublicæ, scilicet pars, et ut est aliquid Dei, scilicet creatura et imago. Qui ergo volentem occidit, non facit injuriam ipsi, quia cessit juri suo. facit autem injuriam reipublicæ et Deo, quorum juri cedere non potuit : Similiter qui cognoscit uxorem alterius, non facit injuriam marito consentienti, sed juri et statui conjugali. Vide quæ dicimus de adulterio in tract. de Temperantia.

DISSERTATIO VII.

DE ACTU JUSTITIÆ UT SIC, NEMPE DE JUDICIO.

D. Th. Q. 60

ARTICULUS 1.

Quid sit judicium, et utrum sit licitum?

Q 60. a. 1. ad 1.—*Nota.* Judicium, secundum nominis etymologiam, est quasi *juris dictio*, judicare *jus dicere*, judex *jus dicens:* unde judicium secundum primariam significationem, importat definitionem seu determinationem juris vel justi : justum autem, *ut patet ex supradictis*, est æquale alteri debitum, quod est objectum justitiæ. Deinde ampliatum est hoc nomen ad significandam sententiam seu determinationem in quacumque materia, sive speculativa sive practica, prout nempe distinguitur a simplici apprehensione; quia omni mentis assensu seu determinatione vera, est quædam æqualitas seu conformitas : in speculativis conformitas intellectus ad rem, in practicis conformitas intellectus ad appetitum rectum.

Ibid. ad 3. — Juxta hanc secundam acceptionem, quæ est minus propria, judicium est cujuslibet virtutis; ad quamlibet enim virtutem pertinet recte judicare in propria materia; hoc tamen judicium debet potius dici determinatio *recti* seu *virtuosi*, quam *justi*.

Hic itaque agimus de judicio primo sensu sumpto, non solum prout exterius fertur a judice inter partes litigantes, sed etiam prout exercetur sive exterius sive interius a privatis, circa vitam, res et mores alienos.

Ibid. o. — *Dico* 1°. Judicium est actus justitiæ.

Ibid. — *Prob.* 1°. Justitiæ est definire et determinare id quod est justum seu æquale alteri debitum, hoc est enim ejus objectum : atqui judicium secundum primam significationem, nihil est aliud quam definitio et determinatio justi, *ut patet ex dictis.* Ergo.

Ibid. — 2° Recte definire in materia alterius virtutis, procedit ex habitu talis virtutis; quatenus nempe virtus inclinat affectum ad suum objectum et intellectus judicat conformiter ad affectum, quia affectus facit ut res intellectui videatur conveniens : unde dicitur communiter, qualiter quis est affectus taliter judicat de rebus : sic castus recte judicat ea quæ pertinent ad castitatem, et sic de cæteris : ergo recte definire in materia justitiæ, quod est judicare, procedit ex habitu justitiæ.

Ibid. ad 1. — Ad quorum intelligentiam *nota*, ad rectum judicium duo requiri, quorum unum est virtus proferens judicium, et sic judicium est actus rationis;

dicere enim vel diffinire aliquid, rationis est. Aliud est dispositio judicantis ex quo habet idoneitatem ad recte judicandum; et sic in his quæ pertinent ad justitiam, judicium procedit ex justitia, sicut in his quæ pertinent ad fortitudinem, procedit ex fortitudine. Sic ergo judicium est quidam actus justitiæ sicut inclinantis ad recte judicandum, prudentiæ autem sicut judicium proferentis : unde et synesis ad prudentiam pertinens, dicitur bene judicativa, ut supra habitum est.

Est tamen disparitas inter judicium justitiæ et judicium aliarum virtutum : primo, quod in aliis virtutibus, ut jam notavi, judicium dicatur per extensionem tantum, et non sit determinatio justi, sed recti seu virtuosi; secundo, quod aliæ virtutes non inclinent directe et positive appetitum ad judicium rectum, sed indirecte solum removendo prohibens, nempe passiones quibus sæpe irretitur appetitus; quia cum cujusque appetitus de se sit inclinatus ad bonum proprium, non indiget habitu positive inclinante, sed tantum removente impedientia; justitia vero cum non sit ad bonum proprium, sed ad bonum alterius, directe et positive inclinat voluntatem de se non inclinatam ad judicium rectum, hoc est, ad determinationem æqualis alteri debiti : de quo latius alibi.

Quidam hic operose disputant utrum judicium sit actus elicitus justitiæ an imperatus; sed res est levis momenti, quæ sic forte posset breviter resolvi. Si judicium consideretur ut respiciens justum secundum omnes debitas circumstantias, est actus elicitus prudentiæ. Si consideretur ut respiciens justum quatenus præcise æquale alteri debitum, quod est objectum formale justitiæ, est actus ab illa elicitus. Nec obstat quod justitia sit in voluntate et judicium sit actus rationis; ut enim dicatur actus elicitus ab aliqua virtute, non est necesse quod sit in potentia quæ hunc actum elicit, sed sufficit quod immediate ab illa regulatur, nulla alia mediante virtute : sic oratio est actus elicitus a religione, licet religio sit in voluntate et oratio sit actus intellectus; sic iterum confessio exterior fidei est actus elicitus a fide. Judicium autem quatenus formaliter respicit jus ut alteri æquale debitum, immediate regulatur a justitia ut ejus objectum formale. Si hæc tibi non sufficiant, vide, si lubet, Bannem et Serram hic inter se pugnantes, aut melius quiesce in verbis S. Thomæ supra citatis ad primum.

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 2° Judicium debitis circumstantiis vestitum est licitum. Est contra Waldenses et Anabaptistas, qui, moti quibusdam S. Scripturæ locis male intellectis, docuerunt non licere christianis judicia exercere.

Ibid. in a. 3. o. — *Prob.* 1° ex S. Scripturis. Deuteron. 16, dicit Deus Moysi : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio.* Et cap. 1 : *Quod justum est judicate :* quod repetit Christus Joan. 7. Apost. Rom. 3, asserit quod *non sine causa judex gladium portat; Dei enim minister est vindex in iram ei qui malum agit.* Petrus Act. 5, judicavit Ananiam et Saphiram; Paulus 1 Cor. 5, incestuosum Corinthium. Ecclesia a tempore Apostolorum erexit tribunal ad quod deferebantur in primis causæ ecclesiasticæ, deinde etiam sæculares, *ut patet* ex lib. 2 Constit. Apost. cap. 37, et ex S. August. lib. de Opere Monachorum cap. 29.

Ibid. o. — *Probatur ratione.* Omnis actus virtutis est licitus : atqui judicium debitis circumstantiis vestitum, est actus virtutis, scilicet justitiæ, ut dictum est. Ergo.

Ibid. — Dixi, *vestitum debitis circumstantiis*, quæ sunt tres : prima, ut proceedat ex inclinatione justitiæ; secunda, quod procedat ex auctoritate præsidentis; tertia, quod proferatur secundum rectam rationem prudentiæ. Prima conditio potest intelligi duplici sensu : primo, quod judicium non sit contra justitiam; secundo, quod sit ex amore justitiæ et non ex aliquo motivo humano, puta odio, ira, avaritia, inani gloria, etc. Defectu primæ conditionis primo sensu intellectæ, judicium et perversum et injustum. Defectu ejusdem conditionis secundo sensu intellectæ, non est proprie injustum judicium, malum tamen et illicitum graviter vel leviter pro qualitate motivi. Defectu secundæ conditionis est judicium usurpatum; sed id spectat judicium publicum; cum enim justitia sit in privatis, potest etiam in eis esse verum et rectum judicium absque auctoritate. Defectu tertiæ conditionis, est judicium temerarium, quando nempe quis ob leves rationes judicat dubia et occulta.

Dices cum hæreticis. Judicia prohiben-

tur in novo Testamento. Ergo. *Probatur ant.* 1° Christus Matth. 7, dicit : *Nolite judicare ut non judicemini ;* et Apost. Rom. 14 : *Tu quis es qui judicas alienum servum?* Secundo Christus Matth. 5, dicit : *Ei qui tecum vult in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei pallium.* 3° Apost. 1 Cor. 6, ipsos redarguit quod judicia haberent inter se. Ergo.

Ibid. ad 1. — *R. N. ant. Ad primam probationem,* dico in his locis prohiberi judicia temeraria quibus privati ex insufficientibus causis judicant de occultis dictis, factis, imo et cogitationibus proximorum.

Ad secundam, R. his verbis Christum non prohibere ne nostra in judicio vel extra repetamus, sed velle duntaxat nos ita esse animo comparatos, ut injurias qualescumque potius feramus quam vel privata auctoritate eas ulciscamur aut aliter cum detrimento salutis.

Ad tertiam, Apostolus redarguit Corinthios quantum ad duo : primo, quod causas suas agerent coram judicibus ethnicis, et non potius coram christianis saltem ut arbitris : unde subdit : *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia* (id est etiam viliores et inter christianos), *illos constituite ad judicandum.* Ubi palam est non improbari ab Apostolo judicium secundum se. Secundo, Apostolus redarguit Corinthios quod inter se litigarent cum fraudibus et injuriis aliisque vitiis quæ solent sequi ex litigatione, et ideo subdit : *Sed vos injuriam facitis, et hoc fratribus.*

Quæritur utrum judex existens in peccato mortali, peccet alios judicando?

Ibid. ad 3. — *R. sub distinctione* peccati publici et occulti. Primo, judex existens in peccato mortali publico, peccat alios judicando : mortaliter quidem si de eodem peccato judicet, puta, si publicus concubinarius condemnet alium concubinarium, si publicus usurarius judicet usurarium aut latronem ; quia tale judicium est graviter scandalosum, utpote præbens aliis occasionem contemnendi justitiam, quasi et eamdem vim non haberet in judice ac in aliis, et conquerendi quod ipse judex in aliis puniat quæ ipse committit. Si autem judicium proferat in alio genere peccati, peccat quidem, sed tantum venialiter, ut si publicus usurarius judicium proferat in adulterum, publicus concubinarius in latronem ; quia tale judicium non est graviter scandalosum in ordine ad justitiam.

Ibid. — Secundo, judex existens in peccato mortali occulto, si necessitas judicandi immineat propter officium, potest cum humilitate et timore judicare, proindeque non peccat nec etiam venialiter judicando, etiamsi in eodem genere peccati.

Prob. Peccatum occultum non tollit auctoritatem jurisdictionis a judice, ut est definitum sess. 8 conc. Const. contra Wiclefum : non etiam tollit rectitudinem justitiæ, ut suppono ; neque talis judex procedit ex odio, avaritia, aut ex alia passione, ut etiam suppono ex terminis, *si necessitas judicandi immineat ;* neque judicium est scandalosum, cum peccatum sit occultum ; neque est actus sacer qui requirat sanctitatem in operante, ut est, v. g. celebratio missæ ; neque tandem ad eum judex aliqua sanctitate consecratur, ut sacerdos : ergo ex nullo capite est peccaminosum.

Si dicas S. Thomam contrarium docuisse in 4, d. 19, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2 : *R.* cum Cajetano et aliis, S. Doctorem hanc priorem sententiam retractasse non solum hic, sed et lect. 1 in caput 8 Joan. et in caput 2 Rom.

Oppones insuper. 1° Christus Joan. 8 interrogatus de adultera, respondet pharisæis : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* 2° Apost. Rom. 2, dicit peccatori : *In quo alterum judicas, teipsum condemnas.* Ergo.

R. Ad primum, Christum his verbis non significasse immunitatem ab omni peccato requiri in judice ut judicium ferat, sed voluisse exprobrare pharisæis suam hypocrisim, qui, cum essent ipsi multis et gravibus criminibus obnoxii, ex ficto tamen justitiæ et legis zelo, atque ut apparerent mundi, volebant fœminam unius peccati ream morti addici.

Ibid. — *Ad secundum, R.* quod propter tale judicium homo non sic se condemnet, ut novum condemnationis meritum sibi acquirat ; sed quia condemnans alium, ostendit se similiter condemnabilem esse propter idem peccatum.

ARTICULUS II.

De suspicione et judicio temerario.

Nota, suscipionem, dubitationem, opi-

nionem et judicium, ubi agitur de malo proximi, sæpe pro uno et eodem sumi, et sub generali nomine vel suspicionis temerariæ, vel judicii temerarii comprehendi. Sic S. Thomas hic a. 3, ubi cum initio corporis definivisset suspicionem, quod sit opinio mali ex levibus indiciis, in prosecutione ejusdem articuli, suspicionem cum dubitatione et judicio confundit, distinguens triplicem gradum suspicionis : in quorum primo reponit dubitationem, in secundo firmam sententiam, in tertio judicium exterius. Neque id S. Thomæ est proprium, sed commune doctis et indoctis apud quos suspiciones temerariæ et judicia temeraria sæpe confunduntur, et quæ sunt simplices suspiciones vocantur judicia, et quæ sunt judicia dicuntur suspiciones. Hujus confusionis duplex potest assignari ratio : prima est, quod hi omnes actus sint de malo proximi; secunda, quod sint ex insufficientibus indiciis.

Attamen si stricte loquamur, hi omnes actus inter se distinguuntur. Et enim dubitatio est, cum animus in utramque partem movetur, sed neutri assentitur, manetque pendulus inter utramque. Suspicio est, cum intellectus a dubio seu medio recedens, magis inclinatur in assensum unius partis, sic tamen ut necdum assentiatur. Quidam eam non distinguunt ab opinione nisi secundum plus et minus, voluntque eam esse opinionem debilem seu cum magna formidine : opinio autem est assensus in unam partem cum formidine partis oppositæ. Judicium est assensus certus et firmus in unam partem sine formidine partis oppositæ.

Nos hic agimus de suspicione temeraria prout comprehendit dubitationem et opinionem, et quæstio præcipua est utrum sit ex genere suo peccatum mortale, ita quod in individuo sit semper mortalis quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Et est etiam difficultas de mente S. Thomæ. Ut a certioribus incipiamus,

Q. 60. a. 3. o. — *Dico* 1° Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale. Est certa et communis cum Auctore.

Prob. 1° ex S. Scriptura. Matth. 7 dicitur : *Nolite judicare ut non judicemini.* Luc 6 : *Nolite judicare et non judicabimini.* Rom. 14 : *Tu quis es qui judicas servum alienum?* Jacobi 4 : *Qui detrahit fratri aut qui judicat fratrem, detrahit legi et judicat legem.* Idem alibi. Ex quibus locis *patet* judicium temerarium prohiberi tanquam grave peccatum.

Ibid. — *Prob.* 2° Judicium temerarium non est sine injuria et contemptu proximi, proindeque est contra justitiam et charitatem; ergo ex genere suo est peccatum mortale.

Confirmatur. Unusquisque habet jus ut bona æstimatio de eo habeatur ab aliis, quandiu non probatur malus : atqui qui judicat temerarie de proximi malo, contra istud jus agit : ergo est contra justitiam, etiam contra charitatem, 1° quia contra illud charitatis et rectæ rationis principium, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* 2° quia fieri non potest ut qui sic de proximo judicat, illi sit bene affectus.

Sed petes quomodo judicium interius sit contra justitiam, siquidem tam injustitia quam justitia sint circa res et operationes externas?

Ibid. a. 3. — *R.* assumptum esse verum de actibus externis justitiæ et injustitiæ; sed si loquamur de actibus internis, ut dicantur ad justitiam vel injustitiam pertinere, sufficit quod ex se ordinentur ad ejusmodi res vel operationes externas, justas vel injustas : sic voluntas furandi pertinet ad injustitiam, voluntas restituendi ad justitiam. Judicium autem temerarium interius ex se ordinatur ad judicium injustum exterius, et ad detractionem sive contumeliam; sicut concupiscentia ad fornicationem et ira ad homicidium.

Ex quo inferes, temere judicantem teneri ad aliquam restitutionis speciem, pro ratione scilicet damni quod infert. Damnum autem quod infert consistit in hoc quod in ejus mente auferatur injuste bona existimatio de proximo : debet ergo tale judicium deponere et bonam existimationem de proximo concipere.

Dices insuper Probabile est non esse peccatum mortale revelare crimen proximi uni soli viro prudenti non manifestaturo : ergo multo minus quod apud te solum judices temerarie malum proximi.

R. Dato ant. N. consq. Disparitas est, quod in priori casu verum dicas, ex quo suppetit tibi aliqualis excusatio : at in secundo judicas falsum saltem practice, cum judices certo crimen ubi non est certum.

Dico 2° Probabilius est suspicionem temerariam de malo proximi, prout compre-

hendit dubitationem et opinionem esse ex genere suo peccatum mortale, proindeque in indiv duo esse semper peccatum mortale, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Ita Bannes, Sylvius, Salonius, Medina, Aragonius, Molanus et alii, contra Cajet. Navarrum, La Cruz, Ledesma, Lessium et alios, quorum quidam suam assertionem intra solius speculationis limites restringunt.

Probatur iis plane momentis quibus probavimus modo judicium temerarium esse ex genere suo peccatum mortale, et 1° ex S. Scriptura. Iis enim locis quæ conclusione superiori deduximus contra judicium temerarium, S. Scriptura non solum intelligit judicium certum et firmum, sed judicium generatim : atqui suspicio vel opinio sunt quædam species judicii generatim sumpti : ergo. *Confirmatur.* S. Scriptura loquitur de iis judiciis in quæ homines frequenter incidunt, et ex quibus ut plurimum oriuntur murmurationes, detractiones, odia, etc., atqui hujusmodi sunt non solum judicia firma et certa, sed et maxime suspiciones; dubitationes et opiniones. Ergo.

Prob. 2° Illud peccatum est ex genere suo mortale, quod contrariatur justitiæ et charitati : atqui talis est suspicio temeraria : ergo. *Prob. min.* 1° —**Ibid. ad 2. et a. 4. o.** —Quia, ut dicit S. Thomas, non est sine contemptu proximi, et ideo injuriatur ei. 2° Unusquisque habet jus ut æstimetur ab aliis probus, quandiu non apparet sufficienter ejus malitia : atqui contra istud jus agit, qui de eo temerarie malum suspicatur aut de ejus probitate dubitat : ergo contra justitiam. Etiam contra charitatem: 1° quia agit contra hoc primum totius vitæ socialis principium, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* 2° quia vix fieri potest ut qui temerarie suspicatur malum de proximo, illi bene afficiatur. Ergo.

Respondent adversarii, et est præcipuum eorum fundamentum, esse quidem injuriam et contemptum, sed incompletum, quia suspicio est quid incompletum in genere judicii.

Sed contra. Esto contemptus sit incompletus in genere judicii, inde non probatur istum contemptum incompletum non esse mortalem ex genere suo ; quia licet sit incompletus in genere judicii, est tamen completus in genere actus perfecte deliberati : Sic v. g. dubitatio plene voluntaria in materia fidei est judicium incompletum et contemptus incompletus in genere judicii ; sed quia est completus in genere actus perfecte deliberati, est sufficiens ad peccatum mortale. Sic iterum detractio de proximo apud unum solum virum probum, est contemptus incompletus, et tamen juxta valde probabilem sententiam, est peccatum mortale ex genere ; aut si vis, detractio apud decem, est contemptus minus completus quam detractio apud viginti : et tamen utrobique est peccatum mortale ex genere.

Prob. 3° *et magis concutitur hoc præcipuum adversariorum effugium.* Suspicio temeraria de gravissimis malis proximi, est in individuo peccatum mortale : ergo suspicio temeraria ex genere suo est peccatum mortale. *Patet consequentia ;* quia quod est veniale ex genere suo, quantumvis augeatur, intra suam speciem remanet veniale, nec fit mortale nisi per aliquam circumstantiam trahatur ad aliam speciem, ut docent communiter theologi post D. Th. 1 2 q. 88, a. 5. *Probatur ant.* Suspicio temeraria in casu graviter contemnit proximum et gravem ei infert injuriam : ergo. *Prob. ant.* Primo, nemo est qui non existimet se graviter contemni et gravem pati injuriam, si quis de illo sine causa suspicetur aut etiam dubitet quod sit sodomita, incestuosus cum matre, hæreticus, magus, sortiarius, etc., ita quod mallet notabilem pecuniæ summam perdere quam talem de se haberi suspicionem : testes ipsos adversarios appello. Secundo, qui de viro gravi et integræ famæ temerarie judicaret quod sit fornicarius, peccaret mortaliter, latentibus ipsis adversariis, propter gravem contemptum et gravem ei irrogatam injuriam : atqui dubitande aut suspicando quod sit sodomita, incestuosus in primo gradu, magus, etc., magis eum contemnit et majorem ei irrogat injuriam, quod patet ex eo quod iste vir ingenuus mallet haberi certo fornicarius simplex quam venire in suspicionem talium gravissimorum scelerum. Ergo.

Neque dicas eum sic malle, eo quod timeat ne ista suspicio in judicium evadat, et judicium exterius proferatur ac tandem puniatur ; quasi verò puniendus sit propter judicium unius sine probationibus. Sed numquid etiam timet ne judicium de minori crimine exterius pandatur, et inde puniatur aut saltem diffametur? Ego sane per-

suasum habeo, etiam sistendo in sola suspicione interiori, virum probum et gravem malle pati judicium de minori crimi ne quam suspicionem de gravissimis sceleribus; et sic omnem coràatum sentire existimo.

Restat difficultas de mente D. Thomæ.

Probatur ergo *conclusio* ex D. Thoma, aut potius instauratur argumentum ex eo jam factum in probationibus prioribus. Ideo juxta S. Thomam, hic a. 3. o, judicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo, quia est cum contemptu proximi: atqui juxta eumdem S. Doctorem in resp. ad 2 et in o articuli seq. suspicio est etiam cum contemptu proximi. « Ex hoc ipso, *inquit*, » quod aliquis malam opinionem habet de » alio sine causa sufficienti, indebite con» temnit ipsum, et ideo injuriatur ei: » ita ut eodem prorsus modo loquatur de utraque S. Doctor. Ergo.

Respondet Serra, S. Thomam loqui de suspicione in secundo gradu, in quo pro judicio certo accipitur.

Sed contra. S. Thomas loquitur de ea suspicione de qua loquitur in argumento cui respondet; sed in argumento cui respondet loquitur de suspicione prout distinguitur a judicio certo: *patet* legenti argumentum, quod est sic: « Per judicium » illicitum fit aliqua injuria proximo; sed » suspicio mala in sola opinione hominis » consistit, et sic non videtur ad injuriam » alterius pertinere: ergo suspicionis judi» cium non est illicitum. »

Objicies. S. Thomas hic a, 3 o, distinguens tres gradus suspicionis, dicit: « Pri» mus quidem gradus est, dum homo ex » levibus indiciis de bonitate alicujus dubi» tare incipit: et hoc est veniale et leve pec» catum; pertinet enim, inquit S. Aug. ad » tentationem humanam sine qua vita ista » non ducitur..... Secundus gradus est, » dum aliquis pro certo malitiam alterius » æstimat ex levibus indiciis: et hoc si sit » de aliquo gravi, est peccatum mortale, » in quantum non est sine contemptu proxi» mi..... Tertius gradus est, cum aliquis ju» dex ex suspicione procedit ad aliquem » condemnandum. » Ergo juxta S. Thomam, suspicio seu dubitatio temeraria non est ex genere peccatum mortale.

Insuper S. Thomas Quodl. 12, a. 34, dicit: « Suspicio autem est quid imperfectum » in genere judicii, et ideo est imperfectus » motus, et ideo non est mortale ex genere, » quamvis si fiat ex odio erit aliquando mor» tale. » Ergo.

Ad primum, *R.* cum Sylvio et aliis S. Thomæ interpretibus, S. Doctorem sicut et S. Augustinum in quo ibi fundatur, loqui de suspicione repentina et non plene deliberata: *quod patet* primo ex ipsis ejus verbis: *dum*, inquit, *homo dubitare incipit*: nemo enim dicitur incipere dubitare, qui post plenam advertentiam deliberate dubitat et dubitare pergit maxime de gravi malo proximi. Secundo *patet* ex ratione quam affert ex S. Augustino, scilicet, quod talis suspicio *pertineat ad tentationem humanam sine qua hæc vita non ducitur*. Porro suspicio temeraria plene deliberata de gravi malo proximi, non ad humanam sed ad diabolicam tentationem pertinet, ut bene notat Bannes, et falsum est plurium vitam sine talibus suspicionibus non duci.

Inferes ex solutione data. Ergo S. Thomas nihil de terminat de suspicione deliberata, de qua tamen quærit in articulo, et quam initio corporis definit esse opinionem mali ex levibus indiciis, si quidem in secundo et tertio gradu non de suspicione, sed de judicio certo loquatur.

R. N. illationem. Primo, quia S. Doctor et in responsione ad secundum, et art. sequentio, singulariter determinate de suspicione deliberata his verbis: « Ex hoc ipso » quod aliquis habet malam opinionem de » alio absque sufficienti causa, injuriatur ei » et contemnit ipsum; » quod fuit fundamentum nostræ assertionis. Secundo, quia sicut sub primo gradu comprehendit non solum suspicionem aut dubitationem, sed etiam judicium, quando indeliberate fiunt: ita sub secundo gradu comprehendit non solum judicium, sed suspicionem et dubitationem quando deliberate fiunt.

Inst. contra secundam solut. In secundo gradu loquitur tantum de judicio certo: « Secundus gradus, inquit, est cum aliquis » pro certo malitiam alterius æstimat ex le» vibus indiciis. » Ergo.

R. cum Sylvio, S. Thomam equidem primario in secundo gradu agere de judicio certo, secundario tamen de suspicione deliberata; quia quod hic dicit de judicio, nempe *quod non sit sine contemptu proximi* idem dicit de suspicione ad 2, et art. seq. o; et cum Banne, S. Thomam per ly *certum* in-

telligere perfecte deliberatum, ita quod sensus sit : dum quis pro certo, hoc est, perfecte deliberate malitiam alterius temerarie æstimat sive dubiam, sive suspectam, sive opinabilem, sive certam, etc. Quia in materia morali judicium potest dici certum quamvis non excludat formidinem de opposito, modo sit perfecte deliberatum : patet in judice qui, cum per duos testes idoneos judicat crimen alterius, dicitur certo judicare, et tamen non semper in eo excluditur omnis formido de opposito.

Repones. Videtur ridiculum quod S. Thomas specialiter definiat in primo gradu suspicionem indeliberatam esse peccatum veniale, cum id sit omnibus notum et omnibus peccatis commune. Ergo.

R. id nec ridiculum nec insolitum esse in D. Thoma, quando agit de peccatis internis quæ facile et frequenter subrepunt, ut sunt suspiciones malæ de proximo, ad quas ex humana fragilitate propensiores sumus.

Ad secundum, *R.* similiter S. Thomam loqui de suspicione imperfecte deliberata ; quia ponit ibi comparationem cum voluntate adulterandi quam dicit esse peccatum veniale, quando et incompleta, ubi certum est quod per *incompletam* intelligit *indeliberatam*, cum constet voluntatem adulterandi deliberatam esse peccatum mortale. Addit autem quod si suspicio fiat ex odio, erit aliquando mortalis, quia cum ex odio procedit, est ordinarie plene deliberata.

Replicabis cum Serra, Peccatum quod est ex genere mortale, non dicitur veniale ex genere propter indeliberationem. Ergo.

R. D. Si ly *ex genere* attendatur ex parte objecti, *C.* si ly *ex genere* attendatur ex parte principii, *N.* Bono enim sensu dici potest quod omnis actus indeliberatns in materia mortali sit peccatum veniale ex genere, hoc est, ex conditione et natura talis actus cui deest principium moralitatis, scilicet deliberatio.

NOTANDA PRO PRAXI.

Ut sive suspicio sive judicium temerarium sit peccatum mortale in individuo, tria requiruntur : primum, quod sit perfecte deliberatum ; secundum, quod sit plene temerarium ; tertium, quod sit de gravi malo proximi : quorum si unum desit, erit tantum peccatum veniale.

Circa primum.

Notat Sylvius post Lessium et alios, ad peccatum mortale in suspicione seu judicio temerario non sufficere qualitercumque deliberate suspicari aut judicare ; sed quod debeas advertere et scire, aut saltem dubitare te et ex signis insufficientibus et de re gravi judicare aut suspicari ; alias, inquit, judicium non erit voluntarium saltem ex parte qua est temerarium aut de re gravi. Id quidem admitto quoad conditionem rei gravis, non solum propter dictam rationem, sed quia tunc non contemnis graviter proximum. Quoad vero insufficientiam indiciorum, restringendum puto sic : nisi ex malevolentia, invidia, odio, similive passione voluntarie excæcatus circa insufficientiam indiciorum, ea discutere negligas et judicium præcipites ; tunc enim virtualiter illam advertis, cum debeas et possis advertere, ut forte fusius alibi dicetur. Et insuper alioquin vix ullum foret judicium temerarium, cum homo male affectus erga alterum, facile sibi persuadeat indicia quæ habet de malo inimici esse sufficientia.

Notat insuper et bene laudatus theologus ex pluribus aliis, quod, quando quis timoratæ conscientiæ dubitat aut non meminit se consensisse suspicioni seu judicio temerario, non sit metuendum de peccato mortali, quamvis diu duraverit cogitatio ; quia potest prudenter existimare vel se non consensisse, alioquin conscientia remorderet, vel se habuisse sufficientia indicia. Secus dicendum de iis qui libenter vitam aliorum carpunt et de sua salute sunt parum solliciti.

Item non incongrue a quibusdam statuitur hæc altera regula pro timoratis, maxime pro scrupulosis. Quando interrogati an, si advertissent esse judicium temerarium et peccatum, deliberate voluissent consentire : si respondeant negative, censendum est non peccasse mortaliter, quia vel non fuit consensus, vel non plene deliberatus. Instruantur insuper ut bene distinguant inter judicium verum aut suspicionem veram, et solam rei repræsentationem seu simplicem cogitationem ; hæc enim non est peccatum, sed tentatio et occasio meriti si repellatur, sicut et peccati si admittatur.

Hæ porro regulæ etiam currunt in tentationibus sive contra fidem, sive contra castitatem, quibus frequenter torquentur timoratæ conscientiæ.

Sed si judicium temerarium fuerit quidem plene deliberatum, pauco tamen tempore duraverit, et judicans statim se correxerit, fuitne peccatum mortale?

R. affirmative. Quia malitia judicii temerarii non a mora temporis, sed a contemptu et injuria proximi dependet: fuit autem injuria plene deliberata, etsi diu non duraverit.

Dices. Qui rem alienam ad breve tempus accepit, non peccat mortaliter: ergo similiter hic.

R. Vel ille accipiendo rem alienam intendit statim reddere, vel non: si non, peccat mortaliter, quia per acceptionem rei alienæ cum intentione retinendi completur peccatum furti; si intendat statim reddere, non peccat quidem mortaliter, quia, ut suppono, nullum sequitur damnum domino, nec ipse foret in hoc casu rationabiliter invitus. At hic modus non habet locum in nostro casu, in quo per judicium temerarium deliberatum etsi non diuturnum infertur vere injuria proximo, qui ideo est rationabiliter invitus.

Circa secundum.

Nota 1° Merito dixi judicium temerarium non esse peccatum mortale nisi sit plene temerarium, cum tota ejus malitia ex temeritate oriatur; ita ut si nullo modo esset temerarium, hoc est, si adessent omnino sufficientia indicia, nullatenus foret peccatum: quia tunc esset judicium prudens et rationabile, neque per illud inferretur injuria proximo; proximus enim amisit jus suæ famæ et bonæ existimationis respectu illius cui ejus crimen sufficientibus indiciis probatur.

Quod si indicia non sint quidem omnino sufficientia, proxime tamen accedant ad sufficientia, non erit etiam peccatum mortale, quia magna probabilitas non multum distat a morali certitudine: unde non erit gravis temeritas nec proinde gravis injuria.

Et quia judicare certo, est quid plus quam simpliciter opinari, opinari quam suspicari, et suspicari quam dubitare; ideo majora indicia requiruntur ad judicandum quam ad opinandum, ad opinandum quam ad suspicandum, et ad suspicandum quam ad dubitandum. Unde fit quod indicia quæ sufficiunt ad dubitandum non semper sufficiant ad suspicandum, nec quæ sufficiunt ad suspicandum sufficiant ad judicandum, possitque esse judicium temerarium ubi suspicio non foret temeraria.

Nota 2° Ad dignoscendum vero quæ indicia sint sufficientia et quæ non sint, statui possunt duæ regulæ generales.

Prima regula. Quando indicia ex se vel ex communi hominum usu sunt raro conjuncta cum malo de quo suspicaris aut judicas, censentur insufficientia; si vero sint ut plurimum conjuncta cum illo, censentur sufficientia.

Secunda regula. Indicia quæ, attenta qualitate facti, personæ, loci, temporis et aliis circumstantiis, sufficiunt ad movendum virum gravem et prudentem ad taliter suspicandum vel judicandum, censentur sufficientia; secus non.

Ex his regulis inferes 1° Si videas juvenem libidinosum et petulantem cum meretrice sola colloquentem, sufficiens indicium est ut judices illum de libidine cogitare; secus si sit vir gravis et integerrimæ famæ.

2° Si persona quæ alterius peccatum narrat sit gravis et honesta, detrahere non solita, nec alteri infensa; et alter de quo narrat sit vulgaris et nullius nominis; est sufficiens indicium ut credatur peccatum quod narrat: secus si narrans sit persona levis, garrula, aut alteri infensa, maxime si alter sit probitate morum commendatus. Quod si et narrans et is de quo narratur sint honesti et probi, non est sufficiens indicium ad judicandum, sed ad summum ad dubitandum: forte fecit, quia alioquin talis non assereret: forte non fecit, quia est probus, et alter potest decipi.

3° Si videas hominem noctu alienas ædes perfodientem, scalas admoventem, ascendentem per fenestras, sufficiens indicium est ut judices eum furandi vel alterius mali perpetrandi causa id agere. Secus si de die id faciat.

4° Si videas juvenem cum puella clam in loco obscuro aut clauso colloquentes et petulanter colludentes, quos certo nosti non esse conjuges, sufficit ut judices aliquid subesse mali: secus si modeste et in loco patente conversentur.

Hæc, inquam, et sexcenta similia resolvuntur ex statutis regulis.

Circa tertium.

Nota, malum grave in hac materia sicut in materia detractionis, esse id omne et solum quod, attenta personarum et facti qualitate, est valde probrosum ac graviter noci-

rum honori, famæ ac bonæ existimationi proximi, sive peccatum sit, sive non; quia malitia hujus peccati consistit in contemptu proximi.

Quamvis ergo peccatum mortale secundum se sit materia gravis, et peccatum veniale materia levis; per accidens tamen ex personarum aut facti qualitate, contrarium sæpe contingit. Quidam enim sunt qui ex certis peccatis etiam mortalibus non diffamantur apud homines, nec ipsi verecundantur, sed quandoque laudi ducunt, v. g. duellum aut fornicatio respectu militis, ebrietas respectu plebeii his partibus, de quibus si hæc temerarie judices, non peccas mortaliter, quia respectu illorum non est materia gravis. E contra quidam sunt qui ex peccatis venialibus, aut etiam ex his quæ peccata non sunt, multum contemnuntur: ut si de episcopo vel summo pontifice temerarie judices esse mendacem habitualiter; de moniali, quod frequenter colloquatur noctu cum adolescentulis; de viro natalibus et dignitate claro, quod sit illegitimus, quod sit fatuus: si tamen ob hos defectus sic eum contemnas, ut honoribus et officiis indignum judices; si enim, non obstante hoc judicio, eum in eodem pretio et honore habeas, peccabis tantum venialiter.

Petes 1° utrum qui temere judicat in re gravi de eo quem eminus videt aut nocte invenit, nec agnoscit, peccet mortaliter?

R. probabilius negative; quia iste ignotus non videtur inde multum lædi, nec ipse, si sciret tale judicium, multum ægre ferret, bene fidens quod agnitus judicium alterius reformaretur.

Petes 2° ex quibus causis oriuntur suspiciones et judicia temeraria?

Q. 60. a. 3. o. — *R.* ex tribus. Primo, ex hoc quod aliquis sit ex seipso malus; inde enim quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, secundum illud Ecclesiastæ 10: *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Secundo, ex hoc quod aliquis male afficiatur ad alterum; cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur aut si, ex levibus signis, opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit quod appetit. Tertio, ex longa experientia: unde philosophus dicit in 2 Rhetor. c. 13, quod senes sunt maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt defectus aliorum. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifeste pertinent ad perversitatem suspicionis; tertia diminuit rationem suspicionis temerariæ, in quantum experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis temerariæ.

ARTICULUS III.

Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?

Q. 60. a. 4. ad 2. — *Nota.* Dubium potest esse vel de rebus, vel de personis. De rebus, v. g. utrum sol moveatur circa terram, an terra circa solem; utrum talis contractus sit licitus, an illicitus. De personis, v. g. utrum Petrus tale crimen commiserit.

Ibid. — Certum est dubia de rebus non esse in metiorem partem interpretanda, sed suis æstimanda momentis; quia in judicio in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa; sed attenditur ibi solum bonum judicantis si vere judicet, vel malum si falso; quia verum est bonum intellectus, falsum autem malum ipsius. Et ideo unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet secundum quod sunt. Sed in judicio quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum et malum ex parte ejus de quo judicatur, qui in hoc ipso honorabilis habetur quod bonus judicatur, et contemptibilis si judicetur malus.

Quæstio est itaque tantum de dubiis circa personas, an in meliorem partem sint interpretanda. Dupliciter autem dubium potest interpretari in meliorem partem: uno modo negative, non declinando in pejorem, altero modo positive, declinando in meliorem.

Dico 1° Dubia sunt in meliorem partem interpretanda saltem negative. Sequitur ex præcedenti articulo et ex eodem principio.

Probatur. Hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, contemnit ipsum et injuriatur ei, ut dictum est, quod est illicitum: atqui qui dubium de malo proximi non interpretatur in meliorem partem saltem negative, sed declinat in pejorem, habet malam opinionem de proximo absque sufficienti causa, cum rationes dubitandi sint in utramque partem, et ideo insufficientes ad suspicandum aut opinandum in pejorem. Ergo.

Idem probant omnia quæ diximus contra

suspicionem et judicium temerarium. Et est S. Augustini lib. 2 de Serm. Domini in monte cap. 18, in hæc verba Christi Matth. 7, *Nolite judicare*, etc. « Hoc loco, inquit, » nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut » ea factaquæ dubium est quo animo fiant, » in meliorem partem interpretemur. »

Dico 2° Dubia non sunt semper in meliorem partem interpretanda positive, sed in certis tantum casibus. Ita communiter cum Cajetano contra Soto.

Prob. prima pars. Præceptum bene judicandi de proximo in dubio, seu, quod idem est, dubium hoc in meliorem partem interpretandi positive, est affirmativum, sicut præceptum ipsum honorandi, diligendi, etc. atqui præceptum affirmativum licet semper obliget, non tamen obligat pro semper; sic non teneor elicere continuo actum dilectionis proximi : ergo. Unde etiam Christus Matth. 7, non dixit, Judicate semper bene de proximo, sed : *Nolite judicare*, male scilicet : similiter Apostolus Rom. 14 : *Qui non manducat, manducantem non judicet.*

Confirmatur. Qui nullam habet rationem dubitandi de bonitate proximi, non tenetur judicare semper quod sit bonus : ergo *a fortiori* nec ille qui habet rationem dubitandi.

Prob. 2° Vel sunt sufficientes rationes dubitandi, vel non : si primum, possumus manere dubii, suspendentes judicium nec declinantes in alterutram partem, quia dubium non est temerarium sed rationabile; si secundum, debet statim excuti dubium, quia est temerarium : sed non est noster casus; agimus enim de dubio fundato et rationabili.

Confirmatur. In casu veri et rationabilis dubii, objectum est neutrum : ergo qui neuter manet circa ipsum, agit prout exigit natura objecti, proindeque conformiter rectæ rationi.

Attamen, *et est secunda pars conclusionis*, supposito quod, re utrinque dubia, aliquis actus sit eliciendus de bonitate vel malitia proximi, ille debet fieri in meliorem partem, adeoque dubium positive interpretari in meliorem partem; et id directe probant rationes primæ conclusionis.

Item si gravis urgeret tentatio male opinandi vel judicandi de proximo, quam quis vincere non posset nisi positive judicando in bonam partem, ad id etiam teneretur, propter eamdem rationem.

Dices contra primam partem. S. Thomas hic o, et in solutionibus argumentorum, docet ita in meliorem partem dubia esse interpretanda, ut proximum habeamus et judicemus bonum, quamvis in hoc frequente. fallamur : atqui hoc est dubia in meliorem partem interpretari positive. Ergo.

R. cum Cajet. hic, S. Thomam esse intelligendum ex suppositione quod sit judicandum, *ut dictum est in secunda parte conclusionis.*

Dices contra secundam partem. Judicium magis debet esse de eo quod ut in pluribus accidit, alioquin errori exponimur; sed in pluribus accidit quod aliqui male agant, quia *stultorum est infinitus numerus*, Eccles. 1. *Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua*, Genes. 8. Ergo dubia debemus magis interpretari positive in malum quam in bonum, etiam in casibus positis.

Ibid. ad 1. — *R. D. maj.* Judicium debet magis esse de eo quod ut in pluribus accidit, si inde non sequatur injuria proximi, *C.* secus, *N.* Fateor ergo posse contingere quod ille qui in meliorem partem positive interpretatur, frequentius fallatur; sed melius est quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non ex primo in quo tantum habetur error speculativus, qui, licet sit malum, non est tamen malum simpliciter sed secundum quid, quia non est malum morale, sicut injuria facta proximo. Virtutes enim morales, cum perficiant hominem in ordine ad finem ultimum, efficiunt bonum simpliciter; adeoque malum ipsis oppositum, quod est malum morale, est malum simpliciter : virtutes autem intellectuales speculativæ, cum perficiant potentiam particularem, scilicet intellectum, in ordine ad bonum particulare tantum quod est verum, non efficiunt bonum simpliciter sed secundum quid; et consequenter malum ipsis oppositum non est malum morale nec malum simpliciter, sed secundum quid. Dictat autem recta ratio eligendum esse minus malum ut vitetur majus. Quamvis ergo in casu adsit judicium speculative falsum propter defectum conformitatis ad rem, adest tamen judicium practice verum pro-

pter conformitatem rectæ rationi, dictanti ex lege prudentiæ, justitiæ et charitatis, esse hic et nunc in bonam partem judicandum etiam cum periculo erroris speculativi, satiusque esse pati errorem speculativum qui ad mores non pertinet nec est malum simpliciter, quam errorem practicum qui ad mores pertinet et est malum simpliciter. Unde S. Thomas hic ad 2, dicit: « Homini » judicanti falsum, judicium quo bene ju» dicat de alio, non pertinet ad malum in»tellectus ipsius» practici scilicet. Et S. Aug. in Psal. 147: « Non se multum dolet errare, » cum bene credit etiam de malo: Quid » perdo, si credo quod bonus est? »

Dices insuper contra eamdem partem. Ex regula juris in 6, *Semel malus semper præsumitur malus.* Ergo.

R. hanc regulam intelligendam esse, non in ordine ad judicium de proximo, sed in ordine ad cautelam et remedium malis adhibendum. Igitur.

Ibid. ad 4. — *Nota diligenter pro praxi.* Quando agitur de cautela seu remedio adhibendo malis nostris vel alienis, licitum est interpretari dubia in pejorem partem, non quidem definiendo sive determinando, sed supponendo quod pejus est, aut etiam judicando quod possit esse tale; sic enim expedit ut securius remedium seu cautela adhibeatur, quia remedium quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum, nec ulli facis injuriam quia non judicas, neque suspicaris aut dubitas tuum proximum esse de facto vitiosum, sed supponis duntaxat esse talem, aut judicas posse esse talem; quod utique verum est nec ulli injuriosum, et ex ea suppositione tibi tuisque caves ac si revera talis esset.

Hoc genere suppositionis passim utimur absque peccato: sic pater prohibet prudenter filiæ consortium alicujus adolescentis, quia potest ab illo seduci; dominus attentius claudit arcam, custodit pecunias, quia domestici vel hospites ignoti possunt esse fures; viator expedit arma in occursu hominis ignoti, quia potest esse latro; vitat occursum vetulæ deformis, quia potest esse saga; et sic plura alia. Cave tamen ut semper rectum de proximo judicium in mente teneas, nec ultra sufficientiam indiciorum dubites, suspiceris aut judices. Sic etiam tuis cave ut per nimiam cautelam proximum non diffames aut contristeris.

Utrum judicium publicum sit secundum leges ferendum, et per usurpationem fiat perversum, quod art. 5 et 6 discutit Auctor, dicam infra dum de injustitia judicis.

DISSERTATIO VIII.

DE ACTU JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ, NEMPE DE RESTITUTIONE.

D. Th. Q. 62.

ARTICULUS I.

Utrum restitutio sit actus justitiæ commutativæ?

Q. 62. a. 1. o. — *Nota* 1° Restituere secundum primam nominis impositionem, est quasi iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ. — **Ibid. ad 2.** — Sed quia quædam res sunt in quarum possessionem homo non potest iterato statui, ut sunt vita et membra injuste ablata, et tamen qui hæc agunt non sunt a restitutione immunes, ideo apud theologos et jurisperitos extensum est restitutionis nomen, ut etiam significaret damni illati compensationem: unde restitutio in tota sua latitudine definiri potest, *Rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio:* — **Ibid. o.** — intelligendo rem acceptam sive per voluntatem domini, ut in mutuo vel deposito; vel contra voluntatem domini, ut in furto vel rapina.

Nota 2° Differt autem restitutio a solutione et satisfactione. A solutione, quia solutio postulat ut res quæ solvitur sit diversa a re pro qua solvitur, et quod nondum fuerit in possessione illius cui solvitur; restitutio autem non postulat ut res quæ restituitur sit diversa a re pro qua restituitur, quin potius postulat ut sit eadem quantum fieri potest, aut saltem æquivalens, et consequenter postulat quantum est ex se, ut jam fuerit in possessione illius cui restituitur: unde qui depositum reddit, vere restituit, non tamen solvit; e contra, qui dat pecuniam pro tritico empto, proprie solvit, non tamen restituit. Altera differentia est, quod restitutio attendat valorem rei cui æquivalere debet; solutio autem non tam valorem rei quam conventionem initam: unde fit quod unus plus solvat quam alter pro re æqualis valoris, et juste sistendo intra limites pretii legitimi, quod fieri non potest in restitutione justa.

In 4. d. 5. q. 1. a. 5. quæstiunc. 1. — A satisfactione distinguitur restitutio. Primo, quia satisfactio proprie respicit personam cui fit satis, quamvis non exhibeat æquivalens debito : restitutio autem respicit rem quæ debet eadem reddi vel æquivalens. Secundo, satisfactio respicit injuriam illatam seu honorem violatum, etsi nullum aliud damnum sit illatum ; restitutio autem respicit damnum illatum : unde potest esse satisfactio sine restitutione, ut dum satisfacimus Deo pro peccatis, aut petimus veniam ab eo quem contumelia affecimus : similiter potest esse restitutio sine satisfactione, ut in redditione depositi vel mutui ; potest etiam utraque esse simul, ut dum reddimus rem injuriose ablatam, nos humiliando aut veniam petendo. *His notatis,*

Q. 62. a. 1. o. — *Dico.* Restitutio est actus justitiæ commutativæ.

Ibid. — *Probatur.* Ad justitiam commutativam pertinet constituere æqualitatem rei ad rem inter datum et acceptum, inter damnum et compensationem : atqui hoc fit per restitutionem : ergo restitutio est actus justitiæ commutativæ. *Minor patet* ex notione modo data restitutionis. *Major etiam patet* ex dictis supra diss. 5, a. 3, de divisione justitiæ commutativæ et distributivæ, ubi ostendimus eas in hoc distingui, quod commutativa attendat æqualitatem rei ad rem, distributiva æqualitatem seu potius proportionem rei ad personam.

Cæterum intellige hic æqualitatem non strictam pro duarum rerum comparatione, quarum una non excedit alteram ; dum enim una et eadem res redditur, optima est restitutio : sed paulo latius sumimus æqualitatem, scilicet, sitam in hoc quod quis tantum recipiat quantum dedit, aut quantum fuit ablatum, aut quantum prius habebat, sic, ut nec plus nec minus habeat quam debet habere : ex quo habetur etiam quædam stricta æqualitas si non inter res, saltem inter personas, nempe inter restitutionem et eum cui restituitur.

Objicies. Restitutio est actus justitiæ distributivæ. Ergo. *Prob. ant.* Læsio justitiæ distributivæ obligat ad restitutionem : ergo restitutio est actus justitiæ distributivæ. *Patet consequentia.* Actus destruens virtutem per oppositum actum resarcitur, ut actus intemperantiæ per temperantiam. *Prob. ant.* Qui bona communia male distribuit, peccat contra justitiam distributivam : atqui tenetur ad restitutionem. Ergo.

R. N. ant. Ad probat. D. maj. Qui bona communia male distribuit, peccat contra justitiam distributivam tantum, *N.* simul et contra commutativam saltem regulariter, *C. Ad hunc sensum D. min.* Atqui tamen tenetur ad restitutionem, qua parte lædit justitiam commutativam, *C. min.* qua parte lædit justitiam distributivam, *N. min.* Quæ enim debentur particularibus ex justitia distributiva tantum, non sunt ipsis simpliciter debita, sicut propria et sua, sed secundum quid tantum ratione condignitatis et communitatis cujus sunt partes, ut jam dixi supra diss. 5, a. 3 : unde ad ea non habent jus in re, neque ad rem, sic, ut possint ea in jure repetere ut sua. Quapropter si eis fraudentur, non debent, quantum est ex hoc capite, magis illis restitui quam debeant restitui ea quæ debentur ex religione, vel gratitudine, aliisve partibus potentialibus justitiæ.

Verum raro contingit quod justitia distributiva non habeat annexam commutativam. Qui enim bona communia particularibus distribuit, vel est ad justam distributionem stipendio conductus, vel ex officio aut pacto designatus, ad quam proinde tenetur ex justitia commutativa. Unde si male distribuat, peccat primo contra justitiam distributivam, in quantum non distribuit communia particularibus secundum proportionem meritorum ; secundo peccat contra justitiam commutativam, non equidem damnificando particulares in eo quod est ipsis proprium, seu retinendo quod est stricte suum, sed omittendo appropriationem seu justam secundum merita distributionem, ad quam ex officio, subindeque ex justitia, commutativa tenebatur.

Inst. Qui violat justitiam distributivam præcise, nocet proximo cum injuria : ergo tenetur restituere. *Prob. ant.* Violat jus illius. Ergo. *Prob. ant.* Primo, hoc ipso quo quis habet merita, habet jus si non in re, saltem ad rem ut fiat sua ; secundo, omnis violatio justitiæ est violatio juris, cum jus sit objectum justitiæ. Ergo.

R. D. ant. Qui violat justitiam distributivam præcise, nocet proximo cum injuria late dicta, *C.* cum injuria proprie dicta, *N.* Sicut non est injuria proprie dicta dum quis nocet proximo contra charitatem. Unde *ad probationem, D.* Violat jus illius quod

est simpliciter et stricte jus, *N.* quod est jus secundum quid et moraliter tantum, *C.* Jus ergo quod respicit justitia distributiva, non est jus simpliciter et stricte sicut in justitia commutativa, sed est jus secundum quid et morale tantum, simile juri quod respicit vel justitia legalis, vel religio, cujus violatio non inducit obligationem restituendi.

Repones. Ideo justitiæ commutativæ violatio obligat ad restitutionem, quia unus habet plus quam debet habere, et alter minus : atqui ita contingit dum violatur justitia distributiva. Ergo.

R. hanc instantiam eadem semper chorda errare. *D. itaque maj.* Ideo, etc., quia unus habet plus, alter minus quam debet habere stricto jure, *C. maj.* jure secundum quid, *N. maj.* Alias sequeretur quod violatio aliarum virtutum, puta charitatis aut gratitudinis, obligarent etiam ad restitutionem, dum nempe contingit quod unus habet plus, alter minus quam debet habere ex charitate aut gratitudine ; sicque quoties divites omitterent culpabiliter dare eleemosynam, toties tenerentur ad restitutionem.

In summa ergo nemo tenetur restituere, nisi qui habet alienum injuste, aut qui injuste damnificavit alterum in suo et proprio ; quo enim titulo is qui neque habet alienum, neque alterum damnificavit in suo et proprio, teneretur ei sua dare ? Porro qui violat justitiam distributivam præcise, non accipit alienum, nec damnificat alterum in eo quod est suum et proprium, *ut patet. Et si dicas* eum violare jus quod alter habet ut secundum merita commune fiat suum et proprium : *R.* ex dictis, non omnis juris violationem inducere obligationem restituendi, sed solius juris stricti et legalis ; alioquin, ut jam dictum est, sequeretur quod qui violaret charitatem aut gratitudinem, aliamve virtutem justitiæ annexam, obnoxius esset restitutioni, quia violaret jus quod alter haberet ut res fiat sua : non enim est obligatio charitatis aut gratitudinis in uno, nisi sit quoddam jus in altero ; sunt enim correlativa.

ARTICULUS II.

Utrum restitutio sit necessaria ad salutem?

Q. 62, a. 2, o. — *Dico.* Rei injuste ablatæ aut damni injuste illati restitutio in re, ubi possibilis est, sin minus in voto necessaria est ad salutem.

Prob. 1° *ex S. Scriptura.* Ezech. 33, v. 14, de impio dicitur : *Si..... egerit pœnitentiam.....et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, vita vivet.* Matth. 22, v. 21 : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. ad* Rom. 13, v. 7 : *Reddite ergo omnibus debita.*

Ibid. in a. s. c. — *Prob.* 2° ex S. August. Epist. 54, quæ est ad Macedon. et refertur *c. Si res aliena*, causa 14, q. 6 : « Si res aliena » propter quam peccatum est, cum reddi » possit, non redditur, non agitur pœni- » tentia sed fingitur ; si autem veraciter » agitur, non remittitur peccatum nisi resti- » tuatur ablatum, sed, ut dixi, cum resti- » tui potest. »

Ibid. o. — *Prob.* 3° *ratione.* Conservare seu non violare justitiam, est de necessitate salutis : atqui qui non restituit cum potest injuste ablatum aut damnum injuste illatum, non conservat, quinimo violat justitiam, quia non servat æqualitatem. Ergo.

Infra q. 66. a. 3. ad 2. — *Confirmatur* 1° Non furari est de necessitate salutis : atqui detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta. Ergo.

Confirmatur 2° Qui non restituit cum potest, voluntarie nocet proximo et agit contra illud naturale præceptum, *Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Ergo.

Ex his inferes, restitutionem esse necessariam jure naturæ, divino et humano ; proindeque turpiter errasse sacerdotes Græcos qui, teste Guidone Carmelita et Alphonso a Castro, verbo *Restitutio*, fures, raptores, usurarios, etc., absolvebant postquam eos simplici oleo inunxissent, nulla eis imposita obligatione restituendi, sed aliquam duntaxat pecuniæ portionem ipsis sacerdotibus conferendi.

Dixi 1° cum Auctore, *rei injuste ablatæ*, non quod juste ablata, ut depositum, mutuum, pignus, etc., non debeant restitui ; sed quia hæc non sunt restituenda nisi cum dominus incipit alioquin esse invitus, quo casu pertinere incipiunt ad injuste ablata, sub ablatione intelligendo injustam detentionem.

Dixi 2°, *sin minus in voto ;* quia ubi restitutio in re est impossibilis, debet tunc haberi propositum illam faciendi dum erit possibilis ; quia est de necessitate salutis quod quis

habeat propositum servandi omnia Dei mandata, inter quæ reponitur præceptum restituendi seu non detinendi injuste alienum, quod reducitur ad hoc Decalogi præceptum, *Non furaberis.*

Obj. 1° Nemo tenetur restituere rem alienam si dominus consentiat aut sit irrationabiliter invitus : atqui dominus consentit aut saltem consentire debet ut qui rem habet suam, retineat. Ergo.

Prob. min. Unusquisque tenetur præferre salutem spiritualem proximi bono proprio temporali : atqui si non consentiat, præfert bonum suum temporale saluti spirituali proximi, cum ipse proximus tunc peccet retinendo, et sit damnatus si non restituat. Ergo.

R. N. min. Ad probat. D. maj. Unusquisque tenetur præferre salutem spiritualem proximi bono proprio temporali, in extrema aut saltem gravi necessitate, a qua liberari non potest nisi per alterius boni temporalis jacturam, *C. maj.* secus, *N. maj.* In casu autem, qui detinet alienum non patitur animæ periculum nisi ex propria et perversa voluntate, a quo solo ejusdem voluntatis nutu liberari potest, restituendo.

Obj. 2° Christus, Lucæ 11, pharisæos arguens rapinæ, non præcipit ipsis restituere, sed tantum hortatur ad eleemosynam, dicens : *Quod superest datæ eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo.

R. cum Sylvio *N. consequentiam.* Non enim omnia ad salutem necessaria omnibus in locis dicuntur, sed quædam in uno, quædam in alio loco. Et cum salutem Christus promittit eleemosynæ, id intelligendum est modo cætera adsint. Sic Matth. 6, dicit Christus : *Si remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*, si nimirum cætera adsint. Merito autem Christus commendat eleemosynam pharisæis præ restitutione, quia præceptum restitutionis non ignorabant, sicut necessitatem operum misericordiæ quibus externas lotiones præferebant.

Obj. 3° Rachel, Gen. 31, furata est idola patris sui : David, 1 Reg. 27, cum adhuc esset privatus, abstulit boves, oves, etc. in Gessur et Gersi. Idem, 2 Reg. 6, omnia bona Miphiboseth dedit Sibæ : atqui neque Rachel restituit idola patris sui, neque David prædas factas in Gessur et Gersi ; et cognita perfidia atque injustitia Sibæ, mediam tantum partem bonorum Miphiboseth jussit illi restitui. Ergo.

R. 1° generaliter, non omnia quæ fecere sancti esse sancta, neque omnia eorum pœnitentiæ opera esse scripta.

R. 2° *ad singula. Ad primum.* Non pauci quidem accusant Rachelem furti ; alii vero excusant, dicuntque eam id fecisse jure compensationis, eo quod pater ejus Laban ipsam fraudasset sua dote, secundum hæc verba : *Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit comeditque pretium nostrum?*

Ad secundum, R. fuisse mandatum a Deo non solum spoliare, sed et occidere illas gentes. Adde quod David tunc non esset privatus, ut falso dicitur in argumento, sed princeps militiæ a Saule constitutus ; et quamvis odio Saul tunc eum prosequeretur, non legitur tamen eum revocasse.

Ad tertium. Cajetanus et plerique commentatores agnoscunt Davidem graviter peccasse tum adjudicando Sibæ omnia bona Miphiboseth parte inaudita, tum huic reddendo mediam partem tantum agnita ejus innocentia. Quantum vero ad restitutionem, quamvis incertum sit quomodo eam fecerit David, quia tamen erat justus et sanctus, non videtur dubitandum quin eam fecerit, vel revocando præcedentem sententiam, vel dando Miphiboseth alias possessiones. Potest etiam computari in partem restitutionis quod eum cibo regio aluerit, et quod eum a morte liberaverit quando Gabaonitæ totam domum Saulis petebant deleri, 2 Reg. 21. Vel certe dicendum quod Miphiboseth beneficiis et honoribus a rege cumulatus, huic ejus sententiæ ac medietatis suorum bonorum distractioni sponte consenserit ; quod indicant hæc ejus verba ad David : *Fac quod placitum est tibi ;* et : *Etiam cuncta accipiat*, 2 Reg. 19.

Q. 62. a. 8. ad 1. — *Petes* 1° utrum præceptum restituendi sit affirmativum an negativum ?

R. esse affirmativum secundum formam, implicare tamen in se negativum quo prohibemur rem alienam detinere tanquam rationem sui.

Patet prima pars ; quia præcepto affirmativo præcipitur actus virtutis, negativo prohibetur actus vitii. Restitutio autem est actus virtutis.

Patet etiam secunda pars. Ratio enim cur debeat fieri restitutio est, quia alienum

non est detinendum ; non sic de aliis præceptis affirmativis, quæ licet includant negationem ut oppositam affirmationi, non tamen ut rationem sui : sic, v. g. Deus est amandus, non quia non est odio habendus, sed quia est summe bonus; et sic de cæteris.

Petes 2° utrum restitutio sit necessaria etiam necessitate medii ad salutem ?

R. Restitutio in re non est necessaria necessitate medii ; id enim dicitur necessarium necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter non habito aut omisso, salus haberi non potest, ut est baptismus pro parvulis, pœnitentia pro lapsis : sine vero restitutione in re inculpabiliter omissa, puta, propter impotentiam seu ignorantiam invincibilem, potest haberi salus, *ut patet* ex S. Aug. supra laudato.

Restitutio autem in voto eatenus potest dici necessaria necessitate medii, quatenus est necessarium necessitate medii ad salutem, ut quis habeat propositum servandi omnia Dei mandata, et non maneat in actuali peccato. Qui autem non restitueret saltem in voto, non haberet propositum servandi omnia Dei mandata, et esset in actuali peccato, nimirum in voluntaria detentione injusta rei alienæ.

Ex his inferes, infundatam ac prorsus erroneam esse opinionem vulgi quæ credit animas defunctorum tamdiu detineri in purgatorio donec eorum debita ab hæredibus solvantur. Nemo enim punitur post mortem nisi pro culpa quam commisit in hac vita : vel ergo ille defunctus fecit dum viveret quod in se erat ut restitueret, vel non fecit : si primum, ex hac parte salvus erit ; si secundum, vel ejus culpa fuit mortalis, et pro ea damnabitur in inferno ; si venialis, punietur in purgatorio pro ratione hujus culpæ, non pro ratione culpæ hæredum si negligant restituere, cum nemo puniantur in purgatorio pro culpa alterius. Et alioquin sequeretur quod ii quorum hæredes nunquam restituerent, semper et in æternum detinerentur in purgatorio non secus ac damnati in inferno, quod est falsum.

Objicitur c. *In litteris,* Extra. l. 5, tit. 17 de Raptoribus, ubi sic loquitur Alexander III : « Mandamus ut corpus ejusdem, appellatione cessante, facias in cœmeterio sepeliri, et hæredes ejus moneas et compellas ut his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condigne satisfaciant, ut sic a peccato valeat liberari. » Item ex Revelat. S. Birgittæ lib. 6, c. 66, habetur quod anima tandiu crucietur quamdiu non restituitur id quod injuste ablatum est. Ergo.

Ad primum, R. Navarrum et alios legere, *valeant,* pro *valeat :* ita ut referatur ad hæredes qui restituendo liberantur a peccato commisso vel committendo. Sed et si legendum sit *valeat,* ut alii volunt, sensus erit quod defunctus de quo agitur sit sepeliendus in cœmeterio, et damna quæ injuste intulit sint reparanda, ut per hæc pia opera ipsi applicanda per modum suffragii, et per preces quæ in his occasionibus fieri solent tum a sepelientibus, tum a creditoribus dum fit ipsis restitutio, liberari possit a pœnis suorum peccatorum.

Ad secundum, R. 1° non omnes revelationes quæ sub nomine S. Birgittæ circumferuntur, esse authenticas, cum multa falsa iis sint inserta, v. g. ibidem, quod anima in purgatorio patiatur desperate et cum mala voluntate. *R.* 2° loco citato non haberi quod assumitur ; sed solum, quod salvabitur propter eleemosynas factas, et si restituantur ea quæ sciuntur male acquisita ; quia nempe et eleemosynæ et restitutiones ipsi proderunt sensu mox explicato. Non autem inde sequitur quod, si non fiant eleemosynæ aut restitutiones, non salvabitur.

Quod autem narratur, plures defunctorum animas suis hæredibus aut conjunctis apparuisse, eosque monuisse ut quamprimum restituerent, sicque restituendo a pœnis purgatorii liberarent : *R.* has apparitiones plerumque esse fabulosas et commentitias ; et si veræ sint, nihil aliud ex his concludi posse quam quod supra dixi, voluisse vel suos hæredes removere a peccato quod contrahunt per detentionem rei alienæ, vel sibi procurare aliquod solatium per restitutionem, quatenus est pium opus ipsis per modum suffragii applicandum, et per preces quæ vel a creditoribus vel a pauperibus fieri solent, dum ipsis fit restitutio aut eleemosyna confertur. Quando vero facienda sit restitutio, dicam infra.

ARTICULUS III.

Ex quotuplici titulo nascatur obligatio restituendi?

Q. 62. a. 6. o. — *Dico,* Communiter assi-

gnantur duo tituli inducentes obligationem restituendi, scilicet, res accepta et injusta acceptio.

Ibid. — Ratione rei acceptæ, tenetur restituere qui rem alienam apud se sine sua culpa habet, ut depositum, commodatum, pignus, inventum, etc. Quia cum habeat quod suum non est, sed alienum, debet ab eo subtrahi quod habet ultra quod suum est, et dari cui deest secundum formam commutativæ justitiæ, ut fiat æqualitas.

Insuper, quamvis in eo casu non fuerit injusta acceptio, nec sit injusta detentio, foret tamen injusta si res suo tempore non redderetur.

Sub nomine autem rei, non solum intelligitur res in se existens, sed ejus valor, item fructus existentes et id omne ex quo qui eam habet factus est ditior.

Ib. et a. 4. o. — Ratione injustæ acceptionis, tenetur restituere qui furto, rapina, aut alia via injusta rem alienam abstulit, etsi apud ipsum non remaneat; qui alium injuste damnificavit absque ullius rei acceptione (sub injusta enim acceptione hic intelligitur injusta damnificatio). *Ratio est;* quia licet iste habeat plus quam debet habere, alter tamen ex ejus injusta actione habet minus quam debet habere. Unde violavit erga ipsum justitiam, quam tenetur per restitutionem reparare.

Ibid. — *Confirmatur.* Qui percutit aliquem, tenetur recompensare injuriam passo, quamvis apud ipsum nihil maneat: ergo qui furatur vel injuste damnificat, tenetur restituere quamvis apud ipsum nihil maneat.

Quod si res injuste ablata apud ipsum maneat in se vel in suo valore, aut inde sit factus ditior, tunc tenetur restituere duplici titulo, nempe rei acceptæ et injustæ acceptionis: porro non raro hi tituli conjunguntur, licet alteruter sufficiat.

Nota 1° Inter hos duos titulos magnum intercedit discrimen pro praxi diligenter notandum: scilicet, quod illi qui tenetur restituere ratione injustæ acceptionis maneat obligatio restituendi, etiamsi res debita sine ejus culpa pereat; quia semper manet ratio seu titulus obligationis, scilicet justitiæ violatio, quousque per restitutionem reparetur. Neque rem solam aut ejus valorem tenetur restituere, sed et omnes fructus etiam consumptos, item omnia damna inde emergentia et lucra cessantia ei quem injuste damnificavit, quia illorum est causa culpabiliter. Is vero qui tenetur restituere ratione rei acceptæ, tantum non tenetur restituere si res absque ejus culpa pereat, ut in deposito, v. g. quia tunc cessat ratio seu titulus obligationis, quod est habere rem alienam. Neque etiam tenetur restituere fructus si sint consumpti, et inde non sit factus ditior; neque damna emergentia aut lucra cessantia, qui illorum non est causa. De his fusius iterum in sequentibus dum de possessore bonæ et malæ fidei.

Nota 2° Posset assignari tertius titulus inducens obligationem restituendi, scilicet contractus: aliquis enim potest obligari ad restitutionem rei quam nec amplius habet, nec injuste accepit, vi solius contractus, ut si te obliges ad omnem eventum sicut fit in contractu assecurationis; vel si leges apposuerint certis contractibus obligationem restituendi rem juste acceptam, quæ sine culpa theologica accipientis, sed ex culpa tantum juridica perierit, ut dicam modo.

Hunc titulum indicat S. Thomas hic a. 6. o, his verbis: « Alio modo aliquis accipit » rem alterius in utilitatem suam absque » injuria, cum voluntate scilicet ejus cujus » est res, sicut patet in mutuis. » (Per mutua intelligit commodata, siquidem supponat ea manere mutuantis dum habentur a mutuatario.) « Et tunc ille qui accipit, tenetur » ad restitutionem ejus quod accepit, non » solum ratione rei, sed etiam ratione ac» ceptionis, etiamsi rem amiserit, » ex aliqua scilicet culpa juridica; si enim fortuito perierit, non tenetur restituere. Et sic esse intelligendum S. Thomam docet hic Cajetanus; quia, inquit, doctrina moralis quam hic tradit. S. Doctor, est de iis quæ eveniunt ut in pluribus, nec oportet in moralium documentis excipere raro contingentia: casus autem omnino fortuiti sunt de raro contingentibus.

Quia tamen ex contractu videtur oriri obligatio solutionis potius quam restitutionis, quæ quamvis sæpe confundantur, revera tamen distinguuntur, ut dictum est; insuper, quia duo soli priores tituli omnibus noti communiter assignantur, ut loquamur cum pluribus nec pariatur confusio, solos etiam hos duos titulos assignamus. De obligatione tamen solvendi seu restituendi ex contractu, dicemus infra.

ARTICULUS IV.

Utrum incurratur obligatio restituendi ratione damni illati absque culpa theologica?

Nota. Duplex distinguitur culpa : altera theologica, altera juridica. Culpa theologica est peccatum formale coram Deo, sive mortale sive veniale. Culpa juridica est omissio alicujus diligentiæ ex qua alteri sequitur damnum. Talem, inquam, omissionem juristæ vocant culpam, etiamsi forte coram Deo non sit culpa, puta, quia vel est involuntaria, vel non est talis diligentiæ quam quis tenetur adhibere. Quod si sit omissio voluntaria talis diligentiæ quam quis potest et tenetur adhibere, erit simul culpa theologica et juridica.

Culpa juridica dividitur in latissimam, latiorem et latam, levem et levissimam.

Latissima est, cum quis omittit diligentiam necessariam, ex intentione ut inde sequatur damnum ; et est dolus apertus. Talis est culpa illius qui relinquit ostium apertum ex industria, ut auferatur depositum.

Latior est, cum quis sciens et volens omittit diligentiam, unde prævidet secuturum damnum, licet non intendat ; et dicitur dolus præsumptus. Talis est culpa illius qui relinquit ostium apertum, prævidens inde surripiendum depositum, licet id non intendat. Sed quia hi duo modi important dolum vel apertum vel præsumptum, ideo plures juristæ eos non agnoscunt pro culpa juridica, et ad tres sequentes se restringunt.

Lata, est omissio diligentiæ quam solent homines prudentes adhibere in tali casu, in tali negotio ; ut si quis exeat domo non clauso ostio cubiculi interioris.

Levis, est omissio diligentiæ quam prudentiores adhibere solent, ut si quis exeat clauso quidem ostio cubiculi, sed non obserato.

Levissima, est omissio diligentiæ quam prudentissimi adhibere solent, ut si quis clausum et obseratum ostium non tentaverit manu num bene esset obseratum.

Quæritur itaque an in damnificatione simplici, in qua nullum emolumentum obvenit, damnificanti requiratur culpa theologica, seu quod coram Deo peccaverit ut sit obnoxius restitutioni, an sufficiat culpa juridica? Pro quo

Dico. Nemo secluso contractu tenetur ad restitutionem ratione damni illati ante sententiam judicis, nisi in damno inferendo admisit culpam theologicam contra justitiam commutativam. Est communis contra Adrianum et quosdam antiquos.

Prob. 1° Damnificans in casu posito non tenetur restituere ratione rei acceptæ, quia, ut supponitur, nihil accepit, nec ex damno factus est ditior ; neque ratione injustæ actionis, quia ubi nulla est culpa coram Deo, non est formaliter injusta actio damnificans ; neque ex jure positivo, nullum enim assignari potest extra contractum : ergo ex nullo capite tenetur restituere.

Confirmatur. Si damnificatio materialiter tantum injusta induceret obligationem restituendi, sequeretur quod amens aut dormiens damnificans proximum, teneretur ad restitutionem : similiter judex, advocatus, medicus qui, ex opinione, probabilissima agens, noceret alteri ; item qui rem alienam bona fide consumpsit, imo et qui ex casu mere fortuito noceret : quæ omnia ut falsa communiter rejiciuntur etiam ab ipsis adversariis. Ergo.

Prob. 2° Nemo tenetur restituere domino damnificato, nisi quatenus est rationabiliter invitus : atqui nullus potest esse rationabiliter invitus respectu actionis in qua nulla intercedit culpa theologica, quippe quæ actio qua damnificativa prorsus est involuntaria. Ergo.

Igitur quantumvis ex facto tuo sequatur damnum alterius, si coram Deo revera non peccaveris, vel quia adhibuisti debitam diligentiam, vel quia illam ex inadvertentia naturali aut oblivione inculpabili omisisti, quamvis dicatur culpa lata in jure, non teneris restituere in foro conscientiæ ante sententiam judicis. Accipe casus. Habes lucernam in loco periculoso, quam, adimpleto negotio, extinguere intendis ; sed ex casu superveniente, vel alia cogitatione abreptus, eam non extinguis, unde sequitur domus incendium. Fodisti foveam quam munire volebas, id casu omittis ; bos vicini cadit in foveam. Adhibita accurata diligentia, occidis venando hominem putans invincibiliter occidere feram : comburis spinas in agro : ignis, non obstante humana diligentia, per repentinum ventum in vicinas se-

getes impulsus eas absumit : pecora tua, te inscio aut invito, sata aliena conculcant. In his, inquam, omnibus et sexcentis aliis similibus, non es restitutioni obnoxius ante sententiam judicis.

Porro hoc etiam verum est licet damnificans vacet rei illicitæ, modo non sit periculosa et quasi via ad damnum, sic, ut nec per se nec ut in pluribus ex ea sequatur, nec potuerit humano modo prævideri secuturum ; quia licet causa sit voluntaria, non est tamen voluntaria ut causa talis damni, quod non potuit humano modo prævideri ex ea secuturum. Unde si venando in loco aut tempore prohibito, occidas hominem putans invincibiliter occidere feram, non teneris restituere causa homicidii.

Si opponas, S. Thomam infra q. 64, a. 8. o, et ad 3, docere eum qui occidit casualiter hominem vacando rei illicitæ, esse reum homicidii et incurrere irregularitatem : respondet Sylvius post Cajetanum, S. Thomam loqui de re illicita quæ sit periculosa et quasi via ad homicidium, quod ex illa proinde potuit humano modo prævideri secuturum. De quo iterum infra.

Dixi, 1° in conclusione, *secluso contractu ;* quia, ut ostendemus infra, potest quis ratione contractus incurrere obligationem restituendi ex sola culpa juridica, sine culpa theologica.

Dixi 2° *culpam theologicam contra justitiam commutativam ;* quia cum restitutio sit actus justitiæ commutativæ, ut dictum est, non est necessario adhibenda, nisi ubi violata est justitia commutativa. Quapropter si pecces tantum contra alias virtutes, puta, contra charitatem, non incurris onus restituendi : id spectat concurrentes negative ad damnificationem alterius. V. g. non tenetur ad restitutionem qui non succurrit graviter indigenti, qui non extinguit incendium, qui non impedit furtum, nisi ad id ex officio teneretur ; quia alioquin non peccat contra justitiam, sed contra charitatem duntaxat. Similiter homicida non tenetur restituere ei cui imputatur homicidium, si hanc imputationem ipse non procuraverit ; quia illam impedire non tenetur ex justitia. Item reus qui juridice interrogatus tacet aut negat veritatem ex quo sequitur damnum fisco, cui alioquin ejus bona cederent, non tenetur restituere : quia non tenetur ex justitia commutativa fateri veritatem et bona fisci procurare. Eadem ratione dicam probabilius infra, confessarium qui omittit injungere pœnitenti restitutionem, non teneri illam facere.

Dixi 3° *ante sententiam judicis ;* quia judex, ubi est culpa late juridica, licet non sit culpa theologica, ex inadvertentia naturali aut alio casu, solet condemnare damnificantem ad restitutionem seu potius solutionem, aut ad deditionem animalis si per animal damnum sit illatum, nisi aliunde certo constet de ejus innocentia : et dico probabilius cum Sylvio, Daelman et aliis, huic sententiæ tanquam justæ esse parendum in foro conscientiæ. Quamvis enim coram Deo sis innocens, ad id non attendit judex (non enim interna hominis semper debent attendi in foro externo, alioquin non esset litium finis), sed attendit ad peccatum externum, omissionem scilicet diligentiæ quæ solet adhiberi, et quæ ideo dicitur culpa lata, propter quam jura decernunt obligationem restituendi accedente sententia judicis. Non ergo hæc sententia nititur falsæ præsumptioni, ut quidam putant. Non enim te condemnat judex quia præsumit te peccasse coram Deo, quod falsum suppono, sed quia peccasti externe, hoc est, quia omisisti diligentiam quam prudentes solent adhibere ; quod verum est, propter quam culpam juridicam, et si forte non theologicam, jura, ut dixi, decernunt obligationem restituendi : et quidem juste, tum quia culpa lata juridica solet provenire ex culpa theologica, licet contrarium quandoque per accidens contingat ; leges autem attendunt, ad id quod plerumque contingit ; tum propter bonum commune, ut nempe homines sint in rebus suis custodiendis attentiores, et in damno proximi vitando cautiores.

Obj. 1° *contra concl.* Exod. 22, dicitur : *Si egressus ignis invenerit spinas et comprehenderit acervos frugum sive segetes, reddet damnum qui ignem accenderit.* Ergo.

R. 1° hæc et similia quæ tum loco citato tum cap. præcedente leguntur, esse judicialia, *ut patet* ex initio capitis 21, ubi dicitur : *Hæc sunt judicia quæ propones eis.* Judicialia vero expirante Christo expirarunt. *R.* 2° in his verbis sermonem esse de eo qui non adhibuit sufficientem diligentiam ut impediret ne ignis serperet et segetes incenderet. Ita communiter interpretes.

Obj. 2° Secundum jura tam ecclesiastica quam civilia, si animal absque ulla culpa domini damnum causet, puta, sata conculcando, sive hominem occidendo, dominus tenetur ad damnum. Inst. lib. 4, tit. 9, Extra. lib. 5, tit. 36, cap. *Fin.* de Injuriis, et alibi. Ergo.

R. has leges respicere duntaxat forum exterius et esse pœnales, proindeque non obligare ante sententiam judicis : *quod patet* ex eo quod decernant sub disjunctione, scilicet, ut dominus vel damnum restituat, vel det ipsum animal. Et quidem ad alterutrum plerumque condemnabit judex, cui, ut dixi modo, erit parendum; secus vero in foro conscientiæ ante sententiam judicis. Fingamus enim, inquit apte Sylvius, quod globus aurens casu decidat e domo quapiam, et tibi transeunti noceat : licebitne tibi retinere hunc globum, donec dominus tibi damnum restituerit? minime. De casu fortuito nemo tenetur, nec proinde tradere res suas obligationis incapaces ante sententiam judicis. Ita laud. Auctor post Petrum Navarrum, Angles et Asorium. Et favent leges citatæ; dicit enim canon *Finalis* laudatus : « Sane licet qui occasionem damni » dat, damnum videatur dedisse; secus est » tamen de illo dicendum qui, ut non accideret, de contingentibus nihil omisit. »

Obj. 3° Ex nostra conclusione sequitur quod, qui incenderet domum Caii, putans invincibiliter esse domum Titii, nulli teneretur restituere : non Titio, cui nullum damnum intulit; non Caio, cum illius domus incendium non fuerit damnificanti voluntarium : atqui *falsum consequens;* primo, quia l. *Eum qui nocentem,* ff. de Injuriis, tit. 10, lib. 47, habetur : « Si injuria » mihi fiat ab eo cui sum ignotus, aut si » quis putet me esse Titium cum sim Caius, » prævalet quod principale est, injuriam » mihi facere velle..... et ideo injuriarum » habeo actionem. » Secundo, quia qui occideret Petrum clericum, putans invincibiliter occidere Joannem clericam, juxta communem sententiam, incurreret irregularitatem. Ergo.

R. 1° Quidam speculative loquendo admittunt sequelam, et *ad primam probationem in contrarium, respondent* hanc legem valere pro foro exteriori tantum, ubi talis merito damnaretur ad restitutionem propter præsumptionem. *Ad secundum,* dicunt disparitatem esse, quod excommunicatio non sit annexa percussioni hujus clerici propter hujus rationem individualem, sed propter dignitatem status clericalis, quam violat qui clericum qualemcumque ex intentione occidit; is autem de quo in casu, occidit ex intentione clericum. *Alii,* et melius, *negant sequelam;* quia is de quo in casu causat istud incendium ex culpa vere theologica; intendit enim formaliter nocumentum proximi, et comburere hanc domum quæ ipsi objicitur; est autem per accidens quod erret circa personam damnificatam.

R. 2° vix aut ne vix fieri posse in praxi ut error illius qui domum Caii pro domo Titii incendit, sit invincibilis et coram Deo inculpatus; cum enim procedat ex illius mala voluntate et odio in Titium, inde fit ut præcipitanter agat, nec adhibeat sufficientem diligentiam et cautionem qua unam domum ab alia distinguat. *Cæteræ objectiones solvuntur ex probationibus conclusionis.*

ARTICULUS V.

Utrum culpa theologica venialis inducat obligationem restituendi, et qualem?

Suppono 1° tanquam certum, eum qui ex culpa theologica mortali proximum graviter damnificat, teneri sub mortali ad reparationem damni; quia, cum damnificatio sit plene voluntaria eaque in materia gravi, nihil deest ad inducendam gravem obligationem restituendi.

Suppono 2° etiam ut certum contra paucos, eum qui plene voluntarie damnificat injuste proximum in materia levi, teneri sub veniali ad restitutionem; quia, cum violet justitiam, tenetur illam reparare pro quantitate materiæ nisi condonet dominus : non est autem ratio præsumendi quod condonet dominus, nisi sit res admodum levis, qualis foret unum aut alterum pomum et quid simile. Advertendum autem, id quod est ex se leve, posse esse grave ex circumstantiis, ut, v. g. acus respectu sartoris, qui sine ea non posset sibi comparare victum, quo casu est obligatio sub mortali reparandi damnum, quia grave est, et gravis fuit culpa surripiendo.

Difficultas est ergo de veniali culpa ex imperfectione actus, et gravi damno illato, circa quam magna est sententiarum diver-

sitas. Quidam tenent eum qui ex tali culpa veniali graviter damnificavit proximum, ad nullam restitutionem obligari; quidam obligari ad totum sub mortali; quidam sub veniali; alii ad partem sub veniali; alii sub mortali si pars sit notabilis.

Dico 1° probabilius eum qui ex culpa veniali graviter damnificavit proximum, teneri ad aliquam restitutionem : est contra Lessium et quosdam alios. *Ratio est;* quia sicut imperfectio actus, licet minuat, non tamen tollit omnem rationem injustitiæ; sic licet minuat, non tamen tollit omnem obligationem restituendi, quæ ex justitia tanquam ex radice oritur.

Dices. In voto nulla est obligatio, nisi procedat ex plena deliberatione; similiter in promissione facta homini : ergo similiter in nostro casu.

R. N. conseq. Disparitas est, quod votum seu alia promissio sit privata lex quam quis sibi ex voluntate propria imponit; nemo autem censetur velle sibi imponere ullam obligationem nisi ex voluntate perfecte deliberata. At obligatio restituendi per se sequitur ex actione voluntarie damnificativa independenter a voluntate damnificantis; velit enim aut nolit obligari ad restitutionem, hoc ipso quo voluntarie damnum infert, ex natura rei obligatur.

Repones. Durum videtur quod quis propter venialem culpam teneatur refundere, puta, viginti aut quadraginta millia librarum, nec possit a peccato liberari nisi hanc summam totam quantam restituat.

R. durius esse innocentem tantum damnum pati, dum nocens nihil patitur. Insuper nos non dicimus ad integram restitutionem teneri. Nam

Dico 2° Minus probabile videtur eum qui ex culpa veniali grave damnum intulit, teneri sub mortali ad reparationem totius damni : est Sylvestri, Soto, Sylvii, Steyart. et communior contra Henricum a S. Ignatio et quosdam alios recentiores.

Prob. Obligatio restituendi hic attenditur principaliter non ex parte objecti seu damni, sed ex parte injustitiæ formalis; agimus enim de restitutione ratione injustæ acceptionis; et si nulla esset formalis injustitia, quantumvis foret grave damnum, nulla foret obligatio restituendi, ut dixi art. præcedenti : atqui in nostro casu est injustitia imperfecta : ergo debet esse obligatio restituendi imperfecta; effectus enim debet respondere causæ; non foret autem imperfecta si esset ad totum restituendum sub mortali.

Obj. Licet obligatio restituendi originem suam sumat ex injusta damnificatione, supposita tamen injusta damnificatione, quantitas obligationis sumitur a quantitate damni culpabiliter illati. *Prob. ant.* Obligatio voti aut legis, licet originem suam sumat a voluntate voventis aut legislatoris, supposito tamen quod vovens velit vovere, aut legislator velit legem ferre, quantitas obligationis sumitur a quantitate rei per votum promissæ vel per legem præceptæ. Ergo, etc. Ita Henricus a S. Ignatio.

R. N. ant. Ad probationem, N. iterum ant. Juxta enim probabiliorem sententiam quam tenemus in tract. de Legibus et de Relig. Neque votum neque lex etiam in materia gravi plus obligat quam velit vovens aut legislator.

Inst. Qui alterum induxit ad peccatum mortale ex semiplena deliberatione, tenetur sub mortali damnum illatum reparare, et hominem lapsum a peccato revocare : ergo ex peccato veniali potest nasci obligatio gravis restituendi.

R. Si agatur de obligatione ex justitia, *negandum est anteced.* nisi fraus aut vis in inductione intercesserit. Si agatur de obligatione ex charitate, non constat esse sub mortali in casu posito, cum inductus non sit in gravi necessitate; potest enim solus cum gratia Dei a peccato resurgere. Sed *dato ant. N. conseq.* Non enim obligatio illa, gravis si sit, in casu instantiæ oritur ex præcedente culpa veniali, sed ex hoc quod causa prius inadvertenter posita adhuc nocere pergat, quam cum plene advertit qui posuit, tollere tenetur sub mortali, alioquin censetur priorem suum influxum advertenter continuare, proindeque peccare mortaliter. In casu autem conclusionis, supponitur damnum completum, nec causam a me positam inadvertenter amplius influere.

Quod si supponas causam damni a me inadvertenter positam adhuc influere in damnum, non diffiteor me, si id plane adverto, teneri ex justitia sub mortali impedire, et si non impediam, me teneri sub mortali restituere. *Sit casus.* Ex semiplena advertentia posui causam incendii : postea plene adverto serpere incendium ex causa a me posita; teneor ex justitia sub mortali

causam amovere, et incendium a me causatum sistere; et si omittam, teneor sub mortali restituere. Quod enim antea peccaverim venialiter tantum et sub veniali tenear restituere, erat propter imperfectionem advertentiæ : ubi autem plene adverto et non impedio, censeor meum priorem influxum indeliberatum deliberate continuare, sicque pecco mortaliter contra justitiam, et sub mortali teneor restituere. Secus si non posuissem causam incendii; tunc enim tenerer quidem adhuc impedire pro posse incendium, sed ex charitate tantum et non ex justitia; consequenter, si non impediam, non erit obligatio restituendi.

Urget laudatus auctor. Animæ in purgatorio graves pœnas luunt propter peccatum veniale, et ipsis gravis incumbit obligatio eas patiendi, ita ut graviter peccaret qui eas pœnas pati renueret, si fieri posset. Idem dic de peste immissa a Deo in gentem Judaicam propter venialem vanitatem Davidis : ergo ex culpa levi potest induci gravis obligatio.

R. N. consequentiam pro materia restitutionis. Disparitas est, quod in punitione peccati a Deo facta attendatur offensa Dei, quæ, quamvis sit ex parte objecti levis, est tamen ex parte personæ offensæ gravis, saltem sufficienter ut gravi pœna plectatur, gravisque sit, volente Deo, obligatio ad illam subeundam : at in quæstione restitutionis attenditur injuria facta proximo, quæ, cum sit levis et imperfecta in casu conclusionis, non inducit obligationem restituendi nisi levem et imperfectam.

Repones. Qui ex minutis furtis pervenit ad summam notabilem, si ultimum furtum commisit ex semiplena advertentia, in nullo peccavit nisi venialiter : atqui tamen tenetur ad restitutionem sub mortali. Ergo.

R. 1° *minorem a multis negari,* si tamen res furtivæ non maneant apud furem, aut ex his non sit factus ditior; alioquin teneretur sub mortali restituere ratione rei acceptæ. *R.* 2° *Data min. N. conseq.* Disparitas est, quod iste fur perfecte deliberate intulit damnum pro maxima parte quæ coalescit cum ultimo furto non plene deliberato : in nostro autem casu supponimus totum damnum esse imperfecte deliberatum.

Dico 3° Probabile est eum qui ex culpa veniali damnum grave intulit, teneri sub veniali ad totius damni reparationem. Æque tamen probabile est ad minus non teneri sub veniali nisi ad partem damni tantum, pro conditione culpæ secundum arbitrium boni viri.

Ratio primæ partis est: quia totum damnum est voluntarium licet imperfecte : ergo videtur quod sit obligatio totum reparandi imperfecta, scilicet sub veniali.

Ratio secundæ partis est e contra, quod obligatio reparandi totum sub veniali, non videatur imperfecta nec proportionata culpæ levi ex qua oritur. Est quidem imperfecta ex parte sui, quia non est adeo stricta; sed non est imperfecta ex parte objecti, quia est ad totum, nec proinde proportionata culpæ : sicut pœna gravis non est proportionata culpæ levi, quamvis reus ad eam tantum leviter adstringeretur.

Et sane durum videtur, ut supra dicebatur, quod quis sub peccato veniali teneatur refundere viginti, quadraginta millia librarum et ultra, et quod non possit ab eo peccato liberari nisi totam hanc summam refundat : quapropter multis convenientibus videtur dicendum quod teneatur tantum ad partem, puta quinquagesimam, octuagesimam, etc. pro quantitate culpæ secundum judicium prudentum.

Quod autem auctor Supplem. Tournely dicat quod, si pars correspondens culpæ veniali sit gravis, obligatio illam restituendi sit sub mortali, non videtur admittendum; qui, ut dictum est in secunda conclusione, ratio obligationis est ratio injuriæ cui debet correspondere obligatio, non damno : nec obstat ejus ratio, scilicet, quod qui non restituit aliquid gravis momenti, peccet mortaliter; id enim verum est quando stricte tenetur restituere, secus si tenetur tantum imperfecte, ut præsenti casu.

Cæterum quidquid sit de speculatione hujus quæstionis, communiter advertunt cujusvis sententiæ auctores, raro contingere in praxi quod causetur damnum grave ex culpa veniali; quia licet inconsideratio venialis sit frequens in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus, qui sæpe, facile et subtiliter oriuntur, et quidem circa objecta naturali inclinationi conformia: raro tamen contingit in operibus externis gravis momenti, quia ordinarie statim suum periculum ingerunt et fortius mentem excitant ad sui considerationem, aut saltem ad confusam periculi cognitionem. Unde nisi certo

constet inadvertentiam fuisse venialem, habenda est in praxi pro mortali, conformis scilicet damno, et inculcanda est obligatio restituendi sub mortali.

Quæritur an culpa exterior venialis cum interna voluntate et intentione mortali nocendi graviter, inducat obligationem restituendi sub mortali, secuto gravi damno? *Sit casus.* Titius explodens in feram, adhibet ad cavendum homicidium cautelam talem, quæ ipsum excuset a mortali negligentia, non tamen veniali; interim interius cupit occidere inimicum, et revera casu fortuito ipsum per errorem occidit: teneturne sub mortali ad damna secuta ex tali homicidio?

Quidam affirmant; quia licet culpa exterior sit venialis et leviter influens in damnum, tamen ex intentione mortali fit mortalis et vera causa illius damni, ita ut etiam inducat irregularitatem. Hæc sententia est probabilis.

Alii negant; quia obligatio restituendi non oritur nisi ex actione externa sufficienter et efficaciter influente in damnum: porro actio externa, in casu posito, ex se leviter tantum in damnum influit. Voluntas autem interna graviter nocendi non adjuvat nec auget influentiam actionis externæ: unde licet reddat eam mortalem quoad affectum, non tamen quoad effectum: cum ergo obligatio restituendi non oriatur ex malitia intentionis sed ex ejus efficacia, seu, ut dictum est, ex actione externa, non videtur hinc induci obligationem restituendi sub mortali. *Dato* autem nunc, de quo postea, quod ex tali homicidio incurratur irregularitas, hoc provenit ex jure positivo, quo statuitur irregularitatem incurri ex homicidio quocumque modo voluntario. Et hæc sententia videtur probabilior.

ARTICULUS VI.

Utrum et quando culpa juridica inducat obligationem restituendi ratione contractus?

Dixi in præcedentibus articulis, neminem: secluso contractu, teneri in foro conscientiæ ad restitutionem ante sententiam judicis, nisi vere coram Deo peccaverit: judicem autem regulariter condemnare ad restitutionem propter culpam latam juridicam, etiam si non sit theologica, quia est culpa externa, omissio scilicet diligentiæ quam solent homines ejusdem conditionis adhibere, ad quam respicit judicium forense; et huic sententiæ esse parendum in foro conscientiæ, quia justa est.

Quæstio nunc est utrum ratione contractus, ex sola culpa juridica, quæ non sit theologica, quis teneatur restituere in foro conscientiæ, et ex qua culpa; quintuplicem enim distinximus art. 4 superiori, latissimam, latiorem et latam, levem et levissimam. Require ibi.

Suppono 1° tanquam probabilius, nullum contractum, stando in jure naturæ, obligare ad restitutionem damni illati ex culpa levi aut levissima, sed tantum ex culpa lata quæ sit voluntaria proindeque theologica, nisi contrarium sit specialiter stipulatum in contractu; quia stando in jure naturæ et seclusa speciali stipulatione, nemo tenetur restituere nisi propter damnificationem injustam formaliter, ut dictum est supra: atqui culpa levis aut levissima, quantumvis voluntaria, non facit damnificationem formaliter injustam stando in jure naturæ, sed sola culpa lata. Ergo. *Prob. min.* Nemo tenetur, stando in jure naturæ, majorem diligentiam adhibere rebus alienis sive commodatis sive conductis, quam ipsemet rerum earum dominus prudens adhiberet, qua proinde posita, nulla est injustitia formalis: atqui diligentia quam dominus prudens circa res suas adhibet, est communis diligentia quæ culpam latam excludit, non diligentia accuratior aut accuratissima quæ culpam levem aut levissimam excludit: ergo stando in jure naturæ, culpa levis aut levissima, quantumvis voluntaria, non facit damnificationem injustam formaliter, sed solum culpa lata voluntaria. Ita post Sylvest. Soto, Angelum et alios censet Lessius, cui subscribit novissime auctor Supplem. Tournely.

Si dicas æquitatem naturalem exigere ut majori diligentia invigilem rei alienæ quam habeo in solam meam utilitatem, quam si haberem in utilitatem concedentis, aut quam invigilarem rei meæ propriæ, ne patiatur damnum qui mihi intulit beneficium.

R. id quidem exigere æquitatem naturalem ex decentia, honestate et gratitudine, non tamen ex stricta justitia; quia ex stricta justitia et in rigore non videor plus debere facere ut salvetur res aliena, quam ipse rei dominus prudens et vigilans faceret. Idque aperte jura declarant dum decernunt, ut

modo ostendam, quod, qui habet precarium, non teneatur de damno nisi ex culpa lata licet tamen precarium sit in solam utilitatem illius qui illud habet.

Suppono 2°. aliquem posse obligari ad restitutionem ex contractu, nedum ex levi et levissima culpa, sed etiam ex casu fortuito; quando nimirum hæc conditio explicite apponitur. Neque de hoc est difficultas, sed de certis contractibus in quibus hæc conditio non apponitur expresse, sed tamen subauditur apposita per leges humanas; et quinam sint hi contractus.

Potest autem contractus iniri vel in solam dantis utilitatem, ut depositum; vel in solam utilitatem recipientis, ut commodatum, vel in utilitatem utriusque, ut conductum. *His suppositis et notatis*,

Dico 1° Quando contractus est in solam recipientis utilitatem, ut commodatum, recipiens tenetur de damno, ex culpa levissima, non tamen ex casu fortuito. Ita communiter.

Prob. ex jure canon. Extra. lib. 3, tit. 15, can. unico, *de Commodato*, ubi Greg. IX sic loquitur: « Cum gratia sui tantum quis » commodatum accepit, de levissima etiam » culpa tenetur, licet casus fortuitus (nisi » acciderit culpa sua, vel intervenerit pac» tum, seu in mora fuisset), sibi non de» beat imputari. »

Id etiam rationi congruum est. Æquitas enim naturalis seu saltem honestas et gratitudo exigere videntur ut, in custodia rei alienæ quæ in tuam solam utilitatem cedit, summam adhibeas diligentiam ne domino pereat, qui tale beneficium contulit. Ubi autem nulla est culpa, sed casus mere fortuitus, res perit domino.

Habes tamen in verbis S. pontificis tres exceptiones in casu fortuito. Prima est, si ex culpa causam casui fortuito dederis, ut si habeas equum commodatum ut eas Rhemos præcise, et ultra progressus incidis in latrones qui eum furantur. Secunda, si te obligaveris ad casum fortuitum. Tertia, si non reddideris statuto tempore, et inde perierit aut deterior evaserit, quod verosimiliter non accidisset si in mora reddendi non fuisses; quia si æque periisset, non teneris; licet enim sis in culpa, tamen culpa non est causa damni. In his, inquam, tribus exceptionibus teneris ex præscripto juris de casu fortuito, quia in secunda exceptione sponte ad id te obstrinxisti; in duabus aliis es injustus detentor.

Sed quid si rationabiliter præsumam dominum his consentire?

R. te tunc non teneri ex casu fortuito, quia non es injustus detentor, nec proinde in culpa aut in mora. Si tamen dominus nolit ratum habere hunc usum, videris teneri perinde ac si illo invito usus esses, quia non potuisti uti illa re nisi cum animo compensandi, casu quo dominus nollet ratum habere tuum factum, alioquin commisisses furtum contractando rem alienam invito domino. Quod si ratum habeat etiam inscius damni, non videris teneri; quia non censetur ratum habere sub conditione, seu salvo jure compensandi si res periit. Sicut enim commodando in futurum non postulavit ut tenereris de casu fortuito, ita nec putandus est id requirere ratihabendo præteritum, nisi exprimat.

Petes utrum sit eadem conditio precarii et commodati?

R. negative. Patet ex jure. Nam l. *Contractus* 23. ff. de Regulis juris, lib. 50, tit. 7 et l. *Quæsitum* 8, § *Eum quoque*, ff. de Precario, lib. 43, tit. 26, precarius tenetur tantum de dolo. Per dolum autem, juxta glossam et interpretes, intelligitur culpa lata. Culpa enim latissima est dolus apertus, culpa latior dolus præsumptus, culpa vero lata non est proprie dolus apertus aut præsumptus, sed dolo æquiparatur, ut dicitur communiter, et habetur expresse in jure, l. 1, ff. *Si mensor*, lib. 11, tit. 6: *Lata culpa plane dolo comparabitur*. Item l. *Quod Nerva* 32, ff. Depositi, lib. 6, tit. 3.

Differt autem precarium a commodato, quod commodatum non possit continuo repeti ad nutum, sed post usum duntaxat ad quem est commodatum; *Cum*, inquit Greg. IX supra cit. *non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari*. Excipe nisi damnum æquale immineat domino si rem suam non habeat: precarium autem potest quovis tempore repeti ad nutum domini; et ideo dicitur precarium, quia ille qui rem precariam habet, censetur quasi continuo precari ut illam retinere possit: et quia est minor in hoc gratia quam in commodato, ideo jura majorem requirunt culpam ad incurrendam obligationem restituendi.

Dico 2° Quando contractus cedit in solam utilitatem dantis, ut communiter con-

tingit in depositio, recipiens non tenetur de damno nisi ex culpa lata. Ita in jure Inst. lib. 3, tit. 15, § 3, ubi sic ligitur : « Is » apud quem res aliqua deponitur..... ex eo » solo tenetur si quid dolo commiserit; cul- » pæ autem nomine, id est, desidiæ et ne- » gligentiæ non tenetur. Itaque securus est » qui parum diligenter custoditam rem furto » amiserit. » Per dolum vero, ut modo dice- bam, intelligitur culpa lata.

Id etiam æquitati naturali consonum vi- detur. Cum enim in tali contractu nulla fiat recipienti gratia, sed spectetur solum com- modum deponentis, non est æquum ut re- cipiens majorem adhibeat diligentiam in illa re custodienda quam adhiberet in propriis rebus custodiendis, et quam passim homi- nes ejusdem conditionis adhibere solent.

Dixi, *ut communiter contingit in depo- sito;* quia in jure sunt quædam exceptiones. Can. *Bona fides* 2, Extra. lib. 3, tit. 16 *de Deposito*, Greg. IX dicit : « De culpa (*scili- » cet levi ut intelligitur*) teneris si teipsum » deposito obtulisti, vel si aliquid pro cus- » todia recepisses; » quia in primo casu te offerendo censeris diligentiam majorem so- lito promittere; et in secundo contractus cedit in utilitatem utriusque. Pergit S. Pon- tifex : *Pacto vero, culpa vel mora præceden- tibus, casus etiam fortuitus imputatur;* id est, si ex pacto te obligaveris ad eventum fortuitum, si ex culpa incurreris pericu- lum, ut si depositum domi tuæ custodien- dum alio sine causa transtuleris, vel si fue- ris in mora, non reddendo cum reddere de- bebas et poteras : his, inquam, casibus tene- ris de damno etiam ex casu fortuito, *a for- tiori* ex levi et levissima culpa. Excipe etiam nautas, caupones et stabularios, quos auc- tores communiter censent teneri ex culpa levissima de damno rerum quarum custo- diam, et si gratis, susceperunt. Idque propter l. 1, ff. *Nautæ*, lib. 4, tit. 9, sic contra illos specialiter statuentem, ad ar- cendas fraudes ab hujusmodi hominibus committi solitas.

Dico 3°. Quando contractus cedit in utili- tatem utriusque contrahentis, ut in locato, deposito non gratuito, pignore quod datur in assecurationem mutui, tenetur ex culpa le- vi. Ita Inst. lib. 3, tit. 15, § ultimo *de Pignore*, et l. *Contractus*, de Regulis juris ff. lib. 3, tit. 17. Ratio congrua est; quia cum sit in utilitatem accipientis, æquum est ut majorem adhibeat diligentiam quam si non esset in ejus utilitatem, unde tenetur ex culpa levi; sed quia est etiam in utilitatem dantis, non tenetur ad tantam diligentiam ac si esset in solam ipsius utilitatem : unde non tenetur ex culpa levissima.

Hic a. 6. o. — *Dico* 4°. Hæ leges tam ec- clesiasticæ quam civiles videntur obligare in foro conscientiæ ante sententiam judicis.

Ita probabilius cum D. Thoma Navarr. Layman et plures alii, contra Soto, Delugo et plures alios qui etiam non improbabiliter existimant has leges esse pœnales, aut fun- dari in præsumptione fraudis, ideoque non obligare ante sententiam judicis.

Nihilominus videtur verius obligationem restituendi in his contractibus ex culpa levi aut levissima non esse pœnam, sed condi- tionem contractibus appositam ex legum sta- tutis, cui conditioni contrahentes censentur consentire implicite dum contrahunt; unus- quisque enim contrahens censetur contra- here conformiter ad leges quibus subditur.

Ibid. — Neque dicendæ sunt hæ leges fundatæ in præsumptione fraudis, sed in æquitate et honestate naturali; æquum enim ac maxime conveniens est, ut jam sæpe dixi, quod, dum quis rem alterius in suam solam utilitatem accipit, dominus rei ex suo be- neficio nullum patiatur damnum, si uten- tis culpa vel levissima intervenerit : et quan- do in utriusque utilitatem cedit, damnum damnive periculum dividatur, et dans fe- rat damnum ex culpa levissima ortum, re- cipiens autem ad illud ex levi culpa te- neatur.

Cæterum adverte patronos adversæ sen- tentiæ docere quod, ad vitandam culpam theologicam, et consequenter obligationem restituendi, major jure naturæ requiratur diligentia in servandis rebus commodatis in sui solius utilitatem, quam in rebus locatis in utilitatem utriusque (quam nos supra di- cebamus requiri tantum ex decentia et ho- nestate, non stricto jure), ita ut illorum sententia quoad praxim non multum a nos- tra discrepet.

Petes 1° utrum qui rem vel conductam, vel commodatam, vel depositam remittit per nuntium, teneatur ad restitutionem seu solutionem, si res culpa nuntii pereat?

R. cum Sylvio sub distinctione. Si nun- tius habebatur communiter fidelis, non te- netur, quia non est in culpa. Si nuntius non

habebatur communiter fidelis, tenetur, quia est in culpa.

Nec est simile de eo qui remitteret rem mutuatam; quia res mutuata est mutuatarii quamdiu non pervenit ad mutuatorem: unde quamvis sine culpa mutuatarii pereat, ipsi ut domino perit: res vero commodata, locata, deposita, est commodantis, locantis, deponentis, et non commodatarii, locatarii aut depositarii: unde si sine hujus culpa pereat, ad nihil tenetur, et perit domino.

Petes 2° utrum qui res alienas commodatas apud se habet, quas et suas simul salvare non potest, ut in casu incendii, naufragii, vel alio, si suas salvet, posthabitis alienis commodatis, sit in culpa et teneatur ad restitutionem seu compensationem rerum alienarum commodatarum?

R. probabilius negative cæteris paribus. Ita Bonacin. Delugo, Sporer, quibus consentit Daelman, contra Sylvium, Lessium et alios etiam probabiliter oppositum sentientes.

Ratio est; quia iste non tenetur restituere seu compensare, neque jure naturæ neque jure positivo. Non jure naturæ; quia, *ut ex dictis patet*, nemo, etiam ratione contractus, stando in jure naturæ, tenetur restituere nisi ex culpa lata quæ etiam sit theologica: iste vero non admittit culpam latam, *a fortiori* nec theologicam, cum nemo, stando in jure naturæ, teneatur res alienas etiamsi commodatas servare cum suarum jactura; quis enim prudens imo et prudentissimus id faciat contra inclinationem naturalem et ordinem charitatis? Non jure positivo; quia iste nec levissimam culpam admittit, cum, *ut dictum est*, ex inclinatione naturali et charitatis quisque prudens et prudentissimus res suas alienis æqualis valoris præferat in periculo alterutras perdendi.

Ast, inquis, leges decernunt res commodatas esse diligentissime custodiendas et magis quam proprias. Id quidem verum est, sed non usque ad propriarum jacturam; nullus est enim contrahens qui id intendat, et ad id se obligare velit. *Confirmatur*. Nemo vi legum tenetur conservare rem alienam etiam commodatam cum extraordinariis impensis, neque ullus contrahens id intendit: atqui in proposito si debeam servare rem alienam cum jactura meæ majoris vel æqualis valoris, servabo cum extraordinariis impensis: ergo. Idem *a fortiori* est dicendum de rebus depositis aut conductis quæ non sunt in utilitatem solius recipientis.

Dixi, *cæteris paribus;* quia si res tuæ sint longe vilioris pretii quam alienæ commodatæ, teneris has tuis præferre et ideo damnum compensare si non præferas: ut si equum in tuo stabulo tibi commodatum valoris quinquaginta aureorum habeas, et vitulum tibi proprium; debes, neglecto tuo vitulo, salvare equum; alioquin compensationi equi obnoxius eris, quia prudentissimus quisque ita faceret, sicque in culpa es saltem levissima. Intellige tamen res tuas viliores non semper absolute, sed respective ad te. Si enim sint viliores absolute et secundum se, sed tibi admodum necessariæ et magis necessariæ quam res aliena pretiosior sit alteri necessaria: v. g. tu mediocris fortunæ debes perdere centum aureos ut gemmam serves ducentorum aureorum quam habes commodato a viro prædivite; non puto quod tenearis postponere centum aureos tuos illi gemmæ; quia licet sint absolute viliores gemma, attamen respectu tui sunt pretiosiores et majoris valoris quam ista gemma respectu illius viri prædivitis; et existimo quod quisque prudens et prudentissimus sic ageret, quodque ideo nec culpam levissimam admittas.

ARTICULUS VII.

Ex qua culpa quis teneatur ad restitutionem, ratione quasi-contractus seu officii?

Nota. Lib. 3 Inst. tit. 28, quasi-contractus censentur negotiorum alienorum gestiones, officia tutoris et curatoris. Idem cense de officiis judicis, advocati, medici, chirurgi, parochi, confessarii, theologi, etc. In his enim contractus saltem tacitus intervenit; quia hoc ipso quo quis hujusmodi officia suscipit, censetur tacite saltem pacisci cum republica aut cum privato de inculpata administratione. Hinc

Dico 1° Certum est hos omnes jure naturæ teneri ad restitutionem, quando ex culpa lata, quæ sit voluntaria, sunt causa positiva vel privativa damni: positiva, ut male judicando, consuendo, etc. ex malitia vel ignorantia crassa; privativa, omittendo voluntarie diligentiam quam prudentes adhibere solent. Quia primo tenentur scire quæ communiter spectant suum munus, et in eo adimplendo vitare gravem negligentiam. Secundo, quia cum ratione officii et professio-

nis habeantur sufficienter, alios decipiunt si non sint tales, et tamen respondeant consulentibus.

Hinc inferes, teneri ad restitutionem, primo, judicem qui ex imperitia graviter culpabili rem uni litigantium injuste adjudicat: secundo, advocatum, procuratorem qui ex ignorantia crassa aut gravi negligentia, causa est cur cliens causa cadat, aut damnetur ad expensas, aut lis diutius protrahatur; tertio, parochum, confessarium, theologum, jurisconsultum, alium quemcumque se gerentem pro consiliario, qui ex ignorantia crassa, aut gravi in considerando negligentia, resolvit aliquem teneri ad restitutionem cum non teneatur, aut non teneri cum teneatur; contractum esse justum cum sit injustus, aut injustum cum sit justus, et similia.

Inferes 2°, e contra eum qui non respondet ex officio, nec se pro idoneo consiliario gerit, cujusque insufficientia nota est petenti consilium, ipsi non teneri restituere, si ex ejus responso damnum patiatur, quia scienti et volenti non fit injuria. Secus si damnum sequeretur alteri tertio, quia iste tertius non est sciens neque volens, et ad ejus damnum positive concurrit male consulens. Nec refert si dicat se veritatem inculpate ignorare: in hoc ipso enim culpandus est, quod in rebus quas non intelligit consilium aliis dare præsumat, et se exponat periculo alios invitos damnificandi.

Contra hucusque dicta opponi posset hæc regula juris 6 in 6: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Sed per *fraudulentum consilium*, non solum intelligitur fraus formaliter et proprie dicta, sed etiam culpa lata, quæ, ut dixi, sæpe dolo æquiparatur. Insuper theologi et juristæ communiter intelligunt hanc regulam de iis qui non respondent ex officio, ut modo dicebam.

Verum præcipua difficultas est utrum præfati qui agunt ex officio, teneantur ad restitutionem ex culpa juridica quæ non sit theologica, sicut diximus quosdam teneri ratione contractus. Multi affirmant, multi negant utrinque probabiliter. Attamen

Dico 2° Probabilius videtur neminem teneri ad restitutionem rationi quasi-contractus seu officii ex culpa juridica levissima, levi aut etiam lata, nisi sit theologica. Quia vel nullæ sunt leges quæ de his officiis id clare decernant, sicut diximus esse de veris et apertis contractibus; vel si sint, non videntur receptæ in praxi quoad forum conscientiæ: id mihi suadet communis hominum sensus. Nullus est enim aut vix ullus qui existimet medicum, chirurgum, advocatum, tutorem et similes teneri in conscientia et coram Deo ad restitutionem, si in conscientia et coram Deo non peccaverint. Et sane si res aliter se haberet, quis vigilantissimus et peritissimus his officiis fungi vellet, cum sæpe contingat vigilantissimis et peritissimis ex inadvertentia aut oblivione naturali aliove casu, obrepere aliquam levem aut levissimam culpam juridicam, ex qua tenerentur restituere, quamvis essent coram Deo sine culpa.

Cæterum fateor eos qui inserviunt ex officio stipendio conducti, teneri stricto jure naturæ majorem adhibere diligentiam quam qui ex charitate gratis inserviunt, et hanc si omittant voluntarie peccare coram Deo et teneri ad restitutionem. Nec est simile de commodatario, quem dixi supra non teneri stricto jure restituere ex culpa levi juridica. Disparitas est enim quod, attento jure naturæ, videatur sufficere si commodatarius se obliget ad eam diligentiam quam ipse commodati dominus haberet de illo. Qui autem ex officio inservit mercede conductus, non videtur satisfacere si tantum se obliget ad eam diligentiam quam adhiberet si inserviret gratis; sed videtur majorem implicite promittere etiam vi contractus, quia partim ideo datur stipendium: et talis est sensus communis.

Similiter, si se offert ut peritiorem et diligentiorem, et est causa cur peritior et diligentior non quæratur et habeatur; si ex minori peritia, aut defectu accuratioris diligentiæ, quam sic se exhibendo tacite promisit, causetur damnum; peccat coram Deo, et tenetur ad restitutionem quantum fert spes peritioris et diligentioris qui fuisset adhibitus, secundum judicium viri prudentis. Item ad vitandam culpam theologicam et obligationem restituendi, major requiritur diligentia in gravibus et difficilioribus negotiis, v. g. in difficillima et momentosa lite, in periculoso morbo, in opere fragili et similibus, quam in levioribus et facilioribus; id enim dictat recta ratio. Et hac modificatione posita, non ita distat hæc sententia ab altera.

ARTICULUS VIII.

Quid et quantum sit restituendum in genere?

Q. 62. a. 3. o. — *Nota.* In acceptione rei alienæ duo sunt consideranda, quorum unum est inæqualitas ex parte rei, quæ quandoque est sine injustitia, ut patet in commodatis, locatis, mutuatis, etc. aliud est injustitiæ culpa, quæ potest esse cum æqualitate rei, puta, cum aliquis contendit inferre violentiam, sed non prævalet: quandoque utrumque conjungitur, scilicet inæqualitas et injustitia, ut cum quis injuste alienum accipit.

Ibid. — *Dico* 1° Quod spectat inæqualitatem rei, sufficit restituere simplum, hoc est tantum quantum fuit ablatum aut damnificatum, quia tunc habetur æqualitas: ita quidem quod si res adhuc existat, debeat restitui eadem numero, quia est aliena et clamat ad dominum: nisi forte dominus sit aut rationabiliter præsumatur æque contentus alia re, ut ordinarie contingit in rebus fungibilibus, ut pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento; aut non possit eadem numero commode restitui, puta, quia inde manifestaretur occultus peccator, aut aliud grave damnum sequeretur; tunc enim sufficit restituere æquivalens, sicut quando est consumpta.

Ibid. — *Dico* 2° Quod spectat injustitiæ culpam, non sufficit restituere simplum, sed oportet insuper luere pœnam a lege taxatam, non tamen ante sed post sententiam judicis.

Ibid. — *Patet prima pars;* quia per restitutionem simpli satisfacis quidem proximo, at non justitiæ læsæ et legi violatæ, cui non fit satis nisi per pœnam a lege taxatam.

Secunda pars patet ex tractatu de Legibus, ubi traditur quod, quando leges continent pœnam ferendam, quales sunt plerumque leges taxantes pœnas injustis damnificatoribus, transgressor non teneatur illam subire ante sententiam judicis, quia sic est intentio legislatoris; quando vero continent pœnam latam quæ requirit actionem ipsius transgressoris, ut proficisci in exilium, erogare pecunias, transgressor non teneatur illam subire ante quam judex de crimine statuerit, quia sic humano usu receptum est. De quo fusius loco cit.

Hinc inferes quod, si sit prohibitum vendere, v. g. frumentum ultra quatuor libras sub pœna aureorum, et tu vendas sex, teneris statim auctarium restituere, nempe duas libras emptori, non autem solvere viginti aurea nisi post sententiam judicis, cui utpote justæ parere debebis.

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 3° Qui damnificat aliquem in eo quod actu habet, debet reddere totum æquivalens; puta, si diruat ejus domum, tenetur reddere tantum quanti valet domus, alias non servaretur æqualitas.

Ibid. — Si autem damnificet alium in eo quod non actu habet, sed in potentia tantum, puta, impediendo ne adipiscatur quod erat in via habendi, non tenetur restituere æquivalens, quia minus est habere in potentia quam actu: unde si restitueret æquivalens, jam non restitueretur ei simplum, sed multiplicatum, et sic non servaretur æqualitas.

Ibid. — Tenetur tamen aliquam compensationem facere ad arbitrium boni viri, attentis negotiorum et personarum circumstantiis, scilicet potentia propinqua vel remota, spe magna aut parva, probabilitate periculorum, expensis faciendis ad rem habendam actu; quia revera damnum intulit et fecit quod alter minus habeat quam debet habere.

Ibid. ad 1. et 2. — *Hinc inferes* quod, qui gramina, sata vel ligna nascentia conculcat, effodit aut diruit, non debeat tantum restituere quanti valerent tempore collectionis; neque sufficit tantum restituere quanti nunc secundum se valent, sed quanti æstimari possunt attentis omnibus, scilicet spe, periculis ac deductis expensis ad collectionem necessariis.

De restitutione facienda propter impeditam consecutionem boni a libera alterius voluntate dependentis, puta beneficii aut officii, dicemus infra.

Sed quia plus vel minus debet quis restituere, secundum quod est possessor bonæ vel malæ fidei, sit

ARTICULUS IX.

Quid et quantum sit restituendum a possessore bonæ fidei ratione rei acceptæ (1)*?*

Nota 1° Statuimus suprà duplicem titulum generalem unde oritur obligatio restituendi, nimirum rem acceptam, et injustam acceptionem. Possessor bonæ fidei tenetur tantum ratione rei acceptæ, et est ille qui

(1) Vide Adnotationem duodecimam.

bona fide credit rem quam possidet esse suam, puta, quia emit aut accepit dono vel testamento ab eo quem credebat esse verum dominum. Possessor malæ fidei tenetur ratione injustæ acceptionis, et est ille qui injuste accepit aut retinet rem alienam, seu qui sciens aut dubitans rem esse alienam, eam accipit aut detinet invito rationabiliter domino.

Nota 2° Et quia in partem restitutionis veniunt non solum res acceptæ, sed etiam fructus rei (fructus autem est utilitas quæ colligitur ex re deductis expensis), distinguendi sunt fructus quadruplicis generis, scilicet mere naturales, mere industriales, mixti et civiles.

Fructus mere naturales sunt quos sponte fert natura, nulla aut saltem levi hominum labore cooperante, ut sunt herbæ pratorum, fructus arborum, fœtus animalium, etc.

Fructus mere industriales sunt e contra quos solus hominum labor vel industria profert, non rei natura, licet concurrere possit ut instrumentum hominis laborantis et industrii. Tale est lucrum ex negotiatione pecuniæ, vini, frumenti et similium rerum de se sterilium. Similiter opus artificiosum instrumento alieno elaboratum, non instrumenti sed industriæ fructus censetur.

Fructus mixti sunt ad quos producendos natura rei et hominis industria concurrunt æqualiter, vel fere æqualiter; hic enim quod parum distat nihil distare videtur, ut sunt segetes, vinum, oleum, butyrum, caseus, etc.

Fructus civiles sic dicuntur, non quod sint proprie fructus, sed quia in jure ad instar fructuum reputantur : tales sunt pretia rerum elocatarum, ut domorum, navium, jumentorum, piscationis, venationis, etc. Possunt revocari ad fructus mixtos, quia ad illos non solum concurrit industria, sed res ipsa, equus, domus, etc. Ubi dubium est cujus generis sint fructus, standum est arbitrio judicis vel viri prudentis et docti.

Nota 3° Sed quia in restitutione fructuum solent deduci expensæ (fructus enim, ut jam dixi, est utilitas ex re deductis expensis), distinguendæ sunt triplicis generis expensæ. Aliæ sunt necessariæ, sine quibus res aut periisset aut deterior evasisset, ut reparatio ædificii ruentis, alimenta animalium, etc. Quædam sunt utiles, quæ, licet non sint necessariæ rei conservationi, conducunt tamen ad ejus meliorationem et reditum ejus augent; ut plantationes arborum, aquarum adductiones, adjectio pistrini, etc. Aliæ sunt voluptuariæ seu voluntariæ, quæ fructum non augent, sed speciem tantum exornant; ut aquæ salientes, incrustationes, picturæ, statuæ, etc. Ex quibus licet res pluris æstimetur, quia tamen non reddit plures fructus, ideo dicuntur expensæ voluptuariæ seu voluntariæ. Sub ratione autem expensæ, intelligendus est labor et industria possidentis.

Nota 4° Tandem melioratio sicut et deterioratio est duplex : una intrinseca, ut dum res in se mutata fit melior vel deterior, v. g. si pullus evadat equus, bos macer fiat pinguis, aut e contra pinguis fiat macer; extrinseca, dum res in se immutata pluris tamen vel minoris æstimatur ob emptorum vel mercium multitudinem aut inopiam, sive ex auctoritate legis, v. g. frumentum quod heri valebat tres, hodie valet quatuor, vel e contra. *His notatis,*

Dico 1° *generaliter*. Possessor bonæ fidei in tantum tenetur restituere in quantum possidet de re aliena, et ejus fructibus seu emolumento; ita quod quantitas rei possessæ et ejus fructuum exstantium aut emolumenti inde provenientis sit mensura restitutionis faciendæ; quia id requiritur et sufficit ad restaurandam æqualitatem secundum formam justitiæ commutativæ. Ex hac generali assertione et regula deduco sequentes conclusiones, primo, circa rem, deinde circa fructus. Unde

Dico 2° Possessor bonæ fidei statim ac intelligit rem quam possidet esse alienam, tenetur eam adhuc exstantem in toto vel in parte restituere, nisi forte eam legitimo tempore præscripserit.—**Ibid. a. 6. o.**—*Ratio patet;* quia qui habet ultra quod suum est, debet ei subtrahi et dari cui deest, alioquin non salvatur justitia et fit iniquus detentor.

Quod si rem consumpserit, vel casu aut etiam ejus culpa perierit, non tenetur quidquam restituere, nisi id in quo ex ea factus est ditior. *Patet prima pars;* quia non tenetur ratione rei acceptæ quæ amplius non est, neque ratione injustæ acceptionis aut distractionis, quia bona fide possidebat; et quamvis forte peccaverit eam prodige aut aliter dissipando, non tamen peccavit contra justitiam commutativam, cum disposuerit de re quam invincibiliter putabat

esse suam. *Patet etiam secunda pars ;* quia id in quo factus est ditior succedit loco rei, et contra jus naturale est quod quis ditescat cum alterius injuria, juxta hanc regulam juris 8, in 6 : *Locupletari quis non debet cum alterius jactura.* Hinc

Inferes 1°, possessorem bonæ fidei qui rem alienam amico donavit, alias nihil ex suis daturus, ad nihil teneri, quia inde non est factus ditior ; si alias ex suis erat daturus, tenetur, in quantum suis pepercit, quia in tantum factus est ditior : et si occasione doni aliud donum ab amico recepit, etiam istud secundum donum restitutioni subjacet, quia etiam in hoc ratione rei alienæ factus est ditior ; nisi forte illud expenderit, nihil alias de suo expensurus.

Inferes 2° e contra, eum qui rem alienam dono acceptam bona fide venidit, teneri pretium reddere domino, quia in hoc factus est ditior ; nisi, ut modo dicebam, illud expendedirit, alias ex suis nihil expensurus. Quidam existimant quod si summo pretio vendiderit, possit sibi retinere quod superexcedit pretium medium quasi fructum industriæ. Sed de hoc in fine articuli.

3° Qui vinum furtivum bona fide bibit, alias non bibiturus, ad nihil tenetur, quia inde non est factus ditior. Quod si ideo pepercit suo vino aut suæ cerevisiæ, tenetur in quantum de suo vel vino vel cerevisia bibisset, quia in tantum factus est ditior.

4° Qui ex hæreditate pingui quam credebat legitimam statum auxit, majores expensas fecit, si, comperta rei veritate et restituta hæreditate, bona ipsius sint in eodem statu ac fuissent seclusa illa hæreditate, ad nihil tenetur, quia inde non est factus ditior. Specialis difficultas est de eo qui rem furtivam bona fide emit, cui debeat restituere, quam infra speciali articulo expendam.

Dico 3° Possessor bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales, mixtos et civiles adhuc exstantes (nisi forte eos triennio præscripserit), deductis tamen expensis necessariis et utilibus atque æstimatione industriæ et laboris. *Ratio est ;* quia sunt fructus rei, res autem fructificat domino suo.

Neque obstat quod fructus mixti et civiles non sint meri fructus rei. Hoc ipso enim quod deducitur pars correspondens expensis et æstimationi laboris et industriæ, totum quod superest est fructus rei. Neque etiam obstat quod res forte non ita fructificasset apud dominum ; id enim pertinet ad bonam fortunam domini, quia ubicumque res fructificat, domino fructificat.

Quod si fructus non amplius exstent, quovis modo absumpti fuerint, tenetur tantum ad id in quo factus est ditior, *ut patet ex secunda conclusione* et habetur in jure, l. *Item veniunt,* § *Præter hæc,* ff. De petitione hæreditatis, lib. 5, tit. 5, ubi dicitur : « Eos » autem qui justas causas habuissent quare » bona ad se pertinere existimassent, usque » eo duntaxat quo locupletiores ex ea re » facti essent, condemnandos », scilicet ad restitutionem.

Dixi, *deductis expensis necessariis et utilibus atque æstimatione laboris et industriæ,* necessariæ scilicet et utilis. Alioquin dominus haberet plus quam debet habere et ditesceret ex alieno ; et habetur in jure, l. *Fructus,* ff. Soluto matrimonio, ubi dicitur : *Fructus non intelliguntur nisi deductis impendiis.*

Cæterum notandum circa expensas utiles, quæ nimirum rem meliorem et utiliorem efficiunt, dominum rei non teneri refundere possessori bonæ fidei ipsius melioriationis valorem, sed expensarum tantum, si tamen valorem meliorationis non excedant. Ita l. *In fundo,* ff. de Rei vindic. lib. 4, tit. 1.

Res clarior fiet exemplo. Titius possidens bona fide tuum prædium, in eo plantavit arbores expensis centum librarum ; nunc arbores platantæ valent quingentis libris : non teneris refundere possessori quingentas, sed centum tantum, quia non plus exposuit, et tale augmentum est fructus tui prædii. E contra si Titius expendit quingenta et arbores modo valeant tantum centum, teneris centum tantum et non quingenta ipsi refundere, quia res tibi tantum utilis est ad centum, nec æquum est ut cogaris eam emere pluris quam tibi valeat. Imo si Titius expendisset centum in meliorationem quam tu perfecisses quinquaginta, deberes tantum refundere quinquaginta, quia id solum debes refundere in quo emolumentum capis ex alterius expensis, capis autem ex quinquaginta tantum. Colligitur ex l. *In fundo* cit. Tandem si Titius ex re meliorata fructus perceperit, etiamsi eos quovis modo consumpseris, debet illos com-

putare in compensationem expensarum, quia quo plures fructus percipit, censetur eo minus expendisse, aut expensas suas redemisse.

Sed quid si melioratio persat; expensæ quas pro eo fecit possessor bonæ fidei debentne illi refundi a domino rei? *Respondet affirmative* auctor Supplem. Tournely hic cap. 2 de rest. a. 5, sect. 1, ex l. 38, ff. *De petitione hæred.* Sed quomodo ista responsio cohæreat cum immediate ante dictis quæ ipse auctor ibidem nobiscum admittit, non satis capio. Si enim, ut dictum est, quando expensæ superant meliorationem, sint tantum refundendæ juxta illius melioralionis valorem, ita quod si expensæ valeant centum et melioratio quinquaginta, sint tantum refundendæ quinquaginta, evidenter sequitur quod ubi nulla remanet melioratio, nihil sit refundendum. Unde ad legem citatam potius videtur dicendum, quod ipse dicit ibidem in alio casu, eam corrigi per alias leges, aut valere tantum pro foro exteriori.

Sed quia non solum in materia præsentis articuli, sed in variis aliis sæpe citantur leges pro et contra, non erit abs re notare semel pro semper cum laudato theologo ibidem, nemini mirum esse debere quod leges civiles sint aliquando inter se contrariæ: 1° quia opus illud immensum collectum est ex variis jurisconsultis qui non raro contraria sentiunt; 2° quia vix fieri potest quod collectores semper meminerint eorum quæ alibi conscripserunt; 3° quia quod uno tempore convenit tolerari, alio quandoque non convenit.

Quantum ad expensas seu meliorationes voluptuarias, convenit inter auctores eas a possessore bonæ fidei posse auferri, si separari possint a re absque ejus destructione aut deterioratione, ut sunt horologia, picturæ, statuæ, portæ, fenestræ, etc., vel si non accesserint fundo per implantationem, ut arbores (et hoc etiam verum est de possessore malæ fidei). Quod si auferri non possint absque rei deterioratione, aut per implantationem fundo accreverint: quidam dicunt quod possessori bonæ fidei concedatur facultas cogendi dominum, aut refundere expensas, aut totam rem emere justo pretio; et ita forte in foro externo: favet enim lex *Utiles* 39, ff. De hæred. petit. lib. 5, tit. 3. Sed quantum ad forum interius, probabilius videtur dominum rei ad eas expensas non teneri; non enim æquum videtur quod solvat expensas quas noluisset facere, et quæ ipsi nullam utilitatem afferunt; favetque l. *Ex duobus* 27, ff. De negotiis gestis, lib. 3, tit. 5.

Dico 4° Quantum ad fructus mere industriales, nihil quidquam ex eis tenetur restituere possessor bonæ fidei (quod etiam verum est de possessore malæ fidei), etiamsi inde factus sit ditior. Est communis. *Ratio est;* quia fructus ad eum pertinent ad quem pertinet causa fructifera: atqui res aliena utpote sterilis, ut supponitur, non est causa horum fructuum, sed sola possessoris industria: ergo. Hinc

Inferes 1°, eum qui ex pecunia aliena sive juste sive injuste acquisita lucrum facit, teneri ad solius pecuniæ, non lucri restitutionem.

2° Thesaurarii, quæstores, ceptores, telonarii et similes qui pecuniis sibi commissis aut apud se depositis, negotiando, cambiendo, ludendo, etc., lucrantur, secluso damno dominorum, nimirum salva sorte quocumque modo perierit, sibi lucrum faciunt, nec tenentur illud restituere. Et quamvis possent peccare contra fidelitatem et obedientiam si id eis prohibeatur, aut præsumantur inviti domini, atque in pœnam delicti isto lucro privari possint, non peccant tamen contra justitiam.

Petes si possessor bonæ fidei rem alienam dono vel mediocri pretio comparatam summo pretio vendat, an possit auctarium supra mediocre pretium sibi retinere ut fructum industriæ? Multi affirmant et satis communiter: attamen probabilius cum aliis

R. regulariter loquendo *negative.* Quia istud auctuarium non ita est fructus industriæ, quin sit etiam fructus rei attentis circumstantiis; quod enim rem alio transtuleris, aut in tempus servaveris ubi carius venditur, quod non fecisset dominus, tua quidem est industria: at hæc præcise non est causa majoris pretii, sed etiam raritas mercium aut copia mercatorum; absque enim tua industria ibidem aut tali tempore res posita, tanti valeret. Insuper res, ubicumque sit, domini est et domino valet quod ibi valet, sive tanti valuisset inter manus domini, sive non.

Confirmatur. Si res inter manus possessoris bonæ fidei periisset aut deteriorata fuisset, non peritura aut deterioranda apud dominum domino periret aut deteriorare-

tur : ergo si sit meliorata, sive intrinsece sive extrinsece, apud alium, domino melioratur; æquum est enim ut qui sentit incommodum, sentiat commodum.

Totum ergo auctuarium sibi retinere non debet possessor bonæ fidei, sed in solum quod suo labori et industriæ respondet, secundum judicium viri prudentis.

Dixi, *regulariter loquendo;* quia si contingeret quod auctarium proveniret ex singulari et sola industria possessoris, tunc totum ipsius esset.

ARTICULUS X.

Utrum qui bona fide emit rem furtivam, ubi novit esse furtivam, teneatur eam reddere domino, nec possit reddere furi pretium suam recuperatur?

Suppono 1° quod, si emptor bonæ fidei suum pretium facile a fure recuperare posset, sive petendo, sive impetrando judicis auctoritatem, sive alia via legitima, teneatur rem domino immediate restituere, quia eo casu nulla est ratio cur domino rem suam non reddat.

Suppono 2° e contra quod, si fur sit restituturus domino rem illius, aut ipsi dominus sit eam facile recuperaturus, possit emptor eam reddere furi ut suum pretium consequatur, quia eo casu censetur dominus consentire; alioquin foret irrationabiliter invitus, juxta illud tritum axioma : *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris facere.*

Suppono 3° quod, si emptor emisset rem a fure viliori pretio ut eam redderet domino, alias eam non recuperaturo, possit repetere a domino pretium, et dominus teneatur ei reddere, quia utiliter et quasi ex ejus commissione rem ejus gessit; et ita colligitur ex l. *Si quis alienum* 2, ff. De negot. gestis : secus, propter rationes oppositas, si non domino, sed sibi emisset, aut si domino quidem, sed rigoroso pretio emisset; quamvis tamen in hoc ultimo casu videatur quod dominus debeat aliquid dare emptori secundum judicium viri prudentis.

Suppono 4° tanquam certum, quidquid dicant aliqui, emptorem malæ fidei teneri rem vero domino reddere, etiam cum periculo amittendi suum pretium; quia non tantum tenetur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis : unde quod pretium furi datum recuperare non possit, sibi et suæ malitiæ imputare debet.

Suppono 5° quod, si fur non compareat, aut ab ipso emptor bonæ fidei pretium suum recuperare non valeat, ipse emptor non possit rem alteri vendere aut in suos usus convertere ut se servet indemnem : in hoc conveniunt auctores utriusque sententiæ mox referendæ.

Suppono tandem quod, si dominus rem suam repetat, emptor teneatur illi reddere : in hoc etiam conveniunt patroni utriusque partis.

Difficultas est itaque 1° de emptore bonæ fidei qui rem sibi emit, et quam si domino reddat, pretium furi datum verosimiliter sit amissurus; 2° de fure qui rem sibi redditam probabiliter domino non reddet : an in his circumstantiis emptor teneatur reddere rem domino etiam non repetenti, quia forte ignorat, cum periculo amittendi pretium, *Negant* Navar. Sylvest. Angelus, Lessius et alii plures probabiliter. *Affirmant* Cajet. Soto, Joannes Medina, Major, Sylvius, etc. et ex recentioribus Perfector Tournely, Daelman, Henno, Ethica amoris, et ut puto communius : cum quibus

Dico. Probabilius est quod qui bona fide rem furtivam emit, ubi esse furtivam rescit, teneatur eam reddere immediate vero domino, etiamsi suum pretium a fure non sit recuperaturus.

Q. 62. a. 6. o. — *Prob.* 1° ex principio S. Thomæ communiter recepto. Qui habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi et dara ei cui deest : atqui emptor habet ultra quod suum est, nempe alienum, et domino deest non furi. Ergo.

2° Ex alio principio etiam communiter recepto. Res, ubicumque sit, clamat ad dominum. Ergo.

3° Nemo potest rem alienam contrectare seu de ea disponere invito rationabiliter domino, id enim est proprie furtum : atqui dominus est rationabiliter invitus dum res sua redditur furi sibi peritura : ergo. *Probatur min.* Dominus non tenetur in id consentire : ergo est rationabiliter invitus. *Prob. ant.* Tum quia, ut dixi, res clamat ad dominum, tum quia dominus habet jus eam repetendi et ipsi repetenti tenetur emptor reddere, ut modo dicam : ergo non tenetur consentire.

4° Si dominus repetat rem suam sive juridice sive privatim, emptor tenetur ei red-

dere, et certo ad id a judice condemnabitur, ut fatentur ipsimet adversarii : atqui repetitio non confert domino jus ut res sua ipsi immediate restituatur, sed supponit, et ex omissione repetitionis propter ignorantiam non amittit tale jus : ergo etiam non repetenti debet restitui.

5° Si fur non compareat, aut ab eo emptor non possit pretium suum recuperare, non potest rem illam alteri vendere aut in suos usus convertere ut se servet indemnem, ex ipsis adversariis : ergo ne furi restituere.

Nec obstat si dicas quod, restituendo furi, restituatur mediate domino, quatenus fur potest et tenetur restituere; nullo enim vero sensu dici potest restitui mediate domino dum restituitur illi qui scitur domino non redditurus.

6° Reddere rem furi, est concurrere iniquæ ejus detentioni non solum negative, ut volunt adversarii, sed etiam positive, nec minus positive quam si eam alteri venderes aut gratis dares. Ergo.

7° Ideo secundum adversarios emptor bonæ fidei potest rem furi reddere, quia in hoc nullam facit injuriam domino, cum rem in eodem statu reponat in quo antea invenit, et ea quo non tenetur extrahere cum æquali suo damno : hoc est præcipuum contrariæ partis fundamentum. Verum falsum est quod assumitur, nimirum in hoc nullam fieri injuriam domino : 1° quia falsum est rem poni in eodem statu ac ante; fur enim advertens se in suspicionem furti venire, rem diligentius occultabit aut longius distrahet, sicque erit in pejori statu quam ante, quia difficilius recuperabilis. 2° *Dato* quod res non ponatur in pejori statu quam ante, saltem ponitur in pejori statu quam sit de facto apud emptorem, ubi est secure : atqui id non fit sine injuria domini : ergo. *Prob. min.* Melioratio rei qualiscumque sit pertinet ad dominum quem semper et ubique clamat : atqui status securitatis apud emptorem est quædam rei melioratio : ergo non potest ab illo siatu extrahi et in pejori reponi absque injuria domini.

Ex quibus omnibus videtur mihi non magis esse emptori licitum reddere rem furtivam furi ut recuperet suum pretium, quam mihi sit licitum tradere latroni equum mei vicini ut recuperem meum quem latro abstulit.

Solvuntur objectiones.

Præcipuum adversariorum argumentum jam præoccupavimus probatione ultima : insuper.

Obj. 1° Nemo tenetur procurare bonum alterius aut impedire ejus damnum cum æquali suo damno, nisi ad id teneatur ex contractu seu quasi-contractu seu ex debito : ergo emptor bonæ fidei non tenetur reddere rem domino cum amissione sui pretii.

R. 1° cum Sylvio, *antecedens non esse universaliter verum*, siquidem si pretium a fure recuperari non possit, emptor, fatentibus ipsis adversariis, teneatur reddere rem domino, et amittere suum pretium; debet ergo tunc suo damno procurare bonum alterius, unde *D. ant.* Nemo tenetur procurare bonum alterius, etc. ex his quæ sibi sunt propria, *C. ant.* ex his quæ sunt propria isti alteri, *N. ant.* In casu autem emptor non procurat bonum alterius ex his quæ sibi sunt propria, sed ex his quæ sunt in alterius dominio et proprietate.

R. 2° *D. aliter idem ant.* Nemo tenetur procurare bonum alterius cum suo damno, si procuratio alterius boni sit causa damni, *transeat ant.* secus, *N. ant.* Jam autem hic redditio rei furtivæ domino, in qua sita est hæc ejus boni procuratio, non est causa tui damni seu amissionis pretii; jam enim ante amissum est cum illud tradidisti furi; sed causa fuit, vel furis malitia, vel tua imprudentia aut infortunium. Hæc distinctio diligenter retinenda est pro solutione argumentorum a paritate quæ sunt difficiliora.

Inst. Non teneor, ex justitia saltem, rem alienam perditam et in foro inventam accipere et domino reddere : ergo nec *a fortiori* acceptam a fure cum damno meo.

R. N. conseq. Disparitas est, quod in primo casu nullus sit justitiæ titulus quo tenearis, non rei acceptæ, neque injustæ acceptionis; in secundo autem teneris titulo rei acceptæ. Unde si rem hanc deperditam accepisses et aliquandiu apud te retinuisses, sic, ut moraliter loquendo censereris illam possidere, tenereris ex justitia, ratione rei acceptæ, eam reddere domino per se loquendo.

Obj. 2° Contractus emptionis cum fure est ex parte furis injustus, et ex parte emptor habet jus ipsum rescindendi.

R. D. conseq. Ergo emptor habet jus ip-

sum rescindendi, hoc sensu quod possit repetere pretium suum a fure et ad ipsum reddendum judicio cogere, *C.* hoc sensu quod rem alienam domino suo perituram possit ipsi reddere, *N. propter rationes conclusionis.*

Obj. 3° Dominus in hoc casu non foret rationabiliter invitus. Ergo. *Prob. ant.* Nemo potest esse rationabiliter invitus quod magis consulam rebus meis quam alienis. Ergo.

R. N. ant. Ad probationem, D. ant. Nemo potest esse rationabiliter invitus quod magis consulam rebus meis quam alienis, si id facere possum non deteriorando aut destruendo rem alienam, *C.* sic in pari incendio aut naufragio possum magis meis consulere quam alienis : si id facere non possum nisi deteriorando aut destruendo rem alienam, *N.* Non enim possum damnum alteri inferre ut vitem meum, cum non sint facienda mala ut evenient bona : sic non possum tradere furi equum mei vicini ut servem meum ; sic, fatentibus ipsis adversariis, non possum vendere alteri rem furtivam ut recuperem meum pretium, quia tunc res poneretur in pejori statu, imo destrueretur moraliter respectu domini cui periret, quod *a fortiori* verum est si reddatur furi.

Obj. 4° a paritate. 1° Si marsupium alienum aut gladium in foro repertum tollam, et postea advertam mihi fore nocivum, puta, quod inde veniam in suspicionem furti vel homicidii ; possum marsupium aut gladium reponere in eodem loco, licet forte ab alio auferendum.

2° Depositarius non tenetur servare depositum cum majori aut æquali suo damno, puta, si propter retentionem tui equi apud me depositi fur minetur surripere meum, aut ex hoc incurram suspicionem furti. Similiter si a fure auferam vestem Petri ut ipsi Petro reddam, et fur auferat meum pallium, nec velit illud mihi reddere nisi reddam vestem Petri, possum eam reddere. Item si hominem manibus elatum ex fluvio velim eripere, et alter mihi necem intentet si non dimittam, possum dimittere licet certo periturum. Item qui res alienas salvavit ex naufragio, recipiendo eas in suam navim, exurgente nova tempestate potest illas iterum projicere in mare ut salvet suas. Ergo similiter in nostro casu, possessor bonæ fidei potest rem furtivam reddere furi nolenti aliter reddere pretium, neque tenetur cum tanto suo incommodo eam reddere immediate domino.

R. Relictis variis solutionibus quas operose adhibent auctores, *nego consequentiam et paritatem.* Disparitas est multiplex.

Prima disparitas generalis et optima cujus jam meminimus, est, quod in his omnibus exemplis damnum mihi inferretur ex retentione rei alienæ : in nostro autem casu, non sequitur ex retentione rei alienæ seu ex redditione illius facta domino, sed jam aliunde prius secutum et positum est, tunc scilicet quando deti meas pecunias furi : unde imputari non debet retentioni rei ut in objectis casibus, seu ejus redditioni factæ domino, sed vel malitiæ furis qui vendidit quod non erat suum, vel imprudentiæ meæ aut adversæ fortunæ. Quapropter sicut non possem hanc rem alteri vendere ad recuperandum pretium jam amissum, ex ipsis adversariis, ita nec furi reddere.

Secunda disparitas quantum ad exempla posita sub numero secundo est, quod in his utiliter res domini geram, atque ex charitate agam in solum ejus commodum, et ideo ea lege subintellecta, quasi ex contractu tacito quod nullum inde damnum mihi obveniat ; alioquin nemo vellet in necessitate succurrere proximo. In proposito autem solam meam utilitatem intendo.

Tertia disparitas est, quod in pluribus casibus citatis agatur de bonis vitæ aut famæ, quæ sunt longe præstantiora bonis fortunæ. in nostro vero casu, agitur de æquali bono fortunæ. Porro censetur dominus consentire ut rem meam præstantioris ordinis salvem cum ejus longe inferiori detrimento, alioquin foret irrationabiliter invitus.

Obj. 5° ab auctoritate. 1° Cap. *In litteris*, de Restitut. spoliatorum, et l. 3, § 3, ff. *Quod vi aut clam*, statuitur furem seu possessorem malæ fidei esse ante omnia restituendum. 2° Lib. *Bona fides* 3, ff. Depositi vel contra, dicitur quod, si fur apud me rem furtivam deposuerit, eam ipsi debeam restituere. 3° S. Thomas infra q. 66, a. 3, ad 3, dicit, id quod per rapinam ablatum est, esse rapientis quoad detentionem, unde videtur sequi quod ipsi sit restituendum.

R. ad primum, leges laudatas loqui de spoliato seu violenter a possessione dejecto, qui secundum jura ante omnia restituendus est, maxime cum non certo constat esse unicuum possessorem.

Ad secundum. Lex *Bona fides* agit de depositario ignorante depositum esse furtivum: unde ibidem addit quod si dominus compareat cum fure, domino sit restituendum.

Ad tertium. Id quod per rapinam ablatum est, dicitur esse rapientis quantum ad detentionem, quia quamdiu habet, incumbit ipsi custodia ut opportune illud reddat domino; non autem quod ubi semel est extra ejus potestatem positum, debeat ipsi potius reddi quam domino.

Nota. Quidam excipiunt a conclusione eos qui palam in publicis nundinis emunt bona fide res furtivas, vi quarumdam legum quibus statuitur ut omne quod in publicis nundinis emitur, transeat in dominium emptoris, etiam si postea deprehendatur esse furtivum; et hoc propter bonum commune, ut nempe hoc pacto augeatur commercium et magis alliciantur mercatores ad tales nundinas. Quapropter hujusmodi legibus, si vere existant in certis provinciis, non enim puto esse generales, videntur posse stare emptores bonæ fidei tanquam justis, sicut alibi dictum est de præscriptione. Dico emptores bonæ fidei; non enim est præsumendum quod leges velint favere emptoribus malæ fidei qui furibus participant, sic enim forent injustæ.

Petes utrum si is qui rem furtivam bona fide emit, et eadem bona fide durante alteri vendidit, res illa debeat adhuc reddi domino?

R. affirmative; militant enim semper eædem rationes ac ante.

Sed cujus dispendio? an primi, an secundi emptoris?

R. dispendio primi emptoris qui debet rescindere contractum cum secundo emptore, reddendo illi ejus pretium, et rem adhuc exstantem vero domino. Nec sufficit si cedat secundo emptori actionem quam habet in furem quocum secundus emptor nullum habuit negotium. *Ratio est;* quia *esto* forte venditor secundum leges civiles de quibus infra tract. de Contract. diss. 3, a. 7, § 1, et diss. 4, a. 6, §1, acquirat dominium pretii, istud tamen dominium est infirmum et vinculatum, quatenus venditor tenetur secundum easdem leges et naturam contractus de evictione rei venditæ, hoc est, tenetur emptorem indemnem servare, si rem emptam debeat reddere domino, prout debet in casu; consequenter tenetur ipsi refundere pretium.

Verum major est difficultas casu quo secundus emptor non compareat, aut res sit consumpta, an teneatur primus emptor refundere pretium domino rei?

Multi negant, nec improbabiliter; quia, inquiunt, non tenetur tale pretium refundere domino ratione injustæ acceptionis, quia rem ejus bona fide tractavit; neque ratione rei, quia non amplius exstat apud ipsum. *Si dicas* nomine rei etiam intelligi ejus valorem seu pretium quod exstat: respondent id non esse verum nisi in quantum ex eo factus est ditior: unde concedunt tantum quod, si rem pluris vendiderit quam emerit, teneatur istud lucrum accrescens reddere domino rei, quia in eo tantum factus est ditior; non autem in eo quod respondet pretio quod dedit furi.

Nihilominus probabilius videtur quod debeat istud pretium reddere domino rei, ratione rei acceptæ adhuc existentis, non in se quidem, sed in suo valore: ita tenent Bannes, Salonius, quos citat et sequitur Sylvius, qnibus subscribunt Daelman et alii quidam recentiores.

Sequitur ex dictis; quia primus emptor non acquisivit dominum istius pretii, neque venditione, neque donatione, neque compensatione, ut modo dictum est; et qnia insuper secundus emptor non intendit transferre dominium pecuniæ suæ nisi in dominum rei, et nisi in quantum sibi transfertur dominium rei venditæ: atqui primus emptor non est dominus rei, neque hujus dominium transfert in secundum emptorem, neque aliqua lege transfertur: ergo primus emptor tenetur istud pretium restituere; et cum non possit restituere secundo emptori, quia non comparet, aut rem in suam utilitatem consumpsit, ex ejus voluntate præsumpta tenetur restituere domino rei, ut sic compensetur et fiat æqualitas.

Falsum est autem quod assumunt contrariæ sententiæ patroni, nimirum primum emptorem non fieri ditiorem ex illo pretio: fit enim ditior ex toto; quia res quam vendidit secundo emptori non erat sua, ideoque non dives ex illa parte; pretium etiam quod dedit furi, non erat tunc amplius suum, sed jam prius amissum cum nempe illud dedit, sicque nec etiam ex hac parte

dives, sed jam ex tunc in pejori statu positus : ergo retinendo istud pretium, ex alieno ditescit et ex eo toto fit ditior.

Impertinens ets autem quod tantum dederit furi quantum accepit a secundo emptore; acceptum enim non succedit in locum dati quod jam ante periit, sed in locum rei venditæ.

At forte dices venditorem, secundum prius dictas leges, acquisivisse dominium pretii rei venditæ. Sed quid tum ? Etiamsi esset malæ fidei, nihilominus etiam secundum dictas leges, acquireret dominium istius pretii, nec tamen ideo posset illud retinere. Item acquirit dominium lucri accrescentis, si rem vendat pluris quam emit, et tamen, secundum adversarios, tenetur hoc lucrum accrescens reddere vero rei domino. Dicendum itaque hoc pretii dominium quod vi legum acquirit, esse, ut jam observavi, debile et vinculatum, quodque debeat cedere domino rei venditæ, si res ipsa cujus locum tenet reddi non possit, ut sic fiat æqualitas, et res assecuretur secundo emptori.

ARTICULUS XI.

De restitutione facienda a possessore malæ fidei (1).

§ I. — *Quid et quantum restituere teneatur possessor malæ fidei ?*

Dico 1° generaliter. Possessor malæ fidei in tantum tenetur restituere in quantum damnificavit, ita ut mensura restitutionis sit quantitas damni illati; quia id requiritur et sufficit ad restaurandam æqualitatem quam injuste violavit. Ex hac generali assertione et regula sequitur et specialius.

Dico 2° Possessor malæ fidei, ultra quod tenetur restituere ea omnia ad quæ diximus teneri possessorem bonæ fidei ratione rei acceptæ, nimirum rem exstantem, fructus omnes naturales, mixtos et civiles exstantes aut id in quo ex his factus est ditior; insuper tenetur ratione injustæ acceptionis restituere, 1° valorem rei quocumque modo etiam casu perierit; 2° omnes fructus, exceptis industrialibus, quos ipse percepit, etsi dominus non percepisset, aut quos dominus legitime percepisset, etsi ipse non perceperit, sive exstent sive non, sive ex his sit factus ditior sive non; 3° omnia lucra cessantia aut damna emergentia domino ex injusta acceptione aut detentione rei suæ. Quia iniquus possessor per injustam acceptionem et detentionem rei alienæ, horum omnium damnorum est causa voluntaria, et tenetur reparare justitiam et æqualitatem quam sic voluntarie violavit; hæc autem reparatio fieri non potest nisi per omnium prædictorum restitutionem. *Magis explicatur.*

Dixi 1°, *quocumque modo perierit.* Hoc intellige tam de re quam de fructibus, modo possessor non purgaverit moram exhibendo se paratum restitutioni quam recusavit dominus; ex tunc enim si res sine culpa possessoris pereat, non debet ipsi imputari, sed domino qui noluit eam apud se habere, et ejus periculum in se suscepit. Utrum possessor iniquus teneatur restituere si eodem modo res esset peritura apud dominum, dicam affirmative infra.

Dixi 2°, *fructus quos percepit iniquus possessor, etiamsi dominus non percepisset.* Quod intellige etiam de fructibus rei singulari industria comparatis; quia res fructificat domino, ideoque fructus illi acquiruntur, quibus proinde dum privatur damnificatur, quantumvis ipse alias non percepisset.

Dixi 3°, *fructus quos dominus percepisset, etsi iniquus possessor non perceperit;* quia injusta rei detentione est causa hujus lucri cessantis : unde l. *Fructus*, ff. De rei vindic. habetur : *Fructus non modo percepti, sed qui honeste percipi potuerant, æstimandi sunt.* Dicitur, *qui honeste*, et ego dixi qui *legitime* percipi potuerunt; quia dominus irrationabiliter exigeret fructus quos iniquus possessor non percepit, nec ipse nonnisi via illicita percipere potuisset; nemo enim censetur pati damnum dum privatur eo quod sine peccato haberi non potuit.

N. B. Hactenus dicta vera sunt quamdiu res existit, sive maneat apud iniquum possessorem, sive ad aliquem alium quocumque modo transeat; ita quod si iste alius fructus percipiat, et eos non restituat, restituere teneatur qui primus injuste possedit. Similiter si iste alius fructus non percipiat quos percepisset dominus, quia qui primus injuste possedit est causa totius istius damni.

Quando autem res non amplius existit, non amplius fructificat domino, et tunc non

(1) Vide Adnotationem decimam tertiam.

tenetur iniquus possessor restituere fructus qui percíperentur si adhuc existeret, nisi casu quo apud dominum diutius perstitisset, et ex ea fructus ulteriores ipse percepisset; tunc enim etiam illos secundum quantitatem spei iniquus possessor tenetur restituere, quia est etiam causa istius damni seu lucri cessantis.

Utrum vero iniquus possessor teneatur restituere fructus quos ex re adhuc exstante potuisset labore ordinario percipere, sed quos ex negligentia non percipit, nec dominus percepisset? *Quidam negant* saltem pro foro conscientiæ, quia tunc in nullo est damnificatus dominus: non tamen improbabiliter sustineri potest quod teneatur; quia hoc ipso quo rem alienam injuste possidet, incurrit onus eam debite custodiendi et colendi, sicque intendit dominus, et in hoc fortuna ejus est melior. Nec dubito quin in foro externo iniquus possessor condemnetur ad restituendos tales fructus labore ordinario comparari solitos; secus si ageretur de fructibus labore extraordinario comparandis; hos enim irrationabiliter exigeret dominus.

Dixi 4° *exceptis fructibus industrialibus;* quia sicut dictum est de possessore bonæ fidei, hi non sunt fructus rei sed industriæ possessoris, cui proinde cedunt et non domino: unde si ex furtiva pecunia, vel alia re de se sterili, negotiando, commutando, ludendo, etc. reportes lucrum, tuum est.

Cæterum circa rem frugiferam, *nota* hic pro praxi, eam ita fructificare domino, ut secundum jura usufructuarius, qualis est villicus, colonus, etc. non fiat dominus fructuum, v. g. segetum, nisi eos collegerit seu de terra absciderit. Ita expresse Inst. lib. 2, tit. 1, § 36, his verbis: « Is vero ad quem » usufructus fundi pertinet, non aliter » fructuum dominus efficitur quam si ipse » eos perceperit (*seu de terra absciderit*). » Et ideo licet maturis fructibus, nondum » tamen perceptis, decesserit, ad hæredes » ejus non pertinent, sed domino proprieta- » tis acquiruntur. » Hic tamen tenetur refundere culturæ expensas.

§ II. — *Utrum malæ fidei possessor teneatur præstare valorem rei, si apud ipsum pereat, certo peritura apud dominum?*

Suppono ut certum apud omnes quod, si res esset peritura apud dominum per injuriam tertii, fur seu possessor iniquus teneatur restituere: v. g. occidis equum Caii quem Titius certo occidisset, furatus es et consumpsisti vinum quod fur alter pariter surripuisset si mansisset apud dominum: teneris; quia sicut ille alter furando contraxisset obligationem restituendi, ita tu prius furando prius contrahis obligationem.

Conveniunt etiam theologi quod, si rem certo perituram apud dominum ab imminente excidio servasti, puta, equum ab incendio, merces a naufragio, ovem a faucibus lupi, et hæc apud te injuste retenta et servata alio casu perierit, tenearis præstare ejus valorem, deductis expensis et æstimatione laboris in ea salvanda. Quia res, quocumque modo supersit, domini est, neque ex hoc quod in periculo fuerit et ex illo erepta, dominium amittit, sed id ejus fortunæ cedit: cum ergo jam sis iniquus detentor, teneris etiam de casu fortuito.

Sed difficultas est casu quo res pereat apud possessorem malæ fidei, certo peritura eodem modo et eodem tempore apud dominum: v. g. furatus es equum qui moritur apud te, eodem modo moriturus apud dominum; navi vectus merces alterius surripuisti, orta tempestate omnes merces cum tuo furto pereunt.

Non pauci nec ignobiles theologi docent quod in tali casu possessor malæ fidei non teneatur ad restitutionem: 1° quia ex ejus injusta acceptione nullum damnum sequitur domino, cum res accepta eodem modo apud ipsum certo periisset, injusta autem acceptio non obligat ad restitutionem nisi in quantum est damnificativa; 2° quia res perit domino. Ita Lessius, Delugo, Molina, Covarruvias, Sylvest. Navar. Sporer, Henno, Pontas, verbo *Restitution*, cas. 11.

Inter illos auctores quidam excipiunt casum quo res ex culpa possessoris perierit, puta, quia neglexit aut voluntarie destruxit; sed, ut mihi videtur, non satis consentanee suis principiis; quod enim ex nova culpa aut ex casu tantum res pereat, non sequitur magis damnum domino, cum supponatur utrobique ipsi certo aliunde peritura. Cæterum hæc sententia etiam generaliter propugnata est probabilis: attamen puto probabilius esse hic distinguendum.

Dico. Vel res manifeste apparet certo brevi peritura, vel non apparet manifeste: si pri-

mum, non tenetur restituere possessor malæ fidei; si secundum, tenetur.

Primam partem non puto a quoquam *esse negandam,* quia res in illo casu nullius est valoris et habetur moraliter perdita: unde ex injusta detentione nullum damnum sequitur domino.

Ratio exemplis clarior fiet. Furatus es equum ita manifeste ægrum, ut ante diem elapsum sit moriturus; surripuisti boves, oves ab irruentibus hostibus jamjam abducendos, supellectilem ab incendio, merces a naufragio, et hæc apud te eodem casu et eodem moraliter tempore abducuntur aut pereunt: non teneris quidquam restituere; quia res illæ tempore ablationis nullius erant valoris, nec cœperunt apud te valere domino, cum semper fuerint in eodem periculo. Idem videtur dicendum si occidas hominem ex morbo visibili aut justa judicis sententia certo et cito moriturum; quamvis enim sis reus homicidii, tamen quantum ad damna sequentia homo in hoc statu non venit in æstimationem.

Quod si in his et similibus casibus res non appareat certo peritura, sed probabiliter tantum, restitutio erit facienda, in quantum attento periculo valor rei minuitur judicio viri prudentis.

Q. 62. a. 6. o.—*Secunda pars,* quæ maxime controvertitur, est Palud. Wiggers, Ethic. am. Daelman qui dicit nunc esse sententiam communem, videturque conformior doctrinæ D. Thomæ qui docet generaliter, possessorem malæ fidei teneri ad restitutionem, non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injuriosæ actionis, etiamsi res apud ipsum non remaneat, non distinguens an peritura esset apud dominum, vel non. Et Glossa in l. *Item si,* ff. De rei vindic. dicit expresse: « Si vero ab initio fuit malæ » fidei, omnino tenetur de casu, etiamsi eo» dem modo periisset apud alterum. »

Prob. ratione. 1° Possessor malæ fidei duplicem contrahit obligationem, unam ratione rei acceptæ, alteram ratione injustæ acceptionis seu detentionis; et dominus duplicem actionem, unam in rem, alteram in personam possessoris. Re pereunte, exstinguitur quidem prima tam obligatio quam actio, at non secunda; hæc enim tamdiu permanet quamdiu fur non reparat justitiam et æqualitatem quam violavit, *ut patet* et ex natura rei et ex communi sensu theologorum ac jurisperitorum: atqui hæc reparatio non fit nisi per restitutionem: ergo si non fiat restitutio, dominus læditur in hoc suo jure seu actione.

Dices injustam acceptionem non parere obligationem restituendi in fure, neque actionem domino tribuere nisi in quantum est damnificativa: atqui non est damnificativa in casu quo res æque periisset apud dominum. Ergo.

R. N. min. Hoc ipso enim quo dominum rationabiliter invitum re sua non manifeste peritura spolias, quamvis sit illa ex alia causa ignota privandus, efficaciter ipsi damnum infers, quia in tali casu res tanti valet secundum æstimationem hominum ac si non esset peritura. Quod autem dominus sit cras eadem re ex causa non prævisa privandus, non facit quod tu illam causam præveniens damnum ipsi non inferas, sed solum facit quod damnum quod cras alteri causæ, puta, igni vel naufragio, foret imputandum, tibi nunc imputetur: sicut quod tu occidas hodie Titium qui cras esset occidendus a fera, non facit quod non sis vere homicida, verus damnificator et vere obligatus restitutioni; sed solum facit quod hæc occisio tibi hodie imputetur, alioquin cras imputanda feræ.

Et mirum videtur quod adversarii hæc omnia etiam quantum ad obligationem restituendi concedant, si Titius cras foret injuste occidendus a causa libera, et negent de causa necessaria, siquidem occisio futura per causam necessariam non magis impediat quin tua præsens occisio sit damnificativa quam si foret a causa libera.

Prob. 2° Qui inique surripit rem alienam aut eam injuste detinet, juxta hominum apprehensionem et omnia jura, suscipit in se omne rei periculum; et ideo dicitur communiter quod possessor malæ fidei teneatur de casu fortuito, ita quod in tali casu res non pereat domino, sed injusto possessori, sicut vi contractus assecurationis res perit assecuratori et non domino, hoc sensu quod assecurator debeat refundere valorem rei domino: unde in nostro casu, eatenus fit melior conditio domini, quod acquirat jus ut res sua seu ejus valor ipsi reddatur, ad quemcumque statum pervenerit: ergo, si non reddatur, læditur in isto jure et damnificatur.

Confirmatur. Si res heri empta et tradita, non soluto pretio, pereat hodie apud empto-

rem, eodem modo peritura apud venditorem, tenetur emptor nihilominus solvere pretium de quo fuit heri conventum : ergo similiter fur tenetur præstare valorem rei furtivæ. *Patet conseq.* quia obligatio furis ex delicto parta, non magis extinguitur per interitum rei quam obligatio emptoris ex contractu. *Et si dicas*, per emptionem et traditionem emptorem fieri dominum rei, rem autem perire domino, *dicam* ego ut supra, furem per injustam detentionem suscipere in se omne rei periculum, et sic illi rem perire hoc sensu quod ejus valorem præstare teneatur. *Ex dictis patet responsio ad utramque rationem adversariorum.*

Objiciunt insuper. Homicida non tenetur restituere hæredibus defuncti expensas funeris, quia hoc damnum certo debebat illis contingere : ergo nec alia damna si certo essent eventura.

R. N. conseq. Disparitas est, quod hæ expensæ certo et communiter sciantur faciendæ, unde minuunt æstimationem hominis occisi quoad valorem damnorum ex ejus morte sequentium, *ut dictum est in prima parte conclusionis ;* secus quando non scitur communiter certo eventurum damnum.

Opponit Covarruvias legem *Item si*, ff. De rei vindicat. lib. 6, tit. 1. Verum ista lex decernit quidem esse restituendum si res ablata fuisset domino utilis ; at non negat esse etiam restituendum, etiamsi non foret utilis ipsi : imo Glossa in eam legem, ut vidimus, diserte affirmat esse restituendum.

Opponit insuper Pontas verbo *Restitution*, cas. 9, legem *Si vehenda*, § 1, ff. ad Legem Rhodiam de actu lib. 14, tit. 2, ubi statuitur quod nauta qui merces e meliori navi in deteriorem transtulit, si pereat deterior navis, teneatur ad restitutionem mercium ; si autem utraque pereat, non teneatur : ergo similiter fur si res furtiva apud ipsum pereat, alioquin etiam certo peritura apud dominum.

R. N. conseq. Disparitas est, quod iste nauta non sit fur, nec ideo suscipiat in se omne rei periculum, sed solum periculum deterioris navis qua deterior est, in quam invito domino merces transtulit : ubi autem ambæ pereunt, non censetur deterior perire quia deterior est, sed vi tempestatis.

Ex his inferes quod, si equus furtivus inopinato apud furem moriatur, domus male possessa incendio conflagretur, vinum furtivum acescat, vestis vermibus corrumpatur ex causa quæ non erat cognita nec prævisa tempore ablationis, teneatur fur præstare valorem rei, non minus quam emptor, ut dixi, qui eam tunc eodem pretio emisset, teneretur ex contractu ejus pretium solvere.

§ III. — *Ad quid teneatur possessor malæ fidei ratione meliorationis aut deteriorationis ?*

Jam notavimus supra, duplicem esse tam meliorationem quam deteriorationem, unam intrinsecam, alteram extrinsecam : require articulo 9, notamine 4.

Dico 1° Possessor malæ fidei tenetur restituere rem seu ejus valorem, secundum statum meliorationis sive intrinsecæ sive extrinsecæ quem habuisset apud dominum, si possessor iniquus eam non surripuisset aut detinuisset, etiamsi apud ipsum in eo optimo statu non fuerit. *Est communis et certa ;* quia cum per injustam suam ablationem aut detentionem impediverit hanc optimam rei meliorationem apud dominum, evidens est quod teneatur eam compensare.

Hinc si furatus sis triticum valens decem, quod dominus servaturus erat in tempus quo valuit quindecim, tu vero consumpsisti aut vendidisti tempore quo valebat tantum decem ; teneris refundere quindecim. Furatus es bovem macrum qui apud dominum impinguatus fuisset, apud te autem periit aut remansit macer sive ex casu sive ex tua negligentia ; teneris præstare valorem bovis pinguis, deductis tamen expensis quas fecisset dominus.

Quod si futura melioratio apud dominum erat incerta, licet quidam existiment restitutionem esse faciendam secundum summam meliorationem quæ sperabatur, verius tamen videtur esse faciendam secundum valorem spei, seu æstimationem meliorationis ut speratæ ; quia melioratio incerta non tanti valet quanti valet certa.

Difficultas gravior est de melioratione rei apud possessorem malæ fidei, quæ non fuisset apud dominum aut ipsi non profuisset, sive quia ante rem distraxisset aut consumpsisset, sive quia in aliud tempus servasset, an ad eam teneatur possessor malæ fidei.

Circa quam difficultatem magna est sen-

tentiarum diversitas. Quidem affirmant de melioratione intrinseca, negant de extrinseca; quidem affirmant de melioratione, negant de deterioratione; quidam distinguunt inter deteriorationem casualem et deteriorationem ex negligentia aut industria; quidam tandem distinguunt tempus consumptionis aut alienationis factæ: et hæc omnia satis intricate et parum sibi consentanee. Quapropter, insistendo principiis jam positis,

Dico 2° Possessor malæ fidei tenetur præstare valorem rei, secundum optimum statum meliorationis tam intrinsecæ quam extrinsecæ quem apud ipsum habuit, quamvis hæc melioratio non fuisset apud dominum aut ipsi non profuisset.

Sit casus. Furatus es pullum qui apud te adolevit in equum robustum, et deinde senuit; en melioratio et deterioratio intrinseca: furatus es mense septembri mensuram tritici valentem tribus aureis, mense januario apud te servatum valet quatuor aureis, mense junio vicina messe valet tantum tribus aureis aut minus; en melioratio et deterioratio extrinseca. Teneris, inquam, reddere valorem equi generosi, et quatuor aureos pro mensura tritici, etiamsi talis melioratio domino non profuisset, sive quia ante tempus meliorationis equum aut frumentum distraxisset, sive quia usque ad tempus deteriorationis servasset: ita quod si, tempore quo restituis, res adhuc exstet apud te in deteriori statu, non sufficit eamut talem restituere, sed teneris aliquid addere ad compensandam meliorationem præteritam.

Ita S. Raymundus lib. 2, tit. 6 *De furtis*, § 3, his verbis: « Cum redditur æstimatio » rei, non tantum est considerandum tem» pus in quo res fuit subrepta et tempus in » quo periit, sed etiam totum tempus me» dium, et fiet æstimatio secundum illud » tempus in quo plurimi valoris fuit res. » Idque probat ex lib. *In re furtiva*, ff. De conditione furtiva, lib. 13, tit. 1. Sic autem habet lex: « Si ex causa furtiva res condi» catur, cujus temporis æstimatio fiat quæ» ritur. Placet tamen id tempus spectandum » quo res unquam plurimi fuit, maxime » cum deteriorem rem factam fur dando, » non liberatur, semper enim moram fur » facere videtur. » Ita etiam Navar. in Man. c. 17, n. 20, et alii plures.

Prob. ex præcedentibus principiis. 1° Res, quamdiu permanet, melioratur domino sive intrinsece sive extrinsece, et quanti valet quovis tempore, tanti domino valet: ergo malæ fidei possessor domino damnum infert, dum eam ipsi non restituit secundum quod pluris valuit. *Neque dicas* etiam decrescere domino, id enim falsum esse ostendimus § præcedenti; quia, ut ibi probavimus, possessor malæ fidei suscipit in se omne rei periculum, et inde fit melior fortuna domini: unde sicut si res casu apud ipsum furem pereat, etiam certo peritura apud dominum, tenetur eam quasi exstantem in suo valore præstare, ut dictum est: ita etiam si res deterioretur, quamvis apud dominum esset deterioranda, tenetur reddere non deterioratam, sed ut ante melioratam apud se.

2° Quando possessor malæ fidei rem alienam detinuit tempore majoris valoris sive intrinseci sive extrinseci, tenebatur reddere ut erat, et ex tunc ratione injustæ detentionis contraxit obligationem eam restituendi secundum illum summum valorem quem habebat, non secus ac si tunc primo accepisset: — **Hic a. 3. ad 3.** — *Detinere enim id quod alteri debetur*, inquit S. Thomas, *eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta:* atqui obligatio semel contracta rationis injustæ acceptionis seu detentionis, sicut non extinguitur per fortuitum rei interitum, ut dictum est, ita nec per subsequentem deteriorationem, sed per solam restitutionem aut domini condonationem.

Confirmatur. Juxta adversarios saltem plures, si possessor malæ fidei rem alienam consumpsisset aut distraxisset tempore summi valoris, teneretur eumdem valorem domino restituere, non obstante quod foret in posterum deterioranda, aut quod dominus ea protunc non fuisset usurus: atqui hæc obligatio non oritur ex rei consumptione aut alienatione, sed ex injusta illius detentione, seu ex eo quod melioratio sit domini; si enim protunc eam non consumptam aut alienatam reddere vellet, deberet indubie reddere prout est de facto meliorata. Ergo.

Obj. 1°. Si furatus sim minimam plantam quæ in meo fundo plantata magnam excrevit in arborem, non teneor restituere magnam arborem; id saltem est inauditum. Ergo.

R. 1° *N. conseq.* Disparitas est, quod planta aliena in meo fundo plantata fiat mea per plantationem et radicationem, lib. *Adeo*, § *Si alienam*, ff. De acquirendo rerum dominio, lib. 41, tit. 1. Unde mihi fructificat et melioratur, remanente solum obligatione reparandi damnum quod intuli domino eam eradicando et auferendo; equus vero in stabulo meo non fit meus, nec triticum in horreo meo fit meum. *Sed dato* hanc arborem meliorari primo domino,

R. 2° *D. ant.* Non teneor restituere magnam arborem præcise secundum se, *N. ant.* ratione expensarum deducendarum, *C. ant.* Quia si expensæ quas in illa arbore excolenda feci, simul cum æstimatione laboris, industriæ ac fundi mei quem occupat, conferantur cum melioratione et deducantur, vix illa melioratio illas expensas superabit: posse autem deduci expensas probabilius dicemus infra.

Obj. 2° cum Lessio. Possessor malæ fidei tempore quo res est apud ipsum meliorata, melioratione qua non fuisset usus dominus, non tenebatur secundum illam meliorationem restituere ratione injustæ damnificationis, sed tantum ratione rei acceptæ: atqui qui tenetur tantum restituere ratione rei acceptæ, re pereunte cessat obligatio. Ergo dum res est deteriorata non tenetur restituere secundum præteritam meliorationem. *Prob. maj.* Dominus ex privatione hujus meliorationis nullum passus est damnum, cum supponatur quod ea non esset usurus. Ergo.

R. N. maj. Ad Prob. N. ant. Quia quando res erat in summo valore, puta quinquaginta, erat domini et valebat domino quinquaginta, non obstante quod ea tunc non esset usurus; nam non usus rei valorem ejus non minuit, nec tollit jus domini ad illam: tenebatur autem iniquus possessor tunc eam secundum hunc summum valorem restituere domino, et non restituendo in tantum ipsum damnificavit.

Obj. 3° *cum eodem.* Saltem ubi agitur de augmento rei extrinseco tantum, si possessor malæ fidei illam vendat in eo statu augmenti in quo non vendidisset dominus, videtur quod illud possit retinere et restituere domino pristinum rei valorem, quia tale augmentum in pretio est fructus industriæ. Ergo.

R. N. ant. et ejus probationem. Patet ex dictis art. 9 de possessore bonæ fidei sub finem. Etenim, ut ibi dictum est, possessoris industria quidem est quod tali tempore aut loco res reservetur; sed quod ibi aut tunc carius vendatur, non facit industria possessoris, sed raritas mercium et copia emptorum; seposita enim ejus industria res ibi aut tunc tanti valeret.

Insuper quod possessor iniquus rem reservet ad tempus meliorationis intrinsecæ, et tunc vendat, augmentum pretii non censebitur fructus industriæ quem sibi retinere possit, etiam juxta Lessium. Ergo nec ubi agitur de augmento intrinseco; quocumque enim modo crescit rei valor, crescit domino, et consequenter pretium ejus quod loco rei succedit.

Et sane si tale augmentum concedatur possessori malæ fidei, stimulus additur furibus et raptoribus res alienas diutius detinendi, ut, capta occasione meliorationis, ditescant ex alieno sine onere restituendi.

Non nego tamen posse deduci expensas, et æstimari singularem industriam pro parte augmenti, si quæ revera concurrerit ad illud, qualis censetur dum quis per epistolas, nuntios aut amicos inquirit de pretio rerum venalium in aliis locis, et illuc merces transfert.

Inst. cum eodem. Juxta l. *Qui vas*, § *Ultimo*, ff. de Furtis, declaratur fur is qui pretium rei suæ a fure vi extorquet: ergo pretium illud est furis et non domini: ergo sufficit ut ex illo pretio tantum domino reddat quantum necessarium est ad reparandum damnum ex ablatione rei et protunc illatum.

R. 1° *Data prima consequentia, N. secundum. Esto* enim pretium illud esset furis, tenetur tamen totum reddere domino, quia est rei suæ pretium, et in toto fur eum damnificavit dum rem suam tanti valentem non restituit.

R. 2° *N. primam consequentiam.* Quamvis enim dominus non possit vi extorquere pretium rei suæ a fure, quia nempe omnes compensationes vi factæ sunt illicitæ, et hoc prohibetur lege citata, non sequitur quod istud pretium sit furis, sed vel est adhuc emptoris, qui, cum rei emptæ dominium non acceperit, censetur noluisse a se abdicare dominium pretii sui; aut si abdicavit, non nisi ex præsumpta intentione ut cederet domino rei, sicque secura fieret ejus acquisitio.

Notandum hic, quod notavimus § primo de fructibus rei furtivæ, scilicet, hucusque dicta de ejus melioratione vera esse, sive res maneat apud iniquum possessorem, sive ad alium quocumque modo transeat; require loco citato.

Ex dictis hucusque, præter casus jam positos in conclusionibus, hunc sequentem sic resolve. Furatus es abhinc quinque annis pecunias aut merces quas statim absumpsisti aut absumendas distraxisti : postea pluris valuerunt, aut etiam forte nunc cum vis restituere pluris valent : quem valorem teneris restituere? *R.* Si dominus in tempus majoris valoris eas esset reservaturus, teneris hunc majorem valorem restituere, ex prima conclusione; quia per injustam tuam ablationem es causa illius damni aut lucri cessantis. Sed si dominus in id tempus non erat eas servaturus, teneris tantum restituere secundum quod res vel pecuniæ valebant tempore ablationis, quia in hoc tantum dominum damnificasti. Nec teneris de melioratione quæ fuisset si res permansisset, quia revera non fuit, nec ex eo quod non fuerit dominus patitur damnum, siquidem, ut supponitur, in id tempus eas non servasset. Quod si sit dubium an dominus in tempus majoris valoris res suas servasset, restituendum est plus vel minus pro ratione dubii : et advertendum quod in dubio, magis domino quam furi sit favendum.

Ut autem scias quanti res tempore ablationis valebant, consulendæ sunt publicæ locorum tabulæ ubi pretia rerum usualium et pecuniarum scribuntur, aut mercatorum regesta.

§ IV. — *Utrum possessor malæ fidei possit deducere expensas in re conservanda vel melioranda factas?*

Suppono 1°, non posse deducere expensas voluptarias, sed sicut dictum est de possessore bonæ fidei, posse duntaxat eas auferre si a re absque ejus deterioratione separari possunt.

Suppono 2° quod in foro externo possessor malæ fidei in pœnam delicti privatur expensis qualibuscumque, cui sententiæ utpote justæ parere tenebitur, ita ut peccet si clam aliquid pro illis retineat.

Suppono 3°, secundum leges humanitatis, dominum debere aliquid remittere possessori malæ fidei propter expensas necessarias et utiles quas ipse in re sua servanda ac melioranda facere debuisset.

Quæstio est itaque an expensæ necessariæ aut utiles, in foro conscientiæ et secundum rigorem justitiæ, possint a fure deduci, et ad eas refundendas teneatur dominus. *Negant* Steyart, Piette, Henno; *affirmant* Lessius, Wiggers, Sporer, Boudart, Daelman, Pontas verbo *Restitution*, cas. 83 et communius. Unde

Dico. Probabilius est expensas necessarias aut utiles posse in foro conscientiæ deduci a possessore malæ fidei, et dominum teneri secundum justitiam eas ipsi refundere.

Est D. Thomæ in hac parte q. 100, a. 6, ad 3, ubi cum dixisset quod, qui simoniace accepit beneficium, teneatur restituere fructus non solum perceptos, sed etiam eos qui percipi potuerunt a possessore diligenti, subdit : *Quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum.* Quod autem dicit Aurelius Piette, hoc esse verum in hoc casu, non ex natura rei, sed ex ordinatione Ecclesiæ, fictio est.

Probatur conclusio ratione. Inter possessorem malæ fidei et dominum rei intercedit virtualis et tacitus contractus, quo dominus adstringit furem ut si rem non restituat, eam conservet, et in quantum potest, perficiat, faciatque ideo expensas ad hæc necessarias : ergo tenetur dominus has expensas tanquam ex ejus voluntate factas refundere, dum res ipsi restituitur. *Prob. ant.* Quia jure præsumitur dominum velle ut res sua maneat integra, imo et in quantum possibile est, augeatur in suum commodum : ergo ad hæc intendit obligare furem in suppositione quod rem retineat.

Confirmatur. Possessor bonæ fidei potest deducere expensas, quia censetur eas fecisse ex commissione domini implicita : ergo similiter possessor malæ fidei.

Respondet Franciscus Henno, dominum non curare an res sua ab iniquo possessore detenta conservetur necne, quia, sive pereat sive non, debet indemnificari; secus quando detinetur a possessore bonæ fidei : unde fit quod in hoc ultimo casu certo adsit voluntas tacita domini ut res mediis necessariis conservetur, non in primo.

Sed contra. Quamvis res detenta ab injusto possessore debeat reddi domino, sive

pereat, sive non, aliunde tamen domini interest ut servetur et perficiatur: 1° quia longe facilius obtinetur restitutio rei adhuc exstantis, quam ejus valoris dum periit; 2° quia ex re exstante potest possessor iniquus percipere fructus quos non perciperet dominus, qui tamen ipsi cederent, et quorum restitutio deberet ipsi fieri, sed quibus privaretur si res perierit; 3° quia dominus solet magis affici ad suam rem quam ad ejus valorem. Jure ergo his de causis præsumitur eum velle ut servetur et perficiatur in suum commodum.

Et hinc patet responsio ad præcipuum adversæ sententiæ fundamentum, hoc scilicet. Possessor iniquus has expensas fecit pro libitu, sine mandato et commissione domini, sicque censetur eas liberaliter fecisse aut eas deserere, nec proinde jus habet illas repetendi: sicut qui pro libitu laborat in alterius agro, non requisitus a domino, nihil potest ex justitia ab eo exigere.

R. enim negando ant. Et ad paritatem, disparitas est quod, dum quis in alterius agro non requisitus laborat, cum ejus opera non indigeat dominus, non censetur ei dedisse etiam tacite ullam commissionem laborandi: at possessoris iniqui opera indiget dominus quamdiu rem ejus detinet, et ideo censetur obligare ipsum ut expensas rei servandæ et meliorandæ necessarias faciat.

Obj. insuper. Res est domini: ergo expensæ quæ huic rei accreverunt sunt etiam domini: ergo iterum non tenetur eas restituere.

R. retorquendo argumentum. Res apud possessorem bonæ fidei est domini: ergo expensæ quæ huic rei accreverunt sunt etiam domini: ergo iterum non tenetur eas restituere. Hoc ultimum negant adversarii, et bene, quia revera tenetur has expensas restituere possessori bonæ fidei, non quia non sunt suæ, sed quia possessor eas fecit ex tacita ejus commissione. Ita possessor malæ fidei.

Obj. iterum ab absurdo. Ex sententia nostra sequitur quod qui mala fide detinuit equum alienum per decem annos, poterit deducere expensas quæ quandoque superabunt valorem equi; sicque dominus tenebitur emere rem suam, et quandoque pluris quam valeat, quod est absurdum.

Antequam respondeam, solvant adversarii hoc aliud longe majus absurdum ex sua sententia. Furatus es gallinam quæ apud te per plures annos detenta plurima ova edidit, ex quibus plures pullos educi curasti, hi pulli iterum ova innumera ediderunt, et ova pullos, etc. Si ergo non possis deducere expensas, sequitur quod pro furto unius gallinæ quandoque teneberis restituere plura millia librarum, quod est longe absurdius.

R. directe ad argumentum, equidem iniquum possessorem equi posse deducere expensas, sed etiam debere computare et refundere domino valorem usus equi toto illo tempore; item lucrum cessans aut damnum emergens si quod fuerit, et per hæc dominus facile compensabit expensas aut forte etiam transcendet.

§ V. — *Utrum et quid sit restituendum a possessore dubiæ fidei* (1)?

Dico 1° Qui, antequam rem possideat, dubitat an sit furtiva, seu an eam possit juste possidere, 1° peccat contra justitiam eam possidendo seu acquirendo animo sibi retinendi; quia se exponit periculo rem alienam invito rationabiliter domino detinendi, et hoc ipso injuste possidet.

2° Tenetur eam integram restituere, si, facta diligenti inquisitione (ad quam tenetur, ut dictum est diss. 4 de Jure a. 2, § 6 de rebus inventis), certo constet rem esse alienam; tenetur, inquam, sicut possessor malæ fidei quousque, formato proposito eam reddendi, inquisitionem instituerit; quia eo usque tenetur non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis seu detentionis.

3° Si, facta diligenti inquisitione, remanet dubium, rationi et æquitati naturali videtur conformius quod restituat, non totum, ut quidam volunt, forte enim est sua; sed partem pro ratione dubii.

4° Hæc autem restitutio totius vel partis, si non compareat dominus, debet fieri juxta præsumptam ejus voluntatem pauperibus aut in usus pios, ut dictum est loco cit. de rebus inventis.

Hinc viderint quantis oneribus et periculis se subjiciant qui, nulla inquisitione facta, ab omnibus indiscriminatim emunt seu acceptant, præsertim a filiis familias, a religiosis, a pauperibus, a militibus post injustas deprædationes, etc. ubi subest ratio suspicandi saltem res esse furtivas.

(1) Vide Adnotationem decimam quartam.

Dixi in conclusione, *animo sibi retinendi;* quia si rem dubiam emeret animo inquirendi dominum et ipsi reddendi, non peccavit et potest pretium repetere, teneturque dominus ei reddere, quia rem ejus utiliter gessit: intellige tamen modo pretium non æquivaleat rei; sic enim rem domini non gessisset utiliter, nec dominus teneretur refundere pretium totum, sed partem tantum ad arbitrium viri prudentis.

Dico 2° Qui, postquam rem bona fide acquisivit, dubitare incipit dubio fundato an non sit furtiva, 1° tenetur inquirere veritatem, adhibita morali diligentia, majori vel minori pro rei qualitate, ut dictum est loco citato de rebus inventis; quia hoc ipso quo ex justis et gravibus rationibus dubitat, prudenter timere debet ne sua possessio vincatur a contraria certitudine, et ne quod dubitat an sit suum, sit certo alienum : quod dignoscere potest inquirendo; et quam inquisitionem si omittat, exponit se periculo detinendi alienum, peccat contra justitiam et fit possessor malæ fidei.

2° Tenetur dum fit inquisitio et spes superest attingendi certo veritatem, rem conservare, non absumere, non alienare. Ea tamen si non sit usu ipso consumptibilis, potest moderate uti, absque eo quod pretium usus teneatur solvere, nisi forte ex illo factus sit ditior; quia hucusque est possessor bonæ fidei.

3° Si post inquisitionem sufficientem, maneat æquale dubium, secundum plures, potest rem ut suam retinere, consumere, vendere, etc. quia tunc currit hæc regula juris : *In pari dubio, melior est conditio possidentis;* juxta quam omnia tribunalia tam ecclesiastica quam civilia rem possessam in dubio totam adjudicant possidenti. Pro quo vide quæ dixi supra de præscriptione § 6.

Debet tamen esse animo dispositus, casu quo compareat dominus, eam rem, si adhuc exstet, ipsi reddere; aut si non exstet, id in quantum factus est ditior, nimirum ut possessor bonæ fidei : et si vendat, tenetur ex justitia monere emptorem de tali dubio; quia est vitium quo minuitur rei valor, et cujus si conscius esset emptor aut forte non emeret, aut non tanti emeret, cum exponatur periculo rem amittendi si a domino evincatur. Ita Sylvius post Bannem et alios, quibus consentit Serra.

§ VI. — *Utrum aliquid debeat restituere qui dubitat an aliquem injuste damnificaverit?*

Cum quis dubitare possit non solum utrum rem alienam injuste possideat, sed etiam utrum alium in rebus suis damnificaverit, v. g. utrum mandato vel consilio suo in damnum influxerit, utrum ex vulnere inflicto mors sit secuta, utrum proles sit nata ex adulterio; hic casus est frequens, et sic de pluribus aliis : quærimus utrum et quid restituere debeat qui sic dubitat?

Fuit olim sententia satis communis, sic dubitantem non teneri ad ullam restitutionem. Hanc tenet Lessius citans Sotum et Navarrum, et dicens doctores in hoc fere consentire; tenent etiam Sylvius post Salonium et Malderum, Natalis Alexander de adulterio, Wigant et alii : quorum præcipuum fundamentum est, quod in dubio sit melior conditio possidentis, et quod ideo nemo re sua, quam possidet, spoliari debeat, nisi certo constet eum debere.

Nihilominus opposita sententia videtur nunc communior, quam sequuntur Henno citans Decocq, Neesen et alios, Henricus a S. Ignatio, auctor Supplem. Tourn. citans Molinam, Layman et Habert, et novissime Daelman; cum quibus

Dico. Probabilius est dubitantem an alium injuste damnificaverit, teneri ad restitutionem, non totius, sed pro rata dubii.

Ita videtur sentire D. Thomas hic a. 7 o, ubi dicit tunc consiliatorem et palponem teneri ad restitutionem, *quando probabiliter æstimari potest quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta.* Porro qui dubitat an damnum causaverit, probabiliter æstimat se illud causasse; dubium enim oritur ex duplici probabilitate contraria. Ergo. Saltem negari non potest juxta S. Thomam, non requiri certitudinem damni, sed sufficere probabilitatem, ut quis teneatur restituere.

Prob. ratione. 1° Qui dubitat an damnum causaverit, dubitat consequenter an teneatur restituere; sicut qui judicat certo se damnum intulisse, certo judicat se teneri restituere : atqui hoc ipso quo dubitat se teneri restituere, certo tenetur; quia si non restituat, cum forte teneatur, exponitur manifesto periculo committendi injustitiam, et hic currit hæc regula juris: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Ergo.

Respondent adversarii quod, qui dubitat an damnum fecerit, non dubitet nisi forte speculative an teneatur restituere ; quia per judicium reflexum, quod *in pari causa melior sit conditio possidentis*, certus practice manet se non teneri restituere, nisi ipsi certo constet se teneri ; possidet enim res suas quibus ideo se spoliare non tenetur, nisi certus sit quod debeat, alioquin non foret melior conditio possidentis

Sed contra. Possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nec ipsum eximit a restitutione in dubio, nisi in quantum fundat præsumptionem quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, sicut contingit in his quæ jam diu bona fide possidemus, quatenus non est verisimile quod homines rerum suarum avidi eas aliis possidendas relinquant, ut dixi de præscriptione ; unde si petas a me cur non restituam rem quam jam diu bona fide possideo, et de qua nunc dubito an sit aliena ; recte respondebo, quia ex possessione jure præsumo non esse alienam, et ideo non esse obnoxiam restitutioni. At in nostro casu, possessio rerum tuarum non fundat præsumptionem quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, quod est damnum de quo dubitas ; si enim petam a te cur non restituas damnum quod dubitas esse a te causatum, ridicule prorsus responderes. Quia ex hoc quod sim in possessione rerum mearum, jure præsumo damnum non fuisse a me causatum. Quæ enim oppositio inter possessionem rerum tuarum et damnum de quo dubitas, ut ex affirmatione unius inferas negationem alterius, quasi non posses facillime possidere res tuas et damnum causasse ?

Si dicas alia iterum ratione, conditionem possidentis esse in dubio meliorem, nimirum quatenus jura addicunt in dubio rem possessam possidenti, *ut patet* ex praxi omnium tribunalium, sicut dicebam § præcedenti et dixi § 6 de præscriptione.

R. id quidem verum esse quando est dubium de re possessa, an sit tua vel aliena ; verum hic non est dubium de re possessa, sed de damno illato, pro quo te non debere saltem ex parte satisfacere de bonis quæ certo possides, jura nullibi asserunt, nec probari potest ex praxi tribunalium.

Prob. 2° In casu proposito præsumptio damni stat contra dubitantem, ita ut ipsi incumbat probare se illud non causasse : ergo si id non probat, tenetur ad illius reparationem saltem pro parte. *Prob. ant.* Ubi constat de delicto, præsumptio stat contra delinquentem, sic, ut ipsi incumbat probare nullum exinde provenisse damnum ex eis quæ ex tali causa provenire solent ; quia secundum omnia jura, in dubia causa magis favendum est innocenti quam nocenti : atqui constat de delicto, nempe positam esse injuste causam sufficientem damni. Ergo.

Confirmatur. Quando duo concurrunt per accidens ad idem damnum, et dubitatur a quo sit causatum : v. g. duo explodunt in eumdem hominem, et dubitatur ex cujus ictu sit occisus ; duo mœchantur cum eadem muliere, et nescitur ex cujus concubitu nata sit proles : uterque tenetur ad restitutionem pro parte, ut communiter docent theologi : ergo *a fortiori* nocens dum concurrit cum innocente.

Prob. 3° Qui dubitat an damnum causaverit, est causa cur innocens damna incerta ferat tanquam certa, v. g. maritus in dubio prolis adulterinæ ; illam enim incertam alere cogitur quasi esset certo sua : atqui hoc nocumentum est pretio æstimabile : ergo illud resarcire tenetur qui posuit causam damnificativam et certe omnino absurdum videtur, quod in pari dubio innocens omnia damna ferat, et nocens ad nihil teneatur.

Confirmatur specialiter de adultero. Non tenetur secundum adversarios adulter ad restitutionem in dubio, quia melior est conditio possidentis ; non tenetur etiam maritus, quia melior est conditio innocentis : ergo proles dubie spuria omni ope destituta manebit.

Quod autem dubitans non teneatur ad restitutionem totius, sed pro rata dubii tantum, *patet*, quia licet sit forte causa totius damni, id tamen est incertum ; damnum autem incertum non est tantæ æstimationis quantæ est damnum certum, sicut lucrum speratum non tanti valet quanti lucrum certum.

Dices 1° Nemo tenetur se sua re spoliare, nisi probetur quod debeat, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ergo.

R. 1° *Juxta primam probationem*, *N. conseq.* quia hoc ipso quo dubitat se teneri restituere, probatur quod debeat pro parte, ex illa regula juris, *In dubio tutior pars est*

cligenda; alioquin exponitur periculo committendi injustitiam. Nec in præsenti casu possessio rerum suarum facit conditionem ejus meliorem, at ostensum est ibidem.

R. 2° *Juxta secundam probationem, D. ant.* Nemo tenetur se sua re spoliare, nisi probetur quod debeat, si alteri incumbat probare quod debeat, *transeat ant.* si ipsimet dubitanti incumbat probare quod non debeat, *N. ant.* Dubitanti autem in proposito incumbit probare quod damnum non sit secutum ex suo delicto, quia præsumptio stat contra delinquentem, ut dictum est.

Dices 2° Proles in dubio potest se reputare legitimam donec probetur spuria : ergo etiam adulter potest eam reputare legitimam, sicque nihil pro ea restituere.

R. N. conseq. Quia jura sic disponunt in favorem prolis innocentis, non in favorem adulteri nocentis. Cæterum quamvis talis proles in foro externo non reputetur spuria, secundum rem tamen est dubie spuria ; et si fundate dubitaret de sua conditione, non desunt qui putant eam teneri in foro conscientiæ restituere pro rata dubii damna quæ inde legitimi hæredes patiuntur.

Dices 3° Ex nostra sententia sequitur quod conditio prolis dubiæ sit melior quam conditio prolium certo legitimarum ; quia ultra partem hæreditatis quam dividet cum aliis, habebit insuper id quod ipsi ab adultero refundatur.

R. N. sequelam et suppositum probationis. Non enim ipsi proli dubiæ est aliquid refundendum si enutriatur a marito et partem hæreditatis accipiat cum aliis, sed ipsi marito et aliis prolibus quæ in hoc damnificantur.

ARTICULUS XII.

Utrum ille qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem?

Cum homo damnificari possit non solum in bonis quæ actu habet, sed etiam in his quæ alioquin habiturus erat, seu habebat in spe : quærimus hic an qui illum impedit a consecutione talis boni sperati, puta beneficii, officii, eleemosynæ, legati, lucri, etc. peccet contra justitiam et teneatur ad restitutionem?

Potest autem impediri dupliciter : vel vi, metu, dolo, fraude ; vel solum precibus, blanditiis, suasionibus, etc.

Item istud bonum impedibile, vel est proximo debitum ex justitia commutativa, quatenus habet jus perfectum et in re ad illud, ut ad beneficium post collationem et confirmationem, nondum adepta possessione, aut jus ad rem quo possit illud in jure repetere et facere suum, ut ad beneficium post electionem aut præsentationem, seu ad rem promissam vel emptam nondum traditam. Vel non est ipsi debitum ex justitia commutativa, sed habet tantum ad illud jus quoddam morale, sive ex justitia distributiva, sive ex gratitudine, sive ex bona voluntate illius a quo dependet.

Suppono tanquam certum quod, qui impedit aliquem a consecutione boni ipsi debiti ex justitia commutativa, quovis modo impediat, etiamsi solis precibus aut suasionibus sine vi aut dolo, teneatur ad restitutionem ; quia violat justitiam commutativam et jus strictum alterius. Sic teneris restituere si suadeas venditori ne mercem emptam et solutam tradat emptori, si impedias suasionibus aut consiliis ne is qui electus est ad beneficium et confirmatus, adipiscatur possessionem. Nec refert quod restituere sit iterato aliquem statuere in possessionem rei suæ ; id enim verum est secundum nominis etymologiam, sed secundum nominis significationem, restituere importat cujuscumque damni compensationem et juris violati redintegrationem : unde etiam hoc sensu potest dici iterum statui in possessione rei suæ, id est, juris sui a quo erat impeditus. Difficultas est ergo de consecutione boni ex justitia non debiti. Pro quo

Dico 1° Qui sine vi, fraude aut dolo, sed solis precibus, persuasionibus, consiliis, blanditiis et similibus mediis impedit aliquem a consecutione boni ipsi non debiti ex justitia commutativa, sed vel ex sola justitia distributiva, vel ex gratuita alterius voluntate, etsi jam ad dandum determinata, non est obnoxius restitutioni, quia non peccat contra justitiam commutativam, nec alterius jus strictum violat ; non enim illa determinata voluntas collatoris jus strictum confert : unde sicut ille absque donatarii injuria poterat mutare voluntatem, ita alter absque illius injuria potest inducere ad hanc voluntatis mutationem. Hinc

Q. 62. a. 2. ad 4. — *Inferes* 1°, cum qui intendens honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ aut reipublicæ, impedit mediis licitis in-

dignum aut minus dignum a consecutione beneficii aut officii, quantumvis collator statuisset illi dare, non solum non teneri ad restitutionem, nec peccare, sed opus virtutis exercere.

Similiter non peccat nec tenetur ad restitutionem, qui dictis modis licitis inducit collatorem ut beneficium seu officium quod decreverat dare Paulo, tibi aut alteri æque digno conferat; ea enim determinata voluntate nullum jus Paulo contulit collator, ut dictum est; et sicut sine Pauli injuria per se illam mutare potuit, ita et altero suadente. Et propter eamdem rationem, si inducas ut conferat minus digno aut etiam indigno, peccas quidem, sed non teneris restituere digniori, cum nullum ejus strictum jus violes, bene tamen Ecclesiæ aut reipublicæ; eo modo quo tenetur ipse collator, et eo non restituente: quia Ecclesia aut respublica habet jus ut ipsi de dignioribus ministris provideatur, de quo fusius infra.

Item non tenetur ad restitutionem, qui suadet parentibus ut quod uni testamento reliquerunt, aliis relinquant: idem dic de eleemosynis et aliis similibus gratuitis.

Verum major est difficultas utrum saltem qui id facit animo nocendi, non sit obnoxius restitutioni. Unde

Dico 2° Qui modis præfatis licitis sine vi aut dolo impedit aliquem a consecutione boni ipsi ex justitia non debiti, etiamsi id faciat animo nocendi, ex odio, vindicta, etc., non tenetur ad restitutionem. Est communis cum Soto, Navar. Less. Layman, Sylvio, Serra, etc., contra quosdam antiquos, quibus ex recentioribus adhæret Daelman.

Ratio est; quia animus nocendi per opus quod ex se et in circumstantiis non est læsivum stricti juris alieni, non est contra justitiam, sed contra charitatem tantum, nec facit aliunde quod opus exterius quod de se et in his circumstantiis non est injustum, sit injustum; hæc enim intentio non mutat opus exterius: obligatio autem restituendi oritur ex violatione exterioris justitiæ.

Confirmatur ab exemplo judicis qui, ex odio et animo nocendi, condemnans reum secundum ordinem juris, non peccat contra justitiam, et non tenetur ad restitutionem.

Obj. 1° S. Thomas hic a. 2, ad 4, solum eximit ab onere restitutionis illum qui impedit, intendens honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ: ergo, juxta ipsum, qui impedit malo animo nocendi, non eximitur.

R. N. ant. Etenim S. Doctor eximit ab onere restituendi omnem qui *juste* impedit: porro licet ille qui impedit intendens honorem Dei, impediat juste formaliter, ille tamen qui impedit intendens nocere, sed per media licita et per opus non injustum, impedit etiam juste, scilicet materialiter. Dixit autem S. Thomas, *juste, puta, si intendens honorem Dei;* quia voluit exemplo ostendere quomodo non solum sine onere restitutionis, sed etiam quomodo sine peccato, imo et virtuose posset quis impedire alium a consecutione beneficii.

Inst. S. Thomas ibidem expresse subdit eum teneri ad restitutionem, qui impedit animo nocendi ex odio, vindicta, etc. Ergo.

R. ut ante, quod S. Thomas expresse subdat eum teneri ad restitutionem qui *injuste* impedit, hoc est, per actum justitiæ contrarium; et quamvis dicat sic: *injuste, puta, si intendat ejus nocumentum quem impedit propter odium vel vindictam*, non est sensus quod injuste quis impediat præcise quia intendit nocumentum alterius; sed voluit ostendere S. Doctor unde plerumque accidit quod quis injuste alium impediat a consecutione boni, quando nimirum ipsum odio habet aut vindictam quærit, quasi, diceret: *Injuste, quod plerumque accidit quando quis ex odio nocere intendit.* « Facere ex odio aut vindicta, *inquit Soto* » *lib. 4 de Just.* q. 6, a. 3, ad 6, non te » onere restitutionis gravat; sed facere in» juste, scilicet, nullo tuo jure, sed vio» lando alienum: facere tamen ex odio, est » signum aliquod nullo tuo te jure uti. » Præter Soto ita etiam interpretantur S. Thomam Sylvius, Serra et alii. Sic etiam quidam intelligunt legem primam et secundam, ff. *De aqua pluviali arcenda;* licet alio sensu mox explicando possit intelligi.

Obj. 2° ab exemplis in quibus sola intentio nocendi efficit opus contra justitiam et obligat ad restitutionem, quod sine tali intentione non fuisset contra justitiam nec obligasset ad restitutionem. 1° Secundum leges citatas, si præscindis venas in fundo tuo per quas derivatur aqua ad puteum alterius, animo nocendi, teneris ad restitutionem; si animo utilitatis tuæ, puta, quia tibi est utile facere murum qui non potest convenienter fundari sine præcisione

non venarum, teneris restituere. 2° Si emas rem furtivam animo reddendi domino, non teneris ad restitutionem ; si animo retinendi, teneris. 3° Si reddas gladium apud te depositum, intendens occisionem tui inimici, es homicida et teneris de damno ; si intendas propriam incolumitatem, non es homicida et non teneris de damno. 4° Si reveles crimen alicujus ex intentione eum diffamandi, peccas contra justitiam et obnoxius es restitutioni ; secus si ex intentione ut reus emendetur, aut ut vitetur damnum innocentis : ergo similiter in nostro casu.

R. Nego conseq. Disparitas est, quod in casibus objectis opus ex natura sua et in his circumstantiis sit læsivum juris alieni, non in nostro casu.

Notandum itaque bene pro hac et diversis aliis materiis, quod jam alibi notavi, quod, quando actio seu opus ex natura sua et in his circumstantiis non est contra justitiam, utpote nullius juris alieni læsivum, intentio prava nocendi non faciat esse læsivum juris alieni, nec consequenter contra justitiam. Sic judex condemnans secundum ordinem juris reum ad mortem, ex odio tamen, non peccat contra justitiam nec tenetur ad restitutionem, quia hæc condemnatio non est ex se et in his circumstantiis læsiva juris alieni, cum iste reus juridice convictus amiserit jus ad vitam. Sic qui recusat eleemoysinam graviter indigenti animo nocendi, non peccat contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, quia hæc recusatio non est læsiva juris alieni, cum eleemosyna non sit debita ex justitia. Sic qui via juris aut facti diffamatum ulterius diffamat ex odio, non peccat contra justitiam nec tenetur restituere, quia iste diffamatus amisit jus ad famam. Similiter in nostro casu, qui impedit alium a consecutione boni ipsi ex justitia non debiti ex intentione nocendi, non peccat contra justitiam, nec tenetur restituere, quia ista actio impeditiva ex se et in his circumstantiis non est læsiva juris alieni, cum supponatur impeditum non habere jus strictum ad illud bonum.

Quando vero opus ex natura sua et in his circumstantiis est læsivum juris alieni, sic tamen ut propter aliquam rationabilem causam nobis liceat illud agere, non habendo permissive ad alterius damnum : tunc si adsit intentio nocendi, peccamus contra justitiam et tenemur restituere ; si absit, non peccamus nec tenemur de damno. *Ratio est* quia, ut quis peccet contra justitiam et teneatur de damno, requiritur et sufficit quod sit causa voluntaria damni injuste illati : quando vero quis per opus læsivum juris alieni intendit ejus damnum et non aliquam utilitatem ad quam habet jus, nihil deest ut censeatur causa voluntaria hujus damni sine causa et injuste illati : quando vero non intendit damnum, sed aliquam utilitatem ad quam habet jus, non censetur causa voluntaria damni, sed se habere tantum permissive ad illud. Atque ita se habent exempla in objectione. Sic distractio aquæ a puteo alieno, est de se læsiva juris alieni ; occupatio rei alienæ est de se læsiva juris domini in suam rem ; tradere arma volenti occidere hostem, est de se læsivum juris quod hic habet ad vitam ; revelatio criminis illius qui nondum est diffamatus, est de se læsiva juris quod habet ad famam. Qui ergo hæc facit ex justa ratione non intendens nocere, non censetur causa voluntaria damni, sed tantum se habere permissive ad illud ; qui vero facit ex intentione nocendi, cum ex se sint nociva juri alterius, nihil deest ut damnum ipsi tanquam causæ voluntariæ imputetur.

Magis adhuc explicatur. Opera prioris generis, seclusa intentione nocendi, non sunt læsiva juris alieni : ergo nec ea posita ; illa enim intentio non mutat naturam operis exterioris. Opera vero secundi generis sunt ex se læsiva juris alieni, etiam seclusa intentione nocendi : ergo ea accedente, merito censetur agens esse causa voluntaria damni.

Inst. Qui occideret divitem animo frustrandi pauperem eleemosynis quas ab illo divite solebat accipere, teneretur restituere illi pauperi, ad quod non teneretur si sine tali intentione divitem occidisset : atqui tamen illa occisio non est læsiva juris pauperis : ergo. *Prob. min.* Pauper non habet jus strictum ad eleemosynas. Ergo.

R. Data majore, N. min. Ad probationem, D. ant. Pauper non habet jus strictum ad eleemosynas præcise, *C. ant.* non habet jus strictum ne impediatur per media injusta a percipiendis eleemosynis, *N. ant. Solutio magis patebit ex conclusione sequenti.* Unde.

Hic a. 2. ad 4. — *Dico* 3° Qui vi vel metu, fraude vel dolo, detractionibus, mendaciis e similibus modis injustis impedit aliquem a consecutione boni, licet ex justitia non

debiti, sed ex libera alterius voluntate pendentis, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem damni, secundum proportionem spei seu certitudinis tale bonum habendi : ita ut si nondum esset firmatum quod ei detur, non teneatur ad æquale, sed ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus personarum et negotiorum, secundum arbitrium prudentis; si esset firmatum quod ei detur, tenetur ad æquale, supposita tamen omnimoda certitudine; alias, ut dictum est, secundum proportionem certitudinis.

Ratio conclusionis est; quia sic impediens infert alteri damnum per veram injuriam; licet enim iste alter non habeat jus strictum ad istud bonum, habet tamen a natura jus strictum illud petendi, prosequendi et obtinendi. Item habet jus ne abjsto priori jure per vim, metum, fraudem, dolum, mendacia et similia media injusta dejiciatur et impediatur : ergo qui his mediis injustis illum impedit, lædit ejus jus, et consequenter peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem, secundum proportionem dictam certitudinis seu spei ad bonum illud consequendum.

Sed quare qui precibus aut suasionibus impedit, non tenetur pariter ad restitutionem, siquidem etiam prosequentem jure obtinendi dejiciat?

R. disparitatem esse, quod positis precibus aut suasionibus tantum, collator remaneat in libertate donandi, et donatarius in libertate prosequendi; posita vero vi vel dolo, tollitur libertas vel donantis vel donatarii.

Dices. Hæc doctrina videtur fundari in hoc axiomate : *Quod parum abest, nihil abesse videtur;* quod tamen non debet admitti in moralibus. Non enim qui parum abfuit ut peccaret, ut occideret, peccavit aut occidit; et, ut dicit Lugo, qui parum abfuit quin fuerit papa, non est papa.

Respondet Sylvius hic, conclusione 5, hoc axioma, si bene applicetur, etiam habere locum in moralibus : non hoc sensu, quod qui parum abfuit ut damnum dederit, censeatur revera dedisse; sed isto, quod qui damnum dedit in re quæ parum aberat ut esset aut haberetur, teneatur ad restitutionem : v. g. venatur quispiam, parum abfuit ut transiret per agrum frugibus maturum, non transivit nec tenetur ad restitutionem, quia nullum damnum fecit; si vero transivit et segetes maturas conculcaverit, tenetur, quia damnum causavit in re quæ parum aberat ut haberetur. Similiter in nostro casu : si quis parum abfuit ut impediret aliquem a consecutione beneficii, non tamen impedivit, non tenetur restituere; si vero injuste impedivit, quando jam perparum distabat ab ejus consecutione, tenetur; quia damnificavit eum in re a qua obtinenda tam parum distabat ut nihil distare videretur. Ita in terminis laudatus auctor.

Ex his infertur 1°, eum qui vi vel dolo impedit dignum a consecutione beneficii vel officii, puta, intercipiendo aut lacerando litteras quibus ipsi indicabatur concursus seu beneficium vacans, fraudulenter ipsi injiciendo moras in itinere, ipsum injuste diffamando apud collatorem aut examinatores, teneri ad restitutionem, non solum famæ et expensarum ea de causa factarum, sed etiam boni impediti, juxta proportionem spei illud obtinendi, ad arbitrium viri prudentis.

Dixi, *dignum;* quia qui impedit indignum etiam vi vel dolo, licet peccet quia media illicita adhibet, non tamen tenetur restituere, quia indignus non habet jus prosequendi beneficium aut officium. Idem censet Sporer de minus digno respectu dignioris, quia in concursu dignioris minus dignus non habet jus. *Negat* tamen Sylvius hic a. 2, concl. 5.

2° Tenetur ad restitutionem qui vi vel dolo efficit ne testator scribat aliquem hæredem, aut ut scriptum deleat; item qui falsa spe sanitatis a testamento in alicujus favorem condendo avertit; item qui publicum tabellionem a moribundo vocatum a testamento conficiendo avocat, tenetur enim ex officio tabellio his inservire; non tamen qui eum vocare renuit, ut vult Henno, nisi ex officio vocare teneretur, ut famulus. Idem cense de impediente similibus modis eleemosynas aut dona gratuita.

3° Qui aperit litteras ad aliquem alterum directas, ex quibus agnoscit beneficium vacans aut inopiam futuram mercium, et ex ea notitia alterum prævenit in consecutione beneficii vel lucri, tenetur ad restitutionem, etiamsi tempestive alteri reddiderit suas litteras (contra quosdam); quia ipsa apertio litterarum, ex qua agit, est dolosa et injusta.

4° Qui collatori aut examinatoribus revelat crimen occultum prosequentis beneficium aut officium, ob quod est indignus aut minus idoneus, non tenetur restituere; quia ubi agitur de officiis publicis aut beneficiis, licet patefacere ea quæ postulantem inhabilem reddunt. Quod si crimen aliis etiam propalaret, et ex hac injusta diffamatione, non ex revelatione occulta facta collatori aut examinatoribus impediretur, teneretur ad restitutionem; quia tunc ex crimine diffamantis, et non ex crimine diffamati impediretur : nisi forte collator non tam ad infamiam quam ad crimen occulte commissum attendat.

5° Titius litteras destinatas Caio quibus significabatur præbenda vacans, vel lucrum consequendum, sciens tradidit Sempronio amico suo, qui illas aperuit et beneficium aut lucrum obtinuit, prævento et impedito Caio : ad quid tenetur Titius? ad quid Sempronius? Titius, si ex officio aut pacto tenebatur reddere litteras Caio, obnoxius est restitutioni; secus, et modo non influxerit in apertionem litterarum, non est obnoxius restitutioni : quia in primo casu peccavit contra justitiam, non in secundo. Sempronius vero, si apertio litterarum fuit causa damni, tenetur restituere, quia fuit dolosa et injusta; si sola litterarum detentio fuit causa damni, eo quod aliunde didicerit beneficium vacans aut lucrum consequendum, tenetur etiam restituere si ex officio vel pacto tenebatur reddere litteras; secus, non, ut ante.

6° Titius, mercator, reperit litteras in foro abjectas ab aliquo alio mercatore et laceratas; fragmentis collectis et conjunctis, legit magnam inopiam futuram certarum mercium, harum mercium magnam copiam emit vili pretio, præveniens istum alterum mercatorem, et lucrum præripiens : non tenetur Titius ad restitutionem; quia alter mercator litteras laceratas in foro abjiciens habuit pro derelictis, et censetur concessisse omnibus potestatem et usum fragmentorum. Ita Sylvester v. *Emptio*, q. 17. Aliud dicendum foret si litteræ forent integræ, casu et involuntarie amissæ.

7° tandem. Tenetur restituere qui quovis modo etiam solis precibus aut suasionibus impedit aliquem a consecutione boni publici, quod est principaliter institutum in utilitatem singulorum; cujusmodi sunt ærarium publicum, piæ fundationes, proventus ex bonis communibus : quia non est eadem ratio horum bonorum, quæ beneficiorum et officiorum publicorum. Hæc enim cum principaliter ad bonum commune ordinentur, et non in privatum commodum particularium quibus conferuntur, his non sunt debita nisi ex justitia distributiva tantum. Alia autem quæ sunt principaliter in utilitatem singulorum instituta, eis debentur ex justitia commutativa, quatenus unusquisque habet aliquod jus ad suam partem.

ARTICULUS XIII.

De restitutione facienda ab his qui injustæ damnificationi cooperantur.

§ I. — *Expediuntur quædam difficultates circa cooperantes in communi.*

I. Præter eum qui per se immediate actionem injustam exercet, de quo hactenus, sæpe intersunt qui actioni damnificativæ cooperantur physice vel moraliter, ut qui mandat aut consulit furtum, furi scalas, claves commodat et similes.

Hos etiam teneri ad restitutionem nemini dubium esse debet : nam juxta Apost.— **Hic q. 62. a. 7. in a. s. c.** — Rom. 1, *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Unde axioma juris c. *Votum*, q. 1 : *Facientem et consentientem par pœna constringit.* Insuper c. *Ultimo*, De injuriis, dicitur : « Si culpa tua » datum est damnum vel injuria irrogata, » aut irrogantibus opem forte tulisti, super » his te satisfacere oportet. » Quapropter merito Innoc. XI proscripsit hanc propositionem ordine 39 : *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

Nec obstat quod qui jussione, consilio, hortatu, adulatione, etc. movet alium ad injustam actionem, non adimat libertatem. Quamvis enim sic moto maneat libertas, certum est tamen quod hujusmodi jussio, consilium, etc. possit influere efficaciter in damnum, quod alioquin non fuisset illatum : tenetur autem de damno qui est causa efficax illius.

Non obstat etiam quod Inst. lib. 4, tit. *De obligat. ex delicto*, § Interdum 11, dicatur : « Qui nullam opem ad furtum fa-

» ciendum adhibuit, sed tantum consilium » dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti. » Id enim intelligunt interpretes vel de consilio quod nullum influxum habuit in furtum, vel quod talis in foro exteriori non teneatur ad pœnam furti.

Ibid. — II. Novem modi communiter cum Auctore recensentur quibus injustæ damnificationi quis potest cooperari, his versibus comprehensi :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

III. Differunt hi modi : 1° quod sex priores concurrant ad damnum positive et directe, tres ultimi negative tantum et indirecte ; — **Ibid.** — 2° quod *jubens*, *consentiens* sine quo damnificatio non fieret, *receptans* seu defendens, *participans et non obstans* qui tenetur obstare ex officio, teneantur ordinarie ad restitutionem ; quia per se et ex genere suo influunt efficaciter in damnum, licet per accidens contrarium possit contingere : non sic reliqui modi qui per se et ex genere suo non sunt causa efficax damni, licet etiam contrarium quandoque contingat. Tertia differentia est, quod quidam primario, quidam secundario teneantur ad restitutionem, ut dicimus infra.

Collig. ibid. — IV. Ut dignoscatur quando et quantum isti modi obligent ad restitutionem, tenenda est hæc regula generalis : *In tantum obligant ad restitutionem, in quantum influunt efficaciter in damnum ;* quia tota obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum. Quapropter si certo influant efficaciter in totum, obligant ad restitutionem totius ; si in partem tantum, obligant tantum ad partem ; si certo nullatenus influant, ad nihil ; si probabiliter influant, obligant pro ratione probabilitatis ; si sub dubio, proportionate ad dubium, ut dictum est supra.

V. Quod si non ad substantiam damni influant, sed in modum tantum, puta, ut citius, animosius, atrocius, tali loco, tali tempore, cum tali augmento : dubium est. Nos cum S. Antonino, Paludano, Navarro, Gabriele, Henrico a S. Ignatio, Henno et aliis, probabilius credimus quod sic influens tantum teneatur restituere quantum iste modus seu circumstantia fuit proximo damnosa, quia est tantum causa efficax istius circumstantiæ et non substantiæ actus secundum speciem damnosi.

Objiciunt plures et etiam graves auctores, Cajet. Sotus et alii, hos sic influentes esse causam totius et substantiæ actionis, prout hic et nunc fit ; quia non possunt esse causa istorum accidentium et circumstantiarum, nisi sint etiam causa substantiæ actionis : nocet autem actio prout hic et nunc fit. Hæc ratio est probabilis. Attamen

R. esse quidem causam substantiæ illius actionis in individuo, nempe quod sit potius hæc actio in individuo quam illa ; sed hoc parum facere ad obligationem restitutionis, quando actio secundum speciem damnosa aliunde est certo secutura. Quid enim facit ad damnum quod celerius aut tardius, quod tali vel tali loco fiat ? Parum, certe : neque id negare possunt adversarii ; sic enim qui est causa cur damnum differatur in aliud tempus, aut ut fiat in alio loco ubi minus est scandali, est causa totius actionis et quoad substantiam in individuo, et tamen ad nihil tenetur secundum omnes.

VI. *Ex dictis inferes* 1° Si mandas, consulis, etc., furtum jam parato ad furandum, sive ex se, sive ex alterius mandato aut consilio, ita ut tuo non magis moveatur ad furandum, sed independenter ab illo furaretur ; peccas quidem affectu contra justitiam, sed restituere non teneris, quia non influis efficaciter in damnum.

2° Si parato furari decem consulas furari viginti, ad decem tantum teneris et non ad viginti ; quia ad decem tantum influis efficaciter, nisi forte tuo consilio firmiorem ad totum furtum reddideris.

3° Si parato furari hodie consulas furari cras, in tantum teneris in quantum hæc circumstantia nocet proximo, quia in illam tantum efficaciter influis. Ad nihil autem teneris si eo fine consuluisti, ut averteres a furto, sperans fore ut fur mutaret animum aut deesset occasio, vel alio recto fine.

4° Si parato furari viginti suades tantum furari decem ab eodem, eo animo ut avertas a majori, non peccas nec teneris quidquam restituere ; quia recte suades, et rem domini utiliter geris ; non enim ejus consilii sensus est absolutus, *Fac hoc minus malum*, sed conditionatus : *Si hoc genus mali facere decreveris, fac potius id quod minus est quam id quod est majus.* Si vero id suadeas pravo animo, puta, quia facilius aut

tutius decem quam viginti furabitur, peccas et teneris restituere pro quanto hæc circumstantia nocet proximo.

Dixi, *ab eodem;* quia si parato furari a Petro viginti, suadeas furari decem a Joanne, peccas et teneris restituere decem Joanni, quia illi sic efficaciter causas damnum, ut sine te non damnificaretur; nec habes jus servandi Petrum indemnem cum detrimento Joannis, unde Joannes est rationabiliter invitus. Idem dic si parato furari ab aliquo indeterminate, suadeas furari a tali determinate, quia pariter es causa damni illius quem designas. Secus si suaderes tantum in genere ut a divite potius quam a paupere furaretur, neminem in particulari designando nec indicando; quia tunc nulli facis injuriam, sed tantum suades minus malum ut avertas a majori.

Quod etiam verum puto, si latro cogitaret de duobus, et esset anceps cui vellet damnum inferre, determinatus tamen alterutri inferre, modo non inducas nec suadeas in particulari ut huic potius quam isti noceat, sed duntaxat in genere indices et suadeas quodnam sit minus malum, relinquens ejus judicio utrum malit, amplecti; sic enim proponis tantum veritatem speculativam quam nosse expedit, nec de hoc jure conqueri potest alter.

VII. Altera difficultas est utrum, ut cooperans sit causa efficax damni et inde obnoxius restitutioni, requiratur quod sit causa sine qua damnum non fuisset. Ita videntur olim sensisse antiqui et primæ classis theologi. S. Antoninus, Sylvester, Adrianus, Navar. et alii. Id etiam videtur docere S. Th. in 4, d. 15, q. 1, a. 5, quæstiunc. 3, ubi dicit consulentem non obligari ad restitutionem, *nisi quando probabiliter credit quod consilium suum fuit efficax, et quod alias injusta ablatio commissa non fuisset.* Et hic a. 7 o, loquens de consensu, dicit obligare ad restitutionem, *in eo scilicet sine quo rapina fieri non potest.* Hæc sententia, secundum diversum sensum intellecta, est vera et falsa.

Vera est 1° si intelligatur de cooperante ad modum actionis tantum et non ad substantiam, prout num. 5 supra explicatum est; 2° est vera si intelligatur de cooperante qui sua cooperatione nihil movet malefactorem, jam aliunde determinatum ad maleficium, ut etiam dictum est num. præcedente; 3° vera est si intelligatur de actione damnificativa quæ sit omnino eadem, tam ex parte effectus quam ex parte agentis; quia cum secundum principia scholæ Thomisticæ, non possint esse duæ causæ totales ejusdem omnino effectus, hoc ipso quo causa producit aliquem effectum, est causa sine qua non fieret iste effectus idem omnino ex omni parte.

Falsa est autem si intelligatur de actione damnificativa quæ sit eadem tantum ex parte effectus seu damni, non ex parte damnificantis: sic v. g. Titius occidens Caium, quem aliunde occidisset pariter Sempronius, est vera causa efficax mortis Caii, licet non sit causa sine qua non (nisi forte intelligas ly *sine qua* secundum speciem, hoc est, *sine qua aut simili superveniente*). Ratio evidens est; quia illa causa est efficax damni, per cujus actionem damnum accipit esse, sive interim ab alia superveniente accepisset, sive non. Quapropter, ut recte monet Cajetanus hic, ad dignoscendam causam efficacem damni, respiciendum est ad hanc affirmativam, *an iste fecerit*, physice vel moraliter, et non ad hanc negativam, *an non factum fuisset sine illo.* Alias sane sequeretur gravissimum absurdum, quod in injusta damnificatione nemo plerumque teneretur restituere: non qui facit, quia sine eo facta fuisset; non qui fecisset, quia de facto non fecit: et melior foret conditio prædonis alios prævenientis in furto, cum frueretur præda sine onere restitutionis. Itaque sicut qui post furatus fuisset, incurrisset obligationem restituendi, ita qui prius furatur, prius incurrit obligationem: nec puto id unquam negasse laudatos auctores, quorum proinde sententia debet intelligi secundum aliquem ex tribus prioribus modis.

Quantum ad D. Thomam, constat eum non exigere ut causa sit efficax damni, quod sit causa sine qua non; siquidem hic a. 7 o, doceat cooperatorem teneri ad restitutionem quando ex ejus cooperatione *fuerit injusta actio subsecuta*, non requirens quod sine ea non fuisset secuta. Unde ejus dictum in 4, intelligendum est primo vel tertio sensu supra exposito, vel de causa sine qua non *secundum speciem*, ut etiam dictum est secundum aliquos. Aliter nec male recentior exponit hunc textum D. Thomæ, dicens duo in eo importari: unum affirmati-

vum, scilicet, quod consilium efficaciter influxerit in damnum; aliud negativum, scilicet, quod sine eo damnum non fuisset illatum: affirmativum sufficere ut consulens ad restitutionem teneatur; requiri autem negativum a D. Th. non tanquam omnino necessarium ut consulens teneatur restituere, sed ut certo constet ipsum in damnum influxisse; tunc enim hoc affirmativum apud omnes certum est, cum adest negativum; et e contra sæpe dubitatur de affirmativo, quando abest negativum.

Quantum ad textum citatum ex hac q. *R.* S. Doctorem non loqui de consensu qualitercumque obligante ad restitutionem, sed de consensu obligante semper, hoc est, per se et ex genere suo, *ut patet ex textu;* talis autem consensus debet esse sine quo injusta actio fieri non posset, ut in eo cujus consensus seu suffragium est necessarium ad iniquam sententiam aut electionem. Consensus autem sine quo posset fieri damnum, non obligat semper seu per se et ex genere suo, sed tantum quando contingit quod influat efficaciter in damnum sicut cæteræ causæ. Et hanc esse mentem D. Thomæ, *patet* ex eo quod hoc dicat tantum de consensu et non de cæteris; quia nulla ex omnibus aliis causis cooperantibus est talis sine qua fieri non possit damnum.

Quidam putant etiam hanc antiquorum sententiam esse veram, quando plures simul de facto cooperantur ad damnum, sic tamen ut unius tantum cooperatione æque damnum inferretur, absque alia causa superveniente: v. g. plures consulunt furtum, quorum omnium suasione fur movetur ad furandum, qui tamen unius tantum suasione æque fuisset motus: tunc, inquiunt, quilibet consulens tenetur tantum restituere pro rata, hoc est, quantum ipse suo concursu, judicio prudentis æstimando, damnum intulit. *Horum ratio est;* quia licet hi omnes influant in totum damnum, partialiter tamen et diminute tantum influunt in damnum quod alias etiam sequeretur, nulla alia causa superveniente. Ergo partialiter et diminute tantum ad restitutionem obligantur; non enim æquum videtur ut ex partiali et diminuta cooperatione æque quis obligetur ac ex totali et completa, cum ratio influxus sit mensura obligationis, ut dictum est. Nec est simile, inquiunt, de illo qui infert damnum, alias ab altero de facto non concurrente in ferendum, quia de facto in tali casu est causa efficax et completa totius damni tam totalitate causæ quam effectus.

Quantumvis hæc sententia mihi arrideat ac probabilis videatur, illi tamen subscribere non ausim; quia hac admissa, non video quomodo cogendus sit ad restitutionem totius in solidum, qui ad occisionem hominis adjuvaret illum qui solus occidisset, item et illi qui commoditatis gratia asportant onus furtivum quorum alter solus asportasset; par enim videtur ratio, et hos tamen ad restitutionem totius in solidum obligant communiter auctores, etiam hujus sententiæ patroni. Puto ergo dicendum, et hos et illos esse causas efficaces damni, et obligari ad restitutionem totius in solidum; quia revera influunt efficaciter in totum damnum saltem totalitate effectus, nec inquirendum quid factum fuisset hoc aut illo non concurrente, sed quid revera factum sit.

§ II. — *Exponuntur singuli modi, et primo jubens.*

I. Jubens hic dicitur, qui suo mandato expresso vel tacito movet alium ut suo mandantis nomine damnum alteri inferat. *Expresso*, ut si pater filio, herus servo, princeps subdito, dux militi dicat: Fac hoc damnum, volo, jubeo ut hoc facias, occidas, etc. *Tacito*, ut si dominus subditis significet sibi gratum fore si tale furtum faciant, talem occidant, aut coram eis conqueratur quod nemo factam ipsi injuriam ulciscatur: qua ratione occisio S. Thomæ Cantuariensis imputata est Henrico II, Angliæ regi.

Utrum, ut quis censeatur *jubens*, debeat esse superior mandatario? videtur quod sic, proprie et stricte loquendo; quia mandatum proprie et stricte dictum, stringit et obligat mandatarium, ad quod requiritur auctoritas in mandante. Attamen qui pretio dato vel promisso alterum movet ut damnum inferat, reducitur ad mandantem; quia sic eum sibi subjicit et obligat ut ministrum suæ voluntatis. Item qui mandando, hortando, conquerendo movet alterum ut suo moventis nomine damnum inferat, etiam videtur pertinere ad mandantem, quia in hoc maxime videtur differre mandans a consulente, quod mandans moveat ut res fiat suo nomine, non consulens.

Q. 62. a. 7. o. — II. Indubium est jubentem qui sua jussione influxit efficaciter in

damnum, teneri et quidem principaliter ad restitutionem hujus damni; quia est causa illius principalis et magis principalis quam ipse exsequens.

Quod si ejus mandatum nullatenus influxerit in damnum, quia mandatarius vel illud sprevit, vel jam erat omnino paratus ad eamdem damnificationem, non tenetur de damno ut jubens; poterit tamen teneri ut nonobstans si mandatarius sit ejus subditus, quem ex officio teneatur impedire a maleficio. Quid in casu dubii? dictum est supra.

III. Jubens non solum tenetur de damno quod expresse jussit, sed etiam de illo quod attentis circumstantiis potuit humano modo prævidere secuturum ex sua jussione: ut si jubeat servo mutilare Petrum, servus autem mutilando occidat; si jubeat horreum Petri incendi, et horreum vicini simul incendatur; si jubeat famulo iracundo Petrum fustibus excipere, et Petrum mutilet; quia attentis circumstantiis, hæc poterat prævidere secutura ex suo mandato. Quod si mandatarius ex malitia excedat mandatum, et damnum quod ultra infert non potuerit prævideri a mandante, ut si jussus fuste Petrum excipere, excipiat cultro aut gladio, et occidat aut mutilet; si jussus incendere domum Petri, ipsum occidat, cum absque occisione potuisset incendere: non tenetur de tali damno secuto mandans, sed mandatarius; quia non ex mandato, sed ex mandatarii malitia sequitur.

Utrum vero si dammum non potuerit prævideri, nec sequatur ex malitia mandatarii, sed casu? v. g. jussus occidere Petrum, per errorem occidit Paulum: non pauci censent mandantem teneri de morte Pauli et de omnibus damnis ex ea secutis; quia, inquiunt, mors Pauli sequitur efficaciter ex mandato. Verum id alii non minus probabiliter negant, et dicunt mortem Pauli in hoc casu non sequi ex jussione mandantis, sed ex errore mandatarii. Addunt mortem Pauli in hoc casu non esse voluntarium mandanti, quia non fuit prævisa, nec potuit prævideri; proindeque nec ipsi imputabilem: *Urgent.* Si jussus occidere Paulum rusticum, occideret per errorem Petrum regem, tenereturne mandans de omnibus damnis ex morte regis secuturis? Id durum videtur. Tandem, juxta cap. ultimum *de Homicidio* in 6, lib. 5, tit. 4, si ex simplici verberatione mandata sequatur mutilatio aut occisio, jubens non fit irregularis, nisi quatenus occisionem aut mutilationem potuit prævidere: ergo neque restitutioni obnoxius. Merito itaque dixit noster Serra, hujus quæstionis resolutionem non carere difficultate.

IV. *Petes* si ipsi mandatario obveniat damnum in executione mandati, ut si jussus volens occidere Petrum, ipse occidatur aut mutiletur, aut ob homicidium vel furtum jussu meo patratum, ad triremes vel carcerem aut patibulum damnetur, utrum tenear ipsi vel ejus familiæ damna resarcire?

R. *sub distinctione.* Si non subditus libere meum mandatum suscipit, maxime mediante pretio, ad nihil teneor; quia vel vi contractus omnia damna mihi remisit, vel saltem sponte se illorum periculo subjecit; scienti autem et volenti non fit injuria. Idem cense de eo qui agit ex consilio.

Si autem sit subditus qui vi mandati quodammodo cogitur (mandatum enim, ut jam dixi, importat obligationem et quamdam coactionem moralem), teneor illi damna resarcire; quia illis non se sponte subjecit, sed sequuntur ex injuria a me ipsi illata per iniquum mandatum.

Quidam excipiunt damna extraordinaria quæ prævideri non potuerunt, ut si mandatarius jussu meo alium occisurus casu pereat in via ordinaria, puta, equo lapsus aut a latrone invasus. Verum nec ab his videtur eximendus mandans; quia mandato obligans et cogens mandatarium ad tale facinus, suscipit in se omnia pericula quæ occurrunt in executione necessaria sui mandati. Aliud esset si hæc pericula sponte et sine necessitate incurrisset mandatarius; ut si cum posset transire per viam ordinariam et securam, voluerit ingredi periculosam.

V. Quando scis alterum esse paratum damnum inferre tuo nomine, v. g. inimicum tuum occidere, et iste alter scit pariter suum propositum tibi esse cognitum: si non contradicas nec obstes, cum possis, teneris de damno, si non ut mandans, saltem ut consentiens; quia tuo tacit consensu et approbatione censetur alter moveri ad facinus perpetrandum.

Quod si alter nesciat suum propositum esse tibi cognitum, certo non teneris ut mandans aut consentiens; quia damnificaturus nullo modo movetur tuo consensu quem

ignorat. An autem tenearis saltem ut non obstans? *Respondent quidam affirmative;* quia quisque tenetur ex justitia impedire ne quis nomine ipsius damnum proximo inferat. Hoc est probabile, certum esse non liquet.

VI. Si omnino ignorans perniciosum alterius propositum, ejus tamen facinus tuo nomine seu in tui gratiam commissum, postea resciens ratum habeas, non teneris de damno. Ita communiter contra Palud. Sylvest. et Navar. quia ista ratihabitio nullo modo influit in damnum jam ante illatum; ad præteritum enim non datur potentia nec actio.

Nec obstat hæc regula juris 1° in 6: *Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium æquiparari:* 1° quia hæc intelligitur tantum de contractibus; quia dum contractum me inscio, nomine tamen meo factum ratihabeo, ipsum confirmo ac si mandassem, et quasi de novo illum ineo: unde vi ejus obligor. 2° Intelligitur de pœnis canonicis; quia qui ratum habet facinus suo nomine commissum, præsumitur in jure istud mandasse aut in illud consensisse; vel etiam quia, seposita præsumptione, peccatum est maleficium ratihabere quod potest jure pœna plecti: non sic de restitutione, ad quam nemo tenetur nisi damni causa fuerit physica vel moralis

Inst. Qui prævidet me suum facinus meo nomine patratum ratihabiturum, ea ratihabitione sperata movetur ad perpetrandum facinus ut mihi gratificetur; sicque illa ratihabitio, etsi in executione sit posterior, est tamen prior in intentione.

R. ex hac instantia nihil aliud sequi quam quod sim causa finalis hujus facinoris: finis autem non imputatur actus sive bonus sive malus; quia licet ad actum moveat, non tamen movet ex voluntate et per modum actus humani, sed tantum per modum objecti allicientis voluntatem.

VII. Ubi mandans revocavit mandatum tacite vel expresse, et ea revocatio innotuit mandatario, regulariter non tenetur restituere mandans, ut mandans; etiam effectu secuto; quia per revocationem intimatam mandati, exspirat mandatum, sicque non potest amplius censeri causa damni; neque mandatarius agit tunc nomine et ex voluntate mandantis, sed nomine et motu proprio:

Dixi 1°, *ubi mandans revocavit mandatum expresse nimirum vel tacite:* expresse, ut verbo, scripto vel nuntio contrariam voluntatem exprimendo; tacite, at signo, nutu, amicitia inita cum eo cui damnum jusserat inferri.

Dixi 2°, *et ea revocatio innotuit mandatario;* quia si revocatio mandati non innotescat mandatario, sive id accidat ex incuria aut oblivione nuntii, sive quia ignoratur ubi sit mandatarius, aut satis tempestive ad ipsum pervenire non possit revocatio, quantumvis coram Deo doleat mandans et jam forte a crimine mandati sit absolutus et justificatus, tenetur de damno, quia sequitur vi mandati illius. Sicut qui venenum propinavit, et pœnitens facti conatur vim ejus elidere sed incassum, est vera causa mortis secutæ et tenetur resarcire damna.

Dixi 3°, *regulariter non tenetur;* quia contingere potest quod, revocato mandato et revocatione cognita, adhuc teneatur: nempe si mandatarius credens revocationem non esse seriam, quod facile accidere potest, ubi est tacita (v. g. cognita domini indole subdola, putat ipsum tantum simulare amicitiam cum priore inimico, ut ipsi efficacius noceat); vel revocationis inculpabiliter oblitus mandatum exsequatur: mandans, inquam, in his casibus tenetur adhuc de damno, quia etiam tunc mandatarius adhuc agit vi illius mandati.

Sed quid ad hunc casum? Titius promissa mercede mandat Caïo occidere Sempronium: Titius, pœnitentia ductus, litteris datis Caïo significat mandati sui revocationem: Caïus spe promissæ mercedis obtinendæ illectus, fingit se non recepisse litteras, et Sempronium occidit. Quis tenetur de damno? *R.* mandatarium teneri, non mandantem; quia occisio non sequitur vi mandati quod est sufficienter revocatum, sed ex malitia mandatarii.

Dixi 4°, quod non teneatur restituere *ut mandans;* quia potest, etiam revocato mandato, aliis titulis teneri: 1° ut consulens, si mandando mentem mandatarii pravis artibus et consiliis imbuerit, quorum vim et impressionem non sufficienter elisit; 2° ut non obstans, si mandatarium, nonobstante mandati revocatione, facinori perpetrando obstinatum in quantum potest non impediat; quia in causa est per suum mandatum cur proximus sit in tali periculo, quod ideo

ex justitia tenetur avertere si potest. Id saltem est probabile.

VIII. Quando mandans non potest revocare efficaciter mandatum, tenetur monere damnificandum ut sibi consulat, etiam cum suo damno æquali si sit spes hac via mali impediendi, non tamen cum damno suo longe majori et altioris ordinis.

Prima pars patet. 1° Quia tenetur ex justitia impedire ne per causam a se injuste positam damnum eveniat proximo. 2° Quia is tenetur impedire faciendum, qui tenetur reparare factum : atqui, etc. Ergo, etc.

Secunda pars etiam patet; quia in pari causa potior est conditio innocentis quam nocentis : igitur vitam proximi vita tua, famam fama, bona fortunæ bonis tuis redimere teneris.

Tertia pars tandem patet. 1° Quia in tali casu impeditio damni censetur moraliter impossibilis, quia valde difficilis, et id irrationabiliter exigeret dominus. 2° In tali casu non tenetur reparare factum, ut dicemus infra de causis excusantibus a restitutione : ergo nec impedire faciendum. Si itaque agatur de damno fortunæ, non teneris monere cum periculo vitæ aut gravis infamiæ. Nihilominus teneris de damno quod vi mandati tui infertur.

§ III. — *Consulens.*

I. Consulens sumitur dupliciter : 1° pro eo qui decernit de bonitate aut malitia actionis, ut qui dicit contractum esse licitum cum sit illicitus, restitutionem non esse faciendam cum sit facienda ; 2° pro eo qui supposita et cognita actionis injustitia, eam suadet, sive proponendo utilitatem, voluptatem, honorem quæ ex illa obvenient, sive ad eam precibus, blanditiis, pollicitationibus excitando, sive tandem suppeditando media et modos quibus efficaciter et tuto fieri possit.

II. Consulentes primo modo, ad quos spectat ratione officii seu professionis consilium dare, quales sunt parochi, confessarii, concionatores, theologi, advocati, medici, etc., item si qui pro idoneis consiliariis se gerunt, ac se in tali re peritos profitentur, tenentur ex culpa theologica et pro quantitate culpæ ad restitutionem damni quod ex falso suo consilio sequitur, tam illi qui consilium petit quam illi contra quem petitur.

Si autem consulentes sint qui ratione status aut officii rei consultæ peritiam non profitentur, nec pro peritis se gerant, ut sunt plebeii, mulieres et similes quorum insufficientia est nota, non tenentur de damno illi qui consilium petit, nisi ex dolo, hoc est, nisi scienter alterum ignorantem circumveniant, ut fert regula juris 62 in 6 : *Nullus ex consilio, nisi fraudulentum fuerit, obligatur.* Bene tamen illi contra quem consilium petitur, ut jam dixi supra a. 7.

Ratio disparitatis est; quia hi ad quos spectat ratione officii dare consilium, tenentur et reputantur habere peritiam requisitam, qua dum carent, peccant et alios decipiunt qui bona fide eorum consilium sequuntur, sicque per culpam et deceptionem sunt causa damni ; et hoc sensu potest etiam intelligi *consilium fraudulentum* in lege citata, quia fraudantur qui illud sequuntur. Alii vero qui non sunt consiliarii ex officio, cum non teneantur habere peritiam, et nota sit eorum insufficientia, non decipiunt petentem consilium, sed ipse se decipit, damnumque si quod patitur, imputare debet suæ imprudentiæ ; scienti enim et volenti non fit injuria. Si tamen agatur de damno tertii, tenentur ad illud, quia iste tertius non est sciens neque volens, et qui consilium dat, positive concurrit ad ejus damnum. Nec obstat quod inculpabiliter ignorat ; ideo enim maxime culpandus est, quod in rebus quas ignorat se dandis consiliis immiscere audeat, sicque sciens et volens se exponat periculo damnificandi innocentem et invitum. Confer quæ dixi a. 7 cit.

Notandum tamen cum Sylvio, Lessio et aliis communiter, ad nullam restitutionem respectu cujuscumque teneri, qui in consilio dando indicat se dubitare, aut qui simpliciter aperit suam mentem, dicens ita sibi videri, non tamen suadens ut alter sequatur ; quia cum nihil certo statuat, aut affirmet, aut suadeat, si nihilominus agat qui petit consilium, non curans habere majorem certitudinem et inde damnum sibi aut alteri sequatur, soli ejus voluntati atque temeritati tribuendum est. Idem dic de eo qui respondet secundum sententiam probabiliorem ; non enim tunc peccat, etsi forte decipiatur.

III. Consulentes secundo modo, hi scilicet qui maleficium suadent sive precibus, blanditiis, laudibus, etc., sive propositis quæ ex eo resultant commodis, sive indicatis modis quibus effici potest tutius et efficacius, ad nihil tenentur respectu illius qui petit con-

silium, quia scienti et volenti non fit injuria; teneri autem respectu illius contra quem petitur consilium, si ex eo illi sequatur damnum, indubium est ex dictis § 1. Ad quid autem teneatur si jam parato ad maleficii substantiam, consulat tantum locum, tempus, incrementum, decrementum et similia accidentia? etiam dixi loco citato.

IV. Restat itaque difficultas, utrum revocato tempestive consilio antequam damnum inferatur, maneat consulens absolutus ab onere restituendi si nihilominus damnum fiat. Quæstio sub distinctione communiter resolvitur, juxta diversum modum consulendi.

Consulens primo modo, revocato tempestive consilio, ordinarie ad restitutionem non tenetur: ut si dixeris contractum esse licitum qui est illicitus, restitutionem non esse faciendam cum sit facienda, et postea doctior factus aut consilii pœnitens, declares ante factum defuisse deceptum, contractum esse illicitum, restitutionem esse faciendam, non teneris; quia tunc tota ratio agendi proveniens ex consilio cessat, ita ut si alter agat, non est consilio, sed ex propria malitia agere censendus sit. Nisi forte consulens prius datum consilium argumentis et sophismatibus ita roborasset, ut vis eorum subsequentibus rationibus non eliderentur efficaciter, et ex eorum impressione remanente fieret adhuc maleficium; tunc enim non cessaret tota ratio agendi proveniens ex consilio, et ideo consulens adhuc teneretur de damno pro quantitate culpæ in dando consilio. Et ideo dixi *ordinarie* non teneri.

Inter consulentes secundo modo etiam est distinguendum. Qui solis precibus, blanditiis, promissis, etc., vel falso supposito innixus maleficium suasit, revocato tempestive consilio, non videtur teneri de damno: ut si amico suaseris Petrum occidere, quia occidit tuum fratrem, et postea ipsi amico ostendas tuum fratrem adhuc viventem, aut probes ab alio esse interfectum; item si precibus, blanditiis, promissis, etc., impuleris aliquem ad vindictam, furtum, etc., et ante factum revoces promissa, ipsique significes rem fore tibi ingratam, etc., non teneris; quia tunc etiam cessat tota ratio agendi ex priori concilio proveniens, sicut de mandante dictum est.

Qui vero maleficium consulit proponendo ejus utilitatem, voluptatem, honorem, etc., aut indicando media et modo quibus securius et efficacius fiat, non absolvitur regulariter ab onere restituendi per talis consilii simplicem revocationem; qui 1, non obstante hac revocatione, remanet regulariter tota vis consilii, seu pondus rationum atque earum impressio facta in mente alterius. Quantum vis enim dicas illi: Noli facere, pœnitet me tibi id indicasse aut suasisse, non impedis quin maleficium appareat ipsi utile, delectabile, etc., nec quin sciat modos et media illud perpetrandi quæ ipsi suppeditasti. Quapropter si iis motus maleficium exsequatur, causa illius es et restitutioni obnoxius. Non secus ac si arma Petro tradidisses ad occidendum Titium, quantumvis dehorteris Petrum ab homicidio, et nitaris arma auferre, si reipsa non auferas et Petrus Titium illis occidat, tibi mors Titii imputatur et de damno teneris.

Idem eadem ratione videtur dicendum de eo qui laudibus aut exprobrationibus excitat alterum ad maleficium, ut exprobrando ignaviam, laudando generositatem, si, non obstante simplici revocatione, maneat in alterius mente laudum aut exprobrationum impressio vi cujus ad executionem moveatur. Sed is videtur palpo potius quam consulens.

V. Quid faciet ergo consulens ut eximatur ab obligatione restituendi? Debet quantum in se est prioris consilii rationes et motiva efficacioribus rationibus et motivis destruere: si id nequeat, debet eum contra quem dedit consilium monere, si possit absque suo longe majori detrimento, ut sibi et rebus sui invigilet, ut dictum est de mandante. Tandem si, hoc non obstante, fiat damnum vi dati consilii, consulens quantumvis pœnitens imo et justificatus, manet obnoxius restitutioni, quia manet vera causa damni, et sit mortuus et forte in cœlo beatus, hæc obligatio transit ad ejus hæredes. *Et hinc colliges, a fortiori* non eximi ab onere restituendi qui suadet malefactori ut restituat, et non restituit.

Petes utrum qui exemplo suo movet alium ad injustam damnificationem, teneatur ad restitutionem?

Respondent negative Valentia, Sanchez, Vasquez, quos citat et sequitur Layman lib. 2 Tract. 3, c. 13, *n.* 6 et alii; quia, juxta quosdam, exemplum movet imperfecte tan-

tum; juxta alios, quia scandalum est tantum contra charitatem : sed neutra ratio satisfacit. Non prima, quia exempla æque imo fortius movent quam verba : unde dicitur communiter : *Verba movent, exempla trahunt :* magis autem et trahi quam moveri. Non secunda, quia *dato* quod scandalum sit tantum contra charitatem respectu scandalizati, quia libere consentit, secus tamen respectu alterius tertii cui nescienti et invito damnum infertur. Nec obstat quod qui præbet malum exemplum non intendat alterius tertii damnum; hoc ipso enim quo advertit se suo exemplo inducere ad damnum, illud intendit indirecte, non secus ac qui vendit arma furenti in hostem, intendit directe lucrum, indirecte mortem hostis de qua tenetur. Si ergo revera quis suo exemplo aliquem ad injustam damnificationem æque efficaciter (ut contingere potest) inducat ac consilio, pariter videtur teneri de damno; et ita censet Bonæ Spei, quem citat et sequitur Ethica amoris lib. 9, c. 45.

§ IV. — *Consentiens.*

I. Distingue cum Cajetano in Summula v. *Restitutio*, § 8, inter consensum qui est causa, et inter consensum qui solummodo est consensus et non causa : v. g. agitur de bello injusto; convocantur consiliari seu ii ad quos spectat; consentiunt : horum consensus non solum est consensus, sed etiam causa belli injusti; quia ex eorum consensu pendebat negotium, et hos teneri ad restitutionem indubium est. Idem dic de senatoribus suffragantibus injustæ sententiæ, de vocalibus conferentibus vota in electionem indigni ad prælaturam aut beneficium. Audiunt plerique alii bellum injustum esse decretum, injustam sententiam esse latam, indignum esse promotum, approbant, consentiunt, dicunt, Fiat, ita sit. Horum consensus est solummodo consensus et non causa belli injusti, iniquæ sententiæ, promotionis indigni, cum ex ipsis voluntas inique suffragantium non pendeat, non mutetur, etc. et quamvis peccent graviter consentiendo iniquitati, non tamen tenentur ad restitutionem damnorum. Ita quibusdam additis laud. Card.

II. Difficultas est utrum dum res pluralitate votorum conficitur, ii qui, numero sufficienti completo, vota conferunt, teneantur ad restitutionem.

Certum est 1°, eos qui primi suffragantur ante completum numerum sufficientem votorum, quamvis prævideant sequentes consensuros, teneri ad restitutionem, quia revera influunt in injustum decretum.

2° Satis etiam constat quod si vota secreto conferantur, omnes tam primi quam ultimi teneantur de damno, etiam (saltem probabilius) in solidum, sive sciant quid alii sint facturi sive non; quia cum negotium non sit conclusum nisi post collationem omnium votorum, censentur omnes una causa totalis iniqui decreti : sicut si decem traherent navim, cui trahendæ sufficiunt octo, omnes tamen trahunt.

3° Constat etiam dum vota publice conferuntur, eos qui post numerum requisitum completum consentiunt, si priores ab iniqua sententia auctoritate sua, vel eloquentia, aut aliis modis revocare potuissent, teneri in solidum ut non obstantes. Idem dic de eo qui nollet suffragari tunc cum videt defectu sui suffragii iniquam sententiam esse ferendam; quia hi tenentur tunc ex officio aut impedire aut suffragari.

Quæstio ergo devolvitur ad casum quo in collatione publica votorum priores suffragantes sint numero sufficientes, utrum qui post est suffragaturus teneatur de damno, si ex aliquo motivo humano in idem consentiat.

Negant antiquiores theologi, Cajet. Navar. Less. Sylvius, Vasques, Layman et alii plures; quia cum per priora suffragia numero sufficientia res sit acta et conclusa, consensus sequentium nullo modo in eam influit.

Affirmant recentiores, Henno, Daelman, Perfector Tournely qui etiam dicit hanc sententiam nunc esse communem, et *negant* quod assumunt priores, nimirum completo numero votorum sufficiente rem esse peractam; voluntque tunc solum rem esse peractam cum post collata omnia suffragia atque enumerata, itur in conclusionem, sententia formatur et denuntiatur electus aut damnatus, sicque qui votum confert ante conclusionem captam aut sententiam decretam, præcedit finem istius electionis seu negotii, proindeque potest in illud influere : non secus, inquiunt, ac si duobus vastantibus vineam, tertius se jungeret. Idque inde magis probant quod nomine omnium consentientium res concludatur et executioni

mandetur ; non enim cum declaratur electio seu sententia. dicitur, talis habet vota ultra medietatem, et ideo est electus, sed, habet tot vota, omnibus recensitis, et ideo est electus : ergo concurrunt hæc vota ad electionem.

Confirmatur. 1°. Qui, non collato suffragio, conclusioni electionis seu sententiæ injustæ concurreret, puta, scriba, vi cujus concursus hæc electio seu sententia mandaretur executioni, teneretur de damno : ergo *a fortiori* qui per suum suffragium concurrit ad talem electionem seu sententiam. Nec obstat quod sine tuo suffragio res nihilominus conclusa fuisset, sufficit enim quod de facto ad eam concurras; quia, ut diximus supra, in negotio restitutionis non est respiciendum ad hanc negativam, *an non facta fuisset res sine illo,* sed ad hanc affirmativam, *an iste fecerit.*

Confirmatur 2°. Qando vota secreto conferuntur, tenentur, secundum patronos, prioris sententiæ, omnes consentientes ad restitutionem, etiamsi, juxta Sylvium, sciant jam præcessisse sufficentia vota : ergo a pari dum vota conferuntur publice : neque enim suffragantes publice minus concurrunt per modum unius causæ totalis quam suffragantes secreto. Propter itaque istas rationes, hæc sententia nobis videtur probabilior.

Quærunt hic aliqui utrum liceat suffragari electioni minus digni, quando dignior eligi potest, et periculum non et ne indignus eligatur? *R. affirmative;* quia sic rem Ecclesiæ vel reipublicæ utiliter gerit.

Quærunt insuper utrum novitius de cujus idoneitate dubitatur, sit recipiendus an rejiciendus? *R.* esse rejiciendum; quia juxta Trid. sess. 25 de Regular. c. 16, ii solum sunt recipiendi, qui post probationem inventi fuerint habiles : is autem de cujus idoneitate vere dubitatur, non censetur habilis.

§ V. — *Palpo, Recursus.*

I. Palpo seu adulator dicitur, qui laudibus, adulationibus aut etiam exprobationibus movet aliquem ad inferendum damnum, ut injuriam alteri illatam exaggerando aut exprobrando, a viro nobili non ferendam dictitando, vindictam extollendo, patientiam irridendo, paupertatem vituperando, furti utilitatem prædicando. Qui ergo his et similibus modis movent moraliter ad injustam damnificationem, peccant graviter et tenentur ad restitutionem : neque necesse est quod intendant directe damnum; sufficit quod illud intendant indirecte, quatenus prævident aut prævidere possunt secuturum ex sua palpatione. Hic cooperandi modus parum differt a consulente ; quid est enim aliud exprobrare alteri ejus ignaviam, aut laudare vindictam, nisi eam illi consulere? Quæ igitur fusius de consulente dixi, pro dictis hic habeto.

II. Recursus, hoc est præstans recursum, seu receptator, vulgo *receleur,* dicitur, quicumque securitatem, commoditatem, protectionem, custodiam malefactori præbet, ex quo fit quod vel damnum inferat, vel illatum non restituat. Et hunc quoque teneri ad restitutionem manifestum est, cum sit causa injustæ vel acceptionis vel detentionis, unde vulgare adagium : *S'il n'y avait point de receleur, il n'y aurait point de voleur.*

Tales sunt 1° qui vel ante factum offerunt malefactoribus domum suam in asylum, vel post factum ipsos recipiunt formaliter ut malefactores, eos scilicet, eorum instrumenta et furta receptando, custodiendo, occultando. Si enim reciperent ut amicos, ut consanguineos, ut alios hospites transeuntes; item si furem dum quæritur carcerem et forte ad necem, sub spe emendationis occultarent aut viam evadendi ostenderent, non peccant nec tenentur ad restitutionem; quia per se loquendo non sunt causa cur fures aut de novo furantur, aut ablata non restituunt, sed præcise exercent vel opus misericordiæ et humanitatis, vel commercium legitimum, ad quæ jus habent. Quod si forte fures inde fiduciam captent iterum furandi aut non restituendi, id respectu recipientium est per accidens, et ad id censentur tantum se permissive habere. Aliud foret dicendum si ex officio tenerentur denuntiare, aut si constaret fures inde sumpturos occasionem perseverandi in maleficiis, ut si jam semel aut bis a vinculis erepti ad vomitum redierint.

2° Tales sunt belli duces aut magnates qui milites aut subditos, furta, rapinas, exactiones exercentes, fovent ac protegunt.

3° Caupones qui filiosfamilias alliciunt, pecunias aut mobilia a parentibus ablata occultant, et sæpe sibi vindicant in pretium compotationum.

4° Interpolatores seu veteramentarii qui omnis generis vetera mobilia sibi oblata indiscriminatim emunt, cum ex hoc ipso suspiceri saltem deberent esse furtiva.

5° Advocatus qui in civilibus patrocinando, liti injustæ, causa est cur cliens non restituat alienum. *Dico, in civilibus;* quia in criminalibus sicut reus non tenetur crimen suum fateri donec interrogetur juridice, ita advocatus vices ejus gerens potest crimen illius occultare sicut posset ipse reus, modo tamen non utatur fallaciis aut mendaciis. Et quamvis debeat ex charitate efficere quantum in se est ut cliens restituat, si tamen non restituat, non tenetur advocatus ejus loco restituere, quia habebat jus defendendi furem sicut fur ipse : unde eum defendendo et liberando, non est causa cur non restituat, sed utendo jure suo ad id permissive tantum se habet.

Petes utrum excusari non possint a peccato et a restitutione, qui metu mortis aut incendii alteriusve gravis mali, fures eorumve furta in domum suam recipiunt et in ea occultari permittunt, ut quandoque accidit in hospitiis solitariis ?

Respondent plures affirmative : quia est actio de se indifferens : *patebit ex modo dicendis* de participante.

§ VI. — *Participans.*

I. Participans est duplex, in præda et in crimine. Participans in præda tantum, est ille qui post damnum illatum partem præ|dæ seu furti accipit; et hic, si dum partem accipit nesciebat esse furtivam, tenetur tantum illam partem restituere si exstet, aut, si amplius non exstet, id solum in quo factus est ditior; quia tenetur solum ratione rei acceptæ. Si sciebat esse furtivam, tenetur, si exstet, eam reddere; si non exstet, æquivalens, etiamsi inde non sit factus ditior; quia tenetur ratione injustæ acceptionis. Unde qui bona fide bibit nesciens vinum furtivum, tenetur tantum in quantum suo vino vel cerevisiæ pepercit; si sciens, ad ejus valorem, etsi nihil suo vino vel cerevisiæ pepercerit.

Participans in crimine, non solum est is qui immediate per se cum alio actionem damnificativam exercet, ut si duo simul occidant hominem, spolient domum, etc. hi enim potius dicendi sunt coexequentes quam cooperantes ; sed etiam illi qui ad damnum inferendum præbent auxilium seu instrumenta, ut qui furi scalas commodant, applicant, tenent, ascendentem sustinent, comitantur ut animum addant, claves adulterinas efficiunt, excubias agunt, venenum, arma furenti in hostem subministrant, prædas factas longius avehunt, etc. Hos porro, dum hæc sponte et nulla urgente necessitate agunt, teneri ad totius damni restitutionem in solidum constat, etiam si sine eorum ope damnum fuisset illatum, quia de facto in totum efficaciter influunt.

II. Sed quæstio valde implexa est et quæ non parum torquet theologos, utrum qui hæc agunt metu mortis aut alterius gravis mali, ut contingit v. g. in captivis apud Turcas remigantibus adversus christianos, in rusticis avehentibus prædas furtivas militum, etc. peccent et teneantur ad restitutionem.

Quidam, quando agitur tantum de damno in bonis fortunæ inferendo proximo, excusant et a peccato et a restitutione omnes istas actiones factas metu mortis aut alterius mali longe gravioris malo inferendo, nec solum eas quæ præcedunt aut subsequuntur injustam damnificationem, ut præbere instrumenta, avehere prædas jam factas, sed etiam eas quæ per se immediate damnificant, ut perfodere parietes, arripere, asportare mobilia. Hujus sententiæ rationes proponemus infra et solvemus. Quidam condemnant has omnes actiones non solum quæ immediate damnificant, sed quæ præcedunt aut sequuntur ipsam damnificationem. Alii tandem distinguunt : has excusant, illas condemnant. Prima sententia est nimis laxa ; secunda videtur nimis dura ; tertia, inter utramque media, videtur probabilior et communior ; juxta quam

Dico 1° Exsequi metu mortis actionem immediate damnificativam, ut evertere muros, perfodere parietes, pecunias, mobilia alia arripere, ejicere per fenestram, pecora stabulis abigere, ignem in acervum injicere, etc. est illicitum et parit obligationem restituendi ; quia tales actiones sunt intrinsece malæ ; quid est enim hoc aliud quam furari ? Quod autem est intrinsece malum, nullo bono fine cohonestari potest, et non sunt facienda mala ut eveniant bona.

Dices 1° Ex tali actione sequitur duplex effectus, unus bonus, scilicet salus mea : alter malus, nempe damnum proximi : pos-

sum autem intendere bonum effectum et me habere permissive ad malum; sicut in defensione occisiva contra injustum aggressorem, aut in expugnatione turris ubi includuntur simul innocentes et hostes, intendo defensionem meam et permissive me habeo ad mortem aggressoris aut innocentum, quod est licitum, secundum D. Thomam infra q. 64, a. 7. o. Ergo.

R. Nego paritatem. Disparitas est, quod in utroque casu posito, defensio seu salus mea æque immediate sequatur ex actione mea ac mors aggressoris aut innocentum. At in nostro casu salus mea non sequitur immediate ex actione mea damnificativa, sed ex voluntate mutata minantis : unde prius fit malum quam sequatur bonum, quod est proprie facere mala ut eveniant bona, quod est illicitum.

Dices 2° Ablatio seu damnificatio rei alienæ non est injusta, nisi in quantum dominus est rationabiliter invitus : atqui in casibus conclusionis dominus non est rationabiliter invitus : ergo. *Prob. min.* Dominus non potest rationabiliter exigere ut cum dispendio vitæ meæ consulam bonis ejus temporalibus quæ sunt inferioris ordinis. Ergo.

Confirmatur. Dominus non potest rationabiliter exigere ut ipse fur ipsi restituat injuste ablata cum dispendio vitæ : ergo *a fortiori* quod innocens vitam profundat pro ipsorum conservatione.

R. N. min. Ad prob. D. ant. Dominus non potest rationabiliter exigere ut cum dispendio vitæ meæ consulam bonis ejus temporalibus per actum positivum, v. g. impediendo fures, exstinguendo incendium, *C. ant.* nisi forte ad id tenear ex officio : per non ablationem seu non destructionem rei suæ possessæ, *N. ant.* Si enim teneretur dominus consentire rei suæ ablationi propter alterius periculum, sic, ut quisque pro gravi suo damno vitando posset aliena surripere, sequeretur summa reipublicæ perturbatio et totalis boni communis eversio, dum quisque in propria causa judex et cupiditate habendi impulsus, fingeret damnum grave ubi non esset; et fures, audaciores facti, quos vellent gravi metu incusso socios criminis haberent, sicque omnia furibus et furtis repierentur. Quamvis ergo dominus in his casibus forte teneretur ex charitate temporalia dare, non tamen tenetur consentire ut sibi ab aliis surripiantur : sicut dives qui in gravi necessitate tenetur dare eleemosynam pauperibus, non tamen tenetur consentire ut pauperes sua auctoritate surripiant, et peccant tenenturque ad restitutionem si faciant.

Et hinc patet responsio ad confirmationem. Non enim differre restitutionem propter grave damnum, est reipublicæ perturbativum et bono communi nocivum, sicut furari. Adde quod, licet præceptum restituendi reducatur ad præceptum *Non furaberis*, tamen inter se differunt in hoc quod istud prohibeat actum vitii, illud vero præcipiat actum virtutis, qui, ut sit vere virtutis, debet vestiri omnibus circumstantiis loci, temporis, opportunitatis, etc. quod non requiritur ad non ponendum actum vitii.

Inst. Licet in extrema necessitate absque onere restitutionis aliena rapere, in quantum opus est ut necessitati subveniatur : sic fame morienti licet panem alienum surripere; sic fugienti hostem persequentem licet conculcare alienas segetes, si non adsit alia via mortem intentatam evadendi. Ergo similiter.

R. N. conseq. Disparitas est, quod in casibus instantiæ salus mea sequatur immediate ex actione mea aliunde damnificativa, ita ut hæc sit medium quasi ex natura rei in tali casu ad meam salutem. At in casibus conclusionis salus mea non sequitur immediate ex actione mea damnificativa, sed ea posita sequitur ex mutata voluntate furis unde in tali casu est facere malum ut eveniat bonum, sicut jam dictum est. Altera disparitas est, quod in casibus instantiæ non sequatur inconveniens nocivum bono communi, sicut sequitur in casibus conclusionis, *ut probavimus.*

Dico 2° Probabilius nobis videtur actiones quæ non sunt immediate per se damnificativæ, sed quæ præcedunt aut subsequuntur damnificationem, ut commodare scalas, claves, etc. aperire januam, sustentare ascendentem, remigare apud Turcas contra christianos, aggeres construere, longius avehere prædas jam factas, etc. si fiant metu mortis aut mali alterius longe gravioris quam sit damnum inferendum, non esse illicitas nec restitutioni obnoxias. Quia istæ actiones sunt secundum se indifferentes, et propter bonum finem fiunt, nempe ad salvandam vitam : non est autem illicitum ponere ac-

tionem secundum se indifferentem ad bonum finem, licet ex alterius malitia sequatur malum, maxime quando bonus effectus est majoris momenti quam damnum quod ex illa sequitur per accidens.

Si dicas cum adversariis, has actiones, quamvis secundum se sint indifferentes, tamen prout hic et nunc fiunt, non esse indifferentes, sed revera concurrere ad damnum : *R.* quod non concurrant ad damnum prout sunt ab agente, sed ex perverso usu et mala voluntate furis eis abutentis.

Confirmatur conclusio ab inconvenienti. Si præfatæ actiones sint damnandæ, non video quomodo excusari possint infinitæ prope actiones quæ passim ut licitæ admittuntur. Sic peccabit et erit obnoxius restitutioni qui, metu mortis adactus, reddet depositum gladium repetenti in internecionem inimici, aut pecunias depositas abusuro ad usuras, ebrietates, scortationes, etc. Similiter peccabit caupo qui metu mortis subministrat potum se inebriaturis. Item peccabit puella quæ, ex honesta aut etiam utili et necessaria causa, se offert conspectui adolescentis quem novit inde peccaturum. Item reus erit qui ex audientia confessionum aut ex alia honesta actione quam ponit, prævidet secuturam pollutionem, et sexcenta alia quæ non minus quam præfatæ actiones, ut hic et nunc fiunt, concurrunt ad malum effectum. Imo magis et quæ remote influunt etiam erunt illicitæ. Sic peccabunt et erunt obnoxii restitutioni, qui arma aut venena vendunt promiscue, cum sciant aliquos uti iis in aliorum perniciem ; similiter qui fucos, taxillos, chartifolia vendunt quibus sciunt plures abuti, et sic discurrendo per innumeras prope actiones quæ continuo occurrunt; quia hæ etiam actiones suo modo influunt in malum effectum, et licet minus proxime quam præcedentes, influunt tamen.

Cæterum, ut rei aliunde obscuræ et tam frequenti lux aliqua affulgeat, non pigebit rem altius repetere, et revocare quid sit voluntarium directum, quid indirectum. Voluntarium directum et in se dicitur, quidquid per se procedit a voluntate, seu omnis actus qui per se intenditur, illicitur, imperatur vel admittitur a voluntate : ut si deliberate odisti hominem, vis occidere, occidi imperas, occidere volenti applaudis, consentis. Porro damnum sequens ex actionibus de quibus est quæstio, non esse sic directe et in se voluntarium palam est. Voluntarium indirectum seu in causa dicitur, quod quidem secundum se et in se non intenditur, elicitur aut imperatur a voluntate, tamen ratione alicujus per se voliti prævidetur secuturum, et ideo voluntarium censetur ac imputatur, diciturque voluntarium in causa, voluntarium interpretativum seu præsumptum.

Ut autem aliquid sit voluntarium in causa et indirecte, communiter tria requirunt theologi : 1° quod sciatur aut sciri possit ac debeat secuturum ex tali causa; 2° quod possit; 3° quod debeat impediri per amotionem talis causæ. Si enim nulla lege tenear abstinere a tali actione, quin potius habeam jus ad illam, nulla est ratio cur effectus malus sequens ex illa per accidens et contra meam intentionem, mihi imputetur ut voluntarius.

Porro unusquisque tenetur ex lege, modo charitatis, modo justitiæ, abstinere ab actione ex qua prævidet malum effectum secuturum, nisi eam ponendi habeat aliquam rationabilem causam. Quandonam vero adsit causa rationabilis, non potest assignari una regula certa, cum infinitis prope modis casus diversificentur; sed id arbitrio prudentum et communi hominum sensui relinquitur. Pro quo tamen non male quatuor proponuntur consideranda. 1° Tanto major requiritur ratio quanto majus est malum quod sequitur. 2° Tanto major requiritur ratio quanto causa seu actio quæ ponitur propinquius concurrit ad malum. Sic major requiritur ratio in sustentante ascendentem furem, quam in commodante scalam. 3° Major requiritur ratio quando sine tua cooperatione effectus non sequeretur, quam si adhuc sequeretur. 4° Major requiritur ratio quando effectus est contra justitiam in damnum tertii, quam si sit contra alias virtutes, puta temperantiam. Hæc sane videntur rectæ rationi conformia, et ex his minus erit difficile resolvere plures casus in praxi satis implicatos. Confer quæ dicam art. seq. § 1 et diss. 10, a. 5, § 1, probat. 4; item de Temp. diss. 6, a. 11.

Obj. 1° condemnationem hujus propositionis ab Innoc. XI : « Famulus cujusdam, sub» missis humeris, scienter adjuvat herum » suum ascendere per fenestras ad stupran» dam virginem, et multoties ei subservit

» deferendo scalam, aperiendo januam, aut » quid aliud simile cooperando, non peccat » mortaliter si id faciat metu notabilis de- » trimenti, puta, ne a domino male trac- » tetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo » expellatur. »

R. hanc propositionem jure esse damnatam, intacta præsenti sententia. 1° Quia excusat famulum sic cooperantem metu levis mali, nimirum torvi aspectus, aut expulsionis, quod sub ementito nomine *gravis detrimenti* obtendit. 2° Quia excusat eum qui jam multoties huic turpitudini ministerium præbuit, cum statim post primas vices talem herum deserere debuisset. Non credimus autem fuisse damnandam si excusasset famulum qui metu mortis semel opem hero suo tulisset, et inde ipsum deseruisset.

Obj. 2° Quidam ex his cooperatoribus possunt juste occidi ab his qui injuste invadunt, ut remiges christiani apud Turcas, auxiliantes noctu invadentibus domum alienam, etc., ergo inique agunt. *Patet conseq.* quia alias scienter daretur bellum justum ex utraque parte.

R. D. ant. Possunt occidi jure vindictæ tanquam rei criminis, *N. ant.* jure defensionis, *C.* quomodo possunt occidi pueri aut amentes aliive innocentes inclusi in turre expugnata aut positi in fronte prælii. Nec repugnat dari speciem belli justi ex utraque parte, quando ex una parte non est propinqua et directa oppugnatio : ut patet in servo jure belli qui potest fugere, et tamen a domino castigari; item in incarcerato qui effracto carcere fugere potest, et tamen ideo puniri, et aliis. Secus si oppugnatio esset propinqua et directa ex utraque parte : unde isti remiges apud Turcas dum impetuntur a christianis, non possunt se sic contra eos defendere ut ipsos lædant vel occidant, sed debent a remigatione desistere; quia vel cessat coactio; vel si non cesset, non vitabunt illi parendo mortem, cujus metu remigant, sed aliunde incurrent.

III. *Petes* utrum, quando plures immediate concurrunt ad damnum, v. g. spoliant vineam, domum, ærarium, etc., teneantur ad restitutionem totius in solidum?

R. sub distinctione. 1° Si mutuo consensu et consilio se invicem excitantes concurrant, tenentur omnes in solidum, quia tunc unusquisque est causa non solum partialis damni quod per se facit, sed etiam damni quod alter facit; sicque omnes per modum unius causæ influunt in totum damnum. Ita probabilius Soto, Bannes, Cajet. et alii quos citat et sequitur Sylvius contra Palud. Sylvest. Navarr., etc.

Idem cum iisdem videtur dicendum de gregariis militibus, qui in bello injusto concurrunt ad expugnandam urbem; non secus enim ac spoliantes vineam coeunt in unam causam et quasi una manu urbem spoliant ac in totum damnum influunt, siquidem unus alteri præbeat fiduciam, auctoritatem et qualemcumque opem, nec unus sine aliis facinus aggredi fuisset ausus; si enim et hic, et illi, et alii se subtraherent, tandem tam pauci restarent ut expugnare non auderent.

Si dicas. Dum latro non audet aggredi aliquem euntem cum socio, quem tamen aggreditur dum videt alterum latronem velle aggredi socium, iste alter latro non tenetur restituere damnum quod primus intulit, licet ipsi fiduciam ad furtum præbuerit : ergo similiter de gregariis militibus. *R.* Vel iste alter latro fiduciam primo scienter præbuit, vel non. Si hoc secundum, non mirum quod non teneatur ad damnum quod primus fecit, quia non est ipsi voluntarium defectu cognitionis. Si scienter, existimo quod teneatur, quia tunc voluntarie et efficaciter ad istud damnum influxit : ita gregarii milites.

2° Si plures concurrant ad damnum, non communi consensu se mutuo excitantes, sed per accidens, tenetur quisque tantum ad suam partem : ut si pluribus vastantibus vineam aut spoliantibus ærarium, ut superveniens tuam partem accipias; teneris tantum ad tuam partem et non ad partes aliorum; quia non influis in illas.

IV. Sed ulterior quæstio est, an furando partem levem, pecces mortaliter et tenearis sub mortali hanc levem partem restituere, si scias damnum grave aliunde ab aliis esse inferendum aut illatum; imo etsi tum nescias, sed postea rescias, tenearis similiter tuam partem levem restituere sub mortali. V. g. itinerando ingrederis vineam; vides eam jam magna ex parte spoliatam, aut scis brevi spoliandam; interim unum et alterum botrum colligis : peccasne mortaliter et tenerisne sub peccato mortali istos paucos

botros restituere? Item furaris unum et alterum botrum ex vinea integra, nesciens quid sit deinde futurum; postea rescis a furibus esse totatiter spoliatam: tenerisne iterum sub peccato mortali restituere tuos paucos botros?

R. negative cum Soto, Maldero, Salmanticensibus, Lessio et aliis. Quia nemo peccat mortaliter in ratione furti, neque sub mortali tenetur restituere, nisi grave damnum intulerit, vel fuerit causa gravis damni ab aliis illati: atqui in utroque casu posito grave damnum non intulisti, nec fuisti causa gravis damni ab aliis illati. Ergo.

Confirmatur ab absurdis. Ex opposita sententia *sequitur* 1°, quod surripiens assem a rege peccet mortaliter et teneatur sub mortali illum restituere, cum sciat multa modica passim a rege surripi, quæ cum illo asse summam notabilem efficiunt. 2° Itinerantes qui in via quosdam calamos aut quædam gramina conculcant, peccant mortaliter et tenentur sub mortali ad restitutionem, cum sciant id pariter fieri ab aliis itinerantibus. 3° Qui furatur assem a Petro a quo novit alterum furatum fuisse novemdecim asses, magis peccat et tenetur strictius ad restitutionem quam iste alter; is enim peccavit tantum venialiter et tenetur tantum sub veniali restituere; ille autem peccat mortaliter et tenetur sub mortali restituere. Hæc sane omnia esse absurda nemo non videt.

Dices 1° Singuli cooperantur gravi damno: ergo singuli peccant mortaliter et tenentur sub mortali restituere.

R. D. ant. Singuli cooperantur gravi damno in gravi quantitate, *N.* in levi quantitate, *C.* Id autem non sufficit ut peccent mortaliter, eo præsertim quod non influant in totum damnum neque totalitate causæ neque totalitate effectus, et sit contra cujusque intentionem ut sua pars conjungatur cum aliis et fiat grave damnum.

Inst. Qui modicum quid pluries furatur, quando complet summam notabilem, peccat mortaliter et tenetur sub mortali restituere: atqui in nostro casu singuli complent summam notabilem. Ergo.

R. N. conseq. Disparitas est, quod primus compleat damnum notabile a se factum, sicque per se graviter lædit proximum: secus in nostro casu.

Dices 2° Omnes isti possunt cogi per excommunicationem ad restituendum istud leve damnum quod quisque intulit: ergo peccaverunt mortaliter, et tenentur sub mortali restituere.

R. N. conseq. Potest enim quis compelli per præceptum et excommunicationem ad id ad quod ante præceptum non tenebatur ex natura rei nisi sub veniali, quando nempe adest justa causa talis compulsionis, v. g. ad solvendam mulctam, ad comparendum supplicationi publicæ; in nostro autem casu potest subesse justa causa talis compulsionis, nempe grave damnum resarciendum.

Inferes. Ergo potest quis omnia bona perdere et nemo tenebitur ipsi restituere sub mortali.

R. C. illationem. Neque id absurdum videri debet; cum possit omnia perdere, et nemo sub ullo peccato teneatur restituere, ut si ab aliquo inculpate damnificetur in totum.

§ VII. — *Mutus, non obstans, non manifestans.*

I. Hi tres concurrunt ad damnum negative tantum, in quantum illud non impediunt cum possunt et debent impedire; ex quo fit quod damnum ipsis imputetur.

Mutus est ille qui tacet cum posset et deberet loqui, furem prohibendo, dissuadendo, reprehendendo, clamando, etc. ne damnum faciat aut ut illatum resarciat.

Non obstans est ille qui, cum posset et deberet ope corporali impedire damnum aut ejus restitutionem procurare, omittit.

Non manifestans est ille qui, cum posset et deberet, non denuntiat, non detegit malefactorem, sive ante factum ut impediatur, sive post ut restituatur.

Itaque mutus omittit operam verbalem erga damnificantem; non obstans, operam corporalem erga eumdem; non manifestans, operam verbalem erga magistratus aut dominos damnificatos vel damnificandos.

Hic. q. 7. o. et ad 3.—II. Uthi tres, dum damnum non impediunt, teneantur ad illius restitutionem, tria requiruntur: primum, quod impedire culpabiliter omiserint; secundum, quod sine suo gravi domno potuerint impedire; tertium, quod impedire teneantur ex justitia.

Circa primum, dixi supra eos qui tenen-

tur ratione contractus expressi, teneri ex culpa juridica quandoque lata, quandoque levi, quandoque levissima; eos vero qui tenentur ratione quasi-contractus seu officii, teneri tantum ex culpa theologica, plus aut minus, secundum gravitatem culpæ. Require supra art. 6 et 7.

Circa secundum, hujus ratio est; quia nemo censetur velle se obligare sive ex contractu sive ex officio ad impediendum damnum alterius, quando id non potest sine suo gravi detrimento, nisi id exposcat speciale pactum seu officium, vel nisi ex longe copiosiori stipendio id eruatur, vel tandem nisi damnum impediendum longe præponderet damno quod incurreret impediens. Ita Soto, Navar. Serra, etc.

Hinc colliges, prætores, custodes et similes non teneri impedire damna particularium, furta, homicidia, cum detrimento vitæ, famæ, aut gravi damno rei familiaris; secus si ageretur de impediendo damno communi hæresum, proditionum reipublicæ et similium.

Colliges e contra, militem teneri pugnare cum dispendio vitæ, pastorem ministrare sacramenta ovibus tempore pestis, eas contra hæreticos ab errore defendere, etiam cum vitæ periculo; quia eorum officium id exposcit, et ad id sunt instituti.

Circa tertium, illud negat Cajetanus cum Angelo et Richardo, vultque solam obligationem ex charitate sufficere ut non impediens damnum teneatur ad restitutionem. Sed oppositum communiter sustinetur cum Auctore. *Ratio est;* quia obligatio restituendi oritur ex solius justitiæ, non charitatis violatione.

Dices 1° Alexander III, c. *Sicut dignum* 7, de Homicidio, dicit quod, *Qui potuit hominem liberare a morte et non liberavit, cum occidit.* Et Innoc. III, c. *Quantæ* de Sentent. excom. declarat excommunicatos eos qui cum possunt non obstant ne manus violentæ injiciantur in clericos. Ergo.

R. ad primum, sensum esse, eum qui non liberat a morte hominem dum potest, esse reum homicidii, prout homicidium est contra charitatem, non prout est contra justitiam; quo sensu dixit S. Ambrosius de divite non largiente eleemosynam pauperi: *Si non pavisti, occidisti.* Insuper probat Sylvius ibi non agi de his qui mere se habent negative, sed de his qui se positive habuerunt ad damnum, scilicet de comitantibus percussores S. Thomæ Cantuariensis, non ut percuterent, sed ut percussoribus opem ferrent.

Ad secundum, neganda est consequentia; alia enim est ratio excommunicationis, alia restitutionis. Ad excommunicationem sufficit grave peccatum sive contra charitatem, sive contra justitiam; ad restitutionem vero requiritur peccatum contra justitiam. Insuper Glossa hunc textum explicat de his qui ex officio impedire tenentur.

Dices 2° Ille obnoxius est restitutioni, qui est causa damni: atqui qui potest et debet etsi ex sola charitate, est causa moralis damni, tunc enim damnum est ipsi voluntarium interpretative: ergo.

R. D. maj. Ille obnoxius est restitutioni, qui est causa damni per violationem justitiæ, *C. maj.* per violationem charitatis tantum, *N. maj. et ad hunc sensum distincta minore, N. conseq. Solutio patet.*

Inst. Docent communiter theologi, eum qui, accepta a fure pecunia, spondet se nihil dicturum, teneri ad restitutionem etiamsi non sit obligatus ex justitia impedire. Ergo.

R. Talem plerumque teneri ad restitutionem non præcise quia tacet aut non impedit, sed quia sic spondens accepta pecunia se nihil dicturum, regulariter securiorem et audaciorem reddit furem, sicque positive influit in damnum. Quod si per hoc non reddat furem securiorem, non tenetur secundum. Soto, nisi munus acceptum sit pars furti.

Dices 3° Qui non obligato ex justitia impedire consulit ut non impediat, tenetur restituere: ergo *a fortiori* qui non impedit, cum sit causa damni propinquior.

R. N. ant. nisi consulens adhibeat vim aut fraudem; quia cum is qui damnificatur non habeat jus strictum ut ego impediam ipsius damnum, non facit illi injuriam qui mihi simpliciter consulit non impedire.

Utrum autem qui sic simpliciter consulit, sed ex intentione nocendi proximo, teneatur ad restitutionem? *R. negative;* quia intentio nocendi per opus quod de se et in his circumstantiis non est injustum seu læsivum juris alieni, non est contra justitiam, sed contra charitatem. Vide quæ satis fuse diximus circa hanc difficultatem supra n. 12, concl. 2.

III. Hi vero tenentur impedire ex justitia, qui tenentur ex contractu aut quasi-contractu, hoc est, ex officio ; quia qui suscipit officium, implicite se obligat ad præstanda ea quæ sunt illius officii.

Hinc inferes 1° Principes, magistratus, gubernatores, prætores, et alii quibus incumbit ex officio invigilare tranquillitati communi et indemnitati civium, tenentur ad restitutionem omnium damnorum quæ ex sua negligentia sequuntur, ut si non impediant detrimenta suis subditis illata a feris, a latronibus, etc.

2° Tenentur assessores, consiliarii, electores qui, vel tacendo vel non comparendo cum possunt, non impediunt iniquam sententiam, constitutionem, electionem, etc.

3° Tenentur tutores, curatores, administratores bonorum, non impedientes damna illata pupillis, minorennibus, ecclesiis, xenodochiis, etc.

4° Tenentur famuli, domestici quibus specialis cura domus aut rei familiaris demandata est, quales sunt præfecti domus, œconomi, coqui, cellarii, granarii, etc. si non impediant damna rebus sibi commissis illata, sive ab extraneis sive a conservis. Idem dic de eo qui herum comitatur in via, quoad ejus personam et res quas secum defert.

Illi autem quibus specialis rerum cura non est commissa, juxta communem sententiam, etiam tenentur de damno quod hero ab extraneis inferri permittunt ; quia hoc ipso quo suscipiunt officium famulatus, tacite se obligant ad vigilandum indemnitati domini. Sed plures negant eos teneri de damno illato a conservis. Non video tamen cur minus respectu conservorum quam respectu extraneorum teneantur ; imo, ut bene advertit recentior theologus, quo damnum facilius, frequentius, diutius inferri potest, eo major incumbit illud advertendi obligatio. Quapropter existimo, omnibus omnino famulis, domesticis, incumbere obligationem impediendi damnum domino a quocumque inferendum. Strictior tamen est obligatio illorum quibus cura rerum commissa est quam aliorum.

5° Custodes urbium, agrorum, vinearum, sylvarum, fluminum, gabellorum, vectigalium, tenentur indubie ad restitutionem vectigalium aut damni illati agris, sylvis, etc. dum fure, deprædatores, defraudatores, etc., non impediunt.

Sed utrum etiam ad solutionem pœnæ seu mulctæ quam damnificantes solverent si essent denuntiati aut deprehensi, teneantur, dum ipsos non denuntiant aut non apprehendunt, controvertitur.

Quidam affirmant, Salonius, Bonæ Spei, Ethica amoris, Perfector Tournely, etc. *Quidem negant*, Sylvester, Sylvius, Lessius, Navar. etc. Cui sententiæ ut probabiliori et communiori subscribimus ; non quidem ea ratione, ut quidam volunt, quod pœna non debetur ante sententiam judicis, quia hic non agitur de solutione pœnæ ut pœnæ est, sed de damno quod ex ejus non solutione obvenit reipublicæ aut domino. Ratio ergo hujus sententiæ est ; quia custodes non tenentur ex justitia accusare in hunc finem ut respublica vel dominus ditescat ex mulctis, sed ut vectigalia solvantur et damna impediantur. Ergo. *Prob. ant.* Officium illorum non est, neque ad hoc constituuntur, ut procurent mulctas, sed ut recipiant vectigalia et res sibi commissæ serventur indemnes. Ergo.

Confirmatur. Mulctæ non imponuntur, ut ex eis respublica aut dominus ditescat, sed ut leges serventur et subditi in officio contineantur ; non enim alia ratione mulctæ pecuniariæ imponuntur quam corporales, puta carceris, exilii, triremium ; in his autem attenditur solum ratio legis servandæ. Ergo et in illis : ergo custodes non constituuntur ut ex mulctis commodum reportet respublica vel dominus.

Dices cum Ethica amoris. Officium custodum est non solum cavere damna, sed et periculum illorum alioquin frequenter futurorum, quod non cavetur nisi per mulctam, mulctandorumque denuntiationem. Ergo.

R. inde non probari custodes teneri ad solutionem mulctæ, sed ad aliqualem restitutionem, pro quanto scilicet ex suo silentio aut negligentia augebitur fraudatio vectigalium, aut damnificatio rerum sibi commissarum, secundum arbitrium viri prudentis. Et hoc non negamus.

Dices iterum cum eodem et cum Perfectore Tournely. Licet custodes primario constituantur ut damna caveant aut vectigalia exigant, tamen secundario etiam constituuntur ut per mulctas aut occupationem mercium reparetur quod aliorum vel eorumdem deprædantium seu fraudantium injuria ac

fraude perditum est : ergo hoc damnum resarcire tenentur custodes per solutionem mulctarum aut valorem mercium.

R. quod si constaret talem esse intentionem legis in impositione mulctæ, admittenda videretur hæc sententia. At id neque constat neque probatur, quin potius contrarium videtur verius, saltem regulariter loquendo : sicut enim, ut dixi, tale commodum non intenditur per legem in impositione mulctæ corporalis, ita nec in impositione mulctæ pecuniariæ, cum eadem ratione et eodem motivo imponantur mulctæ tam corporales quam pecuniariæ, nimirum, sicut dixi, ut leges exacte serventur et subditi contineantur in officio ; ita saltem per se et regulariter loquendo. Unde quod lucrum ex mulcta aut occupatione mercium obveniat reipublicæ aut domino, id videtur extraneum et accidentale intentioni legis, nisi aliud exprimatur aut aliunde constet. Hæc tamen dixerim inquirendo magis quam resolvendo.

Cæterum graviter peccant, qui data pecunia aut alia via corrumpunt custodes, ne contra juramenti sui religionem suis fungantur officiis ; iique ad damna inde sequentia tenentur, non restituentibus ipsis custodibus.

Petes 1° utrum custodes qui se abscondunt ne videantur a damnificantibus, ut sic eos in actuali damnificatione deprehendant, teneantur ad aliquam restitutionem ?

R. negative cum Navarro et Sylvio. Non tenentur domino, qui abunde compensatur per eos qui deprehenduntur ; non damnificantibus, quia nulla fit ipsis injuria. Imo et a peccato sunt immunes si id faciant ut damnificantes in facto semel deprehensi efficacius corrigantur.

Petes 2° utrum testis qui, a judice legitime interrogatus, tacet et recusat ferre testimonium, teneatur de damno quod ex ejus silentio sequitur ?

R. probabilius negative cum Banne, Sylvio, Lessio, etc. Quia mandatum judicis aut superioris non imponit obligationem justitiæ commutativæ, sed legalis tantum obedientiæ : unde testis tacendo non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem tantum seu obedientiam. Nec obstat quod judex seu superior tentet illi imponere officium testificandi, quia talis illud non aceptat : obligatio autem justitiæ commutativæ maxime in actibus nostris liberis magis oritur ex acceptatione obligati quam ex impositione superioris, quatenus acceptando promittit et se obligat, secus si non acceptet. Idem propter eamdem rationem videtur dicendum de illo qui, promulgato monitorio ad revelandum crimen, non revelat. Sed iterum de hoc infra dum de injustitia testis.

IV. Quæritur specialiter utrum confessarius qui ex ignorantia aut negligentia graviter culpabili non injungit pœnitenti restitutionem ad quam tenetur, fiat ipse obnoxius huic restitutioni ?

Ante responsionem, suppono 1° quod, si confessarius qui in hac parte deliquit, postea moneat pœnitentem suæ obligationis, sit ipse liber ab illa ; quia tunc non potest amplius censeri causa non restitutionis, sed ipsa pœnitentis malitia.

Suppono 2° quod, si pœnitenti interroganti an debeat restituere, nihil responderet confessarius, certo teneretur ipse restituere ; quia silens in his circumstantiis non se habet tantum negative ad non restitutionem, sed censetur ad illam concurrere positive ut suadens aut consentiens ; verificatur enim tunc commune effatum : *Qui tacet, consentire videtur*. Quæstio itaque est de confessario qui mere negative se habet tacendo.

Quidam, inter quos Lessius, distinguunt inter confessarios qui ex officio habent curam animarum, ut sunt episcopi et parochi et inter eos qui ex officio non habent, ut sunt regulares : primos censent teneri ad restitutionem, non secundos. Addit tamen Lessius etiam primos probabiliter non teneri.

R. Probabilius est confessarium qui talem, sive ex officio habeat curam animarum, sive non, non teneri in casu proposito ad restitutionem. Ita ex nostris Ledesma, Serra ; ex extraneis Valentia, Sa, Layman, Sporer, Daelman, etc. contra Navar. Sylvium, auctorem Suppl. Tournely, etc.

Prob. 1° Confessarius tenetur ex officio monere pœnitentem obligationis restituendi in ordine ad spiritualia tantum, non in ordine ad temporalia sive ipsius pœnitentis sive alterius tertii ; officium enim istud totum est spirituale : ergo dum omittit monere, non violat justitiam in ordine ad temporalia, sed in ordine ad spiritualia tantum : sola autem violatio justitiæ inducit obligationem restituendi, proindeque confessarius

tenetur reparare damna spiritualia si sequantur ex suo silentio, non temporalia.

Confirmatur. Custodes, ut modo dicebam, ex ipsis Navarro et Sylvio nobis hac in parte adversariis, qui non impediunt secantes ligna, aut dissimulant fraudantes vectigalia, non tenentur ad mulctas, sed solum ad damna aut vectigalia; quia non tenentur ex officio monere in ordine ad mulctas solvendas, sed tantum ad damna avertenda et solvenda vectigalia: ergo similiter in nostro casu.

Ex hac ratione sequitur nequidem confessarium teneri restituere ipsi pœnitenti, si ex ejus omissione sequatur illi damnum temporale, puta, si ob non injunctam restitutionem et inde neglectam, aliquas expensas ferre debuerit.

Prob. 2° *Dato* confessarium vi administrationis sacramenti pœnitentiæ obligari ex justitia in ordine ad bonum pœnitentis etiam temporale: hæc tamen obligatio non extenditur ad bonum temporale alterius tertii, quocum neque pactum neque conventionem ullam etiam tacitam inivit vi administrationis hujusmodi præcise: ergo omittendo peccabit quidem contra justitiam debitam suo pœnitenti, sed non isti tertio. *Subsumo.* At qui illi soli facienda est restitutio cui justitia est debita et respectu cujus violatur. Ergo.

Habet quidem jus ille tertius ut pœnitens ipsi restituat, sed non habet jus strictum ut confessarius qua talis hac de re pœnitentem moneat, cum vi officii sui ad id se non obligaverit: quasi vero confessarius ratione administrationis sacramenti pœnitentiæ foret ex officio procurator bonorum temporalium cujuscumque.

Dices cum Sylvio. Si princeps aut prætor videat suos subditos nocere aliis non sibi subditis, et non impediat cum potest, tenetur ad restitutionem, etsi non teneatur procurare bonum illorum non subditorum: ergo similiter.

R. 1° *hærendo primæ probationi*, disparitatem esse, quod obligatio principis aut prætoris sit in ordine ad temporalia, obligatio autem confessarii in ordine ad spiritualia tantum.

R. 2° *hærendo secundæ probationi*, disparitatem esse, quod inter principes et consequenter eorum prætores interveniat virtualis contractus seu tacita conventio pro bono et tranquillitate communi, ne sui subditi subditis alterius noceant: sicut communiter admittitur inter vicinas communitates conventio tacita quoad pastionem et lignationem reciprocam in territorio alterius. Unde principes ex justitia obligantur non solum erga suos subditos, sed etiam erga alienos ne a suis vexentur: talis autem contractus seu conventio non intercedit inter confessarium qua talem, et illum tertium cui pœnitens tenetur restituere.

§ VIII. — *Quo ordine cooperatores damni teneantur restituere?*

I. *Suppono* 1°, eum qui rem adhuc exstantem apud se habet, ante omnes teneri eam restituere; quia tenetur ratione rei acceptæ, et hæc obligatio est omnium maxima; quamdiu enim res exstat, clamat dominum, ut communiter dicitur, et ei debetur. Quod si bona fide eam absumpsit, tenetur in quantum factus est ditior, quia id succedit loco rei: si mala fide, tenetur ad totum æquivalens, alioquin commodum reportaret ex nova sua iniquitate: unde regula juris 36 in 6: *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* Insuper cum sciens et volens commodum ex ea re præ cæteris perceperit, æquum est etiam ut præ cæteris subeat onus restituendi. Eo itaque restituente, cæteri cooperatores non tenentur restituere: non domino, quia habet quod suum est; non illi qui restituit, quia non habet minus quam debet habere. Excipe tamen 1° si mandans concedat exsecutori rem ablatam aut ejus partem ut mercedem; 2° si herus rem furtivam, puta ovem, a suis famulis consumi jubeat. In his enim et similibus casibus mandans et herus videntur in se suscipere onus restituendi præ cæteris.

Suppono 2° quod, quando plures æqualiter concurrunt ad damnum, teneantur æqualiter ad restitutionem, unusquisque pro sua parte: ut si decem communi consilio incendant domum valentem mille aureis, unusquisque tenetur reddere centum; si duo consulant furtum centum aureorum, unusquisque tenetur refundere quinquaginta. Quia obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum: ergo ubi æqualis est influxus, æqualis est obligatio. Ex quo etiam sequitur quod si inter eodem modo concurrentes, v. g. inter plures consulentes, unus magis influat quam alter, teneatur etiam

plus restituere. Quod si aliqui deficiant, tenetur quisque in solidum; quia quisque influit in totum damnum, si non totalitate causæ, saltem totalitate effectus.

Q. 62. *a.* 6. ad 3. — Uno autem restituente, alii debent ipsi refundere quisque suam partem; quia dominus qui accepit ejus integram restitutionem, censetur ei transmisisse totum jus quod prius habebat : et alioquin ejus diligentia faceret eum pejoris conditionis, cum culpa et tarditas aliorum ipsi patrocinaretur. Adde quod non restituentes sint causa cur is debeat restituere totum, cum alioquin sufficeret restituere partem, adeoque sint illi causa damni.

II. Quæstio itaque restat de iis qui diverso modo concurrunt : v. g. concurrunt ad eamdem damnificationem mandans, exsequens et consulens; quæritur utrum inter eos sit aliquis ordo, ita ut quidam prius totum restituere teneantur, et iis deficientibus alii?

Contendit Petrus Navarra quod unusquisque immediate teneatur restituere suam partem, majorem vel minorem, secundum quod plus vel minus influxit : v. g. si damnum sit viginti aureorum, mandans teneatur ad decem, exsequens ad sex, consulens ad quatuor; quisque tamen ad totum aliis deficientibus. Hæc sententia non est improbabilis; aliter tamen resolvit S. Thomas, et cum eo omnes ferme theol. Unde

Ibid. a. 7. ad 2. — *Dico.* Primario et principaliter totum restituere tenetur mandans; secundario exsequens, et consequenter alii per ordinem : ita ut restituente mandante, cæteri sint liberi a restitutione; restituente vero exsequente, mandans teneatur illi restituere, cæteri autem subsequentes sint liberi.

De mandante patet; quia est principalis causa, cujus auctoritate, nomine et gratia fit, cuique propterea omnes subordinantur et serviunt ut instrumenta : unde communi omnium sensu in se suscipere primario totius restitutionis onus. Sane iniquum quin et ridiculum foret quod qui aliis jussit maleficium fieri suo nomine et in sui gratiam, exigeret ab aliis partem restitutionis.

Mandanti hic accensendus est qui vi, metu, minis alterum cogit ad maleficium; item qui sive fraude, sive solis precibus aut consiliis, induxit alium ut in sui gratiam damnum inferret : hi enim æquivalent mandanti, et sunt, sicut ipse, principales in facto, ita ut etiam censeantur in se suscipere onus restitutionis. Imo qui his modis mandantem induceret ad mandandum, prius ipso teneretur, qui foret ipso magis principalis in damno.

De exsecutore qui absque mandante agit, *etiam patet;* quia ipse est principalis in facto et proprio nomine damnificat. *De exsecutore* vero qui auctoritate et nomine mandantis agat, *quidam dubitant;* quia tunc est tantum agens secundarius sicut alii cooperatores, proindeque videtur tantum teneri pro sua parte sicut alii.

Nihilominus probabilius est etiam talem post mandantem teneri ad totum, et eo restituente, cæteros cooperatores ad nihil teneri; quia licet non pro se sed pro mandante agat, est tamen post mandantem principalis inter cæteros qui ipsi serviunt et sunt subordinati, sicut ipse est mandanti, ipsum scilicet instruendo, fovendo, animos addendo, armando, etc., idque in ejus gratiam. Ex quo sequitur ipsum præ cæteris in se suscipere onus restituendi.

Cæterum id intellige de exsequente qui suo vel mandantis nomine rem agit; si enim aliorum cooperatorum nomine ageret, non prius nec plusquam illi teneretur : ut si quinque commune consilium ineant incendendi domum, et unus pro omnibus et eorum nomine ignem injiciat, alii quatuor æque tenentur ac ille; quia non est magis causa principalis quam illi : unde, illo restituente, alii tenentur ipsi suam partem restituere.

Inter cæteros vero cooperantes positive videtur probabilius nullum esse ordinem, sed unumquemque teneri ad suam partem majorem vel minorem pro modo influxus, ita tamen ut aliis deficientibus quilibet teneatur ad totum, et restituenti totum cæteris suas partes restituere debeant. *Ratio est;* quia nullus alteri est causa principalis, nec ullus alteri subordinatur aut deservit tanquam ejus instrumentum, sed quisque per se in suo ordine agit : sic palpans non est instrumentum consulentis, nec consulens palpantis.

Attamen inter cooperantes positive ex una parte et cooperantes negative ex altera est ordo, ita ut prius restituere teneantur cooperantes positive, et illis restituentibus sint liberi cooperantes negative; non quia isti sunt illis subordinati, ut dixi de cooperan-

tibus positive respectu mandantis ex exsequentis, sed quia cooperantes positive proprie concurrunt ad damnum, cooperantes autem negative, improprie tantum, quatenus nempe non impediunt ut tenentur ex officio; sicque accipiendo officium, non censentur communi hominum æstimatione suscipere onus restitutionis nisi post alios : et sane ridiculus foret positive concurrens qui, cum totum restituisset, diceret concurrenti negative : Redde mihi partem restitutionis, quia me volentem aut consulentem furari non impedivisti.

Quidam inter concurrentes negative etiam constituunt hunc ordinem, quod mutus et non obstans teneantur ad totum ante non manifestantem; quia, inquiunt, mutus et non obstans debent per se immediate damna avertere, non manifestans vero non debet per se immediate avertere, sed aliis revelare ut avertant, et ideo priores magis principaliter obligantur. Eadem ratione videtur quod custodes et præfecti particulares prius teneantur quam generales, quia particularibus incumbit immediate impedire damna, generalibus autem invigilare tantum ut particulares debite officio suo fungantur. Id probabile est. Addunt insuper præfati theologi quod, cum non obstans debeat impedire facto, multus autem verbo, et factum sit verbo efficacius, non obstans prius et strictius obligetur quam mutus. Sed id non satis probatur; quia ex hoc quod unus efficacius influat in damnum, sequitur tantum quod ad plus teneatur, non autem quod prius ad totum : ut patet de concurrentibus eodem modo positive, quorum unus quandoque plus influit, alter minus.

III. Quæritur hic insuper utrum si damnum passus uni cooperantium remittat debitum, cæteri sint liberi ab onere restituendi.

R. sub distinctione. Si remittat ei qui principaliter debet, cæteri manent liberi, quia non tenentur nisi deficiente principali; ita ut si principali solvat, alii ad nihil teneantur, remisso autem habetur pro solutione : unde si remittat detentori rei, omnes alii manent liberi; si mandanti, non liberatur detentor, sed subsequentes, et sic de cæteris subordinate obligatis.

Si remittat uni illorum qui eodem ordine tenentur, puta, uni ex his quorum unus est consulens, alter consentiens, tertius palpans, vel uni ex tribus exsequentibus aut ex tribus mandantibus, quorum quisque debeat pro rata decem : per hanc remissionem qui prius ordine tenentur restituere in nullo sublevantur, quia tenentur independenter a posterioribus, et intentio remittentis censetur esse liberare eum cui remittit, casu quo, non restituente principali, ipse incumbat obligatio restituendi. Alii vero eodem ordine obligati non eximuntur restituere suas partes, quia cum singuli debeant seorsim, remissio facta uni non censetur facta alteri; sed eximuntur restituere id quod spectabat eum cui facta est remissio : ita ut in casu posito, duo alii debeant restituere quisque decem, et si unus non restituat, alter debet tantum restituere quindecim; quia alia quindecim censentur condonata a domino per remissionem, nisi forte insinuasset se tantum remississe ratam, sperans fore ut alii restituerent.

ARTICULUS XIV.

Cui sit facienda restitutio?

Distinguenda sunt hic bona duplicis generis. Alia sunt certa, alia incerta. Certa dicuntur, quorum dominus est certus et notus; incerta, quorum dominus est ignotus aut incertus.

§ I. — *Cui bona certa sint restituenda?*

Q. 62. a. 5. o. — *Dico.* Bona certa ordinarie sunt restituenda ei a quo fuerunt accepta, sive sit eorum dominus, sive tantum legitimus possessor.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Restitutio adhibetur ut fiat æqualitas quæ consistit in rerum adæquatione : atqui hæc haberi non potest nisi restituatur illi qui per ablationem habet minus quam debet habere. Ergo.

Prob. secunda pars. Quia dum quis legitimo titulo rem possidet, quamvis non sit verus illius dominus, ut est commodatarius, depositarius, etc. habet tamen jus vel illa utendi, vel illam custodiendi, servandi, etc. quod jus læditur per rei ablationem nec reparatur nisi per restitutionem ipsi factam et non immediate domino.

Hinc inferes, furantem commodatum, locatum, depositum, pignus, debere restituere commodatario, locatario, depositario, etc. pariter furantes res pupilli a curatore vel tutore, res communes ab adminis tratore, teneri illis restituere et non veri-

dominis, quia alioquin jus illorum violatur. Item surripiens pannum a sartore, linteamina a lotrice, illis et non dominis debet reddere, propter eamdem rationem; et insuper quia alias exponuntur periculo amittendi pretium sui laboris, aut inde veniunt in suspicionem negligentiæ in servandis rebus sibi creditis.

Ibid. ad 1. — Dixi 1° *ordinarie;* quia sunt plures exceptiones. *Prima.* Quando res restituenda apparet graviter nociva ei cui restitutio facienda est, non ei debet tunc restitui, sed vel reservari ut congruo tempore restituatur, vel alibi tradi tutius conservanda; quia restitutio ordinatur utilitatem illius cui restituitur. Idem dic si repetat in damnum alterius; tum quia non habet jus repetendi in hunc finem; tum quia ex lege charitatis, secundum quam Deus mandavit unicuique de proximo suo, tenemur impedire malum sive spirituale sive corporale proximi, quando commode possumus.

Hinc inferes, te nec teneri nec posse reddere gladium apud te depositum repetenti in cædem inimici, pecunias apud te depositas repetenti ad usuras, ad simoniam, ad meretricia, etc. Utrum vero possis si ex non redditione tibi immineat grave damnum, dicam modo. Interim

Dices. Parochus tenetur porrigere eucharistiam peccatori occulto petenti publice; uxor tenetur reddere debitum viro petenti, licet voto castitatis obstricto: quia uterque habet jus, ille ad eucharistiam, iste ad debitum: ergo similiter in nostro casu.

R. ad primum, disparitatem esse, quod sequeretur scandalum et infamia petentis si ipsi denegaretur communio: unde subest justa ratio dandi, quæ non supponitur in nostro casu. *Ad secundum, nego* uxorem posse reddere debitum tali marito nisi subsit gravis causa, puta, nisi timeat ex denegatione graves iras, rixas, odia, blasphemias, pollutiones, adulterinos amplexus, etc. sic etiam in nostro casu, ut dicam modo.

Secunda exceptio. Quando nihil interest illius a quo res accepta fuit, quòd reddatur immediate domino, potest uni vel alteri reddi. Imo si interesset domini ut sibi immediate reddatur, puta, quia possessor est suspectus aut dissipator, debet domino immediate reddi, nisi forte ex hoc gravius damnum immineret possessori a quo fuit accepta. Unde, secundum Cajetanum, bona Ecclesiæ sunt potius reddenda capitulo quam prælato dissipatori

Tertia exceptio. Quando is a quo res est accepta non est capax dominii vel administrationis, ut est pupillus, filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum, uxor respectu bonorum communium, religiosus, etc. res reddenda est tutori, patri, prælato, marito, etc. alioquin in foro externo juxta l. *Pupillus*, ff. De actionibus, teneberis iterato solvere, nisi probes rem redditam applicatam fuisse in utilitatem patris, pupilli, familiæ, monasterii, etc. Attamen in foro conscientiæ non videtur requiri probationem, sed videtur sufficere ut a secunda restitutione liberis, si prudenter credas eos quibus restituis satisfacturos esse officio. Ab hæc exceptione excipe res concessas religiosis ad usum; hæ enim ipsi et non prælatis possunt restitui.

Dixi 2° *legitimus possessor*, quia si sit possessor illegitimus sive bonæ sive malæ fidei, res immediate est restituenda domino, et non ipsi possessori; quia nullum jus habet in illam. Est tamen aliqua disparitas inter possessorem bonæ et malæ fidei, pro qua vide quæ fuse dixi supra art. 10.

Petes 1° utrum qui reddit rem domino repetenti in damnum alterius, v. g. gladium depositum volenti occidere inimicum, peccet non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, teneaturque ad restitutionem si sequatur damnum?

R. affirmative. Est communis cont. Mol. *Ratio est*, quia ille non solum non impedit damnum alterius, ad quod forte non tenetur ex justitia, sed etiam ad illud positive concurrit, præbendo instrumenta quæ nec potest nec debet præbere, et ideo est vere participans in crimine non minus quam si proprium gladium ministraret. Hinc l. *Si pignore*, ff. De furtis, dicitur: « Qui ferramenta sciens ad effringendum ostium » vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum » ejus consilium principaliter intervenerit » ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur. » Item c. *Si tua culpa*, De injuriis, jam sæpe cit.

Volunt tamen aliqui quod, si non tradere gladium, sed ipse dominus per se sumeret ex tua domo, te non impediente cum posses, peccares solum contra charitatem et

non contra justitiam ; quia tunc te haberes solum negative, non impediendo occisionem quam ex officio impedire non teneris, non autem positive cooperareris.

Si dicas ex hac resolutione nostra sequi quod non etiam liceat reddere pecuniam ei qui scitur ea empturus gladium ad occidendum inimicum : *R. concedo sequelam*, si non subsit justa causa reddendi, ut modo explicabo : est tamen disparitas, quod ad reddendum gladium major requiratur ratio, quia proximius influit in damnum ; minor pro reddenda pecunia, quia remotius influit : *patebit ex mox dicendis*. Unde

Petes 3° utrum si ex non rdditione depositi immineat depositario grave damnum, non liceat reddere repetenti in sui vel alterius perniciem ?

R. licere non solum absque læsione justitiæ, sed etiam charitatis. Quia in tali casu damnum sequens non est reddenti voluntarium, neque directe, quia, ut suppono, illud non intendit, quin potius ei displicet ; neque indirecte, quia non tenetur cum gravi suo damno omittere redditionem, quæ de se non est mala, ut consulat bono alterius : ad voluntarium autem indirectum requiritur quod possit et debeat non ponere actionem ex qua sequitur malum. V. art. præc.

Damnum autem quod imminet retinenti, ut ibidem notavi, debet esse proportionatum tum damno quod prævidetur secuturum ex redditione, cum influentiæ rei redditæ in istud damnum ; major enim requiritur causa ad ponendam actionem quæ proxime influit quam quæ remote, quæ influit in grave malum quam quæ in leve ; item major quando alter peccaturus est contra justitiam quam contra alias virtutes : quia major est obligatio jnstitiæ quam aliarum virtutum moralium, et peccando contra ipsam fit injuria alteri innocenti et invito ; peccando vero contra alias virtutes morales, solus peccans sciens et volens damnum incurrit. Hinc

Inferes 1° Si furens in hostem minetur tibi mortem nisi reddas suum aut alienum gladium apud te depositum, potes ei reddere si aliter non possis mortem evadere. Secus si ageretur de occisione principis reipublicæ valde utilis, quia istud malum prævalet morti unius particularis.

2° Si quis incusso metu incendii aut alterius gravis damni in bonis fortunæ repetat pecunias apud te depositas, eas daturus ad usuram, licite reddis ; *a fortiori* si sit eis abusurus ad ebrietates aut scortationes.

3° Si ex retentione libri perniciosi tibi a Titio commodati, timeas graves rixas, blasphemias, odia, etc., potes reddere ; secus, si timeas tantum ne contristetur aut ne desinat tibi esse amicus : hæ enim rationes non videntur sufficientes.

4° Si in his omnibus et aliis similibus casibus cogaris a judice reddere depositum aut commodatum, nec possis monendo judicem de damno, aut appellando ab ejus sententia illam irritare ; non peccas reddendo, cum non possis aliter facere.

Dices. Qui sine causa reddit depositum ex quo sequitur damnum, peccat ; quia influit in illud : atqui qui reddit cum causa, pariter influit in illud. Ergo.

R. N. min. In tantum enim primus influit in damnum, in quantum ponit actionem quam debebat omittere ; et ideo damnum sequens imputatur ei voluntarium indirecte seu in causa. At secundus non tenetur hanc actionem omittere, quia habet justam causam illam ponendi : unde nulla est ratio cur imputetur ei damnum sequens ut voluntarium in causa.

Petes 3° utrum restitutio seu solutio facta creditori mei creditoris sit licita et valida, ita ut sic restituens sim liber a secunda restitutione facienda meo creditori ?

R. Talis solutio seu restitutio, nulla subsistente causa, in foro conscientiæ est illicita, probabiliter tamen est valida ; sed in foro externo est etiam invalida nisi in certis casibus.

Prob. prima pars. Quia sic solvens lædo jus quod habet meus creditor ut ipsi solvam, et ut ipse per seipsum solvat modo sibi placito suo creditori. Insuper indebite usurpo officium judicis.

Subsistente tamen rationabili causa esset licita, puta, si creditor mei creditoris aliter non posset recuperare suum debitum ; quia tunc meus creditor non potest esse rationabiliter invitus, et aliunde facta est æqualitas, cum idem sit te liberare a debito centum aureorum ac tibi illos solvere. Insuper juxta probabilem sententiam, potest creditor creditoris uti compensatione, quando non potest aliter debitum recuperare : ergo licite possum ei cooperari.

Prob. secunda pars quæ est Sylvestri v.

Solutio, n. 4, et aliorum; quia solvendo tuo creditori centum, cui pariter debes centum, acquiro jus quod ille habebat exigendi a te centum : unde jus quod tunc habeo in te, æquivalet juri quod habes in me, et sic utor compensatione.

Si dicas me tibi in hoc facere injuriam atque tuum jus lædere, sicque te esse rationabiliter invitum : fateor quoad modum, sed non quoad substantiam restitutionis; et ideo dixi esse secundum se illicitam.

Advertendum tamen quod, si ex hoc modo restituendi seu solvendi sequatur damnum immediato creditori, tenearis illud resarcire. Unde si equum valentem viginti aureis quem tibi locavi, tradas Titio cui debeo viginti aureos, et inde patiar damnum aut lucrum cessans; non solum peccas, quia, ut dixi, illicita est talis restitutio; sed insuper, quamvis sis liber a solutione equi, teneris istud damnum aut lucrum inde cessans mihi restituere.

Prob. tertia pars. Quia sic jura statuunt ad evitandas lites. Erit autem valida si res debita sit obligata remoto creditori, seu, ut alii dicunt, si utrumque debitum proveniat ex eadem causa : ut si conduxerim a te domum quam a Titio conduxeras, possum Titio solvere. Similiter si gerens mea negotia, aut ut mihi mutuares, ipse mutuo accepisti centum a Caio; possum, te prætermisso, reddere centum Caio, sic etiam disponente jure civili; pro quo vide Sylvest. loco cit.

§ II. — *Cui bona incerta sint restituenda?*

Bona dicuntur incerta dupliciter : 1° simpliciter, quando eorum dominus est absolute incognitus; 2° secundum quid, quando dominus cognoscitur secundum quid et in communi, ignoratur autem quis sit in particulari : ut si scias te debere uni ex pluribus, nescias vero cui.

Omnes conveniunt bona simpliciter incerta, parta ex delicto, puta furtis, rapinis, usuris, iniquis contractibus, etc., esse omnino restituenda pauperibus, nomine pauperum intelligendo non solum ostiatim mendicantes, sed etiam monasteria, xenodochia, aut quemlibet usum pium.

Quidam vero ad negant de bonis incertis sine delicto comparatis aut inventis, voluntque possessorem, si post sufficientem inquisitionem non compareat dominus, ea posse sibi retinere; quia tunc, inquiunt, habentur pro derelictis. Ita Soto et post ipsum quidam alii. Sed contra cum S. Thoma et communi sententia.

Hic a. 5. ad 3. — *Dico* 1° Omnia bona simpliciter incerta, sive parta ex delicto sive non, sive inventa, sunt expendenda in usus pios, si facta diligenti inquisitione non compareat dominus : non enim, ut alii dicunt, dici possunt derelicta, cum certo exstet eorum dominus licet ignoretur, ideoque sunt expendenda secundum ejus præsumptam voluntatem; jure autem præsumitur hanc esse ejus voluntatem ut expendantur in suam vel suorum aut reipublicæ utilitatem, ut fusius probavimus dissert. 4 de dominio a. 2, § 6 : ubi etiam expendimus quæ diligentia requiratur, quid facto opus si, re distributa, dominus compareat, et plura alia huc pertinentia; require ibi.

Dico 2° Bona incerta secundum quid sunt restituenda domino meliori modo quo fieri potest. Hoc generale dictum patet ex se. Et hinc in particulari,

Si scias te debere aliquid uni ex duobus vel pluribus, nescias vero cui determinate, et facta diligenti inquisitione dubium perseveret; res est ipsis reddenda in communi, ut vel eam inter se dividant in re vel in pretio, vel sortiantur, vel aliter inter se conveniant : iis autem non convenientibus res judicis arbitrio committatur.

Si damnum sit illatum ipsi communitati vel civitati, restitutio facienda est non particularibus, sed ipsi civitati vel communitati; quia ipsa communitas in se fuit læsa, non particulares. Unde qui ex communibus alicujus civitatis reditibus summam distraxit, non satisfacit si pauperibus ejusdem civitatis restituat; quia pauperes in eam non habent magis jus quam divites, sed tota communitas, ideoque est ipsi reddenda et per superiores distribuenda.

Si vero damnum sit illatum immediate particularibus alicujus communitatis aut civitatis, ut fit in bello injusto aut deprædatione oppidorum, agrorum, in venditionibus, quando nempe mercatores, caupones, pistores et similes defraudant promiscue ementes mercibus adulteratis, mensuris vel ponderibus injustis, et tamen ignoratur in particulari quibus damnum sit illatum; restitutio fieri debet, non pauperibus, sed in quantum possibile est ipsis personis læsis.

Si ergo deprædatus fueris incolas alicujus pagi, restitue summam per parochum vel virum probum inter ipsos dividendam, secundum proportionem et probabilitatem læsionis cujusque. Si vendendo defraudaveris, attende quinam plus vel minus accedere solebant ad tuam officinam, eisque plus vel minus redde, scilicet vendendo vel meliores merces, vel viliori pretio, vel meliori pondere aut mensura, vel aliter.

Si tandem uni vel admodum paucis alicujus civitatis damnum intuleris, et absolute ignoretur cui aut quibus, scitur autem civitas, restitutio facienda est pauperibus hujus civitatis; quia sic præsumitur esse voluntatem domini : si tamen res sit alicujus momenti, quia si sit levis momenti potest restitui cuivis pauperi.

Petes 1° cui restituenda sint bona defuncti ?

Ibid. — *R.* restituenda esse ejus hæredibus sive necessariis sive legitimis, sive abinstestato, sive per testamentum institutis; quia hæredes computantur una persona cum defuncto, et omnibus ejus juribus succedunt.

Si vero non habeat hæredes, aut hi sint omnino ignoti etiam inquisitione facta, nec de bonis disposuerit : quidam dicunt esse eroganda in usus pios, quia sic præsumitur fuisse voluntatem defuncti. Alii dicunt id esse incertum, et defunctam forte aliud voluisse ante mortem, et hanc voluntatem incertam domini non amplius existentis non posse ligare viventes, proindeque hæc bona censeri derelicta seu vacantia et sic esse primo occupantis, seu remanere debitori. Utraque sententia est probabilis, casu quo non sint hæredes defuncti; sed si existant et sint ignoti, primæ sententiæ est standum, juxta dicta in prima conclusione.

At vero jure civili, lib. *Vacantia*, cap. De bonis vacantibus, lib. 10, tit. 10, bona quæ dicuntur vacantia, addicuntur fisco regio, exceptis mobilibus peregrinorum ab intestato descendentium sine hæredibus, quæ per episcopum debent in usus pios erogari, Authent. *Omnes peregrini*, cap. Communia, de Succes. In Gallia autem bona extraneorum non regnicolarum ibi morientium, jure albinatus pertinent ad regem.

Petes 2° utrum et cui accepta propter turpem causam sint restituenda ?

R. Aut lex prohibet ipsum lucrum, vel causam lucri tantum. Si ipsum lucrum prohibitum sit, impossibile est quod juste detineatur; ex hoc enim ipso efficitur aliquis injusti tituli et malæ fidei possessor, quia contra legem aliquid habet, ut accidit in simoniacis et usurariis. Si autem lex prohibet tantum actum ex quo lucratur, sed non lucrum : supposito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen retinendo non facit contra legem, sicut cum quis de lenocinio vel meretricio lucratur; et ideo hæc retineri possunt. Simoniace autem accepta non sunt restituenda danti, quia dedit contra legem et non meretur accipere, sed convertenda in usus pios. Hoc ultimum ex jure positivo. De hac difficultate fusius disseremus dum de contractibus sub conditione turpi.

ARTICULUS XV.

Quando sit facienda restitutio.

Q. 62. a. 8. o. — *Dico.* Quilibet tenetur statim restituere si potest. Addit S. Thomas, vel petere dilationem ab eo qui potest usum rei concedere, quod debet intelligi quando non potest satis commode statim restitui, aut quando impotentia saltem restituendi non est omnino evidens; si enim sit evidens, sufficienter excusat independenter a concessione creditoris.

Ibid. — *Prob.* 1° *conclusio.* Qui detinet alienum invito rationabiliter domino, peccat: atqui non licet nec per modicum tempus morari in peccato, continuando scilicet illud aut in eo complacendo : ergo. *Prob. maj.* 1° Quia qui detinet alienum invito domino, indebite privat eum usu rei suæ, et sic facit ei injuriam : ergo peccat. —**Infra q. 66. a. 3. ad 2.**—2° Quia detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta, unde sub acceptione injusta intelligitur etiam injusta detentio : atqui qui injuste accipit peccat: ergo et qui injuste detinet.

Hic a. 8. ad 1. — *Prob.* 2° Quamvis præceptum de restitutione facienda secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum tanquam rationem suæ obligationis, scilicet, non detinere alienum; ideo enim teneris restituere, quia non licet detinere alienum : atqui præcepta negativa obligant semper et pro semper : ergo. Confer quæ dixi art. 2 hujus dissert. petit. 2.

Dices. Ideo, secundum S. Thomam, quis tenetur statim restituere, quia tenetur statim exire a peccato : atqui falsum est istud fundamentum : ergo : *Prob. minor.* Peccator, juxta eumdem S. Thomam in Suppl. non tenetur statim conteri et pœnitere. Ergo.

R. D. maj. Ideo, etc., quia tenetur statim exire a peccato quoad actum et affectum, *C. maj.* quoad reatum, *N. maj. Et ad hunc sensum distincta minore, N. conseq.* Porro qui non restituit dum potest, manet in peccato quoad actum et affectum, sive, ut modo dicam, primum continuando, sive novum committendo, quatenus perseverat in voluntate detinendi injuste alienum, quod est prohibitum ; non licet autem nec per instans peccare seu in affectu peccati morari : conteri vero seu pœnitere non importat solum cessationem a peccato et affectu peccandi, sed vitæ præteritæ dolorem et novæ propositum, ad quod non tenetur statim peccator.

Inst. Peccator non tenetur statim Deo satisfacere per pœnitentiam pro injuria ipsi per peccatum illata : ergo nec fur homini pro damno ipsi illato.

R. N. conseq. Disparitas est 1°, quod præceptum pœnitentiæ sit simpliciter affirmativum, secus præceptum restituendi ; 2° quia restitutio facienda homini ordinatur ad ejus utilitatem, qua dum privatur, fit ipsi injuria ; satisfactio autem quæ fit Deo non ordinatur ad ejus utilitatem : *Quid enim prodest Deo si justus fueris?* Job. 22.

Petes 1° quomodo illud *statim* sit intelligendum ?

R. Si sermo sit de proposito restituendi, intelligitur *statim* mathematice ; hoc est, eo instanti quo reflectis te detinere injuste alienum, teneris nolle amplius detinere seu velle restituere, alioquin peccas contra præceptum negativum quo prohibetur detinere alienum : sicut qui concepit propositum furandi, tenetur statim mathematice illud deserere et nolle furari, alioquin peccat contra præceptum, *Non furaberis.*

Si vero sermo sit de restitutione exteriori, *statim* intelligitur moraliter, id est, prima opportunitate ; quia cum sit actus exterior, necessario requirit moram temporis ad sui exsecutionem, quæ variis obstaculis seu incommodis impediri potest, ita ut dominus non possit nec debeat esse rationabiliter invitus, si res sua detineatur quousque opportuno loco vel tempore restitui possit.

Unde si audienti sacrum, jacenti in lecto, assidenti mensæ, menti incidat se detinere alienum, non tenetur ipso instanti exire e templo, surgere media nocte, seu deserere mensam ut restituat : similiter si longius distet dominus et viæ sint difficiles aut periculosæ. Imo supposita etiam omnimoda opportunitate, differre ad aliquas horas, quibusdam non videtur peccatum ; ad unum vel alterum diem, nonnisi peccatum veniale : quia pro tam brevi tempore dominus aut non est invitus, aut saltem non graviter invitus, modo tamen in tali dilatione non patiatur grave damnum.

Si dicas inde sequi præceptum restituendi habere moram temporis non secus ac præcepta affirmativa, et ideo ad instar illorum obligare : *R. N. sequelam ;* quia in hoc præcepto mora temporis est determinata ad statim moraliter, seu ad primam opportunitatem : in præceptis autem affirmativis non est determinata ad statim moraliter, seu ad primam opportunitatem, sed determinanda relinquitur per regulas prudentiæ ; non enim filius statim data opportunitate debet honorare parentes, orare Deum, elicere actum charitatis, etc.

Petes 2° utrum qui alienum injuste detinet, continue et singulis momentis peccet ?

R. probabilius et D. Thomæ conformius *affirmative* cum Soto, Sylvio et aliis contra Cajet. Serram et alios, etiam probabiliter sustinentes oppositum.

Prob. 1° Juxta D. Thomam, ideo qui detinet alienum debet statim restituere, quia non licet etiam per modicum tempus morari in peccato : atqui hæc ratio nihil probaret in principiis D. Thomæ, si intelligeretur, ut vult Cajetanus, de peccato habituali et non actuali, quia ipse S. Doctor in Suppl. docet peccatorem non teneri statim exire a peccato habituali per pœnitentiam. Ergo.

Prob. 2° Quamdiu quis detinet injuste alienum, continuo transgreditur præceptum restituendi implicite negativum, continuo lædit proximum ipsum impediens a possessione et usu rei suæ vel sui debiti ; et hoc libere, quia ista transgressio seu læsio continuo pendet a libera non restituendi voluntate : ergo continuo peccat.

Si dicas cum Cajetano, non peccari contra præceptum negativum nisi peccato com

missionis quod requirit actum positivum, hic autem non reperiri actum, sed actus omissionem. *R.* detentionem liberam non secus ac possessionem se habere ad instar actus, et æque nocere proximo ac acceptionem, adeoque moraliter reputari actionem : unde dixi supra ex S. Thoma, sub injusta actione intelligi injustam detentionem.

Confirmatur. Qui conjicit aliquem in vinculis et ibi relinquit, non minus continuo peccat et continuo nocet quam si manibus constrictum teneret; perinde est enim si manibus aut vinculis noceas, modo utrumque a libera voluntate dependeat. Similiter princeps qui condit legem injustam, tamdiu peccat quamdiu lex nocens ab ejus libera voluntate prudens, permanet : ergo similiter.

Dices. Qui inflixit vulnus, non continuo peccat licet continuo noceat. Ergo.

R. Disparitas est, quod in hoc casu nocumentum sequens non amplius pendeat a præsenti voluntate illius qui vulneravit, sed naturaliter sequitur ex primo nocumento : unde ipsi imputatur non ratione præsentis voluntatis sed præteritæ, in qua censetur fuisse volitum, sicque libere nocuit, libere peccavit : at nunc non libere nocet, nec proinde peccat actu formaliter. Secus in nostro casu; restitutio enim pendet a præsenti et libera voluntate detinentis, et sic est instar continuæ actionis nocivæ. Qui enim causam noxiam posuit quam continuo auferre potest et non aufert, continuo nocet et continuo peccat : unde in exemplo instantiæ, si vulnerans posset aliqua arte auferre afflictionem et nocumenta vulnerati et non faceret, censeretur continuo nocere et peccare; sicut qui injectum a se ignem in messem non exstingueret cum posset, censeretur continuo nocere et peccare quamdiu serperet ignis.

Inferes. Ergo detinens injuste alienum, peccat dum dormit, dum orat, dum facit eleemosynam, etc., quod videtur absurdum.

R. juxta principia posita, talem peccare materialiter et exsecutive, non formaliter. In tantum enim secundum nos detinens peccat formaliter, in quantum detentio pendet a libera ejus voluntate; quando autem dormit aut sic distrahitur ut in ejus potestate non sit de illa detentione cogitare vel disponere, detentio pro tunc non est ipsi libera, proindeque nec peccatum formaliter, sed materialiter tantum et effectus prioris peccati, nempe prioris voluntatis detinendi in qua fuit prævisus et volitus : unde dicitur peccatum non formaliter sed materialiter et exsecutive, quia est exsecutio malæ voluntatis, aut continuatio exsecutionis prius per malam voluntatem inchoatæ. sicut qui ex intentione occidendi inimicum se itineri accingit, tamdiu peccat quamdiu pergit in via; si tamen in via dormiat, bibat, confabuletur aut sit alio distractus, pro tunc non peccat formaliter; quia, ut suppono, non est in ejus potestate de occisione proposita aut continuatione viæ cogitare; peccat tamen materialiter, quia continuatio viæ est effectus prioris voluntatis occidendi in qua fuit volitus et in qua tanquam in causa est voluntarius.

Petes 3° utrum sit unum tantum peccatum continuatum, an sint plura numero distincta?

R. esse unum tantum peccatum continuatum, nisi primum propositum fuerit moraliter interuptum; quia primum propositum in detentione voluntarie continuata virtualiter perseverat, ita ut dum iteratur, etsi centies, censeatur primum continuari et ideo unum moraliter peccatum : sicut cum quis vadit ad occidendum inimicum, quamvis in via iteret voluntatem occidendi, non est nisi unum peccatum continuatum, quia primum propositum perseverat in continuatione viæ vi illius assumptæ, et vi illius sequentia proposita concipiuntur, aut potius idem repetitis actibus continuatur, ita ut censeatur moraliter unum continuatum propositum.

Quandonam vero censeatur moraliter interruptum primum propositum, sic, ut quoties iteratur tot sint peccata numero distincta?

R. Videtur tantum tunc sic interrumpi dum revocatur vel formaliter per contrarium propositum, vel virtualiter quando quis cogitans de ulterius detinendo alienum, non assentitur, sed alio mentem distrahit quasi revocans prius propositum : si ergo alterutro modo revocatum propositum iteretur sive explicite sive etiam implicite, non restituendo, scilicet posita advertentia ad obligationem et data opportunitate restituendi, est novum peccatum numero distinctum, in confessione explicandum.

In priori autem casu, quamvis sit unum tantum numero peccatum continuatum,

advertendum tamen pro praxi, eo esse gravius quo diutius durat, et æquivalere multis, tum ratione diuturnioris liberæ durationis, tum ratione majoris damni et injuriæ; eo enim magis dominus damnificatur quo diutius usu rei suæ privatur. Unde sicut si quis furatus fuisset centum aureos, non satis diceret in confessione : Furatus sum summam sufficientem ad peccatum mortale, sed deberet explicare quantitatem furti : ita qui per annum rem alienam injuste detinuit, non sufficienter diceret : Furatus sum, nec statim restitui ; sed deberet explicare diuturnitatem detentionis, quippe quæ æquivalet in gravitate pluribus peccatis, et insuper omnia damna inde domino emergentia aut lucra cessantia.

Ex his inferes, 1° pœnitentem qui non habet firmam voluntatem restituendi dum potest, aut non restituendi nisi per partes, dum potest totum restituere, etiamsi sit morti proximus, esse incapacem absolutionis ; quia est in peccato actuali.

2° Et qui semel vel iterum fregit fidem confessario, esse regulariter denegandam absolutionem, donec de facto restituerit ; quia licet forte tunc habeat sincerum propositum restituendi, tamen detentio rei alienæ est ipsi occasio proxima peccandi, quam proinde debet restituendo deserere, priusquam absolvatur.

3° Similiter non sunt regulariter absolvandi qui sub mortis articulo nolunt restituere per seipsos, dum possunt, sed id suis hæredibus committunt. 1° Quia non habent absolutum propositum restituendi, sed conditionatum tantum, *si moriantur*, ita ut non restituerent si viverent, quod non sufficit. 2° Quia se exponunt manifesto periculo nunquam satisfaciendi, cum plerumque hæredes sint negligentes in faciendis restitutionibus sibi ab auctoribus suis demandatis. « Atque periculum istud, *inquit elegant Soto*, potissimum in magnatibus » imminet, quorum testamenta nunquam » aut fere nunquam hæredes complent, sed » satis se fecisse arbitrantur, ut quam restitutionem avus patri et pater sibi testamento præcepit, eamdem ipsi, aliis recentibus debitis onustam, filio jubeat, » quam ipse postea committit nepoti. » Caveant ergo confessarii ne talibus manus citius imponentes, se peccatis alienis implicent.

Notat tamen Sylvius, prudentiæ confessarii relinquendum esse ut, attentis rerum et personarum circumstantiis, judicet quando aliter sit agendum ; et ideo dixi *regulariter*. Potest enim contingere vel quod ex quibusdam indiciis appareat certo moraliter futura restitutio, vel quod res non ferat moram, vel quod non possit nunc fieri restitutio absque nota infamiæ aut graviori aliquo incommodo : quibus casibus debet moribundus dare, si possit, cautionem vel consignando summam pecuniæ inter manus confessarii aut melius alicujus alterius viri probi, vel declarando coram tabellione et testibus se velle ut ex suis bonis ante omnia detrahatur talis summa et consignetur confessario aut alteri viro probo designato, expendenda in usum ipsi declaratum ; quod si tempus nec id permittat et ægrotus appareat sincere velle restituere, poterit absolvi.

Petes 4° utrum sit eadem ratio de dilatione solutionis debitorum ex contractu ?

R. debita ex contractu debere solvi tempore per contractum determinato, etiam creditore non exigente, *Quia dies interpellat pro homine*, l. *Magna*, ff. De contrahenda stipulatione. Quod si nullum sit tempus determinatum, solvenda sunt quando creditor rationabiliter urget, quia nullum videtur assignari posse tempus convenientius. Excipe nisi forte creditor, aut oblivioſus, aut impotens, aut timidus illud non urgeret ; tunc enim solvendum erit tempore quod judicatur prudenter esse de rationabili intentione creditoris.

Cæterum advertunt auctores, non satim accusandos esse noxæ lethalis, neque a sacramenti absolutione repellendos, procrastinantes solutionem debiti ex contractu, etiamsi debitor quandoque urgeat, modo ex dilatione nullum aut leve damnum subeat, et aliunde nullum sit periculum debiti perdendi ; tum quia cum in tali hypothesi dilatio non sit, aut leviter tantum sit creditori injuriosa, non censetur graviter invitus, nisi certe contrarium exprimat ; tum etiam quia nullus contrahens censetur voluisse contrahendo se tam rigorose obligare.

Quantum ad damna emergentia aut lucra cessantia ex dilatione solutionis debiti ex contractu, certum est procrastinantes culpabiliter solutionem, ad ea teneri sub mortali vel veniali, prout mora fuerit mortalis

vel venialis. Et id non est infrequens inter nobiles et magnates, qui, cum facile possunt, non tamen solvunt vel merces emptas, vel operas factas : unde mercatoribus aut opificibus damnum emergit aut lucrum cessat.

Variis tamen de causis possunt sic procrastinantes excusari a solutione *interesse*. 1° Quia creditores illud non exigunt, nec de eo solvendo admonent. 2° Quia dilatio non fuit mortaliter culpabilis ; tunc enim est tantum obligatio restituendi sub veniali, ut supra dictum est. 3° Quia bona fide putavit creditorem non esse graviter invitum ad talem dilationem.

De causis excusantibus a restitutione sive simpliciter sive statim facienda, dicemus infra.

ARTICULUS XVI.

Quo loco et cujus expensis restitutio fieri debeat?

Quæ sunt restitutioni obnoxia, debentur vel ratione injustæ detentionis aut damnificationis, vel ratione rei acceptæ, vel tandem ex contractu. Hoc notato,

Dico 1° Debita ratione injustæ acceptionis, detentionis aut damnificationis, restituenda sunt expensis debitoris in loco in quo ea possedisset dominus, si ablata non fuissent. Est communis.

Prob. Quia dominus ex culpa debitoris non debet pati damnum ; atqui pateretur si propriis expensis rem suam recuperare deberet : ergo. *Confirmatur*. Qui tenetur ad finem, tenetur ad media fini consequendo necessaria : atqui debitor tenetur ad talem restitutionem qua dominus servitur indemnis, quod fieri non potest sine expensis : ergo ad eas tenetur.

Hoc porro verum est non solum quando injustus debitor ipse rem alio transfert, sed etiam quando ipse dominus alio migrat, et rem suam secum asportasset ; quia propter iniquitatem furis non debet dominus privari libertate quo voluerit commigrandi. In hoc tamen ultimo casu, deducendæ sunt expensæ quas ipse dominus debuisset facere in sua re asportanda, quia iis deductis adhuc servatur indemnis. Insuper non tenetur injustus debitor restituere ubicumque vellet dominus : v. g. furatus es Leodii, non teneris restituere Parisiis, si illuc rem suam non asportasset dominus ; quia sic non es causa cur rem suam non habeat Parisiis, unde id a te irrationabiliter exigeret.

Sed difficultas est utrum, si restitutio fieri non possit absque expensis longe superantibus valorem rei, eas teneatur facere injustus debitor. De expensis enim æqualibus valori rei aut paulo excedentibus, item si ex omissione restitutionis sequatur domino damnum aliud æquale expensis longe superexcedentibus : certum est quod in hoc utroque casu teneatur restituere injustus debitor, quia in pari causa melior est conditio innocentis quam nocentis. Hoc posito, ad quæstionem

R. 1° Si sit spes fore ut postea possit fieri restitutio cum minori detrimento, et ex dilatione non sequatur gravius damnum domino, æquitati naturali consentaneum est ut possit differri restitutio, neque debet censeri in hoc rationabiliter invitus dominus. Ita communiter theologi.

R. 2° Si non sit spes in futurum restituendi cum minori damno, et omissione restisitutionis non sequatur domino damnum emergens aut lucrum cessans æquale expensis superexcedentibus, cessat obligatio restituendi immediate domino. Ita S. Anton. apud Serram pag. 300, Soto, Lessius, Auctor Suppl. Tournely, et alii plures contra Cajet. Pontas et Henno ; videturque esse D. Thomæ dicentis: — Q. 62. a. 5. ad 3. — « Si » ille cui debet fieri restitutio sit multum » distans, debet sibi transmitti quod ei debetur, et præcipue si sit res magni momenti, et possit commode transmitti (*audio* commode) : alioquin debet in aliquo » loco tuto servari, ut pro eo conservetur, » et domino significari. » Dixerat — In 4. d. 15. q. 1. a. 5. quæstiunc. 4. ad 2. — quod « poterit dari consanguineis illius si habet, » vel alicui cœnobio, si non habet propinquos, cum protestatione tali quod ei reddere teneantur si requisiverit, vel unquam » comparuerit. » Et ideo dixi in responsione, *cessare obligationem restituendi immediate domino*. Debet enim fieri aliquo modo restitutio secundum voluntatem ejus, vel explicitam si possit cognosci, vel præsumptam, ut dictum est.

Prob. responsio a ratione. Charitas et recta ratio quibus non contrariatur justitia, dictant creditorem nec debere nec posse rationabiliter exigere ut sibi fiat restitutio in tanto rigore, per medium tam durum, tam

difficile et cum tanto detrimento debitoris, ita ut ad restituendum, puta centum aureos, debeat expendere ducentos, trecentos, quadringentos, imo mille et amplius. Insuper inter causas excusantes a restitutione, reponunt omnes theologi, etiam hi qui nobis hic adversantur, impotentiam moralem, quando nempe non potest quis nisi difficile admodum restituere et cum gravi suo detrimento : unde qui negant assertionem nostram, non videntur consequenter loqui.

Verum est equidem (et id opponunt), eum qui tenetur ad finem, teneri ad media ; sed id intelligitur de mediis congruentibus, et ut ita dicam proportionatis, non admodum difficilibus et improportionatis : unde tunc obligatio finis censetur suspendi donec medium minus difficile et magis proportionatum occurrat.

Opponunt insuper. Quotidie contingit quod quis in reparationem damni emergentis aut lucri cessantis, teneatur restituere triplum, quadruplum, etc. ultra valorem rei acceptæ : ergo mirum non est quod quis ad majores expensas obligetur, ubi agitur de re domino remittenda.

R. N. conseq. Disparitas est, quod damnum emergens aut lucrum cessans sit damnum ab injusto detentore causatum, non minus quam ablatio rei detentæ, adeoque ab ipso reparandum sicut res ipsa est restituenda ; secus vero purum medium ad reparationem, quales sunt expensæ faciendæ.

Aliud argumentum vide supra a. 13, § 6, concl. 1, obj. 2, vel infra art. ultimo *de impotentia restitutionis.*

Stat ergo restitutionem esse faciendam per expensas proportionatas. Quod quidam sic explicant, ut *proportionatas* (venia sit verbo) intelligant non absolute et arithmetice, quasi pro centum restituendo debeat expendi aliud centum ; sed respective ad damnum utrique secuturum, attentis circumstantiis personarum divitum vel pauperum ; quia jactura centum aureorum respectu pauperis est gravius damnum quam jactura 200, 300, 400, etc. respectu divitis : unde fieri potest quod pauper qui debet restituere centum, excusetur a restitutione si pro ea debeat expendere quinquaginta ; et e contra dives non excusabitur si pro centum restituendis debeat expendere 200, aut 300 et amplius. Hæc explicatio non videtur a ratione aliena.

Dico 2° Debita ratione rei acceptæ sunt restituenda in loco ubi habentur, et si ad dominum sint transferenda, id fieri debet ejus expensis ; quia nemo sine sua culpa debet pati damnum.

Quantum ad debita ex contractu, certum est esse standum conventioni expresse initæ per contractum quoad locum et expensas ; quod si nulla conventio sit expresse inita, colligenda est tacita ex natura contractus, consuetudine loci et aliis circumstantiis. Pro quo

Nota, rem reddendam ex contractu, esse vel eamdem, ut in commodato, locato, deposito ; vel aliam, ut in commutationibus, venditionibus, etc. item contractum esse vel in utilitatem unius contrahentis tantum, ut est donatio, commodatum, depositum ; vel in utilitatem utriusque, ut locatio, venditio, etc. *His notatis*,

Dico 3°Quando res eadem reddenda est ex contractu in quo nihil fuit stipulatum de loco et expensis, reddi debet in loco in quo fuit tradita ; quia æquitas et æqualitas postulant ut sicut idem est restituendum, ita et in eodem loco, nec potest convenientior assignari, et ita censentur tacite pacisci contrahentes nisi aliud exprimant ; idque expensis illius in cujus gratiam initur contractus, quia non est æquum ut alter patiatur damnum beneficium tibi præstando.

Unde inferes 1° equum commodatum remittendum esse illuc ubi fuit commodatus, expensis commodatarii : e contra depositum expensis deponentis, nisi forte depositarius illud absque causa alio transtulisset, aut ex gravi ejus culpa fuisset alio ablatum.

2° Promissa, donata, legata solvenda sunt in loco ubi erant quando fuerunt promissa aut donata ; et si alio transferri debeant, id donatarii aut promissarii expensis, quia promittens aut donans ad nihil aliud se obligasse censetur.

Quando vero contractus est in utilitatem utriusque, ut locatum vel depositum non gratuitum, et res alio sit transferenda : quidam censent dividendas esse expensas ; quia, inquiunt, æquum est ut qui partim sentit commodum, partim etiam sentiat incommodum, et alioquin alteruter sine sua culpa damnum pateretur. Hæc sententia est probabilis. Alii tamen volunt omnes expensas esse solvendas ab eo ad cujus gratiam et exigentiam initur contractus, nimirum

locatarii et deponentis; quia, inquiunt, non datur pretium locanti equum pro remissione equi locati, sed pro ejus usu: similiter non datur pretium depositario pro remissione depositi, sed pro labore et vigilantia in eo custodiendo. Hæc sententia eo mihi probabilior videtur, quod sic communi hominum sensu ac praxi videatur receptum.

Dico 4° Quando res alia est reddenda ex contractu, et nihil de loco et expensis constitutum est, restitui seu potius solvi debet, attenta natura contractus, in loco ubi res pro qua fit solutio, accepta fuit; quia non quovis loco debet fieri solutio, id enim magno damno foret alteri, ut si emas Parisiis et tenearis solvere Romæ: unde si quandoque ita stipuletur, debet minui pretium ut fiat compensatio. Certus ergo locus ex natura contractus assignari debet in quo fiat solutio; non potest autem assignari qui magis justitiæ congruat quam is in quo res fuit vendita, mutuata, aut permutata; quia in his contractibus reciprocis res una in locum alterius substituitur: id vero perfecte observatur si etiam idem locus acceptionis et restitutionis servetur.

Quod si sint faciendæ expensæ pro translatione rei ad eumdem locum, et nihil de illis fuerit conventum, recurrendum est ad consuetas in ea regione conventiones, et regulariter incumbunt debitori.

Quantum ad solutionem censuum, nisi aliter fuerit conventum, videntur solvendi ex natura contractus, non in loco censualistæ, sed in loco hypothecæ, quia census seu pensio annua, est quasi fructus hypothecæ, qui non alibi, ex natura contractus, quam ubi nascitur, est tradendus. Quod si census sit pure personalis, ob eamdem rationem solvendus est ubi debitor commoratur, nisi forte longius commigraret in grave detrimentum creditoris. Sed in constitutione censuum solet stipulari de loco solutionis.

ARTICULUS XVII.

Cujus periculo restitutio fieri debeat?

Quæstio procedit quando restitutio fieri potest immedia domino, vel quia est absens, vel quia debitor timet ne inde infametur aut obveniat aliud malum, cui res pereat, si in via pereat. Hic iterum distinguenda sunt debita ratione rei acceptæ, ratione injustæ acceptionis et ratione contractus; item utrum sit eadem res reddenda vel alia

Dico 1° Quando dominus ipse designavit nuntium per quem vellet rem suam sibi restitui, damnum incurrit si res casu vel culpa nuntii pereat, quovis titulo res ipsi debeatur, et sive sit eadem res reddenda, sive alia; quia in tali casu nuntius gerit personam domini, et quod ipsi traditur censetur domino tradi. Similiter si reliquerit debitori libertatem eligendi quem vellet nuntium, modo eligat qui fidelis habetur, quia tunc debitor præstitit omne quod exegit dominus, et consequenter omne quod ipse debitor debebat.

Dico 2° Res debita solo titulo rei acceptæ, si, adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, scilicet, si elegerit ununtium qui habetur fidelis, si remiserit per vias quæ non reputantur periculosæ, attamen pereat, sive casu, sive culpa nuntii, non perit debitori, sed domino, proindeque debitor ab ulteriori restitutione eximitur. Quia res hæc est domini, res autem domino suo perit, præsertim cum nulla culpa ex parte debitoris intercesserit. *Ex quo colliges* a contrario quod, si debitor sit in culpa, quia vel elegit nuntium qui non habebatur fidelis, vel per via periculosas remisit, ipsi pereat, et ad ulteriorem restitutionem teneatur.

Dico 3° Res debita ratione injustæ acceptionis, detentionis aut damnificationis, quocumque modo pereat extra casum primæ conclusionis, sive sit eadem reddenda sive non, ipsi debitori perit, qui proinde ad ulteriorem restitutionem adstringitur. Est communior et probabilior.

Prob. Qui tenetur ratione injustæ acceptionis, semper tenetur donec redintegrata sit æqualitas quam injuste violavit: atqui quicumque modo fiat, extra casum primæ conclusionis, quod res ablata aut ejus valor non perveniat ad dominum, non redintegratur æqualitas violata. Ergo.

Confirmatur. Si res illa inter manus debitoris casu periret, illi periret, ut diximus supra ex communi sententia, quia injustus detentor tenetur etiam de casu fortuito, cum in se susceperit omne rei periculum; unde non valet hic commune axioma *res perit domino*: ergo etiam ipsi debitori perit si pereat inter manus nuntii quem elegit.

Neque obstat quod fecerit quod in se est;

fecit equidem quod in se est ut eximatur a nova culpa, non autem ut absolvatur ab obligatione restituendi. *Ast*, inquies, dum assumo inter nuntios fidelissimum, puta confessarium, tacite consentit dominus. *R. D.* Consentit, id est, mavult ut res sua potius per fidelem nuntium quam infidelem sibi remittatur, *C.* consentit quod, si res sua forte pereat, sibi pereat, *N.*

Dico 4° Res debita ex contractu si sit eadem numero reddenda, ut in commodato, locato, deposito, adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, perit domino. Si sit alia numero reddenda, ut in mutuo, in pretio mercium, etc. perit debitori, etiamsi adhibuerit sufficientem diligentiam. Quia in primo casu res est domini et sub ejus dominio manet; in secundo autem casu est debitoris. Porro sicut res clamat dominum, ita et domino perit. Unde si remittas equum commodatum cum pecunia mutuata, et utrumque pereat in via, equus perit domino, et pecunia tibi.

ARTICULUS XVIII.

Cui ex pluribus creditoribus prius sit restituendum (1)?

Quæstio procedit quando debitor non potest omnibus suis creditoribus satisfacere; si enim posset omnibus satisfacere, nihil interesset utrum uni potius quam alteri restituat, modo omnibus restituat.

Dico. Primo loco res existens in sua specie cujus dominium non acquisivit debitor, quovis modo eam habeat, sive juste ut pignus, commodatum, locatum, depositum, inventum, bona fide emptum, sive injuste furto vel rapina, debet reddi domino posthabitis omnibus aliis creditoribus, ita ut etiamsi sit ignotus dominus, debeat expendi secundum præsumptam ejus voluntatem in usus pios; quia res clamat ad dominum, nec debitor potest restituere suis creditoribus de bonis alienis sed de propriis. Hinc

Inferes 1° rem emptam et traditam non solutio pretio neque assecurato per pignus, vel fidejussorem, vel saltem promissionem emptoris, esse venditori præ aliis creditoribus restituendam; quia tunc dominium rei non transfertur in emptorem, sed manet penes venditorem, ex dispositione juris civilis Instit. § *Venditæ*, De rerum divisione, ubi sic statuitur: *Venditæ vero res et traditæ, non aliter emptori acquiruntur quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissore aut pignore dato.* Quod si pretium non sit quidem solutum, sed tamen assecuratum per pignus aut fidejussorem, tunc non est reddenda venditori potius quam aliis creditoribus, quia cum pignus aut fidejussor teneat locum pretii, transiit absolute in dominium emptoris, *ut* etiam *patet ex lege cit.* Ita communiter theologi.

Sed difficultas est utrum hoc ultimum sit etiam verum quando pretium non est quidem assecuratum per pignus aut fidejussorem, sed tamen venditor emptoris fidem secutus, ut jura loquuntur, seu ejus nuda promissione contentus, pretium quasi solutum habuit.

Negant Cajet. Navarr. Sylvius et alii plures, quamdiu res exstat apud emptorem; quia licet tali venditione venditor transtulerit dominium in emptorem, non censetur tamen sic transtulisse, quin, si pretium habere nequeat, in eam habeat recursum et præferentiam quamdiu integra apud emptorem exstat, ita ut tacito contrahentium consensu venditori hypothecata maneat, sicque jus ad illam habeat ante alios creditores non hypothecatos; non tamen ante creditores jure civili hypothecatos, quia illa prior hypotheca est imperfecta, ista perfecta, nec enim ex contrahentium voluntate pendet unum creditorem præferre iis qui vi legum præferendi sunt.

Confirmatur hæc sententia ex eo quod communi hominum sensu, durum nimis et ab æquitate naturali alienam videatur, quod res mea apud debitorem adhuc integra exstans assignetur aliis. Dico apud debitorem exstans; quia concedunt laudati theologi quod, si emptor illam alteri vendiderit, donaverit, etc., desinat in venditore jus illam ante alios repetendi; quia, inquiunt, jus illud secundum apprehensionem hominum, tantum manet quamdiu res apud emptorem integra manet. Hæc sententia est probabilis.

Verum non minus probabiliter *affirmant* Covarruvias, Layman, Wiggers quibus adhærent Decocq. Eth. Am. auctor Suppl. Tournely, Henno et alii; quia dum venditor sequitur fidem emptoris, non minus transfert rei suæ dominium quam dum sequitur fidem fidejussoris; tunc enim emp-

(1) Vide Adnotationem decimam quintam.

tor gerit vices fidejussoris: unde venditor non habet magis jus ad illam rem quam ad alia bona emptoris, nec majus quam alii ejusdem ordinis creditores.

Hypotheca autem imperfecta quam alii adstruunt in illam rem, videtur fictitia, utpote in nullo jure fundata. 1° Non in jure naturali, quia jus naturæ non magis dictat hanc rem esse obligatam specialiter venditori quando est contentus promissione emptoris, quam quando est contentus promissione fidejussoris. 2° Non in voluntate contrahentium, siquidem emptor possit statim rem destruere, donare, vendere tanquam suam, neque id possit impedire venditor, qua tamen alienatione posita, juxta ipsos adversarios, nullum jus recursus vel præferentiæ habet ad illam rem, quod est signum se nihil in eam reservasse. 3° Non denique in jure positivo, nulla enim lex afferri potest quæ hanc imperfectam hypothecam statuat. Proferunt quidem legem *Julianus*, 15, ff. De act. empti et venditi, qua statuitur quod *Venditor quasi pignus retinere potest eam rem quam vendidit;* sed ista lex non dicit quod si res non retineatur, sit loco pignoris, quin potius videtur supponere contrarium.

Quod autem addit prima sententia, durum esse et ab æquitate alienum quod res mea quæ in specie exstat apud emptorem, tradatur aliis, dum ego re et pretio defraudor. *Respondetur* id non esse magis durum quam quod rem meam ab emptore alteri donatam aut venditam, non possim præ aliis repetere; quod tamen admittit prima sententia.

Excipiunt tamen patroni hujus secundæ sententiæ bona Ecclesiæ, fisci et minorum, quando venduntur credito a procuratore sequente fidem emptoris; tunc enim Ecclesia, fiscus, minor, ex privilegio juris positivi habent jus prælationis in hæc bona, pro quo vide Sylvestrum v. *Emptio*, n. 2, Layman hic. Quod etiam puto consonum æquitati naturali de omni procuratore qui accepit a domino facultatem vendendi, non tamen fidem emptoris sequendi.

Notat Auctor Supp. Tournely, in Gallia venditorem rei immobilis qui pretium non recepit, cæteris creditoribus, etiam regi præferri, juxta art. 3 edicti an. 1669; imo habere jus rem suam insequendi seu repetendi quocumque transierit; sed bona mobilia, ubi semel ab emptore sunt alienata, a venditore occupari non posse. Hoc est jus municipale cui standum est. Nos autem locuti sumus secundum jus naturale et commune.

Secundo loco debita privilegiata sunt solvenda ante omnia alia etiam hypothecata. Sunt autem debita privilegiata: 1° expensæ necessariæ et moderatæ funeris pro marito, uxore, libero, aut alio quem sepelire tenebatur debitor, leg. *Penult.* ff. de Relig. sumpti fun.; 2° expensæ pro conficiendo et aperiendo testamento, pro conficiendo inventario, pro medicis, chirurgis, pharmacopolis, l. *Ultima.* cap. de Jure deliberandi; 3° expensæ necessariæ in conservandis bonis debitoris seu domus mortuariæ. Horum ratio præter jura citata est, partim quia pleraque sunt in utilitatem creditorum, partim quia sunt necessaria nec omittenda ut satisfiat creditoribus: nullus autem reperiretur qui ea præstare vellet, nisi de solutione certus esset. Et propter hanc rationem, in certis provinciis privilegio prælationis gaudent debita facta ob victum necessarium, item salaria famulorum et ancillarum.

Tertio loco sequuntur debita hypothecata. Pro quo

Nota. Hypotheca est cum res datur aut assignatur in assecurationem debiti. Si sit res mobilis, dicitur pignus; si immobilis, dicitur hypotheca. Est duplex: generalis, cum assignantur seu obligantur omnia debitoris bona tam præsentia quam futura in assecurationem debiti; particularis, cum assignatur certa pars bonorum, hæc domus, v. g. hoc prædium. Item alia est expressa, cum de illa in contractu et coram magistratu fit expresse stipulatio; alia tacita, quæ vi legum inest quibusdam contractibus, etsi in contractu non exprimatur. Sic qui pecuniam mutuo dedit ad construendam, conservandam aut reparandam domum, navim, etc. domus, navis, etc. remanent obligata mutuanti ex dispositione juris, lib. 4, ff. *Qui potiores*; et lib. *Licet*, cap. eod. tit. Item qui domum elocavit, habet vi illius contractus omnia locatarii mobilia quæ sunt in domo obligata et impignorata pro pretio locationis et damni quod locatarius domui posset inferre. Et sic in pluribus aliis.

Igitur debita hypothecata sive expresse sive tacite, sive generaliter sive particulariter, præferenda sunt

chirographariis tantum, exceptis privilegiatis de quibus numero præcedenti : tum quia hypotheca seu impignoratio a jure est introducta ut creditor haberet prælationem seu securitatem sui debiti, cum quia creditor hypothecarius non solum personam debitoris habet obligatam, sed etiam ipsius ; creditores autem non hypothecarii solam personam debitoris habent obligatam.

Quando vero sunt plures creditores hypothecarii, attenta natura rei, talis est inter eos ordo : habentes hypothecam expressam præferuntur habentibus tacitam ; habentes generalem, habentibus particularem tantum. Inter plures habentes similem hypothecam, præfertur prior posteriori; in hoc enim casu maxime valet hæc regula juris 54 in 6 : *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et ratio est ; quia posterior hypotheca non potest tollere jus alteri prius acquisitum.

Dixi, *attenta natura rei*, quia ex dispositione juris positivi, plures casus excipiuntur in quibus hypotheca tacita præfertur expressæ, posterior priori.

1° Qui mutuo dedit pecuniam ad rem hypothecatam conservandam aut restaurandam ut supra, præfertur in ea re quibuscumque hypothecariis, l. *Interdum*, ff. Qui potior. Quia sine tali mutuo res periisset et sic nihil aut parum priori creditori profuisset.

2° Eadem ratione, qui mutuat pecuniam ad emptionem alicujus fundi cum pacto expresso ut sibi specialiter maneat hypothecatus, præfertur aliis hypothecariis generalibus etiam prioribus, l. *Licet* 7, c. Qui potiores in pignore.

3° Qui mutuat pecuniam pro vectura mercium aut conductionis in qua asservantur, habet in illas merces jus prælationis ante alios hypothecarios, l. 6 ibid.

4° Uxor et ejus descendentes vi hypothecæ tacitæ, habent jus in omnia mariti bona pro solutione dotis ante alios hypothecarios generales, I. *Assiduis*, c. Qui potiores in pig. et alibi ; non tamen ante hypothecarios expressos et particulares, neque ante jam dictas hypothecas n. 1, 2 et 3, si conventionem dotis præcesserint. Ita Less. Bonac. et Cabassut.

5° Omnia bona illius qui debet fisco, ut qui non solvit tributum aut receptor vectigalium, sunt tacite hypothecata fisco cum jure prælationis ante alios creditores hypothecarios, l. 2, c. *De privileg. fisci*. Hæc fusius discutere proprium est jurisconsultorum.

Quarto loco veniunt creditores simplices seu chirographarii, qui neque sunt privilegiati neque hypothecarii, inter quos non est ordo servandus ratione prioritatis debiti, sed omnibus indiscriminatim restituendum est pro rata secundum proportionem debitorum et facultatum debitoris ; quia sive primus, sive secundus, omnes habent æquale jus immediate in personam creditoris, non in ejus bona nisi mediante persona.

Nec obstat jam laud. regula juris 54 in 6: *Qui prior est tempore, potior est jure*, hæc enim regula habet tantum locum inter eos qui habent jus ad eamdem rem determinatam sibi obligatam: ut in venditione ejusdem mercis facta pluribus sine traditione, prior emptor præfertur ; similiter quando plures conducunt eamdem domum, plures desponsant eamdem puellam, prior conductor et prior sponsus præferuntur ; sed et maxime quando plures habent hypothecam in eamdem rem, prior hypothecarius secundum se præfertur posteriori. *Ratio est*, quia cum singuli habeant jus ad rem determinatam in specie sibi obligatam, posterior in æquali causa non potest exstinguere jus prioris jam antea acquisitum : at vero debitta mere personalia sen chirographaria solam personam debitoris immediate obligant, ita ut creditores nullum habeant jus ad debitoris bona determinate, sed solnm quilibet habet jus petendi debitum, quod jus in ultimo non potest impediri a primo : unde omnibus æque primo satisfaciendum est pro rata.

Sed utrum ex alio titulo non sit ordo servandus inter creditores chirographarios, discutiendum restat art. sequenti. Unde

ARTICULUS XIX.

Variæ difficultates resolvuntur circa præcedentem materiam.

Quæritur 1° utrum debita ex delicto et ex contractu oneroso, non sint prius restituenda quam debita ex contractu gratuito, v. g. promissione, donatione, etc.

R. affirmative. 1° Quia nemo rationabiliter intendit se obligare contractu gratuito in gravamen illorum quibus ex justitia astringitur. Unde omnia contractus gratuitus hanc tacitam conditionem includit, nisi aliquid obstet quominus res promissa tradi

possit. 2° Quia debitorum ex contractu oneroso aut delicto est strictior obligatio quam ex contractu gratuito. Creditores enim ex delicto vel contractu oneroso habent jus ad rem debitam tanquam aliunde suam, utpote vel quæ antea erat sua et ablata est non soluto pretio, vel pro qua jam pretium solverunt; unde dum debito privantur, patiuntur positive damnum : creditores vero ex contractu gratuito non habent jus ad rem gratuite promissam vel legatam tanquam aliunde suam vel sibi aliunde debitam, sed ex sola gratuita voluntate promittentis aut legantis : unde dum tali debito privantur, non patiuntur positive damnum. *Hinc colliges*, non esse licitum acceptare donata vel legata ab eo qui est impar solvendis debitis ex titulo oneroso, nisi tantum illi reddas quantum accipis, ita ut ex dono non fiat magis impotens solvendis debitis.

Quæritur 2° utrum sit aliquis ordo inter debita ex delicto ex una parte, et debita ex contractu oneroso ex altera?

R. circa hoc dubium triplicem esse sententiam. Prima tenet prius esse restituenda debita ex delicto quam ex contractu oneroso. Hæc sententia tribuitur S. Antonino, Medinæ, Toleto, Suares, etc., imo et S. Thomæ Opusc. 73 de Usuris. *Ratio est*, 1° quia qui patitur damnum ex delicto magis est invitus quam qui ex contractu : is enim voluntarie contrahendo exponit se periculo amittendi pretii, unde non est tam invitus circa hoc periculum quam qui patitur damnum ex furto vel rapina : magis autem invito potius est restituendum. 2° Quia dominus majorem injuriam patitur ex furto vel rapina quam ex contractu.

Addunt quidam ex laudatis auctoribus, hunc ordinem esse servandum ut, quo delictum est gravius, eo citius reparetur : unde juxta illos restitui debent, 1° debita ex rapina; 2° ex furto; 3° ex usuris; 4° ex contractu oneroso; 5° ex contractu gratuito : quia, inquiunt, cum ab omnibus culpis recedi non potest, ab iis primo recedendum est quæ sunt graviores.

Secunda sententia tenet, prius esse restituenda debita ex contractu oneroso quam ex delicto, quia illa debentur duplici titulo, nempe fidelitatis et justitiæ; hæc uno tantum justitiæ titulo. Quidam tamen hujus sententiæ patroni eam restringunt ad usuras, easque solas dicunt esse postponendas debitis ex contractu; quia cum solvens usuras aliquo modo consentiat, licet ægre, est minus invitus circa eas quam circa debita ex legitimo contractu. Ita Cajet. in Summ. v. *Restitutio* c. 8; Gaugericus in notis 16, quos sequitur Pontas v. *Restitution*, c. 108.

Tertia sententia nullum prælationis ordinem inter hæc debita agnoscit, censetque ea æque primo esse restituenda pro rata. Ita communius et probabilius cum Sylvestro, Banne, Sylvio, Lessio et aliis.

Prob. Jus positivum nullum ordinem ullibi statuit inter hæc debita, neque ulla ratio evincit jure naturæ esse statuendum; cum enim utrinque sit æqualis detentio injusta rei alienæ, æqualis est utrinque obligatio : obligatio enim oritur ex injusta detentione : *magis patebit ex solutione rationum quibus inniuntur priores sententiæ*.

Confirmatur. Forum exterius non distinguit inter hæc debita : ergo signum est quod neque jure positivo neque naturali sit distinguendum. Item legibus civilibus stare debemus quando nulla ratio nos cogit ab eis recedere. Igitur.

Ad primum pro prima sententia ex auctoritate D. Thomæ, *R.* laudatum Opusculum non esse S. Doctoris, 1° qua nullus veterum sub nomine S. Thomæ illius meminit; 2° quia *degenerat ab Aquinate, sive methodum, sive stylum et doctrinæ qualitatem respiciamus*, inquit Barbavarius apud Echard et ideo editores Romani minore charactere imprimi curaverunt.

Ad secundum, R. ly *esse invitum* posse intelligi dupliciter; 1° quod impatienti animo ferat rei suæ jacturam : hoc sensu magis invitus non infert majorem obligationem restituendi, alioquin sequeretur quod illi qui rem suam deperiret prius deberet restitui, quod est falsum. 2° Potest intelligi *esse invitum*, quod non cedat jure suo, indeque velit obligare ad restitutionem : hoc sensu qui patitur damnum sive ex delicto sive ex contractu, est æque invitus.

Ad tertium, *R.* obligationem restituendi non oriri ex injuria personali illata per furtum vel rapinam; pro hac enim debet aliunde fieri satisfactio, sed ex detentione injusta rei : æqualis autem est æque injusta est detentio in contractu termino solutionis elapso ac in furto vel rapina.

Ad quartum, quidam respondent esse primo recedendum a gravioribus culpis

quando sunt diversæ speciei, non tamen quando sunt ejusdem speciei; non enim si furatus fueris triginta a Petro et viginti a Paulo, ideo prius teneris restituere Petro quam Paulo. Furtum autem et rapina sunt ejusdem speciei quantum ad actum restituendi. Ita auctor Suppl. Tournely.

R. 2° *N. suppositum argumenti.* Non enim hic agitur de recessu a culpa, quæ jam forte per veram pœnitentiam deleta est, sed de obligatione reparandi damnum eo meliori modo quo fieri potest : eum autem dicimus meliorem modum si omnibus æque primo pro rata restituatur.

Ad primum pro secunda sententia, *R.* fidelitatem non exigere quod uni solvas cum dispendio alterius.

Ad secundum, solutum est superius. Non enim solvens usuras magis cedit jure suo, quam qui pecuniam dat latroni ut manus ejus effugiat. Insuper *inde patet infirmitas hujus argumenti*, quod ab utraque sententia inter se contraria usurpetur.

Quæritur 3° utrum debita certa non sint prius solvenda quam incerta?

Ante responsionem, nota. Duplici sensu dicuntur debita incerta : 1° quia dubium est an revera debeantur; 2° quia, licet certum sit quod debeantur, ignoratur tamen creditor.

R. Debita primo modo incerta posthabenda esse debitis certis, communis est sententia theologorum. Plures eam probant; quia cum quis dubitat an debeat, non tenetur restituere, ex eo quod sit melior conditio possidentis. Sed istud principium non esse universaliter verum, ostendimus supra art. 11, § 5 et 6, maxime ubi agitur de obligatione restituendi ex injusta damnificatione; idem est ex contractu : require ibi.

Quidam probant inde, quod restitutio primo et principaliter ordinetur ad reparandum damna certa. Alii recurrunt ad consensum unanimem theologorum qui in obscuris magni debet esse ponderis, et indicio est quod populi sic inter se quasi convenerint. Addi potest id videri conforme rectæ rationi, ut potius indemnem serves eum cui certo debes quam illum cui forte nihil debes. Cæterum non est improbabilis sententia, alioquin singularis, recentioris theologi Lovan, docentis esse restituenda debita incerta æque primo ac certa, sed proportionaliter ad dubium.

R. 2° Debita secundo modo incerta etiam postponenda esse debitis certis, tenet quoque communior sententia theologorum, Lessii, Sylvii, Layman, etc. Puto tamen oppositam sententiam esse probabiliorem quam tenent ex recentioribus Henno, Daelman, etc., quia creditor ignotus æquale jus habet ac creditores noti; non enim aliquid sui juris amittit ex hoc quod inveniri non possit : ergo æque primo restituendum est si non ipsi personaliter, quia ignotus est, saltem secundum præsumptam ejus voluntatem iis qui locum ejus tenent, nimirum pauperibus aut causis piis, ut dixi supra de dominio diss. 4, a. 2, § 6.

Confirmatur. Si dominus ignotus mitteret aliquem qui ejus nomine debitum exigeret, ipsi foret restituendum æque primo ac creditoribus certis : atqui suo loco substituit pauperes et causas pias. Ergo.

Dices 1° cum Lessio et aliis. Quod bona incerta, sicut et inventa quorum ignoratur dominus, debeant erogari pauperibus, hoc est tantum ex jure positivo aut ex pia consuetudine fidelium quæ vim legis obtinuit; quod autem debita certa notis creditoribus restituantur, est ex jure naturæ. Ergo.

R. N. ant. Ut enim probavimus loco citato de dominio, bona incerta sicut et inventa sunt jure naturæ restituenda secundum voluntatem præsumptam domini : hæc autem eorum voluntas præsumpta est ut restituantur pauperibus aut expendantur in causas pias. Vide loc. cit.

Dices 2° cum Perfectore Tournely post Delugo. Præsumi potest voluntatem domini ignoti esse ut prius solvatur creditoribus certis et notis. Ergo. *Prob. ant.* Hæc voluntas est pia et domino favet : ergo jure præsumi potest. *Prob. ant.* 1° Est pia; quia pium est opem ferre iis qui ære alieno gravati sunt et premuntur a creditoribus, idque quoddam genus est eleemosynæ Deo acceptissimæ. 2° Favet domino ignoto; quia sic integrum ejus debitum servatur, ita ut si debitor ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur domino, cum comparuerit, restituere totum; vel si non compareat, in usus pios expendere. Ergo, etc. Hæc ratio arridet nec probabilitate caret. Attamen.

R. N. ant. Ad probationem, N. ant. Ad probat. primam, N. iterum. Quia illa in-

dulgentia non est in favorem debitoris, qui hoc ipso quod habet restituit, excusatur ab ulteriori restitutione; sed est in favorem creditorum qui, ut suppono, non sunt pauperes. Magis autem pium est vere pauperibus quam creditoribus illis debitum ignoti erogari, ideoque potiori jure præsumitur hanc esse ejus voluntatem.

Ad secundam probationem, fateor quod si spes esset fore ut aliquando melior fortuna redeat debitori, et simul ut aliquando compareat dominus, tunc posset ejus debitum postponi et integrum illi servari; sicque ipsum velle jure præsumeretur, ut etiam dixi loco citato de dom. At nostra hypothesis est, quod non sit spes saltem fundata fore ut aliquando debitor ad meliorem fortunam redeat, et simul aliquando compareat dominus. Et in hac hypothesi negamus esse domino utile quod, ipso omisso, certis creditoribus restuatur; proinde præsumi non potest talem esse ejus voluntatem.

Inst. cum eodem. Debitor in casu posito ejusdem est conditionis ac inventor: atqui secundum nos et communem sententiam, qui rem alienam invenit et est pauper, eamdem sibi potest retinere: ergo debitor ære alieno gravatus, potest de debito alieno satisfacere certis creditoribus.

R. 1° ex hac instantia sequi quod debitor possit restituere certis creditoribus rem ignoti domini in specie exstantem, sicut eam potest sibi retinere inventor pauper; quod tamen communiter negatur etiam ab auctoribus sententiæ quam oppugnamus: cum ergo hæc instantia nimis probet, nihil probat.

R. 2° *N. conseq.* Ut enim esset legitima, deberet sic inferri: ergo talis debitor, si sit pauper, potest rem alienam sibi retinere: quod verum est, si ita sit pauper ut non habeat aliunde quod suis et suorum necessitatibus quoad victum et amictum subveniat; non vero si sit tantum pauper hoc sensu quod non possit suis creditoribus integre satisfacere et in hunc finem rem alienam sibi retineat; quia, ut dixi supra, præsumi non debet talem esse domini voluntatem.

Dices 3° cum Ethica Amoris. Pauperes non habent in hæc debita jus tam immediatum, tam certum, tam liquidum quam creditores certi Ergo.

R. quidquid sit de pauperibus, dominum ignotum habere in hæc debita jus tam immediatum, tam certum, tam liquidum quam creditores certi, et hæc ideo expendi debere secundum cjus voluntatem, ita ut ipsi fiat injuria si aliter expendantur: voluntas autem ejus, ut sæpe diximus, est ut expendantur in usus pios.

Quæritur 4° an creditor pauper sit præferendus diviti?

R. probabilius negative per se loquendo; quia pauper non habet pius juris quam dives. Ergo.

Dices. Patitur majus damnum quam dives: atqui restitutio fit ut reparetur damnum. Ergo.

R. D. maj. Patitur majus damnum subjective, quia est pauper, *C*. sed hoc est, per accidens ad restitutionem; sicut enim ideo non teneris ei plus restituere, ita nec prius quam aliis æquo jure gaudentibus: patitur majus damnum objective, hoc est, violationem majoris et potioris juris, *N*. Ordinatur autem restitutio ad reparandum jus violatum quod voco damnum objective. Opponitur insuper S. Thomas opusc. 73, sed jam probavi hoc opus non esse S. Doctoris.

Dixi, *per se loquendo;* quia si creditor pauper esset in extrema aut etiam forte in gravi necessitate, præferendus foret saltem ex lege charitatis; quia tunc ipsi creditores divites forent irrationabiliter inviti, cum et ipsi tenerentur huic pauperi in tali necessitate succurrere.

Quæritur 5° utrum qui inter creditores non privilegiatos nec hypothecarios primus petit, sit præferendus?

R. Si petat in judicio, constat inter theologos debitorem posse et teneri ei primo restituere integre, et si inde fiat impar aliis debitis non privilegiatis nec hypothecatis solvendis; quia secundum jura, lib. *Qui autem* et maxime l. *Pupillus*, ff. Quæ in fraudem creditorum, l. 42, tit. 8, *Diligentia meliorem ejus conditionem fecit*, et acquisivit illi jus prælationis; nam *Jus civile vigilantibus scriptum est.*

Id etiam verum esse si privatim petat, tenet communior et probabilior sententia Sylvest. Navar. Less. Sylvii, Pontas, etc. Quia jura laudata non distinguunt inter petentem in judicio et petentem extra, nec aliud requirunt quam ut creditor *juste exigat, et cæteri creditores neglexerint* actionem: quod totum verificatur in petente privatim.

Quæritur 6° utrum si creditori non prius petenti debitor totum salvat, et inde fiat impotens aliis æqualibus creditoribus satisfacere, peccet contra justitiam?

R. affirmative. Quia aliis creditoribus tenebatur ex justitia pro posse et rata satisfacere, eosque proinde damnificat alteri restituendo : unde tenetur de damno erga alios.

Hoc etiam videtur verum si non petentem moneat ut petat, et sic illi prius integre restituat; quia ista monitio est fraudulenta et injuriosa aliis creditoribus; nec talis petitio facit creditorem diligentiorem, nec consequenter, secundum jura, melioris conditionis.

Sed utrum talis creditor totum recipiens, peccet etiam contra justitiam, et teneatur aliis restituere id quod habet ultra suam ratam?

Negant Lessius, Ethica Amoris et alii : *affirmant* Sylvius, Perfector Tournely, Daelman et alii; eorumque sententia nobis videtur probabilior, supposito tamen quod creditor sciat debitorem inde fieri impotentem aliis satisfacere : quia licet recipiat id quod non est determinate obligatum aliis et cujus debitor habet adhuc dominium, tamen cooperatur injustæ debitoris actioni, recipiendo totum quod illi non poterat secundum justitiam solvere, sicque habetur particeps in crimine et obnoxius restitutioni.

Dixi, *supposito quod sciat debitorem inde fieri impotentem aliis satisfacere.* Si enim nesciat, non peccat nec ullo titulo tenetur restituere : non titulo rei acceptæ, quia quod accepit valide accepit, cum esset ipsi debitum et debitor haberet adhuc ejus dominium; nec ratione injustæ acceptionis, quia bona fide processit.

Dices contra resolutionem. Talis creditor non recepit nisi quod suum est. Ergo.

R. Dato ant. N. conseq. Quia non dicimus eum peccare et teneri ad restitutionem præcise quia alienum accepit, sed quia accipiendo suum cooperatus est injustæ actioni debitoris, in eo damnificantis alios creditores; unde tenetur tanquam particeps in crimine.

Opponit insuper Lessius lib. *Quod antea*, ff. Quæ in fraudem, etc. Verum illa lex loquitur de eo quem diligentia in petendo pœnorem jure effecit, *ut patet* ex verbis quæ subjungit : *Sibi enim*, inquit, *vigilavit.*

Hinc inferes, a fortiori peccare et restitutioni obnoxios esse qui sive munera sive lautitias accipiunt ab iis quos vident inde fieri impares creditoribus suis satisfacere; implent enim injustitiam talis debitoris.

Excipe tamen quæ debitor dat uxori et liberis necessaria ad victum et amictum, statumque decenter conservandum; hæc enim ipsis ex justitia debet, neque necesse est hæc omitti ut fiat restitutio, sicut dicam art. seq.

Excipe etiam si donatarius tantumque rependat donati, ita ut ex dono non minuatur facultas satisfaciendi creditoribus.

ARTICULUS XX.

De causis excusantibus a restitutione.

Regula generalis in qua fundantur omnes causæ excusantes a restitutione statim vel absolute facienda, hæc est : *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet quod restitutio differatur vel omittatur, potest differri vel omitti, licet de facto sit invitus;* quia detentio rei alienæ non est injusta, nisi sit rationabiliter invitus dominus.

Ex hoc generali principio lumine naturali noto, assignantur sequentes causæ excusantes a restitutione statim vel absolute facienda.

Prima causa excusans a restitutione.

Est impotentia debitoris sive physica, ut si nihil omnin habeat ad restituendum, ad impossibile enim nemo tenetur; sive moralis, hoc est, magna restituendi difficultas. In moralibus enim illud dicitur impossibile, quod est valde difficile, quodque decenter ac honeste fieri non potest; quia scilicet tunc creditor irrationabiliter vellet sibi fieri restitutionem.

Hæc autem causa tamdiu excusat a restitutione quamdiu durat, sic, ut quasi sopiatur durante impotentia, et ea cessante reviviscat.

Porro impotentia moralis seu magna difficultas restituendi admodum late extenditur : unde

1° Est impotentia moralis per se et regulariter loquendo, quando quis restituere non potest absque gravi detrimento bonorum superioris ordinis. Pro quo

Nota, posse distingui bona quadruplicis ordinis : 1° bona animæ non solum naturalia, ut intellectus et memoria; sed maxime quæ spectant salutem æternam, ut gra-

tia, fuga peccati, etc. 2° bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas, virginitas, libertas; 3° honor et fama; 4° bona fortunæ seu divitiæ.

Dicimus itaque bona inferioris ordinis, per se et regulariter loquendo, non esse necessario restituenda cum gravi detrimento bonorum superioris ordinis, v. g. bona fortunæ cum dispendio famæ, fama cum dispendio vitæ, etc. Est communis sententia.

Ratio est; quia id dominus irrationabiliter exigeret, cum sit contra ordinem charitatis, nec ita secum agi vellet. Insuper non servaretur æqualitas, cum debitor longe plus detrimenti pateretur quam sit creditoris detrimentum.

Dixi, *per se et regulariter loquendo;* quia potest contingere quod bonum superioris ordinis ita attenuetur, et bonum inferioris ordinis ita augeatur, ut, secundum prudentem hominum æstimationem, istud pluris valeat quam illud in ordine ad vitam civilem: sic plura millia aureorum pluris æstimantur hominum judicio quam levis infirmitas, aut fama vilissimæ personæ; et tunc restitutio boni inferioris ordinis facienda est cum dispendio boni superioris ordinis, alioquin foret rationabiliter invitus creditor.

Neque obstat, si dicas cum Henno, bonum superioris ordinis, quantumvis minuatur, semper manere superioris et prævalere bono inferioris ordinis quantumcumque aucto, sicut angelus infimus prævalet homini præstantissimo.

R. id verum esse physice et materialiter, non vero moraliter et in ordine ad vitam civilem, secundum prudentem hominum æstimationem: sicut, v. g. licet unum aureum physice et materialiter prævaleat centum argenteis, secus tamen moraliter et in ordine ad commutationes.

Ex dictis inferes, 1° patremfamilias a restitutione excusari si ex ea immineat periculum ne ex fragilitate filiæ prostituantur, filii fiant latrones, etc. Dico, *ex fragilitate;* quia si id minarentur ex malitia, non excusaretur, cum propter alterius malitiam creditor suo debito fraudari non debeat, et alioquin aperiretur via injustis hominibus aliena invadendi aut detinendi.

Inferes 2° te non teneri restituere gladium repetenti in internecionem inimici; neque pecunias abusuro ad usuras, ad simoniam, ad ebrietates, ad lupanaria, ut jam dixi a. 13: require ibi.

Adverte tamen, in his et similibus casibus debere adesse aliquam certitudinem peccati futuri, quod impediretur per dilationem restitutionis; si enim qualiscumque suspicio sufficeret, daretur ansa debitoribus curiosius inquirendi in actiones creditorum et facile fingendi prætextus non solvendi.

Inferes 3° mulierem adulteram ordinarie non teneri crimen suum revelare, ne damnificentur proles legitimæ ex prole adulterina, similiter nec notarium aut testem teneri falsum scriptum aut falsum testimonium fateri, ut damnum fortunæ reparetur, licet teneantur alia tutiore via si possint illud reparare.

Inferes 4° e contra, metu infamiæ non excusari a restitutione eum qui jam propter priora furta fuit diffamatus, neque eum qui, cum sit vilis et obscuræ famæ, ingentem summam furatus est.

2° Impotentia moralis restituendi est non solum extrema, sed etiam gravis necessitas debitoris vel suorum. Extrema necessitas est, cum vita periclitatur nisi subveniatur. Gravis est, cum vita ægre admodum duceretur, aut imminet pericutum gravis mali morte inferioris nisi succurratur. *Ratio semper eadem*, quia irrationabilis esset dominus qui vellet in tali casu sibi restitui. Ita communiter. Unde artifex, v. g. non tenetur, ut restituat, vendere instrumenta artis quibus sibi et familiæ victum et amictum comparat; neque plebeius pauca utensilia, vestes, lectum sibi et familiæ necessaria.

Sed difficultas est utrum si creditor sit in pari necessitate, debitor tunc teneatur restituere?

R. Si agatur de extrema necessitate, communior sententia contra Scotum et quosdam Scotistas tenet, debitorem etiam tunc non teneri restituere, nisi per ipsam rei alienæ ablationem creditorum in hanc extremam necessitatem conjecerit. Id extendit Sylvius, post Lessium, Soto, etc., ad parentes, uxorem et filios debitoris si sint etiam in extrema necessitate; imo Lessius contra Soto, ad ejus fratres.

Ratio est quia, cum jure naturæ omnia sint communia, et eodem jure unusquisque habeat jus conservandi vitam per res temporales quas Auctor naturæ in hunc finem

creavit, bonorum divisio quæ jure gentium introducta est, non potuit huic ordinationi naturali præjudicium ferre : quapropter in extrema necessitate omnia iterum fiunt communia, sicque in ea constitutus, quod possidet sibi necessarium, possidet ut suum et non ut alienum, et consequenter non tenetur abdicare.

Dixi, *nisi per ipsam rei alienæ ablationem creditorem in hanc extremam necessitatem conjecerit :* ut si, v. g. naufraganti tabulam, sine qua submergendus est, auferat; quia in pari causa melior est condtio possidentis : creditur autem est in possessione illius rei quam ipsi subtrahit debitor, et ex cujus subtractione conjicitur in extremam necessitatem.

Si vero agatur de gravi tantum necessitate, debitor tenetur restituere ; quia in sola extrema necessitate et non in gravi omnia sunt communia : unde tunc melior est conditio creditoris quam debitoris. Exigit etiam æquitas naturalis ut si ex rei absentia aliquis debeat pati damnum, illud potius subeat is ad quem res non pertinet, quam ille cujus est.

Dices cum Francisco Henno *contra primam partem.* Ex hac assertione sequitur quod crimen faveret reo, si sit debitor ex delicto. Ergo.

R. non delictum favere debitori, sed jus naturæ quo omnia constituuntur communia in extrema necessitate.

Inst. In pari causa melior est conditio innocentis quam nocentis. Ergo.

R. D. Si nocens non possideat, *C.* si possideat, *N.* Quia in extrema necessitate possidens, suum possidet et non alienum, ex quo fit quod melior sit conditio possidentis.

Dices 2° Secundum unanimem theologorum sensum, qui calumnia vel falso testimonio conjecit aliquem in periculum mortis, tenetur retractare calumniam vel falsum testimonium etiam cum periculo vitæ propriæ. Ergo similiter.

R. Etiam nos dicimus quod si ablatio rei conjiciat creditorem in extremam necessitatem, debitor teneatur restituere : hic autem contrarium supponimus, scilicet, quod extrema necessitas aliunde proveniat.

Repones. Si debitum solveretur aut res ablata redderetur, creditor non foret in extrema necessitate. ergo detentio debiti vel rei ablatæ est semper causa cur sit in extrema necessitate.

R. N. conseq. Non enim qui non impedit malum aliquod, est causa illius, nisi quando potest et tenetur impedire; in nostro autem casu debitor non tenetur impedire extremam necessitatem creditoris per restitutionem. Itaque dum a naufragante, v. g. eripis tabulam qua sola salvari potes, es vera causa illius mortis ; quia, inquit Soto, est actio qua alteri vitam directe adimis, ac si hominem strangulares. Quando vero ante naufragium tabulam surripuisti, et apud te habes, deinde superveniente tempestate creditor incurrit discrimen vitæ : non tu in illam extremitatem conjicis, sed suborta tempestas ; nihil enim agis, sed tantum cessas succurrere non reddendo tabulam : at vero non succurrere cum possis, non est directe occidere, neque etiam per accidens, nisi quando teneris, et in tali casu non teneris.

3° Est impotentia moralis restituendi quando restitutio fieri non potest absque eo quod debitor cadat a statu legitime acquisito, quia tunc est gravis necessitas ; et insuper fieri non potest talis mutatio absque gravi debitoris et familiæ dedecore.

Dixi, *a statu legitime acquisito ;* quia si furtis, rapinis, usuris, concussionibus statum sibi comparasset, teneretur cum jactura talis status restituere, cum hoc non sit a suo statu cadere, sed alienum demittere et ad suum redire. Imo si nihil haberet nisi injuste acquisitum, teneretur totum restituere quantum extra extremam necessitatem carere potest; nisi forte in utroque casu gravis infamia excusaret: porro non est infamia quod quis a statu publicis usuris aut exactionibus aucto descendat. Secus si passim habeatur vir probus, et ejus injustitiæ sint occultæ; tunc non tenetur subito statum mutare, sed potest paulatim restituere.

Hinc inferes, virum nobilem, ut quædam male parta restituat, non esse cogendum ut artem mechanicam exerceat, aliis inserviat, aut alia faciat quæ statum suum dedecent ; debet tamen statum suum minuere, superfluis et pompam spectantibus expensis parcere, famulorum, equorum, etc. numerum remittere, lautiorem mensæ apparatum rescindere, etc.

Similiter, filium adulterinum qui bona fide pervenit ad statum honorificum, ubi re-

privarit se esse spurium, et ea quæ possidet esse aliena, non teneri cum infamia et totali status jactura omnia simul et semel restituere, sed minuere statum duntaxat, ut possit paulatim restituere.

Excipiunt communiter casuistæ ab hoc beneficio illos qui ludis, comessationibus aliisve sumptibus superfluis et illicitis ad eas rediguntur angsutias ut restituere non valeant nisi a suo statu cadant; quia, inquiunt, hi non merentur dilationem a creditoribus, qui proinde respectu illorum sunt rationabiliter inviti. Ad id attendant qui sine fine debita contrahunt, ut supra status sui conditionem expendant et licentius vivant.

4° Est impotentia moralis restituendi, quando debitor restituendo pateretur damnum longe majus in suis bonis ejusdem ordinis quam creditor ex carentia rei suæ vel sui debiti: ut si ad restituendum debitum pecuniarium cogeretur vendere domum, prædium, longe minori pretio quam valeat; si ad rem remittendam expensas longe majores quam ipsa valeat debeat facere, ut jam dixi supra.

Dixi, *damnum in suis bonis;* quia si damnum quod restituens pateretur nihil aliud foret quam rei restituendæ, non sufficeret ad dilationem restitutionis; alioquin quo majus foret debitum, eo minor esset obligatio restituendi, quæ sane foret optima magnis furibus conditio. Neque etiam sufficeret si non pateretur aliud damnum quam lucri cessantis ex restitutione; non enim est æquum creditorem re sua aut suo debito privari, ut debitor ex ea lucretur: nisi forte spes fundata esset fore ut debitor, differendo restitutionem, ita posset lucrari ut omnibus creditoribus satisfaciat; tunc enim videtur quod creditor debeat pati aliquam dilationem.

Dices contra hanc et præcedentes assertiones. Præceptum restituendi reducitur ad præceptum *Non furaberis*, et in eo fundatur, ut dictum est alibi: atqui non licet furari neque in gravi necessitate, neque metu cadendi a statu, aut alterius damni temporalis: ergo nec detinere alienum, seu non restituere. *Confirmatur*. S. Thomas hic et alibi hæc duo æquiparat, rem alienam surriperc et detinere. Ergo.

R. 1° *hoc argumentum nimis probare*, adeoque nihil. Ex eo enim sequitur quod nec pro vitando peccato proximi, nec pro vitanda morte intentata ab aliquo, nec pro conservanda fama, liceat omittere aut differre restitutionem, quia non licet propter has causas furari; quam tamen sequelam nemo, ut sciam, admittit: et hoc evidens signum est quod furari plus dicat quam non restituere, et inter utrumque esse disparitatem. Unde

R. 2° *N. conseq*, Prima disparitas est, quod licet præceptum restituendi reducatur ad præceptum *Non furaberis*, differunt tamen, cum unum sit affirmativum, aliud negativum; istud prohibeat actum vitii qui nunquam est licitus, illud præcipiat actum virtutis: ut sit autem actus virtutis, debet vestiri suis circumstantiis loci, temporis, opportunitatis et aliis: unde non præcipit restitutionem nisi dum adest tempus, locus, opportunitas et commoditas restituendi; non est autem opportunum nec commodum restituere cum tanto dispendio.

Secunda disparitas est, quod furari pro gravi damno vitando, foret eversivum reipublicæ et bono communi penitus nocivum, utpote viam aperiens furtis impune multiplicandis, dum quisque judex in propria causa constitutus, et cupiditate incensus, fingeret facile damnum grave ubi non foret, sicque omnia furtis et furibus replerentur; id autem non sequitur ex dilatione restitutionis propter grave damnum: unde in primo casu est invitus rationabiliter dominus, non in secundo. Confer quæ dixi a. 13, § 6, concl. 1, obj. 2.

Ad D. Thomam, *R.* intelligendum esse, quando utrinque dominus est rationabiliter invitus, seu, ut dicit Sylvius, quando est opportunitas restituendi; evidens est enim ex dictis, non restituere et furari non esse omnino idem.

Petes 1° utrum si creditor ex dilatione restitutionis causata per impotentiam moralem patiatur damnum emergens aut lucrum cessans, illud teneatur restituere debitor si postea melior fortuna ipsi arrideat?

R. 1° Si sit debitor ex delicto, tenetur: item si sit debitor ex re accepta seu contractu, sed fuerit in mora graviter culpabili restituendi, tenetur; quia licet nunc non restituendo non peccet, peccavit tamen, et ex ejus culpa provenit istud damnum creditori. *Si autem tua culpa*, inquit Greg. IX jam sæpe cit. *datum est damnum...., jure super his te satisfacere oportet.*

Putem tamen excipiendum esse illum qui non solum non teneretur, sed nec licite posset restituere, ut qui differret restituere pecunias abusuro ad usuras, ad meretricia, etc. quia absolute per ipsum non stat quin fiat restitutio et damnum impediatur.

R. 2° Si sit debitor ex re accepta aut ex contractu, nec fuerit in mora culpabili restituendi, probabile reputat Lessius et post ipsum Perfector Tournely, non teneri de damno emergente aut lucro cessante, cum non sit causa injusta illius damni. Adstipulatur regula juris 41 in 6 : *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.* Quod tamen limitant si debitors it in gravi aut extrema necessitate, secus si ex restitutione solum patiatur aliquod damnum pecuniarium sicut creditor. Sylvius limitat ad solum casum extremæ necessitatis ; quia, inquit, non videtur æquum quod creditor proroget restitutionem suo damno : unde non videtur irrationabilis, si consentiat dilationi restitutionis, ut tamen velit damnum quod ex ea patitur sibi resarciri si debitor aliquando valeat ; idque mihi videtur probabilius, licet forte possit a restitutione talis damni excusari debitor, si eam non exigat creditor. *Ad legem autem citatam, potest responderi* quod per debitorem stet restituere, quia potest absolute ; quod si omittat, suo commodo consulit.

Petes 2° utrum qui urgente extrema necessitate restitutionem omisit, teneatur, ea transacta, restituere ?

Quæstio non est de re adhuc extante, quia certum est esse restituendam : ut si equo alieno usus fueris in extrema necessitate, ea cessante teneris restituere, quia extrema necessitas non facit omnia communia nisi in quantum est sibi necesse. Non est etiam quæstio de simplici debito, ut si, v. g. ratione contractus aut rei furtivæ consumptæ, debeas decem aureos quos propter extremam necessitatem præsentem non restituis sed consumis ; certum est enim te etiam debere illos, necessitate transacta, restituere si possis ; quia non consumpsisti tuum sed alienum. Sed est quæstio de re in specie ebita et in extrema necessitate consumpta ; ut si panes alienos antea furto sublatos, superveniente postea extrema necessitate consumas an, ea cessante, tenearis reddere.

Quidam affirmant, dicuntque obligationem restituendi in extrema necessitate sopiri tantum, non exstingui, et ea cessante reviviscere ; quia dominus non censetur concessisse usum rei suæ necessitatem extremam patienti, nisi ea lege ut hac transacta restitutio ipsi fieret, cum hoc sufficiat ad evadendum periculum. Ita Lessius citans Scotum, Sylvest. Palud. Item Sylvius, Perfector Tournely, etc.

Negant alii, quia in extrema necessitate independenter a voluntate domini omnia fiunt communia, quantum opus est ad vitandum periculum : unde qui rem alienam in ea consumit, non tenetur restituere ratione rei acceptæ, quia amplius non exstat ; neque ratione injustæ acceptionis, quia eam consumendo suam consumpsit et jure suo consumpsit ; non etiam ex contractu, quia nulla culpa in ejus interitu adfuit : proinde prior obligatio sive ex delicto sive ex contractu non conferente dominium, non manet amplius, sed exstinguitur ; eo modo quo si res furto ablata non remaneret amplius aliena, sed per donationem domini fieret furis, exstingueretur prior obligatio ex furto contracta.

Confirmatur. Qui in necessitate extrema accipit rem alienam apud dominum existentem et consumit, necessitate transacta, non tenetur restituere, secundum communiorum opinionem apud Sylvium q. 66, a. 7, concl. 2 ; præsertim si indigens sit absolute pauper, ita ut nihil habeat in re vel in potentia propinqua : ergo nec qui consumit prius apud se existentem. *Patet consequentia ;* quia extremam necessitatem patienti est communis res aliena, non solum apud dominum existens, sed etiam apud ipsummet patientem existens. Hæc sententia quæ est M. Serræ hic a. 8, dub. 2, mihi probatur, præsertim si intelligatur de eo qui nihil omnino habet nec in re nec in potentia propinqua ; si enim saltem in spe propinqua habeat aliquid, non censetur absolute pauper nec simpliciter in extrema necessitate, sed secundum quid tantum. Verum quia est rarissimæ praxis, non immoror.

Secunda causa excusans a restitutione.

Est remissio facta a creditore ; ea enim posita, non amplius detinetur alienum invito domino.

Ut autem valeat, tres communiter requiruntur conditiones. Prima est, ut remis-

tens possit remittere, proindeque habeat dominium simul et administrationem rei remissæ : unde non valet remissio facta a pupillo, religioso, filiofamilias, nec a procuratore rerum alienarum, exactore vectigalium seu mulctarum, nisi auctoritatem hanc specialiter a domino acceperint.

Secunda est, ut lex non obstet, seu ut is cui fit remissio non sit ad eam inhabilis per leges : sic sunt inhabiles visitantes ecclesias aut judices delegati quoad id quod recipiunt ultra sumptus necessarios, quod debent restituere non obstante quacumque remissione, c. *Exigit*, tit. de Censibus, in 6, et c. *Statutum*, de Rescriptis ibid. item canonici qui non intersunt divino officio quoad distributiones, quas restituere debent quantumvis eas illis remittant alii quibus accrescunt, Trid. sess. 24, cap. 12 de Reform.

Tertia est, ut remissio fiat spontanee et libere sine vi vel fraude; est enim species donationis quæ debet esse omnino liberalis et spontanea. Nulla est ergo remissio debiti minis aut quovis metu extorta; ut si dicat debitor : Non tibi solvam nisi dimittas dimidium vel partem, quod non raro contingit potentibus debitoribus. Item nulla est si debitor se fingat impotentem aut longe pauperiorem quam sit.

Id serio advertant qui prætextu indigentiæ componunt cum creditoribus, quorum singuli, ne totum amittant, partem remittunt, dum tamen debitor plus posset solvere quam revera solvat.

Tertia causa.

Est cessio bonorum, seu, ut alii dicunt, cessio fori, cum nempe debitor omnibus suis debitis solvendis impar, quæ ipsi supersunt bona creditoribus dimittit.

Hoc remedium miserabile et flebile, ut loquuntur jura, introductum est ut debitores qui olim in servitutem temporariam addicebantur, aut in carcerem detrudebantur donec debita solvissent, ab hoc utroque malo liberarentur. His solum conceditur qui non ex malitia, dolo, fraude, etc., sed ex adversa fortuna sunt facti impotentes.

Est ergo talis cessionis privilegium, ut debitor non possit amplius propter debita conveniri coram judice, nec carceri tradi, et si sit traditus, ab ea debeat liberari. Quod si post cessionem aliquid modicum ad decentiam status necessarium acquisiverit, non potest iterum a prioribus creditoribus conveniri ut hæc ejus pauca bona vendantur; secus si multa acquisiverit. Ita l. *Is qui*, l. *Qui bonis*, l. *Si debitoris*, ff. De cess. bon. tit. 3, lib. 42. Hæc pro foro externo quod solum spectat hæc bonorum cessio.

Quantum vero ad conscientiæ forum, non magis excusat a restitutione hujusmodi cessio quam excusaret necessitas sine cessione.

Hinc sequitur 1° quod, qui cedit bonis, possit retinere quæ sunt sibi et familiæ necessaria secundum decentiam status, si tamen hæc sint legitime acquisita, eo modo quo dixi supra de impotentia morali : unde non peccat ea occultando, neque qui ipsi ad hoc cooperantur. Res tamen periculo non vacat, cum sæpe plura abscondantur quam sint necessaria secundum decentiam status : sit ergo penes prudentem confessarium vel alium virum timoratum hæc determinare ex æquo et bono : caveantque cedentes, ne, si compareant coram judice, jurent se nihil accepisse; alioquin duplicata reciperent, cum vi legum ipsis necessaria sint assignanda si non retinuerint.

Sequitur 2° quod, si debitor cedens bonis postea ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur quod debitorum superest solvere; quia, ut dictum est, cessio non excusat a restitutione nisi ratione impotentiæ seu necessitatis : cessante causa, cessare debet effectus; idque leges passim clare statuunt : sic l. 1, c. *Qui bonis cedere possunt*, tit. 71, lib. 7, habetur : « Qui bonis cesserint, nisi » solidum creditor receperit, non sunt libe» rati; in eo enim tantummodo hoc benefi» cium eis prodest, ne judicati detrahantur » in carcerem. »

Sed quid si debitor cedens bonis componat cum creditoribus unicuique partem, v. g. viginti pro centum solvens; teneturne adhuc totum residuum solvere si ad pinguiorem fortunam redeat?

R. affirmative; quia creditores sic componunt inviti ex eo quod non possunt nunc plus habere, nec ideo censendi sunt cedere jure quod habent ad residuum si debitor possit aliquando solvere; nisi forte supponas creditores omnino sponte ac libere in gratiam miseri debitoris ipsi condonare reliquum, quod raro fit, et puto raro posse præsumi nisi exprimatur.

Neque dices ignominiosam cæremoniam quam obire debet debitor in cessione bono-

rum, esse ipsi loco integræ solutionis, ut qui non potest solvere in ære solvat in cute, ut dicitur proverbialiter. Quia hæc pœna non imponitur debitori ut liberetur a debito, sed ut sine necessitate non recurrat ad hoc beneficium et puniatur culpa quam præsumitur admisisse, contrahendo debita cum esset solutionis impotens. Pro quo

Nota, cessionem bonorum fieri olim absque ulla solemnitate; sed cum quidam fingerent paupertatem ut eo beneficio gauderent et dolose debita contraherent, ut his fraudibus aliquatenus obviaretur, inductæ sunt quædam solemnitates cedentibus ignominiosæ. In Gallia debent comparere personaliter in judicio distincti et nuda cervice, ac deinceps deferre pileum viridem; usu tamen nunc receptum est, inquit Perfector Tournely, ut eo non se cooperiant, sed eum apud se servent. Alibi sedere debent in loco publico cum corbe capiti imposito. In Belgio, edicto Caroli V statum est, litteras cessionis impetratas infra mensem in judicio deferant, jurentque se non habere plura bona quam quæ creditoribus dimittunt; et tunc commiserationis ergo conceditur ipsis parva supellex necessaria ad victum.

Nota insuper, clericos non indigere hoc beneficio, ne propter debita tradantur carceri; sed hoc ipsis a jure privilegium concedi, ut independenter a cessione bonorum, non aliter possint coram judice conveniri quam ut solvant quod possunt, et cautionem præstent solvendi cætera si ad pinguiorem fortunam devenerint, relictis ipsis necessariis secundum decentiam status. Ita communiter theologi et canonistæ in cap. *Odoardus* de Solutionibus.

Petes quid sit censendum de litteris moratoriis, vulgo *lettres de répit*, quæ a principe vel supremo senatu solent concedi ad quinquennium?

R. indubium esse quod, hoc elapso quinquennio, debitor teneatur ad solutionem secundum posse. Ut autem valeant hæc litteræ in foro conscientiæ, debet debitor bona fide procedere, nec se fingere impotentem solvere cum non sit, nec post obtentas litteras occultare seu amovere bona in præjudicium creditorum.

Quarta causa

Est ingressus religionis, circa quem est duplex difficultas: prima, an illi qui est ære alieno gravatus liceat religionem ingredi non persolutis debitis; secunda, an religiosus factus absolvatur ab obligatione restituendi.

Circa primam difficultatem *suppono* 1°, hujusmodi debitoris professionem religiosam esse validam; quia est de meliori bono: et licet Sixtus V, anno 1587, bulla *Cum de omnibus*, prohibuerit et irritaverit professionem illorum qui ingenti ære alieno aut reddendis ratiociniis erant obligati, declarans sic professantes inhabiles ad religionem et acceptantes ad quascumque dignitates; tamen Clemens VIII, anno 1602, temperavit priorem Sixti bullam, tollens irritationem professionis, manente prohibitione sub iisdem pœnis.

Sed quomodo valida si illicita? ut sit enim valida debet a Deo acceptari, Deus autem non acceptat actionem illicitam et malam.

R. Quamvis hæc professio sit illicita ex parte voventis, quatenus est obnoxius debitis, est tamen bona ex parte materiæ, quæ est observantia trium votorum: Deus itaque acceptat obligationem ad hanc observantiam, non autem actionem quæ mala est ex parte voventis. Secus esset si voveret profiteri religionem; quia cum professio sit ipsi illicita, ut dicam modo, tale votum foret de re mala, adeoque nullum.

Suppono 2° debitorem qui potest hic et nunc satisfacere suis creditoribus, graviter peccare si antequam satisfaciat profiteatur religionem in qua non poterit satisfacere; quia nulla est ratio, nulla necessitas non solvendi, sicque sunt rationabiliter inviti creditores.

Suppono 3° quod, si nulla aut vix ulla sit spes satisfaciendi creditoribus, quantumvis debitor maneret in sæculo, tunc posset, cessione facta creditoribus bonorum suorum, ex tunc ingredi religionem; quia in hoc nihil nocet creditoribus. Idem dicendum si ex diuturniori mora in sæculo grave et speciale ipsi immineret periculum salutis; quia bona fortunæ non sunt restituenda cum dispendio salutis animæ, ut dixi supra, nec quantum ad hoc forent rationabiliter inviti creditores. Similiter si non possit restituere nisi per media insolita et ipsum decentia, ut si nobilis deberet exercere artem mechanicam aut inservire ad restituendum; quia, ut dixi, tunc censetur impotentia moralis. Item etiam statim ingredi posset, si mo-

nasterium se debitis solvendis adstringat.

Tota ergo difficultas devolvitur ad casum quo debitor manens in sæculo possit, quamvis longi temporis spatio, debita solvere; an tunc ipsi liceat religionem ingredi, ubi erit solvendo impar.

Quidam tenent id ipsi licere, modo cedat bona sua creditoribus, quamvis intra breve tempus manens in sæculo possit satisfacere; et hanc sententiam tribuunt D. Thomæ, sed male.

Alii dicunt id ipsi licere si intra breve tempus, puta biennium, manens in sæculo, non possit satisfacere; teneri autem differre ad hoc breve tempus, si spes sit fore ut tunc possit satisfacere. Et hæc sententia est probabilis.

Alii tandem negant id ipsi licere, si possit etiam longi temporis spatio solvere. Et hæc sententia, extra casus tertiæ suppositionis, sicut est nunc communior, ita mihi videtur aliquo usque probabilior.

Ratio est; quia solvere debita est opus præceptum, ingredi religionem opus consilii : atqui ubi concurrunt præceptum et consilium, certo certius postponendum est consilium præcepto, et maxime si ex consilio contrahatur impotentia satisfaciendi præcepto : ergo.

Neque dicas eum qui non potest nisi longi temporis spatio satisfacere, censeri impotentem moraliter; quia si maneret in sæculo, non censeretur impotens et teneretur satisfacere : ergo ex assumpto consilio ingrediendi religionem non potest censeri impotens.

Confirmatur. Filius non potest ingredi religionem si parentes gravi necessitate pressi ejus ope indigeant, ut docet D. Th. de Pietate : ergo nec debitor si possit satisfacere. Neque refert jus parentum esse strictius jure creditorum; *dato* enim quod foret minus strictum, nihilominus magis obligaret quam consilium, hoc ipso quo est præceptum.

Non urgeo bullas pontificum, quia possunt intelligi de illo qui habet actu vel in potentia propinqua quo possit solvere, ad sensum secundæ vel tertiæ suppositionis.

Obj. 1° auctoritatem D. Thomæ qui, q. ultima hujus partis a. 6, ad 3, sic loquitur : « Si tamen debeat aliquam pecuniam, et » non habeat unde reddat, tenetur facere » quod potest, ut scilicet cedat bonis suis » creditori; propter pecuniam autem perso» na liberi hominis secundum jura civilia non » obligatur, sed solum res : quia persona » liberi hominis superat omnem æstimatio» nem pecuniæ. Unde licite potest exhibitis » rebus suis religionem intrare, nec tenetur » in sæculo remanere ut procuret unde de» bitum reddat. » Ergo.

R. Hæc verba, fateor, unde sumpta pariunt difficultatum, nec parum favent secundæ sententiæ quam dixi probabilem; quia tamen S. Doctor in eadem responsione dicit : « Ille qui est obligatus ad aliquid cer» tum, non potest illud prætermittere fa» cultate existente; et ideo si aliquis sit obli» gatus ut alicui rationem ponat, vel ut cer» tum debitum reddat, non potest hoc licite » prætermittere ut religionem ingrediatur, » evidens est ex his verbis, juxta eumdem S. Thomam, quod nullus possit licite omittere solutionem possibilem debitorum ut religionem ingrediatur; possibilis est autem in nostro casu : unde ut objecta verba cum præsentibus concilientur, videntur intelligenda in casibus tertiæ suppositionis, nimirum de eo qui etiamsi maneat in sæculo, vix ullam aut levem admodum spem habet satisfaciendi, aut qui non potest satisfacere nisi per opera ipsum dedecentia, aut cui tandem salutis periculum imminet si remaneat; is enim potest cedendo bonis suis intrare religionem, nec tenetur manere in sæculo ut procuret unde debitum reddat, cum non sit verisimile ipsum aliquando habiturum saltem congruentibus mediis.

Et cum dicit S. Doctor, *propter pecuniam personam liberi hominis secundum jura civilia non obligari, sed solum res;* verum est hoc sensu, quod propter debitum pecuniarium, non possit vendi aut in servitutem tradi; quia hoc jura vetant, et, ut recte dicit S. Doctor, persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ. Nemo tamen negabit hoc sensu obligari, quod debeat laborare et operari ut debitis satisfaciat, nec possit se illis satisfaciendis impotentem reddere; hoc enim juri naturali repugnat, quod tamen fieret si ingrederetur religionem. Ita S. Thomam interpretatur Sylvius cum aliis.

Obj. 2° Nemo tenetur solvere debitum cum detrimento majoris et altioris boni : atqui bonum religionis est majus et altioris ordinis quam bonum pecuniarum proximo debitarum. Ergo.

R. 1° *majorem esse veram* de bono majori jam acquisito, non autem acquirendo; non enim posset quis prætermittere restitutionem, ut majorem famam vel honorem consequatur. 2° Debitor omittens bonum religionis ut debitis satisfaciat, non patitur grave detrimentum salutis; licet enim religio sit securior, sunt tamen alii status in sæculo securi; nisi, ut dictum est, immineat in sæculo speciale periculum salutis, quod solo ingressu religionis non nisi difficile caveri possit.

Inst. Valde durum videtur quod quis per viginti, triginta, quadraginta annos, imo per totam et longissimam vitam zelo divinæ gloriæ et suæ salutis incensus, tanto bono, medio tam salubri privari debeat, ut debitum temporale solvat: id sane sapit impotentiam moralem, nec in hoc videntur rationabiliter inviti creditores, eo magis quod tribunalia sæcularia tantum rigorem non exerceant erga debitores; sed, ut constat ex praxi, sufficit ipsis si debitor bonis suis cedat, nec possit intra breve tempus quod restat comparare.

R. Iterum fateor me etiam propter hanc rationem in secundam sententiam non parum propendere: attamen ne omnino assentiar, obstant efficaciores rationes allatæ pro tertia sententia. Neque enim Deus requirit ut gloriam suam promoveamus, aut saluti consulamus cum damno et injuria proximi, quando non desunt alia media legitima et secura. Neque puto tribunalia sæcularia absolvere ab obligatione solvendi illum qui, licet non possit actu, potest tamen deinceps solvere; sed solum declarare non posse a creditore ulterius nunc urgeri et in judicio conveniri.

Obj. 3° Sponsus, aut etiam maritus, matrimonio non consummato, potest ad religionem confugere, non obstante obligatione orta ex sponsalibus aut ex matrimonio rato: ergo similiter.

R. N. conseq. Disparitas est, quod tam in sponsalibus quam in matrimonio rato tantum, ex juris dispositione et communi Ecclesiæ sensu, includatur hæc conditio, Nisi voluero religionem ingredi, et hoc tam pro sponsa quam pro sponso; unde neutri fit injuria: nec sic autem in contractibus onerosis, neque in debitis ex delicto.

Dico, *in contractibus onerosis;* quia conveniunt theologi, hanc conditionem etiam includi in contractibus gratuitis: unde debitum ex liberali promissione possum omittere, ut ingrediar religionem: satius tamen esset illi satisfacere, si fieri possit intra breve tempus.

Circa secundam difficultatem dicendum, debitorem, emissa professione religiosa, non absolvi ab obligatione restituendi in quantum ipsi possibilis est; creditores enim non censentur cedere jure suo nisi ratione impotentiæ moralis. Aliunde status religionis non magis secundum se absolvit ab onere restituendi quam status matrimonialis aut clericalis, ubi restitutio est possibilis.

Hinc inferes 1° quod, si debitor contulerit monasterio quædam bona, hæc subjaceant oneri restitutionis, quia successio transit cum onere.

Inferes 2° quod, si huic religioso debitori obveniat quoddam legatum, quoddam donum; item si concedatur ipsi peculium, quædam stipendia missarum et similia; similiter si aliqua arte statum suum et conditionem non dedecente possit aliqua lucrari, teneatur ex his satisfacere creditoribus, accedente tamen sui superioris licentia; quia cum sit dominii incapax, et quidquid acquirit non sibi sed suo monasterio acquirat, si sine præfata licentia restitueret, furti reus esset cum de alieno disponeret. Porro licentia quam habet quædam expendi ad deambulationes, ad honestas recreationes, videtur sufficere ut expendat in solutionem debitorum.

Petes 1° utrum si privatus religiosus non possit restituere, ad id teneatur monasterium loco ipsius?

R. Si sciens ipsum debitis gravatum acceptavit, exceptis casibus tertiæ suppositionis, tenetur; quia videtur ad id se obligasse, admittendo ad religionem eum qui tenebatur manere in sæculo ut restitueret. Si autem nesciens, non tenetur.

Petes 2° utrum in hoc secundo casu superior teneatur saltem permittere hujusmodi religioso ex peculio, ex donis, ex labore honesto restituere, et si non permittat, ipse loco ejus teneatur restituere?

R. Salvo jure regularis disciplinæ et boni communis, tenetur permittere ex quadam æquitate naturali et charitate tum erga suum religiosum, cum erga creditores: non videtur tamen ad id teneri ex justitia, nec consequenter restituere loco illius si

non permittat. Quia superior nihil debet ex justitia creditoribus, et potest vi professionis de omnibus hunc religiosum spectantibus et de ipso tanquam de suo disponere totaliter, abstrahendo ab hoc, an opera quibus eum addicit impediant restitutionem necne. Qua etiam ratione non tenetur ex justitia permittere ut iste religiosus egrediatur religione, ut ex beneficio vel alia via in sæculo possit debita solvere. Intellige semper de religioso quem monasterium nesciens debitis gravatum acceptavit; secus enim dicendum est de illo quem sciens debitis gravatum accepit, ut in superiori responsione; si enim, ut ibi dictum est, teneatur pro illo restituere, *a fortiori* tenetur ex justitia permittere ut acquirat pro restitutione.

Quinta causa.

Est compensatio. Duplex distinguitur: una improprie dicta, quæ est recuperatio rei vel debiti quam facit qui nihil debebat suo debitori: v. g. debes mihi viginti aureos, totidem a te surripio; furatus es meum equum, tuum occupo. Talis compensatio excusat a restitutione non solum debitorem, sed etiam creditorem qui rem suam aut debitum recuperavit, si tamen debitor rem detinebat injusto titulo, aut erat in mora restituendi; quia utrinque servatur æqualitas. Utrum vero sit licita dum fit occulte, dicemus alibi.

Altera compensatio proprie dicta, est, quando ex utraque parte est debitum: v. g. debeo tibi centum pro panno, et tu mihi debes centum pro vino: vocatur in jure, *debiti et crediti inter se contributio.* Est licita, est excusat a restitutione, quando debitum et creditum sunt æqualia quoad certitudinem et quantitatem, et insuper sunt ejusdem rationis, l. *Ideo* 3, ff. de Compensationibus: *Interest nostra potius non solvere quam solutum repetere;* et l. *Si debitor*, ff. Qui potiores in pignore: *Non interest solverit aut pensaverit.* Patet etiam, quia utrinque servatur æqualitas. Excipe tamen, nisi fiat in deposito, quia ut jura vetant propter fidem inter homines servandam, c. *Bona fides*, Extra. de Deposito.

Dixi, *quando debitum et creditum sunt æqualia quantum ad quantitatem et certitudinem, et sunt ejusdem rationis:* ita scilicet, quod alter nullum patiatur damnum, nec sit rationabiliter invitus. Si enim deberes viginti aureos et haberem equum tuum valentem viginti aureis, non possem tuum equum retinere in compensationem viginti aureorum quos mihi debes; quia sunt diversæ rationis, et forte pluris tua interest habere equum quam viginti aureos.

Petes utrum debitor per aliquid æquivalens gratuito collatum, possit compensare seu extinguere suum debitum?

R. negative per se loquendo; quia donum gratuitum et debitum ex justitia, inter se pugnant. *Si enim ex debito*, inquit Apostolus, *jam non est gratia;* et aliunde creditor incurrit sine causa onus gratitudinis unde gravatur.

Sed quid si tamen debitor per hoc interius intendat satisfacere suo debito?

R. neque sic satisfacere per se loquendo: tum quia, ut dixi, inde gravatur creditor onere gratitudinis; tum quia ipse ex sua parte acceptando donum gratuitum, non censetur remittere jus suum ad strictum debitum.

Dixi utrobique, *per se loquendo;* quia per accidens concurrente aliqua rationabili causa, posset sic fieri restitutio: unde qui metu diffamationis non potest aliter restituere, satisfacit; quia si ex tali causa potest omittere aut differre restitutionem, *a fortiori* potest illam facere modo dicto, cum id magis faveat creditori, qui ideo præsumitur tacite consentire. Quod admitti potest toties quoties rationabiliter præsumitur quod creditor tacite consentiat, aut quod si rem haberet perspectam consentiret, et debitum ulterius non exigeret.

Sexta causa.

Est auctoritas superioris: quod fit dupliciter, 1° per præscriptionem, de qua satis diximus dum de jure.

2° Per justam judicis sententiam, quando nempe judex secundum juris ordinem procedens, nec nitens falsa præsumptione aut probatione, vi et auctoritate legum adjudicat aliquid alicui quod alias ipsi secundum rigorem justitiæ non est debitum: ut si alicui adjudicat mulctam pecuniariam in compensationem injuriæ seu damni ex levi vel levissima culpa juridica causati, aut damnificantem privet jure petendi debitum: is, inquam, in cujus favorem profertur sententia, non tenetur restituere quod vi illius obtinet; quia quod alias non erat

suum, per legem sententia judicis declaratam fit suum.

Dixi 1°, *quando judex adjudicat;* quia si toleraret tantum, esset obligatio restituendi: ut si venditor defraudaverit emptorem infra dimidium justi pretii, quamvis id jure toleretur nec concedatur actio emptori in venditorem, ne litibus omnia impleantur: tenetur tamen hujusmodi venditor restituere quidquid accepit ultra justum pretium.

Dixi 2°, *judex non nitens falsa præsumptione seu probatione;* quia si is qui pro se obtinuit sententiam, sciat eam esse injustam, nimirum per favorem aut errorem latam, non potest tuta conscientia retinere quod sibi fuit adjudicatum; quia judex per sententiam non confert jus aut rei dominium, sed tantum declarat cui secundum leges competat: quod si fallatur, nullum jus acquirit qui vincit in causa, et ubi injustitiam sententiæ noverit, tenetur condemnato restituere.

Excipit Lessius eum qui per sententiam secundum juris ordinem latam, obtinuit aliquod officium aut beneficium contra possessorem, censetque eum non teneri illud restituere possessori injuste condemnato, quamvis sciat privatim hanc sententiam esse injustam, modo illius causa non fuerit; quia, inquit, hæc officia vel beneficia sunt bona publica de quibus Ecclesia vel respublica potest liberius disponere quam de bonis privatorum, ubi justa causa subest; subest autem hic, ne scilicet dominia et jurisdictiones sint incertæ, quæ res sæpe perturbat hominum cœtus. Ita laud. auctor lib. 2, cap. 29, dub. 10, n. 84. Alii tamen negant, et ut puto probabilius; contenduntque judicem in quavis causa non conferre jus, sed declarare duntaxat cui secundum leges competat: leges autem non intendunt immeritum et innocentem jure suo spoliare; nec ideo jurisdictio manet incerta, eam enim habet qui cum titulo colorato et errore communi possidet.

Septima causa.

Est solutio facta creditori creditoris, de qua dixi art. 14. pet. 3; require ibi.

Octava causa.

Est interitus rei, de qua etiam satis dixi dum de possessore bonæ et malæ fidei.

Nona causa.

Est compositio cum summo pontifice quoad bona incerta, quatenus summus pontifex, ex summa potestate quam habet in bona piis causis destinata, quædam ad hunc usum applicat, reliqua debitori remittit.

Non constat inter theologos hanc causam excusare. *Quidam negant,* excepto casu quo debitor ipse esset pauper, attenta conditione sui status; quia non videtur inesse S. pontifici auctoritatem disponendi de bonis privatorum absque eorum culpa; quamvis autem horum bonorum dominus sit ignotus, constat tamen existere, neque supponitur in culpa. *Alii* tamen simpliciter *affirmant;* quia, inquiunt, cum ea quæ fiunt intuitu boni publici justa censeantur, dominus ignotus præsumitur huic dispositioni consentire. Addunt S. pontificem supplere ex thesauro Ecclesiæ quod domino per eleemosynas obvenire potuisset. Cæterum quia hæc causa apud nos non est in usu, diutius non immoror.

Petes utrum excommunicatio creditoris eximat debitorem a restitutione illi facienda?

R. Quamvis excommunicatio major creditoris ipsum impediat a petitione debiti in judicio, cap. *Pia*, de Except. in 6, lib. 2, t. 12, non obstat tamen quominus illud petere possit privatim, et debitor teneatur ipsi solvere. Ita nunc communiter contra Adrianum, et quosdam antiquos.

Ratio est; quia excommunicatio non prohibet communicationem cum excommunicato in re necessaria et utili, qualis est solutio debitorum, *ut patet* ex illo versu quo continentur causæ ob quas licitum est communicare cum excommunicatis: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse,* causa 11, q. 3.

Dices. Secundum jura, excommunicatio eximit subditos a debita obedientia et juramento fidelitatis erga superiores excommunicatos. Ergo *a fortiori* a debito pecuniario.

R. 1° verosimilius subditos vi excommunicationis præcise non eximi ab obedientia et fidelitate debita superioribus excommunicatis, sicut non eximitur filius a præstanda obedientia patri excommunicato, nec uxor marito: sed hanc pœnam fuisse quibusdam excommunicationibus additam a S. pontificibus, ut contumaces citius resipiscerent. Id evincitur ex c. *Excommunicamus*, Extra de Hæreticis, § *Moneantur*, lib. 5, tit. 7,

ubi temporalis dominus non purgans terram suam hæreticis excommunicatur, nec tamen absolvuntur ex tunc subditi ab ejus obedientia; sed si perstiterit in excommunicatione per annum, nuncupatur papa qui fideles a juramento absolvet.

R. 2° *Pato ant. N. conseq.* quia longe major communicatio requiritur ad servandam fidelitatem quam ad solvendum debitum.

Repones. In jure referuntur casus in quibus licet communicare cum excommunicato, inter quos non ponitur solutio debitorum.

R. hunc casum sufficienter referri in citato versiculo per *utile* et *necesse*. Et Greg. VII, c. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3, dicit licere dare aliquid excommunicato humanitatis causa, quanto magis justitiæ causa. Aliunde non omnes casus in quibus id est licitum, referuntur explicite in jure.

Hucusque de restitutione in genere: quæ spectante restitutionem in particulari, discutiemus agendo de vitiis oppositis justitiæ ex quibus oritur, de homicidio, furto, detractione, secundum ordinem D. Thomæ, ne eadem pluries repetamus.

DISSERTATIO IX.

DE VITIO OPPOSITO JUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ QUOD EST ACCEPTIO PERSONARUM.

D. Th. Q. 63.

ARTICULUS I.

Quid sit et quale peccatum acceptio personarum?

Nota. Juxta phrasim S. Scripturæ, accipere personam idem significat ac accipere seu respicere faciem: unde quod Marci 11 Pharisæi dicebant Christo: *Non enim vides in facies hominnm*, legimus Matth 22: *Non enim respicis personam hominum;* et Psalmo 31: *Usquequo judicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis?* hoc est, peccatorum personas accipitis, non attendentes ad merita causæ in vestris judiciis. Itaque

Col. ex a. 1 et 2 q. 63. — *Dico* 1° Acceptio personarum est injustitia qua in rebus communibus ex justitia distribuendis, non attenditur ad proportionem meritorum vel idoneitatis eorum quibus dantur, sed ad aliquam causam huic rei impertinentem.

Explicatur. Dicitur 1° *in rebus*, sive bonis, ut sunt beneficia, officia publica, honor, judicium, etc. sive malis, hoc est onerosis, ut sunt tributa, vectigalia, operarum contributiones, pœnæ, etc.

Ib. a. 1. ad 3. — Dicitur 2° *in rebus communibus ex justitia distribuendis;* quia in distributione rerum propriarum quas quis dare non tenetur, aut nonnisi forte ex liberalitate vel charitate, non est acceptio personarum, etiamsi non attendat ad merita vel idoneitatem eorum quibus distribuit; ut si ex propriis eroget eleemosynam minus indigenti, quia est amicus; quilibet enim absque injustitia potest de suo dare quantum vult et cui vult: et ideo non est acceptio personarum in Deo dum gratias suas, quas nemini debet, æqualibus peccatoribus inæqualiter distribuit, secundum illud Matth. 20: *An non licet mihi quod volo facere? tolle quod tuum est et vade.*

Ibid. o. — Dicitur 3° *non attenditur ad proportionem meritorum vel idoneitatis*, etc. Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam id quod ei confertur est ei debitum et proportionatum, non est acceptio personæ, sed causæ: puta, si judex aliquis promoveat ad magisterium propter sufficientiam scientiæ, hic attenditur causa debita, non persona. Sed si aliquis consideret in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod ei datur esset ei proportionatum vel debitum, sed solum hoc quod est iste homo, puta Petrus vel Martinus: hic est acceptio personæ, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personæ. Ad personam autem refertur quæcumque conditio non faciens ad causam propter quam sit dignus hoc dono: puta, si aliquis promoveat aliquem ad prælationem vel magisterium, quia est dives, vel consanguineus; est acceptio personæ.

Ibid. — *Ex quibus patet*, acceptionem personarum opponi justitiæ distributiva consistit in hoc quod diversis personis diversa tribuuntur secundum proportionem ad dignitates personarum.

Sed adverte bona communia esse duplicis generis: quædam sunt primario et immediate ordinata ad bonum publicum, et eo mediante tantum ac secundario in utilitatem particularium qui ea occupant; ut sunt beneficia, officia publica, dignitates, etc.

alia sunt primario ordinata ad utilitatem particularium, ut sunt ærarium publicum, proventus communes, legatum pauperibus distribuendum, summa pecuniæ a rege tradita distribuenda militibus bene meritis, etc. Igitur utrorumque bonorum mala distributio est acceptio personarum opposita justitiæ distributivæ, in quantum non attenditur proportio meritorum, sed insuper utrobique reperitur violatio justitiæ commutativæ, diversimode tamen. In mala distributione bonorum primi generis violatur justitia commutativa erga rempublicam vel Ecclesiam; quia hæc vel illa habet strictum jus, ut de optimis ministris ipsi provideatur, et provisoribus id incumbit ex officio : unde per se loquendo illi restitutio facienda est, non vero particularibus in quorum utilitatem hæc bona non sunt primario ordinata, qui ideo non habent jus strictum ad illa, sed tantum jus aptitudinis. At vero in mala distributione bonorum secundi generis reperitur violatio justitiæ commutativæ etiam erga particulares; quia ex hoc quod hæc bona sint ipsis primario destinata, habent ad illa jus strictum, hoc est jus ad rem, et illis restituere tenetur malus distributor.

Petes utrum prælatus qui licentias et dispensationes concedit suis amicis, eas denegando aliis non amicis, peccet peccato acceptionis personarum?

R. affirmative cum Banne et Serra. Quia jurisdictio prælati non est in propriam ejus utilitatem sicut pallium aut pileus, sed in bonum communitatis; et illa bona seu favores qui ab illa proveniunt, sunt quodammodo bona communitatis, ita ut communitas habeat jus ut sibi aliquando concedantur, et pariter subditi jus habent ne ab eis utpote bonis communibus excipiantur. Idem dicendum si prælatus præciperet aliquid onerosum sibi non amicis, eximendo sibi amicos; tale enim præceptum foret injustum ex forma nec obligaret in conscientia. Si tamen res præcepta foret aliunde secundum leges constitutionum, ad eam tenerentur subditi vi constitutionum, quæ non obstante perversitate prælati permanent, cum ab eo vim non habeant.

Dico 2º Acceptio personarum est ex genere suo peccatum mortale.

Ibid. — *Prob.* Omnis injustitia est ex genere suo peccatum mortale : atqui acceptio personarum est injustitia opposita justitiæ distributivæ, ut dictum est. Ergo.

Confirmatur. Injustitia opposita justitiæ commutativæ, ut furtum, est ex genere suo peccatum morale; ergo et injustitia justitiæ distributivæ. *Patet consequentia;* tum quia justitia distributiva est præstantior commutativa, cum etiam quia non minora damna sequuntur ex injustitia distributiva quam ex commutativa. Adde in acceptione personarum reperiri etiam injustitiam commutativam, ut notavimus. Potest tamen esse peccatum veniale vel ex levitate materiæ, ut si in re parv, v. g. in loco sedendi præferatur minus dignus digniori, vel si parva sit discrepantia inter minus et magis dignum.

ARTICULUS II.

De acceptione personarum in distributione spiritualium.

Per spiritualia hic intelligimus potestatem ecclesiasticam sive ordinis sive jurisdictionis et ejus usum, sed præsertim beneficia et officia ecclesiastica.

Q. 63. a. 2. o.—Suppono ut certum, collationem spiritualium factam indigno, si reperiantur digni, esse peccatum mortale, quia est acceptio personarum in re gravis momenti; quanto enim in majoribus aliquis transgreditur justitiam, tanto gravius pecca; spiritualia autem sunt temporalibus graviora, et ex illorum injusta distributione plura mala sequuntur in Ecclesia, hæreses, morum perversitas, divini cultus negligentia, bonorum ecclesiasticorum dissipatio, pauperum calamitas, etc. Imo collatio beneficii facta indigno in certis casibus est irrita, in omnibus irritanda, *ut patebit ex sequentibus.*

Indignus autem adhibetur, qui ad officium propter quod datur beneficium est ineptus, seu non speratur futurus utilis ratione sive pravæ vitæ, sive ignorantiæ, sive alicujus impedimenti canonici. Neque collatori, aut electeri, aut patrono sufficit si nesciat eum esse indignum, sed debet scire positive esse dignum, adeoque de ejus dignitate inquirere, quia ei ex officio incumbit providere de dignis.

Dixi, *si reperiantur digni;* quia si non reperiantur, aliquando licebit conferre indigno ad evitanda majora mala, puta, ne collatio devolvatur ad hæreticos, ne adhuc indignior eligatur; tunc enim licet indignus non sit absolute dignus, tamen comparative

ad indigniores censetur dignus : sed accepto beneficio debet se præstare dignum, et officio satisfacere per se vel per alium ; alioquin obnoxius erit restitutioni fructuum.

Difficultas est itaque utrum liceat conferre beneficium minus digno, prætermiso digniore. Unde

Ib. ad 1, et 3. — *Dico.* Collatio cujuscumque beneficii aut officii ecclesiastici facta minus digno, prætermisso digniore, regulariter loquendo est illicita, sed valida. Idem dic de præsentatione et electione : est communis post Auctorem.

Porro conclusionem sic intellige, non quasi collator aut patronus debeat inquirere in toto regno vel provincia quis sit dignior ; id enim forest onus nimis grave, nec raro deceptioni obnoxium ; sed quod ex his qui in promptu sunt, aut quorum notitiam habet vel habere potest, adhibita morali diligentia, eligat illum quem digniorem judicaverit.

Probatur prima pars conclusionis. 1° Ex jure canonico. Cap. unico *Ut ecclesiasteca beneficia* Extra. lib. 3, tit. 12, Innoc. III dicit : « Non ex affectu carnali, sep discreto » judicio debuisti ecclesiasticum officium et » beneficium in persona magis idonea dispensare. » Conc. Trid. sess. 24, c. 1 *de Promotione episcoporum* sic, dicit : « Omnes » vero et singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut » alioquin operam suam præstant.... monet.... eos alienis peccatis communicantes » mortaliter peccare, nisi quos digniores et » Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, » non quidem preribus vel humano affectu, » aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. » Et cap. 18, *de Parochorum promotione*, dicit : « Ex his episcopus » eum eligat quem cæteris magis idoneum » judicaverit. »

Ibid. ad 3. — *Prob. 2° ratione.* Dum in promotione ad beneficium vel officium ecclesiasticum præfertur minus dignus digniori, est manifeste acceptio personæ injuriosa Ecclesiæ, in cujus utilitatem instituta sunt beneficia et officia ecclesiastica. Ergo.

Quodl. 8 a. 6. ad 5. — *Confirmatur.* Collatores seu patroni non sunt beneficiorum domini, sed administratores tantum et œconomi : atqui œconomus cui esset a domino commissum ut ei fidelem et idoneum ministrum quæreret, infideliter ageret erga dominum, si, prætermisso magis idoneo, minus idoneum acciperet. Ergo *a fortiori* in nostro casu.

Hic a. 2. o. et quodl. cit — Verum *nota* quod dignitas alicujus possit attendit dupliciter : uno modo simpliciter et secundum se, et sic majoris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis ; alio modo per comparationem ad bonum commune : contingit enim quandoque, quod ille qui est minus sanctus aut minus sciens, possit magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam, vel propter aliquid hujusmodi ; et quia dispensatio spiritualium principalius ordinatur ad utilitatem communem, ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minus boni melioribus præferuntur : sicut etiam Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis. Unde non statim sunt culpandi qui minus pios aut minus doctos præferunt magis piis aut magis doctis.

Ib. ad 3. — *Secunda pars conclusionis patet* ex variis locis juris qui requirunt dignum duntaxat. Quod intelligunt interpretes cum S. Thoma, ut collatio seu electio sit valida et impugnari non possit in foro judiciali ; quia alioquin omnis electio posset habere calumniam, et non esset litium finis.

Attamen Pius V, bulla *In conferendis*, data anno 1567, licet tamen collationem non irritet, concedit talem digniori jus conandi ad eam irritandam, non quidem per litem, sed per appellationem coram metropolitano, aut si ipse sit collator, coram viciniore ordinario, pro novo examine.

Ex dictis sequitur 1° eum peccare mortaliter, qui minus dignum, prætermisso digniore qui in promptu haberi potest, promovet, præsentat aut eligit ad beneficium seu officium ecclesiasticum habens annexam curam animarum aut ecclesiasticam gubernationem, qualia sunt cardinalatus, episcopatus, archidiaconatus, decanatus, præpositura, abbatia, prioratus, pastoratus, etc. ; quia est acceptio personarum in re gravis momenti, cum magno Ecclesiæ detrimento ; siquidem, ut dictum est, fidelium mores ac fides, Ecclesiæ decor, bonorum ecclesiasticorum recta dispensatio, pauperum sublevamen, etc. ex ministris ecclesiasticis pendeant. Idem dic de confirmante aut insti-

tuente, imo et de quovis modo concurrente ad hujusmodi iniquam promotionem, *ut patet* ex Trid. supra cit. Hinc merito damnata est ab Innoc. XI hæc propositio 47 : « Cum dicit concilium Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, » qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis » utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias pro» movent : concilium vel primo videtur per » hoc *digniores* nihil aliud significare velle, » nisi dignitatem eligendorum, sumpto com» parativo pro positivo; vel secundo locutione » minus propria ponit *digniores* ut exclu» dat indignos, nos vero dignos; vel tandem » loquitur tertio quando fit concursus. »

Sequitur 2° eum etiam peccare mortaliter, qui minus dignum digniori præfert in promotione ad beneficium simplex quidem, sed aliunde gravis momenti, puta, quod habeat suffragium in electionibus ad dignitates aut ad officia curam animarum habentia, quia inde potest grave damnum inferri Ecclesiæ. Probabilius autem erit veniale duntaxat, si agatur de beneficiis simplicibus minoris momenti, ut sunt capellaniæ, canonicatus modici (modo tamen non conferantur per concursum); quia cum talia beneficia ordinentur ad officia humilia et valde limitata ut ad recitandum officium, ad missam celebrandam, ad Epistolam seu Evangelium cantandum, etc. non videtur grave damnum inferri Ecclesiæ si quandoque dignus præferatur digniori. Ita Sylvius post Asorium, Navar. Less. Item Cabassutius et alii. Si tamen id passim fieret, probabile est, secundum aliquos, fore mortale; quia, inquiunt, talis censeretur graviter peccare contra fidelitatem Ecclesiæ debitam, magnumque ejus bonum negligere, cum magni interesit ad Ecclesiæ bonum ut divinum officium decentissime fiat, et ejus ministri doctrina et probitate aliis præluceant.

Dixi in conclusione, *regulariter loquendo;* quia sunt varii casus in quibus licet promovere dignos ad beneficia etiam curata prætermissis dignioribus.

Ibid. ad 4. — 1° Si promovendus debeat esse de gremio Ecclesiæ : id enim in multis ecclesiis prudenter ordinatum est; quia ille qui est de gremio Ecclesiæ, ut in pluribus consuevit esse utilior, quatenus magis diligit ecclesiam in qua est enutritus, et melius ejus negotia novit. Similiter si beneficium ex sua institutione per Ecclesiam firmata, conferendum sit alicui ex familia, vel oppido (quod tamen pro beneficiis curatis non expedit admittere); in his enim casibus alii digniores censentur inhabiles.

2° Si ipse fundator beneficii præsentet dignum : hoc enim ipsi privilegium a jure conceditur c. *Monasterium* caus. 16, q. 7, ut sic alliciantur fideles ad fundanda beneficia; et aliunde unusquisque dat bona sua cuivult : idque non solum prima vice in erectione beneficii, sed toties quoties ipso vivente vacabit, si tamen hoc jus sibi reservaverit in erectione. Nec refert quod, semel instituto beneficio, bona ejus sint communia; non enim sunt talia, nisi salvo jure quod sibi reservavit dominus. Hoc tamen jus non transit ad hæredes, nec id Ecclesia admittit : unde c. cit. *Monasterium,* ipsi soli fundatori, et non ejus hæredibus conceditur.

3° Si vacent duo beneficia, unum simplex pingue, aliud parochiale tenue, potest conferri pingue minus digno, reservato tenui pro digniore; quia id postulat utilitas Ecclesiæ.

4° Si in electione votum meum non prodesset digniori, et si non conferam minus digno, indignus aut longe minus dignus eligitur : possum eligere primum minus dignum; quia sic utiliter gero rem Ecclesiæ.

5° Si a patrono laico præsentetur minus dignus, peccat quidem patronus, at non peccat episcopus præsentatum admittens, quia recusare non potest sicut posset et deberet si patronus esset ecclesiasticus; tunc enim juxta Trid. sess. 24, cap. 18, debet instituere concursum, ubi tamen est in usu.

Sextum casum ponunt Cajet. v. *Beneficium*, Serra hic, Lessius et alii : quando nempe beneficium confertur per resignationem aut permutationem in favorem digni; voluntque resignantem aut permutantem non teneri præferre digniorem digno : 1° quia non incumbit illi ex officio præficere Ecclesiæ ministros : 2° quia confert quod suum est, et propter quod, cum possideret, non tenebatur facere plusquam mediocriter idoneus faceret : unde non facit injuriam Ecclesiæ talem sibi substituendo.

Huic sententiæ probabilitatem suam non nego, eo maxime quod videam esse in usu apud plurimos qui videntur alioquin de timorati. Attamen probabilius puto cum Soto, Navar. quos citat et sequitur Sylvius hic; item cum Pontas verbo *Collateur*, cas. 1 et aliis, talem resignantem aut permutantem

peccare mortaliter, si agatur de beneficio habente curam animarum aut dignitatem magni momenti, quia licet resignans aut permutans non teneatur ex officio præficere ministros Ecclesiæ, tenetur tamen non concurrere ad iniquam collationem; concurrit autem resignando seu permutando in favorem minus digni, siquidem alteri beneficium conferri non possit: unde conc. Trid. supra declarat non solum collatores peccare mortaliter, sed etiam eos qui quovis modo concurrunt ad talem collationem: *et sic patet responsio ad primam rationem in contrarium.* Secunda etiam non obstat; partim quia, inquit Sylvius, ipse beneficiarius resignans seu permutans habet jus acquisitum in beneficio, quæ causa est ut illud retinere possit, non autem habet jus acquisitum ut curet illud conferri minus digno, prætermisso digniore, qui illud consequi posset si vacaret; partim quia resignans ordinarie est senex et spes affulget brevi successurum alium magis idoneum: resignatarius autem est ordinarie juvenis, post quem non est spes ut succedat melior nisi post multos annos.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *contra conclusionem et consectaria.* Conferendo beneficium etiam curatum digno, prætermisso digniore, nulli fit injuria: non digniori, quia nondum habet jus strictum ad illud; non Ecclesiæ, quia Ecclesia non habet jus ad summam diligentiam, sed ad humanam et moralem tantum, et ad eam tantum tenetur dignior si promoveatur: atqui dignus potest præstare humanam diligentiam. Ergo.

R. Concesso antecedente pro prima parte, N. pro secunda, et ad ejus probationem D. Dignior tenetur tantum ad humanam et moralem diligentiam juxta vires suas et ovium necessitates, *C.* secus, *N.* Possunt autem frequenter contingere casus in quibus Ecclesiæ et animarum necessitas requirat digniorem in docendo, confirmando, arguendo, exhortando, resolvendo, etc. Ad quæ non sufficeret minus dignus; proindeque hunc digniori præferendo, fit Ecclesiæ et animabus injuria.

Inst. Œconomus qui habet a domino quædam distribuenda pauperibus, non tenetur quærere indigentiores: ergo similiter.

R. N. conseq. Disparitas est, quod iste œconomus distribuendo vere pauperibus satisfaciat intentioni domini, qui absolute pauperibus bona destinavit; et collator non satisfacit intentioni Ecclesiæ ministros dignos illi præficiendo, cum haberi possunt digniores: non enim beneficia sunt per se primario ordinata in utilitatem ministrorum, sed in utilitatem Ecclesiæ.

Obj. 2° *ab auctoritate sacræ Scripturæ* Apostolus 1 Timoth. 3, et Tit. 1, enumerans omnes conditiones episcopi eligendi, non requirit ut sit dignior aut dignissimus, sed solum ait: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem*, etc. Et 1 Cor. 4 dicit: *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur;* non dicit *fidelior.* Ergo

R. 1° argumentum esse negativum, ideoque inefficax. 2° Apostolus tot ac tales qualitates in episcopo requirit, ut qui illas omnes habet, merito possit censeri dignior et dignissimus, cum raro quis his omnibus donatus inveniatur. Adde quod loco citato ad Cor. Apostolus intendat tantum assignare primam et præcipuam qualitatem requisitam in dispensatore, nempe fidelitatem: sicut autem non ideo negat alias, ut sunt industria, vigilantia, etc. ita non negat inter fideles eligendum esse fideliorem.

Obj. 3° ab autoritate canonum, qui requirunt dignum duntaxat et non digniorem aut dignissimum. Cap. *Si in plebibus* dist. 63, et conc. Trid. sess. 7, cap. 3, loquens de beneficiis inferioribus episcopatu, jubet ut conferantur *dignis et habilibus*, non dignioribus.

Confirmatur. Cap. *Monasterium* 16, q. 7, requiritur tantum ut non sit malus minister. Cap. *Nullus*, dist. 15, et cap. *Obitum*, dist. 62, beneficium debet conferri uni ex gremio, etsi non sit aliis extraneis dignior. Item nominati per universitates, modo sint idonei, præferuntur aliis, etsi dignioribus. Ergo.

Ibid. ad 3. — *R.* canones sancire quid requiratur ut collatio vel electio sit valida et impugnari non possit in judicio, non ut sit licita, ut jam dixi; *et patet ex* Trid. dum loco cit. addit: *Aliter autem* facta collatio seu provisio omnino irritetur. Sicut ergo pro utilitate eligendus est dignior, ita pro pace ejus suscipiendus est dignus electus, ne litibus omnia impleantur.

Ad confirmationem, *R.* in ea contineri casus primum vel secundum supra exceptos.

Inferes. Si hi casus et alii de quibus supra, excipiuntur : ergo non est jure naturæ illicitum beneficia conferre minus dignis, prætermissis dignioribus.

R. N. illationem. In enim secundum se est illicitum, quando dispensatores possunt libere assumere digniores. In præfatis autem casibus non sunt liberi, partim quia aliud requirit utilitas Ecclesiæ, ut in tertio et quarto casu ; partim quia non habent liberam sive collationem, sive præsentationem, sive institutionem ex privilegiis ab Ecclesia concessis, ut in primo, secundo et quinto casu. Insuper in secundo, is de quo agitur non tam est dispensator bonorum communium quam propriorum.

Inferes iterum. Ergo peccaverunt qui talia privilegia concessere.

R. N. illationem. Id enim fecerunt intuitu majoris utilitatis Ecclesiæ, ut jam notavi de promovendis ex gremio : idem dicendum de nominatis per famosas universitates, quia præsumitur eos esse optimos, et si interdum contrarium contingat, est per accidens. Nec ideo debuit exprimi in privilegio, *modo sint digniores*, sed satis fuit dicere modo sint digni : alioquin plerumque rejicerentur a patronis eo prætextu quod non essent digniores, præsertim cum patroni ægre ferant istas nominationes.

Inferes tandem. Ergo saltem qui est minus dignus, aut qui se reputat talem, ut omnes se reputare debent, peccat petendo et acceptando beneficium.

R. quod nemo possit absolute petere beneficium, eo se dignum aut digniorem reputans, alioquin foret præsumptio qua redderetur indignus secundum S. Thomam. Sed potest petere conditionate, si collatori vel examinatoribus appareat dignus et dignior. Cum autem ipsi confertur, potest acceptare, sibi persuadens quod collator aut examinatores ipsum dignum et digniorem ad hoc judicaverint, et in hoc quiescere, cum de sua capacitate judicare ad ipsum non pertineat. Insuper confidere potest quod, gratia auxiliante, sua diligentia compensabit quod putat in altero vincere. Confer de simonia.

ARTICULUS III.

Utrum qui ad beneficia seu officia ecclesiastica promovet indignum seu minus dignum, prætermisso digniore, teneatur ad aliquam restitutionem?

Dico 1° Qui promovet indignum, tam promovens quam promotus, tenetur restituere Ecclesiæ omnia damna quæ inde ipsi obveniunt : promovens, quia peccat contra justitiam commutativam erga Ecclesiam, cui ex officio debet præficere dignos ministros ; promotus, quia cooperatur injustæ promoventis actioni, et ab ipso immediate profluunt mala Ecclesiæ.

Hinc promotus statim dimittat beneficium : si renuat, ad id compellat per judicem promotor ; beneficium dimissum digniori et dignissimo diligentius conquisito conferat ; et ulterius si necesse sit, uterque promotor et indigne promotus per se precibus ad Deum fusis, vel per alios propriis expensis adhibitos, damna Ecclesiæ et fidelibus illata per indignum ministrum meliori quo possunt modo resarcire conentur. Utrum vero sit aliqua restitutio facienda digniori prætermisso, dicam modo.

Dico 2° Qui promovet minus dignum, prætermisso digniore, tenetur etiam per se loquendo, vi talis promotionis, restituere Ecclesiæ ; quia erga illam violat justitiam commutativam, cum ipsi ex officio, ut dictum est, teneatur præficere optimos ministros.

Dixi, *per se loquendo, vi talis promotionis ;* quia putant aliqui, nec improbabiliter, Ecclesiam non exigere hanc restitutionem, imo nec ad illam obligare, quamvis posset : id enim unquam fecisse nullibi reperitur ; sed sufficere ut collatores sint liberi a restitutione, quod præficiant dignos : alioquin, inquiunt, res foret ipsis repleta perplexitatibus. His novissime subscribit Daelman, addens sensum hominum non habere quod tales collatores sint illico obligati ad restitutionem, sicut sensus hominum non habet quod principis œconomus teneatur ad restitutionem ex eo quod operarios bonos et non optimos conducat. Posset quidem princeps eum ad sibi restituendum astringere, sed facere non solet ad obviandum perplexitatibus : sic, inquit, Ecclesia erga patronos beneficiorum.

Dico 3° Promovens indignum seu minus

dignum, prætermisso digniore, extra concursum nihil tenetur restituere digniori prætermisso : est communior et probabilior.

Prob. Promovens respectu dignioris non violat justitiam commutativam, sed tantum distributivam, ex cujus solius violatione non oritur obligatio restituendi, ut dictum est : ergo. *Prob. ant.* Dignior non habet jus strictum ad beneficium, sed tantum jus aptitudinis et proportionis : ergo. *Prob. ant.* Beneficia non sunt instituta, saltem primario et principaliter, ut præmia meritorum et in utilitatem particularium, sed in communem utilitatem Ecclesiæ, ut stipendia eorum qui ipsi digne deserviunt : ergo antequam deserviant, non habent digniores jus strictum ad illa.

Confirmatur. Œconomus conducens idoneos operarios ad agrum domini excolendum, prætermissis melioribus, non tenetur ipsis melioribus quidquam restituere : ergo similiter.

Dixi, *extra concursum;* quia vi indictionis concursus, quilibet capax habet jus concurrendi, et qui dignior probatus fuerit, habet ex pacto implicito jus strictum ad beneficium : unde si minus digno conferatur, fit injuria manifeste digniori, sicut pluribus in publico certamine pugnantibus fieret injuria victori, si ipsi denegaretur præmium propositum. Dico, *manifeste digniori;* quia si esset differentia admodum levis, probabile est non incurri obligationem restituendi : alioquin nimis difficile et periculosum foret munus episcopi et examinatorum proindeque non sunt censendi velle vi indicationis concursus tam strictam obligationem suscipere.

Sed petes utrum minus dignus in concursu promotus, teneatur beneficium dimittere, aut digniori prætermisso aliquam restitutionem facere?

R. Non tenetur beneficium dimittere; quia collatio est valida, ut dixi. Equidem dignior jus strictum habebat ad illud quamdiu pendebat a collatore, sed jus erat ad rem tantum; per collationem vero minus dignus promotus acquirit jus in re, et dignior habet tantum actionem personalem in collatorem, non realem in ipsum beneficium alteri traditum : non secus ac qui mercem primus emit sed non accepit, habet jus ad rem; sed si venditor eam tradat secundo emptori, valide tradit, et primus emptor habet tantum actionem personalem in venditorem, non realem in ipsam mercem; neque secundus emptor tenetur eam primo emptori reddere.

Neque etiam ille minus dignus promotus videtur obnoxius ad aliam restitutionem faciendam digniori, quia supponere potest quod examinatores debite functi sint suo munere, quod attenderint ad qualitates ipsi ignotas, et ipsum digniorem judicaverint.

Quod si supponas certo constare minus digno ipsum scienter injustum esse promotum : tunc existimo ipsum teneri restituere digniori tanquam cooperatorem, non restituente promotore.

APPENDIX.

Utrum quæ diximus in duobus articulis præcedentibus sint extendenda ad officia sæcularia?

Resp. affirmative: est probabilior et communior contra Cajet. Ratio est, quia hæc officia sunt pariter primario et principaliter ordinata ad bonum commune reipublicæ : unde qui illa distribuit indignis aut minus dignis, peccat contra justitiam commutativam erga rempublicam, et contra distributivam acceptione personarum erga digniores. Hinc qui scienter instituunt officiales indignos, male solventes, munera aut plus æquo extorquentes, etc. tenentur restituere damnum passis, non restituentibus officialibus qui sunt causa proxima damni : secus probabiliter si instituerint quos putabant dignos; tunc enim sunt causa valde remota damni, nec videtur respublica tam strictam restituendi obligationem imponere.

Dices 1° cum Cajet. Ista officia non sunt bona communia distribuenda inter partes communitatis, siquidem sæpe dentur extraneis : atqui justitia distributiva versatur circa bona communia distribuenda inter partes communitatis. Ergo.

R. Transeat maj Hæc enim officia plerumque conferuntur ejusdem civitatis vel provinciæ concivibus. *N. min.* Quia sufficit ad justitiam ut bona communia sint distribuenda secundum proportionem meritorum, nec requiritur quod sint necessario distribuenda inter incolas ejusdem civitatis aut provinciæ; ut patet in officiis militaribus et in cathedris universitatum, quæ confe-

runtur dignioribus, cujuscumque sint nationis.

Dices 2° Principes seu respublica habent dominium istorum officiorum : ergo possunt ut proprium dare cui voluerint.

R. ant. negari a quibusdam, qui volunt rempublicam seu principes non esse dominos, sed tantum dispensatores istorum officiorum, quod est probabile. *Dato* tamen *ant.* cum Soto, Banne, etc. *N. conseq.* Quia istud dominium, qualecumque sit, non est in destructionem, sed in utilitatem communtiatis, cui repugnat ut ea officia conferantur indignis aut minus dignis.

Dices 3° Qui rem vendere potest, non videtur acceptor personarum si illam cui velit tradat aut vendat : atqui princeps et respublica possunt vendere officia sæcularia : ergo. *Pro solutione hujus argumenti*,

Quæritur utrum officia sæcularia vendi possint?

Opusc. 21. de Regimine Judæorum ad Ducissam Brabant.—*R.* absolute loquendo et ex natura rei posse vendi; quia dignitas, pingue stipendium, lucri occasio et similia, illis officiis annexa, sunt pretio æstimabilia. Non expedit tamen ea vendi, quia plerumque et moraliter loquendo venduntur inique, qua tenus non servantur in eorum venditione conditiones requisitæ; quæ sunt: prima, auctoritas in vendente ut in republica, principibus supremis, aut iis quibus id committunt, etiam quandoque in toparchis quibus id non prohibetur a supremo principe; secunda ut vendantur, quantum fieri potest, dignioribus; tertia, ut modico pretio, ne pauperes magis idonei ab iis arceantur, et qui emunt rapinas et concussiones exerceant ut se indemnes servent: sed sæpe, inquam, et sæpius venduntur indignis aut minus dignis indifferenter plus offerentibus et pretio immodico, ita ut qui ea acquirunt, sive ex negligentia, sive ex incapacitate, sive ex malitia, male ea administrent et multa injuste extorqueant, ut pretium immodicum quod solverunt recuperent.

Igitur *ad argumentum; R. majorem esse veram* de re ita propria, ut non sit communi utilitati approprianda; secus si sit communi utilitati approprianda, qualia sunt officia publica.

Si contra primam partem responsionis opponas bullam Pii V *Etsi Romani*, etc. vetantem vendi officia administrationem jurisdictionis habentia : *R.* hanc bullam vel esse datam pro terris papæ jurisdictioni temporali subjectis tantum; vel si generaliter, non esse receptam in aliis regionibus.

ARTICULUS IV.

De qualitatibus ad beneficia rite obtinenda necessariis.

Prima et præcipua est probitas morum, non solum qua vitiis careat, sed qua virtutibus christianis, prudentia præsertim, charitate, salutis animarum zelo fulgeat. *Patet* ex Apost. 1 Timoth. 3 et Tit. 2; ex conc. Trident. sess. 14, c. 1 de Reform. sess. 22, c. 1, sess. 23, c. 12, sess. 24, cap. 12. Et quamvis promotio peccatoris non sit irrita, nisi peccatum tale foret quod induceret irregularitatem aut aliud impedimentum canonicum : peccaret tamen mortaliter qui ad quodcumque beneficium promoveret criminosum, seu eum qui habitu solet peccare mortaliter; et hoc sensu hæc D. Th. verba Quodl. 8, q. 6, *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exercendum*, interpretatur Bannes, id est, quodlibet peccatum ex habitu. Potest etiam intelligi de quolibet peccato notorio et scandaloso quod exprobrari potest.

Secunda est scientia, quæ talis esse debet qualem requirit officium beneficio annexum, et ideo major in episcopo quam in parocho, major in parocho quam in capellano, et sic de cæteris. Collatio autem quæ fieret penitus illitterato foret invalida, cap. *Illitteratos*, d. 36, et cap. *Cum in cunctis* de Electionibus.

Sed quis censeri debeat *penitus illitteratus*, non constat. Conc. Trid. sess. 23, cap. 4, ut quis possit accipere tonsuram qua fit aptus ad beneficia, nihil aliud requirit quam ut sciat rudimenta fidei, legere ac scribere : unde Navarrus existimat eum non esse *penitus illitteratum*, qui hæc tria scit. Hanc opinionem probabilem reputat Sylvius, absurdum tamen existimat beneficia etiam simplicia conferri iis qui non intelligunt aliquo modo latine in ecclesia Latina, vel græce in Græca.

Tertia est ætas legitima, nempe ad episcopatum trigesimus annus completus cap. *Cum cunctis* de Elect. et electi potestate; ad beneficia curam animarum habentia, vigesimus quartus completus, ibid. et in

Trid. sess. 24, cap. 12; ad dignitates non habentes curam animarum, vigesimus secundus completus, Trid. ibid. Ad canonicatus ecclesiæ cathedralis requiritur illa ætas, ut qui accipit beneficium possit intra annum suscipere ordinem qui huic beneficio est annexus. Trid. enim ibidem statuit ut omnes ecclesiæ cathedralis canonicatus habeant annexum ordinem, vel presbyterii, vel diaconatus, vel subdiaconatus. Ad alios canonicatus et quævis beneficia simplicia, annus decimus quartus incboatus. Abbatiæ vero et prioratus pro mulieribus non sunt beneficia, sed officia tantum cum aliqua jurisdictione : ad hæc requiritur quadragesimus annus, aut si id commode reperiri nequeat, trigesimus completus. Trid. sess. 25, cap. 7.

Nota tamen, hæc quæ secundum jura hic dicimus de ætate legitima non esse ubique recepta ; sed varios in variis provinciis esse usus : ita ut in quibusdam beneficia simplicia conferantur natis tantum septem annos, episcopatus septem et viginti, etc.

Quarta, torus legitimus, sine quo, aut sine dispensatione, est irrita collatio, cap. *Ut filii*, cap. *Litteras*, cap. *Nimis* de filiis presbyterorum. Ad primam tonsuram et ad beneficium simplex, potest dispensare episcopus ; ad alia solus papa. Et quia relaxatio juris communis est odiosa, ideoque stricte intelligenda, dispensatus ad ordines non est dispensatus ad beneficia, dispensatus ad unum beneficium non est dispensatus ad plura, dispensatus ad simplex non est dispensatus ad dignitates et beneficia curata, etc.

Insuper pro filiis clericorum, notandum venit decretum concilii Trid. sess. 25, c. 15 de Reform. ubi sic statuitur : « Ut paternæ » incontinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque » decet, longissime arceatur, non liceat » filiis clericorum qui non ex legitimo nati » sunt matrimonio, in ecclesiis ubi eorum » patres beneficium aliquod ecclesiasticum » habent aut habuerunt, quodcumque etiam » dissimile beneficium obtinere, nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare, nec » pensiones super fructibus beneficiorum » quæ parentes eorum obtinent vel alias » obtinuerunt, habere. »

Quantum vero ad filios clericorum ex legitimo matrimonio natos ante ordinationem, possunt habere beneficium in ecclesia eadem cum patre, at non ipsum quod pater habet aut habuit, nisi inter patrem et filium alius intercesserit, ut sic vitetur etiam species hæreditariæ successionis in beneficiis, Trid. sess. 25, cap. 7.

Petes utrum filius ex illegitimo toro conceptus aut natus, fiat legitimus per subsequens matrimonium?

R. Si sit procreatus ex personis habilibus ad matrimonium, seu nullo impedimento dirimente irretitis, fit legitimus per subsequens matrimonium, quod in hoc casu secundum jura habet quamdam vim retroactivam.

At si tempore conceptionis parentes erant inhabiles ad matrimonium, puta, consanguinei in gradu prohibito, etiamsi id ignorarent, multorum sententia est, non fieri legitimum per subsequens matrimonium cum dispensatione initum, quia jura obstant. Ita Pontas cum multis citatis, v. *Illegitime*, cas. 8. Non desunt tamen alii qui contrarium sustinent, Sanchez, Covarruvias apud eumdem. Et revera in his saltem partibus praxis contraria videtur invaluisse.

Quinta est tonsura clericalis collata a proprio episcopo, vel ab altero cum litteris ejus dimissorialibus, cap. *Ex litteris* de Transactionibus. Est autem triplex episcopus proprius, cap. *Cum nullus* De temporibus ordin. lib. 1, tit. 9, scilicet : *De cujus diœcesi est is qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cujus diœcesi beneficium obtinuit ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eodem.* Modernis tamen moribus est magis consentaneum ut a solo episcopo originis quis tonsuram aut ordines recipiat. Is autem intelligitur in cujus diœcesi quis vel natus, vel baptizatus fuit. Defectu tonsuræ collatio beneficii est nulla, etiamsi beneficiarius postridie collationis tonsuretur ; *Non enim firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit*, Reg. juris in 6.

Sexta est cœlibatus, cap. *Si quis* de Clericis conjugatis : ita ut nulla sit collatio facta conjugato, et si beneficiarius contrahat matrimonium validum, hoc ipso vacet ejus beneficium. Dico *validum*, quia si invalide contrahat, meretur quidem privari, sed non privatur ipso facto : ita Sylvius, Lessius, Tournely, etc., contra Pontas, v. *Bénéficier* casu ultimo. *Ratio est* 1° quia solum

matrimonium validum transfert a statu ecclesiastico ad sæcularem; 2° quia ideo canones privant conjugatum beneficio, quia non potest simul vacare officio et uxori; hoc autem locum non habet dum matrimonium est invalidum, tunc enim uxori vacare non potest. Adverte tamen quod, qui duxit unicam et virginem, si perpetuam voveat continentiam, et uxor religionem profiteatur, possit valide promoveri ad beneficium, c. *Sane* de Clericis conjug. Extra. lib. 3, tit. 3.

Septima est immunitas ab excommunicatione majori, suspensione, interdicto et irregularitate : ita in variis locis juris. Collatio ergo facta illi qui aliqua ex his censuris est innodatus, etiam nescienter; similiter ejus electio aut præsentatio, est nulla : et ideo confirmans collationem aut electionem, seu præsentationem, solet præmittere absolutionem a censuris. Si tamen post beneficium adeptum superveniat censura aut irregularitas, non privat beneficio. Excommunicatus autem excommunicatione minori, licet peccet acceptando beneficium, valide tamen acceptat.

Octava est immunitas ab hæresi in se et in parentibus usque ad secundam generationem secundum lineam paternam, et usque ad primam secundum lineam maternam: ita ut si pater fuerit hæreticus, nec filii ejus nec nepotes sint habiles ad beneficia; si mater tantum fuerit hæretica, filii ejus sint inhabiles, non nepotes, cap. *Quicumque* et cap. *Statutum* de Hæreticis in 6. Et hoc statuitur non solum de ipsis hæreticis, sed etiam de eorum fautoribus, defensoribus, receptatoribus eorumque filiis usque ad secundam generationem, ut dictum est. Excipiuntur in cap. *Statutum* citato, filii et nepotes hæreticorum quos constat ab hæresi resipuisse.

Nona est determinata intentio suscipiendi officium beneficio annexum, seu, si nullum sit annexum, perseverandi in statu clericali : unde, juxta graves auctores. Soto, Navarr. Asor. Sylvium, Pontas, Tournely, etc., peccat mortaliter qui habet aut accipit beneficium quodcumque, eo animo ut ejus fructibus potiatur donec, v. g. absolverit studia, aut uxorem convenientem invenerit, postea demissurus. Idem dic de eo qui acceptat beneficium animo resignandi sub pensione, aut etiam simpliciter; quia fraudat intentionem Ecclesiæ in re gravi : Ecclesia enim non intendit conferre beneficia iis qui volunt ad tempus illi servire, sed iis qui simpliciter volunt; neque iis qui lucro, sed qui gloriæ Dei student. *Patet* ex Jure, cap. *Grave* de Præbend. et dignit. lib. 3, tit. 5 : *Præcipimus ut, prætermissis indignis, idoneos assumant qui Deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum.* Et cap. *Super inordinata* eod tit. *Cum autem illi sint idonei reputandi qui servire possunt et volunt.* Excusat tamen a mortali Sylvius illum qui acceptavit beneficium animo resignandi simpliciter statim et providenti de optimo ministro.

Sed quid si animo permutandi? Pontas, v. *Bénéfice* casu 3, resolvit eum pariter peccare mortaliter ex decretalibus citatis; sed id mihi videtur non satis inde probatum, præsertim si agatur de permutatione cum altero beneficio ejusdem ordinis : tunc enim neque fraus neque inordinatio videtur gravis, cum iste habeat animum serviendi Ecclesiæ secundum officium prioris beneficii.

Contendit insuper idem Pontas ibidem et casu 4, hujusmodi collationes acceptas, scilicet cum animo sive resignandi, sive permutandi, sive non perseverandi, esse nullas, ex iisdem decretalibus laudatis eas prohibentibus; sed insufficienter : multa enim in jure prohibentur quæ non irritantur; et alioquin sequeretur quod qui mutata mala voluntate intenderet perpetuo Ecclesiæ servire, indigeret nova collatione, quod falsum est cap. *Commissa*, ut modo dicam.

Sed qualis debeat esse intentio quam requirimus, an fixa? *Respondet* Sylvius hic, non necessario debere esse omnino fixam, nec sufficere esse quomodocumque conditionatam, sed debere esse sinceram, ita ut beneficiandus sincere et bona fide proponat esse ecclesiasticus, neque cupiat ab eo proposito resilire, nisi ex rationabili et gravi causa, v. g. ad illustris familiæ semen suscitandum, ad sedandas graves discordias, etc. Si quis vero acceptet beneficium ea intentione quod erit ecclesiasticus si non inveniat uxorem sibi convenientem si frater promigenitus habeat proles, etc. non videtur tutus in conscientia, quia non haberet sincerum animum status ecclesiastici; sed potius videtur habere primam voluntatem ad statum conjugalem, secundariam et sub conditione ad ecclesiasticum. Ita laudatus Sylvius

Petes utrum qui accipit beneficium absque anima suscipiendi officium ei annexum aut perseverandi in statu clericali, teneatur ad restitutionem fructuum?

Ante resp. suppono eum qui beneficium pastorale habet, et, nullo justo impedimento detentus, non promovetur ad sacerdotium intra annum computandum a tempore quo ipsius ecclesiæ regimen ei commissum est et pacificam ejus possessionem habuit, vel per eum stetit quominus haberet, privari ipso facto beneficio, et ad illud pro hac vice reddi inhabilem. Ita cap. *Licet canon*, et cap. *Commissa* de Elect. et electi potestate in 6, lib. 7, tit. 6. Hoc supposito.

Pro resolutione dubii propositi, sit decretum Bonifacii VIII, dicto cap. *Commissa* : « Si promoveri ad sacerdotium non intendens, parœciam receperis ecclesiam, et » fructus ex ea per annum percipias, ipsam » postmodo dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris), teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos » receperis fraudulenter : illum autem qui » tibi contulit, cum te non crederet ad hujusmodi ordinem promovendum (præter » divinam quam exinde incurrit offensam), » ad servandam indemnem eamdem eccle» siam decernimus obligari. » Hinc

Inferes 1°, ex communi theologorum sententia, hanc restitutionem esse faciendam ante sententiam judicis, quia non tam est pœna quam conventio inita inter Ecclesiam et beneficiarium. Ea enim conditione Ecclesia intendit conferre beneficium.

Inferes 2°, eum qui sine animo sacerdotii suscipit beneficium parochiale, si mutata voluntate intra annum promotus fuerit, probabilius non teneri ad restitutionem fructuum quos percepit tempore malæ voluntatis; quia dicit Pontifex, *nisi voluntate mutata promotus fuerit* : ergo si voluntate mutata promotus fuerit, non tenetur, ex mente Pontificis, restituere ita ut fraus quæ ab initio fuerit, vota purgetur per promotionem intra annum. Ita Sylvius cum Lessio et Maldero contra Sotum. Si autem aliquandiu mutavit voluntatem, sed non fuit promotus, tenetur omnes fructus restituere; quia Pontifex utrumque requirit, et quod mutetur voluntas, et quod revera promoveatur.

Inferes 3°, eum qui animo suscipiendi sacerdotium promovetur ad beneficium pastorale, et postea, mutata voluntate, non suscipit sacerdotium, probabilius non teneri restituere fructus, modo per idoneum vicarium suo muneri satisfecerit; quia Pontifex loquitur tantum de illo qui recipit beneficium sine animo suscipiendi sacerdotium, et non de illo qui, suscepto beneficio cum animo perveniendi ad sacerdotium, mutat postea voluntatem : pœnalia autem, sive sint pœnæ proprie dictæ, sive non, cum sint odiosa, non sunt extendenda sed potius restringenda.

Inferes 4°, eum qui in dubio an velit promoveri ad sacerdotium, accipit beneficium, verosimilius teneri ad restitutionem fructumsi non promoveatur intra annum; quia canon dicit, *si promoveri ad sacerdotium non intendens* : dubius autem non intendit.

Inferes 5°, promotum ad alia beneficia a pastoratu distincta, sine animo suscipiendi sacerdotium, seu permanendi in statu clericali, licet graviter peccet, ut dixi, probabilius tamen non teneri ad restitutionem fructuum, modo curet officium beneficio annexum debite præstari; quia ad hanc restitutionem non tenetur jure naturæ, *ut patet*, neque jure positivo. Etenim canon laudatus decernit tantum de beneficio parochiali, neque profertur alius canon qui id decernat de promotione ad alia beneficia : pœnalia autem, ut jam dictum est, non sunt extendenda. Putat tamen Sylvius hic, excipiendum esse episcopatum, quia, inquit, continet sub se omnia suæ diœceseos beneficia parochialia, ut primus pastor pastorum et parochianorum.

Ultima conditio est, ut habenti beneficium non conferatur aliud sine causa : de qua modo fusius.

Ad has ergo qualitates attendere debet qui alicui intendit procurare beneficium; juvabit etiam attendere ad promovendi industriam, ad affectum ejus erga talem ecclesiam, ad ejus potentiam; uno verbo, ad ea omnia ex quibus speratur major Ecclesiæ utilitas.

ARTICULUS V.

Utrum liceat plura simul possidere beneficia?

Quodl. 9. a. 15. o. — *Dico.* Habere simul plura beneficia, non est de genere malorum quæ habent inseparabiliter annexam malitiam, ut fornicatio, adulterium et alia hujusmodi quæ nullo modo bene fieri possunt;

alias in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit.

Ibid. — Neque est de genere actionum quæ de se indifferenter se habent ad bonum vel malum, ut levare festucam vel aliquid hujusmodi; multo minus de genere bonorum, ut dare eleemosynam; quia unum habere plura simul beneficia, continet in se plures inordinationes. 1° Destituitur Ecclesia numero et obsequio ministrorum, eum non sit possibile unum in pluribus ecclesiis deservire, et tamen præbendæ sunt ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. 2° Sequitur diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur; non enim qui habet plures præbendas, plures vel horas recitat, vel psallit, vel celebrat missam, etc. 3° Sequitur defraudatio voluntatis fundatorum qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, ut secundum numerum beneficiorum esset numerus beneficiariorum ibidem Deo ministrantium. 4° Sequitur inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, et alii, æque aut forte magis idonei, nec unum habere possunt. Adde pluralitatem beneficiorum esse fomentum ambitionis, avaritiæ, crapulæ, luxuriæ et plurium aliorum vitiorum.

Ibid. — Igitur pluralitas beneficiorum est de genere actionum quæ absolute consideratæ deformitatem vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur: sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si addatur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum sed virtuosum. Hujusmodi est, inquam, pluralitas beneficiorum; quamvis enim aliquas inordinationes contineat, ut dictum est, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita bonestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur.

Hæ autem circumstantiæ seu causæ excusantes reducuntur ad duo tantum capita: primum, si unum beneficium non sufficiat ad vitam beneficiarii decenter sustentandam; — **Ibid.** — secundum, major Ecclesiæ utilitas, aut necessitas: ut si aliquis propter eminentem scientiam vel virtutem possit plus proficere absens quam alius præsens; vel ratione potentiæ et auctoritatis posset efficacius Ecclesiam tuori contra hæreticos aut alios, qua ratione SS. pontifices sæpe dispensant cum principibus Germaniæ, ut plures episcopatus simul possideant.

Ibid. — Si vero aliquis intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad episcopatum et alias dignitates perveniat, non tolluntur prædictæ difformitates sed augentur, quia cum tali intentione etiam unum beneficium habere (quod nullam inordinationem importat), esset illicitum.

Ibid.—Et hæc hucusque secundum jus naturale, nullo jure positivo interveniente. Jam autem certum est per antiqua jura id esse prohibitum, c. *Sanctorum*. d. 70, c. *Clericus* quod est synodi VII, causa 21, q. 1, c. *Clericum* quod est concilii Chalcedon. Ibidem et alibi pluries.

Huic antiquo juri accessit jus novum sess. 24, cap. 17 *de Reformat.* cujus decretum ex integro referre juvat: « Cum ecclesiasticus ordo pervertatur quando unus » plurium officia occupat clericorum, sancte » sacris canonibus cautum fuit, neminem » oportere in duabus ecclesiis circumscribi. » Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, seipsos non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt variis artibus eludere, et plura simul beneficia obtinere non erubescant. Sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli ac qualitatis existant. » Huic decreto ac D. Thom. doctrinæ subscribunt quotquot sunt alicujus nominis theologi.

Nota tamen. Congregatio concilii 15 januarii 1594, declaravit consuetudini permittenti ut in eadem ecclesia dignitas cum canonicatu per eumdem obtineri et retineri possit, non censeri derogatum ex præscripti

decreto : ita refert Gallemart in hunc locum. Et bene; istæ enim dignitates, v.g. decanatus, præpositura, convenientus et forte ex intentione fundatorum conferunur tuni exgremio.

Excusationes illorum qui existimant posse licite ab uno et eodem possideri plura simul beneficia.

Dicunt, 1° consuetudinem contrariam invaluisse etiam apud doctos et timoratos.

Ibid. — *R.* 1° nullam consuetudinem prævalere posse contra jus naturæ, quia est irrationalis et abusus, ortum habens *ex improbæ cupiditatis affectu*, ut loquitur Tridentinum.

R. 2° hoc doctos et timoratos forte habere latentes causas ob quas licitum sit eis retinere plura beneficia, quod si non habeant, non sunt tuti in conscientia, *seipsos et non Deum decipientes*, juxta idem concilium.

Dicunt 2° prohibitionem tolli per dispensationem summi pontificis.

Ibid. — *R.* quod dispensatio non auferat ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, ut quod per hominem statuitur per hominem auferri possit : unde nisi illa dispensatio sit data propter veras et legitimas causas prius assignatas, nihil proficit coram Deo.

Dicunt 3° concilium Triden. non esse receptum in Gallia.

R. 1° jus naturale saltem esse receptum apud Gallos, non secus ac apud alias nationes : jure autem naturali, ut dictum est ex D. Thoma, illicitum est habere plures præbendas.

R. 2° *N. assumptum*, tum quia concilium eo loci non condit jus novum, sed confirmat antiquum cujus Galli sunt tenacissimi ; tum etiam quia Pontas, v. *Bénéficier*, cas. 37, refert absolutam acceptationem concilii factam a clero Gallicano in cœtu generali habito Parisiis an. 1615. Et quamvis supremi senatus non patiantur decreta concilii quæ auctoritati regiæ seu libertatibus ecclesiæ Gallicanæ sunt contraria vim habere, nunquam tamen contradixerunt decretis quæs solos bonos mores spectant aut fidem, quale est istud de quo agitur.

Dicunt 4° Beneficiarius in pios et legitimos usus impendet fructus beneficiorum, puta, in sublevamen pauperum, in Ecclesiæ decorationem, etc.

R. 1° contrarium plerumque et fere semper contingere ; ita ut ex centum vix unum reperias qui hac pia intentione plura accepiet beneficia. 2° *Hoc dato*, iste pius usus non abstergit inordinationes annexas pluralitati beneficiorum, nisi sit in communem Ecclesiæ utilitatem. 3° Iste beneficiarius sine causa contrahit onus talis usus, cum Deus a nemine requirat ultra vires ipsius.

Petes 1° utrum subsistente legitima causa, semper requiratur dispensatio SS. pontificis ut quis licite obtineat duo beneficia ?

R. Ut quis possideat duo beneficia, quorum neutrum sufficit ad honestam sustentationem sui et suorum, modo non sint incompatibilia, nulla requiritur dispensatio, quia hoc jus conceditur per præfatum concilii decretum. Et nota quod si secundum sit sufficiens, primum debeat dimitti ; hæc est enim evidenter mens concilii, et aliunde jus naturæ contradiceret. Ita tenet Navar. et post ipsum Sylvius. Similiter non requiritur dispensatio pro canonicatu cum dignitate in eadem ecclesia, ut notavi sub finem decreti : neque quando ecclesia parochialis est legitime annexa canonicatui ; quia beneficium alteri perpetuo annexum, censetur unum cum alio. Extra hos casus requiritur dispensatio papalis, quia ille solus potest dispensare in lege universalis Ecclesiæ.

Petes 2° quæ sint beneficia incompatibilia, quæ compatibilia ?

E. Beneficia incompatibilia sunt duplicis generis. Incompatibilia primi generis dicuntur, quæ talia sunt ut ex juris dispositione per pacificam possessionem secundi vacet ipso facto primum ; et si utrumque retineatur, etiam secundo privetur beneficiarius : ut sunt duo episcopatus, duo pastoratus, et generaliter omnia beneficia curam animarum habentia ; item duo canonicatus et duæ capellaniæ habentes idem officium sub eodem textu, Extravag. *Exsecrabilis* de Præbendis. Trident. sess. 27, cap. 2 et 4.

Beneficia incompatibilia secundi generis dicuntur, quæ simul retineri non possunt absque dispensatione licet unum non vacet altero obtento. Talia sunt, quæ quamvis non habeant annexam curam animarum, tamen residentiam requirunt ; quia nullo canone cavetur ut qui plura ex his possidet, uno privetur altero obtento.

Ad hos genus reduci possu. omnia omnino beneficia extra tres casus assignatos in responsione præcedentis petitionis ; quia licet non sint simpliciter incompatibilia, ta-

men possidem non possunt absque dispensatione. Hæc ergo sola dicenda sunt vere compatibilia, quæ cribus assignatis casibus continentur, scilicet 1° quando unum non sufficit ad honestam beneficiarii et suorum egentium sustentationem ; dico *et suorum*, quia illud beneficium non censetur sufficiens ex quo beneficiarius se et suos consanguineos et famulos honeste sustentare non potest ; 2° quando quis possidet canonicatum et dignitatem in eadem ecclesia ; 3° quando ecclesia parochialis est unita canonicatui.

Petes 3° quare dicamus quod possidens plura beneficia incompatibilia primi generis, ipso facto privetur primo, et non secundo, siquidem in jure de utroque æqualiter dicatur quod beneficiarius illis ipso facto privetur ?

R. disparitatem esse, quod privatio primi non tam sit pæna quam incompatibilitas a jure declarata; privatio autem secundi sit pœna : porro pœna, exceptis censuris, quantumvis dicatur *ipso jure, ipso facto* incurri, nisi exprimatur quod reus eam subire debeat in conscientia ante omnem judicis sententiam, non incurritur nisi accedat judicis sententia facti declaratoria; quia, inquit S. Thomas, —Hic q. 62. a. 3. o.—pœnæ inflictio pertinet ad judicem : unde infert quod nemo ante sententiam judicis teneatur restituere plusquam accepit. Ita Soto, Sylvester, Covar. Sylvius et communiter. Unde, inquit Soto, intelligitur *ipso jure*, *ipso facto* per sententiam declarato.

Plura circa beneficia require infra de Relig. diss. 5, a. 5, § 3 et seq.

ARTICULUS VI.

Utrum in exhibitione honoris et in judiciis habeat locum peccatum acceptionis personarum.

Hic q. 63. a. 3. o. — *Dico* 1°. In exhibitione honoris et reverentiæ locum habet acceptio personarum.

Prob. Honor est quoddam testimonium de virtute ejus qui honoratur, et ideo sola virtus est debita causa honoris : ergo qui propter aliam causam alicui exhibet honorem et reverentiam, peccat peccato acceptionis personarum.

Ibid. - Sciendum est tamen quod aliquis possit honorari non solum propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius; sciut principes et prælati honorantur, etiamsi sint mali, in quantum gerunt personam Dei et communitatis cui præficiuntur : eadem ratione parentes et domini sunt honorandi propter participationem divinæ dignitatis qui est omnium Pater et Dominus; senes etiam honorandi sunt partim propter signum virtutis, licet hoc signum quandoque deficiat, partim quia imaginem quamdam Dei gerunt ipsa ætate et prudentia quam attulit diuturnus usus.

Ibid. — Quantum ad divites, de quibus est aliqua difficultas, honorandi sunt præ cæteris propter hoc quod majorem locum vel statum in communitatibus obtinent, et quia ex divitiis iacultatem habent multa bona agendi, modo tamen ab hoc non sint alieni ; alias propter abusum forent magis contemnendi quam honorandi.

Ibid. — Imo, cum divitiæ secundum se sint quid extrinsecum virtuti, si præcise earum intuitu honorentur divites, erit peccatum acceptionis personarum, mortale quidem si fiat cum notabili contemptu pauperum aut aliorum quibus honor debetur ; secus veniale, ut in consessibus et salutationibus quotidianis. Unde S. Jacobus cap. 2 Epist. dicit : *Nolite in personarum acceptione habere fidem..... Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida ; introierit autem et pauper in sordido habitu ; et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene ; pauperi dicatis : Tu sta illic aut sede sub scabello pedum meorum : nonne judicatis apud vosmetipsos et facti estis judices cogitationum iniquarum.* Quæ verba intelligenda sunt de honore exhibito divitibus præcise propter divitias, aut forte etiam de honore ipsis exhibito cum gravi contemptu pauperum, ut indicant hæc verba : *Sede sub scabello pedum meorum ;* nemo enim propter paupertatem est contemnendus.

Si dicas honorem non esse bonum commune sed proprium, a privata persona collatum, proindeque non committi acceptionem personarum in ejus delatione : *R.* honorem qui secundum reipublicæ consuetudinem deferri debet obtinentibus talem vel talem granum, censeri moraliter bonum commune, quod a privatis tanquam unius reipublicæ membris exhibetur, ita ut particulares in hoc gerant vices reipublicæ.

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 4° In judiciis locum

habet peccatum acceptionis personarum, ut si judex non attendat ad merita causæ, sed ad rationes ei impertinentes, ut judicium ferat in favorem unius litigantium : ut quod sit amicus, consanguineus, nobilis, etc. Unde proverb. 18 dicitur : *Accipere personam in judicio, non est bonum*, et is peccat non solum contra justitiam distributivam, sed etiam commutativam, et tenetur parti alteræ restituere.

Petes utrum in his quæ arbitrio judicis relinquuntur, contingat peccari acceptione personarum ?

R. sub distinctione. In his quæ committuntur arbitrio judicis in sui commoditatem, non contingit peccatum acceptionis personarum ; secus in his quæ ejus arbitrio committuntur in favorem litigantium. Hinc potest judex audire advocatum unius partis die festo, non audito alterius partis advocato ; quia cum hoc otium sit in ejus favorem concessum, potest jure suo cedere pro uno et non pro altero. E contra non potest prorogare uni præ altero tempus probationis sine causa ad rem pertinente ; quia id ipsi committitur in favorem litigantium ad quod uterque jus æquale habet, et ideo hoc non est ipsi sic liberum, ut pro mero voluntatis suæ placito possit uni concedere et alteri denegare, sed secundum quod exigunt merita causæ.

Sed quid faciet judex ut vitet acceptionem personarum, quando rationes sunt æque probabiles pro utraque parte ? *R.* debere se parem utrique exhibere et a judicio supersedere. Quod si in favorem unius tantum judicet, erit personarum acceptor. Et ideo hæc propositio n°26, ab Alex. VII jure fuit damnata : « Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex peccuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. » De quo iterum infra diss. 12, art. 5, concl. 5, de injustitia judicis.

ARTICULUS VII.

De tributis et vectigalibus.

Quia, ut supra notavi, non solum in bonis, sed etiam in oneribus distribuendis contingit acceptio personarum, et inter onera frequentiora sunt tributa, vectigalia et alia hujusmodi, ideo hanc materiam, aliunde valde salebrosam, qua poterimus discretione et veritate hic discutiendam suscipimus.

§ I. — *Quæ conditiones requiruntur ut tributa licite imponantur ?*

Tributum generaliter sumptum significat omne id quod principi vel reipublicæ a privatis solvi solet, sive sit tributum proprie dictum, sive vectigal, sive pedagium, aut aliquid hujusmodi. Quinimo etiam nomine pedagii, gui dagii, vectigalis, collectæ, talliæ, exactionis, præstantiæ, angariæ et similium, quandoque significatur in jure indifferenter id omne quod principi a subditis solvitur. Hæc tamen proprie sumpta inter se distinguuntur. Unde.

Tributum proprie sumptum, est pensio quæ super capita vel facultates subditorum imponitur solvenda principi vel reipublicæ, ut statum suum tueri et communibus necessitatibus ac utilitatibus prospicere possit ; unde est duplex : unum quod singulis capitibus seu personis imponitur, non spectata facultatum proportione, et ideo debet esse valde exiguum et tantum in recognitionem dominii impositum ; dicitur in jure *capitatio*. Aliud est quod secundum propriarum facultatum proportionem a subditis solvitur ; idque iterum duplex : unum ordinarium, quod quotannis ex lege stata recurrentem continet solutionem ; alterum extraordinarium, quod propter supervenientem causam extraordinarie imponitur, et dici solet *collecta* vel *tallia*.

Vectigal, a vehendo dictum, est id quod pro rebus in urbem vel provinciam invehendis, vel ab urbe aut provincia avehendis solvitur ; dicitur in jure *portorium*. Huic affine est id quod solvitur principi ex rebus venditis, sive mobilibus sive immobilibus.

Pedagium seu guidagium, gallice *péage*, est quod solvitur a transeuntibus equo, curru, navi, etc., pro pontium et viarum conservatione, custodia et securitate ; ita ut antiquitus in cujus erat jus pedagii teneretur indemnem reddere eum qui inter duos, ut dicunt, soles, in via publica fuisset a latronibus spoliatus. Vide dictionarium Trivoltinum, verbo *Péage*, ubi legitur, pedagia plerumque esse meras usurpationes.

Dico 1° Tres communiter conditiones requiruntur ut justim sit tributum : auctoritas legitima, justa causa, et debita proportio. Cajetanus duas superaddit, unam ex parte materiæ, alteram ex parte usus ; sed ad assignatas reducuntur, *ut patebit*.

Circa primam : auctores non agnoscunt legitimam auctoritatem imponendi tributa nisi in principibus aut rebuspublicis, quæ superiorem in administratione non habent : quia in hos tantum populus immediate transtulit potestatem gubernandi, et consequenter se tacite astrinxit subministrare justa stipendia functionis ad sustentandam dignitatem, et necessaria subsidia ad rectam administrationem : sicut qui conducit operarium, debet ei mercedem operis, et omne id quod est necessarium ad opus rite perficiendum : prout expresse vel tacite conventum est ; idque ex jure naturæ.

Quantum vero ad alios dominos qui superiorem agnoscunt, ut sunt proreges, gubernatores, præfecti, prætores, duces, comites, marchiones, etc. a rege constituti, ab illo et non a populo debent habere stipendia ; nisi forte titulo emptionis aut donationis a supremo principe jus quædam antiqua tributa colligendi obtinuerint.

Insuper usu receptum est quod magistratus etiam subjecti, quædam onera quæ *collectas* vocant, populo imponant pro aliqua necessitate vel utilitate publica, ut est reparatio murorum civitatis, pontium, fontium, viarum, etc. quæ tamen impositio debet fieri per comitia, ad quæ vel omnes cives, vel ab eis deputati, conveniant, ut sic censeatur libera et non coacta. Similiter a pluribus conceditur episcopis jus imponendi de consensu sui capituli quasdam collectas ecclesiis sibi subjectis ad reparationem ecclesiarum, erectionem seminariorum, etc. quia episcopus est princeps in sua diœcesi quasi papa in tota Ecclesia, a quo tamen hæc episcopi potestas limitari potest.

Circa secundam conditionem, duplex esse potest causa legitima imponendi tributa : prima, justa vindicta sive in subditos rebelles, sive in hostes victos, utrinque ratione justæ punitionis aut reparationis damnorum. Secunda et ordinaria, est bonum publicum, ut hostes arcere, impugnare, tranquillitatem communem, regni prosperitatem procurare, ejus dicere et alia hujusmodi, sub quibus intellige status regii decentiam. Ut autem hæc causa censeatur legitima, debet 1° certo moraliter de ea constare imponenti ; 2° debet esse proportionata tributo ; 3° ea cessante debet cessare tributum ; 4° in eam insumi debent tributa et non in alienos atque inutiles usus alioquin perinde foret ac si non esset causa.

Si petas utrum, exhausto ærario in sumptus inutiles, possit rex premente necessitate nova tributa imponere ? *R. affirmative*, quia tenetur populus succurrere reipublicæ quantum necesse est ; verum rebus in melius restitutis, tenetur rex hæc populi damna resarcire.

Circa tertiam. Debet sic imponi tributum ut, in quantum fieri potest, unusquisque secundum facultates suas gravetur, non magis nec æque pauperes ac divites, non magis unus mercator quam alter. Sicut enim, inquit Cajetanus, honores æqualitate proportionali distribuendi sunt, ut digniores plus honorentur ; ita onera communia sic distribuenda sunt, ut secundum ratam a quolibet tolerentur, et qui plus possunt plus graventur : alioquin non servaretur justitia distributiva, sed esset acceptio personarum.

Propter hanc rationem idem Cajet. v. *Vectigalia*, contendit ea esse injusta quæ imponuntur super his rebus quæ ad usum necessarium familiæ venduntur, emuntur, aut vehuntur ; quia inde pauperes magis gravantur quam divites : pauperes enim, ut plurimum numerosa familia oppressi, plura de suis rebus vendere et de rebus alienis emere ad usum necessarium coguntur quam divites, qui nec coguntur sua vendere, et sibi necessaria ex villis suis comparant, aut ea viliori pretio data et expectata opportunitate emunt. In cujus sententiæ confirmationem producit l. *Universi*, c. *de Vectigalibus*, ubi sub pœna capitis prohibetur ne exigantur vectigalia tam pro iis rebus quæ deferuntur ad usum proprium, quam iis quæ deferuntur pro seminando, et iis quæ deferuntur ad fiscum. Posset etiam proferri ex jure canonico, cap. *Quanquam* de Censibus in 6, lib. 3, tit. 20, ubi dicitur *pedagiorum exactiones tam jure canonico quam civili regulariter merito esse damnatas :* quod saltem intelligi debet de iis pedagiis quæ rebus ad usum proprium necessariis imponuntur. In hanc sententiam descendunt Toletus et Driedo.

Alii tamen theologi communius docent quod, quamvis hæc vectigalia propter rationem datam videantur secundum se injusta, et de illis sic secundum se sumptis intelligenda sint jura citata, ideoque rarò sint imponenda, concurrentibus tamen certis

circumstantiis possint esse justa, puta, si publica necessitas urgeat, et vectigalis quæ colligi possunt non sufficiunt; neque ideo deficit omnino tertia conditio requisita, quia divites vectigalibus alterius generis plus gravantur quam pauperes, et sic quantum fieri potest servatur proportio. Adde quod vectigalia quæ imponuntur rebus negotiationi destinatis redundent in ipsos pauperes, qui illos ideo cariori pretio emunt; et tamen non censentur injusta. Ita S. Anton. Sylvester, Navar. Sylvius, etc.

Hic q. 66. a. 8. ad 3. et Lect. 1. in c. 13. ad Rom. — *Dico* 2° His tribus conditionibus concurrentibus, principes licite tributa imponunt et exigunt. *Patet ex dictis;* quia cum principi ex officio et voluntate populi incumbat administrare rempublicam, curare honum commune, necessitatibus communibus prospicere, etc. nec ad hæc suppetant necessaria nisi mediantibus tributis, jure potest princeps illa imponere et exigere, quantum ad suum et suorum officialium decentem statum et necessitates publicas necessarium est et sufficiens.

Hæc autem decernere ad principum consiliarios et subinde eorum confessarios non sine gravi periculo spectat. Si enim una ex assignatis conditionibus desit, tributa sunt injusta, et qui ea imponunt, exigunt, consulunt, peccant mortaliter, tenentur ad restitutionem et excommunicantur in bulla *Cœnæ*.

Nota tamen quod, quamvis debita proportio, in quantum fieri potest, debeat servari, aliquando tamen sit admodum difficile, imo vix possibile eam in certis rebus exacte servare: unde si servetur quantum potest, et necesse sit in his rebus tributa imponi, non sunt culpandi imponentes, sed neque etiam fraudantes in quantum bona fide putant se inde g avari, ut dicam modo.

§ II. — *De obligatione solvendi tributa.*

Collig. ex loc. citat. ad Rom. — *Dico.* Defraudare justa tributa, sive petantur sive non, est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam non tantum legalem sed etiam commutativam, proindeque obligans ad restitutionem. Ita Sylvester, Cajet. Soto, Bannes, Covar. Less, Sylvius, Layman, Cabassutius et communiter.

Prob. 1° *ex S. Scripturis.* Matth. 21, Christus, ostenso sibi numismate dicit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Et Apost. Rom. 13: *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim et tributa præstatis; ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* — **Ibid.** — Quibus verbis Apostolus non solum resolvit solvenda esse tributa, sed etiam assignat rationem cur solvi debeant, scilicet quia *Ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes*, quasi dicat: Unusquisque de suo ministerio vivere debet, secundum illud 1 Cor. 9: *Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?* Et ideo cum principes suo regimine Deo ministrent ad bonum publicum, a populo debent tributa suscipere, quasi stipendia sui ministerii.

Prob. 2° *ratione.* Tributa sunt debita principi a populo, non solum ex justitia legali qua partes tenentur concurrere bono totius, sed etiam ex justitia commutativa: ergo defraudare, etc. *Prob. ant.* Hoc ipso quo populus transtulit in principem auctoritatem et reipublicæ administrationem, tacite promisit illi justum functionis stipendium et subsidia rectæ administrationi necessaria, ut jam dictum est: ergo, posita lege tributi, qua hæc totius populi obligatio in singulos distribuitur, assignata cuique sua portione, et determinatis rebus in quibus est solvendum, singuli tenentur ex justitia ad illam suam quotam. *Patet conseq.* quia qua obligatione tenetur totus populus in genere ad sumptus necessarios, ea tenentur singuli in particulari ad suam quotam legitime taxatam.

Ex quo habes quod, quamvis quantitas tributi non sit ex lege naturæ, sed ex lege positiva principis, hac tamen posita, tributum lege naturæ et justitiæ debetur. Paritas est in decimis. Lege naturæ et justitiæ debetur ministris Ecclesiæ justum suæ administrationis stipendium: quantitas tamen stipendii taxatur ab Ecclesia, puta, pars decima: posita vero hac taxatione, decimæ debentur Ecclesiæ ministris lege justitiæ.

Dixi in conclusione, *sive petantur, sive non:* attenta scilicet natura debiti; quia aliter esse potest attenta consuetudine; in certis enim locis consuetudo obtinuit ut tributa non solvanturnisi petita: in iis ergo locis mercator

transiens non tenetur solvere vectigal, si nemo adsit qui petat; modo tamen absit fraus, ut accideret si merces absconderet, fugeret, diverteret a via publica ne videretur ab exactoribus, aut aliter deciperet.

Dices cum Angelo et quibusdam aliis. Lex tributorum est mere pœnalis: ergo non obligat in conscientia ante sententiam judicis.

R. N. ant. 1° quia contradicit Apostolo, dicenti tributa solvi *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam*; 2° quia cum principes possint et velint suas alias leges obligare in conscientia, non est ratio cur id non velint in lege tributi: imo est specialis ratio cur velint; hæc enim obligatio in conscientia est causa cur multi tributa solvant, qui alioquin non solverent. Nec pœna imposita non solventibus tollit obligationem ad culpam, sed potius supponit, cum non infligatur pœna nisi propter culpam.

Inst. Saltem hujus legis transgressio erit tantum peccatum inobedientiæ, proinque non obligans ad restitutionem.

R. N. illationem Cum enim hac lege determinetur justum principis stipendium et justum administrationis subsidium, obligat ex justitia, non secus ac lex determinans quotam decimarum aut pretia rerum.

Dices 2° Saltem soli subditi hac lege tenentur et non exteri, de solis enim subditis probant rationes conclusionis.

R. D. Soli subditi ratione personæ vel bonorum tenentur, *C.* soli subditis ratione personæ, *N.* Dupliciter aliquis fit subditus principi: 1° ratione personæ, quia in ejus regno natus est, vel domicilium habet; 2° ratione bonorum quæ ibi possidet, vel vendit, vel distrahit: et eo modo subditus debet solvere tributa principi, sicut et aliis ejus legibus obedire quamdiu ibi moratur. Adde quod jus mercimonii non concedatur exteris a principe in suo regno nisi sub conditione tributi solvendi, et quidem jure; tum quia non tenetur illud gratis concedere; tum quia cum sit astrictus ad conservationem viarum et pontium, necnon ad securitatem mercatoribus præstandam, juste exigit ab eis subsidia ad hæc necessaria. Et aliunde hæc tributa relabuntur ordinarie in proprios subditos qui vel res suas vilius ideo vendunt, vel alienas carius emunt.

Nota bene. Cum legibus tributalibus non sunt confundendæ leges quæ, absque impositione vectigalis, simpliciter prohibent evehi e provincia aut in eam invehi certas merces vulgo *contrebandes*. Qui enim has leges transgrediuntur, non tenentur ad restitutionem vectigalis, quia non est; neque ad mulctum ante sententiam judicis, quia est pœna.

Utrum vero tales leges obligent in conscientia, et utrum transgressores teneantur de damno quod inde reipublicæ vel redemptoribus obvenit, dicant alii. Scio quidem plures asserere has leges esse meræ pœnales, nec obligare nisi ad mulctam post sententiam judicis, et sic non semel declarasse principes in Gallia et in Belgio: ad id mihi non constat. Fateor tamen sic plerumque homines etiam probos apprehendere; vix enim ullum reperies qui sibi faciat scrupulum si vel pecunias, vel telas Indicas, vel tabacum, vel alias hujusmodi res de regno in regnum transferat, aut saltem eas emat et eis utatur, cum tamen non solum invectio sed etiam usus prohibeatur. Quantum ad damna, videtur hæc sufficienter compensari per mulctas quas solvere coguntur transgressores deprehensi, quod non raro accidit. Insuper redemptores has defraudationes supponunt dum contrahunt cum principe, et ideo viliori pretio contrahunt. Cæterum in his omnibus securitatem dare nolim. Id unum affirmo, eos graviter peccare qui hanc negotiationem exercent quando prohibetur sub pœna mortis, quia non licet se tantæ pœnæ periculo exponere pro lucro temporali; item quando intendunt se armis offensivis contra custodes defendere.

Petes utrum qui merces emit ab eo quem scit defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere?

R. negative. Vel enim vectigal solvendum, est quædam pecuniæ summa, vel aliqua pars mercis, v. g. decima. Si primum, est communis sententia non esse onus reale seu rei affixum quod transeat cum merce, sed onus personale venditoris, quamvis ex rei transportatione contractum.

Si secundum, quamvis si probabilis aliquorum sententia, esse onus reale quod transit cum re, oppositum tamen est probabilius; quia antequam illa pars si separata et tradita, venditor retinet illius partis sicut et totius mercis dominium; princeps autem quantum ad illam partem habet tantum jus ad rem, non secus ac emptor qui rem aliquam emit sed nondum occupavit:

ergo, sicut si superveniat secundus emptor qui rem occupat, acquirit ejus dominium, onere satisfaciendi primo emptori manente penes venditorem; ita emptor in nostro casu totam illam mercem acquirit, manente penes venditorem onere solvendi vectigal.

Nota tamen quod non solum hæc merx vendita, sed omnia bona venditoris maneant hypothecata principi, ut ex eis, si velit, possit suum vectigal recuperare, l. 1, c. *Quibus causis.*

Nota insuper quod, quamvis emptor non peccet præcise ex hoc quod emat talem mercem, nec teneatur restituere vectigal, si tamen sic emendo moveat alium ad iterum fraudandum, possit peccare et teneri ad restitutionem ut cooperator damni.

Dices contra secundam partem responsionis. In jure, cap. 33 *de Decimis*, fructus nondum decimati non possunt alienari absque onere decimarum, quia res transit cum suo onere: ergo similiter in præsenti casu.

R. N. consequentiam; quia sic jus disposuit de decimis, non vero de tributis.

Hucusque dixi de tributis certo justis. Sed gravissima restat difficultas, quando dubitatur merito de justitia tributi, an solvi debeat in conscientia? Est autem ratio dubitandi de justitia tributi, inquiunt graves auctores, quando nova tributa imponuntur aut antiqua augentur; item quando est communis persuasio in populo, maxime in probis et doctis, ea quæ prætextu necessitatis imponuntur aut augentur, in non necessarios usus expendi, aut in majori quantitate exigi quam necessitas requirat. Tot enim, inquiunt, conditiones requiruntur ad justitiam tributi imponendi vel augendi, ut in tanta tributorum multitudine qua his temporibus gravantur populi, merito præsumatur quædam esse injusta, plura incerta et dubia. In cujus rei confirmationem proferunt cap. *Quanquam* supra cit. in quo Bonif. VIII dicit *pedagiorum exactiones tam jure canonico quam civili regulariter merito esse damnatas;* quia *regulariter* deest aliqua conditio requisita. Quæstio, inquam, valde perplexa est, an in tali dubio tributa sint necessario in conscientia solvenda.

Quidam affirmant, quia in dubio an lex sit justa vel injusta, præsumendum est in favorem superioris, quod juste præcipiat potius quam injuste; nec subditorum est eorum præcepta ad examen revocare. Ita Sylvius, Cabassutius et alii.

Quidam negant; quia in dubio est melior conditio possidentis: subditus autem possidet res suas et immunitatem a tributo. Pro hac sententia citantur Sylvester, S. Antoninus, Cajet. Petrus Navar. Fumus, Arragon. Medina, Gabriel et alii plures.

Si inter tantos viros sententiam nostram aperire liceat, dicam neutrum fundamentum mihi videri satis firmum. Non primum; quia non est, totaliter saltem, præsumendum in favorem superioris quando agitur de interesse ipsius et de damno subditi. *De interesse ipsius;* quia tunc jure timeri potest ne sit partialis et sibi faveat. *De damno subditi;* quia tunc æquum videtur ut subditus, antequam re sua spolietur, inquirat an vere debeat: unde cap. *Pervenit*, Extra. de Censibus, dicitur: *Oportet ut omnis census ad quid et quando persolvi debeat præsciatur.* Id modo magis elucidabitur.

Non secundum; quia possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nisi in quantum importat præsumptionem veritatis in favorem illius, ut dixi alibi: quod hic non currit. Ex eo enim quod subditus res suas et immunitatem possideat, non habetur inde præsumptio quod tributum sit potius injustum quam justum. Insuper si subditus possideat res suas, superior possidet auctoritatem præcipiendi, sicque una possessio compensatur per alteram.

Itaque, salvo meliori judicio, arbitror dicendum de tributis dubiis quod alias dixi de cæteris debitis dubiis, nempe esse solvenda pro rata dubii: ita ut ab iis solvendis non sint omnino liberi subditi, neque ad hæc integre solvenda cogantur, ne ex una parte, si a solutione tributorum dubiorum subditos omnino absolvas, noceas principi cui forte debentur; et ab obedientia ipsi debita subditos injuste subtrahas; et ex altera, ne, si ad integram solutionem cogas, damnum inferas subditis qui ea forte non debent. Igitur solvendum est tributum dubium, ne incurratur periculum committendi injustitiam: neque tamen est totum solvendum, quia debitum dubium non est tanti valoris quanti est debitum certum. Vide dissert. de restit. art. 11, § 6. Nolim tamen in hac parte constituere subditum

judicem in propria causa; sed consulat viros probos et doctos qui, attenta ex una parte ratione dubii, et ex altera quantitate bonorum aut negotiationis, dicant ex æquo et bono, quantum solvere debeat; et eorum stet judicio. Quod autem dico de ipsa solutione tributi dubii, idem est dicendum de restitutione non soluti.

Neque ab hac sententia videtur alienus doctissimus Sylvius, alioquin stans in dubio pro parte principis, dum dicit q. 66, art. 8, conclusione 7 : « Si quis fraudet de illis vectigalibus quantum bona fide existimat se » plus æquo gravari, neque peccat neque » tenetur ad restitutionem : quod meminisse oportet confessarios, quando agitur » de fraudatorum vectigalium restitutione » injungenda. »

Dices. Miles dubitans de justitia belli, tenetur jussus militare : ergo subditus dubitans de justitia tributi, tenetur illud solvere.

R. 1° *nos totum ultro concedere.* Non enim negamus quin subditus debeat solvere tributum dubium; sed quia debitum dubium non tanti valet quanti valet certum, dicimus quod possit aliquid minuere pro rata dubii.

Inst. Miles dubitans de justitia belli, tenetur sine exceptione militare : ergo subditus dubitans de justitia tributi, tenetur illud solvere sine diminutione.

R. N. conseq. Disparitas est, 1° quod debitum militandi non sit divisibile pro rata dubii; unde vel est simpliciter obediendum : præstat autem et tutius simpliciter obedire quam nullatenus obedire; quia in periculo lædendi jus principis vel privati, si utrumque salvari non possit, præferendum est jus principis juri alicujus privati. At debitum pecuniarium est divisibile : unde quando es dubium, æquitas postulat ut totum non ascribatur uni, ne fiat injuria alteri, sed pro rata dubii dividatur, sicque jus utriusque servetur.

Altera disparitas est, quod miles in bello sit instrumentum principis; subditus autem in distractione boni proprii ad solvenda debita sit causa principalis. Porro quando subditus se habet ut instrumentum in eo quod causa principalis præcepit, non est ipsius discutere an opus præceptum sit justum vel injustum, sed exsequi tantum et obedire; si vero se habeat ut causa principalis in eo quod præcipitur, ipsius est discutere an sit justum vel injustum, et non solum exsequi, quia tunc debet agere secundum formam suam moralem, nemque suum judicium : v. g. quia concionator est causa principalis concionis habendæ, non tenetur obedire prælato præcipienti prædicare doctrinam de cujus veritate ipse concionator dubitat; sed potest et debet examinare an sit vera. E contra quia præco est instrumentum principis respectu promulgationis edicti, non pertinet ad ejus officium examinare an sit justum vel non, sed in dubio potest et debet obedire et promulgare. Sic iterum reus non tenetur respondere judici quando dubitat an legitime interroget, quia est causa principalis suæ responsionis : et contra tortor tenetur exsequi sententiam dubiam, quia est instrumentum judicis.

Notant communiter theologi, ipsos exactores exigentes tributa dubia non peccare; quia præsumere possunt superiores habere justam causam ipsis incognitam, quod discutere non ipsorum est, cum in hoc se habeant ut instrumenta principis.

§ III. — *Utrum clerici sint exempti a tributis?*

Ibid. ad Rom. — *Dico.* Clerici sunt regulariter exempti a tributis.

Prob. 1° ex jure civili, l. *Sancimus* 22, c. de Sacrosanctis ecclesiis lib. 1, tit. 2, ubi Justinianus imperator ecclesias et omnia loca pia a præfatis muneribus immunia decernit. Et novella *Item nulla*, c. de Episcopis et clericis, ibid. tit. 3, Fredericus imperator sic statuit : « Item nulla communi» tas vel persona publica vel privata, col» lectas vel exactiones, angarias vel peran» garias, ecclesiis vel aliis locis piis aut ec» clesiasticis personis imponere præsu» mant. » Item cap. *In qualibet*, causa 23, q. 8, ex Constantio et Constante imperatoribus.

Prob. 2° ex jure canonico, c. *Quanquam* de Censibus in 6, lib. 3, tit. 20, ubi Bonifacius VIII inter alias sic statuit : « Cum igi» tur ecclesiæ ecclesiasticæque personæ ac » res ipsarum non solum jure humano, » quinimo et divino a sæcularium persona» rum exactionibus sint immunes, consti» tutionem felic. record. Alexandri papæ » IV, prædecessoris nostri (qua statuit ec» clesias et personas ecclesiasticas ad peda» gia et guidagia penitus non teneri, nec » ad exhibendum vel solvendum talia pro

» rebus suis propriis, quas non causa nego-» tiandi deferunt vel deferri faciunt seu » transmittunt), volentes propter multorum » insolentiam et abusum pœnæ adminiculo » adjuvare, adjicimus districtius inhibendo » (contraria consuetudine quorumcumque, » quæ dicenda est corruptela verius, non » obstante), ut nec collegium, nec univer-» sitas, nec aliqua etiam singularis persona, » cujuscumque sit dignitatis, conditionis » aut status, a præfatis ecclesiis aut perso-» nis aut pro personis ipsis aut rebus præ-» dictis, talia exigat vel extorqueat per se » vel per alium, suo nomine vel alieno, » aut ad hujusmodi persolvenda compel-» lat. » Deinde eos qui contra fecerint, si sit singularis persona, subjicit excommuni-cationi; si sit communitas, interdicto. Et c. *Clericis*, tit. 23 de Immunit. ibid. non solum laicos collectas, tallias, etc. ab ecclesiasticis exigentes, sed etiam ecclesiasti-cos illas solventes, excommunicat si sint singulares personæ, interdicit si sit commu-nitas; et harum censurarum absolutionem Apostolicæ Sedi reservat.

Magnum concilium Lateran. cui, præter quadringentos et ultra episcopos, octingen-tos tam abbates quam priores, aderant le-gati imperatoris Constantinopol. regis Ro-manorum, Gallorum, Angiorum, Hunga-rorum, Aragonum et plurium aliorum principum sub Innoc. III, prohibet sub anathemate, ne sæculares exigant ab eccle-siasticis tributa, et addit: « Verum si quan-» do forte episcopus simul cum clericis tan-» tam necessitatem vel utilitatem perspexe-» rint, ut absque ulla coactione ad rele-» vandas utilitates vel necessitates commu-» nes, ubi laicorum non suppetunt facilita-» tes, subsidia duxerint per ecclesias confe-» renda; prædicti laici humiliter et devote » recipiant cum gratiarum actione: propter » imprudentiam tamen quorumdam, Ro-» manus pontifex consulatur, cujus inte-» rest communibus utilitatibus providere. » Referuntur c. *Non minus* et c. *Adversus*, Extra. lib. 3, tit 49. Videat curiosus lec-tor.

Concilium generale Viennense sub Cle-mente V. cui cum trecentis episcopis ade-rat rex Galliæ, jubet ordinariis locorum ut publicent sententias excommunicationis et interdict, latas contra eos qui tributa exigunt a personis ecclesiasticis pro earum rebus quas non negotiandi causa deferunt aut deferri faciunt.

In bulla *Cœnæ*, « Excommunicantur » omnes qui absque speciali et expressa li-» centia summi pontificis, imponunt col-» lectas, decimas, tallias, præstantias aut » alia onera personis ecclesiasticis aut earum » bonis, sive ecclesiarum aut monasterio-» rum ipsorum, aut imposita exigunt, aut » a sponte dantibus recipiunt, aut his acti-» bus quoquo modo cooperantur. » Quod dicitur *a sponte dantibus*, intelligitur quan-do exactor recipit ab eo qui dat antequam petatur quia impositum est.

Concilium Trid. sess. 25, cap. 20 *de Refor.* postquam dixit « Ecclesiæ et ecclesiastica-» rum personarum immunitatem Dei ordi-» natione et canonicis sanctionibus consti-» tutam *esse*, decernit et præcipit, sacros » canones et concilia generalia omnia, nec-» non alias apostolicas sanctiones in favorem » ecclesiasticarum personarum, libertatis » ecclesiasticæ, et contra jus violatores edi-» tas (quæ omnia etiam præsenti decreto in-» novat), exacte ab omnibus observari de-» bere. »

Ex his infero 1°, hanc immunitatem non posse contra clericos præscribi, sed omnem consuetudinem contrariam, quan-tumvis antiquam, esse corruptelam, nec ullo tempore convalescere, ut decernunt Innoc. III et Bonif. VIII cit.

Infero 2°, clericos huic immunitati non posse cedere, ut decernit idem Bonifacius c. *Clericis* cit. quia non est ipsis concessa propter ipsos personaliter, sed propter emi-nentiam status clericalis: unde sicut non possunt permittere ut a laico percutiantur, ita nec solvere tributa imposita a laicis.

Infero 3°, esse quosdam casus in quibus licitum sit exigere tributa a clericis: ob quam causam dixi in conclusione, *regula-riter esse exemptos*. Primus casus est, si ne-gotiationem exerceant, ut declarat idem Bonif. c. *Quanquam* cit. et hoc annuit Ec-clesia in odium negotiationis in clericis. Vi-detur tamen ex c. *Ex litteris*, Extra. lib. 3, tit. 1, clericum negotiatorem non teneri solvere vectigal ante trinam monitionem. Cæterum adverte non esse negotiationem si clericus fructus ex suo fundo aut ex suis pecoribus vendat, ideoque pro illis non sub-jacere vectigalibus.

Secundus casus est, quando facultates lai-

corum non sufficiunt ad succurrendum necessitati publicæ : ut autem in hoc casu exigatur tributum a clericis, requiritur consensus papæ, *ut patet* ex cit. cap. *Adversus* et ex bulla *Cœnæ*. Quod si res non ferat moram, videtur sufficere consensus episcopi et cleri pro clericis sæcularibus et regularibus non exemptis ; pro exemptis vero requiritur consensus suorum prælatorum.

Sed si non consentiat pontifex et contradicat clerus, poterítne licite princeps imponere tributa clericis ? *Respondet affirmative* Daelman si tributa sint necessaria, quia, inquit, habent principes independenter a pontifice potestatem providendi bono communi suorum statuum, tenenturque clerici qui et favorem sentiunt, etiam in tali necessitate onera sustinere. Verum hanc responsionem non puto admittendam nisi temperetur : vel ergo Papa agnoscit necessitatem, vel non. Si primum, videtur irrationabiliter invitus, sicque admitti potest responsio. Si secundum, non videtur admittenda ; quia illius est judicare de necessitate cujus est consensum dare in necessitate : et alioquin princeps constitueretur judex in propria causa, sicque evanescerent jura et clericorum privilegia ; nullus enim est princeps qui imponendo tributa non prætendat necessitatem.

Tertius casus est, secundum canonistas et theologos, quando tributum est æque primario et æque immediate in utilitatem clericorum et laicorum, ut pro aggere reparando, ne flumen inundet agros clericorum et laicorum, pro expellendis prædonibus qui vastant territorium in quo clerici habent multas possessiones ; id enim æquitati naturali videtur omnino consentaneum. Secus si contributio spectet immediate et primario communitatem et secundario tantum ac per consequentiam clericos, quatenus sunt membra communitatis : ut tributa quæ spectant stipendia principis, bellum gerendum, reparationem arcium aut mœniorum civitatis, etc. Ita Sylvester, v. *Immunitas* 1, n. 2, cum Panorm. et aliis, et post ipsum Less. lib. 2, c. 33, dub. 3.

Quidam tamen subjiciunt etiam clericos non secus ac laicos reparationi pontium et viarum publicarum, ex l. *Ad instructiones* 7, c. de Sacrosanctis ecclesiis lib. 1, tit. 2, ubi imperator Honorius dicit : « Ad instructiones itinerum pontiumque, etiam » divinas domos et venerabiles ecclesias tam » laudabili titulo ascribimus. »

Verum id negat Sylvester cum aliis cit. tum quia hæc Honorii constitutio videtur revocata per imperatores subsequentes, Justinianum et Fredericum, qui absque ulla exceptione clericos a vectigalibus et tributis exemerunt, et per concilia generalia quibus vel ipsi principes vel eorum legati affuerunt, *ut patet ex probationibus conclusionis* ; tum etiam quia cum hæc constitutio sit contra immunitatem ecclesiasticam, non habet vim nisi approbetur ab Ecclesia.

Cæterum, *dato* quod hæc constitutio admittatur, saltem non est extendenda ultra casus in ea contentos, scilicet *reparationem itinerum et pontium*, prout quidam liberius et absque fundamento extendunt : quorum sententiam si sequi velis, vix ullum restabit clericorum privilegium.

Notat tamen Sylvester loco cit. n. 19, esse quædam onera quæ ratione naturali incumbunt ipsis rebus et ad quæ tenetur ecclesia : ut reficere viam ante domum ; item de purgatione putei necessarii toti viciniæ in qua est ecclesia ; item solvere ad portam vel pontem pro plaustro, ad ipsius portæ vel pontis conservationem, quia destruit viam. Vide laud. Sylvest.

Quartus casus est. Si possessio aliqua habebat aliquod onus annexum perpetuum et invariabile antequam veniret ad ecclesiam, ecclesia tenetur ad illud, quia res transit cum onere suo, c. *Cum non sit* 33, etc. *Pastoralis* 28, de Decimis. Vide eumdem Sylvest. ibid. Non potest tamen novis oneribus gravari. Neque refert quod princeps haberet jus imponendi tributum huic possessioni antequam veniret ad ecclesiam, quo jure non videtur spoliandus ex eo quod fiat ecclesiæ ; quia princeps non habet jus imponendi tributum alicui prædio nisi quandiu pertinet ad personam non immunem : unde hoc ipso quo transit ad ecclesiam immunitate gaudentem, princeps amittit hoc jus.

Petes 1° utrum bona patrimonialia clericorum sint etiam immunia ?

R. probabilem esse quorumdam sententiam, esse immunia a novis tributis imponendis. 1° Quia Bonifac. VIII supra cit. declarat indistincte, *personas ecclesiasticas et res ipsarum esse exemptas*. 2° Quia in bulla *Cœnæ* excommunicantur qui imponunt collectas, etc. *personis ecclesiasticis aut eorum*

bonis sive ecclesiarum aut monasteriorum : ubi distinguit *eorum*, hoc est clericorum, bona, a bonis ecclesiarum. Scio id ab aliis negari, quibus forte favet usus.

Petes 2° quo jure clerici sunt immunes?

Ibid. — *R.* esse immunes jure civili et canonico, *ut patet ex dictis.* Quod tamen habet æquitatem naturalem; quia sicut reges sollicitudinem habent de bono publico in temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus; per eos enim reges et populi fiunt christiani, accipiunt doctrinam salutis, panem cœlestem, remissionem peccatorum et vitam æternam, horum precibus regna permanent, calamitates avertuntur; tranquillitas servatur aut restauratur, et sic recompensant regi et populis quod ille laborat et isti ministrant pro eorum pace.

Ibid. — Unde etiam apud gentiles liberi erant a tributis qui vacabant rebus divinis, *ut patet* Genes. 47 et 1 Esdræ 7. Huncque gentium morem probavit Deus, dum in veteri Testamento sacerdotes et levitas atributis fecit immunes. Quanto magis id congruit ministris novi Testamenti, quorum priores erant tantum figuræ!

Hanc quæst. magis elucidatam vide in tract. de Legibus, diss. 4, a. 8; § 2, obj. 2 et seq.

Petes 3° qui clerici gaudeant hac immunitate?

R. 1° Ea gaudent omnes clerici majorum ordinum, omnes beneficiarii, omnes religiosi et religiosæ. Est communis.

2° Clerici minorum ordinum et primæ tonsuræ non conjugati, quamvis neque sint beneficiarii, neque alicui ecclesiæ deserviant attento jure ea gauderent; at contraria consuetudine, consentiente SS. pontifice, hoc privilegium amiserunt. Et hoc rationabiliter ob nimiam multitudinem talium clericorum, quorum plerique fiebant clerici præcise ut a tributis essent liberi, absque ullo animo Ecclesiæ inserviendi. Excipiendi tamen videntur qui in studiis versantur quasi in via ad majores ordines.

3° Clerici conjugati, qualescumque sint, hac immunitate non gaudent; quia duo tantum privilegia illis a jure conceduntur, nempe fori et canonis. *Si quis suadente* cap. unico de Clericis conjugatis in 6, idque sub tribus conditionibus : 1° ut non duxerint nisi virginem et unicam; 2° ut deferant tonsuram et vestes clericales; 3° jure novo Tridentini, ut ab episcopo alicujus ecclesiæ ministerio sint deputati.

DISSERTATIO X.

DE VITIIS OPPOSITIS JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ,

ET PRIMO

DE HOMICIDIO, MUTILATIONE ET RESTITUTIONE INDE DEBITA.

D. Th. QQ. 64 et 65.

Q. 64. in Procem. — Expeditis iis quæ spectant acceptionem personarum, quæ est vitium oppositum justitiæ distributivæ, restat agendum de vitiis oppositis justitiæ commutativæ, per quæ infertur nocumentum proximo, quod fit dupliciter, facto et verbo. *Facto*, lædendo ipsum in propria persona per homicidium et mutilationem, vel in rebus exterioribus per furtum et rapinam. *Verbo*, tum in judicio per injustitiam judicis, accusatoris, advocati, testis et rei; tum extra judicium, per contumeliam, detractionem, susurrationem et maledictionem. De quibus omnibus suo ordine agemus, necnon de obligatione restituendi ex illis contracta. De damno animæ necnon de injuria illata per stuprum et adulterium, dicam in appendicibus ad hanc dissertationem.

ARTICULUS

Utrum sit licitum occidere malefactores?

Delirium fuit Manichæorum, non esse licitum occidere bruta animalia, neque destruere herbas, quod eorum animas a bono principio, et quasdam divinitatis particulas esse dicerent : unde eorum occisionem præcepto *Non occides* esse prohibitam volebant contra expressa S. Scripturæ testimonia : nam Genes. 1 dixit Deus Adæ : — **Ibid. a. 8. o.** — *Ecce dedi vobis omnem herbam, et universa ligna sint vobis in escam et cunctis animantibus terræ.* Et Gen. 9, dixit Noe et filiis ejus : *Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Insuper, in veteri Testamento occidebantur quotidie animalia ad sacrificia; in novo autem Christus ipse manducavit pisces et agnum Paschalem qui debuerunt prius occidi.

Ib. et 1. p. q. 96. a. 1. o. — *Id etiam probat ratio.* Sicut enim in generatione rerum

intelligitur quid ordo quo proceditur de imperfecto ad perfectum; nam materia est propter formam, et forma imperfectior propter perfectiorem : ita etiam est in usu rerum naturalium; plantæ enim utuntur terra ad sui nutrimentum, animalia vero plantis, et homines plantis et animalibus; unde naturaliter homo dominatur animalibus. Et propter hoc Philos. 3 Polit. dicit quod venatio silvestrium animalium est justa et naturalis, quia per eam homo vindicat sibi quod est naturaliter suum, et suum exercet dominium, juxta illud Gen. 1 : *Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et universis animantibus quæ moventur super terram.*

Adverte tamen quod, qui crudeliter necaret bestias et eorum doloribus delectaretur, peccaret venialiter propter abusum potestatis herilis et dominii. Hac etiam crudelitate assuescit homo, ut talis sit in homines : unde illud Proverb. 12 : *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.*

Si quæras utrum ante diluvium esu carnium fuerit licitus et in usu?

1. 2. q. 102. a. 6. ad 2. — *R.* Negant plures Patres, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, quibus aliquo modo assentire videtur S. Thomas, dicens : *Esus carnium videtur esse post diluvium introductus.* Affirmant Cajetanus, Soto, Franciscus a Victoria, Natalis Alexander, etc. Mediam init viam Sylvius, docens fuisse quidem licitum ac verisimiliter a quibusdam usurpatum, cum nec jure naturæ nec aliqua Dei lege prohiberetur; religiosiores tamen abstinuisse, eo quod Deus assignans homini cibum Genes. 1, diserte solum expresserat herbas et non carnes, licet eas non excluserit : post diluvium vero, cum Deus, Gen. 9, aperte declaraverit se tradere homini omnia viventia in cibum sicut olera, introductum fuisse passim et communiter apud omnes; et ita intelligit dictum S. Thomæ laudatus Sylvius, cujus sententia nobis probatur. His in antecessum breviter discussis, ad quæstionem propositam

Hic q. 64. a. 2. o. — *Dico.* Licitum est occidere malefactores bono communi noxios.

Ibid. in arg. s. o. — *Prob. auctoritate S. Scripturæ.* Exod. 2 dicitur : *Maleficos non patieris vivere;* et David Psalm. 100 tanquam laudabiliter factum narrat : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Apostolus Rom. 13 : *Si malum feceris, time non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est vindex in iram ei qui malum agit.* Potestas autem gladii nihil est aliud quam potestas effundendi sanguinem et auferendi vitam.

Ibid. o. — *Prob. ratione.* Omnis pars ordinatur ad totum ut imperfectum ad perfectum, et ideo omnis pars est naturaliter propter totum; et propter hoc videmus quod, si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, puta, cum est putridum vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur : atqui quælibet persona particularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum : ergo si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur ut bonum commune conservetur.

Vides hanc Auctoris rationem probare de omnibus et solis peccatoribus reipublicæ noxiis. Non est ergo hic attendendum ad gravitatem seu malitiam peccati secundum se, sed ad nocumentum quod infert reipublicæ. Unde leges militares non sunt dicendæ injustæ, licet pœnam mortis decernant pro culpis secundum se levibus, puta, pro brevi somno, pro deserta statione, neglecta custodia, parva inobedientia, exiguo furto; quia ex ejusmodi delictis, quantumvis secundum se levibus, gravissima mala reipublicæ sequerentur, si non severissime coherentur.

Advertunt hic auctores, lapsum esse Scotum, cum absolute negat fures posse licite occidi. En ejus verba in 4, dist. 15, q. 3, § *Sed quis*, apud Serram hic : « Lex divina » absolute prohibuit, non permittas homi» nem occidi, et nulli licet inferiori in lege » superioris dispensare : ergo nulla lex po» sitiva, constituens hominem occidendum, » justa est, si in illis casibus statuat quos » Deus non excipit : excipit autem multos, » ut patet in Exodo, scilicet blasphemum, » homicidam, adulterum et multos alios, etc. » Constat quod Deus in lege Moysi vel evan» gelica non excipit peccatum furti ab illo » præcepto *Non occides*, ut scilicet propter » hoc peccatum liceat occidere; et ideo nisi » revocaverit aliqua revocatione speciali quæ » non habetur ex S. Scriptura, nec de bulla » super hoc descendente de cœlo audivimus, » non video quod lex aliqua usta possit sta-

» tuere hominem occidi posse pro furto » solo. »

Hanc sententiam multis momentis falsitatis arguunt Cajet. hic, Soto lib. 5 de Jure q. 1, a. 2. Alii damnant ut minus consonam fidei, ut temerariam, ut erroneam. Verum Scoti discipuli magistrum explicant, contenduntque eum duntaxat loqui de furto simplici prout est nocivum particulari tantum, non autem de furto prout est nocivum bono communi; sub hoc enim duplici respectu potest considerari furtum. Imo Franciscus Henno contendit S. Thomam infra q. 66, a. 6, ad 2, expresse sentire cum Scoto. Quod Scotistæ suum doctorem merito venerabilem defendant, non invideo; sed quod S. Thomam hac in parte illi consentientem traducant, non fero. Etenim dum S. Thomas q. 66 citata, dicit quod pro furto non infligatur pœna mortis, statim subdit, *nisi aggravetur per aliquam circumstantiam*, cujus ponit plura exempla, ut furti rei sacræ, peculatus et plagiatus: hoc autem non dixit Scotus. Insuper ratio D. Thomæ in præsenti articulo probat universaliter omnes peccatores bono communi nocivos licite morte plecti. Hujusmodi autem esse plures fures nullus dubitat: tales sunt, præter jam assignatos, fures domestici, fures equorum, boum, ovium pascentium in agris, fures pannorum seu linteaminum ad siccationem expositorum, et alii similes ex quibus securitas publica, negotiatio, famulatus necessarius, aut communitas quovis alio modo perturbatur et vexatur: id autem erui non potest ex ratione Scoti, quin potius contrarium asseri non paucis videtur. Sed quidquid in hac parte senserit doctor subtilis, non me movet; me moveret autem quod addit ibidem laudatus P. Henno, Alexandrum Halensem fuisse præceptorem S. Thomæ, nisi hanc fabulam ad nauseam decantatam, jam pluries et medullitus contritam haberemus; pro quo vide Natalem Alexand. t. 7, in Appendice, Echard in S. Thomam, Touron. in vita S. Thomæ et alios.

Dices contra conclusionem. Deus sibi soli vitæ humanæ reservavit dominium, *ut patet* Deut. 3: *Ego occidam et ego vivere faciam;* 1 Reg. 2: *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit;* et Sap. 13: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem:* unde generale est istud mandatum Exod. 2 et Matth. 5: *Non occides;* ita ut nemo possit hominem occidere nisi ipse Deus in hac sua generali lege dispensaverit et occidendi auctoritatem fecerit. Ergo.

R. auctoritatem occidendi malefactores Deum contulisse tum lege positivo Exod. 22: *Maleficos non patieris vivere;* tum lege naturali scripta in cordibus hominum, recta scilicet ratione dictante amputandam esse partem, ne totum pereat.

1. 2. q. 100. a. 8. ad 3.—Non est ergo tam generale istud mandatum, *Non occides*, sicut istud, v. g. *Non pejerabis;* sed restringitur ad occisionem indebitam, sicut istud, *Non concupisces rem alienam*, restringitur ad concupiscentiam indebitam: unde sicut concupiscere rem alienam modo et desiderio justo non comprehenditur hoc mandato, *Non concupisces;* ita occidere hominem quando recta ratio postulat, non comprehenditur hoc mandato, *Non occides.*

Inst. Quod est secundum se malum, nullo bono fine fieri licet: atqui occidere hominem est secundum se malum: Ergo. *Prob. minor.* Ad homines tenemur habere charitatem, amicos autem vivere volumus et esse. Ergo.

Hic q. 64. a. 2. ad 2.—*R. D. min.* Occidere hominem innocentem et secundum se malum, *C.* nocentem, *N.* Quia homo peccando ab ordine rationis recedit et ideo decidit a dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber et propter seipsum existens, et incidit quodammodo in servitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur secundum quod est utile aliis, juxta illud Psal. 48: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis;* et Proverb. 11 dicitur: *Qui stultus est, serviet sapienti.* Et ideo quamvis hominem in sua dignitate manentem occidere, sit secundum se malum, tamen hominem peccatorem occidere potest esse bonum sicut occidere bestiam; pejor est enim malus homo quam bestia et plus nocet.

eque hic deest charitas, sed est ordinata quæ præfert bonum commune particulari.

Repones. Genes. 9, prohibetur occisio hominis, quia *ad imaginem Dei factus est:* atqui hæc imago permanet in homine peccatore. Ergo.

R. D. maj. Prohibetur occisio hominis, quia etc. auctoritate privata, *C.* auctoritate publica, *N.* Dicitur enim ibidem: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, funde-*

tur sanguis illius : ubi aperte docetur homicidam posse auctoritate publica morti addici jure vindictæ. Voluit ergo duntaxat Deus verbis argumenti deterrere homines occisione; quasi diceret: Si a cæde hominis non te deterreat quod sit ejusdem tecum naturæ, deterreat saltem quod sit imago Dei. Sed quantumvis hæc imago Dei maneat in homine bono communi noxio, voluit tamen Deus eum morte plecti ; quod nobis constat tum lege scripta, *Maleficos non patieris vivere,* tum lege naturali scripta in cordibus nostris, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Qua auctoritate liceat occidere malefactores ?

Q. 64. a. 3. o.—*Dico.* Sola auctoritate publica, non privata, licitum est occidere peccatores : intellige ex intentione et in vindictam, non præter intentionem et in defensionem propriam, *ut patebit ex infra dicendis.*

Ibid.—*Prob.* Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis : ergo ad illum solum pertinet cui committitur cura communitatis, hoc est, ad personam publicam ; sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit salus totius corporis.

Confirmatur. Si cuilibet particulari injuriam passo liceret privata auctoritate ulcisci, omnia cædibus replerentur : et ideo Deus sibi reservavit vindictam per se vel per suos ministros exercendam, Deut. 32 : *Mea ultio, et ego retribuam ;* et Rom. 12 : *Mihi vindicta, et ego retribuam.*

Contra hanc conclusionem statim occurrunt tres vulgares objectiones : prima, quod cuique privato liceat occidere bannitos seu a republica vel principe proscriptos ; *secunda,* quod liceat patri occidere filiam adulteram et adulterum in flagranti deprehensos, similiter marito uxorem adulteram et adulterum ; *tertia,* quod cuilibet liceat occidere tyrannum.

Ad primum, *R.* eos qui occidunt bannitos a rege vel republica proscriptos, non occidere privata auctoritate, sed auctoritate reipublicæ vel principis tanquam ejus ministros. Porro ita proscribere nec solet nec potest respublica seu princeps nisi rarissime, quando nempe malefactor non potest apprehendi vivus, et si diutius vivat grave reipublicæ periculum imminet ; quod ut caveatur fit cuique licentia ipsum occidendi.

Ad secundum, fateor quidem juxta leges civiles, patrem posse occidere filiam adulteram et adulterum in flagranti deprehensos ; similiter maritum posse occidere adulterum, non tamen uxorem adulteram, saltem a tempore Augusti, nisi forte apud quasdam nationes inter quas hæc prior lex adhuc vigebat tempore Nicolai papæ, cap. *Inter hæc*, causa 33, q. 2. Sed *hoc dato, R.* cum Auctore, —**In 4. d. 37. q. 2. a. 1. o.**— quem communiter sequuntur theologi et canonistæ, has leges valere duntaxat in foro judiciali, quatenus in eo non punitur pater aut maritus hujusmodi occisionis reus, propter maximum incitamentum quod habet in tali facto ad occisionem adulterorum. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, ut judicet eum sine reatu pœnæ æternæ, ex hoc quod sit sine reatu pœnæ infligendæ per judicium sæculare. Nusquam ergo Ecclesia hujc licentiæ per leges civiles concessæ annuit, quin potius approbat loco supra citato ; et merito, tum propter manifestum periculum damnationis æternæ illorum qui sic occiduntur, idque sine necessitate, cum possint capi, accusari et per sententiam puniri, quod non contingit in proscriptis ; tum etiam quia daretur occasio cuilibet quem voluerit domi suæ occidendi, fingendo congressum fuisse cum uxore aut filia.

Inst. Viri est suam uxorem corrigere, patris filiam : atqui correctio fit per inflictionem pœnæ : cum ergo justa pœna adulterii sit mors, quia est capitale crimen, videtur quod liceat viro uxorem adulteram occidere, et patri filiam.

Ibid. ad 4. — *R.* quod duplex sit congregatio : quædam œconomica, sicut familia aliqua ; et quædam politica, sicut civitas aut regnum. Ille igitur qui præest secundæ congregationi, ut rex aut judex, potest infligere pœnam corrigentem personam et exterminantem, ad purgationem communitatis cujus curam gerit. Sed ille qui præest in prima congregatione, sicut paterfamilias, non potest infligere nisi pœnam corrigentem, quæ non se extendat ultra terminos emendationis, quam transcendit pœna mor-

tis; et ideo vir, qui sic præest uxori, non potest ipsam interficere, sed alias castigare; similiter pater erga filiam.

Ad tertium. Distingui debet duplex tyrannus: unus regiminis tantum; non raro enimo accidit quod veri et legitimi principes tyrannice regant et populum opprimant: alter ipso jure regni, quatenus illud iniquè usurpavit. Certum est tyrannum primo modo nemini privato licitum esse occidere, quia est verus dominus, verus superior; veris autem dominis etiam *dyscolis* jubemur obedire, Epist. Rom. 13 et 1 Pet. 2. Et ita primi Christiani obediebant principibus ethnicis tametsi Ecclesiam persequentibus, et pro ipsis orabant, mandante Apostolo. Et sane alias nullus princeps esset in tuto, hoc ipso quo quisse ab illo gravatum conquereretur: unde in concilio Constant. damnata est hæc propositio de hujusmodi tyrannis: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassalum vel subditum.*

Notant tamen auctores, posse rempublicam contra nimis insolentem tyrannum, congregatis regni comitiis, procedere, ipsum deponere, aut occidendum proscribere, si aliter occurri non possit; quia, inquiunt, rex habet a republica auctoritatem regiam, non in destructionem, sed in ædificationem et conservationem, per quam proinde potest tolli si in apertam perniciem vergat. Verum inde sæpe mala ipsa tyrannide majora ingruere solent: quapropter potius patienter toleranda est oppressio, et ad Deum recurrendum.

In 2. d. ult. q. 2. a. 2. ad 5. — Tyrannum vero usurpatione regni quamdiu in eum respublica non consentit, posse, positis certis conditionibus, a quolibet privato occidi, tenet communis sententia cum Auctore; quia non est princeps, sed hostis et oppressor reipublicæ, contra illam continuum gerens bellum: unde duplici titulo potest quilibet privatus eum occidere 1° jure defensionis, tanquam injustum invasorem, et hoc auctoritate privata; 2° jure vindictæ, et hoc auctoritate publica quam cuilibet civi communitas censetur committere quasi militi adversus hostem in bello justo. Vide Cajet. hic.

Dixi, *positis certis conditionibus*: 1° quod certum sit tyrannum nullum habere jus ad regnum; 2° quod non sit superior ad quem possit haberi recursus, 3° quod tyranni occisioni respublica non contradicat; 4° quod ex ejus occisione bene speretur tranquillitas reipublicæ. et non potius inde timeantur majora mala, ut sæpe accidit: quapropter raro consultum est tali remedio uti.

Vices insuper contra conclusionem. Laudabile est quod homo, etiamsi sit privata persona, operetur quod est utile bono communi: sed occisio malefactorum est utilis bono communi, ut dictum est: ergo

Hic q. 64. a. 3. ad 3. — *R.* quod facere aliquid ad utilitatem communem quod nulli nocet, hoc est licitam cuilibet privatæ personæ; sed si sit cum nocumento alterius hoc non debet fieri nisi secundum judicium ejus ad quem pertinet æstimare quid sit subtrahendum partibus pro salute totius.

Petes utrum clericis jurisdictionem temporalem habentibus liceat occidere malefactores, seu ad eorum occisionem directe concurrere?

Ib. a. 4. o. — *R. negative.* Id enim ipsis prohibetur c. 5 et 9, tit. *Ne clerici et monachi*, lib. 3 Decretal.

Ibid. — *Ratio etiam suadet.* 1° Quia clerici sunt electi ad altaris ministerium in quo repræsentatur passio Christi occisi, qui cum percuteretur non repercutiebat, ut dicitur 1 Petri 2: et ideo non competit quod clerici sint percussores aut occisores; debent enim ministri suum dominum imitari. 2° Quia clericis committitur ministerium novæ legis, in qua non determinatur pœna occisionis vel mutilationis corporalis; et ideo ut sint idonei ministri novi Testamenti, debent ab his abstinere.

Quod autem quidam dicant, id etiam ipsis prohiberi jure divino propter verbum Apostoli 1 Timoth. 3, dicentis: *Oportet episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem*, quod profert S. Thomas in arg. *Sed contra*; non satis probatur: quia Apostolus ibi non loquitur de percussione justa et per auctoritatem facta, sed de quacunque percussione injusta et irrationabili ex privata ira; quasi diceret: Oportet episcopum non esse facilem ad percutiendum neque asperum et crudelem in suos. Neque S. Thomas verbum adduxit Apostolicum, inquit Soto, ac si habendum esset pro lege, ne clerici in causa sanguinis judices sederent, sed solum per viam consequentiæ et exempli, nempe quod postquam admonentur ne sint percussores, merito

Ecclesia cavit ut ab omni percussione abstinerent.

Nomine autem clericorum hic intelliguntur omnes clerici, cum hac tamen differentia, inquit idem Soto, quod clerici majorum ordinum peccent mortaliter, clerici autem minorum ordinum peccent venialiter, quod etiam est probabile de prima tonsura initiatis.

Quid ergo facere possunt et debent clerici quibus jurisdictio temporalis competit?

Ibid. ad 3. — *R.* Possunt et debent constituere judices ad hujusmodi causas sanguinis discutiendas et judicandas. Possunt etiam hos judices monere, imo et ipsis præcipere ut de tali causa inquirant et quod justum fuerit faciant. Ita ipsis conceditur in jure, c. *Episcopus*, tit. Ne clerici et monachi in 6, his verbis: *Licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, tamen, cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.* Non possunt tamen quidquam dicere aut facere quo judices a se deputatos moveant ad infligendam mortem vel mutilationem, neque esse præsentes sententiæ aut ejus exsecutioni, c. *Ex litteris* de Excessu prælatorum. Et si adsint, incurrunt irregularitatem.

Quantum vero ad alios clericos qui non habent jurisdictionem in tali causa, si adsint exsecutioni ex levitate vel curiositate, nullam auctoritatem vel auxilium præstantes, peccant quidem contra cap. *Sententiam*, tit. Ne clerici vel monachi, lib. 3 Decretal. sed, juxta interpretationem doctorum, venialiter tantum, nec fiunt irregulares.

ARTICULUS III.

Utrum liceat alicui occidere seipsum?

Q. 64. a. 5. o. — *Dico* 1° Seclusa auctoritate divina jubente vel permittente, lethale peccatum est occidere seipsum directe et ex intentione.

Est contra quosdam de grege Donatistarum qui, ut refert S. August. lib. de Hæresibus, hæresi 89 et alibi, existimabant esse quoddam genus martyrii occidere seipsum, et passim hoc faciebant, domosque circuibant ut alios ad id impellerent: unde *Circumcelliones* seu *Circuitores* dicti.

Ibid. in arg. s. c. — *Prob.* 1° ex præcepto *Non occides*, de quo idem S. August. lib. 1 de Civit. c. 20: « Restat, inquit, ut de homine » intelligamus illud quod dictum est: *Non* » *occides*; nec alterum; ergo nec te: neque » enim aliud quam hominem occidit qui » seipsum occidit. »

Ibid. o. — *Prob.* 2° *triplici ratione. Prima.* Quod aliquis occidat seipsum, est contra inclinationem naturalem et contra charitatem qua quilibet debet seipsum diligere. Ergo. *Prob. ant.* Naturaliter quælibet res se ipsam amat, et ad hoc pertinet quod quælibet res naturaliter conservat se in esse, et corrumpentibus resistit quantum potest. Ergo.

Neque obstat quod desiderium moriendi non sit semper signum odii in se, imo quandoque sit licitum, *ut patet* in Apostolo. Non enim dico quod desiderium moriendi modo et medio licito propter bonum finem, sit contra inclinationem naturalem et charitatem, sed per se ipsum moliri in suam destructionem: multa quippe possumus desiderare ut fiant, quæ tamen facere non possumus. Sic possum desiderare mortem alicujus scelesti, quem tamen non mihi licet occidere; sic possum desiderare multa pati pro Christo, quæ non possum mihi inferre.

Ibid. — *Secunda ratio.* Qui occidit seipsum injuriam facit communitati; quia quælibet pars, id quod est, est totius: quilibet autem homo est pars communitatis, et ita id quod est, est communitatis; non quod communitas habeat dominium vitæ civium, sed custodiam, idque in sui utilitatem. Ergo.

Ibid. — *Tertia ratio.* Qui seipsum interemit peccat in Deum, sicut qui alienum servum interficit peccat in dominum cujus servus est, et sicut peccat ille qui usurpat judicium de re sibi non commissa. Ergo. *Prob. ant.* Vita est quoddam bonum divinitus homini datum, et Dei potestati ac judicio subjectum, qui occidit et vivere facit, juxta illud Deut. 32: *Ego occidam et ego vivere faciam;* et Sap. 16: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Ergo.

Ibid. ad 3. — *Confirmatur et simul præveniuntur plures instantiæ.* Nulla est causa assignabilis propter quam sit licitum occidere seipsum. 1° Non transitus ad meliorem vitam; quia id non subjacet libero hominis arbitrio, sed potestati divinæ. 2° Non ut quis miserias præsentis vitæ evadat, quia ultimum malorum hujus vitæ et maxime terribile est mors. unde esset majus ma-

lum assumere ad minoris mali vitationem. — **Ibid. ad 5.** — Et quamvis se ob hunc finem interficere, habeat quamdam speciem fortitudinis, non est tamen vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia sustinere. — **Ibid. ad 3.** — 3° Non propter peccatum commissum, tum quia quis per hoc sibi adimit tempus necessarium pœnitentiæ, cum quia malefactorem occidere non licet nisi per judicium publicæ potestatis. — **Ibid.** — 4° Id non licet mulieri ne ab alio violetur; quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui occisio, ut vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violationem corruptæ, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut Lucia dixit; et aliunde constat minus esse peccatum fornicationem vel adulterium quam homicidium, præcipue sui ipsius. — **Ibid. ad 4.** — Nec aliter excusantur sanctæ quarum memoria in Ecclesia celebratur, quæ, ne violarentur, in ignem vel fluvium se projecerunt, aut aliter sibi mortem intulerunt, quam quod id fecerint ex instinctu Spiritus sancti: unde de S. Apollonia canit Ecclesia, quod in ignem prosilierit majori Spiritus sancti flamma intus accensa. — **Ibid. ad 3.** — 5° Tandem nulli licet occidere seipsum ob timorem ne consentiat in peccatum; quia non sunt facienda mala ut veniant bona vel ut vitentur mala, præsertim incerta. Incertum est enim an aliquis in futurum consentiat in peccatum, cum id pendeat ex ejus libera voluntate, et potens sit Deus hominem, quacumque tentatione superveniente, liberare a peccato.

Dices 1° S. Hieronymus in cap. 1 Jonæ quod refertur causa 23, q. 5, videtur aperte asserere contrarium, dum dicit: *In persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur.* Ergo.

R. Plures sic interpretari S. Hieronymum, ut hæ particulæ *absque eo* non sumantur exclusive, sed inclusive; ut sensus sit, non licere propria perire manu etiam tunc ubi castitas periclitatur: sicut intelligitur istud Cantic. 4: *Tota pulchra es, absque eo quod intrinsecus latet.* Alii respondent S. Hieronymum non simpliciter id asseruisse, sed respective ad mulieres quæ in tali casu fuerunt excusatæ propter instinctum Spiritus sancti, aut propter ignorantiam invincibilem; ita ut sensus sit: Non licet propria perire manu, nisi forte quando castitas periclitatur, liceat eis qui divinitus ad hoc moventur, aut invincibiliter putant id esse licitum: non pauci enim arbitrantur posse invincibiliter ignorari esse malum se in tali periculo occidere, quamvis id neget S. Augustinus. Verum alii has interpretationes ut nimis contortas rejiciunt, et simpliciter fatentur S. Hieronymum hujus fuisse sententiæ, a quo cum SS. Aug. et Thoma et aliis pluribus est recédendum.

Dices 2° Occidere malefactores licet habenti publicam auctoritatem; sed quandoque ille qui habet publicam auctoritatem est malefactor: ergo licet ei occidere seipsum. **Ibid. ad 3.** — *R.* quod ille qui habet publicam potestatem potest licite malefactorem occidere, per hoc quod potest de ipso judicare; nullus autem est judex sui ipsius: unde non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum; licet tamen ei se committere aliorum judicio.

Petes an saltem judex possit condemnare reum ut seipsum occidat?

Infra q. 69. a. 4. ad 2. — *R. negative.* Quia licet hanc auctoritatem reipublicæ potuisset absolute Deus concedere, nulla tamen est ratio existimandi contulisse, cum id sensus humanus non ferat, inclinationi naturali omnino repugnet, et suppetant alii plures modi malefactores puniendi.

Hinc inferes, malefactorem non posse damnari ut sumat ipse venenum, venam sibi aperiat, guttur aut pectus transfodiat; et si id sententia ferret, posset non illi parere, quia nulla est ei injusta.

Dico 2° Neque licet occidere seipsum indirecte, faciendo aut omittendo aliquid unde sequatur mors, licet non intenta; nisi adsit justa et rationabilis causa illud faciendi vel omittendi.

Probatur prima pars. Quando est illicitum aliquid facere directe, etiam illicitum est illud facere indirecte, aliquid scilicet agendo vel omittendo unde sequatur; quia tunc est voluntarium interpretative in causa, nisi justa ratio sic agendi vel omittendi excuset, et voluntarium morale a tali effectu tollat: unde

Prob. secunda pars. Præceptum vitam conservandi, utpote affirmativum, non obligat pro semper seu in omni casu, sed tan-

tum quando moraliter servari potest : atqui quando occurrit justa ratio aliquid faciendi vel omittendi ex quo præter intentionem sequitur mors, jam vita non potest moraliter conservari. Ergo.

Confirmatur. Quando adest justa ratio aliquid faciendi vel omittendi ex quo sequatur mors præter intentionem, mors non censetur voluntaria in causa, saltem moraliter et imputabiliter. Ergo. *Prob. ant.* Ut aliquis effectus censeatur voluntarius in causa moraliter et imputabiliter, requiritur, juxta ea quæ traduntur communiter de voluntario, quod possim et debeam amovere causam talis effectus; si enim nulla lege tenear amovere hanc causam, quin potius habeam justam rationem illam ponendi, non est cur effectus inde sequens contra meam intentionem mihi imputetur ut voluntarius. ergo. Confer quæ dixi de cooperantibus ad injustam damnificationem, § *Participans*, et quæ dicam infra de occisione injusti invasoris vitæ.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Ex dictis colliges, 1° eos suicidii reos esse, qui levibus de causis se injiciunt in discrimen mortis, ut sunt, v. g. funambuli, circulatores qui se vulnerant aut venena sumunt; nisi longa experientia, vel experimentis factis in brutis, certi sint de sua dexteritate aut remediorum suorum efficacia.

2° In eodem genere graviter peccant qui sibi mortem accelerant per crapulam, ebrietatem, frequentem vini adusti potum, et per immoderatas passiones : plus vel minus secundum quod plus vel minus morti suæ concurrunt; sed priores in hoc maxime culpandi, quod mediis quæ Deus ad conservationem vitæ instituit, iis abutantur ad mortem.

3° Rei sunt qui dum ægrotant recusant remedia communia, certo seu probabilius profutura et non nocitura, si ex eorum defectu mors sequatur. Secus si remedia sint insolita, valde difficilia, aut multum pretiosa, attentis personarum conditionibus; quia non tenemur vitam conservare nisi mediis ordinariis, neque jubet Deus ut de vita longiore ita simus solliciti.

4° Non sunt culpandi, sed plurimum laudandi, qui ex motivo virtutis corpus abstinentiis, vigiliis et aliis austeritatibus affligunt, unde valetudo minuitur, et vita breviatur; quia motivum virtutis est ipsis justa causa has macerationes exercendi, quamvis inde præter intentione forte aliquantocius mors adveniat. Dico *forte*, quia austeritates moderatæ sæpe vitam producunt potius quam contrahant, ut patet in multis anachoretis et monachis, qui, quamvis severæ pœnitentiæ addicti, vitam tamen longævam duxerunt.

Nec obstat dictum S. Hieronymi : *Nihil interest parvo vel magno tempore te interimas.* Id enim verum est duntaxat de his qui vel agunt ex intentione mortis, vel nullam justam causam habent agendi id unde vita fit brevior; alioquin et ipse S. Hieronymus fuisset suicida.

Intellige tamen semper austeritates, ut dixi, moderatas et juxta prudentiæ regulam assumptas : illicitæ sunt enim immoderatæ quæ notabiliter sanitati officiunt et sunt manifeste occisivæ, neque in his currit motivum virtutis ; quin potius virtutum exercitio obsunt, dum, corpore viribus exhausto, spiritus impeditur in suis functionibus.

5° Non peccat miles qui jussus stationem non deserit, primus muros ascendit, ignem pulveri tormentario injicit ad evertendam turrim, quamvis inde videat se certo occidendum; imo ad id tenetur titulo justitiæ, sicut pastor eodem titulo tenetur inservire infectis peste, etsi certo inficiendus. Eadem quicumque præstare potest ex charitate aut motivo boni communis; quia hoc non est seipsum directe interimere, sed ob justam causam mortem suam permittere.

6° Probabiliter excusandus videtur miles qui, in navi inimica positus, ignem in pulverem tormentarium injicit, ut navis et hostes pereant, etiam cum certa sui internecione, si tamen inde sequatur patriæ libertas; secus si non sequatur, eo quod sint plures aliæ naves hostium. *Ratio est*, quia cum hujus actionis sit duplex effectus immediatus, scilicet destructio hostium et sui occisio, potest primus intendi et alter permitti, ubi subest justa ratio, ut fusius dicam articulo subsequenti ex Auctore. In primo autem casu certa liberatio patriæ est bonum quod prævalet vitæ unius particularis, propter quod proinde potest permitti hujus vitæ amissio : secus in secundo casu. Hac ratione quidam excusant facta Samsonis et Eleazari; sed id non videtur posse

admitti de Samsone, quia ipse directe intendebat suam mortem, *ut patet* ex ejus verbis : *Moriatur anima mea cum Philistiim.*

7° Culpandus est e contra miles qui in propria navi injicit ignem in pulverem tormentarium, ne ipse cum navi veniat in potestatem hostium, si tamen maneat in navi ; quia quod non exponatur hostium ludibrio aut ab ipsis non interficiatur, non est sufficiens ratio ob quam ponat actionem de se sui occisivam : et ideo inculpatur a S. Aug. et D. Thoma factum Rasiæ 2 Machab. 14. Si autem exsiliat in mare, quamvis cum periculo submersionis, excusatur, quia tunc non censetur intendere suam mortem, sed potius se a morte per hostes inferenda defendere. Sic saltem apprehendit sensus communis. Eadem ratione excusatur qui e turri incendio flagrante exsilit cum mortis periculo, quia secundum apprehensionem hominum, non censetur velle se occidere, sed potius dirissimum exustionis tormentum fugere ; idque quodam naturæ instinctu, quo bruta ipsa in talibus circumstantiis posita, idem agerent.

8° Juste damnatus ad mortem, quamvis licite possit fugere, non tamen tenetur. Similiter juste damnatus ut fame pereat, quamvis ipsi liceat oblatum panem accepta re, potest tamen recusare, si id uterque faciat amore justitiæ in justam suorum scelerum vindictam ; quia id non est directe se occidere, sed ob justam causam suam mortem permittere.

Neque obstat quod dicit S. Thomas q. 69, a. 4, ad 2, *quod non sumere cibum* in tali casu, *esset seipsum occidere.* Id quidem verum est per se loquendo, nullo virtutis intuitu movente ; secus si id fiat amore virtutis. Unde ipse S. Doctor hic ad 2, docet quod reus possit se committere judici, et q. 32, a. 6, quod propter bonum commune possit et debeat homo dare panem, v. g. sibi ad vitam necessarium, personæ similiter periclitanti, quæ sit Ecclesiæ vel reipublicæ necessaria.

9° Suicida foret qui se in puteum vel mare projiceret certo submergendum, ut infantem baptizaret : quia effectus immediatus et unicus hujus actionis est submersio ; baptizatio autem infantis, licet ejus occasione fiat, non est tamen ejus effectus, sed alterius causæ, nempe ablutionis et prolationis verborum : non sunt autem facienda mala ut eveniant bona.

Neque obstat e duobus malis minus esse eligendum ; quia id tantum verum est quando alterutrum est necessario faciendum. *Neque* etiam *dicas* præsumendum esse talem esse in hoc casu Dei voluntatem, sicut præsumitur esse voluntatem domini temporalis ut e duabus rebus suis minor pereat ut servetur pretiosior. Sic est equidem de domino temporali qui vult absolute res suas servari, ideoque pretiosiorem præ vili, quando utraque servari non potest : at non sic de Deo, qui, si absolute vellet, posset infinitis aliis modis hujus infantis baptismum procurare ; proindeque præsumi non potest quod velit hunc haberi per suicidium quod prohibet : sicut si homo posset res suas pluribus et facilibus modis conservare, non censeretur velle quod una servetur per destructionem alterius.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem ?

Q. 64. a. 6. o. — *Dico.* Nulli unquam nec etiam reipublicæ licet innocentem occidere directe et ex intentione, nisi sit ipsi facta a Deo specialis auctoritas.

Ib. in arg. s. c. — *Prob.* 1° ex illo generali Dei mandato Exod. 23, *Insontem et justum non occides.*

Ibid. o. — *Prob.* 2° Ideo licet malefactores occidere, quia bono communi sunt nocivi : atqui vita justorum non est nociva bono communi, sed potius illius conservativa et promotiva, quippe qui sunt principalior pars communitatis. Ergo.

Dixi, *directe et ex intentione ;* quia occidere innocentes indirecte et præter intentionem quandoque licere, videtur extra dubium : sic jure belli licite expugnatur civitas aut evertitur turris in qua multi innocentes includuntur ; similiter licite impetuntur hostes, quamvis innocentes in fronte prælii constituerint ; quia, ut jam dixi et dicam iterum articulo seq. — **Hic a. 7. o.** — Quando unius actus sunt duo effectus æque immediati, unus bonus, alter malus, potest subsistente justa ratione intendi bonus et permitti malus : porro eversio turris, explosio tormentorum bellicorum in hostes est immediate defensiva patriæ, et occisiva innocentum : hoc permittitur, illud intenditur propter bonum commune.

Ex dictis inferes, casu quo tyrannus minaretur excidium civitatis nisi interficiat innocentem quem prosequitur ad mortem, ut olim Constantius Athanasium, civitatem non posse illum innocentem occidere; non enim in tali casu vita innocentis est nociva reipublicæ, sed tyranni malitia, propter quam innocens non debet pati mortem.

Neque dicas e duobus malis minus esse eligendum; id quidem verum est quando sunt ejusdem ordinis : porro excidium civitatis est malum physicum tantum, occisio autem innocentis malum morale : unde potius hic locum habet hoc aliud axioma : *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

Si instes. Hujus occisionis sunt duo effectus, scilicet mors innocentis et patriæ liberatio : atqui, ut modo dicebatur, quando sunt ejusdem actionis duo effectus, unus bonus, alter malus, bonus potest intendi ex justa causa et malus permitti. Ergo.

R. minorem esse veram tantum quando duo effectus sunt æque immediati; si enim malus effectus sit prior quam bonus, tunc fiet malum ut eveniat bonum, quod non licet. Hic vero liberatio patriæ non tantum non est effectus æque immediatus hujus occisionis ac mors innocentis, sed neque proprie est ejus effectus; propria enim causa liberationis patriæ est voluntas tyranni, mutata occasione occisionis innocentis.

Sed major difficultas est utrum, si tyrannus petat innocentem a semetipso occidendum, alioquin urbem jamjam eversurus, liceat reipublicæ illum innocentem tradere?

Doctissimus Sylvius cum pluribus aliis censet rempublicam non posse in hoc casu tradere innocentem, quia esset cooperari ejus morti; sed posse illi præcipere ut se tradat, quia ad id tenetur ex pietate pro patria : quod si renuat, desinit esse innocens, et tunc ut reus potest tradi vel occidi. Verum, salva tantis viris debita reverentia, non videntur satis consequenter loqui. Si enim non possit respublica tradere innocentem, quia esset cooperari ejus morti, non potest ipse innocens propter eamdem rationem seipsum tradere; magis enim prohibetur suicidium quam simplex homicidium. Et e contra si posset innocens se tradere, quidni possit etiam eum tradere respublica? Unde

R. probabilius cum aliis, rempublicam posse in tali casu tradere innocentem, non ex intentione ut occidatur, licet prævideat occidendum, sed ex intentione ut liberetur patria ab imminente excidio.

Ratio est 1°, quia talis traditio non est ex natura sua occisiva innocentis, sed ad summum constituit tyrannum in his circumstantiis in quibus potest innocentem occidere; quod non videtur adeo malum fieri non possit pro salute totius reipublicæ. Neque refert quod salus reipublicæ non sequatur immediate ex traditione, sed ex mutata tyranni voluntate; quia etiam mors innocentis non sequitur immediate ex traditione, sed ex malitia tyranni. Dum autem dicimus actionem habentem bonum et malum effectum posse esse licitam propter bonum effectum, si immediate ex illa sequatur, hoc intelligimus quando malus effectus etiam immediate sequitur, quia si malus effectus remote tantum sequatur, sufficit quod bonus etiam remote sequatur, sic, ut possit verificari quod non fiat prius malum ut eveniat bonum.

2° Vel iste innocens sponte se tradet, et tunc nulla fit ipsi injuria; vel renuet se tradere, et tunc gravissime peccat contra rempublicam, cui in tali extremitate tenetur secundum omnes succurrere etiam cum vitæ dispendio : sicque desinit esse innocens, et tanquam reus tradi potest.

Dices 1° Non licet innocentem tradere bestiis frementibus : ergo nec tyranno ipsis crudeliori.

R. N. conseq. Disparitas est, quod bestiæ feroces careant libertate et naturaliter sæviant ac devorent, ita ut perinde sit (secluso miraculo) innocentem objicere feris ac submergere in mare, sitque proinde talis traditio per se occisiva. At tyrannus est agens liberum, non naturaliter occidens innocentem, sed ex libera voluntate quam sine miraculo revocare potest : et ideo tradere ipsi innocentem non est actio de se occisiva.

Dices 2° Non licet tradere sacros codices tyranno petenti ad eos comburendos aut aliter indigne tractandos. Ergo.

R. N. iterum conseq. Quia per talem sacrorum codicum traditionem fit directe gravissima injuria Deo et religioni, quæ prævalet cuicumque injuriæ quæ posset inferri reipublicæ; non sic mors privati innocentis. Et ideo primis Ecclesiæ sæculis innumeri prope fideles mortem oppetierunt ne sacros codices traderent, et qui tradiderant

severissimæ pœnitentiæ subjiciebantur. Adde quod sacris codicibus non incumbat defendere patriam, sicut incumbit civi innocenti.

Dices 3° Si tyrannus peteret virginem stuprandam, non liceret ei tradere : ergo nec innocentem occidendum.

R. N. conseq. propter præsentissimum peccandi periculum ex parte virginis, quod non reperitur in traditione innocentis.

Cæterum *non desunt qui negant antecedens*, et probabiliter tenent posse in tali extremitate tradi virginem seu quamcumque aliam mulierem pudicam et probatæ vitæ ; quia, inquiunt, cum copula in his circumstantiis sit magis horrori quam amori, non videtur tam proximum periculum peccandi formaliter consentiendo libidini. Neque dicenda est casta mulier se active habere ad hunc actum, eo quod videatur se præbere tanquam instrumentum libidinis tyranni ; non enim se præbet, sed permittit tantum et passive se habet, quod putant licere pro salute totius patriæ : sicut, inquiunt, liceret si stuprator jamjam trucidaturus esset virginem nisi violationem suam permitteret ; quia, juxta eosdem, corporalis illa violatio potest considerari ut mutilatio alicujus membri, quam virgo potest permittere ad conservationem vitæ vel patriæ, non consentiendo libidini, ut possibile est, et non ita raro contingit in castis conjugibus. Ita, inquam, sentiunt quidam, quorum sententiam duntaxat refero, non assero, quia periculosa est, si non falsa.

Cæterum *ex ea male inferes*, excusandam fuisse Susannam, si sui violationem senibus impudicis permisisset. Quia illi senes non minabantur illam extemplo occidere, sed accusare tantum coram judicibus ut adulteram. Multa autem licent ad evitandam mortem hic et nunc instantem, quæ non licent si fiat tantum comminatio mortis postea infligendæ, quia non est tam præsens periculum et est spes illud aliqua via evadendi.

De judice condemnante innocentem probatum nocentem, de quo S. Thomas hic ad 3, dicemus dum de injustitia judicis.

ARTICULUS V.

Utrum liceat defendere vitam suam cum occisione injusti invasoris?

Non instituo quæstionem, ut plerumque fieri solet, *an liceat occidere injustum vitæ invasorem?* quia τὸ *occidere*, proprie importat intentionem mortis, quam abesse volumus a moderata defensione : et ideo aliter quæro utrum contra injustum vitæ invasorem liceat eam defendere, quamvis ex defensione sequatur mors invasoris præter intentionem ?

§ I. — *Vera sententia stabilitur.*

Q. 64. a. 7. o. — *Dico.* Unicuique licitum est defendere propriam vitam cum occisione injusti invasoris, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Pro hac sententia præter Auctorem citantur S. Bonaventura, S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Soto, Bannes, Estius, Wiggers, Sylvius, Delugo, Serra, Natalis Alexander, Decocq, Boudard, Pontas, Tournely et innumeri pene alii contra paucos, Gerson, Richard a S. Vic., Norisium, Piette, Henricum a S. Ignatio, cui postremo si credas, opposita sententia vix non erit fidei.

Prob. ex S. Scriptura. Exod. 22 dicitur : ***Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.*** Super quæ verba S. Aug. q. 84 in Exod. dicit : « Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur ; si autem diurnus, pertinere : hoc est enim quod ait, si oriatur sol super eum ; poterat quippe discerni quod ad furandum, non occidendum venisset. »

Respondent adversarii ; hanc legem esse mere judicialem, et decernere duntaxat interfectorem furis nocturni non esse puniendum in foro externo tanquam homicidam ; cum quo stat quod sit puniendus coram Deo.

Sed contra. Quamvis non sit negandum hanc legem esse ex parte judicialem, quatenus statuit de pœnis, est tamen etiam ex parte naturalis et pro foro conscientiæ, quatenus declarat interfectorem furis nocturni non esse reum homicidii, et interfectorem diurni esse reum.

Quod probo 1° ex S. Aug. qui sic hanc legem intelligit, *ut patet* ex ejus laudatis verbis, in quibus profert rationem petitam ex natura rei, cur liceat occidere furem nocturnum, non diurnum ; quasi diceret : Non est

reus homicidii qui occidit furem nocturnum, quia præsumitur venire ad occidendum ; est reus qui occidit furem diurnum, quia dignoscitur venire tantum ad furandum : licet enim occidere invasorem vitæ, non bonorum.

2° Si is qui interficit furem nocturnum est vere reus homicidi coram Deo, sicut ille qui occidit furem diurnum ; quæro cur Deus, qui hujus legis est auctor, hunc morti addicit, et illum a pœna absolvit ?

3° Tandem veram esse intelligentiam nostram evincitur ex hoc quod jus canonicum hanc legem adoptaverit verbis S. Augustini, quæ sensum nostrum aperte exprimunt. Sic enim can. 3 *de Homicid.* Extra. lib. 5, tit. 12, habetur : « Si perfodiens inventus fue» rit fur, et percussus mortuus fuerit, non » est illi homicidium imputandum ; si autem » oriatur sol super eum, reus erit. » Id quoque expresse fert titulus canonis qui sic legitur : *Non occiditur fur diurnus sine culpa, sed nocturnus.* Adde quod jus canonicum spectet forum conscientiæ, non judiciale quoad pœnam mortis.

Prob. 2° *ex jure canonico.* Clementina *Si furiosus*, lib. 5, tit. 4, Clemens V, in concilio Viennensi, sic ait : « Si furiosus aut » infans seu dormiens hominem mutilet » vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem » incurrit. Et idem de illo censemus qui, » mortem aliter vitare non valens, suum » occidit vel mutilat invasorem. »

Neque dicas cum Henrico a S. Ignatio et Aurelio Piette, ex eo quod non incurrat irregularitatem non sequi quod non peccet coram Deo. Sequitur plane si loquamur secundum dispositionem juris, juxta quam omni omnino homicidia peccaminosa habent annexam irregularitatem : si ergo hoc de quo agitur non habeat annexam irregularitatem, bene sequitur quod coram Deo non sit peccaminosum. Et id ulterius indicat concilium, cum illud æquiparat homicidio perpetrato a furioso, vel infante, vel dormiente.

Item can. *Interfecisti* de Homicid. Extra. lib. 5, tit. 12, imponitur specialis et determinata pœnitentia ei qui occidit latronem, cum se poterat aliter liberare. Si vero aliter quam occidendo se liberare non poterat, non imponitur, sed relinquitur ejus arbitrio, et suadetur tantum in genere. Unde hæc disparitas, nisi quia prior peccavit, non posterior ?

Prob. 3° ex hoc principio, *Vim vi repellere licet*, quod omnia jura admittunt. Sic in jure civili ff. *de Justitia et jure* lib. 1, tit. 1, dicitur : « Ut vim atque injuriam pro» pulsemus : nam jure hoc evenit ut quis» que ob tutelam corporis sui fecerit, jure » se fecisse existimetur. » In jure canonico dist. 1, c. 7 : « Jus naturale est commune » omnium nationum.... ut depositæ rei, » vel commendatæ pecuniæ restitutio, vio» lentiæ per vim repulsio. » Innoc. III, c. *Significasti* de Homicidio, Extra. lib. 5, tit 12, loquens de occisione furis percutientis : « Quamvis, inquit, vim vi repellere » omnes leges et jura permittunt, tamen » hoc debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindicatam, sed ad injuriam propulsandam. » Similiter Alex. III, ibid. tit. 39, c. 3.

Respondent adversarii, omnia jura equidem permittere vim vi repellere, sed cum mogeramine inculpatæ tutelæ : non extenditur autem, inquiunt, istud moderamen usque ad internecionem invasoris.

Sed contra 1° Eo usque extendi docet S. Thomas hic dicens : « Secundum jura vim » vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ » prætermittat ad evadendam occisionem invasoris, *audis*, quia plus tenetur homo » vitæ suæ providere quam vitæ alienæ. » Docent S. Bonaventura, S. Antoninus, et concors omnium fere theologorum sententia ; docent ipsa jura omnia, *ut patet ex dictis :* unde Cicero pro Milone, qui interfecerat Clodium, eleganter dicit : « Hoc ratio » doctis, et necessitas barbaris, et mos gen» tibus et feris natura præscripsit, ut om» nem semper vim, quacumque ope pos» sunt, a corpore, a capite, a vita sua pro» pulsarent. »

Contra 2° *et instauratur vis argumenti.* Tunc servatur moderamen inculpatæ tutelæ, quando posita proportione inter malum avertendum et malum ex defensione secuturum, non adhibetur major vis repellens quam sit opus ad malum avertendum, ut fusius explicabo infra : vel dicant adversarii in quo istud moderamen sit positum : atqui sic est in nostro casu. Et 1° habetur proportio inter malum et malum, scilicet inter mortem invasi et mortem invasoris ; damnatio enim invasoris, ut obiter dicam, non

sequitur ex defensione invasi, sed ex propria malitia. 2° Non adhibetur major vis repellens quam sit opus ad avertendam mortem invasi, quia ut supponitur, aliter evadere non potest. Ergo.

Reponunt. Qui occidit, non est defensor, sed invasor. Ergo.

Sed contra. Ille est merus defensor et non invasor, qui nihil aliud facit quam id quod præcise est necessarium ut vim illatam impediat : atqui qui occidit invasorem a quo aliter liberari non potest, non facit plus quam est necessarium ad impediendum vim illatam. Ergo.

Lepidum sane defensionis modum nobis præscribit quidam modernus, scilicet, *dum baculo*, inquit, *aut gladio avertis ictus gladii quo aggressor cor tuum perfodere nititur ;* et in hoc forte aut in aliquo simili reponit moderamen inculpatæ tutelæ. Bene : sed si aggressor quinquaginta passibus distans me catapulta invadat, quis e vestigio mihi subministrabit perticam adeo longam qua catapultam deflectere possim ? Risum ista movent.

Insuper qui debilitat aut mutilat aggressorem ne ulterius noceat, aliquid plus facit quam avertere ictus invadentis : atqui tamen est merus defensor et non invasor, fatentibus adversariis : ergo similiter qui occidit dum aliter evadere non potest.

Ex eodem juris principio eruitur hoc aliud argumentum. Licitum est occidere hominem ex legitima auctoritate : atqui qui defendit vitam suam cum occisione injusti invasoris, id facit ex legitima auctoritate, cum id omnia jura permittant: ergo. *Si petas* quæ sit hæc auctoritas ; an publica, an privata ? *R.* non esse publicam, ut vult Estius ; non enim invasus hic agit ut judex aut princeps ex scientia publica, et intuitu boni communis : sed esse privatam quam natura ipsa omnibus et singulis animantibus etiam ferisindidit ad sui conservationem contra quæcumque noxia.

Prob. 4° ex Patribus Jam vidimus quid censeat S. Aug. in legem Exod. 22. Insuper Epist. 153, alias 54 ad Macedonium, sic ait : « Cum homo ab homine occiditur, multum distat utrum fiat nocendi cupiditate » vel injuste aliquid auferendi, sicut fit ab » inimico, sicut a latrone ; an ulciscendi vel » obediendi ordine, sicut a judice, sicut a » carnifice ; an evadendi vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro a viatore, » hostis a milite. » Quibus verbis aperte docet quod viator non minus licite occidat latronem evadendi necessitate quam miles occidat hostem ; utrumque enim reponit in eodem ordine : hostem autem licite occidi a milite nullus dubitat.

At, inquis, addit S. Aug. : *Et aliquando qui causa mortis fuit, potius in culpa est quam ille qui occidit :* ergo etiam in culpa est qui occidit. *At*, inquio ego, lege quæ sequuntur in S. August. et te in illatione errantem probabis. Subdit enim immediate S. Aug. *Velut si quisquam decipiat fidejussorem suum, atque ille pro isto supplicium legitimum luat ;* numquid in culpa est qui legitimum supplicium infligit ? *Patet* ergo S. Augustinum non sumere hanc particulam *potius* comparative sed adversative.

Idem S. Aug. cont. Faustum lib. 22, cap. 70, dicit : « Ille autem utitur gladio (*male scilicet*), qui nulla superiori ac legitima » potestate, vel jubente vel concedente, in » sanguinem alicujus armatur. » Atqui qui vitam suam defendit cum occisione injusti inv soris, id facit legitima petestate permittente, cum id omnia jura permittant. Ergo.

S. Ambrosius lib. 1 Officiorum, cap. 36, ait : « Neque in inferenda sed in depellenda » injuria lex virtutis est ; qui enim non re» pellit a socio injuriam, si potest, tam est » in vitio quam ille qui facit : unde S. Moyses » prius orsus est testamenta bellicæ fortitu» dinis ; nam cum vidisset Hebræum ab » Ægypto injuriam accipientem, defendit, » ita ut Ægyptium sterneret atque in arena » absconderet. » Non est autem dubitandum, inquit Estius in hæc verba, quin si hoc pacto defendere socium liceat, liceat et seipsum.

S. Cyrillus lib. 1 in Joan. cap. 35, citatus ab Estio in 3, dist. 37, § 21, *Undenam*, inquit, *Petrus gladium habuit ?* Respondet. *Quia secundum legem gladio se defendere licebat.* Et supra : *Nam si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Christus, omni modo fortassis debuissent illum defendere discipuli.*

S. Bonaventura Serm. 6 de decem Præceptis apud Henno : « Si autem sit necessi» tas inevitabilis, ut homo occidat alium non » amore vindictæ sed amore conservationis » vitæ... et fiat hoc cum moderamine in-

» culpatæ tutelæ, hoc concessum est perso-» nis etiam perfectis. »

S. Antoninus p. 2, tit. 7, c. 8, § 1, dicit quod qui occidit invasorem cum aliter non potest evadere, *non est proprie homicida, prout scilicet homicidium dicimus peccatum.*

Quantum da S. Thomam, quoniam de ejus mente litigant adversarii, en integrum ferme corpus articuli 7 quem hic discutimus: « Nihil prohibet, inquit S. Doctor, unius » actus esse duos effectus, quorum alter so-» lum sit in intentione, alius vero præter in-» tentionem: morales autem actus recipiunt » speciem secundum quod intenditur, non » autem ab eo quod est præter intentionem, » cum sit per accidens, ut patet ex supra » dictis. Ex actu ergo alicujus scipsum de-» fendentis duplex effectus sequi potest: » unus quidem conservatio propriæ vitæ, » alius autem occisio invadentis. Actus ergo » hujusmodi, ex hoc quod intenditur con-» servatio propriæ vitæ, non habet rationem » illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod » se conservet in esse quantum potest. Po-» test tamen aliquis actus ex bona intentione » proveniens, illicitus reddi si non sit pro-» portionatus fini: et ideo si aliquis ad de-» fendendam propriam vitam utatur majori » violentia quam oporteat, erit illicitum: » si vero moderate violentiam repellat, erit » licita defensio; nam secundum jura, vim » vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ: nec est necessarium ad salu-» tem ut homo actum moderatæ tutelæ præ-» termittat ad evadendam occisionem alte-» rius; quia plus tenetur homo vitæ suæ pro-» videre quam vitæ alienæ. »

His verbis S. Thomas non solum sententiam nostram aperte asserit, sed etiam triplici ratione eam probat. *Prima est;* quia secundum jura licet vim vi repellere, quam rationem jam satis supra expendimus.

Secunda; quia plus tenetur homo providere propriæ vitæ quam alienæ, hoc enim exigit ordo charitatis et dictat jus naturale: atqui si deberet permittere se occidi potius quam se defendere cum occisione invadentis, plus teneretur vitæ alienæ providere quam suæ. Ergo.

Neque dicas inde sequi quod non solum quis possit se defendere cum occisione invasoris, sed etiam quod teneatur. Equidem tenetur per se loquendo et cæteris paribus, hoc est, si tantum spectetur bonum vitæ et vitæ; secus si spectetur bonum virtutis: sed de hoc latius infra.

Tertia et fundamentalis ratio D. Thomæ *est hæc.* Occisio invasoris in nostro casu non est voluntaria. Ergo non est illicita nec imputabilis. *Prob. ant.* Est præter intentionem: atqui voluntarium non est præter, sed secundum intentionem, seu, ut dicit S. Doctor, actus morales sumunt speciem secundum id quod intenditur, non ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens. Ergo. *Prob. maj.* Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero præter intentionem: sic, v. g. ex expugnatione urbis in bello justo sequitur defensio reipublicæ et occisio plurium innocentum: defensio reipublicæ intenditur ab expugnante, occisio innocentum est præter ejus intentionem. Similiter ex potione medicinali sequitur sanatio ægri et ejus debilitatio; primum intendit medicus, non secundum. Atqui ex actu se defendentis sequitur duplex effectus, nempe conservatio vitæ propriæ et occisio invasoris, quorum primus intenditur, et alter est præter intentionem; non enim invasus intendit aut intendere potest mortem aggressoris, sed defensionem suam duntaxat, ut dicam modo ex S. Thoma. Ergo.

Dices. Dato occisionem in casu non esse voluntariam directe, est saltem voluntaria indirecte in causa; hoc ipso enim quo quis vult causam per se alicujus effectus, hunc vult saltem indirecte in causa. Ergo qui ponit actionem de se occisivam, ut amputare caput, transfodere pectus, vult saltem indirecte occisionem invasoris.

R. 1°. *N. ant. Ad prob.* dico, eam duntaxat esse varam quando hujus causæ est unus tantum effectus, quia tunc agens nihil aliud potest intendere; secus quando est duplex effectus ex S. Thoma, *et patet in exemplis.*

R. 2°. *Dato* occisionem invasoris in casu esse voluntariam indirecte physice, quia actio invasi influit physice in illam: non est tamen indirecte voluntaria moraliter, adeoque nec imputabiliter; quia non tenetur invasus hanc causam omittere, cum eam ponendi habeat justam causam, nempe conservationem propriæ vitæ, cui debet magis prospicere quam alienæ; ad voluntarium autem morale in causa requiritur quod quis

possit et debeat non ponere causam, ut traditur de Actis humanis : *idque patet in prioribus exemplis.* Sic, v. g. actio militum explodentium in innocentes positos in fronte prælii, vel evertentium turrim in qua innocentes cum hostibus sunt inclusi, est de se occisiva innocentum, et tamen eorum mors non est militibus moraliter voluntaria nec imputabilis, quia eam non intendunt, et habent justam rationem ponendi hanc actionem. Stat ergo, juxta S. Thomam et rei veritatem, licitum esse ponere actionem habentem duos effectus, unum bonum, alterum malum, intendendo bonum et habendo se permissive ad malum.

Verumtamen hoc Doctoris Angelici principium, quod late patet et de quo jam sæpe, debet intelligi sub duplici conditione. Prima est, quod bonus effectus æque immediate ex illa actione sequatur ac effectus malus; quia si effectus malus prius sequeretur quam bonus, prius fieret malum quam bonum, et sic fieret malum ut eveniret bonum, quod non licet. Secunda conditio est, quod effectus bonus qui intenditur prævaleat malo qui permittitur, aut saltem eum compenset. 1° Quia dictat recta ratio potius esse carendum minori bono quam illud obtinere per actionem ex qua sequitur majus malum, seu, ut communiter dicitur, ex duobus malis minus esse eligendum. 2° Quia actus quo quis intenderet vitare minus malum causando majus, non esse proportionatus fini, qualem esse necesse est ut sit licitus, ut docet S. Doctor et per se patet. Hinc defectu primæ conditionis, non licet, v. g. ponere actionem occisivam matris, puta, eam scare ut baptizetur proles alioquin peritura in æternum; quia, licet salus æterna infantis prævaleat vitæ matris, non tamen sequitur ex illa actione æque immediate ac mors matris, sed aliunde, nempe ex baptismo; baptismus autem ex ablutione et verborum prolatione : non sunt autem facienda mala ut eveniant bona. Defectu secundæ conditionis sequitur quod non liceat ponere defensionem occisivam pro conservatione, v. g. unius aurei; quia licet conservatio unius aurei æque immediate sequatur ex actione mea ac mors furis, privatio tamen unius aures est longe minus malum quam mors hominis.

Si dicas damnationem æternam invasoris quæ sequitur ex mea actione, esse etiam longe majoris momenti quam mortem meam temporalem : jam respondi invasoris damnationem non sequi ex mea actione, sed ex ejus peccato ac pria malitia. De hoc iterum infra.

§ II. — *Explicatur moderamen inculpatæ tutelæ.*

Dixi in conclusione cum Auctore, *servato moderamine inculpatæ tutelæ :* ut autem servetur illud moderamen, plura requiruntur.

Requiritur 1° juxta dictum Innoc. III, a quo ista phrasis est desumpta, ut adhibeatur defensio non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam. Est autem vindicta irrogatio damni vel pœnæ propter injuriam illatam, et hæc soli Deo vel potestati publicæ reservatur. Defensio autem est propulsatio damni injuriæ quam aggressor conatur inferre. Et hinc

Ibid. — *Requiritur* 2° ut invasus non utatur majori violentia quam sit opus ad avertendam mortem intentatam; alioquin non erit actus proportionatus fini, nec mera defensio, sed vindicta et ultio. Unde quivis sis, etiam si nobilis, si possis evadere fugiendo, clamando, verberando, retundendo, excutiendo arma, aut vulnerando, et sit tempus ac commoditas ista tentandi, occidere non potes. Eadem ratione non potes percutere aut occidere aggressorem fugientem, aut inermem, aut viribus debilitatum, et lædere impotentem, aut quovis alio modo ab aggressione cessantem.

Requiritur 3° ut vera vis actu inferatur; alias non erit defensio, sed aggressio. Hinc non potes prævenire et occidere eum qui solis minis tibi mortem intentat, aut quem scis quærere opportunitatem te occidendi, neque latronem tibi obvium nihil in te actu molientem; nondum enim sunt actu invasores, potestque malum adhuc remotum aliis mediis averti, et forte mutaverunt consilium : neque etiam eum qui dolo, insidiis ac calumnia tibi mortem inferre conatur, puta, falsum testem, falsum accusatorem, iniquum judicem; tum quia non est ibi vera vis quæ morte aggressoris debeat repelli, tum quia ista sunt remota et possunt aliis mediis averti.

Insuper quantum falsum accusatorem, falsum testem, aut iniquum judicem, de quibus est major difficultas, vel potes te probare innocentem, vel non : si primum, jam adsunt alia media evadendi; si secun-

dum, occidendo eum qui non potest probari reus calumniæ vel injustitiæ, incurris tanquam iniquus homicida majus periculum et scandalum Aliunde sententia opposita, quidquid sit de ejus probabilitate speculativa, aperit januam innumeris homicidiis: facile est enim fingere paratas insidias, minas factas, dolum aut calumniam adhibitam, et eo prætextu arripere licentiam quemliber occidendi cum totali eversione reipublicæ; ideoque hoc solo titulo reprobanda: unde Alex. VII damnavit hanc propositionem: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a » quo iniqua certo imminet sententia, si » alia via non potest innocens damnum evadere: » est 18.

Cæterum hæc non sic intellige quasi invasus debeat exspectare donec invasor primum ictum dederit; sed sufficit si is aliquid agat quo censeatur actu moraliter invadens. Hinc si videas latronem vel inimicum parare catapultam, stringere ensem, potes illum prævenire, quia est actu moraliter aggrediens; similiter eum qui parat solvere canes feroces aut leones ut te devorent, qui mandat famulis præsentibus ut te occidant.

Sequuntur casus magis dubii. Primus: uxor deprehendit maritum habere sub cervicali latentem pugionem ut ipsam dormientem trucidet, nec ulla est via evadendi. Secundus: es in oppidulo vel in aliqua domo unde nullum patet effugium, sed necesse est ut incidas in manus inimici te exspectantis ad necem. Tertius: dominus vocat famulos ad te occidendum. Dubium est, inquam, an in his et similibus casibus licebat prævenire. Alii affirmant, alii negant; utrinque probabiliter. Placet responsio nostri Soto lib. 5, q. 1, a. 8. « Ad hæc, » inquit, aliud responderi non potest, quam » cum actus ille est aggressio, nullatenus est » licitus; si tamen defensio est, non est cur » condemnetur. Utrum autem eorum sit? » non est lege aut scientia definiendum, » sed arbitrio prudentis quocumque casu » judicandum. Servit autem hoc ad pacan- » das conscientias post factum, Haud tamen » est in publico hæc licentia prædicanda, ne » rude vulgus, quod discernere nescit quan- » do est aggressio, quando vero defensio, » cam per abusum amplificet. »

Requiritur 4° ut malum quod avertere volumus prævaleat aut saltem adæquet malum quod ex defensione nostra sequitur. — **Ibid.** — 1° Quia, juxta S. Thomam et rei veritatem, ut actus defensionis censeatur moderatus, debet esse proportionatus fini: atqui actus quo quis intenderet vitare minus malum causando majus, non esset proportionatus fini, *ut jam dixi et per se patet*: ergo. 2° Quia si ad moderamen inculpatæ tutelæ sufficeret quod quis, nulla habita ratione proportionis inter malum et malum, non adhiberet majorem vim quam sit necesse ad defendendam rem quæ invaditur; sequitur quod ille non excederet moderamen inculpatæ tutelæ qui occideret invasorem pro uno aureo aut pro pomo quod aliter servare non posset: atqui falsum consequens et damnatum, *ut patebit infra*: ergo.

Requiritur 5° quod invasus non intendat mortem invasoris, sed solum suam defensionem; quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune: unde illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat. Et aliunde talis intentio non est necessaria ad sui defensionem.

Verum non pauci difficile capiunt quomodo invasus possit transfodere pectus aut guttur invasoris, vel dirigere glandem plumbeam in caput ejus, et non intendere ejus mortem; cum hæc actio sit ex natura sua occisiva. Quapropter dicunt invasum non posse quidem intendere mortem aggressoris ut finem suæ actionis, et hoc solum velle S. Thomam; cæterum posse intendere velut medium, cum occisionem invasoris apprehendat ut necessariam ad suam defensionem, vel saltem indirecte in causa ut effectum per se secutum.

Attamen conformius est doctrinæ D. Thomæ et veritati, invasum nullo modo posse intendere mortem invasoris, neque directe ut medium, neque indirecte ut effectum, sed maxime ut medium. 1° Quoad S. Thomam, dicit expresse S. Doctor: — Q. 64. a. 7. — « Quia occidere » hominem (ex intentione scilicet) non licet » nisi publica auctoritate propter bonum » commune, illicitum est quod homo in- » tendat occidere hominem ut seipsum de- » fendat, nisi ei qui habet publicam aucto- » ritatem. » Illud autem vere et proprie intenditur, quod intenditur ut medium, neque potest dici præter intentionem. Et cum sibi objecisset S. Doctor verba S. Au-

gustini dicentis, non sibi placere consilium de occidendis hominibus ne ab eis quisquam occidatur, respondet — Ibid. ad 1. — S. Augustinum intelligendum esse *in casu quo quis intendit hominem occidere ut seipsum a morte liberet:* quibus verbis aperte significat non licere eligere mortem aggressoris ut medium evadendi. 2° Occidere aggressorem, vel habet rationem boni et honesti in se, præcisa habitudine ad finem propriæ defensionis; vel est intrinsece malum, et solum habet quod sit bonum per habitudinem ad defensionem. Primum est manifeste falsum, quia occidere hominem privata auctoritate sine ordine ad finem defensionis, est intrinsece malum. Hoc autem supposito, secundum dici non potest; quia quod est intrinsece malum cohonestari non potest bono fine, quin potius voluntas talis medii vitiat intentionem finis. Quod autem assumitur mortem invasoris esse medium unicum et necessarium ad evadendum, et sic ex intentione finis necessario intendi, abusive dicitur; medium enim necessarium in casu, est actio defensiva invasi ex qua sequitur duplex effectus, salus propria ex intentione, et mors invasoris præter intentionem.

Et hinc etiam probatur mortem invasoris non debere necessario intendi nequidem indirecte ut effectum secutum, quantumvis sit defensio de se occisiva; quia, ut ait S. Thomas, — Ibid. o. — « Nihil prohibet » unius actus esse duos effectus, quorum » alter solum sit in intentione, alius vero » præter intentionem. » Nec desunt hujus veritatis exempla quæ jam attigimus, nec repetere piget. Sic miles in justo bello, dirigens tormentum bellicum in hostes in quorum fronte positi sunt innocentes, aut evertens turrim in qua cum hostibus inclusi sunt innocentes, ponit actionem æque de se occisivam innocentum ac defensivam reipublicæ, et tamen nullo modo intendit eorum mortem; alioquin peccaret. Sic casta mulier, dum exercet meritorie actum conjugalem, solvit debitum et experitur libidinem inseparabiliter annexam in hoc statu naturæ corruptæ: primum intendit, secundum permittit, non intendit; alias non mereretur. Sic chirurgus rumpens vomicam, sanat et cruciat: sanat ex intentione, cruciat præter intentionem. Sic medicus præbens potionem sanativam et simul debilitativam, intendit sanationem, non debilitationem; quippe ei displicet, et vellet absque ea sanare, sed permittit, judicans non esse idcirco abstinendum a curatione ægri.

Quamvis ergo, ubi unius actus unus est tantum, effectus difficile sit concipere, *ut fert instantia*, quod quis intendat causam et non intendat effectum, quia tunc nihil est aliud quod intendat; vides tamen in exemplis recte docuisse S. Thomam rem aliter se habere ubi unius actus sunt plures effectus, et posse unum intendi, et alium esse præter intentionem. Porro sic est in nostro casu: immissionis gladii, v. g. per viscera invasoris est duplex effectus, salus invasi et mors invasoris: invasus intendit præcise suam salutem, non mortem invasoris, quippe ei displicet, et vellet aliter salvari; sed permittit, judicans non esse idcirco abstinendum a defensione sui, quia plus tenetur providere vitæ suæ quam alienæ.

Tandem si quis morose contendat concipi non posse quod quis velit causam per se alicujus effectus, sive sit unus tantum sive sint plures, quin velit saltem indirecte effectum per se in ea contentum; et consequenter, occisionem invasoris in casu esse voluntariam indirecte: nihil nocebit sententiæ nostræ si gratis admittamus occisionem in casu esse voluntariam indirecte physice, quatenus invasus ponit causam physicam illius; non tamen esse voluntariam indirecte moraliter et imputabiliter, quia ad tale voluntarium, juxta theologos in Tract. de Actibus humanis, requiritur obligatio non ponendi causam: invasus autem in casu non obligatur omittere causam, quinimo habet justam rationem illam ponendi, scilicet suæ vitæ conservationem cui plus tenetur prospicere quam alienæ.

Cæterum in praxi raro contingit quod invasus apprehendat defensionem suam esse necessario et infallibiliter occisivam: vel enim invasor poterit ictum subterfugere, vel ipse invasus in actuali conflictu agonisans et turbatus, suæque defensioni unice intentus, vix discernere poterit sive retundendo sive feriendo, actionem suam esse infallibiliter occisivam.

§ III. — *Solvuntur objectiones.*

Obj. 1°. Ex Scriptura sacra, generale est Dei præceptum, Exod. 22, *Non occides*, a

quo nulla fieri debet exceptio, nisi quam Deum constat fecisse : atqui non constat Deum fecisse exceptionem ut possit occidi injustus vitæ invasor; imo non fecisse probatur ex S. Aug. qui lib. 1 de Civit. c. 21, tres tantum assignat exceptiones : primam, in illis qui Deo auctore bella gerunt; secundam, in iis qui personam gerunt publicæ potestatis; tertiam, in his qui ex speciali Dei jussione hominem occidunt, ut jussum erat Abrahæ. Ergo.

R. nec nos facere exceptionem in illo præcepto; proprie enim occidere hominem, est ipsum e medio tollere intendendo ejus mortem, quod illicitum dicimus.

Respondent autem ii qui tenent mortem invasoris posse aliquo modo intendi, Deum hanc exceptionem cordibus hominum inseruisse, dum per omnia jura, maxime per jus naturale, permisit vim vi repellere. *Ad S. Augst. responderi potest*, non omnes exceptiones illic referre; dicit enim tantum eos quos ibi refert, *non fecisse contra hoc præceptum*, Non occides. Ex hoc autem quod isti non fecerint contra hoc præceptum, non sequitur quod quicumque alius occidit illius transgressor. Unde concludit caput his verbis : « His igitur exceptis quos vel lex » justa generaliter vel ipse fons justitiæ Deus » specialiter occidi jubet (*sumit jussionem » late pro concessione, ut patet de bella ge- » rentibus*), quisquis hominem, vel seipsum » vel quemlibet, occiderit, homicidii crimine » innectitur. » Lex autem justa generaliter concedit occidi injustum vitæ invasorem, *ut patet ex probationibus* et specialiter ex ipso S. Augustino.

Obj. 2° ex præcepto charitatis quo jubemur diligere inimicos et ipsis benefacere. Ergo.

R. præceptum diligendi inimicos et ipsis benefaciendi esse affirmativum : ideoque licet obliget semper, non tamen pro semper et in omni casu, sed pro loco et tempore et positis certis circumstantiis : non obligat autem ut, in pari periculo, inimico potius subveniam quam mihi; hoc enim non esset diligere sicut meipsum, ut habetur in lege, sed plus quam meipsum, quod foret contra ordinem charitatis. Audi Doctorem Angelicum : — Ibid. — « Non est necessarium ad salu- » tem, ut homo actum moderatæ tutelæ præ- » termittat ad evitandam occisionem alte- » rius; quia plus tenetur homo vitæ suæ pro- » videre quam vitæ alienæ. »

Inst. Tenemur saltem ex præcepto charitatis vitam nostram corporalem profundere pro salute æterna proximi : atqui hic agitur de salute æterna invasoris, qui si occidatur damnabitur. Ergo.

In cap. 5. Matth. — *R. majorem esse veram* duntaxat quando proximus est in extrema necessitate, a qua erui non potest nisi per mortem meam; ut si infans jamjam esset moriturus absque baptismo. Porro injustus invasor non tantum non est in extrema necessitate, sed nec simpliciter est in necessitate, cum se sponte in hoc periculum conjiciat, a quo sola voluntate sua liberari potest cessando ab injusta invasione. Hanc sane necessitatem non curavit S. Thomas dum decretorie resolvit non esse necessarium ad salutem ut homo omittat actum defensionis ad evitandam occisionem invasoris; hanc non curat justitia publica, dum reus suspendendus non vult confiteri : utquid ergo eam nos quasi ex præcepto curemus? Et numquid si vicinus dicat tibi : *Da mihi mille aureos, alioquin me suspendam*, forte dabis illi mille aureos, ne se insaniens suspendat et in æternum pereat?

Addit Joannes a S. Thoma, neque etiam in extrema necessitate nos teneri cum gravi detrimento adhibere media per accidens et inefficacia tantum ad salutem proximi. Mors autem mea et conservatio vitæ invasoris in casu est per accidens et inefficax ad ejus salutem : etsi enim occumbam ego, et ille salvus evadat, non idcirco salvabitur : forte enim non aget pœnitentiam, et in illo aut altero peccato morietur. Quid si aggressor sit ebrius qui libero judicio non agat? Consule infra § 4, petit. 1, consectario 2.

Repones. Christus, Joan. 13, dicit : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos :* atqui Christus sic dilexit nos, ut animam suam dederit pro voluntarie peccantibus, pro inimicis et invasoribus suis. Ergo.

R. 1° Non puto adversarios velle quod vi hujus mandati teneamur stricte facere pro salute proximi omnia omnino quæ fecit Christus pro salute nostra : absona foret hæc intelligentia : ergo ex illo mandato probari non potest quod teneamur ponere animam pro nostro invasore, quia Christus suam posuit pro invasoribus suis. 2° Quamvis ii pro quibus Christus animam suam posuit essent voluntarie peccantes et se sponte periculo

damnationis exponerent, erant tamen aliunde in extrema necessitate a qua nonnisi per Christum liberari poterant. Etenim post Adæ lapsum, non poterat genus humanum neque a peccato resurgere, neque salutem consequi absque ope mediatoris : unde est disparitas. 3° Sensus hujus mandati est : Diligatis invicem non quomodo Pharisæi diligunt et docent diligendum proximum ; sed *sicut ego dilexi vos*, et sicut ego docui diligendum proximum, nempe etiam non merentem, etiam inimicum, et diligendum, licet aliæ rationes desint, propter solum Deum : unde voco hoc *novum mandatum*, quia novo modo per me expositum et practicatum. Ita Tirinus ex SS. Chrysostomo et Augustino. Jam vero qui moderate defendit vitam suam cum occisione invasoris, non ideo recedit a dilectione proximi ; quia non agit ex odio illius, sed amore sui ; neque etiam ex intentione mortis ejus secundum nos, sed defensionis propriæ : quin potius optat ut vivat, ut bene sit, animo paratus reipsa illi in omnibus benefacere, si ipse vellet invasor, et si posset invasus sine vitæ dispendio.

Obj. 3° Petro volenti defendere Christum, Christus ipse prohibuit, dicens : *Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. Ergo.

R. his Christi verbis non prohiberi omnem usum gladii, alioquin non liceret bella gerere, nec principes et magistratus possent malefactores reprimere, qui tamen juxta Apostolum in hunc finem gladium portant : nihil ergo aliud his verbis prohibetur quam quod prohibetur istis, *Non occides ;* scilicet, privata auctoritate in vindictam. *Si dicas* Petrum non intendisse vindictam, sed Christi defensionem, et tamen fuisse reprehensum a Christo : *R. N. ant.* Verisimilius est enim Petrum subito iræ motu correptum, potius intendisse vindictam et mortem quam defensionem, quam satis videre poterat non esse possibilem uni aut paucis inermibus contra integram cohortem armatam. *Sed esto* intenderit defensionem Christi, Christus nolebat defendi ; et ideo reprehenditur quod, petita facultate repellendi invadentes, his verbis, *Domine, si percutimus in gladio*, non exspectato responso, percusserit pro defensione illius qui secundum ordinationem Patris volebat occidi pro salute generis humani.

Obj. 4° Matth. 5, dicit Christus : *Ego autem dico vobis non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram.* Et Apost. Rom. cap. 12 : *Non vos defendentes, charissimi.* Ergo.

R. ad primum, verba Christi non esse intelligenda simpliciter ut sonant, quantum ad factum exterius ; ipse enim Christus non præbuit alteram maxillam percutienti. Joan. 18, neque Paulus Act. 23 ; sed quantum ad præparationem animi : ita ut sensus præcepti sit — In cap. 5. Matth. — quod non rependamus malus pro malo, ut fieri solet, animo vindictæ et ut Scribæ docebant esse licitum, modo servaretur lex talionis ; sed omnino dispositi simus potius alteram maxillam vertere, hoc est, alteram injuriam acceptare, quam acceptam ulcisci : unde S. Aug. in hæc verba, Epist. ad Publicolam 134, dicit : *Hinc autem dictum est*, Non resistamus malo, *ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo pascit animum.*

Hic. ad 5. — *Ad secundum*, *R.* similiter verbis Apostoli prohiberi defensionem quæ fit cum livore vindictæ. *Patet* tum ex eo quod in Græco, pro *defendentes*, legatur *ulciscentes ;* tum ex verbis quæ immediate subjungit Apostolus : *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

Obj. 5° ab auctoritate Patrum. S. Aug. lib. 1 de Libero Arbitro, cap. 5, ait : *Quo pacto istos defendam qui interficiunt ne interficiantur, non video.* Et infra : *Quomodo apud eam* (divinam Providentiam) *sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt ?* inter autem res contemnendas reponit eas quas inviti amittimus, ut sunt vita, pudicitia, etc.

Idem consultus a Publicola, viro illustri, sub his verbis : « Si christianus videat se a » barbaro vel Romano velle interfici, debet » eos ipse christianus interficere, ne ab illis » interficiatur ; vel si licet sine interfectione » eos repellatur vel impugnare ; quia dic- » tum est *non resistere malo.* » Est quæstio duodecima Publicolæ : cui sic respondet S. Augustinus, Epist. 154 : « De occiden- » dis hominibus ne ab eis quisque occida- » tur, non mihi placet consilium, nisi forte » sit miles aut publica functione teneatur... » Hinc autem dictum est : *Non resistamus*

» *malo*, ne nos vindicta delectet, quæ alieno » malo animum pascit. »

S. Ambrosius, lib. 3 Offic., cap. 4, ait : « Mihi quidem..... non videtur quod vir » christianus et justus et sapiens quærere » sibi vitam aliena morte debeat, utpote » qui, etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne, » dum salutem defendet, pietatem contaminet..... Quis latro detestabilior quam » persecutor qui venerat ut Christum occideret? sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare : cur enim te potiorem » altero judices, cum viri sit christiani præferre sibi alterum? »

Idem, lib. 3 in Lucam, cap. 22, § de Sacculo et pera tollendis : « O Domine, inquit, cur emere me jubes gladium, qui » ferire me prohibes?... nisi forte ut parata » sit defensio, non ultio necessaria, et videar » potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire non vetat, et ideo fortasse » Petro duos gladios offerenti, Sat est, dicis, » quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit » in lege æquitatis eruditio, in Evangelio » bonitatis perfectio. »

S. Cyprianus Epist. 56, est 6, lib. 4, edit. Lugdun. 1544 : « Nec quisquam, ait, fratres » dilectissimi, cum populum nostrum fugari » prospexerit metu persecutionis et spargi, » conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes audiat » episcopos : simul tunc esse omnes non » possumus, quibus occidere non licet, sed » occidi necesse est. »

S. Bernardus, Sermone ad milites Templi, cap. 1 in fine, sic ait : « Est tamen qui » nec ulciscendi zelo, nec vincendi typo, » sed tantum evadendi remedio interficit » hominem; sed ne hanc quidem bonam » dixerim victoriam, cum de duobus malis » in corpore quam in anima mori levius » sit. » Et caput 2 sic inchoat : « Quis igitur finis fructusve sæcularis hujus, non » dico militiæ, sed malitiæ, si et occisor » lethaliter peccat, et occisus æternaliter » perit? »

R generaliter quod, quia defensio occisiva cum debito moderamine sit rara et difficilis; difficile est enim homini qui se contra violentum hostem defendit, ut vel non faciat plus quam sit necesse ad defensionem, vel non intendat vindictam aut mortem; ideo SS. Patres de ea interdum sint locuti, quasi esset simpliciter illicita. *Hac generali solutione præmissa, ad singula sigillatim nunc resp.*

Q. 64. a. 7. ad 1. — *Ad S. Augustinum respondet* S. Thomas, utramque auctoritatem S. Augustini intelligendam esse in eo casu quo quis intendit occidere hominem ut se a morte liberet. *Quantum ad primam, patet* ex his verbis, *pro his rebus*, in quo designatur intentio, et maxime ex quæstione proposita initio capitis sic : « Prius mihi » discutiendum videtur hostis irruens vel » insidiator sicarius sive pro vita, sive pro » libertate, sive pro pudicitia, sive ulla in» terficiatur libidine » : hoc est, sine ulla intentione mortis aut vindictæ; hæc sola enim, non intentio defensionis, intelligi potest nomine libidinis. Quantum ad secundam auctoritatem, patet ex his verbis : *Ne nos vindicta delectet.*

Respondent alii et etiam bene ad primam auctoritatem, certum argumentum ex ea sumi non posse. 1° Quia S. Augustinus fatetur in lib. 1 Retract. c. 9, se multa in eo libro de Libero Arbitrio, quem junior scripsit, inquisivisse quæ resolvere non potuit, cujusmodi videntur esse quæ in capite 5 quod versamur scribit, ut attente legenti patebit; nihil enim absolute resolvit, sed disputat, inquirit, se non invenire agnoscit : legem excusantem defensiones occisivas videt et approbat; quomodo tamen occidentes excuset, non videt, sed nec absolute damnat. 2° Et maxime, quia juxta novam editionem Parisiensem operum S. Augustini, verba objecta non sunt S. Augustini, sed Evodii disputantis : verba autem S. Augustini ipsi respondentis sunt hæc : *Multo minus ego invenire possum cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla lex tenet.* Et ita esse indicat contextus, et, ut fertur, manuscripta renuntiant. Approbat equidem S. Augustinus sub finem distinctionem Evodii, qua concedit tales occisiones permitti legibus humanis ut impunitas, sed tamen Dei providentia vindicari; approbat, inquam, hanc Evodii distinctionem non simpliciter et ut absolute veram sed tantum *ut fidentem et sublimia quædam petentem, inchoatam tamen minusque perfectam :* quod est iterum apertum indicium animi dubitantis et non certo resolventis Adde, juxta Steyartium rationes quas sive S. Au-

gustinus sive Evodius allegat parum convincere : v. g. quod occidere non oporteat pro iis rebus quas contemni oportet, inter has autem vita corporis censeatur. Quid si enim quis respondeat : Vita corporis nostra si contemni debeat, quanto magis alienam mihi contemni posse, nec adeo curandam ut pro ea ego perdere velim meam? Ad rationem vero quam addit, nempe quod contemni debeat quidquid inviti amittere possumus, responderi poterit, verum id esse de iis quæ ita amittimus ut tamen supersit qui amittit, non vero de vita, quam amittendo nosipsos amittimus. Ita et bene laudatus Steyartius.

Ad secundam auctoritatem respondent, evidens esse ex ipsa interrogatione facta a Publicola, non esse quæstionem utrum invasus possit occidere invasorem, sed utrum debeat; et quidem, ut apparet ex textu, invasorem qui sine interfectione repelli potest. Cui quæstioni recte respondet S. Augustinus *sibi non placere consilium de occidendis hominibus*, hoc est, ad sensum quæstionis, invasum non teneri occidere invasorem, maxime si sine interfectione repelli potest, *nisi* invasus *sit miles aut publica functione teneatur;* et hoc totum etiam nos dicimus. Ex his igitur collatis cum probationibus conclusionis petitis ex S. Augustino, *patet* S. Doctorem, quem totum suum esse volunt adversarii, magis nobis quam ipsis favere.

Ad S. Ambrosium, *R.* ipsum primo loco non posse intelligi ad sensum opponentium de eo qui solam suam defensionem intendit, nisi velint juxta S. Ambrosium esse illicitum se defendere contra invasorem vitæ, ipsum feriendo tantum; dicit enim S. Ambrosius, *ferientem latronem referire non possit*, neque potuisse licite occidi illum qui invasit Christum vitæ et necis auctorem : quod utrumque est falsum. Intelligendus est ergo S. Ambrosius sicut S. August. de eo qui vindictam aut saltem mortem invasoris intenderet, quod indicant hæc verba, *quærere sibi vitam morte aliena*, quasi aliena mors intendatur ut medium ad vitam servandam. Similiter verba secundo loco objecta esse intelligenda de eo qui intenderet vindictam, probant hæc : *nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videar potuisse vindicari, sed noluisse.*

Vel dicendum juxta S. Ambrosium in ut oque loco, prohiberi defensionem occisiva m non ut simpliciter malam, sed ut min us perfectam post Evangelium; et ideo in secundo loco subdit : *ut sit in lege æquitatis eruditio, et in Evangelio bonitatis perfectio.* Lex ergo permittens defensionem occisivam æqua erat, sed perfectior lex evangelica quæ suadet tanquam melius ut id non fiat. Et sane qui docet amicum posse in defensionem amici occidere invasorem, non negat id posse in defensionem sui. *Vide probationes conclus.*

Ad S. Cyprianum, *R.* ipsum loqui, *ut patet*, in casu persecutionis adversus christianos ex mandato principum ethnicorum, quibus per vim repellendis cum essent tunc impares christiani, eis occidere non licebat, sed occidi necesse erat.

Ad S. Bernardum, *R.* ipsum versari extra nostrum casum, cum in toto hoc opere agat de militibus, quos tamen indubium est posse hostes occidere, non solum intendendo suam defensionem, sed et eorum occisionem; cum agant ex publica auctoritate. Ideo autem eorum victoriam non bonam dicit, quia loquitur de militibus qui ingrediuntur bellum in quo, ut ait, Christus non est causa militandi, sed quod est levibus de causis susceptum, aut qui ex vanitate et cum pompa muliebri decertare amant. Horum porro, licet neque ulciscendi zelo, neque vindictæ typo, sed tantum evadendi remedio hominem occidant, non est bona victoria. Hanc esse mentem S. Bernardi *patet* ex his quæ scribit in hoc utroque capite, maxime in secundo in quo hæc leguntur : « Quis ergo, o milites! hic tam stu» pendus error, quis furor hic non tam fe» rendus?... Operitis equos sericis... depin» gitis hastas, clypeos et sellas, frena et cal» carea auro et argento gemmisque circum » ornatis, et cum tanta pompa pudendo » furore et impudenti stupore ad mortem » properatis. Militaria sunt hæc insignia, » an muliebria potius ornamenta? » Et infra : « Non sane inter vos aliud bella movet » litesque suscitat, nisi irrationabilis ira» cundiæ motus, aut inanis gloriæ appeti» tus, aut terrenæ qualiscumque posses» sionis cupiditas : talibus certe ex causis » neque occidere neque occumbere tutum » est. »

Opponit insuper Aurelius Piette S. Bernardum de Dispensatione et præcepto, c. 7,

ubi S. doctor dicit : « Mandatum Dei est, » *Non occides :* fac ergo duos homicidas, » unum quidem spoliandi cupiditate, alte» rum se defendendi necessitate facinus per» petrasse; an non hic satis evidenter inter » lepram et lepram causa separat, faciens » utique disparem valde culpam unius ejus» demque transgressionis? » Ergo.

Patet ex ipsis verbis ipsum agere de occisore spoliatoris bonorum temporalium, quod illicitum dicemus : cum enim faciat antithesim et in primo membro loquatur de spoliatore, debet in secundo loqui de eo qui occidit ne spolietur. Nec te moveat quod dicat qui se defendit; bene enim et communiter dicitur se defendere qui bona sua defendit

Obj. 6° ex D. Th. Mirum fortasse videbitur S. Thomam, e cujus penu et argumenta nostra et contrariorum solutiones deprompimus, nobis objici. Objicitur autem sic : S. Thomas, in eo art. 7 quem discutimus, dicit : « Sed quia occidere hominem non licet » nisi publica auctoritate propter bonum » commune, illicitum est quod homo inten» dat occidere hominem ut seipsum defen» dat, nisi ei qui habet publicam auctorita» tem. » Ergo juxta S. Thomam non licet privato occidere sui invasorem.

R. D. consequens. Ergo non licet privato occidere sui invasorem intendendo ejus mortem sicut intendit auctoritas publica, dum, v. g. damnat sicarium ad patibulum *donec mors sequatur*, *C.* intendendo suam defensionem et se habendo permissive ad necem, *N.* Primum docet S. Thomas, *ut patet ex ipsis verbis;* non secundum.

Inst. Si liceret occidere, liceret intendere occisionem : atqui ex S. Thoma non licet intendere occisionem : ergo nec licet occidere. *Prob. maj.* Licet velle quod licet facere. Ergo.

R. N. maj. Ad prob. D. ant. Licet velle quod licet facere ut aliquid ex se licitum, *C.* si liceat facere non quia est ex se licitum, sed quia sequitur ad actionem licitam, et quia excusatur a peccato defectu voluntarii, *N.* Occisio autem injusti invasoris non est ex se licita, sed quid consequens ad actionem licitam, nempe ad justam defensionem : et ob id et quia non est voluntaria saltem moraliter, ut explicatum est, excusatur a peccato : unde quamvis liceat eam ponere non tamen licet eam intendere : sicut quamvis in bello justo occisio innocentium ex impugnatione hostium secuta, sit licita, non licet tamen eam intendere : similiter abortus fœtus inanimati secutus ex potione matri periclitanti necessaria, est licitus, non licet tamen illum intendere.

Urgebis. Quando S. Thomas docet non esse necessarium ad salutem ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, loquitur de occisione casuali tantum. Ergo. *Prob. ant.* quia loquitur de occisione quæ fit *per accidens* in corpore articuli, et de occisione quæ quandoque tantum et non semper sequitur ex defensione, ad 4. Ergo.

R. D. ant. S. Thomas loquitur de occisione casuali tantum, si casuale intelligatur quod non est intentum, *C.* si casuale intelligatur quod neque est intentum neque prævisum, *N.* contrarium enim evincunt tres rationes ex ipso supra deductæ. *Ad primam probationem in contrarium*, *D.* Loquitur de occisione quæ fit per accidens, eo quod non sequatur ex natura meæ actionis, *N.* eo quod sequatur præter intentionem meam, *C.* Id enim hic S. Thomæ est per accidens quod est præter intentionem, *ut patet* ex ejus verbis : *non autem ab eo*, inquit, *quod est præter intentionem, cum sit per accidens.* Igitur in via S. Thomæ, esse *præter intentionem* est esse *per accidens.* Quamvis autem occisio sequatur physice ex natura meæ actionis, possum tamen eam non intendere, *ut patet ex dictis*, et sic est per accidens. *Ad secundam probationem :* neque nos dicimus occisionem semper sequi ex defensione, quia non est semper necessaria talis defensio ex qua sequatur occisio : quando autem est necessaria, est licita, non obstante quod sequatur occisio; quia « Non » est necessarium ad salutem, inquit S. » Doctor, ut homo actum moderatæ tutelæ » prætermittat ad evitandam occisionem al» terius, quia plus tenetur homo vitæ suæ » providere quam vitæ alienæ. »

Repones tandem. Si S. Thomas docuisset hic licere occidere invasorem vitæ, restabat ipsi inquirere an etiam liceret occidere invasorem bonorum fortunæ, pudicitiæ, etc., quod tamen non facit. Ideo autem ab his quæstionibus abstinet merito, quia, supposito quod non liceat occidere invasorem vitæ, sequitur *a fortiori* quod non liceat occidere invasorem bonorum fortunæ : ergo hoc se-

cundum docuit S. Thomas aut fuit diminutus in quæstionibus proponendis, cum tamen sit aliunde fœcundissimus.

R. N. sequelam ant. Quia hoc ipso quo S. Doctor docuit occisionem invasoris non esse licitam nisi servato moderamine inculpatæ tutelæ, sequitur quod non sit licitum occidere invasorem bonorum fortunæ, quia tunc non servaretur istud moderamen, *ut probabimus infra;* ideoque hoc non restabat inquirendum S. Doctori.

Verum, ut totam hanc vitilitigationem sistamus, si possit, *sic propono argumentum.* Ille merito dicitur assertor alicujus sententiæ, qui ejus fundamenta proponit et astruit, et argumenta contraria sibi opponit et solvit: atqui S. Thomas fundamenta nostræ sententiæ proponit et astruit, *ut patet ex probationibus conclusionis;* et argumenta contraria sibi opponit et solvit. Sic argumentum petitum ex S. Augustino solvit ad 1 et 2 argumentum petitum ex Apostolo Rom. 12; solvit ad 5 argumenta duo quæ sequuntur, alterum ex jure canon. alterum a ratione solvit ad 3 et 4. Et hæc omnia solvit eo modo quo solvimus; solutiones enim nostræ sunt ex ipsius verbis conflatæ. Ergo.

Obj. 7° ex jure can. Nicolaus papa, C. *De his clericis*, dist. 50, dicit: « De his clericis pro quibus consuluisti, scilicet qui se » defendendo paganum occiderunt, si post- » ea per pœnitentiam emendati, possint ad » gradum pristinum redire, aut ad altiorem » conscendere: scito nos nullam occasionem » dare, nec ullam tribuere eis licentiam » quemlibet hominem quolibet modo occi- » dendi. Verum si contigerit ut clericus » sacerdotalis ordinis saltem paganum occi- » derit; multum sibi consuht si ab officio » sacerdotali recesserit. » Item canones antiqui, ut videre est apud D. Basilium in Epist. 1 ad Amphilochium, apud Isaacum Lingonensem episcopum tit. 2, c. 13 et alios, gravi pœnitentiæ addicebant eos qui se defendendo invasores occiderant. Ergo.

Ibid. ad 3. — *R.* quantum ad irregularitatem, quod hæc sequatur actum homicidii etiamsi sit absque peccato, ut patet in judice qui juste aliquem condemnat ad mortem. Verum *esto* quod olim defendens se cum occisione invasoris incurreret irregularitatem, ut hic opponit S. Thomas (quod tamen alii negant), saltem nunc post Clementinam *Si furiosus* antea citatam, non amplius incurrit. Nec obstat Tridentinum sess. 14, cap. 7 de *Reform.* quia concilium loquitur de eo qui se defendendo non servavit moderamen inculpatæ tutelæ, ut interpretatur Navarr. Bannes et alii. Neque concilium absolute decernit omnem occidentem injustum invasorem esse irregularem, sed dicit sub conditione quod si ex hac occisione indigeat dispensatione, committatur ordinario, aut metropolitano, aut viciniori episcopo. Vide si lubet.

Quantum ad pœnitentias, *R.* eas imponi ad cautelam, quia plerumque contingit quod defendens intendat vindictam aut mortem, vel aliunde excedat moderamen inculpatæ tutelæ.

Quantum ad id quod subjungit Nicolaus papa, scilicet, se *non dare licentiam hominem quemlibet quolibet modo occidendi*, caute procedit, quia res est admodum periculosa: non tamen damnat aut prohibet quod aliunde jura omnia permittunt in sui defensionem.

Obj. 8° *a ratione.* 1° Nulli licet fornicari aut adulterari, aut mentiri, ad conservationem propriæ vitæ: ergo nec alium occidere 2° Nemo constituitur judex in propria causa: atqui invasus occidens invasorem constituitur judex in propria causa. Ergo.

Ibid. ad 4. — *R. ad primum, N. consequentiam.* Quia actus sive fornicationis, sive adulterii, sive mendacii, non ordinatur de se ad conservationem propriæ vitæ ex necessitate, sicut actus defensionis ex quo quandoque sequitur homicidium. Adde quod quodcumque sive adulterium, sive fornicatio, sive mendacium, sit intrinsece et semper malum: occisio autem hominis non est mala nisi quatenus habet rationem indebiti et fit sine legitima potestate quam habet invasus in nostro casu.

Ad secundum, R. invasum se defendentem cum occisione invasoris, non magis constitui judicem in propria causa, quam qui feriendo tantum seu vulnerando se defenderet, aut rem suam a fure vi auferret: hi porro non ideo dicuntur constituti judices in sua causa, ita nec ille; quia in his casibus non agitur de jure dubio inter invasum et invasorem: sed de vi manifesta in instanti et sine mora per vim repellenda: quod brutis ipsis absque judicio agentibus natura concessit. *Alia quædam levia argumenta solventur ex modo dicendis.*

§ IV. — *Variæ quæstiones resolvuntur circa præcedentem materiam.*

Petes 1° utrum conclusio nostra sit intelligenda generaliter de quocumque invaso contra quemcumque injustum invasorem vitæ?

R. affirmative, excepto forte uno vel altero casu. *Patet ex rationibus conclusionis* quæ generaliter probant de omnibus invasis contra omnes injustos invasores. Hinc

Sequitur 1°, quod possit defensione occisiva se defendere filius contra patrem, subditus contra dominum seu principem, laicus contra clericum, clericus contra laicum. Excipe casum quo vita invasoris foret summe necessaria reipublicæ; videtur enim quod tunc invasus teneatur ex justitia legali præferre bonum commune propriæ vitæ. Sed hoc est de raro contingenti.

Sequitur 2°, quod ita me possim defendere contra invasorem qui est tantum materialiter injustus, ut si sit amens, aut furiosus, aut exsecutor injustæ sententiæ quam invincibiliter putat justam, aut deceptus me credat bannitum, cum non sim; quia, licet hi et similes me invadendo non peccent, me tamen injuste materialiter invadunt, veram injuriam mihi inferunt quam vi repellere licet.

Sed quid, si me innocenter invadentem certo sciam esse in peccato mortali? puta, est ebrius qui me catapulta invadit. Hic hærent aquæ. Ex una parte videtur quod iste sit vere in extrema necessitate salutis æternæ, quam vitæ meæ corporali teneor præferre. Ex altera parte videtur quod mors mea non sit medium efficax ad ejus salutem: nam si occidor et ipse evadat, non equidem tunc damnabitur, sed non ideo salvabitur; forte enim non aget pœnitentiam, et in illo aut altero peccato morietur, ut jam notavi supra. Insuper, me cum ejus occisione defendendo, mihi ipsi consulo, dum nescio, ut plerumque accidit, in quo sim statu, aut forte scio me esse in malo statu, absque certitudine quod ipso actu sim justificandus. Falso enim supponunt ii contra quos hucusque egimus, certam esse salutem invasi si pro salute invasoris ponat animam suam, ex male intellectis his Christi verbis Joan. 15: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Non enim est, ut putant, horum verborum sensus, quod mortis perpessio pro Deo aut proximo importet semper aut maximam charitatem, aut etiam simpliciter charitatem: non maximam charitatem; certum est enim esse plures beatos non martyres qui majori ferbuerunt charitate quam quidam martyres, inter quos eminet sanctissima virgo mater Dei: non etiam simpliciter charitatem; patet ex illo 1 Corinth. 13: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et aliunde constat quod multi sint parati mori potius quam negare fidem Christi, qui tamen nolunt pro Christo pellicem, aut odium fraternum dimittere. — Hic q. 124. 3. o. — Sensus ergo horum verborum est, quod inter humanos actus nullus sit quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam oppetere mortem pro Deo aut proximo; quasi diceret: Majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide quæ dicimus de martyrio in tract. de Fortitudine. Non negandum tamen quin talis actus, quando ex vera Dei et proximi dilectione procedit, sit maxime commendabilis et spem magnam ingerat divinæ misericordiæ consequendæ. His omnibus itaque utrinque perpensis, quamvis nihil ut certum asserere audeam, probabile tamen mihi est quod, si invasus prudenter existimet se non esse in malo statu, teneatur in his circumstantiis mortem oppetere potius quam occidere invasorem.

Sequitur 3° quod, quamvis invasus invasioni causam dederit, puta, per calumniam, adulterium, etc., possit tamen contra invasorem vitæ se cum ejus occisione defendere; quia propter talem causam invasor non acquirit jus invasum privata auctoritate occidendi, et sic semper remanet injustus invasor. Ita communiter contra Pontas, v. *Tuer*, c. 2. Sectus si invasus esset bannitus seu proscriptus, quia tunc invasor ageret ex auctoritate publica tanquam ejus minister, unde non esset injustus invasor.

Petes 2° utrum invasus non solum licite possit, sed etiam utrum teneatur defendere vitam suam cum occisione invasoris?

R. Jam dixi superius quod cæteris paribus, seu si spectetur tantum bonum vitæ et vitæ inter privatos, teneatur per se loquendo, quia juxta doctrinam S. Thomæ, plus tenetur homo providere vitæ suæ quam alienæ. Si vero attendatur bonum virtutis, puta,

si invasus attendat quod sit in periculo peccandi, excedendo moderamen in defensione, quod ex illa secutura sit damnatio æterna invasoris : his et aliis similibus rationibus motus, potest, licet non teneatur, permittere sui occisionem exemplo Christi et martyrum ; quia bonum virtutis, etiamsi sit tantum consilii, præferri potest vitæ alicujus particularis ; et aliunde nemo tenetur cum tanto detrimento, quale est occisio hominis in æternum damnandi, vitam suam conservare, *ut patet ex supra dictis art.* 3. Intellige tamen si invasus sit persona privata ; quia si esset persona publica cujus vita esset maxime necessaria reipublicæ, apparet quod teneretur se defendere, quia bonum commune prævalet vitæ privati invasoris.

Petes 3° utrum invasus possit se defendere contra injustum vitæ invasorem cum occisione innocentis, si non possit aliter evadere? Duplex casus ordinarie proponitur. Primus : inter invasum et invasorem interponitur innocens quo se protegit invasor. Secundus : invasus non potest aliter evadere quam fugiendo per angustam viam in qua jacet infans aut claudus conculcandus. Petestne in utroque casu se defendere aut fugere cum occisione innocentis?

Ante responsionem, suppone 1° ut certum, quod in neutro casu possit intendere mortem innocentis, proindeque nec eum directe impetere, ut eo sublato impetat invasorem. Certum est 2° quod si innocens esset infans nondum baptizatus, invasus deberet potius mortem oppetere quam illum occidere, quia est in extrema necessitate, et debet vitam ejus æternam præferre vitæ suæ corporali. Item fere mihi etiam certum videtur quod, si sit tantum dubium an ex actione defensiva invasi sequatur mors innocentis, possit illam invasus, et quod excusetur si præter spem mors sequatur ; quia non videtur teneri vitam suam morti committere ut servet in dubio vitam innocentis : suppono tamen non esse infantem non baptizatum. His præsuppositis,

R. Probabile est quod invasus possit in utroque casu posito se defendere contra injustum invasorem cum occisione innocentis. Quia ex illo innocentis occursu invasus non amittit jus se defendendi, et ex actione ejus defensiva vel ex fuga æque immediate sequitur salus ejus ac mors innocentis. Quando enim unius actus est duplex effectus immediatus, unus bonus, alter malus, potest ex justa causa poni, intendendo bonum et se habendo permissive ad malum, ut dictum est supra ex doctrina Auctoris : paritas est in eversione turris in qua innocentes cum hostibus includuntur, et in aliis exemplis propositis.

Si dicas cum Sylvio. Non tibi licet ab extreme indigente auferre panem, vel tabulam in naufragio quam est assecutus, ut te ipsum salvum facias : ergo nec conculcare infantem aut claudum in via, qui, ut supponitur, habet jus illic jacendi vel incedendi.

R. N. consequentiam. Disparitas est, quod in ablatione panis aut tabulæ ab extreme indigente prius sit malum quam bonum ; ipsa enim ablatio est formaliter juris alieni violatio, proindeque malum ; bonum autem, nempe salus mea, non sequitur immediate ex ipsa ablatione, sed mediante usu panis aut tabulæ prius ablatæ : non sunt autem facienda mala ut eveniant bona. At in utroque casu nostro actio mea defensiva seu fuga non est prius juris alieni violatio aut occisio innocentis quam mea salus, est enim simul et æque immediate defensiva ; sicque non facio malum ut eveniat bonum, sed facio bonum ad quod jus habeo, ex quo præter intentionem sequitur malum.

Petes 4° an etiam liceat invaso se defendere cum occisione invasoris mutilare volentis, non occidere?

R. Si certo constaret invasorem velle tantum mutilare, et non esset periculum quod mutilando occideret, non posset invasus talem vim repellere cum occisione, sed tantum cum mutilatione invasoris, alioquin non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ, cum mors invasoris sit majus malum quam mutilatio invasi. Sed quia plerumque certo dignosci non potest an invasor velit tantum mutilare an occidere, et quamvis constaret de intentione mutilandi tantum, regulariter imminet periculum ne, volendo mutilare, occidat ; arbitror regulariter posse invasum se defendere contra talem invasorem cum ejus occisione.

Petes 5° utrum possis pro defensione vitæ proximi quod potes pro defensione vitæ propriæ?

R. affirmative, nisi forte invasor proximi sit pater tuus vel mater, vel filius vel conjux. *Ratio est*, quia hoc ipso quo ex charitate debemus diligere proximum sicut nos

ipsos, possumus pro ejus defensione facere quod possumus pro nostra. Ratio autem exceptionis est, quia id videtur nimis repugnare inclinationi naturali ac dictamini rationis, imo et ordini charitatis qua magis tenemur diligere parentes nostros quam extraneos.

Si ulterius petas utrum etiam ad id tenearis dum potes?

R. negative, nisi id exigat officium, aut nisi invasus sit pater tuus vel mater, vel proles vel conjux, vel persona valde reipublicæ necessaria, cui speciali titulo tenearis subvenire. *Ratio est*, quia ubi est mera æqualitas inter invasorem et invasum, cum uterque sit æque proximus, non est stricta obligatio standi magis pro vita unius quam pro vita alterius: et si ex una parte urgeat melior conditio innocentis; ex altera æque ad minus urget pejor conditio nocentis in ordine ad salutem æternam. Existimat Franciscus Henno quod, si invasus auxilium tuum requirat, tenearis præbere; sed non videtur qua ratione hæc privati hominis requisitio tam strictam obligationem parere possit, maxime cum agatur de certa damnatione invasoris et non invasi. Teneris tamen facere id omne quod commode potes in defensionem invasi citra occisionem invasoris.

Dices. S. Ambrosius supra laudatus, lib. 3 Offic. cap. 4, dicit: *Qui non repellit injuriam a socio quando potest, tam est in vitio quam ille qui facit;* et laudat Moysen, quod occiderit Ægyptium Israelitæ insultantem.

R. S. Ambrosium esse intelligendum de eo qui ex officio tenetur alterum defendere. Quantum ad Moysen, laudat quidem illum quod in defensionem Israelitæ Ægyptium occiderit, sed non dicit eum ad id obligatum fuisse.

Cæterum, neque etiam ii qui ex officio tenentur vitam alienam defendere, ad hoc astringuntur cum propriæ vitæ periculo, nisi invasus sit valde reipublicæ necessarius; quia non bonum cujusque privatum, sed commune tantum, cum tali dispendio servandum, eorum custodiæ commissum est, et sic apprehendit sensus communis.

ARTICULUS VI.

Utrum liceat defendere bona temporalia cum occisione invasoris?

Nota. Nomine bonorum temporalium, hic intelligo bona fortunæ, divitias scilicet, pudicitiam, honorem et famam. Fuit sæculo præterito communis sententia, eorum defensionem esse licitam cum occisione invasoris. Nunc autem hæc sententia antiquatur, et opposita evasit communior.

Suppono 1°, licitum esse defendere aliqua violentia infra occisionem bona fortunæ et pudicitiam. Unde tua bona auferentem potes vi impedire, abigere, rem ablatam violenter auferre, furem percutere, imo si sit res gravis momenti, vulnerare secluso periculo occisionis. Id aperte concedunt jura, c. *Olim* de Restit. spoliat. lib. 2, tit. 13 et cap. *Dilecto* de Sentent. excom. lib. 5, tit. 11, in 6. *Ratio est*, quia licet bona fortunæ physice loquendo sint inferiora integritati corporis humani: tamen moraliter loquendo, majus malum reputatur amissio bonorum gravis momenti, quam levis vulneratio injusti invasoris absque periculo mortis. Nec obstant verba Christi Matth. 5: *Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* quia Christus his verbis non prohibet rem injuste ablatam in judicio repeti, neque jubet non rapta raptis addere; — In cap. 5 Matth. — sed vult tantum Apostolos et christianos maxime nascentis Ecclesiæ deterrere a contentionibus et litibus quibus impediretur conversio mundi ad fidem, et unde innumera prope mala scaturiunt. Quapropter perfectis consultum est abstinere omnino a litibus; non movere autem lites cum contentione et fraude, ut fieri solet, omnibus sive perfectis sive imperfectis est præceptum.

Similiter fœmina non solum potest, sed etiam debet totis conatibus pudicitiæ invasorem repellere, clamando, increpando, pugnis, alapis percutiendo, etiam vulnerando absque periculo occisionis, non solum ne se proprio et alieno peccato contaminet, sed etiam ut servet integritatem corporis quam merito præfert divitiis multis, et consequenter levi læsioni stupratoris.

Suppono 2° quod, si ex defensione moderata bonorum fortunæ aut pudicitiæ, invasor irritatus impetat vitam invasi, possit tunc invasus se defendere cum occisione invasoris, quia jam est vitæ invasor, et non tantum bonorum fortunæ. Neque videtur quod ideo debeat abstinere a moderata defensione suarum rerum gravis momenti, quia utitur jure suo: nec est simile de sim-

plici fuga quam tenetur adhibere q i hoc modo potest declinare invasorem vitæ, quia fugiendo vitæ consulit et nihil amittit, nisi forte honorem mundanum qui nullius est pretii, ut dicam infra ; sed abstinendo a moderata defensione in nostro casu amittit bona aut pudicitiam. His suppositis, sit

§ I. — *De defensione bonorum fortunæ.*

Dico. Non est licitum defendere bona fortunæ cum occisione invasoris.

Prob. 1° ex jam laudato cap 22 Exod. ubi dicitur reus sanguinis, qui furem diurnum occiderit eo quod, inquit S. Aug. c. *Si perfodiens* de Homicidio, possit discerni quod veniat ad furandum tantum, et non ad occidendum.

Prob. 2° ex eodem S. Augustino. Dubitavit S. Augustinus lib. 1 de Libero Arbit. fatentibus adversariis, an liceret vitæ invasorem occidere : ergo pro certo habebat id non licere pro bonis fortunæ quæ sunt longe inferioris ordinis ad vitam.

Quantum ad S. Thomam, hanc quæstionem sicut et duas sequentes de pudicitia et honore, nequidem discutere dignatus est ; verisimiliter quia improbabiles reputavit, et ex principio a se posito de servando moderamine inculpatæ tutelæ sufficienter refutatas habuit, ut jam notavi, et amplius dicam modo.

Prob. 3° ex jure canon. cap. *Suscepimus* de Homicid. Extra. lib. 5, tit. 2. Alexander III monachum qui furem vestium occiderat, subjicit non solum irregularitati, sed et pœnitentiæ, hac generali ratione quæ tam pro laicis quam pro monachis militat : « Quoniam, inquit, expediebat potius post » tunicam relinquere pallium et rerum » sustinere jacturam, quam pro conservan» dis vilibus rebus et transitoriis · tam acri» ter in alios exardescere. »

Prob. 4° *ratione.* Non licet vim vi repellere nisi servato moderamine inculpatæ tutelæ : atqui per defensionem occisivam invasoris bonorum fortunæ, non servatur istud moderamen ; ergo. *Prob. minor.* Ad moderamen non sufficit quod invasus non faciat plusquam sit opus ad rem suam defendendam, sed insuper requiritur quod sit proportio inter rem defendendam et vitam invasoris, ita quod res defendenda non sit minoris æstimationis quam vita invasoris, ut probavimus art. præcedenti § 2. Alioquin, ut illuc diximus, ille servaret moderamen, qui occideret invasorem pro uno aureo vel pomo si aliter servari non posset, quod est absurdum et damnatum. atqui non est proportio inter bona fortunæ et vitam invasoris, cum hæc sit superioris ordinis ad omnia fortunæ bona, et semel amissa sit irreparabilis, illa vero reparabilia : ergo. Hæc ratio, ut vides, probat pariter quantum ad defensionem pudicitiæ et honoris.

Huc etiam faciunt propositiones sequentes damnatæ : Prima : « Non solum licitum est » defendere defensione occisiva quæ actu » possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoa» tum habemus et quæ nos possessuros spe» ramus : » est 32 Innoc. Secunda : « Lici» tum est tam hæredi quam legatario contra » injuste impedientem ne vel hæreditas adea» tur, vel legata solvantur, se taliter defen» dere, sicut et jus habenti ad cathedram » vel præbendam contra eorum possessio» nem iniuste impedientem : » est 33 ejusdem Innoc. XI. *Ex quibus sic arguo.* Istud jus ad rem est quandoque majoris momenti quam res actu possessa : atqui non licet occidere pro isto jure : ergo nec pro mediocri possessione. Tertia propositio damnata est hæc : *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei ;* 31 ejusdem Innoc. Quæ tamen erit vera si intelligatur principium juris, *vim vi repellere,* ut intelligunt adversarii.

Obj. 1° famosum canonem *Interfecisti* 2 de Homicid. cit. ubi occidenti propter defensionem bonorum fortunæ non injungitur pœnitentia, sed ejus arbitrio relinquitur his verbis: *Si autem sine odii meditatione te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra interfecisti (secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei), si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, et eleemosynam fac largiter. Si presbyter eadem fecerit, non deponatur ; tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat.* Item cap. *Olim* 12, de Restit. spol. et cap. *Dilecto* supra cit.

R. ad primum, has particulas, *te tuaque liberando,* sumi non disjunctive sed copulative, ut verba præ se ferunt : adeoque non est ibi sermo de occisione invasoris bonorum tantum, sed etiam et præcipue de occisione invasoris vitæ.

Si instes ex cap. *Verum,* De jurejurando 16, lib. 2, tit. 24, ubi cum dicuntur ab Ecclesia absolvi qui metu coacti jurarunt *pro*

vita et rebus servandis : istæ particulæ *pro vita et rebus*, sumuntur disjunctive et non copulative : ergo similiter hic.

R. N. conseq. Disparitas est, quod in c. *Verum* agatur de facto plurium, quorum quidam pro vita, quidam pro rebus juraverunt : unde est locus distributioni. At in c. *Interfecisti* agitur de facto unius qui se et sua defendendo invasorem occiderat.

Ad alia duo capitula R. in iis agi duntaxat de defensione, non de occisione : unde nihil contra nos ; non enim dicimus prohibitam esse defensionem, sed occisionem.

Obj. 2° Vim vi repellere licet pro defensione bonorum sicut pro defensione vitæ, id enim jura indistincte permittunt ; atqui licet vim vi repellere occidendo invasorem vitæ : ergo et bonorum

R. D. maj. Vim vi repellere licet, servato moderamine inculpatæ tutelæ, *C.* non servato, *N.* Non servari autem si occidatur invasor bonorum fortunæ, *ostendi in probatione conclusionis.*

Inferes. Ergo judices peccant dum fures morti addicunt.

R. N. illationem ; quia judices publica auctoritate fungentes, attendunt non ad damnum unius privati præcise, sed ad tranquillitatem reipublicæ quæ præferenda est vitæ latronum qui eam perturbant.

Inst. Ideo licet interficere invasorem vitæ, quia non est in extrema necessitate : atqui fur non est etiam in extrema necessitate, cum ab ea quando voluerit possit se eripere cessando a furto. Ergo.

R. D. maj. Ideo tantum, *N.* ideo et quia servatur moderamen inculpatæ tutelæ, *C. Solutio patet ex dictis.* Et si quid argumentum probaret, sequeretur quod possem pro furto pomi occidere furem, quia ipse in hoc periculum se injicit.

Repones. Non teneor conservare vitam proximi cum gravi jactura bonorum meorum : unde, ut superius dicebamus, si vicinus mihi dicat: *Da mihi mille aureos, alioquin me suspendam*, non teneor ipsi dare : ergo si illos a me auferat, possum occidere.

R. N. consequentiam. Aliud enim est non conservare vitam proximi, aliud ipsum occidere ; sicut aliud est conservare vitam, aliud non occidere. Conservare vitam proximi ipsi positive succurrendo, est præcepti affirmativi quod non obligat cum gravi detrimento ; non occidere autem, est præcepti negativi quod obligat pro semper : quare nullo unquam casu licitum est occidere directe et ex intentione nisi ex dispensatione legislatoris, ut fit dum occiditur auctoritate publica ; vel indirecte et præter intentionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod non servatur dum occiditur pro defensione bonorum fortunæ.

Obj. 3° Bona fortunæ sunt necessaria ad vitam : atqui licitum est defendere vitam cum occisione invasoris : ergo et bona fortunæ.

R. N. maj. intelligendo per bona fortunæ divitias ; patet enim contrarium in pauperibus et mediocris fortunæ viris. Quod si per bona fortunæ intelligatur id sine quo vita servari non potest, ut est panis extreme indigenti, tabula naufraganti : tunc verisimile est quod possit defendi contra auferentem cum occisione ipsius, si aliter retineri non possit, quia tunc non solum est invasor bonorum, sed vitæ.

Inst. Mallet vir honoratus mori quam cadere a suo statu ad quem saltem sunt necessariæ divitiæ. Ergo.

R. N. conseq. Etenim non raro mallet vir honoratus mori quam vivere cum mala muliere : numquid ideo potest se aut illam occidere ? Sed et *D. antecedens.* Mallet imprudenter, *C.* prudenter et secundum rectam rationem, *N.* Omnium enim malorum maximum est mors a qua non datur regressus ad vitam, sicut dari potest a paupertate ad divitias.

Obj. 4° Sententia nostra aperit viam furtis et animum addit furibus, cum oppressione bonorum et perturbatione reipublicæ. Ergo.

R. 1° *retorquendo argumentum.* Sententia adversariorum viam aperit homicidiis et animum addit sanguinariis sæculi et divitiarum amatoribus, cum plurium damnatione et majori reipublicæ perturbatione. Ergo.

R. 2° *N. ant.* Quia 1° non prohibemus omnem defensionem. 2° Quia justitia publica supplet quod deest defensioni privatorum ; quod si quid ejus vigilantiam effugiat, rarum est et per accidens, quod curari non solet. Insuper, non obstante sententia nostra, non deerunt qui sua acriter defendant etiam cum invasorum occisione : unde semper erit quo terreantur fures.

§ II. — *De defensione pudicitiæ.*

Dico. Non licet defendere pudicitiam cum occisione invasoris.

Probatur. Vel pudicitia sumitur pro virtute animi, et hæc ab invita auferri non potest : unde dicebat S. Lucia tyranno : *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Vel sumitur pro integritate carnis, quæ consistit secundum aliquos in aliqua pellicula, secundum alios in constrictione partium vasis fœminei ; hanc autem non secus ac pulchritudinem, cui posset comparari, constat esse inferioris ordinis ad vitam hominis, et consequenter si pro illius defensione occideretur homo, non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ. Ergo.

Dices. Pudica virgo merito mallet subire mortem quam corpore fœdari : unde laudantur quædam sanctæ virgines quæ, ne violarentur, permiserunt se occidi, aut etiam seipsas occiderunt : ergo pudicitia pluris est quam vita, et consequenter pro illa non minus quam pro vita licet occidere injustum invasorem.

R. Dato antecedente, N. conseq. Quod enim possit pudica virgo eligere pati mortem potius quam fœdari per stupratorem, non est quia pudicitia pluris est quam vita, sed quia non tenetur vitam conservare per medium tam odiosum et periculosum. Aliud autem est non conservare vitam, aliud occidere, ut jam notavi. Primum licet in multis casibus ; secundum nunquam licet directe nisi auctoritate publica, nec indirecte nisi servato moderamine. Quapropter laudari possunt sacræ virgines quæ amore virtutis aut timore peccandi permiserunt seipsas occidi potius quam corrumpi. Quæ autem seipsas occiderunt laudari non possunt, nisi quatenus censentur id fecisse ex instinctu Spiritus sancti. Adde, quod facit ad propositum : inter eas quas Ecclesia colit, nullæ leguntur occidisse stupratorem, quamvis indubie aliquæ potuissent.

Inst. 1° S. Ambros. lib. 3 Offic. dicit : *Periculum pudoris bonis fœminis esse morte gravius.* Et S. Aug. lib. cont. Mendac. esse minus malum mentiri ad tuendam pudicitiam quam ad tuendam vitam. Ergo.

R. ad primum, sensum S. Ambrosii esse, quod pudica mulier mallet mori quam alienæ libidini consentire ; ad S. Aug. ipsum loqui de pudicitia ut virtus est, non de pudicitia corporis simpliciter.

Inst. 2° Saltem propter urgens periculum peccandi, videtur licitum castæ puellæ occidere invasorem suæ pudicitiæ.

R. N. ant. 1° Quia quamvis sit aliquod periculum ne puella ex fragilitate naturæ consentiat turpi delectationi, non videtur tamen propinquum ; tales enim amplexus inviti et violenti solent magis horrorem quam amorem ingerere, saltem ex parte voluntatis, licet forte in partem inferiorem aliquid delectationis involuntariæ irrepat. 2° Quia *dato* periculum esse proximum, non ideo liceret occidere invasorem.—**Q. 61. a. 5. o.**— Sicut enim, ut docuimus supra, nemo potest seipsum occidere, ne consentiat in peccatum, ita nec alterum ; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona seu ut vitentur mala minus certa : incertum est autem an ista puella consentiet in peccatum, potens est enim Deus hominem quacumque tentatione superveniente liberare a peccato. Unde S. Aug. lib. 1 de Civit. c. 25, dicit in simili casu : « Quis ita desipiat, ut dicat : Jam » nunc perpetremus homicidium, ne forte » postea incidamus in adulterium ? »

§ III. — *De defensione honoris et famæ.*

Dico. Non licet defendere honorem seu famam cum occisione invasoris.

Ante probationes, nota, honorem posse sumi dupliciter : radicaliter et formaliter. Honor radicalis est excellentia quædam propter quam unus aliis præfertur et honoratur : hæc autem excellentia vel est virtus supernaturalis, vel dos aliqua naturalis animi vel corporis, ut ingenii præstantia, scientia, fortitudo, pulchritudo, dignitas, divitiæ, etc. Honor formalis est bona æstimatio quam homines concipiunt de alio propter istam excellentiam, aliquo signo exteriori manifestata : si enim in bona æstimatione sistatur, et fama ; si adjungatur testimonium exterius verbis vel signis, est honor. Hoc notato,

Prob. 1° *conclusio* ex eodem semper principio. Vel honor sumitur radicaliter vel formaliter : atqui neutrum licet defendere cum occisione invasoris : ergo. Non radicalem : quia virtus supernaturalis non potest ab invitis auferri ; dotes autem naturales

animi vel corporis non possunt etiam auferri per calumniam aut contumeliam; quod si quis forte arte aut veneno deturparet corpus aut frangeret, redderetque animum suis functionibus minus aptum, hæc tamen bona sicut et dignitates et divitiæ sunt inferiora ad vitam hominis, ita quod occidere hominem pro iis servandis, non esset servare moderamen inculpatæ tutelæ. Non honorem formalem; quia est vanus ac fragilis, utpote situs in æstimatione hominum a quibus hodie honoraris cras vituperandus; item periculosus, nempe superbiæ ac vanæ gloriæ stimulus; ideoque, juxta Christi et sanctorum oracula atque exempla, potius fugiendus quam quærendus, sicque nulla ratione conferendus cum vita hominis, nec consequenter per hujus ablationem conservandus. Audiant qui aliter sapiunt verba Christi Matth. 5: *Beati estis cum maledixerint vobis homines et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Ergo. Neque tamen omnem appetitum honoris damnamus, *ut patebit ex sol. obj.*

Prob. 2° Honor aufertur verbis, ut calumnia, detractione, contumelia, etc. vel signis, ut impacta alapa, ictu fustis aut aliis signis vituperii et contemptus: atqui quovis modo auferatur, non potest nec debet reparari aut conservari per occisionem invasoris: ergo. *Prob. min. pro prima parte.* Si verbis: 1° quia non est ibi vis qualem vi simili repellere jura permittunt, alias liceret repellere calumniam calumnia, contumeliam contumelia, quod est contra doctrinam evangelicam et quod nemo admittit; 2° quia tu qui pateris inhonorationem per calumniam, etc. vel potes probare tuam innocentiam, vel non: si primum, jam suppetit alia via quam occisio invasoris ad conservandum vel reparandum tuum honorem; si secundum, occidendo eum qui de calumnia convinci non potest, tuum non servas aut reparas honorem, sed incurris majus periculum infamiæ in judicio et extra; ejus enim occisio non te probat innocentem, sed impatientem et infamem homicidam. *Prob. min. pro secunda parte.* Si signis; quia falsum est verum honorem inde deperdi, si injuria non repellatur morte invasoris; non enim verus honos reponendus est in æstimatione hominum mundanorum et secundum sæculi regulas sentientium, nisi velis esse honorabile inebriari cum ebriosis, fornicari cum fornicantibus; contrarium enim agere probrosum judicant mundi sectatores: sed reponendus est verus honor in æstimatione sapientum et secundum Christi ac religionis regulas sentientium. Hi autem non solum non contemnent, sed maxime laudabunt et vero honore dignum judicabunt, qui ex amore Christi condonabit injuriam, eamque injuriantis morti post habebit.

Prob. 3° ex condemnatione propositionum sequentium. *Prima.* « Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum si quis incutiat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat: » est 30 Innoc. XI.

Secunda: « Est licitum religioso vel clerico, calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur: » est 17 Alex. VII.

Tertia. « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evadere: » est 18 Alex. Hæ tres propositiones, *ut patet*, continent ipsissimam doctrinam quam impugnamus; quam si semel admittas, nullus erit in tuto, omnia impune replebuntur homicidiis cum totali reipublicæ eversione, quæ est altera ejus malitia: quisquis enim facile finget eum quem odio prosequitur sparsisse aut spargere niti calumnias, ut eo prætextu illum impune interficiat.

Quarta. « Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: » 2 Alex. Porro si ob hanc causam non possit acceptare duellum quod est tantum via ad homicidium: ergo *a fortiori* nec ipsum homicidium perpetrare.

Dices. Ecclesiastici 14 jubemur habere curam de bono nomine, et juxta S. Aug. lib. de Bono Viduit. c. 22, debemus famæ nostræ satagere, ne simus proximo scan-

dalo, sed simus potius bono exemplo, secundum illud 2 Cor. 8 : *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Ergo.

R. Non equidem negamus curam esse habendam de bono nomine, neque damnamus famæ et honoris moderatum appetitum quippe quo sæpe homo a peccatis arcetur et ad virtutes stimulatur : insuper utile est bonum nomen ad promovendum Dei gloriam et proximi salutem ; ac propterea illud curare et tueri viis licitis, præsertim vitæ munditie, omnibus incumbit, maxime superioribus et ministerio publico fungentibus, ut confessariis, concionatoribus, etc. Verum quantumvis sit utile, non est tamen tantæ necessitatis, ut per occisionem hominis liceat illud defendere. Quinimo sæpe utilius est ad salutem contemni et humiliari, ut experientia constat et probant exempla Christi et sanctorum : unde illud jam laudatum Christi oraculum : *Beati estis cum maledixerint vobis homines*, etc. Quando igitur ita accidit, divina disponente Providentia, nec mediis licitis calumniam et diffamationem avertere possumus, debemus rem Deo committere, in patientia possidere animas nostras, et dicere cum Apostolo : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, 2 Cor. 1.

Inst. Vir probus et honoratus merito mallet mori quam vivere sine honore et fama. Ergo.

R. D. ant. Merito mallet, etc. id est, merito eligeret potius mori quam per propriam culpam perdere famam et honorem.

C. ant. Sic enim vir probus debet curare bonum nomen. Id est, merito eligeret potius mori quam perdere famam et honorem per alterius calumniam aut injuriam, *N. ant.* Iste enim amor foret inordinatus.

Repones. Saltem quando fama est necessaria ad promovendam gloriam Dei et salutem proximi, aut ab ea pendet fama totius alicujus religionis, videtur pluris facienda quam vita calumniatoris ; agitur enim tunc de bono communi. Ergo.

R. quod per exemplum patientiæ christianæ magis gloria Dei et salus proximi promovebuntur quam per violentam calumniatoris occisionem. Adde quod calumnia non sit vis quæ armis repelli debeat, et quod occisio calumniatoris potius infamiam inferat quam honorem servet aut reparet. *Vide secundam probationem conclusionis.*

ARTICULUS VII.

De abortu.

Abortus est ejectio præmatura fœtus, sive sit animatus sive non, modo sit conceptus ; quod addo quia ejectio seminum ante conceptionem, ut non raro accidit metu prolis, quamvis sit grave peccatum, non est tamen proprie abortus, nec subjacet pœnis latis contra procurantes abortum.

Dico 1° Procurare abortum fœtus, sive animati sive inanimati, directe et ex intentione, est gravissimum peccatum quod nullo bono fine, sive famæ sive vitæ salvandæ, cohonestari potest.

Prob. 1° Quia si fœtus sit animatus, ejus abortus est homicidium corporale et spirituale ; si nondum sit animatus, quamvis non sit proprie homicidium, ad illud tamen reducitur : sicut enim, inquit Estius, qui impedit ne aliquis lucretur, licet non sit proprie furtum, tamen peccat contra septimum præceptum et ad furtum reducitur ; ita qui futurum hominem impedit, etsi proprie non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato quod ad homicidium reducitur : unde vocatur a Tertulliano *festinatio homicidii.* Ergo.

Prob. 2° Procurare pollutionem directe et ex intentione, nunquam est licitum propter duo : 1° quia est contra finem seminis a natura per se intentum, scilicet generationem prolis ; 2° quia si aliquo casu liceret sibi procurare pollutionem, homines ejus voluptate illecti, passim fingerent casus similis licentiæ, et ea delectatione contenti, minus de generanda prole curarent in maximam generis humani perniciem : atqui hanc duplicem malitiam importat procuratio abortus. 1° Est contra finem generationis non solum a natura intentum, ut pollutio, sed jam actu attentatum et proxime attingendum. 2° Si aliquo casu liceret procurare abortum, quamvis non sit in eo delectatio alliciens sicut in pollutione, sequitur tamen idem inconveniens, quatenus luxuriosi homines eo animo ac fiducia freti, quod liceret aliquando expellere fœtum et impedire generationem, puta, metu infamiæ aut mortis, etc., fingerent passim similes casus ut possent liberius indulgere fornicationibus et stupris a quibus deterrere solet timor prolis ; sicque ea

delectatione contenti, quæ major est quam pollutionis, abstinerent a legitimo matrimonio in magnum speciei humanæ detrimentum. In his itaque et pluribus aliis malitia inexcusabilis repeti debet, non tam a damno actuali quod afferunt semel facta, quam a damno habituali et consecutivo quod afferrent semel licita. Hinc merito confixa est ab Innocent. XI hæc propositio : « Licet pro- » curare abortum ante animationem fœtus, » ne puella deprehensa gravida occidatur » aut infametur : » est 34.

Prob. 3° ex jure civili et canonico et pœnis ab utroque decretis in procurantes abortum. Jure civili mulier procurans abortum fœtus inanimati mulctatur exilio, l. *Si mulierem*, ff. Ad legem Cornel. De sicariis; si autem sit fœtus animatus, morte plectitur. Jure canonico in conciliis Trullano, Illiberitano, Wormatiensi, etc., severissimæ pœnitentiæ addicitur.

At vero Sixtus V, bulla *Effrenatam* data decimo sexto novembris 1588, decernis omnes qui procurant abortum fœtus animati vel inanimati effectu secuto, item qui sterilitatis potiones propinaverint, aut quominus fœtus concipiatur impedimentum præstiterint, vel his criminibus quovis modo cooperati fuerint, incurrere omnes pœnas jure tam divino quam humano, civili et canonico contra homicidas voluntarios inflictas, et insuper subjicit eos ipso facto irregularitati et excommunicationi a quibus, excepto mortis articulo, absolvi non possunt nisi a Romano pontifice. Item privat eos officiis et beneficiis, et inhabiles reddit ad ea in posterum obtinenda.

Verum hanc Sixti bullam moderatus est Gregor. XIV, bulla *Sedes Apostolica*, data 9 junii 1591, et dictas pœnas irregularitatis, excommunicationis et alias a Sixto latas restrinxit ad eos tantum qui procurant abortum fœtus animati aut illi quovis modo cooperantur; declarat insuper quod ab hoc casu et censura annexa episcopus aut quilibet confessarius, ab episcopo ad hunc casum *Specialiter* deputatus, absolvere possit.

Propter hanc particulam *specialiter*, dubium est inter theologos utrum confessarius qui habet facultatem generalem absolvendi a casibus reservatis, possit ab isto absolvere : communius negatur, quia ille ratione generalis concessionis non censetur *specialiter* deputatus ad hunc casum : cæterum quisque consulat suæ diœceseos usus et statuta. In hac nostra Leodiensi videtur hic casus sub homicidio voluntario specialiter reservari. Et nota bene quod, ut iste casus cum annexa censura incurratur, debeat abortus reipsa sequi, ut exprimitur in bulla Sixtina : unde qui tentavit procurare abortum effectu non secuto, non incurrit has pœnas.

Sed petes quando fœtus animatur anima rationali ?

R. id esse incertum et huc usque disputatum inter medicos. Alii enim volunt animari ab ipso conceptionis initio, alii trigesimo, alii quadragesimo die post conceptionem. Quidam non ita pridem docuerunt non animari nisi dum paritur, quorum sententiam reprobavit Innoc. XI, in condemnatione hujus propositionis : « Videtur pro- » babile omnem fœtum quamdiu in utero » est carere anima rationali, et tunc pri- » mum incipere eamdem habere cum pa- » ritur ; ac consequenter dicendum erit, » nullo abortu homicidium committi : » est 35 ; et *patet* falsitas hujus propositionis ex his qui ex secta matre vivi extracti sunt et diu postea vixerunt, qualis fuit S. Raymundus Nonnatus.

Attamen quantum ad pœnas incurrendas, ut quid certum in praxi habeatur, communiter censent auctores eas incurri a procurante abortum post quadragesimum diem conceptionis, si sit mas, et post octogesimum, si sit fœmina ; et ubi dubitatur an sit mas vel fœmina, præsumitur esse mas quoad forum conscientiæ, eamque esse praxim sacræ Pœnitentiariæ testatur Navarrus apud Sylvium hic a. 7, quæritur 4°.

Dices contra conclusionem. Casu quo ad conservandam vitam matris non sit aliud remedium quam procurare abortum, videtur quod sit licitum illum directe et ex intentione procurare : 1° quia fœtus est membrum seu pars matris, licitum est autem amputare partem pro salute totius ; 2° quia censetur tunc aggressor matris ; 3° quia majus est malum mors matris quam ejectio fœtus saltem inanimati, e duobus autem malis minus est eligendum. Ergo.

R. 1° *hæc argumenta nimis probare.* Probant enim etiam licitum esse pollutionem procurare directe et ex intentione, quod communiter rejicitur : potiori enim jure dici potest de semine quod sit pars corpo-

ris, quod sit aggressor vitæ, quod minus sit malum illud expelli quam hominem mori; probant ergo nimis, adeoque nihil.

R. 2° *ad singula. Ad primum*, nego fœtum esse proprie partem aut membrum matris, quia dicit ordinem ad distinctum suppositum. Et *dato* quod sit pars seu membrum ejus, non est propter bonum individui, sed speciei. *Ad secundum.* Non fœtus, sed ipsa infirmitas est aggressor vitæ matris: fœtus autem sequitur cursum naturæ. Et *dato* esse aggressorem, non ideo liceret intendere ejus ejectionem, ut dictum est de aggressore injusto vitæ. Utrum vero liceat intendere salutem matris et habere se permissive ad ejectionem fœtus: dicam modo. *Ad tertium.* Mors matris est malum physicum; ejectio fœtus ex intentione est malum morale, ut probatum est: valet autem duntaxat laudatum axioma, quando mala sunt ejusdem rationis.

Dico 2° Etiam illicitum est causare abortum indirecte, faciendo scilicet id unde prævidetur secuturus, quamvis non intendatur formaliter, nisi in raro casu adsit justa et gravis ratio tale quid agendi. Quia quando est illicitum facere aliquid directe, etiam illicituud est illud facere indirecte, ponendo causam unde sequatur; quia tunc saltem voluntarium est interpretative et in causa, nisi gravis ratio ponendi causam excuset, et voluntarium morale ab ejus effectu tollat. Confer quæ dixi supra a. 3, concl. 2, et art. 5, § 1, probatione 4, ex S. Thoma.

Hinc rea est abortus coram Deo mulier ferens grave pondus, nimium laborans, violenter irascens, aut quid simile agens ex quod prævidet aut prævidere potest secuturum abortum quamvis formaliter non intendat: idem dic de viro ex ira graviter precutiente mulierem prægnantem, aut eam affectu implendæ libidinis cum nimia agitatione cognoscente. Hi tamen, quod diligenter advertе, non incurrunt pœnas latas contra procurantes abortum; quia procurare abortum, stricte loquendo, est studiose et ex industria agere ad ejectionem fœtus, quod isti non faciunt. Secus puella quæ, ne diffametur aut occidatur, sumit potionem abortivam; hæc enim studiose et ex industria quærit abortum, ut vitam aut famam servet.

Sed restat difficultas non levis, an ad salvandam vitam matris prægnantis et periclitantis, liceat ipsi dare pharmacum causativum per se vel per accidens abortus, præter tamen intentionem præbentis aut sumentis, eo fere sensu quo diximus de defensione sui cum occisione invasoris: pro cujus resolutione,

Dico 3° Quando fœtus est animatus, aut etiam quando dubitatur an sit animatus, nullo modo licet ad conservationem matris illi dare pharmacum causativum per se vel per accidens abortus, etiam præter intentionem dantis vel suscipientis, saltem quamdiu spes est fœtum in lucem edendum et baptizandum; quia tunc agitur de salute æterna prolis quam mater suæ saluti corporali tenetur præferre. Neque simile est de injusto invasore, quia iste non est in extrema necessitate, sicuti est proles in utero.

Dixi, *saltem quamdiu est spes fœtum in lucem edendum et baptizandum.* Quia si certum esset non adhibito remedio fœtum cum matre periturum, et e contra certum aut probabile adhibito remedio matrem salvam iri; multi existimant quod tunc liceret adhibere remedium, quia in his circumstantiis vix in æstimationem venit salus prolis certo perituræ, indeque jus habet mater sibi consulendi.

Verum in praxi vix haberi potest certitudo, quod vel mater sine tali remedio sit moritura, vel quod fœtus ex mortua matre non possit vivus extrahi; in his enim non raro falluntur etiam expertissimi medici: unde quamvis factum forte non damnarem, faciendum tamen vix aut ne vix suaderem.

Dico 4° Quando certum est fœtum nondum esse animatum, communis opinio tenet licitum esse præbere matri periclitanti cum fœtu pharmacum, matris ex intentione conservativum, et fœtus præter intentionem expulsivum: suppono non suppetere aliud remedium. *Ratio conclusionis est*, — Q. 64. a. 7. o. — quia, ut jam sæpe dictum est ex S. Th. quando unius actus sunt duo effectus, potest intendi bonus et permitti malus, ubi subest justa causa; ut patet in defensione propriæ vitæ cum occisione invasoris, in expugnatione turris in qua cum hostibus sunt inclusi innocentes, in pollutione causata per actionem aliunde licitam, etc. Mater autem in præsenti casu habet justam causam hoc medicamentum sumendi, nempe conservationem vitæ propriæ, quam merito præfert conservationi fœtus nondum anima rationali donati.

At iterum incertum est quando fœtus anima rationali animatur, propter hac de re varietatem opiniorum, ut dixi; neque omnino depellitur hæc incertitudo per hoc quod theologi et canonistæ communiter constituant pro tempore animationis quadragesimum aut octogesimum diem a conceptione, ut dictum est: id enim fit, non quia ita esse certo constat, sed quia sic fert communis apprehensio et ut habeatur aliquid certum quantum ad pœnas incurrendas: unde etiam huic sententiæ vix est locus in praxi.

ARTICULUS VIII.

Utrum occidens casualiter hominem incurrat homicidii reatum?

Hic a. 8. o. — Casuale dicitur per oppositum ad voluntarium. Casus enim, juxta philosophum, est causa agens præter intentionem; et ideo quæ casualia sunt, non sunt intenta neque voluntaria. Contingit tamen quod id quod non est directe in se intentum, sit aliquando indirecte in causa intentum. Quod non est neque directe in se, neque indirecte in causa intentum, est casuale simpliciter et absolute; quod vero non est directe in se intentum, sed tantum indirecte in causa, licet sit vere voluntarium, dicitur tamen in jure *casuale:* quidam vocant casuale mixtum seu casuale secundum quid, quia non est tale nisi respectu intentionis formalis et directæ; et hoc contingit dupliciter: uno modo, quando dans operam rebus illicitis quas vitare debebat, homicidium incurrit; alio modo, quando vacans rebus licitis, non adhibet debitam sollicitudinem ad vitandum sequens homicidium.

Dupliciter autem aliquid potest esse illicitum et prohibitum: uno modo, quia est periculosum et inductivum mortis, ut percutere mulierem prægnantem, explodere in arcem, etc. 2° Potest aliquid esse illicitum et prohibitum, non quia est periculosum, sed ob alias causas, ut v. g. venatio certo loco, certo tempore quo animalia concipiunt.

Ibid. — *Dico* 1° Si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, et ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum; quia tale homicidium nullatenus est ipsi voluntarium utpote omnino casuale. Si autem det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam non evadit homicidii reatum si ex jus opere mors hominis sequatur, sed plus minusve peccabit, quo gravior vel levior fuerit negligentia in adhibenda cautela; quia cum non sit ista mors voluntaria nisi indirecte in causa, est plus minusve voluntaria, quo negligentia, quæ est causa, fuerit major vel minor.

Dico 2° Qui vacando rei illicitæ et prohibitæ, non quia est periculosa et inductiva mortis, sed ob alias rationes, si, adhibita sufficienti diligentia, occidat hominem, non est reus homicidii. Ita nunc communiter post Covarr. Dom. Soto, Navar. Bannem, Salon, Aragon, Avila, quos citant et sequuntur Sylvius et Joan. a S. Thomas in hunc articulum.

Prob. 1° ex jure c. *Quantum* 48, dist. 50, ubi Gelasius papa, consultus de illo qui abducendo equos furtivos occurrit mulieri quæ, collisa inter equos, abortum fecit: respondet quod si equos alienos furatus tulerit, inde est culpabilis; sed de muliere quæ casu inter equos confracta est, ubi voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse, non potest nec debet puniri: ex quo constat illum fuisse quidem reum furti, non tamen homicidii, licet vacaret rei illicitæ, nimirum furto.

Prob. 2° *ratione.* Quia talis occisio non est ullo modo voluntaria: non directe in se, *ut patet;* neque indirecte in sua causa, quæ est actio illicita, quia, ut supponimus, non est de se periculosa, et ut caveretur mors adhibita fuit sufficiens diligentia, ita ut in illa non potuerit prævideri occisio. Ergo.

Confirmatur ab absurdis. Ex opposita sententia *sequitur* 1° quod, si duo venentur in eodem loco, unus clericus, alter laicus, et uterque adhibeat debitam diligentiam, clericus sit reus homicidii, morte secuta, quia vacat rei illicitæ; non laicus. 2° Si quis cædat arborem die festo, et casu opprimat aliquem adhibita sufficienti diligentia, incurrit reatum homicidii, quia vacat rei illicitæ; et non incurrit si cædat die feriali. 3° Si quis tempore interdicti pulsat campanam quæ cadens occidit aliquem, est homicida, quamvis debitam adhibuerit diligentiam, quia vacat rei illicitæ; et non est si non sit interdictum. Et plura alia similia quæ videntur absurda.

Dico 3° Qui vacando rei illicitæ et prohibitæ, quia periculosa est et inductiva mortis, occidit hominem, reus est homicidii, si, non obstante diligentia adhibita, rem-

neat periculosa; quia tunc homicidium est ipsi voluntarium indirecte in causa, siquidem non obstante diligentia actio remaneat periculosa et inductiva mortis, in quo proinde potuit et debuit prævidere mortem, et a qua ideo debuit abstinere.

Si autem talem diligentiam adhibeat quæ periculum omnino abstergat, existimamus quod in foro conscientiæ saltem, non sit reus homicidii; quia tunc homicidium non est ipsi voluntarium in causa, siquidem, semoto, ut suppono, periculo, non potuit prævidere ex sua actione secuturum homicidium. Et habet fundamentum in jure c. *Tua nos*, de Homicidio, ubi pontifex excusat a reatu homicidii et ab irregularitate quemdam monachum chirurgum qui contra prohibitionem canonum exercuerat periculose suam artem circa mulierem, modo constaret eum talem adhibuisse diligentiam quæ abstergeret periculum mortis, quæ ex incissura accidit propter imprudentiam mulieris. Attamen in foro exteriori regulariter reputabitur homicida et irregularis, quia hoc ipso quo actio est periculosa, præsumitur negligens qui illam ponit, nisi constet de opposito.

Ita si non quoad terminos, saltem quoad sensum, Soto Cano, Bannes, Sylvius, Serra et alii plures tam domestici quam extranei; qui etiam sub his distinctionibus intelligunt S. Thomam tunc hic, tum in 4, d. 25, q. 2, dum innuit sufficere rem esse illicitam ut quis incurrat reatum homicidii, etiamsi adhibeat diligentiam: vel enim, inquiunt, S. Doctor loquitur de re illicita, quæ non obstante diligentia remanet periculosa; vel loquitur in ordine ad forum exterius: unde dicit *secundum jura* talem incurrere reatum homicidii. Consequenter dicendum est ut supra, peccatum talis homicidii fore plus minusve grave, quo major vel minor fuerit negligentia.

Dices 1° *contra secundam conclusionem et contra secundam partem hujus tertiæ*, c. *Dilectus* de Homicidio et alibi sæpe in jure, SS. pontifices sunt solliciti in examinando an qui commisit homicidium casuale, vacaret rei licitæ vel illicitæ; et plures pronuntiant immunes a reatu homicidii et irregularitate ex eo quod vacarent rei licitæ: ergo a contrario sensu incurrissent reatum homicidii et irregularitatem si vacassent rei illicitæ.

R. 1° argumentum a contrario non esse firmam in jure ad probandam irregularitatem, quia non incurritur nisi formaliter exprimatur.

R. hanc attentionem et examen SS. pontificum, an homicidium sequatur ex actione licita vel illicita, esse tantum in ordine ad forum exterius in quo, ut dixi, qui dat operam rei illicitæ ex qua sequitur homicidium, præsumitur ex culpa lata ac gravi negligentia occasionem dedisse, et ideo pronuntiatur reus homicidii et irregularis: licet in foro conscientiæ non sit talis, si aut res illicita non erat periculosa; aut si erat periculosa, ea tamen fuit adhibita diligentia quæ omnino periculum removeret; præsumptio enim debet cedere veritati.

Dices 2° Qui vacat rei illicitæ ex qua sequitur homicidium, ponit ejus causam quam debuisset omittere: ergo homicidium est ipsi voluntarium in causa.

R. D. ant. Ponit causam homicidii quam debuisset omittere ut illicitam in se, *C. ant.* ut causam homicidii, *N. ant.* quia ut talem non apprehendit nec apprendere potuit, cum supponamus aut non fuisse periculum, aut talem adhibitam fuisse diligentiam ut periculum abstergeretur: unde est quidem reus rei illicitæ quam scienter ponit, at non homicidii inscienter et casu secuti.

Ex dictis inferes. 1° Qui intendit gladio amputare aurem, aut punctim explodere in brachium, qualemcumque adhibeat diligentiam ut non occidat, si tamen occidat, incurrit reatum homicidii et irregularitatem, quia nulla diligentia periculum ab his actionibus potest abstergi: unde hoc ipso quo illas ponit, censetur ipsi homicidium voluntarium in causa; idem dicendum de illo qui graviter percutit mulierem prægnantem, si præter intentione suam formalem abortiat; idem de illo qui in somno inquietus, decumbit in angusto lecto cum tenella prole, si forte suffocetur; secus si lecto ampliori, prole longe a se posita et certus sit de sua tranquillitate in somno.

2° E contra qui projecit per fenestram ligna vel lapides in plateam publicam, si adhibeat diligentiam sufficientem, puta, si apponat custodes diligentes qui transeuntes commonefaciant ut ab hoc loco avertant, unus autem custodum incaute se fenestræ supponit et occiditur; projiciens non est reus homicidii, quia hac diligentia adhibita,

projectio cessat esse periculosa, non secus ac si fieret in locum desertum. Similiter qui propinat alteri venenum præsente antidoto cujus efficaciam novit, si quis inopinato furetur antidotum, ex quo moritur qui hausit venenum, non est homicida; quia posito antidoto venenum non est periculosum, quinimo fit quandoque optimum medicamen

3° Clericus in sacris constitutus, chirurgiam exercens per incisionem vel adustionem, morte vel mutilatione secuta, non est reus homicidii si, ne sequeretur, sufficientem adhibuit diligentiam; quia quamvis sit ipsi prohibitum c. *Sententiam*, tit. *Ne Clerici* 50, lib. 3, exercitium chirurgiæ per incisionem vel adustionem, et ideo ex hac parte peccet, supposita tamen sufficienti peritia et cautela, mors sequens non est ipsi magis voluntaria quam foret chirurgo laico: est casus canonis *Tua nos* cit. Idem dicendum de clerico medico, et eo magis quod juxta plures non inveniatur in jure prohibita clericis ars medica, sicut est prohibita clericis in sacris constitutis ars chirurgica per incisionem vel adustionem, c. *Sententiam* cit.

4° Qui furatur mille aureos a divite avaro, et is ex nimio dolore amissæ pecuniæ moritur, aut alter, cui furtum imponitur, suspenditur, non est reus homicidii; quia neutrius mors sequitur ex ejus furto per se, neque ut plurimum, sed omnino per accidens; prioris enim mors sequitur ex voluntario dolore, alterius ex injustitia accusatoris vel testium.

Id quoque Lessius lib. 2, cap. 9, dub. 16, verum reputat, quamvis fur mortem alterius præviderit inde per accidens secuturam; imo etiamsi intenderit, modo nihil exterius agat quod vel physice vel moraliter concurrat ad mortem vel imputationem. Sic etiam censet Henric. a S. Ignatio, lib. 9, cap. 131, n. 1257, et probabile existimat Sporer in 5 præceptum Decal. c. 3, § 4, n. 202, et alii: consensit ex parte Soto lib. 4, q. 6, a. 3, de morte prævisa non intenta. Ratio illorum est, quia istud furtum, seclusa prævisione vel intentione, non influit per se efficaciter in mortem alterius: ergo neque posita prævisione vel intentione, quia neque prævisio neque intentio mutat naturam operis exterioris. Unde, inquiunt, quamvis iste fur graviter peccet contra charitatem, quatenus non abstinet ab opere aliunde illicito, ex quo prævidet secuturam per accidens mortem alterius, aut quatenus eam intendit, non tamen peccat contra justitiam saltem exterius, nec proinde obligatur ad restitutionem.

Dices. Qui præbet gladium volenti occidere innocentem, est reus mortis innocentis: ergo similiter in nostro casu.

R. N. conseq. Disparitas est, quod gladius non sit tantum conditio sine qua innocens non occideretur; sed ulterius est causa instrumentalis in occisionem positive et physice influens: unde qui illum præbuit, censetur occidere per manus alterius. At in nostro casu furtum est tantum conditio sine qua non, quæ in mortem alterius non influit neque physice, *ut patet*, neque moraliter; suppono enim furtum non committi cum his circumstantiis ex quibus moraliter aut plurimum sequitur ut imputetur alteri, ut, v. g. si furarer indutus vestibus alterius; tunc enim meum furtum influeret moraliter in imputationem furti isti alteri et consequenter in ejus mortem.

Cæterum sunt etiam plures qui tenent sententiam oppositam, præsertim si intendatur mors alterius; quia tunc, inquiunt, videtur omnino voluntaria causa injusta mortis secutæ ex furto.

5° Qui inflixit alteri vulnus non lethale, sed eo loco et tempore quo nullus esset qui curare posset, et vulneratus adhibuit debitam diligentiam, est reus homicidii si sequatur mors; quia vulnus secundum se non lethale, in his circumstantiis censetur lethale, et revera ex eo secuta est mors. Idem dicendum si occasione talis vulneris accidat alius morbus mortem inferens; qui enim est causa causæ, est causa causati, ut fert commune adagium.

Si vero mors sequatur ex imperitia vel negligentia chirurgi, vel ex incuria aut malo regimine vulnerati, vulnerantem excusant a reatu homicidii Cajet. Soto, Serra, Less. Layman et alii, juxta l. *Qui occidit*, § ultimo, ff. Ad leg. Aquil. lib. 9, tit. 2, his verbis: « Si vulneratus fuerit servus, non » mortifere, negligentia autem perierit, de » vulnerato actio erit, non de occiso. » Ratio est, quia etsi vulnus sit occasio mortis, non est tamen causa, sed ipsa negligentia chirurgi vel vulnerati, debebat enim uterque diligentiam adhibere. Quidam tamen non

improbabiliter oppositum tenent, quando scilicet vulnus, etsi non sit lethale, est tamen grave; quia, inquiunt, quamvis in hoc casu mors sequatur ex culpa chirurgi vel læsi, attamen ipsum vulnus debet regulariter censeri cum alia causa quasi communi actione in mortem influxisse.

Petes 1° utrum homicidium aliudve damnum per servum aut animal causatum imputari debeat domino?

R. Si damnum causatum sit ex culpa domini, sic ipsi imputatur ut debeat in conscientia restituere totum damnum, nec sufficiat servum vel animal dedere parti læsæ. Si autem id sit factum sine ejus culpa, secundum leges tam civiles quam canonicas, tenetur non quidem determinate ad damnum, sed vel ad damnum vel ad dandum animal aut servum. Ita in jure civili, l. *Si servus* 2, ff. de Noxalibus actionibus, l. 9, tit. 4: « Si servus sciente domino occidit, in solidum dominum obligat, ipse enim videtur dominus occidisse; si autem insciente, noxalis est; nec enim debuit, ex maleficio servi, in plus teneri quam ut noxæ eum dedat. » Et in jure canonico, c. *Si culpa tua* de Injuriis et damno, lib. 5, tit. 36, Gregorius IX sic decernit: « Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare teipsum. Quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, et quam debueras non curasti diligentiam adhibere. »

Utrum vero istæ leges, quatenus spectant secundam partem responsionis, obligent in conscientia ante sententiam judicis? *Respondetur communiter negative;* quia etsi forte non sint absolute pœnales, sunt tamen quasi pœnales, utpote latæ ad reddendos homines diligentiores in ejusmodi damnis cavendis. Est autem commune legibus pœnalibus et quasi pœnalibus, ut ante sententiam judicis non ligent: vel dicendum eas pertinere duntaxat ad forum externum, neque aliter esse usu receptas, ut ait Lessius. Idque magis inde evincitur quod si dominus ante litem contestatam moriatur, non datur actio de damno contra ejus hæredes, e. *Inde Neratius*, § Hanc actionem, ff. Ad legem Aquil. et alibi. Si vero dominus teneretur in conscientia ante sententiam judicis, etiam tenerentur ipsius hæredes, et adversus eos daretur actio. Ita censent Less. Laym. Pontas, v. *Restit.* cas. 17° post plures alios citatos.

Petes 2° utrum homicidium aliudve damnum causatum a filio, sic imputetur patri ut de damno teneatur.

R. negotive, si absque ejus culpa factum sit: ita § ultimo Instit. *de Noxal. Action.* lib. 4, tit. 8. Ratio est, quia ex una parte iniquum foret ut nequitia filii esset damnosa patri, et durum nimis dedere corpus filii; ex alia parte filius familias cum sit liber et capax dominii, potest pro suis delictis conveniri. Ita loco cit. Instit.

ARTICULUS IX.

De mutilatione, verberatione et incarceratione.

D. Th. Q. 65.

§ I. — *De mutilatione.*

Q. 65. a. 1. o. — *Dico* 1° Auctoritate publica potest licite malefactor mutilari in aliquo membro tui corporis. Quia sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas majores culpas, ita etiam licite privatur membro propter aliquas culpas minores.

Ibid. — Item, quando membrum est toti corpori nocivum, licitum est privatæ personæ illud sibi vel alteri de ejus licentia amputare; quia cum membrum sit pars totius corporis humani, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum: unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti: atqui unicuique commissa est cura propriæ salutis. Ergo.

Ibid.—Et eadem ratio est, si fiat voluntate ejus ad quem pertinet cura de salute illius qui habet membrum nocivum, qualis est pater respectu filii, tutor respectu minorennis, prælatus respectu religiosi: et hi etiam compellere possunt subditum ut permittat sibi membrum amputari, quando medici judicant id esse necessarium saluti totius corporis; modo tamen non sint acerbiores cruciatus tolerandi; nemo enim tenetur mediis extraordinariis et admodum difficilibus vitam suam conservare, ut jam dixi supra de occisione suipsius.

Et hanc conclusionis partem secundam etiam esse veram censemus probabilius,

sive membrum sit nocivum ab intrinseco, puta, quia est putridum; sive ab extrinseco, ut si constrictus brachio vel pede sis comburendus vel a fera discerpendus, nisi membro hoc amputato fugias, aut etiam si tyrannus tibi minetur mortem, nisi abscindas tibi manum: quia ratio D. Th. militat de membro quovis modo nocivo toti corpori. Excipe tamen casum quo tyrannus id præciperet propter aliquam causam religionis, puta, quia absolvist. pœnitentem, aut quia fecisti sacrum; tunc enim obediendo tyranno censeri improbare tuum factum, quod cederet in injuriam religionis.

Ib. et ad 3. — *Dico* 2° Extra duos casus præcedentis conclusionis, aliquem membro mutilare est omnino illicitum, proindeque nec pro vita spirituali aut vitando quocumque peccato id licet. Unde can. 22 inter illos qui ascribuntur Apostolis, dicitur: « Si quis » abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, qui » sui ipsius homicida est, et Dei conditionis » inimicus. »

Prob. 1° *ratione.* Homo sicut nec vitæ, ita nec membrorum est dominus, sed custos tantum; vita enim totius ex membris constat et omnibus inest: sed solus Deus vitæ et membrorum conditor et conservator, est illorum dominus. Ergo injuriam Deo facit, qui membrum nec reipublicæ nec corpori nocivum abscindit. — **Ibid. o.** — Item facit injuriam communitati cujus est ipse homo et omnes ejus partes.

Ibid. ad 3. — *Prob.* 2°. Membrum non est præscindendum propter salutem corporalem, nisi quando aliter toti subveniri non potest: atqui saluti spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati. Ergo nec pro vita spirituali, etc.

Confirmatur. Eviratio, de qua potissimum est quæstio, prorsus inutilis est ad vitandum peccatum, cum non tollat tentationes carnis, sed duntaxat impediat generationem. Quinimo, juxta SS. Patres, Chrysost. August. Basilium, Cyrillum et alios, evirati facilius incalescunt et acrius libidine titillantur, et cum aliunde remedio conjugii uti non possunt, in majori periculo peccati et salutis versantur. Ergo.

Dices 1°. Matth. 18, dicit Christus: *Si manus tua vel pes scandalizat te, abscide eum et projice abs te.* Et cap. 9: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Ergo.

R. hæc verba non physice, sed moraliter esse intelligenda: prima de abscissione omnis occasionis peccandi, etiamsi nobis esset æque necessaria ac manus vel pes; posteriora de voluntario ac firmo proposito vel voto castitatis servandæ: — **Ibid.** — unde S. Chrysost. Hom. 63 in Matth. exponens hæc verba, dicit. « Non per membrorum » abscissionem, sed per malarum cogitatio» num interemptionem; maledictioni enim » est obnoxius qui membrum abscindit, » etenim homicidæ sunt qui talia præsu» munt. »

Merito itaque ab omnibus reprehenditur Origenes, quod metu incontinentiæ seipsum castraverit; ob quod facinus Demetrius, Alexandrinus episcopus, ejus ordinationem impugnavit; jure an injuria, discutiemus in digressione historica ad calcem dissertionis.

Dices 2° Praxis est saltem tolerata in pluribus provinciis, præsertim in Italia, qua parentes pueros suos consentientes evirari curant, ut servent sonoram vocem, cantandis Dei laudibus aptiorem, et ut inde emolumentum sustentationi necessarium comparent. Ergo.

R. quod, quamvis hæc praxis quibusdam theologis probetur, nobis tamen et pluribus aliis videtur illicita; quia universaliter verum credimus cum Auctore, nemini licere se mutilare nisi ad conservationem totius, et non ob alium finem minus necessarium, qualis est is qui proponitur. Adde quod hinc varia salutis pericula subeant, ut dictum est supra.

Dices 3° ex historia ecclesiastica. S. Marcus sibi pollicem amputavit, ne fieret sacerdos. In vita S. Pauli eremitæ apud S. Hieron. legitur quemdam juvenem ligatum in molli lecto, sibi abscidisse linguam et exspuisse in faciem meretricis ipsum ad turpia excitantis. Ergo.

R. hos et alios similes id fecisse vel ex ignorantia invincibili, vel ex inspiratione divina; alias non sunt excusandi. Adverte insuper hunc S. Marcum non esse Evangelistam, sed quemdam anachoretam, ut probat Baronius ad annum 45.

§ II. — *De verberatione.*

Q. 65. a. 2, o. et ad 2. — *Dico.* Non cui-

que licet alterum verberare causa correctionis et disciplinæ, sed id licet patri respectu filii, domino respectu servi ; non tamen illis licet occidere aut mutilare.

Ibid. o. — *Prob. prima pars.* Verberare aliquem non licet nisi habenti potestatem aliquam in illum qui verberatur : atqui non cuique competit potestas in alterum, sed competit patri in filium, domino in servum. Ergo. *Prob. maj.* Verberare, est nocumentum inferre, est enim sensum dolore afficere ; nocumentum autem alicui inferre non licet nisi per modum pœnæ propter justitiam : atqui nullus punit aliquem nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Ergo.

Ibid. in a, s. c. — Unde Proverbiorum 13 dicitur : *Qui parcit virgæ, odit filium suum ;* et infra 23 : *Noli subtrahere a puero disciplinam ; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.*

Idem dicendum de magistris erga discipulos, funguntur enim potestate paterna. De prælatis vero erga subditos non est dubium, gaudent enim potestate publica juxta suas leges.

Ibid. ad 2. — *Prob. secunda pars.* Coercere seu punire per mutilationem et occisionem quæ inferunt damnum irreparabile, requirit perfectam potestatem ; major enim coactio exigit majorem potestatem. atqui pater et dominus non habent perfectam potestatem. Ergo. *Prob. min.* Sicut civitas est perfecta communitas, ita princeps civitatis habet perfectam potestatem coercendi : ergo cum familia cui præsunt pater et dominus sit imperfecta communitas, pater et dominus habent imperfectam potestatem coercendi. Ergo.

Si dicas posse contingere ut liberorum institutio quæ parentibus competit, exposcat aliquando occisionis aut mutilationis vindictam, ut accidit Adæ respectu Cain fratricidæ, si Deus ipsi non pepercisset. *R.* quod jus naturæ non concedat parentibus talem vindictam, sed soli publicæ potestati, ad quam confugere possunt parentes ; idque jure gentium firmatum est. Non enim debuit vita hominis passim committi iis qui ut plurimum leges nesciunt, neque causarum merita perpendere possunt. Quocirca, inquit Soto, sic parentibus educare filios natura concessit, ut tamen lineam præscripserit quousque sua facultas procederet, et unde publica inciperet, ut statuitur in jure, l. *Si Filius*, c. de Patr. potest. lib. 8, tit. 47 ; et l. *Prætor*, ff. de Jurejurando, § Præterea. Id tamen speciale fuit in primo parente, quod non solum patriam, sed et publicam potestatem haberet ratione dominii orbis quod penes ipsum tunc temporis erat ; sed aucto genere humano et per familias distributo, unaquæque habet suum principem.

Petes 1° utrum parentes possint verberare filios, aliasve similes pœnas leviores sive privativas sive positivas illis infligere, non solum causa correctionis et disciplinæ, sed etiam amore justitiæ, scilicet, rependendo pœnam debitam et congruam culpæ, in quantum se extendit eorum potestas, ut sic rectus ordo servetur, et quod extra ordinem recti prolapsum est ad ordinem revocetur, quod est finis intrinsecus justitiæ vindicativæ quem intendunt judices, et quem Deus intendet et obtinebit in fine mundi ?

Respondendum existimo affirmative. Quia finis est bonus, et non deest legitima potestas. *Confirmatur.* Unicuique licitum est appetere ut id fiat per legitimam potestatem : ergo id per seipsum præstare potest qui hac legitima potestate fungitur. Quapropter, sicut publica potestas hunc finem intendit et assequitur in majoribus criminibus per graviores pœnas, sic potest patria potestas in minoribus culpis per leviores pœnas : unde non probo illos qui dicunt parentes non posse punire filios causa vindictæ, quia, inquiunt, vindicta reservatur Deo : quasi non ipse Deus vindicet, quæ vindicat potestas ab eo constituta, sive publica sive domestica, unaquæque in suo ordine et intra suos limites. Idque innuit S. Thomas dum hic docet, parentes posse verberare filios *per modum pœnæ propter justitiam.* Porro punire propter justitiam, est punire ut sit æqualitas inter pœnam et delictum : punire autem propter correctionem et emendam delinquentis, non est actus justitiæ, sed charitatis, juxta illud Proverb. *Quem diligit Deus, corripit.*

Petes 2° utrum liceat parentibus verberare filios in sacris constitutos, absque eo quod incurrant excommunicationem canonis *Si quis*, etc.

R. probabilius et tutius negative. Probationem require tract. de Censuris, diss. 2, art. 1, § 3, causa 4 excus.

Si curiosius ultra interroges utrum maritus habeat jus verberandi uxorem? *R.* id non posse omnino negari, si uxor graviter delinquens alia via corrigi non possit, et speretur mediocri verberatione corrigenda; quia juxta Apost. vir est caput mulieris, et ipsa est sub potestate viri. Sed extra hunc casum gravis et raræ necessitatis, inhumanus est ac barbarus vir qui, utens uxore quasi mancipio, illam verberat; sunt enim duo in carne una.

De fratre autem natu majore dicimus non ipsi licere verberare fratres minores, nisi id ipsi sit commissum a patre, aut nisi mortuo vel absente patre gubernet familiam; quia primogenitura non confert illi tale jus.

§ III. — *De incarceratione.*

Q. 65. 3. o. — *Dico* 1° Aliquem simpliciter incarcerare est illicitum, nisi fiat per publicam potestatem secundum ordinem justitiæ, in pœnam vel cautelam peccati.

Ibid. ad 3. — *Ratio est*, quia aliquem simpliciter incarcerare, ad eum solum pertinet qui habet disponere universaliter de actibus et vita alterius, cum per hoc impediatur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis: atqui disponere universaliter de actibus et vita alterius, pertinet ad solam potestatem publicam secundum ordinem justitiæ. Ergo.

Dixi, *incarcerare simpliciter*; quia superiores particulares, ut parentes magistri, possunt per aliquod tempus domi suæ detinere seu recludere liberos aut domesticos causa correctionis.

Ibid. — Imo detinere hominem ad horam ab opere illicito statim perpetrando licet cuilibet privato, sicut cum quis aliquem detinet ne se præcipitet vel ne alium feriat. Quod etiam verum credimus non solum si opus perpetrandum sit scandalosum aut contra justitiam, quod omnes concedunt; sed etiam si sit contra alias virtutes, ut si quis vadat ad fornicandum, ad se inebriandum: quia utrobique urget charitas, nec detentus potest conqueri de injuria, cum id fiat in ejus gratiam; modo tamen in hoc ultimo casu non adhibeatur nimia violentia.

Ibid. a. 4. o. — *Dico* 2° Qui prædictas injurias occisionis, mutilationis, verberationis aut incarcerationis inter personæ aliquibus aliis conjunctæ, gravius peccat, cæteris paribus, quam si inferret personæ nulli conjunctæ; quia talis injuria pertinet ad plures. Quanto autem aliqua injuria redundat in plures, tanto gravius est peccatum, cæteris paribus: unde gravius est peccatum si quis percutiat principem quam personam privatam, quia redundat in injuriam totius multitudinis.

ARTICULUS X.

De irregularitate contracta ex homicidio et mutilatione.

Irregularitas *est impedimentum canonicum suscipiendi ordines et in eis ministrandi.* Per *ordines*, Cabassutius, Pontas et alii intelligunt etiam tonsuram.

Dicitur, *impedimentum canonicum*, quia a solo jure canonico est introductum, unde non incurritur nisi in casibus a jure expressis, *Is qui* de Sentent. excommunicat. in 6, lib. 5, tit. 11.

Insuper Navarrus in Man. cap. 27, n. 251, quem sequuntur Cabassutius et Pontas, probat irregularitatem reddere etiam inhabilem ad obtinenda beneficia, licet non inducat jam adeptorum vocationem; quia, inquit, inhabilis ad unum est inhabilis ad ei annexum: irregularis autem est inhabilis ad ordinem et illius usum, et beneficium requirit ordinem et illius usum, quia datur propter officium.

Duplex distinguitur irregularitas: una ex delicto, et hæc est pœna quæ a pluribus connumeratur inter censuras; alia ex defectu propter indecentiam.

In irregularitate ex defectu non dispensat episcopus nisi cum illegitimis et bigamis, ad solos minores ordines et simplex beneficium. Ita post Auctorem, Sylvest. Asor. Cabassutius citans in idem decisionem Rotæ 447. — In 4. d. 27. q. 3. a. 3. o. — In omnibus autem irregularitatibus ex delicto dispensat episcopus, quando delictum est occultum nec deductum ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario etsi occulto, Trid. sess. 24, cap. 6.

§ I. — *De irregularitate contracta ex homicidio licito.*

Dico 1°. Omnes qui concurrunt directe et proxime ad justam occisionem vel mutilationem effectu secuto, sunt ut ministri justitiæ et ex officio, aut militantes in bello justo, sunt irregulares.

Dixi 1° *qui concurrunt directe et proxime*, non qui indirecte et remote tantum; quia odiosa sunt restringenda. Non est autem hic dicenda causa indirecta et remota quæ aliis mediantibus influit in mortem, alioquin judex ferens sententiam mortis non foret irregularis, cum non occidat nisi mediantibus inferioribus ministris; sed dicitur causa indirecta et remota, cujus effectus terminatur ad alium finem quam ad mortem aut mutilationem, et ex quo fine non sequitur per se mors aut mutilatio : ut dum judex ecclesiasticus, v. g. dimittit a sua jurisdictione reum et potestati sæculari tradit.

Dixi 2°, *effectu secuto;* quia nisi reipsa sequatur mors aut mutilatio, quantumvis quis eam intendat aut in eam conetur, non est irregularis; quia irregularitas in jure fertur duntaxat in occidentes aut mutilantes. Et ea etiam ratione judex condemnans ad triremes, ad flagella, ad perpetuum carcerem, aut ad id concurrentes, non sunt irregulares.

Dixi 3°, *saltem ut ministri justitiæ et ex officio, aut militantes in justo bello.* Quia disputatur inter theologos an ii qui non sunt ministri justitiæ, nec milites in bello justo, incurrant irregularitatem si concurrant ad occisionem aut mutilationem justam. *Affirmant multi* præsertim ex antiquioribus, *negant plurimi :* Diana apud Sporer citat triginta et ultra negantes, quorum hæc est ratio non contemnenda. Irregularitas, *ut ex dictis patet* et omnium consensu certum manet, non incurritur nisi in casibus jure expressis : atqui irregularitas ratione occisionis aut mutilationis justæ, non est expressa in jure nisi contra ministros justitiæ, aut contra militantes in bello justo : ergo. *Minorem*, in qua est difficultas, *probant* inductione omnium textuum quibus nituntur alii probare oppositum, et qui, si attente legantur, inquiunt, nonnisi de ministris justitiæ loquuntur aut de militante in bello justo.

Præcipui sunt 1° can. *Sententiam*, tit. Ne clerici vel monachi Extra. lib. 3, tit. 5, ubi sic legitur : « Sententiam sanguinis » nullus clericus dictet aut proferat, sed nec » sanguinis vindictam exerceat aut ubi » exercetur intersit..... Nec quisquam cle» ricus litteras dictet aut scribat pro vin» dicta sanguinis destinandas : unde in cu» riis principum hæc sollicitudo non detur » clericis, sed laicis committatur. »

Verum 1° in hoc textu nulla fit mentio irregularitatis, sed et simplex prohibitio. 2° *Dato* quod intelligatur irregularitas, hæ particulæ : *Sententiam sanguinis proferat... sanguinis vindictam exerceat... In curiis principum hæc sollicitudo non clericis, sed laicis committatur;* hæ, inquam, particulæ aperte indicant sermonem esse de iis qui agunt ex officio.

2° Profertur declaratio Clementis IV apud Abbatem, qua definitur clericum quemdam ex jussu sui principis legentem litteras quibus monebatur princeps ut quemdam facinorosum in tali loco latentem capi juberet (captus est et occisus), esse irregularem. Sed 1° hæc declaratio non reperitur in jure, nec est authentica; 2° Non constat hunc clericum non fuisse principis ministrum in omnibus obsequiis etiam criminalibus obeundis.

3° Profertur c. *Si quis viduam*, dist. 50. Sed ibi nomine homicidii intelligitur occisio injusta. Quia homicidium regulariter sumitur pro occisione injusta; non enim judex, v. g. dicitur homicida, quod reum juste damnaverit ad mortem.

4° Tandem proferri potest decretum Nicolai papæ, c. *de Clericis*, d. 50. Quidam respondent in eo agi de clerico qui, se defendendo contra paganum, eum occiderat non servato moderamine inculpatæ tutelæ, tum quia erant plures contra unum, tum quia dicitur quod si per pœnitentiam *emendati fuerint*, quod significat culpam. Sed quia S. Thomas hic a. 7, ad 3, hunc canonem intelligit de eo qui inculpate se defendendo alium occiderat, respondendum est, in hoc singulari casu latam olim fuisse irregularitatem hoc jure antiquo, sed revocatam esse per Clementinam *Si furiosus*.

Ita, inquam, hujus sententiæ patroni, qui etiam afferunt rationem congruam differentiæ inter ministros et non ministros justitiæ : nimirum, quod justitiæ minister, cum agat ex officio quod sponte suscepit, agit quasi ex habitu, semper paratus ad similes sævitias; quod magis redolet inhumanitatem et magis alienum est a lenitate Christi, quam qui uno forte actu et non ex officio tale qui agit : unde congruentius ille removetur ab altari quam iste.

Conclusio sic explicata *probatur* ex c. *Aliquantos*, dist. 31, ubi sic legitur : « Aliquantos ex his qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt et obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos esse ad sacerdotium comperimus... aliquantos ex militia, qui, cum potestatibus obedierunt, sæva necessario præcepta sunt exsecuti ; aliquantos ex curialibus qui, dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt... ad honorem summi sacerdotii pervenisse ; quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenisse... Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationis saltem nunc finis necessarius imponatur : eo videlicet constituto, ut quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur. »

Hic itaque associari ordini clericali prænuntiantur indigni, et promoveri prohibentur : 1° qui in forensi exercitatione pro causa scilicet sanguinis versati sunt, et obtinendi pertinaciam susceperunt, id est, patrociniis suis et aliis ministeriis obtinuerunt effectum sanguinis, aut curiales ministri ex mandato ad necem vel mutilationem cooperati sunt, quales sunt judices, eorum assessores, accusatores, denuntiatores, advocati contra reum, testes, apparitores, notarii, tabelliones, tortores, custodes carceris, etc. 2° qui militiæ justæ adscripti, sæva præcepta occidendo aut mutilando exsecuti sunt.

Sic saltem canonistæ intelligunt præfatum canonem, in quo minus obscure quam in aliis exprimitur asserta conclusio, quamvis juxta quosdam nondum satis clare exprimatur. Cæterum legitimus sensus juris, inquit Joannes a S. Thoma, est communis interpretatio doctorum : communiter autem doctores intelligunt et interpretantur irregularitatem contra præfatos esse latam in jure, sive in laudato textu sive in alio. Adde quod talis sit sensus et praxis totius Ecclesiæ, *ut patet* ex dispensationibus petitis et concessis in dictis casibus.

OBSERVANDA.

Circa judices.

Potest tamen princeps etiam ecclesiasticus aut judex supremus, absque irregularitatis nota, constituere seu delegare judices inferiores in causa sanguinis, eis jubere ut debite officio suo fungantur, condere leges importantes pœnam mortis in delinquentes, imo judicibus mandare ut in hoc particulari casu inquirant, secundum leges judicent, fiat justitia, servetur ordo juris et alia hujusmodi generalia, non tamen ut hunc reum morti addicant; quia primo modo est concurrere generaliter tantum et remote ; secundo modo particulariter et proxime. Sicque decernitur c. *Episcopus*, tit. Ne clerici vel monachi 24, lib. 3, in 6. Potest etiam princeps ecclesiasticus sine irregularitate moderari sententiam sic, ut comburendus gladio plectatur ; quia hoc non est inferre mortem, sed partem supplicii auferre.

Item possunt judices ecclesiastici et inquisitores absque irregularitate tradere justitiæ sæculari reum, sive laicum, sive clericum degradatum, quamvis sciant esse morte plectendum. Eadem semper ratio ; quia hoc non est nisi indirecte et remote concurrere ad mortem, sicque Ecclesia jubet fieri, c. *Novimus* de Verborum significatione 4, Extra. l. 5. Est insuper bulla specialis Pauli IV, data 29 aprilis 1557, concedens cardinalibus facultatem tradendi reos brachio sæculari absque periculo irregularitatis ; quam bullam Pius V extendit ad omnes inquisitores eorumque vicarios et consultores, ut refert Joan. a S. Thoma, post Medinam.

Jubentur tamen judices ecclesiastici, c. *Novimus* cit. *efficaciter intercedere ut citra mortis periculum, circa reum sententia moderetur*. Verum ista intercessio non jubetur nec adhibetur, ut reus bono communi nocivus absolute absolvatur, sic enim foret iniqua intercessio ; sed ut explicetur piissimus Ecclesiæ animus, qui non est ut reus pœna mortis afficiatur, sed quod potius absolvatur, si possibile esset et ferret bonum commune : sicque est efficax hæc intercessio, si non ad liberandum reum a morte, saltem ad ostendendum istum pium affectum Ecclesiæ.

Similiter doctores, concionatores, confessarii possunt absque metu irregularitatis hortari principes et judices ut delicta non ferant impunita, ut legibus mortiferis ea coerceant ; interrogati super casum particularem, respondere possunt, illum juxta leges esse dignum morte, modo tamen non consulant hunc reum in individuo morte puniri. Imo confessarius potest judicem

alioquin mortaliter peccaturum non solum hortari, sed et adigere per denegationem absolutionis, ut officio suo circa reum detentum satisfaciat, non tamen ut hunc determinate condemnet. Potest etiam suadere reo et ipsum cogere ut juridice interrogatus crimen suum fateatur, licet inde mors sit secutura. Similiter potest illum inducere ui justæsententiæ acquiescat, si non possit justa appellatione illum prolatare.

Præter rationem jam sæpe dictam, quod hoc non sic proxime et directe concurrere ad necem, sed indirecte tantum et remote, altera ratio est, quia non est credibile quod Ecclesia voluerit ponere obicem irregularitatis quominus hi omnes debite fungantur suo officio, et bono communi secundum naturæ legem provideant; neque in hoc ulla videtur indecentia. Nec simile est de judice qui, quamvis etiam ex debito officio ac naturæ lege teneatur reum damnare, incurrit tamen irregularitatem; quia iste directe concurrit ad mortem, et in eam necessitatem se voluntarie injecit, sponte suscipiendo officium judicis, ex quo quasi ex habitu agit: quod magis redolet inhumanitatem et magis alienum est a mansuetudine Christi, ut jam supra observavimus. Posset addi altera ratio, juxta sententiam plurium probabilem de qua supra, quod hi omnes non agant ut ministri justitiæ, in quos solos vult hæc opinio latam esse irregularitatem.

Circa accusatorem et testem.

Accusans aut denuntians in propria causa, hoc est, petens satisfactionem de injuria sibi suisve rebus illata per actionem civilem, non est irregularis, si denuntiando aut accusando expresse protestetur se non intendere mortem aut mutilationem, c. *Prælatis* 2, tit. de Homicidio 4, lib. 5, in 6.

Hæc autem protestatio, si fiat a teste, nihil ipsi prodest, quia non testatur nisi in causa aliena. Prodest tamen clerico accusanti in causa suæ ecclesiæ, quia reputatur sua; item cuivis accusanti seu denuntianti imminentem proditionem patriæ, quia causa patriæ est causa omnium.

Utrum autem qui accusaret aut denuntiaret malum non factum sed faciendum et imminens alicui privato, quod aliter vitari non potest, incurreret irregularitatem? *Negant* Cajet. Suares et alii apud Joan. a S. Thoma, quia ad id obligatur jure naturæ, nec Ecclesia censetur, ut jam dictum est, velle ponere obicem irregularitatis quominus adimpleantur ea quæ sunt obligationis naturalis: nec simile est de judice, ut jam notavi. Idem propter eamdem rationem, plures resolvunt de teste qui præcepto compulsus cogitur testificari de facto. Adduntque in hoc et præcedenti casu non esse necessariam protestationem; quia protestatio est introducta a jure ut removeretur irregularitas, ubi foret incurrenda; in hoc autem, inquiunt, utroque casu, ubi urget obligatio accusandi vel testificandi, nunquam incurrenda est irregularitas. Ita Avila et alii apud Layman et Sporer.

Sed de eo qui, metu gravi coactus, testificatur aut accusat in causa aliena de injuria am illata, majus dubium est. *Quidam negant* irregularem, quia, inquiunt, præceptum ecclesiasticum non obligat in tanto discrimine. Verum, inquiunt alii, non agitur hic de irregularitate quæ sit pæna propter culpabilem transgressionem præcepti, sed quæ sit propter indecentiam, quæ videtur reperiri in eo qui accusat aut testatur metu coactus, quia est simpliciter voluntarius. Ita Henriques, Suares et alii quos citat et sequitur Sporer.

Nota differentiam inter clericos et laicos concurrentes ad mortem vel mutilationem justam, quod laici incurrant quidem irregularitatem, sed non peccent; clerici autem saltem sacri aut beneficiati, et irregularitatem incurrant et graviter peccent, quia id ipsis est stricte prohibitum c. *Sententiam*, tit. Ne clerici 50, Extra. lib. 3. Qui vero ex curiositate vel levitate adessent ex secutioni, modo sua præsentia auctoritatem non præbeant, non peccarent mortaliter, nec essent irregulares.

Circa advocatos et alios concurrentes ad justam necem vel mutilitationem.

Dico 1° Advocatus rei monens intra terminos defensionis, non incurrit irregularitatem, etiamsi contingat reum aliunde convictum damnari, aut accusatorem causa cadere et pœna talionis plecti. Qui primum non sequitur ex ejus patrocinio, secundum nonnisi indirecte et remote. Incurreret tamen, si directe agat ad punitionem accusatoris, effectu secuto aut si reum defendat in causa injusta, et inde accusator causa cadens

morte aut mutilatione mulctetur : in hoc ultimo casu irregularitas foret ex delicto.

Hic notam communiter auctores, quod tam advocati quam alii officiales in causa sanguinis, etiam effectu non secuto, sint irregulares, non quidem simpliciter, sed tantum quamdiu durat eorum officium, quo deposito, desinunt esse irregulares et possunt promoveri ad ordines.

Opifices qui furcas, rotas, patibula, funes, scalas conficiunt aut vendunt, etiam immediate ante exsecutionem, non sunt irregulares, quia indirecte tantum et remote concurrunt ad mortem; secus qui ad locum supplicii applicant aut deferunt saltem ex officio, quia concurrunt proxime et directe ad mortem. Dico, *saltem ex officio*, propter sententiam probabilem supra expositam, juxta quam privati qui hæc agerent non incurrerent irregularitatem; sicut nec qui privatim et non juridice rogaret et urgeret judicem ut reum morti addicat, vel excitaret procuratores aut cognatos partis læsæ ut petant fieri justitiam et vindictam sanguinis in lædentem. Juxta eamdem sententiam, non foret irregularis confessarius vel alter privatus qui euntem ad supplicium hortaretur ut citius aut per viam breviorem incedat, ut ascendat scalas, qui ipsum se exuentem adjuvaret, etc. Imo Layman, quamvis oppositam sententiam teneat, præfatum tamen ab irregularitate excusat, sed alia ratione, scilicet, quia, inquit, quamvis sit hic quædam mortis acceleratio, est tamen levis, et parum pro nihilo reputatur, lib. 3, tit. 3, cap. 7, n. 2.

Dico 2° Omnes sponte militantes in bello justo, sive offensivo sive defensivo, si per seipsos mutilent aut occidant, sunt irregulares : est communis et habetur can. *Aliquantos* cit. et cap. *Petitio tua* 24, tit. de Hom. Extra. lib. 5.

Dixi 1°, *sponte militantes;* quia si necessitate defendendi patriam compulsi militent, licet per se mutilent aut occidant, servato moderamine inculpatæ tutelæ, probabilius non incurrunt irregularitatem. Colligitur ex Clementina *Si furiosus* de qua modo; suadet etiam ratio de qua jam sæpe. Non enim videtur rationi consentaneum quod lex positiva irregularitatis obstet adimpletioni præcepti naturalis; neque in hoc ulla videtur indecentia ob quam contrahatur canonicum impedimentum. Ita tenet Joannes a S. Thoma post plures alios. Si opponas can. cit. *Petitio tua*, ubi judicatur clericus irregularis, si in bello contra hostes fidei patriam invadentes, aliquem occiderit. *R.* ita judicari, quia supponebatur sine urgente necessitate conflictum inivisse, cum adessent laici qui hostes possent reprimere; clericis enim prohibitum est bellare nisi ex inevitabili necessitate.

Dixi 2°, *si per seipsos mutilent aut occidant*, id est, non solum si ipsi occidant, sed etiam si proxime concurrant ad mutilationem vel occisionem, v. g. jubendo hunc occidi, præbendo arma ad hunc occidendum. Secus si sic per seipsos non occidant aut mutilent, sed concurrant tantum generaliter, quamvis ab aliis quidam occidantur aut mutilentur. Est communior et colligitur aperte ex can. *Petitio tua* cit.

Dico 3° Omnes militantes et quolibet modo cooperantes in bello injusto in quo patrata sunt homicidia vel mutilationes, sunt irregulares, etiamsi per seipsos non occiderint aut mutilaverint. Est communis et constat ex cap. *Sicut dignum*, § ultimo tit. cit de Homicidio. Et ratio est, quia omnes censentur una causa totalis. Illaque irregularitas est ex delicto.

Dico 4° Qui mortem aliter non valens vitare, suum occidit vel mutilat invasorem, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Ita expresse Clement. *Si furiosus*, lib. 5, tit. de Hom. 4, his verbis : « Si furiosus aut infans » seu dormiens, hominem mutilet vel occi» dat, nullam ex hoc irregularitatem incur» rit. Et idem de illo censemus qui, mortem » aliter non valens vitare, suum occidit vel » mutilat invasorem. »

Hoc itaque jure novo explicatur aut emendatur jus antiquum si quod fuerit, ut S. Th. hic a. 7, ad 3, videtur supponere fuisse, decernens irregularitatem pro præsenti casu. Neque audiendus est hic doctor Daelman, dum docet contra communem canonistarum sensum, per hanc Clementinam occidentem in casu, non eximi ab irregularitate ex defectu, sed duntaxat ab irregularitate ex delicto; singularis est ista interpretatio et directe contradicit textuum qui *nullam* prorsus declarat incurri *irregularitatem*. Relegatur.

Nec obstat Trid. sess. 14 de Reform. cap. 7, ubi sic legitur : *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellen-*

do, ut quis se a morte defendat, fuisse commissum narretur, quam ob causam... jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, etc. Sensus enim hujus decreti non est absolutus, *ut patet*, sed conditionatus; si nempe qui occidit vim vi repellendo indigeat dispensatione, quia forte non servavit moderamen inculpatæ tutelæ, committitur ordinario.

Petes utrum qui servato moderamine occidit injustum invasorem vitæ proximi, eximatur etiam ab irregularitate?

R. sub distinctione. Si ad eam defensionem sit rigorose adstrictus, puta, quia invasus est pater, mater, uxor, proles, aut persona reipublicæ per necessaria, videtur eximi. Colligitur ex Clementina cit. cum sit eadem, imo major ratio excusandi defendentem vitam proximi, ad quod tenetur, quam defendentem vitam propriam, ad quod non tenetur. Insuper, ut jam sæpe dixi, non est existimandum Ecclesiam voluisse nota irregularitatis inurere eos qui præcepto juris naturæ satisfaciunt, nec in hoc videtur indecentia ob quam contrahatur impedimentum canonicum. Aliud est, ut etiam sæpe dixi, de judice, carnifice et aliis ministris justitiæ, qui sponte susceperunt tale officium quo obligantur ad inferendam mortem data occasione.

Si autem ad istam defensionem lege justitiæ vel pietatis non adstringatur, nulla videtur ratio ipsum eximens ab irregularitate; nisi recurras ad sententiam recentiorum, juxta quam soli ministri justitiæ et militantes in bello justo contrahunt irregularitatem ex occisione justa.

§ II. — *De irregularitate ex homicidio illicito.*

Dico. Ex omni homicidio illicito plene voluntario, sive directe sive indirecte, incurritur irregularitas. Ita toto titulo *de Homicid.* 12, Extra. lib. 5.

Disparitas est tamen, quod quando homicidium est directe voluntarium, scilicet volitum in se ut finis vel medium, seu etiam ut effectus per se necessario secutus ex causa, irregularitas sit a solo papa dispensabilis, Trid. sess. 24 de Reform. cap. 6. Quando autem homicidium est solum voluntarium indirecte, ut effectus per accidens ex causa posita secutus, sed prævisus, irregularitas est dispensabilis ab episcopo, modo casus non sit deductus ad forum contentiosum. *Ratio est*, quia homicidium indirecte tantum voluntarium, quamvis revera sit voluntarium, in jure tamen non dicitur voluntarium, sed casuale, *ut patet* toto titulo cit. *de Homicid.* Unde quando Trid. mox cit. declarat homicidium *voluntarium* esse a solo papa dispensabile, intelligit de voluntario directe, non autem de voluntario indirecte.

Et conclusio intelligenda est non solum de occidente per se, sed de omnibus positive concurrentibus ad homicidium injustum, quales sunt jubens, consulens et alii, ut supra de restit.

Dixi, ex homicidio *plene voluntario*, quia si esset imperfecte voluntarium ex indeliberatione, ita ut foret tantum peccatum veniale, non putamus quod incurreretur ulla irregularitas. Non irregularitas ut pœna, quia tanta pœna non imponitur nisi gravi peccato; neque ut impedimentum canonicum, quia indecentia propter quam contrahitur non videtur gravis, cum sit imperfecte voluntaria. Plures tamen negant hanc secundam partem, quando homicidium sequitur ex actione aliunde illicita, ut dicam § sequenti.

Petes 1° utrum etiam concurrentes negative ad homicidium, ut non obstantes, non manifestantes, etc. quando impedire tenentur, incurrunt irregularitatem?

R. 1° Concurrentes mere negative, non incurrunt irregularitatem si non teneantur impedire ex justitia, sed ex charitate tantum aliave virtute. Ita communiter. Quia qui non impedit homicidium quando non tenetur impedire ex justitia, sed ex charitate tantum, non est reus homicidii proprie dicti, quia homicidium proprie dictum est contra justitiam. Lex autem irregularitatis cum sit odiosa, restringenda est ad homicidium proprie dictum, injustum scilicet.

R. 2° Concurrentes negative ad homicidium, hoc est, non impedientes quando tenentur impedire ex justitia, probabiliter sunt irregulares; quia hæc negativa cooperatio est vera moralis causa homicidii, si non physice, saltem imputative influens. Verum non desunt qui hos etiam eximunt ab irregularitate; quia, inquiunt, nunquam exprimitur in jure irregularitas contra negative concurrentes: ergo cum sit odiosa, intelligenda est duntaxat de concur-

rentibus proprie, hoc est, influxu positivo, et non extendenda ad concurrentes improprie et imputative tantum, quales sunt concurrentes negative. Hæc sententia, supposita veritate antecedentis, nobis multum arridet. Et puto in praxi vix quemquam reputari irregularem eo quod non impediverit homicidium, licet debuerit ex justitia.

Petes 2° quid censendum in dubio contractæ irregularitatis?

Quæstio difficilis propter diversas pontificum resolutiones et varias in iis explicandis auctorum opiniones. Equidem sunt principia juris communia: *In dubio neminem esse condemnandum; In pœnis benigniorem interpretationem esse faciendam. Odiosa esse restringenda*, et similia quibus utuntur theologi in aliis materiis odiosis: at in hac obstant plures canones. Hujus quæst. resolutionem require tract. de Censuris, dissert. 2, a. 4, § 4, post. concl. 3.

§ III. — *De irregularitate ex homicidio casuali.*

Jam notavi supra, homicidium in jure dici casuale, non solum quando non est ullo modo voluntarium, sed etiam quando non est voluntarium directe et in se, licet sit forte voluntarium indirecte in causa. Primum est casuale simpliciter et absolute; secundum est casuale mixtum et secundum quid.

Certum est 1°, quod homicidium simpliciter et absolute casuale non inducat irregularitatem, quia nullo modo est voluntarium; irregularitas enim lata in homicidium sive justum sive injustum, supponit illud esse aliquo modo voluntarium, ut constat ex jure, c. *Sæpe contingit*, d. 50, c. *Dilectus*, c. *Ex litteris*, c. *Joannes* de Homicid. 12, lib. 5 et alibi.

Certum est 2°, homicidium casuale mixtum inducere irregularitatem, quia est aliquo modo voluntarium, indirecte scilicet et in causa. *Patet* ex § præcedenti. Hinc

Sequitur 1° Qui dat operam rei licitæ ex qua præter intentionem formalem sequitur homicidium, si adhibeat diligentiam debitam, non incurrit irregularitatem; si non adhibeat, incurrit. Quia in primo casu homicidium non est voluntarium, in secundo est voluntarium indirecte.

Sequitur 2° Qui dat operam rei illicitæ ex qua præter intentionem formalem sequitur homicidium, si sit illicita non quia est periculosa et inductiva mortis, sed aliunde, et adhibita fuerit sufficiens diligentia, non est irregularis; quia tale homicidium non est voluntarium.

Si vero res sit illicita quia est periculosa et inductiva mortis, incurrit irregularitatem si, non obstante diligentia, res remaneat periculosa; quia homicidium est voluntarium in causa. Si tamen eam adhiberet diligentiam qua periculum omnino abstergeretur, probabiliter existimamus quod non foret irregularis in foro conscientiæ; quia tunc homicidium non foret voluntarium. In foro tamen exteriori reputatur irregularis, propter præsumptionem negligentiæ. Hæc omnia constant ex dictis ad 8 *de Homicidio casuali*. Require ibi.

Sed petes utrum si negligentia in adhibenda cautela fuerit tantum venialis, proindeque veniale peccatum homicidii casualis, incurratur irregularitas?

R. conformiter ad ea quæ jam dixi § præcedenti. Si homicidium sequatur ex re licita, probabilius non incurritur irregularitas: ita Sylvius post Soto, Bannem et alios. Si sequatur ex re illicita, probabile est etiam non incurri.

1° Eruitur ex c. *Quæsitum*, tit. de Pœnitentiis et remiss. 38, lib. 5, ubi Clemens III de sacerdotibus Græcis matrimonio junctis dicit: « Quod si ipsis procurantibus vel studiose negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi, ab officio altaris debent perpetuo abstinere. » Ex quo sequitur a contrario sensu, quod non debeant abstinere si negligentia eorum non fuerit studiosa sed levis.

2° *Probatur ratione.* Quia hæc irregularitas, vel est pœna quæ incurritur propter culpam homicidii, vel est impedimentum canonicum quod contrahitur propter indecentiam occisionis. Non enim (quod bene advertas) irregularitas sive qua pœna, sive qua impedimentum, contrahitur propter culpam præviam ad occisionem, aut propter indecentiam actionis præviæ, sed propter ipsam culpam occisionis, vel propter ejusdem occisionis indecentiam: si ergo consideretur ut pœna, cum sit gravis, supponit gravem culpam; similiter si consideretur ut impedimentum canonicum, cum sit grave, supponit gravem indecentiam: atqui ubi homicidium est imperfecte voluntarium, sive sequatur ex re licita, sive illicita,

non est in se gravis culpa, est enim venialis tantum : neque gravis indecentia, est enim imperfecta ; utpote imperfecte voluntaria. Ergo.

Scio opponi plures canones quibus videtur contrarium statui : ut c. *Continebatur* de Homicid. cit. circa clericos colludentes : c. *Ex litterarum* ibid. de clerico immodeste saltante cum muliere prægnante, et alios, propter quos fateor sententiam oppositam esse etiam probabilem, et non infundate a pluribus sustineri. Potest tamen responderi, hæc jura supponere vel præsumere negligentiam gravem, et spectare duntaxat forum exterius.

Ex dictis colliges, eum sive clericum sive laicum qui ex charitate et bona fide agit circa infirmum ea quæ communiter exhiberi solent infirmis, v. g. ipsum vertit ut quietius jaceat, ipsum levat ut cibum aut potum commodius sumat, aliquid cibi vel potus bona fide ei præbet etiam inconsulto medico, ipsum transfert de lecto in lectum, etc. seclusa lata culpa, non incurrere irregularitatem, si inde contra ejus voluntatem mors acceleretur. Ita Cajet. Sylvester, Soto, Navar. Layman et alii plures contra quosdam nimis hac in re scrupulosos. Quia neque irregularitatem contrahit quæ est ex delicto, cum ea præstando non peccet, aut non nisi leviter ; neque eam quæ est ex defectu lenitatis, cum non agat ex intentione mortis. Ergo.

§ IV. — *De irregularitate ex mutilatione.*

Quæstio est de mutilante non de mutilato de quo alibi. Mutilatio autem et abscissio est separatio membri, non tantum ejus debilitatio aut vulneratio.

Dico 1° Mutilatio inducit irregularitatem sicut homicidium. Quo igitur modo diximus irregularitatem contrahi ex homicidio, sive justo sive injusto, voluntario vel casuali, sic contrahitur ex mutilatione sive justa sive injusta, voluntaria vel casuali. *Ratio est*, quia quoad irregularitatem contrahendam mutilatio in jure æquiparatur homicidio, c. *Is qui mandat* ult. de Homicid. tit. 4, l. 5, in 6, etc. *Porro* 1 de Clericis pugnantibus in duello, Extra tit. 14, lib 5. Unde c. *Si quis*, dist. 55, dicitur homicida qui sibi virilia amputavit. Et ita unanimiter intelligunt omnes tam theologi quam canonistæ post Glossam in Clement. *de Homicid.* Legitimus autem sensus juris, ut jam dixi, est unanimis interpretatio doctorum existimantium aliquid in jure contineri.

Quidam tamen excipiendum putant casum mutilationis dubiæ; quia cum SS. pontifices declarent solummodo homicidium dubium, ut explicui § 2, inducere irregularitatem, videtur statuendum de dubio mutilationis sicut de aliis dubiis in materia odiosa, juxta generalia principia juris de quibus § cit.

Item quantum ad dispensationem, communior sententia tenet, irregularitatem ex mutilatione injusta, si sit occulta, esse dispensabilem ab episcopo ; quia Tridentinum sess. 24 de Reform. cap. 6, concedens episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto, solum excipit homicidium : exceptio autem facultatis concessæ non debet extendi ultra terminos exceptionis : atqui mutilatio simpliciter non est homicidium ; quamvis enim comparetur homicidio quantum ad irregularitatem incurrendam, non tamen quantum ad cætera: ergo sub illa exceptione non continetur. Ita Joan. a S. Th. q. 64, d. 24, a. 2, n. 17, post Rodig. Sa, Avila, etc. Item Layman lib. 3, t. 3, p. 3, c. 12, n. 1.

Sed petes 1° quid sit membrum?

R. Joannes a S. Th. post Covar. Navar. Henriques, de Avila, tenet illam partem hominis proprie dici membrum, quæ habet officium distinctum ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum, etc. Et hæc sententia habet fundamentum in Apostolo, docente quod membra in corpore distinctam operationem habeant, his verbis Rom. 12 : *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra eumdem actum non habent.* Et fusius 1 Cor. c. 12.

Verum, quamvis forte vera sit hæc physica definitio membri, non est tamen verisimile quod canones ad hanc attenderint pro statuenda mutilatione inducente irregularitatem. Nemo enim, ut puto, negabit quin fieret irregularis qui alteri erueret oculum, amputaret pedem aut ambos testiculos, et tamen unus oculus aut unus pes non habet officium distinctum ab alio, neque testiculi a membro genitali, sed ex utroque oculo conflatur unum visus organum, ex utroque pede unum gressus orga-

num, ex ambobus testiculis cum membro virili unum generationis instrumentum. Adde quod eunuchi inter mutilatos a jure computentur, *ut patet* ex dist. 55, et Extra. *De corpore vitiatis.*

Quapropter, quidquid sit de notitia physica membri stricte sumpti, arbitror cum Cajetano, Soto, Sylvio, Layman et aliis, esse juri conformius quod quælibet abscissio alicujus insignis partis organicæ, ob quam corpus humanum censeatur notabiliter imperfectum et mutilum, sit juxta canones mutilatio quæ inducit irregularitatem.

Unde infero, eum qui alteri amputaret non solum manum aut pedem et quid simile, sed et auriculam etiam exteriorem, nasum, digitum, mamillam fœminæ, fore irregularem; secus qui abscinderet capillos, supercilia, aliquam partem carnis, aliquos, et non omnes, dentes excuteret : de uno testiculo dubito.

Item foret irregularis, qui ita læderet membrum, ut maneret omnino mortuum; quod tamen raro contingit, quia tunc membrum esset vere et substantialiter separatum, cum amplius cum corpore vivo non continuaretur, sed forma altera informaretur. Si autem sic læsum, ut non maneat omnino mortuum, quamvis ad suam functionem impotens, non incurritur irregularitas, quia cum participet adhuc influxum vitæ, remanet continuum cum corpore vivente : unde qui istud abscinderet, fieret irregularis, non qui primum omnino mortuum.

Qui autem simpliciter vulnerat, absque amputatione alicujus partis organicæ, non est irregularis; quia irregularitas in jure non est lata in vulnerantes, sed in mutilantes tantum.

Hæc de mutilante alterum : de mutilante autem seipsum,

Dico 2° Non solum qui extra casum infirmitatis aut necessitatis abscindit sibi partem aliquam notabilem organicam, ut manum, pedem, testiculos, digitum, etc., est irregularis, ut constat ex pluribus canonibus dist. 55; sed etiam qui sine causa abscindit sibi partem partis, v. g. digiti. Ita expresse c. *Qui partem* 6, dist. cit. his verbis : « Qui » partem cujuslibet digiti sibiipsi volens » abscidit, hunc ut clerum canones non » admittunt..... In illis enim voluntas est » judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere. » Ob quam rationem Joannes a S. Thoma reputat etiam irregularem, qui partem homogeneam seu partem carnis sibi abscinderet; quia, inquit, as etiam audet ferrum sibi injicere. Sed responderi potest, quod aliud sit lex, aliud ratio legis; alioquin sequeretur quod ille qui se simpliciter vulnerat absque amputatione, foret irregularis, quia etiam audet sibi ferrum injicere, quod tamen non admittitur.

Dixi, *extra casum infirmitatis aut necessitatis;* quia sic excipitur in jure, cap. *Ex parte* cit. et alibi. Unde sicut eunuchus a nativitate, vel casu, vel ex malitia hominum, non est irregularis, ita neque qui causa infirmitatis seipsum abscindit, aut se abscindi jubet vel permittit; secus si sanus id faciat.

ARTICULUS XI.

De obligatione restituendi ex homicidio, mutilatione et læsione.

Duplex hic distinguitur damnum : unum personale quod est privatio vitæ aut membri, seu etiam corporis læsio ac deformatio alterum reale in bonis fortunæ sequens ex occisione, mutilatione aut læsione.

§ I. — *De restitutione damni personalis ex homicidio.*

Quæstio est utrum pro damno personali facienda sit restitutio aut saltem aliqua compensatio. *Affirmant* post S. Thomam, Scotus, Richardus, Paludanus, Sylvester, Cajetanus, Soto, Serra, Sylvius et omnes ferme antiqui cum pluribus recentioribus. *Negant* Bannes, Navarus, Lessius et plurimi recentiores.

Hic q. 62. a. 2. ad 1. et in 4. d. 15. q. 1. a. 5. q. 2. — *Dico.* Quamvis pro damno personali non possit nec debeat fieri restitutio stricte dicta quæ æquale importet, probabilius est tamen quod debeat fieri aliqua recompensatio qualis possibilis est, sive in pecunia, sive in aliquo honore, sive etiam in bonis spiritualibus, puta, eleemosynis, precibus, sacrificiis, considerata conditione utriusque personæ læsæ vel lædentis, secundum arbitrium boni viri.

Quod autem Bannes dicat, S. Thomam posse intelligi vel de damno reali sequente, vel de debito decentiæ, utrumque est falsum. Primum, quia S. Doctor loquitur de eo quod non est restituibile per æquivalens, quale tamen est damnum reale, et

ponit exemplum de membro ablato. Secundum, quia loquitur de eo quod qui facere tenetur tanquam necessarium ad salutem; alioquin concederet quod sibi opponit in argumento cui respondet.

Conclusioni favet lex Exod. 21 : *Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit :* ergo per libertatem potest compensari membrum : quod si per libertatem, quidni per pecuniam, cum libertas pecunia possit vendi et redimi ?

Prob. ratione. Qui alterum injuste occidit, mutilat aut lædit, seclusis omnibus damnis realibus, facit illi injuriam, infertque damnum contra justitiam commutativam magis quam si illi auferret bona fortunæ : ergo tenetur per aliquam compensationem, in quantum possibile est, hanc injuriam damnumque resarcire, violatamque justitiam reparare. *Patet consequentia;* — **Ibid. o.** — tum quia de necessitate salutis est conservare justitiam ; tum quia injuriæ illatio et reparationis obligatio sunt correlativa ; definitur enim injuria : *Actio vel omissio adversus alterum, ratione cujus debetur compensatio seu satisfactio.*

Respondent adversarii, consequens esse verum quando damnum est reparabile, quod hic non currit : unde restituendi cessat obligatio, cum ad impossibile nemo tenetur.

Sed contra. Quamvis damnum non sit reparabile ad æqualitatem, est tamen aliquo modo compensabile, et ideo quamvis cesset obligatio restitutionis strictæ quæ est ad æqualitatem, non tamen cessat obligatio recompensationis prout est possibilis. Justitia enim commutativa, licet non inclinet per se nisi ad restitutionem æqualis, per accidens tamen, quando æquale reddi non potest, inclinat ad reddendum quod est possibile, etiam diversi ordinis præsertim inferioris, ut sic, quantum fieri potest, semper salva maneat. Falsum ergo arbitramur hoc principium : Non possum reddere totum, ergo nihil teneor restituere ; Non possum restituere in eodem genere, ergo nec in alio. *Confirmatur.* Qui non potest restituere totum quod debet, tenetur, secundum omnes, restituere partem quam potest : ergo qui non potest reddere æquivalens, tenetur reddere quod possibile est, sive in eodem genere sive in diverso, modo inde non multo magis gravetur restituens quam læsus.

Instant. Qui debet summam pecuniæ, et non habet neque pecuniam neque aliquid aliud pecunia æstimabile, non tenetur restituere in alio genere, sed liber est ab omni restitutione : ergo similiter in nostro casu.

R. N. consequentiam. Disparitas est, quod qui nunc non habet pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile unde restituat, possit habere in posterum ; unde non solet exigi restitutio in alio genere. Si tamen exigeretur puta in honore aliquo aut aliqua submissione, quando nulla est spes restituendi in proprio genere, credimus conformiter ad D. Thomam hic ad 1 et 2, quod deberet eam compensationem seu satisfactionem præstare.

Altera disparitas est, quod pecunia sit jure gentium constituta ut sit mensura omnium rerum temporalium et compensationum : unde qui non habet pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile quo restituat, ordinarie liber est, quia non habet id quod solet esse mensura compensationum. Sed qui non potest restituere vitam aut membrum quod abstulit, potest habere pecuniam per quam fiat aliquousque compensatio.

Confirmatur conclusio. Juxta Lessium et ejus in hac parte sequaces, vita servi potest pecunia compensari quia pretio æstimatur : ergo et vita hominis liberi. *Prob. consequentia.* Servus et homo liber non differunt natura, sed libertate duntaxat : atqui libertas qua iste gaudet præ alio, non potest obstare quin ejus vita, sicut vita servi, pretio æstimetur et pecunia compensetur, siquidem ipsa libertas, ut jam dixi, sit pretio æstimabilis possitque pecunia vendi et redimi. Ergo.

Obj. 1° Exod. 21 dicitur : *Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo ; si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum ; innocens erit (scilicet ab homicidio) qui percusserit ; ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat.* Refertur c. 1 *de injuriis et damno*, lib. 5, tit. 36. Ergo lædens solum tenetur ad damna realia, non ad personalia, alioquin et istorum fieret mentio.

R. N. consequentiam. 1° Quia est argu-

mentum negativum; 2° quia ibidem infra fit mentio damni personalis, *ut patet ex probatione conclusionis.*

Obj. 2° Secundum jura l. *Ultima*, ff. De his qui effuderint, et l. *Hac lege*, ff. Si quadrupes, *Liberi hominis corpus nullam recipit æstimationem;* nec *cicatricum aut deformitatis ulla fit æstimatio.* Ergo.

R. 1° ita quidem juxta jus commune servari in foro exteriori, sed non raro contingit in illo eos non condemnari ad restitutionem; qui tamen ad eam in foro conscientiæ tenentur, *ut patet* in iis qui vendendo vel emendo decipiunt alios infra dimidium justi pretii.

R. 2° quod, licet corpus liberum ex natura rei et per se non possit æstimari ad æquivalens, potest tamen ex rationabili partium voluntate moraliter æstimari et appretiari, non secundum absolutam æqualitatem, sed ut sit satis arbitrio prudentum et ex consensu partis læsæ ad recompensandam injuriam ipsi illatam : patet in homine libero qui se certo pretio vendit, aut in servo occiso cujus vita pretio æstimatur et pecunia compensatur.

Obj. 3° *et simul instabis.* Corpori et membris fit injuria dum pro illis aliquod pretium pecuniarium solvitur aut exigitur, quia corpus et membra excedunt omne pretium pecuniarium, cum sint superioris ordinis : sic fieret injuria rei spirituali si aliquod pretium pro ea solveretur aut exigeretur. Ergo.

R. 1° non majorem fieri injuriam corpori et membris quam cum homo se in servum vendit, aut dum pro illis in servo aliquid solvitur. Unde

R. 2° *D. ant.* Corpori et membris fit injuria dum pro illis auferendis aliquod pretium accipitur aut solvitur, *C. ant.* pro ipsis ablatis, *N. ant.* Disparitas est, quod exigere pretium pro vita aut membris auferendis, sit æstimare pecunia non solum usum, sed ipsam vitæ et membrorum substantiam, cujus dominium Deus sibi reservavit, et quam prohibuit pro pecunia auferri. Exigere autem aut accipere pro ipsis ablatis, est tantum æstimare pecunia injuriam quam læsus patitur in privatione indebita usus illorum, qui usus ipsius est, est enim vitæ et membrorum usufructuarius. Sic exigere seu dare pecuniam pro re spirituali tradenda vel obtinenda, est illi facere injuriam; sed dare pecuniam ad propulsandam injuriam qua beneficii possessor impeditur ab usu sui beneficii, non est facere rei spirituali injuriam : *et sic patet responsio ad paritatem.*

Inst. Homo non est dominus vitæ aut membrorum, sed solus Deus : ergo non potest pro illis pacisci citra Dei injuriam.

R. ex dictis, hominem non esse quidem dominum, esse tamen usufructuarium vitæ et membrorum, et ideo pro injuria quam patitur ex privatione hujusmodi usus fructus posse pacisci.

Obj. 4° Si homicida teneretur restituere pro damno personali, ipso non restituente, ejus hæredes tenerentur restituere, quia hæredes succedunt in oneribus sicut in juribus defuncti : atqui hæredes non tenentur restituere pro damno personali : ergo nec ipse homicida.

Confirmatur. Si homicida morte puniatur, nulla superest restitutio facienda pro damno personali : ergo neque si non puniatur. *Patet conseq.* quia per mortem homicidæ fit tantum satisfactio reipublicæ et non parti læsæ, cui proinde restaret satisfactio facienda, si antea debuisset fieri; sicut restat facienda pro damno reali.

Respondet Sylvius negando min. quia probabile reputat hæredes teneri ad hanc restitutionem. *Respondent alii negando maj.* quia sicut injuria est personalis, ita obligatio compensandi est etiam personalis, sicut in restitutione honoris aut famæ, ideoque non transit ad hæredes.

Ad confirmationem, respondetur etiam dupliciter; laudatus Sylvius negat consequentiam et ejus probationem, vultque quod per pœnam talionis satisfiat non solum reipublicæ, sed etiam parti læsæ pro damno personali, etsi non pro damno reali, quia, inquit, sic patiens reddit vitam pro vita.

Noster Serra autem tenet quod per mortem homicidæ satisfiat tantum reip. et non parti læsæ, etiam pro dammo personali, sicque quod pro illo debeat adhuc fieri satisfactio, sicut pro damno reali, nisi constet partem læsam nullam aliam exigere satisfactionem pro damno personali quam punitionem homicidæ, ut communiter contingit, maxime inter viros nobiles aut honoratos qui pœnam pecuniariam solent dedignari pro damno personali.

Obj. 5° Vitæ omnium hominum sunt

æqualis dignitatis : ergo æqualis pro omnibus debet fieri restitutio, quod est absurdum.

R. D. consequens. Ergo æqualis pro omnibus debet fieri restitutio si fieret ad æqualitatem, *transeat consequentia;* si fiat tantum compensatio quantum possibilis est et ad satisfactionem partis læsæ secundum arbitrium viri prudentis, *N. conseq.* Etenim unus potest satisfacere in pecunia, alter in honore tantum. Similiter potest uni satisfieri per honorem aut per bona spiritualia, non per pecuniam et e contra. Unde dixit S. Doctor, hanc compensationem debere fieri, *considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.*

§ II. — *De restitutione damni realis ex homicidio, et quibus debeat fieri?*

Damna causata ex vulnere lethali, quædam antecedunt mortem, ut impensæ in chirurgos, medicamina, alimenta pretiosiora, lucrum cessans usque ad mortem, etc. Quædam sequuntur mortem, et ea sunt quæ non occisionis inferuntur aliis personis ipsi conjunctis, ut uxori, filius, etc.

Dico 1° Indubium est omnia damna realia quæ ex injusta alicujus occisione aut læsione obveniunt, sive mortem antecedant sive sequantur, esse ab occidente aut lædente restituenda; quia est omnium illorum causa efficax. Id etiam verum puto cum Ethica amoris post Petrum Navarra et alios, de damno spirituali satisfactionum quas occisus erat verisimiliter facturus si vixisset; quia homicida est causa illorum damnorum perinde ac temporalium. Hæc autem ultima restitutio fieri debet per preces, sacrificia, eleemosynas, etc. secundum æstimationem verisimilitudinis, ut dicam infra de damnis temporalibus.

Porro obligatio hæc omnia damna realia restituendi transit ad hæredes homicidæ si antequam restituat moriatur, etiamsi extremo supplicio fuerit addictus, juxta tamen vires hæreditatis, quia hæreditas transit cum onere. Dico, *etiamsi extremo supplicio fuerit addictus;* quia, quidquid dicant aliqui, per extremum supplicium satisfit quidem justitiæ vindicativæ et reipublicæ, at non justitiæ commutativæ et parti læsæ, saltem quoad damna realia. Contingit tamen quandoque quod pars læsa sistat in vindicta publica, et ulteriorem satisfactionem non exigat, quo casu liberi sunt hæredes a restitutione.

Quod si homicidæ hæreditas fisco addicatur, id quod post expensas factas in apprehensione homicidæ et ejus processu supererit, tenebitur illud in satisfactionem partis læsæ aut hæredum applicare. Quantum vero ad damnum personale, jam dixi probabile esse quod pro ipso satisfiat per mortem homicidæ, vel quod sit injuria mere personalis, cui satisfaciendæ obligatio utpote etiam personalis non transit ad hæredes. Sed difficultas restat quibus post mortem occisi hæc damna sint restituenda. Pro quo

Dico 2° Omnia damna realia mortem antecedentia sunt restituenda ad æqualitatem, vel ipsi læso morituro, vel cuivis ejus hæredi sive necessario sive non necessario, sive ab intestato sive ex testamento; quia hæres quicumque succedit in omnia jura defuncti : atqui defunctus habebat jus strictum et acquisitum ad compensationem omnium damnorum realium mortem suam antecedentium. Ergo.

Itaque illius hæredibus quibuscumque sunt restituendæ expensæ factæ in curando vulnere pro chirurgis, medicis, medicaminibus, alimentis, deductis tamen expensis quas fecisset pro sustentatione ordinaria, lucrum cessans ex impotentia exercendi negotiationem vel artem quamdiu vixit. Neque hic potest deduci æstimatio laboris, alioquin sæpe nihil esset restituendum, cum plerumque lucrum non superet æstimationem laboris; aliunde opifices labori assueti libenter illum suscipiunt, nec inde se reputant gravatos. Item restituendum est damnum si quod emerserit in propriis bonis, eo quod læsus iis invigilare non potuerit; item summa pecuniæ, si de ea fuerit conventum inter partes, aut ad eam reus fuerit a judice condemnatus : et quia habent hæredes jus actionis de injuria, possunt pecuniam recipere ut actioni cedant.

Dico 3° Omnia damna realia mortem subsequentia sunt restituenda non secundum æqualitatem, sed secundum moralem æstimationem, solis hæredibus necessariis, scilicet filiis, parentibus et uxori, non hæredibus voluntariis quales sunt fratres aut alii consanguinei.

Probatur prima pars. Tunc urget restitutionis obligatio, quando quis injuste læsit

alterum in bonis propriis : atqui hæredes necessarii lædunturin bonis propriis quando læditur is cujus sunt hæredes necessarii : ergo. *Prob. min.* Pater respectu filii est quoddam totum, filius veluti pars, vir et uxor sunt una caro; ita ut censeantur moraliter una persona : ergo qui injuste lædit unum ex istis, lædit et alterum in propriis.

Prob. secunda pars, quæ est communis contra Franciscum Henno, quamvis ipse immerito dicat esse paucorum. Si horum damnorum restitutio deberet fieri hæredibus voluntariis, ideo esset quia succedunt omnibus juribus defuncti : atqui hæc ratio nulla est: ergo. *Prob. min.* Defunctus nunquam habuit jus ad istam restitutionem, siquidem ejus obligatio per ipsius mortem tantum orta sit : ergo. Et ideo neque ex ea ratione probavimus restitutionem debere fieri hæredibus necessariis, sed quia læduntur in propriis per occisionem defuncti, quod non potest dici de hæredibus voluntariis qui non censentur unum cum illo.

Dices cum laudato Minorita. Defunctus ante mortem poterat pacisci cum homicida de illis damnis, imo et illa condonare : ergo habebat jus in illa. Insuper per fictionem juris hæres repræsentat personam defuncti : atqui defunctus si viveret haberet jus ad illa : ergo habet ejus hæres.

R. ad primum, N. consequentiam. Quod enim defunctus ante mortem potuerit pacisci de illis damnis ea condonare, non erat ratione juris quod habebat in illa; sed quia hæc damna non subjiciebantur restitutioni nisi ratione injuriæ quam ipsi passus erat contra voluntatem : unde hoc ipso quo ille remittit injuriam, nullum jus restat hæredibus ad hanc restitutionem. *Ad secundum, it.* hæredem voluntarium repræsentare personam defuncti, quantum ad jura duntaxat quæ habebat dum viveret.

Dixi hæc damna esse restituenda hæredibus, *non ad æqualitatem;* quia certo sciri non potest quantum occisus vixisset, quantum lucratus fuisset, aut forte perdidisset. Debet ergo hæc restitutio fieri secundum moralem æstimationem, attendendo ad conditionem occisi, an esset juvenis an senex, an robustus an infirmus, an simplex artifex aut mercator, jurisconsultus, medicus, etc., an in arte vel negotiatione peritus aut imperitus, vigil aut segnis, an non tantum consumebat quantum lucrabatur, an non familiæ onerosus potius quam utilis; item attendendo quod lucrum in spe non æquivaleat lucro in re.

Debet itaque homicida secundum hanc moralem æstimationem restituere hæredibus necessariis quidquid ex occisione patiuntur detrimenti, non solum in victu et amictu, ut quidam volunt, sed etiam in statu conservando vel augendo; ita quod si occisus esset mercator valde industrius, aut advocatus peritissimus; si officium admodum pingue possidebat, et in his aut similibus ultra expensas familiæ lucrabatur atque quotannis reditus suos augebat. Item si familia aut vidua amiserit litem quam marito vivente et agente lucrata fuisset : hæc, inquam, et similia sive damna sive lucra cessantia moraliter prudentum judicio æstimata, refundenda sunt hæredibus necessariis ab homicida, quia illorum est causa injusta.

Nec refert quod occisus eis non deberet hæc omnia ex justitia; quia secundum plures, neque necessaria victui et amictui ipsis debet ex justitia, sed tantum ex pietate, et tamen secundum omnes sunt illis restituenda; quia lædendo occisum, ipsos læsit in propriis, ut dictum est supra; quod verum est non solum de alimentis, sed etiam de omnibus aliis sive lucris ex morte occisi ipsis cessantibus, sive de damnis inde illis emergentibus.

Attamen expensæ funeris, secundum communem sententiam contra Navar. non sunt refundendæ, quia aliquando erant faciendæ, et ideo hinc non gravantur hæredes; nisi forte occasione mortis præmaturæ, puta, quod in loco dissito occisus fuerit, majores essent faciendæ; quo casu homicida tenetur ad auctarium.

Dico 4° Facta sufficienti restitutione hæredibus necessariis, homicida nihil tenetur restituere creditoribus occisi, sed tenentur ipsi hæredes.

Prob. 1° Creditor non habet jus in debitorem occisum, nisi in quantum se extendunt bona quæ aut actu habet aut verisimiliter habiturus erat : ergo, homicida restituente hæredibus bona quæ verisimiliter habiturus erat, nihil restat restituendum creditori.

2° Actio occisi adversus homicidam transit immediate in suos hæredes et non in creditorem : ergo homicida directe et imme-

diate obligatur hæredibus : ergo satisfacit suæ obligationi restituendo illis. Creditor autem ab eis repetere potest debitum et in eos habet actionem ; quod si ipsi non restituant, nihil in hoc influit homicida, proinde non est ipsi imputandum, sed hæredum iniquitati.

Verum si contingat quod non sint hæredes necessarii quibus fiat restitutio, nec occisus relinquat bona sufficientia ad solutionem debitorum, quibus tamen, si viveret satisfaceret vel ex censu vitalitio, vel ex officio, vel ex fidei-commisso, quæ omnia cessant per ejus mortem : teneturne in hoc casu homicida restituere creditoribus ?

Conveniunt auctores quod si homicida debitorem occidisset ea intentione ut creditor suo debito frustraretur, teneretur ipsi restituere ; quia tunc peccaret contra justitiam etiam respectu creditoris. Sed quid, seclusa hac intentione, quæ raro contingit ? Homicidam etiam obnoxium esse restitutioni creditoribus faciendæ, *affirmant* Scotus, Molina, Mastrius, quos citat et sequitur Henno ; item Layman, Henr. a S. Ignat. et Sporer ; quia qui per vim et injustitiam impedit aliquem a consecutione boni, maxime ex justitia ipsi debiti, tenetur illi restituere, ut docuimus supra a. 12 de restit. atqui homicida per veram vim et injustitiam impedit creditorem a consecutione boni ipsi debiti ex justitia : ergo. Propter hanc rationem hæc sententia probabilitate non caret.

Negant tamen Soto, Bannes, Sylvius, Lessius et alii. 1° Quia per accidens obvenit damnum creditoribus ex homicidio : non enim actio occisionis est ex natura sua vel ut plurimum ipsis damnosa ; quia ut plurimum vel non sunt creditores, vel si sint, ipsis satisfit per restitutionem factam hæredibus, ut dictum est, vel occisus relinquit bona sufficientia, vel saltem cautionem ; ad hæc enim attendere solent creditores dum contrahunt ; quod si neglexerit creditor in casu, sibi imputare debet et non homicidæ qui tam procul prospicere non tenebatur ex justitia. Ergo.

2° Homicida non violat justitiam respectu creditoris : ergo non tenetur illi restituere. *Prob. ant.* Creditor non est ita conjunctus debitori, ut habeat jus justitiæ in quemcumque ne ipsum debitorem occidat, et censeatur læsus in propriis si lædatur debitor, ut dictum est de hæredibus necessariis : ergo. *Prob. ant.* Creditor non est conjunctus debitori nisi per accidens et modo civili per contractum, quomodo innumeri possunt ipsi conjungi : atqui absurdum foret quod omnes qui cum debitore contraherent, haberent jus justitiæ in quemcumque ne ipsum occidat, et censerentur læsi in propriis si læderetur is quocum contraxerunt : ergo.

Confirmatur. Jus voluntarie contrahentium non acquiritur in invicem, nisi ea conditione ut maneat pendens a periculis vitæ et bonorum utriusque contrahentis : ergo neuter habet jus justitiæ ne alter a quocumque occidatur aut spolietur ; nisi, ut dixi, id fiat ex intentione nocendi.

3° Neque in foro exteriori, quod est custos justitiæ, datur actio creditoribus adversus homicidam ; neque in foro interiori solet interrogari homicida de creditoribus neque communi hominum judicio censetur homicida creditoribus obligatus, neque talis obligatio videtur usu recepta, ut ex ipsis adversariis fatentur Layman et Sporer. Ergo.

Hæ autem rationes etiam militant de pauperibus sive consanguineis sive extraneis, quos occisus ex charitate alebat, et *a fortiori* quia cum occisus non teneretur eos alere ex justitia, ac proinde ipsi non haberent jus strictum ad illas eleemosynas, per occisionem non est violata justitia erga illos.

Ad rationem autem in oppositum quæ etiam pro istis pauperibus militat, *respondetur* principium assumptum in majore esse intelligendum duntaxat de eo qui per se vel ex intentione impedit, vel eo modo vim adhibet ut censeatur velle nocere ; non vero de omni eo qui quovis modo vel fine alio impedit per vim, alioquin sequeretur in nostro casu quod homicida teneretur restituere non solum creditoribus et pauperibus quos occisus ex charitate alebat, sed omnibus quibus gratificari solebat, imo omnibus qui ab eo aliquod benefactum sperabant, quia hos omnes per veram vim impedit a consequendo bono conferri solito vel sperato. Hoc autem videtur absurdum et nemo admittit. *Et ratio est ;* quia, licet habeamus jus strictum a natura ne quis vim vel fraudem adhibeat eo fine ut nos impediat a bono consequendo, vel eo modo ut censeatur velle nobis nocere, non tamen habeamus tale jus ne vim vel fraudem adhibeat alio fine vel modo, puta, ut sibi prospiciat

vel alteri tertio noceat, quamvis inde contingat præter ejus intentionem ut impediamur ab alicujus boni consecutione. Sic v. g. jus strictum habeo ne Caius vim vel fraudem adhibeat ut me impediat a consecutione beneficii, ita quod sic impediendo injuriam proprie dictam mihi faciat, teneaturque mihi restituere : at non habeo pariter jus ne ex ira vel odio occidat collatorem a quo sperabam beneficium ; unde non censetur mihi facere injustitiam proprie dictam, nec tenetur mihi restituere : sicque apprehendit sensus communis hominum. Aliquid simile contingit in contractibus : metus injuste incussus ad extorquendum consensum irritat contractum, non irritat vero si propter alium finem incutiatur.

Repones. Intentio nihil mutat in opere externo : atqui seclusa intentione mihi nocendi, opus externum non est mihi injustum secundum nos : ergo nec ea posita erit mihi injustum ; quod non admittimus. Ergo.

R. N. conseq. Ut enim opus externum quod de se est injustum, mihi fiat injustum, quod antea non erat, non est necesse quod mutetur in se, sed sufficit quod contra me dirigatur. Quia 1° per hoc violatur jus quod habeo ne quis mihi per injustos modos nocere intendat. 2° Quia damnum quod mihi inde sequitur, censetur operanti voluntarium, quod non esset seclusa intentione mihi nocendi.

Objicies insuper specialiter pro creditoribus. Per homicidium impeditur jus creditorum, sicut jus hæredum necessariorum : atqui homicida tenetur restituere hæredibus necessariis : ergo et creditoribus.

R. N. maj. Jus enim hæredum necessariorum læditur in propriis, ut dictum est, non jus creditorum. Insuper jus creditorum, ut etiam dixi, sic acquiritur ex libero contrahentium consensu, ut maneat pendens a periculis vitæ et bonorum debitoris ; non sic jus hæredum necessariorum quod est in natura fundatum, debetque ideo esse tutum.

Inst. Debitor se habet ad instar hypothecæ : atqui qui destruit hypothecam tenetur de damno. Ergo.

R. N. maj. Debitor enim non obligatur secundum se ut hypotheca unde vendi non potest, sed ratione bonorum quæ habet aut habiturus est : quæ si non sufficiant solvendis debitis, imputet sibi creditor qui non curavit cautionem.

§ III. — *Utrum omnis homicida vel mutilator injustus teneatur ad præfatas restitutiones ?*

Resp. negative. Sunt enim quidam casus excepti.

1° Non tenetur si læsus ante mortem remittat omnia damna. Ita communius cum Soto, Banne, Lessio et aliis. *Ratio est*, quia hæredibus hæc damna non debent restitui, nisi vel quia succedunt jure occisi, quod spectat damna antecedentia mortem, cui juri dum ipse adhuc vivens cedit, nullum remanet hæredibus : vel quia, ut dictum est, hæredes censentur læsi in persona occisi tanquam in parte sui, quod spectat damna sequentia mortem : atqui hoc ipso quo occisus remisit injuriam et damna, non censetus amplius læsus, proindeque nec ipsius hæredes censentur amplius læsi : ergo nullum eis remanet jus ad damna.

Dices. Pater tenetur ex justitia alere familiam, si indigeat : ergo saltem in hoc casu ejus remissio vel condonatio erit invalida.

R. 1° multos negare antecedens, voluntque parentem teneri solum ex pietate alere familiam dum indiget.

R. 2° Dato ant. N. conseq. Quia obligatio alendi familiam non afficit hoc vel illud bonum in particulari, nec illius dominium aufert a patre : unde si pater prodige dissipet bona sua, valide dissipat licet illicite, nec tenetur filiis restituere, remanente tamen semper obligatione providendi. In nostro ergo casu, remissio foret illicita sed valida.

Dixi, *si læsus remittat omnia damua ;* quia non sufficit quod moriturus dicat se condonare inimico, aut quod reconciliationem ipsi exhibeat ; hæc enim intelliguntur de offensa tantum et de injuria, non vero de damnis realibus, nisi exprimantur.

2° Qui rogantem aut consentientem lædit vel occidit, ad nullam restitutionem est obnoxius, quia scienti et volenti non fit injuria.

3° Qui provocatus lædit aut occidit provocantem, nihil etiam tenetur restituere ; quia provocans censetur cedere juri suo. Nec refert quod intendat occidere et non occidi ; hoc ipso enim quo provocat alterum, concedit illi facultatem agendi contra ipsum totum quod potest. Similiter si duo se mutuo provocent, et libero consensu descendant in

arenam, neuter tenetur alteri restituere, quia uterque censetur renuntiasse juri suo.

Restat difficultas de injuste invaso ad mortem, qui occidit invadentem. Equidem constat quod si servet moderamen inculpatæ tutelæ, ad nihil teneatur, quia non est injusta occisio. Si autem non servet moderamen, communis sententia docet quod teneatur, quia tunc est injusta occisio. Quidam, ut Soto, Sylvester et alii, existimant non teneri ad totum damnum, sed ad partem secundum proportionem excessus, quia sic invasus longe minus peccat quam qui sponte invadit. Mihi autem videtur valde probabile quod ad nihil teneatur; quia, ut dictum est, provocatus ad nihil tenetur, quia provocans censetur remittere: atqui invadens censendus est etiam remittere; hoc ipso enim quod invadit, sciens et volens se exponit periculo mortis et damnorum, cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum, et ipsi esse difficillimum servare moderamen; scienti autem et volenti non fit injuria. Ita mecum sentiunt Ethica am. Sporer et alii.

APPENDIX I.

De obligatione restituendi ex homicidio spirituali, seu læsione in spiritualibus.

Bonum spirituale hic sumitur pro eo quod conducit ad salutem, vel immediate, ut gratia et virtus, quæ amittuntur per peccatum; vel mediate, ut status religionis.

§ I. — *De obligatione restituendi ex inductione ad peccatum.*

Dico 1° Qui solis suasionibus, precibus aut exemplo absque vi vel fraude, induxit aliquem ad peccatum quod non est contra justitiam, non tenetur ex justitia ad restitutionem. Quia sic inductus sciens et volens peccat; scienti autem et volenti non fit injuria. Ita communiter contra paucos antiquos. Quidam excipiunt superiorem; sed non videtur magis obligatus ex hoc capite quam particularis; cum tali inductione non faciat injuriam subdito, qui, ut suppono, sciens et volens peccat ac si non esset subditus. Tenetur tamen aliunde, nimirum ex officio, proindeque ex justitia, procurare salutem subditi.

Dixi 1°, *ad peccatum quod non est contra justitiam;* quia si inducas aliquem ad peccandum contra justitiam, puta, ad furandum, quamvis ipsi restituere non tenearis, teneris tamen restituere illi a quo furatus est, quia ille est invitus. *Patet ex dictis* de restit. in genere.

Dixi 2°, *non tenetur ex justitia;* indubium est enim ipsum teneri ex charitate et præcepto correptionis fraternæ, præsertim si induxit illum qui non erat paratus peccare. An teneatur sub mortali, dicam infra.

Dices 1° Gravius peccat qui inducit alium ad peccandum qui aufert ab ipso bonum temporale: atqui iste tenetur ad restituendum: ergo et ille.

R. N. conseq. Quia obligatio restituendi non oritur ex gravitate peccati, sed ex violatione justitiæ; in secundo autem casu violatur, quia ab invito bonum temporale aufertur, secus in primo.

Repones. Si qui inducit alium ad peccatum non violaret justitiam, ideo esset quia inductus voluntarie consentit: atqui hæc ratio nulla est: ergo. *Prob. min.* 1° Qui solvit usuras, voluntarie solvit: atqui tamen usurarius violat justitiam et tenetur restituere. 2° Qui vi vel fraude inducitur ab peccatum, voluntarie consentit, alioquin non peccaret: atqui tamen sic inducens violat justitiam et tenetur restituere, ut dicemus modo. 3° Qui volentem occidit, peccat contra justitiam et tenetur restituere. Ergo.

R. N. min. Ad primam probationem, D. Qui solvit usuras, solvit voluntarie simpliciter et involuntarie secundum quid, *C.* voluntarie omnino, *N.* Nollet enim solvere si aliter suæ necessitati succurrere posset. *Ad secundam, similiter D.* Inductus vi vel fraude ad peccatum, consentit voluntarie simpliciter et involuntarie secundum quid, *C.* omnino voluntarie, *N.* Si enim vis aut fraus qua læditur ejus libertas abesset, non consentiret, ut supponitur; qui autem sine vi vel fraude consentit, in nullo læditur, et omnino voluntarie consentit. *Ad tertiam.* Qui volentem occidit, non violat justitiam respectu illius, sed tantum respectu Dei et reipublicæ, quibus solis proinde restituere tenetur, non consentienti.

Dices 2° Exod. 22 legitur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit eam uxorem.* Ergo inducenti ad peccatum sine vi vel fraude incumbit obligatio restituendi.

R. id præcipi non in restitutionem, sed

in pœnam delicti, vel ibi agi de seductione fraudulenta.

Dico 2° Qui vi, metu, vel fraude induxit aliquem in peccatum, tenetur ex justitia amovere vim aut fraudem et ipsum pristinæ libertati restituere : non tenetur tamen ex justitia ipsum revocare ad pœnitentiam, sed ex charitate tantum, quæ equidem strictius eum obligat quam si non induxisset.

Probatur prima pars, quæ est communis. Unicuique a natura jus strictum inditum est ne quis eum circumveniat vi vel fraude, quia vis et fraus inducunt aliquid involuntarii, proindeque lædunt libertatem naturalem hominis : ergo qui inducit aliquem ad peccandum vi vel fraude, violat jus illius, et consequenter tenetur ad restitutionem, nimirum restituendo illum libertati quam læsit.

Unde inferes, eos qui suaserunt aliquid tanquam licitum quod est illicitum, puta, contractum ut justum, cum sit usurarius ; susurrones qui falsis relationibus discordias inter amicos disseminarunt ; hæresiarchas aut alios qui falsam doctrinam in materia fidei vel morum tradiderunt, teneri ex justitia sic deceptis falsitatem detegere et veritatem aperire. Quod etiam verum est quamvis ex ignorantia invincibili falsum suaserint ; quia, licet pro tunc non peccaverint, et damnum spirituale causatum non fuerit ipsis voluntarium, fieret tamen nunc voluntarium, si advertentes causam damni a se positam, eam non revocarent, sicut si quis inadvertenter ignem in messem injecisset, imputaretur illi damnum, si dum advertit ignem serpentem, non exstingueret si potest.

Dices. Qui vi vel fraude inducit aliquem ad peccatum, non est causa sufficiens ejus peccati, juxta illud S. Thomæ 1, 2, q. 75, a. 8, ad 3 : « Spiritualis mortis nullus potest » esse alteri causa per se sufficiens ; quia » nullus spiritualiter moritur nisi propria » voluntate peccando. » Ergo.

N. Ut quis subjaceat oneri restitutionis, non est necesse quod sit per se causa sufficiens et adæquata damni, sed sufficit quod efficaciter concurrat ad illud, ut patet in duobus asportantibus furtum, cui asportando unus non sufficeret ; qui autem vi vel fraude inducit aliquem ad peccatum, efficaciter et modo injusto concurrit ad illud, in quantum est causa cur alter aliquo modo invitus consentiat in peccatum.

Probatur secunda pars conclusionis, quæ est Soto, Sylvestri, Sylvii et aliorum. Quando vis aut fraus est sublata, cessat injuria, et inductus suæ libertati restitutus, potest per Dei gratiam a peccato resurgere : ergo si non resurgat, imputandum est soli ejus voluntati ac malitiæ, non alterius injuriæ, quæ amplius non est.

Confirmatur. Qui, suæ libertati restitutus, videt se posse resurgere et tamen non vult, censetur condonare damnum sibi illatum ex præcedente inductione, et restitutionem remittere : sicut si res tua furto ablata, esset in conspectu tuo reposita, ita ut facile eam posses recuperare, et tamen nolles, censereris eam habere pro derelicta et restitutionem condonare : atqui nemo tenetur ex justitia restituere illi qui condonat damnum. Ergo.

Si tamen contingeret quod vi vel fraude tua inductus ad peccatum contraxisset tenacem peccandi habitudinem et gravem resurgendi difficultatem, arbitror quod in hoc casu tenereris ex justitia conari secundum posse et mediis mox indicandis juvare ut vincat hanc difficultatem, et vere pœnitens ad gratiam redeat, quia fuisti injusta causa hujus impedimenti quod non auferetur ablata vi vel fraude.

Tertia pars conclusionis constat. Quia æquitas naturalis exigit ut qui auctor est mali allaboret præ cæteris ut emendetur : ergo saltem ex lege charitatis specialiter tenetur qui alium induxit ad peccatum, ipsum revocare ad pœnitentiam. Id autem præstare debet consiliis, adhortationibus, suasionibus in quantum potest efficacibus, et fusis ad Deum precibus per se vel per alios, aliisque mediis prout prudentia suggeret. Utrum vero hæc obligatio charitatis sit sub peccato mortali, non putat Lessius post Navarrum ; quia, inquit, charitas non obligat sub mortali ad correptionem, nisi in necessitate quando et alii obligantur : ergo, Esto præ cæteris, non tamen sub mortali obligatur.

§ II. — *De obligatione restituendi propter avocationem a religione.*

Suppono 1° eum nec peccare nec ad ullam restitutionem teneri, qui justa de causa avocat candidatum aut novitium a religione, ut si religioni esset ineptus, si ejus ope indigeant parentes aut respublica, si majora bona

præstaret in sæculo quam in monasterio, si in eo non vigeat disciplina regularis, etc. quia nemini facit injuriam, quin potius bonum opus præstat.

Suppono 2° eos graviter peccare et « anathemati subjici, qui sanctarum virginum » vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo » sine justa causa impedierint. » Ita conc. Trid. sess. 25 *de Regular.* cap. 18. Similiter sancta synodus ibidem « Anathemati subjicit eos qui quocumque modo coegerint » aliquam virginem, vel viduam, aut aliam » quamcumque mulierem invitam, præter- » quam, in casibus in jure expressis, ad » ingrediendum monasterium, vel ad susci- » cipiendum habitum cujuscumque religio- » nis, vel ad emittendam professionem; » quique auxilium vel favorem dederint, » quique scientes eam non sponte ingredi » monasterium, aut habitum suscipere, aut » professionem emittere, quoquo modo ei- » dem actui vel præsentiam, vel consensum, » vel auctoritatem interposuerint. »

Circa quod decretum observant theologi 1°, in eo agi de coactione vel avocatione mulierum tantum et non virorum; quia quamvis quæ dicuntur de viris in jure, sæpe extendatur ad mulieres, ut in canone *Si quis, suadente diabolo,* eo quod nomen masculinum ex usu ad utrumque genus extendatur; secus tamen propter oppositam rationem, quando est sermo de mulieribus in particulari.

2° Videtur eo decreto sub excommunicatione prohiberi ne cogatur aliqua mulier ad simplicem ingressum monasterii, etiam ut ibi vivat in habitu sæculari; quia concilium distincte tria membra numerat, scilicet ingrediendi, suscipiendi habitum, et profitendi, ita ut clausula, *exceptis casibus in jure expressis,* videatur addita pro primo membro; quia secundum jura mulieres possunt in pœnam vel ad cautelam cogi ad monasterium ingrediendum, nunquam vero ad suscipiendum habitum vel professionem emittendam. His suppositis,

Dico 1° Qui solis precibus aut suasionibus sine vi vel fraude avocat a religione volentem ingredi vel profiteri, ad nullam tenetur restitutionem, quia nemini facit injuriam. non candidato seu novitio, quia sciens et volens deserit religionis propositum, scienti autem et volenti non fit injuria; non religioni, quia religio ante professionem non habet jus strictum ad candidatum seu novitium, etiamsi voto simplici ad eam profitendam esset adstrictus.

Qui vero vi vel fraude prædictum avocat, tenetur et illi et religioni restituere, quia utrique facit injuriam: 1° ipsi candidato seu novitio, quatenus eum decipit aut cogit invitum; quapropter debet removere fraudem vel metum, eumque suæ libertati restituere; 2° religioni, quia religio habet jus strictum ne per vim aut fraudem aliosve similes modos injustos quis impediatur ab ejus ingressu vel professione; et ideo avocans tenetur restituere monasterio damna aut lucra cessantia quæ ex tali avocatione patitur, non quidem secundum æstimationem totius boni sperati, sed secundum æstimationem spei, attentis omnibus secundum arbitrium viri prudentis, v. g. firmitate vel inconstantia voluntatis in novitio, ejus industria, genio aliisve talentis, futura hæreditate ex familia et similibus.

Petes utrum, sublata vi vel fraude, si avocatus non vult redire ad monasterium, aut si monasterium non vult amplius eum recipere, avocans teneatur adhuc ad aliquam restitutionem?

R. Si monasterium nolit amplius avocatum admittere propter avocationem, quia nempe monasterium abdicavit, avocans tenetur restituere mulieri quo poterit modo avocato omnia damna sive spiritualia sive temporalia quæ inde incurrit, quia fuit illorum causa injusta. Si vero monasterium propter aliam rationem avocationi impertinentem; nolit amplius avocatum admittere, non tenetur avocans de damno, quia non est illius causa. Similiter, si, subsistente vi vel fraude, avocatus contraxit impedimentum insuperabile, puta matrimonium, tenetur utrique, avocato et religioni, damna reparare, quia fuit illorum causa. Item si ratione fraudis aut vis illatæ; avocatus mutaverit animum, tenetur de damno saltem erga monasterium, quia illius fuit causa; secus si ex alia causa mutaverit animum. Hucusque de avocati illius qui nondum religionem professus; jam de avocatione professi.

Dico 2° Qui vi vel fraude abducit professum a religione, tenetur et illi et religioni restituere; *patet ex dictis pro secunda parte conclusionis* præcedentis; et quidem a *for-*

tiori, cum religio habeat post professionem jus in suum religiosum. Tenetur ergo abducens restituere abducto pristinam libertatem, remota vi vel fraude; religioni autem tenetur restituere damna si quæ patitur ex absentia sui religiosi. Quod si, ablata vi vel fraude, religiosus non redeat, abducens non videtur amplius teneri ad damna sequentia, quia non ipse est illorum causa, sed religiosus qui non vult redire.

Dico 3° Qui vero absque vi vel fraude abducit professum a religione, non tenetur illi restituere, quia scienti et volenti non fit injuria; neque probabilius ipsi religioni, saltem quoad damna realia. Hæc secunda pars quæ controvertitur, est Bannes, Salon, Pesantii, Petri Navarr. quos citant et sequuntur Sylvius et Lessius, contra plures alios.

Probatur. Qui cooperatur alterius peccato quod non est contra justitiam, non tenetur ad restitutionem, si aliunde nihil injustitiæ immisceatur in ejus cooperatione; atqui quod professus non operetur in utilitatem monasterii, non peccat contra justitiam et aliunde abducens seu dissuadens laborare, nullam aliam injustitiam committit, cum absit vis aut dolus. Ergo. *Major videtur evidens.* Si enim agens principalis et immediatus non peccat contra justitiam, qua ratione agens minus principalis et mediatus qualis est consulens peccaret contra justitiam? *Minor est etiam communis, et admittitur ab adversariis;* quia religiosus, vi voti tantum et religionis, aut etiam ad summum vi justitiæ legalis, non tamen ex justitia commutativa, tenetur laborare in utilitatem conventus; non enim religio possidet professum sicut dominus mancipium in bonum suum temporale, sed ut pater aut mater filium in ipsius bonum spirituale. Unde, sicut non laborans in domo patris non tenetur ad restitutionem, ita et professus non laborans in monasterio, a nemine obligatur ad restitutionem.

Ut itaque tollatur æquivocatio, concedimus quod religio habeat jus strictum in operas sui religiosi factas, quia quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit; ita ut si abducens consulat eas auferri, teneatur ad restitutionem, at vero non habet jus strictum ut fiant. Sic pater habet jus strictum in bona filii profectitia, cum sunt de facto acquisita, non tamen habet jus strictum ut filius hæc acquirat, sic, ut teneatur filius restituere si non acquirat. *Ex his solvuntur præcipuæ objectiones.*

Dices tamen insuper cum Francisco Henno. *Dato* quod religiosus non teneatur ex justitia laborare pro utilitate monasterii, religio tamen habet jus strictum ad lucrum in spe seu futurum, est enim prætio æstimabile et a religione vendibile: atqui isto stricto jure ad lucrum in spe eam privat qui professum abducit etiam sine vi vel fraude: ergo violat justitiam et tenetur ad restitutionem.

R. 1° *retorquendo argumentum.* Pauper habet jus strictum ad eleemosynam in spe habendam ab eo a quo solet accipere, aut qui decreverat illi dare; est enim jus illud pretio æstimabile et a paupere vendibile: atqui isto jure ad eleemosynam in spe pauperem privat qui eleemosynæ collatori absque vi vel fraude consulit ut non det eleemosynam, vel ut det alteri: ergo talis consulens violat justitiam et tenetur ad restitutionem; quod tamen negat theologus Franciscanus, quæstione immediate sequenti. Idem dic de illo qui suadet parentibus ut quod uni ex testamento reliquerant, alteri relinquant; aut consulit collatori ut det beneficium alteri quam illi cui dare decreverat, et pluribus aliis similibus. 2° Ipse religiosus sponte abductus aut nolens operari, principalius aut immediatius privat religionem isto jure ad lucrum, quam simpliciter consulens: ergo tenetur ad restitutionem; quod non admittit sententia opposita. Quod si iste non teneatur, *a fortiori* non tenetur qui simpliciter consulit fugam aut otium, cum non teneatur nisi ex defectu principalis agentis.

Dicendum itaque in his et similibus casibus quod, cum jus ad lucrum in spe sit fundatum in voluntate libera operantis vel donantis, neque sit æstimabile nisi dependenter ab illa, qui operari aut dare non vult, nullius jus violat; nec consequenter et *a fortiori* ille qui simpliciter suadet ut pro sua libera voluntate non operetur aut donet: unde *sic debet distingui argumentum.* Religio habet jus ad lucrum in spe dependenter a voluntate sui religiosi, *C. maj.* independenter, *N. maj.* Similiter *ad minorem.* Atqui qui consulit fugam privat isto jure religionem per voluntatem liberam illius a quo dependet, *C. min.* contra ejus

voluntatem, *Nego min. et consequentiam.*

Dixi, *saltem quoad damna realia;* quia forte posset concedi quod ipsa persona religiosi sit bonum proprium monasterii, in quo habet jus strictum ex contractu professionis : unde qui eum etiam absque vi vel fraude abducit, videtur ex hac parte violare justitiam et teneri restituere : restituet autem conando apostatam reducere ad monasterium, vel alium bene idoneum disponendo et hortando ad ejus ingressum.

Cæterum neque in hoc casu neque in ullo alio, sive vis vel fraus fuerit adhibita in abductione, sive non, tenetur ipse abducens se religioni mancipare, ut opinati sunt quidam antiqui; quia status religionis tria vota complectens, est summæ perfectionis et debet esse liberrimæ electionis. Aliunde nemo ad eam admitti debet nisi sit idoneus et a Deo vocatus : ex hoc autem quod quis alium avocaverit a religione, non sequitur quod ad eam sit idoneus et a Deo vocatus.

Quantum ad alia bona spiritualia sed naturalia, ut sunt potentiæ animæ, scientiæ et artes, satis patet quod qui alteri in istis injuste nocet, teneatur restituere. Unde qui aliquem philtro vel veneno privavit usu rationis vel memoriæ, tenetur restituere non solum pro damnis realibus inde ortis, sed etiam pro damno personali, ut diximus de homicidio.

Item qui ratione stipendii vel officii etiam gratis assumpti, tenetur docere aliquam scientiam vel artem, ut sunt professores scientiarum humanarum, repetitores, artifices, magistri, etc. si male vel negligenter doceant, tenentur resarcire damna inde provenientia. Quod si ex sola benevolentia vel charitate doceant, non tenentur ex negligentia (nisi forte sint impedimento ne canditati uberius alibi discant); tenentur tamen si falsa pro veris scienter doceant, aut etiam cum animadvertunt se ex ignorantia male docuisse.

APPENDIX II.

De obligatione restituendi ex stupro vel fornicatione.

Stuprum est defloratio virginis. Fornicatio est congressus soluti cum soluta corrupta. De malitia utriusque dicemus dum de Temperantia. Sed quia hæc injuria sicut et injuria adulterii quodammodo corpus spectat, nunc quærimus de obligatione restituendi ex illa contracta.

Dico 1° Qui puellam sive virginem sive reputatam talem, aut viduam honestam libere consentientem cognovit, in foro conscientiæ nihil tenetur illi restituere, quia scienti et volenti non fit injuria; neque parentibus si res maneat occulta, non enim tenetur prodere suum crimen : quod si iis innotescat, propter dolorem inde conceptum et injuriam irrogatam (habent enim parentes custodiam virginitatis filiæ suæ), tenetur illis satisfacére per veniæ petitionem aut quid simile. Si tandem palam innotescat, et inde infametur familia, tenetur meliori quo potest modo famam familiæ restituere.

Quidam addunt, ipsum quoque teneri parentibus de augmento dotis, quo puella possit conveniens matrimonium inire, saltem si parentes exigant; quia, inquiunt, non sola filia habet jus ut honeste nubat, sed etiam id jus parentibus competit : unde licet puella consentiens cesserit juri suo, non potuit tamen cedere juri parentum. Hæc sententia est probabilis. Æque tamen ad minus est probabile stupratorem ad id non teneri; quia parentibus hoc jus non competit, nisi dependenter a jure et voluntate libera filiæ, quæ, si velit, potest manere innupta, aut etiam sibi inferiori nubere : unde cum hæc juri suo cesserit, jus parentum evanescit.

Dixi, *in foro conscientiæ;* quia in foro externo corruptor puellæ etiam consentientis condemnabitur vel ad dotem vel ad mulctam, lege sic statuente pro bono communi, ad impediendas corruptiones puellarum, quæ natura sua sunt facile seducibiles.

Dico 2° Qui puellam sive virginem sive reputatam talem, aut honestam viduam invitam cognoverit, tenetur ad omnia damna inde sequentia : quia est injusta illorum causa.

Censetur invita puella, quando vis infertur aut dolus. Vis autem infertur 1° quando vera et reali violentia opprimitur; 2° quando ad copulam adigitur metu gravi, v. g. mortis, infamiæ, atrocium verberum vel alterius gravis damnia corruptore incusso; vel etiam metu reverentiali, ut si corruptor sit superior, tutor, vir magnæ auctoritatis cui puella nihil audeat recusare.

Quidam addunt importunas preces ; sed verius videtur quod preces importunæ solæ, sine minis aut metu reverentiali, vel nisi eas comitentur amplexus, oscula, tactus quibus excitata puella, prius invita, tandem consentit, non debeant reputari pro vi ; preces enim sine præfatis adminiculis, quantumvis importunas, ingenua mulier non ita difficile excutere potest, concepta ira, qualem decet in simili casu.

Censetur autem fraude et dolo seducta puella, quando corruptor promittit se solis tactibus hæsurum ; quando ficte promittit matrimonium, magnam dotem, magnam remunerationem, quando se fingit divitem, nobilem, etc., qui enim fingit aliquid ob quod alter consentit et sine quo non consensisset, facit ei injuriam, consequenter tenetur de damno, promissa adimplendo ; vel si non potest, damna inde secuta compensando.

Damna quæ ex copula invita sequi nata sunt, 1° est violatio claustri virginalis, si sit virgo : quod damnum non solet pecunia resarcire, quia hoc indecorum est ac probrosum, sed veniæ petitione, vel aliqua simili satisfactione. Si tamen puella aut parentes pecuniam ideo exigerent, videtur ad eam in rigore teneri corruptor, secundum arbitrium viri prudentis. *Patet ex dictis* de restit. damni personalis ex homicidio. 2° Diffamatio puellæ et inhonoratio familiæ, quam violator omni modo possibili reparare tenetur. 3° Inhabilitas ad honestum et conditioni suæ congruens matrimonium. Porro hoc damnum reparare debet, vel eam ducendo, vel sic dotando, ut æque honeste possit nubere ac si non fuisset violata. Quod si aliter non possit reparari quam per matrimonium, tenetur determinate eam ducere, modo ipsa et parentes consentiant ; alioquin debet dotare. Si autem ipsa vel parentes vellent determinate matrimonium, cum damnum pecunia reparari posset, non tenetur nisi promiserit, quia tenetur tantum ad damni reparationem. Idem censet per omnia, si puella, licet non sit vere corrupta, adeo tamen patentibus et instantibus sollicitationibus fuit vexata, ut habeatur pro corrupta, aut saltem ex hoc sit diffamata.

Quod si damnum non sequatur, quia vel crimen mansit occultum, vel puella per accidens æque bene nupsit ac si non fuisset defiorata ; ad nihil tenetur ex hac parte deflorator. Si tamen inito matrimonio maritus quam putabat virginem deprehendat non esse, et ideo in illam sæviat, aut eam expellat ; ad hæc damna tenetur stuprator. Item si puella antequam honeste nubat, aliquid acceperit a stupratore, potest retinere ; aut si inter eam et stupratorem fuerit de aliqua summa conventum, tenetur stuprator stare conventioni ; quia in utroque casu puella suscipit in se omne periculum quod est pretio æstimabile.

In 4. d. 28. q. 1. a. 2. ad 4. — *Dico* 3° Qui sub promissione matrimonii vera vel ficta, extorsit copulam a puella, tenetur regulariter illam ducere. Ita cum S. Thoma consensus unanimis omnium theologorum et jurisconsultorum, imo omnium tribunalium.

Ratio est, quia si promissio sit vera, purificata conditione, transit in absolutam et promittentem obligat, ut fusius explicabitur de Contractibus ; si sit ficta, promittens decipit puellam cum suo damno : ergo tenetur tollere deceptionem adimplendo promissa. Adde quod alioquin fraus promittenti patrocinaretur, quod non debet admitti. Neque potest ordinarie in hoc casu uti privilegio primi bimestris ad ingrediendam religionem ; quia promissio facta in his circumstantiis intelligitur de matrimonio consummato, cum per matrimonium ratum tantum vix unquam possint compensari omnia damna puellæ ; si tamen sic contingeret, videtur quod tunc posset uti dicto privilegio.

Dixi ; *tenetur regulariter illam ducere ;* quia varii sunt casus in quibus non tenetur ducere, licet in quibusdam teneatur aliunde damnum compensare : et sunt fere iidem casus in quibus licet dirimere sponsalia.

1° Itaque non tenetur si puella postea cum alio fornicetur ; quia frangenti fidem fides frangatur eidem, ut fert adagium commune. 2° Si ipsa stupratorem deceperit, dicendo se virginem aut divitem, cum nec virgo sit nec dives ; quia tunc fit fraudis compensatio. Et in hoc utroque casu stuprator non tenetur ad aliam compensationem. Idem censet Sylvius, si stuprator proprio errore deceptus putavit virginem, quia talis defectus sufficit ad dirimenda sponsalia ; tenetur tamen in hoc casu ad compensationem damni.

3° Non tenetur si puella voluntarie se de-

cepit aut potius decipi se finxit, cum potuerit intelligere promissionem esse fictam, ut si ex verbis ambiguis aliisve signis, aut ex conditione stupratoris, longe superexcedente suam, facile potuit advertere illum non promittere ex animo; nec in hoc casu tenetur ad aliam compensationem. Quod si hunc excessum ignoraverit, cum tunc fuerit decepta, videtur stupratorem, etsi ficte promiserit, teneri ad compensationem damni, non tamen ad matrimonium, quia puella non concessit ei usum sui corporis sub ratione tantæ dignitatis: unde si tantum matrimonium exigeret pro copula, haberet plusquam debet habere. Item si puella sciverit hunc excessum, sed stuprator sincere promisit, tenetur ad matrimonium vi promissionis, quia sciens promittendo cessit juri suo et renuntiavit excessui. Ita Sylvius, Ethica am. post plures alios contra Serram.

4° Non tenetur si superveniat impedimentum dirimens indispensabile, ut si stuprator cum alia matrimonium ineat, aut religionem profiteatur; in quo casu debet aliunde puellæ satisfacere. Si autem superveniat impedimentum dispensabile, ut affinitas contracta ex alia copula cum sorore aut consanguinea puellæ, tenetur petere dispensationem, quia debitor debet adhibere media saltem ordinaria ad solutionem debiti. Similiter si tale impedimentum præcesserit et ignoraverit puella; aut etiam si sciverit, sed promissio sit facta sub conditione dispensationis obtinendæ.

5° Non tenetur si ex tali matrimonio rationabiliter timeantur gravia mala et scandala, rixæ, discordiæ, homicidia, etc. Quia sicut hæc ratio sufficit ad dissolvenda sponsalia, ita ad solvendam promissionem in nostro casu; debet tamen tunc fieri compensatio damnorum. 6° Non tenetur si puella aut ejus parentes renuant matrimonium; quo casu ad nihil aliud tenetur, quia, ut suppono, nihil aliud promisit.

Septimum casum assignant Navar. Sylvius et alii quos ex recentionibus sequuntur Stayaert in Aphorismis de sponsalibus, et Dachman: scilicet, si stuprator prius erat adstrictus voto simplici continentiæ aut religionis ingrediendæ. Tunc enim, inquiunt, stuprator tenetur satisfacere voto, quamvis puella illud ignoraverit, cujus quidem, ait Sylvius, potest petere dispensationem, sed non tenetur. *Ratio est* 1°, quia promissio Deo facta fortior est promissione homini facta. 2° Quia per prius votum jus est Deo acquisitum, cui cedere non debet propter promissionem homini factam. unde talis promissio est de re illicita, ideoque nulla. Debet tamen stuprator aliunde compensare damna. Hæc sententia est probabilis.

Etiam probabilis est sententia opposita Lessii, Wiggers, quos sequitur Ethica am. si nempe puella votum ignoraverit; quia obligatio contractus onerosi, fundata in jure tertiæ personæ, ex cujus inobservatione resultaret illi gravis injuria, strictior est quam obligatio contractus gratuiti, sive voti simplicis, fundata in gratuita voluntate voventis: sic, v. g. qui vovisset dare Ecclesiæ mille florenos, et postea contrahit ex furto aut emptione debitum mille florenorum, si non possit utrique satisfacere, omnium consensu, tenetur potius satisfacere debito quam voto.

Inter has opiniones utrinque probabiles medius existimo quod, si damnum puellæ sit aliunde reparabile quam per matrimonium, votum teneat, et *id probant rationes primæ sententiæ*. Si non sit reparabile nisi per matrimonium, promissio tenet, si non vi promissionis, saltem ratione damni reparandi, et *id probat ratio posterioris sententiæ*. Et in hoc casu, juxta aliquos, non videtur necessaria dispensatio, quia votum pro tunc est de re illicita. Tutius est tamen obtinere, tum quia hæc sententia non est certa, tum quia sine dispensatione stuprator non posset petere debitum, sed tantum reddere.

Petes. Si nata sit proles ex fornicatione, ad quid teneatur fornicator?

R. Si libere consentientem cognoverit, mater tenetur alere prolem primo triennio, deinde pater quousque proles sibi possit providere. Si quod suum est præstare nequeat mater, aut si invitam violaverit corruptor, tenetur providere proli a partu. Ita in jure et communiter. In foro autem externo præsumitur puellam quæ habetur honesta, fuisse invitam, nisi contrarium probetur.

Quod si prolem exposuerint et translata sit ad xenodochium, juxta communiorem sententiam, tenentur xenodochi restituere, si non sint pauperes; quia xenodochia in favorem pauperum duntaxat sunt erecta,

nisi aliud constet; Pontas, v. *Restit.* c. 159, post S. Ant. Navar. etc.

APPENDIX III.

De obligatione restituendi ex adulterio.

Adulterium est violatio tori alieni : de ejus malitia dicam dum de Temperantia. Nunc de damno quod per illud causatur, et ejus restitutione.

Dico 1° Si ex adulterio non sequatur proles, nihil restituendum incumbit adultero et adulteræ pro damno reali, quia nullum est. Si innotescat marito, debet ab utroque illi fieri satisfactio pro injuria personali per veniæ petitionem, humiliationem, signa doloris, vel per alium aliquem modum quo animi ejus exacerbatio pacificetur et dolor mitigetur : unde si non resciat, non erit locus huic satisfactioni. Pecuniariam autem satisfactionem pro hac injuria prohibent leges civiles propter præsumptionem et speciem lenocinii, l. *Transigere*, c. de Transact. et alibi. Et hinc quidam inferunt quod, si maritus accipiat pecuniam tanquam pretium pro injuria, teneatur restituere, licet alii intelligant has leges pro foro externo tantum. Cæterum si acciperet ex mera liberalitate, ut facilius ejus dolor liniretur et citius injuriæ oblivisceretur, videtur certum quod posset retinere. Si tandem adulterium aliis innotescat, pro infamia et dedecore quod inde marito obvenit, certo fieri debet restitutio, quantum possibilis est; sed vix est possibilis.

Dico 2° Si proles sequatur ex adulterio, et ad illud adulter et adultera communi consensu convenerint, uterque tenetur ad restitutionem damnorum inde sequentium pro rata : uno deficiente, alter tenetur in solidum ; quia uterque est illorum causa. Secundum dispositionem juris, ut jam dixi in appendice præcedente, adultera tenetur ad educationem prolis pro primo triennio ; hoc completo, tenetur adulter usquequo proles possit sibi providere. Si adulter adulteram provocavit et induxit, aut e contra, censet Sylvius provocantem teneri prius in solidum ad omnia damna, quia est causa principalis, et inducendo censetur in se suscepisse damna. Illo tamen deficiente, tenetur in solidum adultera, quia fuit voluntarie cooperata ad damnificationem.

Principale autem damnum quod hic spectatur, est quando proles supponitur marito, ut fit ordinarie; tunc enim proles educatur expensis patris putativi, dotatur ut proles legitima, et init hæreditatem familiæ cum aliis legitimis. Porro constat quod si utriusque adulteri et adulteræ consensu et fraude supponatur, utrique incumbat hæc damna resarcire conformiter ad conclusionem.

Verum si supponatur non consentiente, imo dissuadente et retinente adultero, *distinguendum est :* vel adultera potuit separare a familia absque dispendio famæ aut vitæ, et absque periculo rixarum, odiorum et similium; vel non potuit. Si primum, et nihil omiserit adulter ut impediret suppositionem, sola adultera tenetur de damno, quia ipsa sola est causa damni. Nec refert quod adulter posuerit causam, et quod qui est causa causæ est causa causati; id enim verum est tantum quando effectus non potest impediri, aut stat per eum qui posuit causam ut impediatur : hic autem effectus potest impediri et non stat per adulterum ut impediatur, sed per solam voluntatem adulteræ. Si secundum, tenetur adulter ut adultera, juxta explicationem conclusionis; quia est illorum causa non solum mediata, in quantum adulterando vidit aut videre debuit et potuit : quod si mulier non posset absque dictis dispendiis et periculis, ut ordinarie contingit, prolem separare, cogeretur supponere; sed etiam causa æque immediata ac adultera ipsa. Etenim adultera non est causa immediata illius suppositionis et damnorum, nisi quia prolem natam inter parietes domesticos permittit esse in familia mariti, ex quo decipiuntur et maritus et alii putantes esse legitimam; neque enim ad hoc necesse est quod mulier dicat esse legitimam, nec id dici solet : atqui eodem prorsus modo, imo magis adulter concurrit ad suppositionem, quia cum ipse sit verus pater prolis, cui maxime incumbit ejus cura, hoc ipso quo ipsam relinquit in domo patris putativi, a quo videt pro legitima haberi et educari, non minus quam mater, est causa hujus deceptionis et damnorum sequentium : ergo.

Petes 1° utrum tam adulter quam adultera teneantur restituere filiis legitimis pro iis bonis quæ istis non debebantur et illegitimo conferuntur : v. g. consanguinei aut amici patris putativi, filium illegitimum, quem legitimum putant, instituunt hæredem, vel ei liberaliter aliquid legant aut

donant, sumptus ad studia, nuptias, etc. conferunt; quæ non legassent aut donassent, imo dedissent filio alteri legitimo, si deceptio abfuisset? *R. Affirmat* Molina, *negat* Delugo apud Sporer; quia hæc damna non sequentur per se filiis legitimis ex adulterio vel suppositione, sed per accidens, cum isti ad eas liberales donationes non haberent jus. Si tamen illegitimus se talem agnosceret, teneretur restituere ratione rei acceptæ.

Petes 2° quantum et quibus restituet adulter qui paratus est restituere nunc antequam pater putativus sit mortuus? Si enim restituat patri putativo, forte iste morietur ante prolem spuriam, et ita hæc habebit partem non solum hæreditatis, sed etiam restitutionis. Si restituat filiis legitimis, forte proles illegitima morietur ante patrem putativum, sicque hæredes legitimi, nullum damnum in hæreditate passi, habebunt plusquam debent habere.

R. Adulter debet in primis inquirere quid hucusque pater putativus expenderit in alimentatione et educatione prolis illegitimæ, aut etiam dotatione, si forte jam statum assumpserit, et hæc determinata damna illi patri putativo resarcire. Quantum ad ea vero quæ proles legitimæ poterunt pati, si proles illegitima supervivat patri putativo, debet concipere firmum propositum, et res disponere ut restituat suo tempore cui oportuerit id quod proles illegitima de bonis patris putativi acquisierit. Sed quid si forte adulter sit morti proximus, nec possit differri restitutio? *R.* Non tenetur restituere totum damnum quod paterentur filii legitimi si filius illegitimus jam accepisset partem hæreditatis, quia forte non accipiet, si nempe moriatur ante patrem putativum; sed proportionate ad dubium secundum judicium viri prudentis. Ita Navar. et Soto, quos citat et sequitur Pontas, v. *Restit.* cap. 157 et 158.

Petes 3° Si adulter dubitet an proles sit ex suo adulterio, teneturne aliquid restituere?

R. teneri pro rata dubii. Vide quæ dixi hac de re supra de restitutione in genere art 11, § 6.

Petes 4° Quomodo restituet adultera?

R. 1° Si habeat bona paraphernalia aut alia quæ liberæ dispositioni relicta, debet illa et marito et filiis legitimis dare usque ad damni compensationem. Si his careat aut non sufficiant, debet diligentius familiam administrare, insolita industria vel labore majorem utilitatem ipsi procurare, parcere sumptibus in his quæ ipsi conceduntur ad cultum corporis, ad recreationes, donationes, etc. Si neque his aut similibus modis possit damnum compensare, debet persuadere proli illegitimæ statum religionis vel ecclesiasticum, hæreditate abdicata, si tamen idoneus sit, et in eo appareant signa vocationis divinæ; aut conari ut addiscat artem, vel officium obtineat, quo vel qua, independenter a bonis familiæ, decenter vivere queat.

Si tandem his omnibus modis satisfacere nequeat, quæstio est utrum teneatur revelare crimen suum marito vel spurio?

R. regulariter non teneri. Ita communiter.

Prob. 1° ex jure, c. *Officii* 9, de Pœnitent. et Remiss. Innocentius III, consultus an absolvenda esset mulier quæ, fingendo partum, prolem alienam supposuerat, ne mariti bona ad extraneos devolverentur, et crimen istud marito detegere metueret, respondet sic: « Sicut mulieri quæ, ignorante marito, de » adulterio prolem suscepit, quamvis id » viro suo timeat confiteri, non est pœni» tentia deneganda; ita nec illi debet pœni» tentia denegari.... Sed competens satisfac» tio per discretum sacerdotem ei debet in» jungi. » Si autem teneretur revelare crimen suum, foret illi deneganda absolutio. Ergo.

Prob. 2° ex hoc principio communiter recepto: Bona inferioris ordinis regulariter non sunt restituenda cum dispendio bonorum superioris ordinis: atqui hic erit dispendium bonorum superioris ordinis, ut minimum famæ adulteræ. Ergo.

Instauratur magis hæc ratio. Si revelet marito, 1° incurrit periculum non solum infamiæ propriæ, ut dixi, sed et prolis, mariti et totius familiæ; non enim absque his inconvenientibus poterit maritus prolem illegitimam, quæ hucusque legitima habita est, prodere et in foro externo exhæredare. 2° Incurrit periculum divortii, odii perpetui ex parte mariti et omnium consanguineorum, imo mortis propriæ et adulteri: nemo autem tenetur cum tantis dispendiis restituere bona fortunæ: unde si non fiat restitutio in casu, filii legitimi non debent censeri rationabiliter inviti.

Si vero revelet proli spuriæ, hæc vel credet matri vel non credet : si non credat, ut probabilius accidet (et forte credere non tenetur, de quo modo), inutilis erit revelatio. Si credat, non tenebitur cum suo et familiæ dedecore hæreditatem dimittere ut spurius, neque præsumendum est quod sub alio prætextu dimittet ; rari enim admodum sunt ita perfecti et probi, ut propter solam justitiam in foro conscientiæ servandam, dimittant hæreditatem quam in foro externo tuto servare possunt : sicque iterum erit inutilis revelatio. Ergo.

Nec est probandum quod fecit mulier Avenionensis, ut narrat Alciatus, quæ morti proxima, convocatis omnibus filiis, declaravit unum ex illis esse illegitimum, petens an vellent nominari, vel innominatum cum cæteris hæreditatem inire : qui omnes sibi mutuo condonarunt, quia quisque sibi timebat. Hic, inquam, modus non est probandus. 1° Quia ista condonatio seu renuntiatio non est plene voluntaria, cum fiat ex gravi et injusto metu. 2° Quia plerumque sunt minorennes quorum renuntiatio est nulla. 3° Quia prolibus legitimis suspicionem illegitimitatis ingerit ; potest enim facile contingere quod proles legitima, ob certa vultus lineamenta aliave indicia, pro spuria ab aliis habeatur.

Dixi, *regulariter non teneri ;* quia quidam casus excipiuntur : 1° si periclitetur tantum fama adulteræ quæ jam aliunde est labefactata, et verisimile sit quod revelando crimen suum impedirentur damna, tenetur revelare ; quia tunc leve damnum ex revelatione pateretur. 2° Tenetur si certo moraliter judicet filium spurium ipsi fidem adhibiturum et hæreditatem dimissurum (quod raro præsumi potest) ; quia licet fama physice loquendo sit bonum superioris ordinis, moraliter tamen loquendo, diffamatio nocentis apud unum tantum et hunc filium non videtur præponderare gravissimæ innocentum defraudationi in bonis fortunæ. 3° Tenetur si periclitetur bonum totius regni vel Ecclesiæ : v. g. si spurius pro legitimo habitus debeat succedere regno, et is sit vel hæreticus, vel pessimis moribus imbutus, ex quo regni vel Ecclesiæ pernicies immineat : tunc, inquam, tenetur adultera crimen suum revelare etiam cum periculo vitæ, si spes sit quod per revelationem impedientur hæc gravissima mala, utpote quæ præponderant diffamationi et morti unius privatæ personæ.

Petes tandem utrum proles teneatur credere matri asserenti eam esse illegitimam ?

R. Sententia satis communis quam tenent cum canonistis Lessius, Sylvius, Layman et alii, docet quod non teneatur credere, nisi adultera assertum suum probet manifestis argumentis ; ut quod tempore conceptionis maritus abfuerit, quod sit impotens, etc. Quia nemo tenetur credere uni testimonio in sui præjudicium, maxime si ille testis allegat turpitudinem suam ; et sic servatur in foro externo, cui quantum ad hoc potest se conformare privatus in foro interiore. Adde quod mulierum genium sit alios amore, alios odio prosequi.

Alii tamen respondent, equidem non adhiberi fidem secundum jura alleganti turpitudinem suam in præjudicium alterius, quia præsumitur quod vel ex odio vel ex amore loquatur ; cessante autem hac præsumptione, nihil vetare quin ipsi fides adhibeatur in foro conscientiæ. Unde inferunt quod si mater sit rectæ conscientiæ et probatæ fidei, remque sub juramento affirmet, præsertim in articulo mortis, spurius teneatur illi credere ; et hoc est vere probabile.

DIGRESSIO I HISTORICA.

UTRUM MOYSES LICITE OCCIDERIT ÆGYPTIUM HEBRÆO INSULTANTEM.

Ad art. II præced. dissertat.

Cum videret Moyses virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis, ipsum Ægyptium percussum sabulo abscondit ; Exod. 2. Quæritur utrum id licite fecerit Moyses ?

Dico. Moyses licite hunc Ægyptum occidit.

Probatur. Moyses hunc Ægyptium occidit vel ex instinctu divino, ut innuit S. Stephanus Act. 7 ; vel in justam defensionem fratris sui, ut docet S. Ambrosius, lib. 1 de Officiis c. 36, et hoc totum complectitur S. Thomas supra q. 60, a. 6, ad 2, his verbis : « Moyses videtur Ægyptium occidisse quasi » ex inspiratione divina auctoritatem adep- » tus, ut videtur per hoc quod dicitur Act. » 7, quod *percusso Ægyptio existimabat* » *Moyses intelligere fratres, quoniam* » *Dominus per manum ipsius daret salu-* » *tem Israel.* Vel potest dici quod Moyses

» occidit Ægyptium, defendendo eum qui » injuriam patiebatur cum moderamine in- » culpatæ tutelæ. Unde S. Ambrosius dicit » lib. 1 de Officiis c. 36, quod, *Qui non re-* » *pellit injuriam a socio, cum potest, tam* » *est in vitio quam ille qui facit:* et inducit » exemplum Moysis. » Ergo.

Dices 1° Moyses antequam hoc facinus patraret, circumspexit huc et illuc num a nemine videretur, et cum accepit esse vulgatum, fugit in terram Madian, ut narratur loco citato Exod.; atqui hæc sunt indicia sceleris patrati. Ergo.

R. N. min. Prudenter enim cavit Moyses ne occisio Ægyptii, etsi justa, vulgaretur, ne Pharao et Ægyptii magis adhuc sævirent in Hebræos. Vulgato autem facinore fugit, ut periculum mortis sibi imminens vitaret; *Audivit enim Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen*, ut dicitur ibidem.

Dices 2° S. Aug. lib. 22 cont. Faustum c. 70, docet hanc Ægyptii cædem a Moyse perpetratam, fuisse injustam, eo quod Moyses nullam tunc haberet auctoritatem sive in Ægyptios sive in Hebræos. Ergo.

R. S. Augustinum, deposita hac sententia, descendisse in hanc quam defendimus q. 2 in Exodum, ubi, cum retulisset quod dixerat loco cit. cont. Faustum, subdit: « Tamen, sicut Stephanus dicit in Actibus » Apostolorum, putabat intelligere fratres » suos quod per eum Deus daret illis salu- » tem, ut per hoc testimonium videatur » Moyses jam divinitus admonitus (quod S. » Scriptura eo loco tacet) hoc audere po- » tuisse. »

DIGRESSIO II HISTORICA.

DE POENITENTIA ET MORTE SAMSONIS.

Ad art. III dissert. præced.

Primum crimen Samsonis indicatur Judicum 16, 1, his verbis: *Abiit quoque* (Samson) *in Gasam, et vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* Quæ ultima verba, cum iis soleat in S. Scripturis significari res uxoria vel meretricia, sufficienter exprimunt crimen Samsonis cum illo scorto Gasæo.

Alterum Samsonis crimen fuit amor meretricius Dalilæ, de quo Judicum 16 cit. *Post hæc amavit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, et vocabatur Dalila.* Equidem S. Chrysost. et S. Ephrem existimant Dalilam fuisse uxorem Samsonis; sed fuisset meretricem conformius historiæ sacræ testantur Josephus, S. Hieron., S. Ambrosius et alii.

Hujus Dalilæ fraudibus deceptus Samson, captus est et excæcatus a Philistæis, ductusque Gasam in templum Dagonis ut coram eis luderet, concussis templi columnis se suosque hostes corruente templo obruit. Quæstio est itaque an Samsom impœnitens et suicidii reus occubuerit?

Dico. Samson nec impœnitens nec suicidii reus occubuit.

Probatur ex Apostolo, Hebr. 11, ubi Samsonem inter sanctos recenset his verbis: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Ergo. Adstipulantur SS. Patres, Epiphanius Hæresi 30, Paulinus Epist. 23, Ambrosius Epist. 24, et alii.

Dices 1° Samson seipsum cum hostibus occidit. Ergo.

Quidam excusant Samsonem ex eo quod mortem suam non intenderet, sed hostium duntaxat gentis suæ cujus erat judex, internecionem, se salvo, si potuisset. Verum huic solutioni obstare videntur hæc ejus verba in procinctu subversionis templi: *Moriatur anima mea cum Philistiim*, Judic. loc. cit. Unde.

R. cum S. Aug. lib. 1 de Civit. cap. 21, Samsonem id fecisse ex instinctu Spiritus sancti. Idque indicat S. Scriptura loc. cit. *At ille, inquit, invocato Domino, ait: Domine Deus, memento mei et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas*, etc.

Inst. Samson intendebat vindictam, ut innuunt verba laudata. Ergo.

R. D. antec. Intendebat vindictam ut homo privatus, *N.* ut homo publicus, *C.* Erat enim Samson judex in Israel, injuriaque sibi illata non tam erat privata quam publica et in totum populum redundans.

Dices 2° Juxta revelationes S. Mecthildis, incerta est sors Samsonis, Salomonis et Origenis. Ergo.

R. revelationes privatas, præsertim S. Scripturæ contrarias quales sunt istæ, nul-

lius esse ponderis. Insuper hæ revelationes continent alia absurda, et S Mecthildi falso esse adscriptas probat Baronius ad annum 604.

DIGRESSIO III HISTORICA.

DE EVIRATIONE ORIGENIS.

Utrum fuerit canonicum illius ordinationis impedimentum?

Ad art. IX et X dissert. præced.

Origenes, dum Alexandrinam scholam regeret, et non solum viri, sed et mulieres forma elegantes, ad eum confluerent, castitati suæ timens, seipsum eunuchum fecit, non abscissione, sed adhibito pharmaco ad exsiccandam libidinem, unde eviratio secuta est. Hoc facinus primum demiratus Demetrius, Alexandrinus episcopus, postea improbavit, et ordinationem Origenis factam a Theoctisto, Cæsareæ episcopo, et Alexandro Hierosolymorum, ea de causa impugnavit : jure vel injuria? quæritur. Pro quo

Dico. Eviratio Origenis non fuit canonicum illius ordinationis impedimentum, illamque ea de causa injuria impugnavit Alexandrinus episcopus. Est contra Baronium.

Prob. 1° Temporibus Origenis eviratio nondum erat canonicum sacræ ordinationis impedimentum. Ergo. *Prob. ant.* Eviratio inter canonica sacræ ordinationis impedimenta primum recensita est a concilio Nicæno, can. 1, ubi sic legitur : « Si quis seipsum sanus abscidit, hunc et in clero constitutum abstinere convenit, et deinceps nullum talium promoveri. » Hoc autem concilium celebratum fuit anno 325, et obiit Origenes anno 254. Ergo. *Prob. ant.* Tum quia ante concilium Nicænum, nullibi legitur lex removens eunuchos a sacris ordinationibus; tum quia laudatus canon Nicænus dicit, *deinceps nullum talium esse promovendum.* Ergo antea promovebantur.

Perperam objicit Baronius canonem 22 Apostolorum; constat enim canones qui dicuntur Apostolorum Origenis ævo nondum in Ecclesia vim legis habuisse, imo nec notos fuisse; de quo vide Natal. Alexandr. sæc. 1, diss. 18, Cabassut. Not. Eccles. sæc. primi, digressionem 1 ad art. 1, diss. 1 de jure Unde Melionem, Sardensem episcopum, laudat Polycrates Ephesiorum episcopus, ut *eunuchus Spiritu sancto afflatum*, apud Euseb. lib. 5, cap. 24.

Prob. 2° *conclusio* ex Eusebio lib. 6, cap. 8, et S. Hieronymo in Catalogo c. 65, qui testantur Demetrium primo admiratum fuisse factum Origenis, sed postea invidia motum, propter celebrem Origenis famam, mutato animo, ejus ordinationem injuriose apud omnes orbis episcopos impugnare cœpisse. Et S. Hieronymus cap. 73 ejusdem libri, loquens de Alexandro Hierosolymitano qui Origenem ordinaverat, testatur ipsum scripsisse *ad Origenem et pro Origene contra Demetrium, eo quod juxta testimonium Demetrii eum presbyterum constituerat.* Fuit autem Alexander vir sanctissimus, divina revelatione inauguratus episcopus Hierosolymitanus.

Objicit insuper Baronius exemplum Leontii, Arriani episcopi, qui sacerdotio privatus est eo quod semetipsum evirasset, ut scribit S. Athanasius Epist. ad solit. item testimonium Photii in Biblioth. cod. 118, scribentis Origenem secus quam oporteret fuisse ordinatum. Ergo.

R. ad primum, *N. conseq.* Quia Leontius id attentavit post et contra canonem Nicænum, secus Origenes. Adde quod Leontius id egerat ut absque pudoris et famæ periculo, mulierculæ, quam deperibat, frueretur amplexibus, ut refert S. Athanasius loco cit.

Ad secundum. Testimonio Photii, qui multis sæculis posterior scripsit, opponimus testimonia Eusebii, SS. Alexandri et Hieronymi.

Inst. Lege Moysis, Deut. 23, cautum erat ne eunuchus intraret *ecclesiam Domini.* Ergo.

R. id fuisse Legis veteris præceptum non morale, sed cæremoniale, adeoque nova Lege abrogatum; sicut et aliud ibidem quo prohibetur *de scorto natus* intrare ecclesiam Domini.

DISSERTATIO XI.

DE FURTO ET RAPINA.

C. Th. Q. 66.

Q. 66. In procemio. — Postquam diximus de peccatis justitiæ oppositis per quæ infertur nocumentum proximo in persona, considerandum est de peccatis justitiæ oppositis per quæ infertur nocumentum proxi-

me in rebus exterioribus, scilicet de furto et rapina.

Ibid. a. 1. et 2. — Ante omnia, suppono hominem esse capacem dominii, eumque posita rerum divisione licite res exteriores ut propria possidere; de quo vide quæ dixi dissert 3 de subjecto et objecto dominii art. 1 et 2, et dissert. 4 de modis acquirendi dominium, art. 1.

ARTICULUS I.

Quid si furtum? quid rapina? quomodo differunt?

Ibid. a. 3. in arg. s. c. — Furtum, juxta S. Isidorum lib. x Etymol. c. 6, dicitur a *furvo*, id est, atro seu fusco; quia plerumque fit in tenebris?

Furtum dupliciter accipitur : 1° generaliter pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive sit occulta sive manifesta, sive sit rei proprie possessæ sive improprie. Et sic comprehendit non solum furtum proprie sumptum, sed rapinam, plagiatum, imo omnem injustam damnificationem; quia acceptio ponitur late pro omni injusta rei alienæ contrectatione. Sumitur 2° furtum stricte et proprie. Pro quo

Ibid. o. — *Dico* 1° Furtum stricte et simpliciter dictum, *Est occulta rei alienæ acceptio;* plures addunt, *domino rationabiliter invito.*

Ibid. ad 2. — *Explicatur.* Dicitur *acceptio*, sub qua intelligitur detentio quia detinere id quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta; et qui detinet rem alienam dum potest et debet reddere, censetur moraliter accipere : et ideo furtum committunt qui non restituunt, cum possunt et debent, mutuum, commodatum, depositum, etc. Et hæc particula *acceptio*, tenet locum generis, quia per eam furtum simplex convenit cum rapina, plagiatu, et cum omnibus aliis acceptionibus rei alienæ quæ non sunt furta.

Dicitur 2° *deceptio occulta*, nimirum respectu domini aut illorum quibus rei custodia demandata est, idque ex intentione furantis; quare si rem accipiat præsentibus aliis, aut etiam forte præsente domino, sed præter ejus cognitionem, est simplex furtum; et per hoc distinguitur a rapina, ut modo fusius dicam.

Ibid. — Dicitur 3° *rei alienæ*, id est, rei quæ sit alterius vera et propria possessio, sive interim sit illius proprietarius, sive usufructarius tantum, custos aut depositarius. Unde qui acciperet id quod est alterius non ut ejus possessio sed vel ut pars, ut si membrum amputaret, vel ut persona conjuncta, ut si auferat filiam vel uxorem, non haberet proprie rationem furti, sed vel mutilationis, vel raptus aut adulterii, si auferat ad carnaliter fruendum, vel plagiatus si ad vendendum aut possidendum, quod ultimum tamen reducitur ad furtum; imo foret proprie furtum, si persona ablata foret serva, quia est proprie possessio domini.

Ibid. ad 3. et a. 5. ad 3. — E contra vero furtum committeret saltem secundum quid, qui rem propriam apud alterum depositam aut alteri commodatam, locatam, etc. furtim acciperet; quia licet id quod accipit sit simpliciter suum, est tamen secundum quid alterius, scilicet quantum ad usum aut custodiam, sicque furtim accipiendo gravat depositarium aut commodatarium qui privatur usu rei, vel qui tenetur ad restituendum aut ad ostendendum se esse innoxium, unde peccat et tenetur ad revelandum gravamen depositarii vel commodatarii.

Ibid. — Si vero rem suam injuste detentam, puta, a fure accipiat, ipsum quidem non gravat, cum iste non possit retinere, et ideo non tenetur illi quidquam restituere : peccat tamen contra communem justitiam dum ipse sibi usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso, et ideo tenetur Deo satisfacere, et sedare scandalum si inde ortum sit.

Verum, secluso scandalo, non videtur ex hac parte grave peccatum, maxime cum usu receptum sit, inquit Sylvius, ut unusquisque rem suam ubi eam invenit accipiat, modo certus sit esse suam et inde non sequatur scandalum; quod *a fortiori* verum est, ubi rem suam recuperandi non patet via juris : de quo latius infra dum de compensationibus.

Additur, *invito domino;* et hoc majoris explicationis ergo, siquidem sub ly *occulta* comprehendatur : ideo enim fur occulte accipit, quia est res aliena et is ad quem pertinet non vult eam accipi. Additur item, *rationabiliter invito;* quia quamtumvis sit invitus, si tamen sit irrationabiliter invitus, non fit ei injuria in ablatione rei, ideoque furtum non committitur : unde non est fur qui a sæviente in hostem quantumvis

invito aufert gladium, a blasphemante chartas, a se inebriante potum; neque furatur mulier quæ a marito surripit pecunias in familiæ necessitates, aut in eleemosynas suo statui consentaneas; neque qui rem alterius in extrema necessitate accipit; quia in his omnibus dominus est irrationabiliter invitus: sic etiam non furati sunt Israelitæ, qui ab Ægyptiis invitis vasa tulerunt, mandante Deo.

Ultra furtum simplex, de quo hucusque, sunt quædam furta qualificata, quorum malitia augetur ex aliqua circumstantia; ab aliis vocantur species furti: et sunt *sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ vel profanæ in loco sacro, de quo in materia de Religione; *peculatus*, quo quis ex bonis publicis aliquid surripit aut in suos usus privatos convertit; *plagiatus*, quo quis hominem sive liberum sive servum abducit in servitutem; *abigeatus*, quo quis furatur pecora in pascuis, ad quem reducitur furtum instrumentorum necessariorum ad culturam agrorum. In hoc crimen severius animadvertit respublica, quia cum hæc necesse sit sæpe relinquere in pascuis vel in agris, horum furta non possunt nisi severiori pœna cohiberi. Idem dic de furtis domesticis. Quidam addunt *rapinam;* verum rapina non est furtum simpliciter qualificatum, nec potest dici species furti stricte sumpti, sed est species ab ipso condistincta: unde

Ibid. a. 4. — *Dico* 2° Furtum simplex et rapina sunt peccata specie distincta.

Ibid. — *Prob.* Furtum et rapina ex hoc habent rationem peccati, quod sint rei alienæ acceptiones involuntariæ ex parte illius cui res subtrahitur: atqui diversa est ratio involuntarii in furto et rapina: ergo. *Prob. min.* In furto est involuntarium negative tantum et per ignorantiam, quatenus dominus non consentit; in rapina vero est involuntarium positive et per violentiam, quatenus dominus positive resistit, aut si forte ex metu auferentis positive resistere non audeat, saltem positive dissentit. Ergo.

Dices. Furtum et rapina differunt secundum occultum et manifestum: atqui in aliis generibus peccatorum, occultum et manifestum non diversificant speciem: ergo.

Ibid. ad 1. — *R. N. conseq.* Disparitas est, quod in aliis generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo involuntario sicut in peccatis injustitiæ, in quibus involuntarium ex parte illius qui patitur injustitiam, ingreditur objectum specificum: per se autem loquendo, diversa est ratio involuntarii, dum ex aliquo res sua occulte aufertur, et diversa cum manifeste, *ut patet ex probatione conclusionis.* In rapina igitur fit, ut ita dicam, duplex violentia: una metaphorica, ipsi rei quæ clamat dominum; altera propria, ipsi domino. In furto autem prima tantum reperitur. Et ex his recte definiri potest rapina, quod sit *injusta et violenta rei alienæ ablatio.*

Ib. a. 6. o. et ad 3. — *Hinc inferes*, raptores esse 1° viarum grassatores; 2° principes qui iniquis exactionibus populum opprimunt; 3° qui operariorum mercedem defraudant, sive eam diutius detinendo, sive partem detrahendo; et illud peccatum dicitur *in cœlum clamare*, Jacob. 5; 4° dynastæ qui bona communitatis aut privatorum invadunt; 5° fœneratores; 6° qui quæ legitimæ debent reddere nolunt nisi interveniente lite, quo modo sæpe vexantur pauperes, viduæ et pupilli qui prosequendæ liti sunt impares; et hoc est oppressio pauperum, quod etiam dicitur *peccatum in cœlum clamans;* 7° ex Catechismo Rom. ad 7 præceptum Decalogi, raptoribus accensentur qui decimas et vectigalia per potentiam vel violentiam fraudant; 8° judices qui venialia habent judicia; 9° creditorum fraudatores qui dolose foro cedunt, aut solvere nolunt cum possunt; 10° qui miseros debitores solutioni impares immisericorditer urgent, et etiam pignora quæ ad tuendum eorum corpus sunt necessaria auferunt. 11° Secundum SS. Patres, etiam raptores sunt qui in frugum inopia comprimunt frumenta, faciuntque sua culpa quod carior sit annona; quod currit in omnibus rebus ad victum et vitam necessariis.

Ibid. a. 9. o. — *Dico* 3° Rapina est peccatum gravius furto.

Ibid. — *Prob.* 1° Rapina et furtum habent rationem peccati propter involuntarium quod est ex parte illius cui aliquid aufertur, ut dictum est: atqui magis est involuntarium per violentiam ut est in rapina, quam per ignorantiam ut est in furto.

Ibid. — 2° Per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus, sed etiam infertur injuria personæ illi vim inferendo,

quod fraudi et dolo quæ pertinent ad furtum, præponderat.

Ibid. ad 3. — 3° Quamvis pluribus possit noceri per furtum quam per rapinam, tamen graviora nocumenta possunt inferri per rapinam quam per furtum : unde etiam ex hoc capite est detestabilior rapina.

ARTICULUS II.

Utrum furtum sit peccatum mortale ex genere suo?

Q. 66, a. 5, o. — Omne furtum esse peccatum constat ex duplici capite : 1° quidem propter contrarietatem ad justitiam quæ reddit unicuique quod suum est; 2° ratione doli seu fraudis quam fur committit, occulte et quasi ex insidiis rem alienam usurpando : unde septimum præceptum Decalogi est : *Non furtum facies*, Exod. 20. Quantum autem sit peccatum ex genere suo, an veniale, an mortale? quæstio est.

Ibid. a. 6, o. — *Dico.* Furtum est peccatum mortale ex genere suo.

Ibid. In a. s. c. — *Prob.* 1° Zachar. 5 dicitur : *Hæc est maledictio quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur;* id est, condemnabitur. Et 1 Cor. 6 : *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ergo.

Ibid. o. et a. 5, o. — *Prob.* 2° Peccatum mortale ex genere suo est quod contrariatur charitati, secundum quod est spiritualis animæ vita : atqui furtum contrariatur charitati, item et justitiæ in quantum infert nocumentum proximo in rebus suis; et si homines passim sibi furarentur, periret humana societas : ergo furtum est peccatum mortale ex genere suo, hoc est, sistendo intra limites sui objecti.

Non enim, *quod bene advertas*, furtum dicitur peccatum mortale ex genere suo quasi sit semper peccatum mortale, potest enim fieri veniale ex multis capitibus, ut modo dicam; sed dicitur mortale ex genere suo (idem dic de aliis peccatis), quia sistendo intra limites sui objecti, absque eo quod transeat ad aliam speciem, potest esse mortale, ut accidit quando materia furti est notabilis : sicut dicitur peccatum veniale ex genere suo quod, sistendo intra lineam sui objecti, non potest esse mortale absque eo quod transeat ad aliam speciem : v. g. mendacium quantumvis sit, est semper veniale nisi superaddatur alia species malitiæ, puta, quod sit proximo perniciosum.

Potest ergo furtum quod est ex genere suo peccatum mortale fieri veniale ex multiplici capite : 1° ex levitate materiæ; 2° ex indeliberatione actus, quod tamen raro contingit quantum ad furtum exterius; 3° ex ignorantia leviter culpabili quod res sit aliena; 4° ex hoc quod dominus non sit invitus quoad substantiam rei quæ aufertur, sed quoad modum auferendi tantum, puta, quod occulte aut sine licentia auferatur; 5° ex hoc quod non sit multum invitus quoad substantiam; sicut enim si nullo modo esset invitus, non foret peccatum, ita si non sit multum invitus non erit grave peccatum. Et ex his duobus ultimis capitibus sæpe excusantur a mortali filiifamilias, domestici, religiosi qui poculenta et esculenta surripiunt; de quibus infra.

Et e contra furtum quod est leve ratione parvitatis materiæ, potest fieri mortale 1° ex intentione furandi aliquid grave, ut sis paratus furari quidquid occurrerit, aut si furando hodie quinque asses intendas sic quotidie furari, et inde ditescere, quolibet furto, quamvis secundum se levi, pecca mortaliter ratione pravæ intentionis; 2° dum præsuppositis pluribus levibus furtis comples, licet in re levi materiam sufficientem ad peccatum mortale; 3° dum ex furto rei levis sequuntur gravia incommoda quæ potuerunt et debuerunt prævideri, v. g. quod infametur tua familia, quod dominus rei in iram aut blasphemias excandescat aut mœrore conficiatur, quod ob ablatam rem suam non possit sibi necessaria comparare, ut posset contingere si in navi furareris a sartore acum, ubi aliam reperire non posset. In his tamen ultimis casibus peccatum non est mortale in ratione furti, sed in ratione vel injuriæ, vel scandali, vel injustæ damnificationis quæ proprio nomine caret. Unde si esset lata excommunicatio in furantes rem notabilem, non incurreretur in his ultimis casibus, sicut nec in primo.

Dices contra conclusionem. Proverb. 6 dicitur : *Non grandis est culpæ, cum quis furatus fuerit.* Ergo.

Ibid. a. 6, ad 1. — *R.* quod furtum dicatur illic non esse grandis culpæ duplici ratione : 1° quidem propter necessitatem inducentem ad furandum, quæ diminuit vel

totaliter tollit culpam, *ut infra patebit*, unde ibidem subditur : *Furatur enim ut esurientem impleat animam.* Alio modo dicitur furtum non esse grandis culpæ, per comparationem ad reatum adulterii : unde etiam ibidem subditur de fure quod *Deprehensus reddet septuplum... qui autem adulter est, perdet animam suam.*

Dices iterum. Peccatum, maxime mortale, non cadit sub præcepto divino ; sed Deus præcepit Hebræis furari vasa Ægyptiorum. Ergo.

Ibid. a. 5. ad 1. et 1. 2. q. 94. a. 5. ad 2. *R.* non esse furtum quod quis surripit mandante Deo, qui est supremus omnium dominus. Hæc autem dedit Hebræis tanquam mercedem laborum suorum, juxta illud Sap. 10 : *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum.*

Utrum vero qui furatus est continuo peccet donec restituat, et utrum sint plura peccata, an unum tantum continuatum, require supra art. 15 de restit. petit. 2, 3 et 4.

ARTICULUS III.

Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale?

Multi quantitatem requisitam ad furtum mortale determinant respective ad personas a quibus res auferuntur ; ita quod si quis furetur a divite, plus requiratur ut peccet mortaliter quam si furaretur a paupere. Alii eam determinant absolute independenter a paupertate vel divitiis illius a quo res aufertur. Quod hic dicemus de quantitate requisita ad furtum mortale, idem est dicendum de injusta damnificatione.

Dico 1° Probabilius nobis videtur quantitatem requisitam ad furtum mortale non esse determinandam respective ad paupertatem vel divitias personarum a quibus res surripitur, sed absolute.

Probatur. Quod persona a qua res surripitur, sit dives vel pauper, est quid extrinsecum furto : atqui nihil extrinsecum furto illud aggravat aut minuit in ratione furti : ergo. *Prob. maj.* Furtum, *ut ex ejus definitione patet*, est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino : atqui quod a divite surripiantur viginti quinque asses, non minus accipitur de re aliena quam si acciperentur a paupere ; neque dives est minus rationabiliter invitus quam pauper, quia est invitus secundum proportionem et exigentiam materiæ sicut ipse pauper : unde sistendo in ratione furti præcise, utrique fit æqualis injuria, et æquale infertur nocumentum. Quod si forte pauper videatur magis invitus, hoc non est ratione nocumenti rei ablatæ quod est intrinsecum furto, alioquin non foret rationabiliter invitus, cum foret invitus ultra proportionem et exigentiam materiæ ablatæ ; sed ratione nocumenti sequentis ex re ablata, quod est extrinsecum furto, puta, quod inde debeat esurire, magis laborare, debitis onerari, quod moveatur ad iram, blasphemiam, etc. Ergo.

Confirmatur. Si ratione nocumenti sequentis ex re ablata deberet determinari quantitas materiæ ad furtum mortale, quinquaginta aurei ablati a rege vel opulentissimo, non sufficerent ad peccatum mortale, et sex aut septem asses ablati a paupere sufficerent ; quia plus nocumenti extrinseci patitur pauper ex ablatione sex aut septem assium, quam rex aut opulentissimus ex furto quinquaginta aureorum : *falsum consequens* nec admissum ab adversariis. Ergo.

Potest tamen contingere, quod valde dives sit minus invitus respectu æqualis furti, etiam quoad damnum intrinsecum, quam pauper ; adeoque quod furtum æquale sit, respectu divitis, minus peccatum etiam in ratione furti quam respectu pauperis. Verum id accidit non præcise quia est dives, sed quia, cum sit dives, non multum curat amissionem viginti aut viginti quinque assium. Porro dixi supra, furtum ex se mortale posse minui et fieri veniale, si dominus sit tantum leviter invitus. Verum non sic semper res se habet ; experientia enim docemur divites sæpe non minori cura suis rebus invigilare quam pauperes : unde dum sunt inviti pro exigentia materiæ ut pauperes, sunt rationabiliter inviti, et furtum respectu illorum non est minus peccatum in ratione furti quam respectu pauperum.

Ex his colliges, non obstante conclusione nostra, pœnitentem teneri explicare in confessione, an a paupere vel a divite furatus fuerit : 1° propter nocumenta extrinseca quæ sequi solent ex furto respectu pauperis ; 2° quia, ut dixi, divites non sunt semper inviti sicut pauperes, etiam respectu furti in se. *Et ex his bene intellectis solvuntur objectiones.*

Dico 2° Probabile est materiam secun-

dum se sufficientem ad peccatum mortale in ratione furti, respectu cujuscumque, esse id quod est necessarium sustentationi diurnæ honesti viri, seu, ut alii dicunt, et in idem redit, stipendium diurnum boni operarii; hoc est, in his partibus, viginti aut viginti quinque asses gallici circiter.

Probatur. Quia cum materia furti non sit determinanda respective ad personas pauperes vel divites, ut dictum est, sed sit absolute gravis aut levis, videtur quod qui acciperet a paupere viginti aut viginti quinque asses circiter, in his partibus peccaret mortaliter. Ergo etiam si a quocumque auferat. Adde quod labor diurnus boni operarii, aut victus diurnus honesti viri censeatur apud vulgares quid notabile. Ergo et summa alterutri correspondens.

Confirmatur. Qui quantitatem furti mortalis metiuntur ex paupertate vel divitiis personarum, assignant plerumque nummum argenteum pro divite et decem asses pro paupere. Ergo medius inter utrumque tuto incedit qui viginti quinque circiter asses pro unoquoque assignat.

Dixi 1° in conclusione, *viginti aut viginti quinque asses in his partibus;* quia ubi frequentior est pecunia et carior annona, plus requiritur, et e contra minus ubi rarior est pecunia et vilioris pretii annona.

Dixi 2°, *viginti aut viginti quinque asses circiter;* quia hæc materia non potest mathematice determinari, sed moraliter, non secus ac pretia mercium quæ admittunt latitudinem. Et sane ridiculum foret asserere, eum qui furatur viginti quinque asses peccare mortaliter, et illum qui furatur viginti quatuor peccare venialiter. Neque mirum videri debet si difficile sit præcise discernere inter furtum mortale et veniale. Quamvis enim in Prima Secundæ statuantur regulæ quibus mortalia a venialibus generice loquendo distinguantur, si tamen quæstio sit de particularibus casibus, id, inquit S. Augustinus lib. 1 de Civit. cap. ultimo, non solum in hac materia, sed in pluribus aliis, « Difficillimum est invenire, periculosissimum definire: ergo certe usque ad hoc » tempus, cum inde satagerem, ad eorum » indaginem pervenire non potui; et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.»

Non ergo præsumant animarum directores ad singulos et individuales casus certo resolvere: Hoc est mortale, hoc est veniale, nisi id aperte constet; sed plerumque expedit cum S. Augustino suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re a pœnitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant.

ARTICULUS IV.

De furtis minutis.

Quæstio est utrum in furtis minutis possit esse peccatum mortale; quomodo et quando? Quod jam leviter attigi art. 2, et nunc accuratius est discutiendum. Pro quo

Dico 1° Qui ex intentione ditescendi seu notabilem quantitatem surripiendi, sæpe quid leve furatur, singulis furtis peccat mortaliter ratione mortalis intentionis, cujus quodlibet furtum est exsecutio continuata. Est communis et certa; non tamen tot sunt numero distincta peccata mortalia quot sunt minuta furta, sed unum continuatum; quia in una et eadem intentione mortali uniuntur; vi cujus fiunt, et cujus sunt, ut dixi, continuata exsecutio. Nisi forte fuerit revocata intentio; tunc enim toties peccaretur distincto peccato mortali, quoties revocata intentio resumeretur.

Dico 2° Qui sine intentione notabilem quantitatem surripiendi, sæpe quid leve furatur, non peccat mortaliter singulis furtis, sed ultimo quo sciens et reflectens saltem confuse ad præcedentia furta, complet materiam sufficientem ad peccatum mortale. Ita communius contra Lessium, qui negat ultimum furtum esse mortale, concedit tamen furantem ultimo peccare mortaliter, non ratione furti seu acceptionis, sed ratione detentionis summæ notabilis. Nihilominus

Prob. conclusio. Quia licet istud ultimum furtum secundum se et absolute consideratum sit leve, attamen consideratum cum habitudine ad præcedentia quibus connectitur, est quid grave, gravem nimirum complens materiam, et grave damnum inferens proximo. Ergo.

Confirmatur 1° Qui advertit se mox surripuisse a Petro viginti asses, pergit nihilominus furari quinque alios, hoc ultimo furto, quamvis in se levi, peccat mortaliter; quia, ut suppono, complet materiam notabilem, et conjungitur moraliter cum præce-

dentibus : ergo similiter qui, dum advertit se distinctis diebus furatum fuisse viginti asses, hodie alios quinque furatur.

Confirmatur 2° Juxta Lessium et rei veritatem, qui plura minuta furatur concrescentia in summam notabilem, tenetur sub mortali restituere saltem illam partem quæ constituit summam notabilem : unde hæc propositio damnata est ab Innocentio XI : « Non » tenetur quis sub pœna peccati mortalis » restituere quod ablatum est per pauca » furta, quantumcumque sit magna summa totalis : » est 38. Atqui cujus detentio est mortalis, ejus ablatio fuit aut saltem potuit esse mortalis. Ergo.

Dices. Plura peccata venialia nunquam faciunt mortale. Ergo.

R. Neque in nostra sententia plura peccata venialia facere mortale, sed ultimum furtum quod secundum se est veniale, ut conjunctum præcedentibus, fit mortale : neque id solum verum est in materia furti, sed et in recitatione Horarum, in observantia jejunii, et in omnibus illis materiis in quibus actus multiplicati habent connexionem in materia aut in effectu secuto.

Replicabis. Furtum ultimum est ejusdem rationis cum præcedentibus, nec plus quam illa nocet. Ergo.

R. ant. esse verum si istud furtum consideretur seorsim et ex objecto, secus si consideretur ex circumstantia, nempe ut præsupponens priora et cum illis junctum ; sic enim complet materiam notabilem, et infert grave damnum, quod præcedentia non faciunt.

Dixi in conclusione, *quo sciens et reflectens saltem confuse ad præcedentia furta ;* quia si nullatenus adverteret, non peccaret mortaliter ultimo furto, quia non conveniretur velle furari aut detinere summam notabilem, et ultimum furtum non censeretur formaliter connexum cum præcedentibus. Si tamen postea advertat se surripuisse summam notabilem, peccabit mortaliter ratione injustæ detentionis, nisi statim restituat aut proponat restituere prima opportunitate.

Petes utrum qui completa materia notabili per ultimum furtum, puta per nonum, aliud decimum, etiam leve adjicit, peccet adhuc mortaliter hoc decimo furto ?

R. Quidam negant, quia volunt hoc decimum furtum non complere materiam notabilem, quæ jam est completa per nonum, sed vel inchoare novam summam gravem, vel præjacentem leviter tantum aggravare. *Alii affirmant*, quia dicunt materiam notabilem non compleri terminative per nonum furtum, sed compleri per quodcumque furtum adjectum : sicut, inquiunt, qui comedit pluries carnes die vetito, non solum peccat mortaliter quando pervenit ad quantitatem notabilem, sed etiam quoties postea comedit carnes quamvis in parva quantitate. Cæterum pro praxi conveniunt utriusque sententiæ patroni, hunc peccare mortaliter decimo furto, ratione intentionis quam censetur innovare, detinendi injuste summam notabilem.

Sed quid si expresse illam intentionem excludat, formando propositum restituendi prima opportunitate priora furta ? Eadem quæstio fieri potest de nono furto primum complente materiam notabilem.

R. rarum admodum esse ut qui nunc furatur quinque asses, habeat de facto sincerum animum restituendi viginti quos prius furatus est. *Sed hoc dato*, videtur quod neque per nonum neque per decimum furtum peccet mortaliter, quia per sincerum restituendi propositum videtur abrupta continuatio furtorum præcedentium cum sequenti, ita quod non censeantur amplius connexa formaliter, nec materia sequentis furti censeatur accrescere præcedenti, sed manere per se sola et venialis. *Neque dici potest* quod peccet mortaliter ratione saltem injustæ detentionis, siquidem, ut suppono, habeat propositum restituendi prima opportunitate priorem summam.

Dico 3° Utraque conclusio præcedens vera est, etiamsi quis a diversis minuta furetur ; major tamen tunc requiritur quantitas ad peccatum mortale quam si furaretur ab uno tantum.

Quantum ad primam partem, nempe eum qui ex intentione ditescendi aliquid leve furatur sæpius a diversis, peccare mortaliter singulis furtis, videtur extra dubium, cum hæc minuta furta participent malitiam mortalem intentionis ex qua profluunt et cujus sunt exsecutio, ut dictum est. *Confirmatur* 1° Quia alioquin caupones aliive mercatores, qui diversis vendunt merces adulteratas, aut sive emendo sive vendendo utuntur ponderibus et mensuris falsis, non peccarent mortaliter, contra expressa sacræ Scripturæ testimonia, Prov. 11 : *Statera do-*

losa abominatio est apud Deum; et Deut. 25 : *Non habebis in sacculo diversa pondera majus et minus... abominatur enim Deus eum qui hoc facit. Confirmatur* 2°. Si talis modus ditescendi graviter non prohiberetur, sequeretur eversio reipublicæ et societatis humanæ, dum omnes absque scrupulo peccati mortalis, neglectis artibus et commerciis, huic uni ditescendi medio vacarent.

Itaque furti mortalis accusandi sunt non solum caupones et mercatores de quibus supra, sed etiam operarii qui materias operum sibi traditas solent sibi retinere, prodigere, vendere, donare, maxime sartores quibus familiare dicitur fragmenta panni adhuc pretio æstimabilia, et non pro derelictis habita, sibi reservare; item qui solent extorquere nimium stipendium, aut infra illud parcere labori.

Quantum ad secundam partem, eum scilicet qui seclusa intentione ditescendi furatur minuta a diversis, peccare mortaliter ultimo furto complente materiam notabilem, videtur communior cont. Navar. in Man. cap. 17, n. 139, et Toletum.

Ratio est, 1° quia ille revera rem notabilem surripit etsi a diversis; 2° quia licet illa minuta furta non noceant graviter singulis seorsim sumptis, graviter tamen nocent omnibus collective sumptis, et hoc sufficit ut peccet mortaliter. *Confirmatur.* Qui ex cumulo conflato ex plurium granis simul et semel furaretur plures modios tritici, peccaret indubie mortaliter, et tamen non noceret graviter singulis seorsim sumptis, sed omnibus collective sumptis, seu multitudini damnificatorum. Ergo similiter in nostro casu.

Quantum ad tertiam partem, nempe tunc majorem requiri quantitatem ad furtum mortale quam si surriperetur ab uno, *patet,* quia tunc omnes et singuli domini non tam grave damnum patiuntur, ideoque sunt minus inviti.

Similiter plus requiritur quando quis ab eodem diversis vicibus et per intervalla furatur, quam si simul et semel, eadem ratione quod damnum sic interpolatum vix sentiat dominus, ideoque minoris illud æstimat, estque minus invitus.

Neque refert quod, qui a diversis, vel ab eodem per intervalla surripit viginti quinque asses, tantum retineat de alieno quam si simul et semel ab eodem surriperet; quia quamvis sit æqualis summa, minoris tamen æstimatur, ut dixi, et ideo circa illam minus est invitus dominus.

Imo potest tantum esse intervallum inter minuta furta, sive eidem sive diversis facta, ut moraliter loquendo non censeantur connexa, nec proinde quantumvis multiplicata componant gravem materiam : ut si hoc anno fureris quinque asses, anno sequenti iterum quinque, et sic annis sequentibus usque ad summam notabilem; non ideo peccabis mortaliter ultimo furto, quia, propter nimiam interpolationem, non censetur moraliter conjunctum cum præcedentibus, nec dominus circa totam summam censetur graviter invitus. Ita plures theologi. Cæterum suppono semper abesse animum per illa minuta furta ditescendi.

Quæ vero major quantitas requiratur ad furtum mortale quando minuta surripiuntur a diversis, aut ab eodem per intervalla? quidam requirunt duplum, alii plus, alii minus; nos judicio prudentum remittimus, attentis temporum intervallis majoribus vel minoribus, læsarum personarum multitudine et aliis circumstantiis.

Petes utrum qui summam notabilem per minuta furta accepit, teneatur sub mortali totam restituere.

R. negative, sed ut sit immunis a peccato mortali injustæ detentionis, sufficit restituere id quod complet materiam requisitam ad furtum mortale; quia hoc restituto, non est sufficiens materia furti aut detentionis mortalis. Meminerint tamen confessarii obligare pœnitentes ad restitutionem omnium etiam minimorum furtorum sic enim a majoribus efficacius deterrentur. Quomodo autem furtorum minutorum dum fiunt diversis, sit facienda restitutio, dixi de rest. in genere a. 14, § 2.

Altera et specialis difficultas posset hic proponi, an dum plures per minuta furta grave damnum alicui inferunt, singuli peccent mortaliter, et teneantur sub mortali suum leve furtum restituere : pro quo vide de restit. in genere art. 13, § 6, n. 3 et 4.

ARTICULUS V.

De furtis parentum, filiorum, conjugum, religiosorum et domesticorum.

Suppono ex hucusque dictis, duo inquiri ad rationem furti mortalis, scilicet quantitatem notabilem rei alienæ, et quod dominus sit rationabiliter invitus. Potest autem

dominus esse invitus vel quoad substantiam rei acceptæ, quia non vult absolute ea privari; vel quoad modum acceptionis, quia licet consentiat ea privari, displicet tamen modus acceptionis, puta, quod clam et sine licentia accipiatur; sic censetur invitus, qui rogatus annueret; quo casu accipiens, nec fur committit nec regulariter peccat mortaliter.

Dico 1° Furti lethalis rei sunt cum onere restituendi: 1° parentes qui ex bonis quorum filii habent dominium et admininistrationem, ut sunt castrensia et quasi-castrensia, partem notabilem ipsis invitis surripiunt; quia revera rem alienam surripiunt invito rationabiliter domino. *Neque dicas* filios nunquam esse invitos respectu parentum; id enim plerumque falsum est, licet forte filii ex metu reverentiali contradicere non audeant.

Ex 4. d. 5. q. 2, a. 5, q. 2, ad 1, et hic q. 32, a. 8, o. et ad 3. — 2° Filiifamilias qui quantitatem notabilem ex bonis familiæ surripiunt aut dilapidant; quia bonorum patris non sunt actu domini, sed in spe tantum; seu, ut dicit S. Doctor, quamvis filiusfamilias sit hæres, non tamen est dominus rerum. Unde Prov. 18 dicitur: *qui subtrahit aliquid a patre suo et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ.* Tenentur ergo filiifamilias sic ablata restituere parentibus; quod si non possint, tenentur ea computare in partem suæ hæreditatis, nisi constet alios cohæredes tantumdem surripuisse, aut patrem de facto remisisse; non enim sufficit, ut quidam dicunt, quod rogatus remisisset, sed requiritur quod reipsa remiserit, et etiam quod remittere potuerit absque injuria aliorum filiorum, hoc est, salva eorum portione legitima.

Hinc inferes, graviter esse culpandos atque restitutioni obnoxios filiosfamilias, non solum dum pecunias aut mobilia a parentibus surripiunt, pretium mercis venditæ aut partem retinent, debita a parentibus solvenda contrahunt, a debitoribus parentum quæ debent extorquent, etc. sed etiam dum missi ad studia aut ad aliquam artem addiscendam, pecunias sibi traditas ad libros comparandos, ad pensionem solvendam, ad theses propugnandas aliaque necessaria, expendunt in compotationes, scortationes, lusus et alia illicita vel vana; præsertim si parentes sint mediocris fortunæ, et parce vivant ut filio promovendo subvenire possint: quod addo; quia si parentes sint opulenti et multa in prolium educationem profuse expendere soleant, juxta quosdam auctores, non præsumuntur imponere filiis suis strictam obligationem justitiæ eas pecunias secundum finem præfinitum expendendi, neque stricte eos obligare ad restitutionem: *quod patet* ex eo quod si ultra concessas pecunias et in superfluos usus expensas, ulterius debita contrahant, ea soleant solvere parentes, et pecuniarum male expensarum restitutionem remittere.

Cæterum *adverte*, filios familias habere jus ad necessaria victui et amictui; quæ si parentes avari recusent, possunt filii absque peccato accipere: caveant tamen ne sibi mentiatur iniquitas, et ne vanitates aut cupedias pro necessariis reputent.

3° Maritus qui de bonis paraphernalibus aut dotalibus uxoris aliquid notabile detrahit aut dissipat invita uxore; quia paraphernalia sunt uxoris quoad dominium et administrationem, et dotalia quoad dominium: unde his potest maritus uti et frui, quia horum habet administrationem et usum, sed salva eorum substantia.

Quantum vero ad bona communia, cum secundum jus commune uxor habeat dominium medietatis, illi injurius est maritus et restitutioni obnoxius si illa prodige dissipet. Habet quidem omnium administrationem, et consequenter jus illa vendendi, de illis contrahendi, lucro vel amissioni exponendi in negotiationibus, at non donandi, dissipandi et dilapidandi, imo nec pro magna quantitate ludo exponendi invita uxore, quia quamvis ludus sit contractus ad lucrum vel jacturam, ut aliæ negotiationes, experientia tamen constat aleatores plerumque ad mendicitatem redigi; unde uxor est rationabiliter invita. Ita, inquam, attento jure communi; sed huic juri videtur derogare consuetudo Leodiensis cap. 1, n. 1, ubi statuitur quod « maritus per matrimo-» nium fiat absolute dominus omnium bo-» norum mobilium et immobilium uxoris, » et omnium acquisitorum durante matri-» monio; ipsumque habere potestatem de » iis disponendi inter vivos tanquam de pro-» priis absque consensu uxoris, nisi aliter » conventum fuerit. »

Ibid. q. ad 1. — 4° Uxor quæ absque con-

sensu saltem præsumpto mariti, aliquid notabile surripit de bonis familiæ; quia licet, ut dixi, habeat dominium dotalium et medietatis communium, horum tamen omnium administrationem et usumfructum habet maritus. Nec refert quod pupillus sub tutore surripiens aliquid de bonis propriis non sit reus furti; disparitas est enim, quod tutor habeat administrationem bonorum pupilli non in suum, sed in pupilli commodum : at maritus habet administrationem bonorum communium et dotalium, non tantum in commodum uxoris, sed etiam in suum commodum et totius familiæ cujus cura ipsi incumbit; unde tali surreptione læditur jus mariti : restituet autem uxor meliori quo poterit modo, sicut diximus in casu adulterii.

Sunt tamen plures casus in quibus uxor disponens de bonis familiæ non peccat : 1° si bona administret et familiam regat, sive consentiente marito, sive absente, sive ægroto, sive amente, sive inepto, vel alia de causa impedito; quo casu ipsa potest quod ipse : 2° si clam accipiat de bonis familiæ ad solvenda debita, ad sustentationem et decentem statum familiæ, ad honestas recreationes, eleemosynas, donationes maxime remunerativas suo statui proportionatas, et secundum probatam consuetudinem fœminarum suæ conditionis, ad avertendum familiæ vel mariti damnum sive temporale, ut fecit Abigail, 1 Reg. 25, vel spirituale, ad succurrendum præter consuetas eleemosynas, parentibus, prolibus ex primo matrimonio, fratribus et sororibus indigentibus; quia in his omnibus maritus foret irrationabiliter invitus, repugnante nimirum recta ratione et jure divino quo mulier data est non in servam sed in adjutorium viri, atque assumpta in societatem conjugalem, propter quod non de capite neque de pedibus viri formata est, sed de latere, inquit S. Aug. de Bono conjugali, cap. 1.

Ibid. q. 4. et hic q. 32 a. 8. ad 1. — 5° Religiosi non solum reatum furti lethalis, sed et proprietatis contra votum incurrunt, si de bonis communitatis aliquid grave surripiant, aut ex sibi donati retineant invito prælato; quia licet sint monasterii partes ac membra, sunt tamen per votum paupertatis omnis proprietatis incapaces : et ideo quidquid surripiunt, consumunt, donant aut retinent invito prælato, furtum est et actus proprietatis.

6° Tantum domestici furtum etiam mortale committunt et tenentur ad restitutionem, dum aliquid notabile ex bonis dominorum accipiunt; quia accipiunt alienum invito rationabiliter domino, et eo gravius peccant quod res domesticæ eorum custodiæ ac fidelitati sint commissæ.

Notandum tamen quod tam domestici quam religiosi et filii familias regulariter excusentur a mortali, dum modica et communia esculenta aut poculenta in proprios usus accipiunt, etiamsi successive perveniant ad summam quæ in rebus permanentibus sufficeret ad peccatum mortale; quia respectu talium furtorum domini, parentes aut prælati non censentur regulariter inviti quoad substantiam, sed quoad modum tantum, quandoquidem regulariter concederent si peterentur.

Dixi, *regulariter;* quia contrarium potest contingere, cum id pendeat ex voluntate dominorum. Quapropter si voluntatem contrariam explicent, aut si præsumatur, illi standum est.

Dixi etiam, *modica, communia in proprios usus;* quia si surriperent simul et semel magnam quantitatem, aut successive quidem, non tamen in actualem usum, sed in futurum reservanda; item si sumerent ad dandum aliis vel vendendum; item si pretiosa et dominis reservata, ut in his partibus vinum, peccarent mortaliter cum onere restituendi, cum pervenerint ad eam quantitatem quæ in aliis rebus sufficeret ad mortale : quia in his censetur pater, dominus, aut prælatus rationabiliter invitus non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam. Idem censeo si furta hæc quantumvis modica, ita multiplicentur et enormiter excrescant, ut in admodum grave familiæ vel communitatis detrimentum vergant : unde a mortali non videtur excusandus famulus, religiosus aut filiusfamilias, saltem mediocris conditionis, qui quotidie furaretur in esculentis aut poculentis valorem quatuor vel quinque assium.

Dico 2° In furtis qualibuscumque parentum, filiorumfamilias et conjugum, major requiritur quantitas ad peccatum mortale quam in furtis extraneorum. Quia parentes respectu filiorum, propter in eos amorem et pietatem, filii respectu parentum

similiter, propter in eos pietatem, amorem et observantiam; maritus respectu uxoris, uxor respectu mariti, propter mutuum amorem et obsequium, minus sunt inviti ac involuntarii quam si res suæ ab extraneis surriperentur, nec volunt ita stricte jus suum servari respectu talium quam respectu extraneorum. Quod si quandoque videantur graviter succensi, præsertim parentes in filios, plerumque id accidit non tam ratione rei acceptæ quam modi vel abusus. Adde quod filii sint in spe domini bonorum paternorum, et ut uxores habeant actu dominium medietatis bonorum familiæ.

Porro quæ requiratur in his quantitas ad furtum mortale? varii variam assignant: nos ut ante existimamus id esse remittendum judicio viri vel confessarii prudentis, qui attentis circumstantiis liberalitatis vel avaritiæ, amicitiæ vel alienationis, opulentiæ vel paupertatis illius a quo res surripitur, item meritorum vel demeritorum illius qui surripit, aliisque similibus circumstantiis, judicare poterit an et quando rei dominus sit vel non sit, sit plus vel minus invitus. Cæterum generaliter loquendo, non pnto a vero aberrare eos qui dicunt in his furtis ad peccatum mortale requiri duplo magis quam in furtis extraneorum.

Quidam idem censent de furtis domesticorum et religiosorum. Verum si loquamur non de usu consumptibilibus, ut sunt poculenta et esculenta de quibus supra, sed de rebus permanentibus, ut sunt pecuniæ, supellectilia et similia, non video qua ratione in his requiratur major quantitas saltem pro domesticis quam pro extraneis; quia domestici nullum habent jus sive in re sive in spe ad illas res. Insuper jam notavi, res domesticæ sunt illorum fidelitati et custodiæ commissæ, ita quod illorum furtis vix obviare possit dominus: unde gravius puniuntur furta domestica quam extranea, et consequenter dominus censendus est ad minus æque invitus circa illa ac circa extranea.

Quantum ad religiosos major est difficultas; quia ex una parte sunt in monasterio quasi filiifamilias, imo sunt communitatis, ad quam pertinent bona, partes et membra. Sed ex altera parte propter votum paupertatis nunquam erunt illorum bonorum domini, sicut filiifamilias, etsi tanta in eis requiratur quantitas quanta requiritur in filiisfamilias, cum plures soleant esse in monasteriis, gravi bonorum communium dissipationi janua aperiretur; quibus de causis probabile est prælatum non esse minus invitum respectu illorum quam respectu extraneorum.

Pro coronide *petes* quid sit censendum de famulis villicorum qui ovibus, jumentis, bobus, etc. plus alimenti tribuunt quam taxaverit dominus? *R.* si meliorentur pecora proportionate ad damnum quod patitur dominus ex augmento alimenti, non esse arguendos peccati mortalis, neque adstringendos ad restitutionem; secus si inde grave damnum patiatur dominus.

ARTICULUS VI.

Utrum alicui liceat furari propter necessitatem?

Hic q. 66. a. 7. o. et ad 2. — *Nota.* Cum furtum sit intrinsece malum, nullo unquam casu est licitum: unde dum quærimus cum Auctore utrum liceat furari propter necessitatem, est impropria locutio, posito furto proacceptione rei alienæ: igitur sensus quæstionis est, utrum liceat accipere alienum propter necessitatem?

Triplex autem distinguitur necessitas: extrema, in quia vita periclitatur; gravis, in quia periclitatur; sanitas aut status; communis, quam passim pauperes patiuntur. De hac ultima non est difficultas; propter illam enim non licere surripere alienum omnes conveniunt.

Ibid. et ad 3. — *Dico* 1° Licet accipere alienum sive occulte sive manifeste ad subveniendum extremæ necessitati propriæ vel alienæ. Ita communiter cum Auctore.

Prob. Cum jure naturæ omnia sint communia, et unusquisque habeat jus conservandi vitam per res temporales quas Auctor naturæ in hunc finem creavit, non censentur homines huic juri naturali renuntiasse per bonorum divisionem quam ad pacem servandam induxerunt: unde in extrema necessitate, ubi agitur de vita, omnia iterum sunt communia, et qui in ea constitutus accipit de alieno, accipit quod suum est; seu melius, accipit quod ex communi facit esse suum accipiendo, sicut contingebat ante bonorum divisionem; sicque non committit furtum proprie loquendo: quinimo vi auferre posset, et dominum se opponentem moderata defensione repellere.

Excipe tamen casum quo dominus ipse foret etiam in extrema necessitate; tunc enim melior foret conditio possidentis.

Quod autem hoc etiam sit licitum pro necessitate extrema alterius, *patet;* quia quod ipse potest per se, potest per me. Suppono quod non possim ex propriis subvenire, alioquin non possem nisi injuste aliena rapere.

Petes 1° utrum qui petendo vel mendicando potest suam extremam necessitatem sublevare, possit alienum surripere?

R. negative. Quia non videtur quod jus naturale concedat facultatem surripiendi alienum, nisi quando quis non potest aliter sibi subvenire; si enim possit, non censetur extrema necessitas, nisi velis pati extremam necessitatem omnes illos mendicantes qui nisi mendicarent fame perirent.

Existimat tamen Lessius, et post ipsum quidam alii, quod, secluso scandalo, sit tantum peccatum veniale surripere in hoc casu alienum, quia, inquit, est tantum inordinatio in modo; sive enim concedat dominus, sive non concedat, extreme indigens potest accipere, ideoque dominus non potest esse invitus quoad substantiam, sed quoad modum tantum. Id quidem verum est si talis instet necessitas, ut non sit locus ab alio petendi cum spe probabili obtinendi. Sed in uno recusante necessitas patiatur alios adire, etiam ostiatim mendicando, non video quomodo possit dici extrema necessitas qua quis cogatur alienum surripere ut vitæ consulat.

Scio plures aliter sentire de viro nobili aut honorato quem multum dedecet mendicare : at eorum sententia nobis videtur periculosa in praxi. Rari sunt qui non sibi valde indecorum reputant mendicare, unde multiplicarentur fures et furta in destructionem reipublicæ et tranquillitatis communis. Videtur etiam minus vera; quia istud dedecus non facit extremam necessitatem, propter quam vitandam liceat alienum rapere.

Petes 2° utrum ablata in extrema necessitate sint restituenda?

R. 1° Si res ablata adhuc existat, indubie est restituenda; quia necessitas extrema non confert jus ad rem alienam nisi in quantum est necessaria ad illam sublevandam. Unde si ad vitandam mortem intentatam usus es equo alieno, transacta necessitate, debes illum restituere.

R. 2°. Res ablata et consumpta in extrema necessitate, ut panis, vinum, etc. non est restituenda si indigens erat simpliciter pauper, etiamsi ad pinguiorem fortunam perveniat. Secus si erat tantum pauper secundum quid. Est communis. Voco pauperem simpliciter qui neque actu habet bona hic aut alibi, neque est in potentia propinqua ad habendum; pauperem secundum quid, qui, licet non habeat hic bona quibus juvari nunc potest, habet tamen alibi, aut est in potentia propinqua ad habendum per artem aut exspectatam hæreditatem.

Prob. prima pars. Quia iste indigens usus est jure suo et rei acceptæ quatenus erat sibi necessaria, dominium, eam occupando, acquisivit : unde non tenetur illam restituere, neque ratione rei acceptæ, quia amplius non est; neque ratione acceptionis, quia non accepit per viam mutui aut alterius contractus onerosi; neque per delictum, sed ut quid commune quod accipiendo fecit suum. Ergo.

Confirmatur. Si talis indigens peteret a divite quod ipsi necessarium est in extrema necessitate, dives teneretur omnino gratis dare absque obligatione restituendi in posterum, ut nunc suppono ex dictis de eleemosyna : ergo non est cur pauper talem obligationem sibi imponat; Et eo magis quod alioquin improbitas divitis denegantis extreme indigenti subsidium, ipsi foret utilis, ipsumque redderet melioris conditionis et pauperem pejoris : quod non est admittendum.

Prob. secunda pars. Quia in extrema necessitate bona non sunt communia nisi in quantum sunt necessaria ad subveniendum necessitati : atqui in casu quo is qui patitur extremam necessitatem non est simpliciter pauper, sufficit ejus necessitati ut accipiat alienum per modum mutui cum obligatione restituendi, nec dives tenetur aliter illi dare : ergo censendus est sic accipere.

Si dicas hac ratione etiam probari simpliciter pauperem teneri restituere, quia etiam sufficienter subvenitur ejus necessitati, si accipiat aut detur per modum mutui. *R. N. assumptum et ejus probationem;* quia simpliciter indigenti tenetur dives

succurrere per eleemosynan sine ullo ejus gravamine : tunc enim, aut nunquam, urget præceptum eleemosynæ ; secus si secundum quid tantum indiget. Sicut ergo a ratione foret alienum atque inhumanum, si dives extreme indigenti qui nec re nec spe quidquam habet, erogare eleemosynam sub conditione reddendi si aliquando dives evadat : ita rationi repugnat atque inhumanum est cogere talem pauperem ea quibus in extrema necessitate indiget, accipere sub onere restituendi. Uno verbo, pauper in primo casu est simpliciter in extrema necessitate, non in secundo. Et hinc resolves, copias quæ urgente fame surripiunt panes omnium pistorum alicujus civitatis, teneri acceptis stipendiis eos solvere, aut ducem pro illis.

Utrum autem qui rem ante necessitatem extremam furto abstulit, et in extrema necessitate consumpsit, teneatur eam restituere ? Require supra de restit. in genere, art. 2, petit. 2.

Dico 2° Non licet accipere alienum in necessitate indefinitive gravi ; sed committitur arbitrio unius cujusque dispensatio propriorum rerum, ut ex illis subveniat gravem necessitatem patientibus.

Est nunc communis post damnatam ab Innoc. XI hanc propositionem : *Permissum est furari, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.*

Ibid. ad 3. — *Prob.* insuper ex cap. *Si quis* 3 de Furto : « Si quis propter necessi- » tatem famis aut nuditatis furatus fuerit » cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres. » Quem canonem S. Thomas et cum eo alii interpretantur de necessitate quæ non sit extrema.

Prob. ratione. Quia ex unanimi doctorum sententia et constante sensu Ecclesiæ, in sola extrema necessitate et non in gravi, omnia sunt communia. Et hujus *ratio est,* quod licet homines, introducendo divisionem bonorum, non renuntiaverint juri naturali ex eis conservandi vitam in extrema necessitate, quia vita est bonum inter naturalia præstantissimum, et iste casus, utpote rarus, non est obnoxius inconvenientibus de quibus modo, attamen non potuerunt non renuntiare juri succurrendi ex eis gravibus necessitatibus, propter frequentes et graves abusus , ai ex illo jure servato sequerentur contra bonum commune et pacem inter homines : cum enim frequentes sint qui patiuntur gravem necessitatem, et qui non patiuntur facile fingent aut credent se illam pati, omnia furtis et furibus replerentur, si in tali casu liceret alienum rapere ; ita ut divisio rerum, quæ fuit introducta propter tranquillitatem communem, huic fini non solum esset inutilis, sed prorsus exitiosa.

Dixi, *in necessitate indefinite gravi*, quia sunt necessitates adeo graves, alii vocant gravissimas, ut vel extremam proxime attingant, vel in extremam facile desinant, vel extremæ moraliter loquendo æquivaleant, ut sunt dura servitus, durus et diuturnus carcer, gravior morbus, pœna triremium et similia, in quibus probabile est licere sibi per alienum succurrere ; quia cum hæ necessitates non sint frequentes nec facilis abusus, ut sunt communiter graves, non est cur jus gentium inducens divisionem bonorum derogaverit juri naturali, his necessitatibus sicut extremis succurrendi per res temporales. Ita Sylvius et Less. post. Angel. Navar. Petrum Navar. Sylvest. Vasquem et alios ; hancque sententiam refert Perfector Tournely ex Florentio Decoq, nec impugnat. Neque timendum est ne incurrat in propositionem damnatam ; tum quia propositio damnata loquitur de necessitate indefinite gravi ; tum quia necessitas de qua loquimur moraliter loquendo æquivalet extremæ ; fateor tamen in his contracto freno esse incedendum, ne detur locus abusibus.

A. 6. ad 1. — Cæterum videtur certum, necessitatem quamcumque gravem saltem minuere peccatum, et eo magis minuere quo gravior est. Ita etiam S. Raymundus lib. 2, tit. 6, § 6. « Si autem, inquit, non » patitur ita magnam, peccat ; attenuatur » tamen peccatum propter necessitatem, et » in tali sensu intelligitur decretalis *Si* » *quis*, etc. » Unde secundum Layman, non facile damnantus est peccati mortalis, qui a divite, præsertim ante rogato, clam aufert quod ad gravem suam necessitatem necessarium est, cum tunc dominus debeat esse minus invitus.

Insuper adverte, pauperes gravem necessitatem patientes, posse recurrere ad judices sive ecclesiasticos sive civiles, qui sua auctoritate cogant divites ad eleemosynas ; quia, ut docet Navar. obligatus naturali æquitate

aut sola charitate ad faciendum aliquid, ad id judicis officio compelli potest.

Item adverte quod, licet gravis necessitas non sufficiat ad surripiendum alienum, sufficit tamen ad differendam restitutionem, quia strictius obligat præceptum negativum non furandi quam positivum restituendi, ut dixi de restit. in genere.

Dices contra conclusionem. S. Thomas non distinguit inter necessitatem. Ergo.

R. N. ant. Postquam enim S. Doctor dixit generaliter, res temporales a divina providentia esse ordinatas, ut per illas subveniatur hominum necessitatibus; postea exponit diversos modos subveniendi secundum diversas necessitates; ait enim : — A. 7. c. — « Sed quia multi sunt necessitatem patien» tes, et non potest ex eadem re omnibus » subveniri, committitur arbitrio uniuscu» jusque dispensatio propriarum rerum, ut » ex eis subveniat necessitatem patienti» bus. » En pro necessitate gravi et communi. Deinde immediate subjungit : « Si » tamen adeo sit evidens et urgens necessi» tas, ut manifestum sit instanti necessitati » de rebus occurrentibus esse subvenien» dum, puta, cum imminet personæ peri» culum, et aliter subveniri non potest » (*quod est extrema necessitas*), tunc licite » potest aliquis ex rebus alienis suæ neces» sitati subvenire sive manifeste sive occulte » sublatis, nec hoc proprie habet rationem » furti vel rapinæ. » Et adhuc clarius ad 2 : « Uti re aliena, inquit, occulte accepta in » casu necessitatis extremæ, non habet ra» tionem furti proprie loquendo, quia per » talem necessitatem efficitur suum id quod » aliquis accipit ad sustentandam propriam » vitam. » Ubi vides S. Doctorem ad casum solum extremæ necessitatis restringere jus surripiendi alienum, eo quod tunc solum omnia sint communia.

Repones, juxta S. Thomam ibidem : *Res quas aliqui superabundanter habent, ex jure naturali debentur pauperum sustentationi :* atqui id verum est non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate : ergo pauperes in gravi necessitate possunt illas accipere.

R. 1° *argumentum nimis paobare. Major* enim est vera non solum in extrema et gravi, sed etiam in communi necessitate ; unde sequeretur quod pauperes communes possent aliena rapere. Igitur.

R. 2° *D. maj.* Superflua debentur pauperibus jure naturali charitatis et misericordiæ, *C. maj.* jure justitiæ, *N. maj.* Et ideo pauperes non habent jus strictum justitiæ illa surripiendi ut sua, sicut habent in extrema necessitate in qua omnia sunt communia ; sed, ut ait S. Thomas, committitur arbitrio domini ut illa dispenset : consequenter sunt rationabiliter inviti quantum ad hoc, quod sine eorum consensu surripiantur a pauperibus; seu aliis terminis, tenentur divites dare pauperibus, sed non tenentur consentire ut ipsi propria auctoritate capiant, et quantum ad hoc sunt rationabiliter inviti.

ARTICULUS VII.

Utrum compensationes seu recuperationes occultæ sint licitæ?

Jam dixi supra art. 2 de restit. in genere, duplicem esse compensationem : unam proprie dictam, quando ex utraque parte est debitum : v. g. debeo tibi centum pro panno, tu mihi debes centum pro vino ; retineo centum quæ tibi debeo pro centum quæ mihi debes : vocatur in jure *debiti et crediti inter se contributio ;* hanc esse licitam dixi loco supra citato.

Altera compensatio improprie dicta, nihil aliud est quam recuperatio rei vel debiti quam facit is qui nihil debet suo debitori : v. g. debes mihi viginti aureos, totidem a te clam surripio. Furatus es meum equum, eumdem occulte recupero, aut tuum occupo. De hac quæritur utrum sit licita. Et quamviis videatur quædam distinctio facienda inter rem adhuc exstantem et debitum simplex, auctores tamen non distinguunt, et indiscriminatim statuunt compensationes occultas esse licitas vel illicitas.

Q. 66. a. 3. ad 3. et a. 5. ad 3.—*Dico* 1° Compensationes seu recuperationes occultæ, sive rei adhuc exstantis, sive debiti, per se loquendo sunt illicitæ.

Ibid.— *Ratio est*, quia qui occulte accipit rem suam (idem dic de debito), apud alium injuste detentam, peccat contra communem justitiam dum ipse sibi usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso, et ideo tenetur Deo satisfacere et uare operam ut scandalum proximorum, si inde ortum fuerit, sedetur.

Ibid.—Quia tamen hæc iniqua rei meæ possessio nihil juris tribuit injusto deten-

tori, quin potius ejus conditionem pessimam reddit, cum illum in continuo statu peccati detineat, sequitur quod sic accipiendo rem meam non gravem detentorem, nec peccem peccato furti, et consequenter non tenear ad restitutionem.

Nec obstat quod idem S. Thomas art. 3 cit. ad 3, dicat, *id quod est per rapinam ablatum, esse rapientis... quantum ad detentionem.* Nihil enim aliud hac phrasi significatur, quam quod raptor teneatur rem raptam detinere et custodire ut eam opportune reddat domino, et quod nemo possit auctoritate privata eam auferre quin violet ordinem juris, ut dictum est: excipe nisi sit res parvi momenti; de minimis enim non curat prætor.

Cæterum, sistendo in hac sola violatione ordinis juris, forte non reputaretur graviter illicita compensatio occulta, quia hæc violatio præcise non videtur gravis inordinatio. Quia tamen interveniunt plerumque aliæ graves inordinationes, nimirum scandalum, infamia, perturbatio reipublicæ, periculum frequentis abusus contra bonum commune, periculum duplicis solutionis pro eodem debito, etc., ideo regulariter loquendo, compensatio occulta debet censeri graviter illicita. At quæstio est utrum per accidens positis certis conditionibus, abstergi possint hæ inordinationes, et compensatio occulta fieri licita? pro quo

Dico 2° Recuperationes seu compensationes occultæ, positis certis conditionibus sunt licitæ, raro tamen exercendæ aut consulendæ, quia raro concurrunt omnes conditiones requisitæ.

Porro hæ conditiones sunt 1° ut constet rem esse tuam, aut tibi debitum ex justitia; si enim esset dubium, non posses uti compensatione, quia in dubio melior est conditio possidentis: similiter si tantum ex gratitudine vel charitate esset debita. 2° Ut non possis rem tuam vel debitum recuperare petendo, aut via juris, sive propter nimiam potentiam aut iniquitatem debitoris, sive propter injustitiam judicis, sive propter defectum probationum, sive propter majus damnum pacis, amicitiæ aut rerum. 3° Ut absit periculum scandali vel infamiæ tam respectu tui quam respectu debitoris, ne scilicet alteruter traducatur ut fur. 4° Ut absit periculum duplicem pro eadem re vel eodem debito solutionem aut restitutionem accipiendi; pro quo cavendo debet debitor, si debiti sit conscius, convenienti modo moneri esse liberum a restitutione seu solutione. 5° Ut hæc omnia constent non proprio compensantis, sed alterius viri prudentis et partium liberi judicio, ne propria cupiditas excæcet, et mentiatur sibi iniquitas. 6° Ne fiat compensatio in deposito, quia id jura vetant, cap. *Bona fides* de Deposito: sunt tamen qui volunt hanc legem valere duntaxat pro foro externo; sed non videtur cur non valeat etiam pro foro interno, sicut diximus alibi valere legem præscriptionis.

His itaque conditionibus positis, dicimus compensationes occultas esse licitas. Ita communiter theologi, S. Antonius, Cajetanus, Bannes, Sylvius, Wiggers et omnes discipuli D. Thomæ, inquit Serra; ex recentioribus, Pontas, Perfector Tournely, Henricus a S. Ignatio, etc., contra paucos recentiores Lovanienses.

Probatur. Si compensatio occulta esset illicita, ideo esset quia per eam fieret injuria debitori vel judici: atqui positis conditionibus assignatis neutrum dici potest: ergo. *Prob. min.* 1° Non fit injuria debitori, ut docet ipse S. Thomas hic a. 5, ad 3, *et patet;* quia nonnisi certo meum accipio, aut quod ipse debitor tenetur ex justitia mihi reddere. 2° Non fit injuria judici, quia, ut suppono, judex non vult aut non potest mihi dicere jus. Ergo.

Confirmatur. Juris ordo est institutus ad reddendum cuique jus suum et ad pacem communem servandam: atqui pax communis, ut suppono, non violatur hic, et si juris ordo servaretur, non possem obtinere meum jus, aut nonnisi cum gravi damno: restat ergo quod jure naturali utens, ipse meum recuperem. Nec in hoc proprie mihi dico jus, ut advertit Cajetanus, sed potius jus meum exsequor, cum non utar aliqua auctoritate, sed solum occulta acceptione; sicuti non mihi jus dico, sed jus meum exsequor dum res meas adversus injustum invasorem defendo.

Objicies 1° cum Lovaniensibus. S Thomas hic, art. 5, ad 3, dicit generaliter quod, qui rem suam occulte recuperat ab injusto detentore, *peccet contra communem justitiam dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium:* atqui positis etiam assignatis conditionibus, verum est quod occulte compensans usurpet suæ rei judicium; debet enim judicare quod

debitum sit certum, quod non possit via juris repeti, quod absit periculum scandali et majoris damni, etc. Ergo.

R. 1° sic compensantem non magis usurpare rei suæ judicium, quam usurpet ille qui vitam aut res suas contra injustum invasorem defendit; debet enim iste utique judicare quod res sint certo suæ, quod invasor sit injustus, quod absit periculum scandali aut majoris damni, etc., et tamen nemo eum peccati arguit. Dicendum ergo vel quod in hoc utroque casu non sit proprie rei suæ usurpare judicium, sed jus suum exsequi, ut jam dixi ex Cajetano; vel quod, quamvis regulariter loquendo nemo possit rei suæ usurpare judicium (quo sensu intelligitur dictum D. Thomæ), si tamen sit casus in quo non possit haberi judex et instet necessitas agendi aut damnum patiendi, ut in defensione vel recuperatione rei suæ, non videtur tunc illicitum rei suæ ferre judicium. In tali enim casu, inquit idem Cajetanus hic ad art. 5, § *Num impotens*, licet a lege discedere, saltem sic quod non sit contra justitiam, quamvis videatur fieri præter justitiam, discedendo a directo illius modo. Cæterum si compensatio in hoc casu sit ex hoc solo capite illicita, videtur valde leviter illicita, quia si quæ sit inordinatio, videtur valde levis.

R. 2° *N. min.* Quia compensans qui juxta quintam conditionem omnia pro et contra sincere exponit viro prudenti partium libero, et hujus judicium sequitur, non magis est judex in propria causa quam pœnitens qui sincere confessario suo pro et contra conscientiam suam aperit.

Obj. 2° cum iisdem. Supposito quod conditiones illæ abstergant omnem compensationis malitiam intrinsecam, nunquam tamen abstergent omnem malitiam extrinsecam bono communi contrariam; quia si compensatio occulta suis conditionibus stipata semel judicetur licita, unusquisque eam in aliis casibus, ubi licita non est, facile judicabit licitam, imaginabiturque propter innatam ad temporalia concupiscentiam conditiones requisitas adesse ubi non adsunt; et sic via aperietur ad multa furta impune perpetranda contra bonum commune. Ergo.

R. nos huic inconvenienti obviasse per jam dictam quintam conditionem. Posito enim quod veritatis et certitudinis conditionum discussio, non ad proprium judicium compensantis, sed alterius viri prudentis partium liberi referatur, non est cur timeatur ex nostra sententia ne propter cupiditatem compensantium via furtis aperiatur. Et hoc experientia constat; nostra enim sententia passim traditur et ad praxim reducitur, necdum tamen inde vidimus eversum bonum commune et perturbatas respublicas.

Inst. Carthusianus in periculo mortis positus, non potest manducare carnes, dum adsunt alii cibi, etiamsi non ipse sed medicus judicet carnes esse necessasias: non quod manducare carnes sit tunc contra intrinseca legis, sed quod si semel permitteretur in tali necessitate facile salutaris illius ordinis rigor relaxaretur: ergo similiter in nostro casu.

R. 1° non constare esum carnium in tali casu non esse contra intrinseca legis respectu Carthusiani; quia, licet leges humanæ regulariter loquendo non obligent cum dispendio vitæ, contrarium tamen potest contingere, dum nempe quis sponte hanc obligationem suscipit; hanc autem videtur sponte suscipere Carthusianus dum profitetur religionem in qua scit talem servari rigorem. Et hæc est prima disparitas.

R. 2° Altera disparitas est, quod causæ et qualitates morborum sint occultæ et ipsis etiam medicis sæpe imperviæ, proindeque ipsis non constare certo an morbus sit ad mortem vel non, an carnes sint simpliciter necessariæ vel non; et cum aliunde noscantur plerumque indulgentiores in hac parte, sequitur quod si semel permitteretur Carthusianis esus carnium in reputato periculo mortis, passim fingerentur talia pericula, et inde salutaris rigor istius ordinis relaxaretur. At vero in nostro casu non est ita difficile dignoscere an certum sit esse meam rem quam alter detinet, aut meum debitum esse liquidum, si enim a certitudine deficiat, non admittimus compensationem; item an possit vel non possit res obtineri via juris; et sic de cæteris conditionibus: hæc, inquam, licet forte ipse compensans, propria cupiditate ductus, non possit ita facile ac integre judicare, poterit tamen alter tertius partium liber; ideoque ex compensatione sic facta nullum bono communi periculum imminet. Hanc sane disparitatem sensibiliter etiam probat ipsa experientia: ex nostra enim sententia, ut jam observavi, nullum hucusque vidimus sequi grave detrimentum

boni communis. At vero ex esu carnium permisso sub prætextu morbi periculosi, videmus in variis religionibus salutarem abstinentiæ rigorem relaxatum.

Obj. 3° cum iisdem. Innoc. XI damnavit hanc propositionem : « Famuli ac famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam quam majorem judicant salario quod recipiunt; » est 37: atqui tamen circa illos non secus ac circa alios possunt concurrere omnes conditiones quas requirimus ad compensationes licitas. Ergo.

R. hanc propositionem esse damnatam, 1° quia est indefinita et universalis, comprehendens casus in quibus certo non licet domesticis compensatio occulta; puta, si sponte convenerint de stipendio juxta parabolam de laborantibus in vinea, Matth. 20. 2° Quia constituit judices in propria causa ipsos domesticos regulariter ineptos ad tale judicium et lucri nimium avidos. Unde sistendo in terminis propositionis damnatæ, *neganda est minor*. Cæterum si revera erga domesticos occurrerent omnes conditiones requisitæ ad licitam compensationem, non foret ipsis magis prohibita quam aliis, v. g. si herus inique retineret partem stipendii conventi et cætera adsint.

Petes utrum famuli et famulæ (idem est de mercenariis) possint uti compensatione occulta si necessitate coacti convenerint de minore stipendio?

R. negative. Quia forte aut dominus non ita indigebat illorum opera, aut noluisset acceptare majore stipendio, aut alios reperisset qui æquali stipendio inserviissent aut laborassent. Adde quod, sicut merces ita et operæ ultroneæ vilescant, et tam famuli quam mercenarii sunt ita comparati, ut semper existiment se infra meritum stipendia accipere. Sed et graviter sunt culpandi domini qui famulorum aut mercenariorum opere vere indigentes, illos necessitate coactus minus justo stipendio conducunt; hoc est enim fraudare saltem pro parte operariorum mercedem, quod est peccatum in cœlum clamans.

Obj. 4° S. August. lib. 22 contra Faustum c. 72, loquens de spoliatione Ægyptiorum facta, jubente Deo, per Hebræos, dicit: *Quod tamen si Moyses sponte sua jussisset, aut Hebræi sponte sua fecissent, profecto peccassent :* atqui si compensatio esset licita, maxime in hoc casu : ergo. *Prob. min.* Certo debebatur merces Hebræis pro tot ac tam duris laboribus quibus eos vexaverant Ægyptii, juxta illud Sap. 10 : *Deus reddidit justis mercedem laborum suorum*, ne eam poterant obtinere via juris. Ergo.

R. N. min. Ad prob. D. Certo debebatur Hebræis merces ab his qui eos duris laboribus vexaverant, nimirum a Pharaone et operum præfectis, *C.* ab his a quibus surripiebant vasa, *N.* Ea enim juxta S. Scripturam surripuerant ab amicis et vicinis, qui in nullo eos vexaverant, et qui proinde nihil ipsis debebant. Nisi ergo Deus dedisset mercedem quam equidem merebantur, peccassent eam accipiendo ab illis qui illam non debebant.

Obj. 5° Nemo potest auctoritate privata ulcisci propriam injuriam, etiamsi non possit obtinere satisfactionem a judice : ergo nec rem suam occulte recuperare.

R. N. conseq. Quia vindicta auctoritate privata est semper illicita : recuperatio vero rei suæ non est vindicta.

Ex his infert 1° Sylvius post Navar. Lessium et alios, quod, si feratur excommunicatio in eos qui vel res surripuerunt, vel scientes non revelant, non comprehendatur is qui rem suam aut debitum recuperavit, neque id scientes; tum quia excommunicatio major non ligat nisi eum qui peccat mortaliter, cum quia nemo tenetur se vel alium innocentem prodere ad damnum suum. Hoc etiam verum reputat Lessius, quamvis recuperans peccaverit in modo accipiendi, puta, quia poterat rem suam recuperare via juris, quia etsi peccaverit accipiendo, non peccat tamen detinendo, nec tenetur restituere : episcopus autem ferendo excommunicationem, tantum intendit cogere injustum detentorem ad restitutionem.

Infert 2° idem Sylvius quod, si quis rem suam aut debitum licite recuperavit, interrogetur a judice an sciat quis acceperit, possit respondere se nescire; quia judex interrogat de injusta acceptione : qui autem interrogatur, neminem scit injuste accepisse. Addit, id etiam verum esse quamvis forte peccaverit in modo accipiendi, quandoquidem non peccaverit per hoc quod acceperit alienum, neque peccet injuste detinendo, ut jam modo dicebam ex Lessio : judex autem solum intendit aut intendere debet scire et punire injustum detentorem.

Hucusque de compensationibus occultis, sed quid de manifestis ?

Quidam etiam ex illis qui tenent occultas esse illicitas, permittunt manifestas; quia, inquiunt, non peccatur in hoc contra ordinem juris. Si enim Petrus contendat me inique agere, poterit me via juris aggrendi; nec judicium mihi usurpo. Cum enim rem Petri detineam in conspectu orbis, judicium Petro relinquo, quo, si possit, ipsi liberum est me ex possessione talis rei deturbare. Ita doctor Daelman.

R. sub distinctione. 1° Recuperare manifeste rem suam in flagranti furtivæ actionis, aut quando nondun est in tuto loco reposita, licitum est, quia id habet rationem justæ defensionis.

2° Recuperare manifeste rem suam adhuc in specie exstantem, etiam postquam ablata est et in tuto reposita, vi moderata adhibita non videtur illicitum saltem graviter; 1° quia usu receptum est, ut ubicumque quis rem suam invenit, eam accipiat: 2° quia relinquitur locus judici, ut dictum est. Quod si contendas nihilominus hic esse aliquam prætermissionem ordinis juris, dum quis 1° rem suam occupat inconsulto judice : *hoc dato*, hæc inordinatio non videtur gravis, cum relinquatur locus judicio, et ideo dixi talem compensationem non videri illicitam *saltem graviter*.

Dixi, *vi moderata adhibita*, ex qua scilicet non sequatur mors, vulneratio, grave scandalum aut reipublicæ perturbatio, licet forte sequatur furis ipsius aut ejus familiæ quædam turbatio.

3° Recuperare manifeste simplex debitum non licet; 1° quia id fieri non potest absque scandalo, et qui sic ageret haberetur fur, et ut talis puniretur in foro externo; 2° quia non est dominus rei quam vult surripere in compensationem sui debiti, unde alter habet jus resistendi.

Quæ spectant obligationem restituendi ex furto, abunde discussa sunt de restitutione in genere : require ibi.

DISSERTATIO XII.

DE INJUSTITIA JUDICIS.

D. Th. Q. 67.

Q. 67 in procem. — Postquam egimus de vitiis oppositis justitiæ commutativæ per quæ facto læditur proximus in persona et in rebus exterioribus, restat agendum de vitiis per quæ læditur verbis : et 1° de nocumentis verborum quæ fiunt in judicio; 2° de iis quæ fiunt extra judicium.

Ibid. — Circa primum quinque consideranda occurrunt. 1° De injustitia judicis in judicando. 2° De injustitia accusatoris in accusando. 3° De injustitia testis in testificando. 4° De injustitia rei in sua defensione. 5° De injustitia advocati in patrocinando : de quibus suo ordine.

ARTICULUS I.

Utrum quis possit judicare eum qui non est sibi subditus ?

Q. 60. a. 5. o. — Suppono ex dissert. 7. judicium esse actum virtutis justitiæ proindeque licitum. Suppono item ex eodem loco, judicem existentem in peccato publico peccare judicando ; secus si sit peccator occultus. Require loco cit. Suppono iterum ex q. 60 D. Thomæ, judicem ordinarie debere judicare secundum leges scriptas ; quia leges scribuntur vel ut declarent jus naturale, vel ut instituant jus positivum : ergo si judicium non feratur secundum leges scriptas, deficiet a jure naturali vel positivo, sicque erit injustum : unde judex communiter definitur : *Persona publica, ad hoc instituta ut sibi subditis jus dicat, secundum legis præscriptum.* Per legem intellige etiam consuetudinem, vim legis habentem.

Potest tamen supremus Judex subsistente legitima causa in lege humana dispensare, vel eam abrogare, quod non potest inferior. Dico, *subsistente justa causa*, quia id non potest pro libitu, maxime in præjudicium tertii, cum sit æquitatis naturalis ut quod quis observari præcipit, ipse observet : unde S. Aug. de Vera Religione, loquens de legibus humanis, dicit : « Quanquam de his ho» mines judicent cum eas instituunt, tamen » cum fuerint institutæ, non licebit judici de » ipsis judicare, sed secundum ipsas. »

Ib. ad 1 et 2. — Dixi, *ordinarie*, quia si lex humana foret contra jus naturale, non liceret judicare secundum illam, cum tunc esset injusta. Item si secundum se esset justa, sed in aliquo casu vergeret in detrimentum boni communis, aut esset contra intentionem legislatoris ; ita quod si adesset legislator, judicaret aliter quam ferant verba legis, tunc non est judicandum secundum verba legis, sed secundum intentio-

nem legislatoris per epiikiam ; cum hac distinctione quod, si certo constet aliam esse mentem legislatoris a verbis legis, nec voluisse hunc casum comprehendere, non sit necesse ad ipsum recurrere etiam si res ferat moram, quia *in manifestis non est opus interpretatione, sed executione.* — **Inf. q. 120 a. 1, ad 3.** — Si vero id non constet, sed tamen est probabilius, consuli debet legislator, si res ferat moram ; si non ferat, licet per epiikiam, ut dixi, ipso inconsulto agere contra verba legis. Si tandem sit æquale dubium, nec possit consuli superior, agendum est secundum verba legis ; quia in dubio lex possidet.

Hic q. 67, a. 1, o. — Nunc ad quæstionem *nota*, duplici modo aliquem posse alteri subjici, vel per potestatem ordinariam, vel per commissionem seu delegationem. Judex ordinarius dicitur, qui ex officio præest universitati causarum, sive proprio jure, ut summus pontifex respectu omnium fidelium, episcopus respectu diœcesanorum, rex respectu civium ; sive ex beneficio et collationes principis, ut præses, baillivus, præpositus, etc. Judex delegatus est is cui judex ordinarius per simplicem commissionem committit vices suas, sive ad universitatem causarum, sive ad hanc specialem causam ; et iste non potest delegare, nisi sit delegatus summi pontificis. Ad hunc modum reducuntur alii duo ; — **Ibid. ad 3.** — unus ex consensu partium per compromissionem in arbitros, quorum arbitrium debet pœna vallari ; quia licet, supposito consensu partium, potestas ipsis committatur a jure lib. 1 et 6 Decretal. per varia capita, non ea tamen qua possint partes compellere ad sententiæ exsecutionem, unde debet apponi pœna qua compellantur. — **Ibid. ad 3.** — Alter est ratione vel delicti, vel contractus, vel rei de qua agitur ; ex jure cap. *Licet* 2, Extra. lib. 2, tit. 2.

Ibid. o. — *Dico* Nullus potest judicare alium, nisi sit aliquo modo subditus ejus.

Ibid. — *Prob.* Sententia judicis est quasi quædam particularis lex in aliquo particulari facto ; et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactivam, ita etiam et sententia judicis debet habere vim coactivam per quam constringatur utraque pars ad servandam sententiam judicis ; alioquin judicium non esset efficax : atqui potestatem coactivam non habet licite in rebus humanis nisi ille qui fungitur publica potestate ; et qui ea funguntur, superiores reputantur respectu eorum in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, sive habeant ordinariam sive per commissionem. Ergo.

Unde Alexand. III, c. *Etsi clerici*, de Judiciis, dicit : *Sententia a non suo judice lata, non tenet.* Et Zephirinus causa 3, q. 8, cap. *Accusatores : Nullum sententia a non suo judice constringat.*

Hoc autem judicium in non subditum latum, dicitur judicium usurpatum, et est ex genere suo peccatum mortale, cum secundum se gravem injuriam faciat tam partibus litigantibus quam superiori cujus usurpat auctoritatem.

Hac usurpatione judicii peccavit Pilatus dum Christum omnium Dominum, nec illi nec Cæsari subditum, judicavit. Neque obstat quod Christus dixerit Pilato : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper ;* nec quod dicit S. Thomas hic ad 2, quod *Christus propria sponte humano judicio se subdidit.* Non enim his significatur, Pilatum accepisse potestatem superioritatis judicandi Christum, sed potestatem facti tantum, seu non impeditionem, quo sensu prius dixerat Christus militibus : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum ;* quasi diceret : Hæc est hora a Patre constituta qua sinit vos me capere.

Hujus etiam criminis rei sunt judices sæculares qui, sive in criminalibus, sive in civilibus, pertrahunt ad sua tribunalia quæ non sunt mixti fori, clericos, quos judicandi non habent potestatem, ut constat ex Tridentino sess. 25 de Reform. cap. 20 ; ex cap. *Si diligenti*, Extra lib. 2, tit. 2 de Foro competenti, et ex dist. 96, ubi inter cætera c. *Denique* sic loquitur Nicolaus papa et ad Michaelem imperatorem : « Quibus tantum » humanis rebus et non divinis præesse permissum est ; quomodo de his per quos » divina ministrantur, judicare præsumant, » penitus ignoramus. » Non quod clericus non possit ut actor pertrahere laicum coram judice sæculari, sed quod non possit pertrahi ut reus seu defensor : et huic privilegio cedere non potest, « Cum, *ut dicitur cit. cap. Si diligenti*, non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, » sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. » Neque etiam hujus

peccati reatum evadunt episcopi qui religiosos exemptos judicare, eorumve causas discutere præsumunt in iis in quibus concilium Trid. eos non subjicit eorum jurisdictioni.

Petes 1° utrum judex excommunicatus ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et sententia ejus sit irrita?

R. 1° Judex excommunicatus occulte ferendo sententiam, non peccat usurpatione judicii neque sententiæ, cæteraque ejus acta sunt valida. Est communis.

Ratio est 1°, quia excommunicatio occulta non privat aut suspendit ab officio, ut colligitur ex cap. *Ad probandum*, Extra. lib. 2, tit. 27 de Sententia et re judicata, ubi decernitur cassandam esse sententiam, *Si unus ex delegatis judicibus excommunicationis vinculo esset publice innodatus:* ex quo inferunt canonistæ a contrario sensu, non esse cassandam si sit occulte excommunicatus.

2° Quia si acta occulte excommunicati essent invalida, cum hæc excommunicatio lateat, sequerentur gravissima inconvenientia, nimirum innumeræ sententiæ, absolutiones, condemnationes, præsentationes, collationes, electiones aliique similes actus essent nulli, deberentque rescindi cum maxima reipublicæ perturbatione et innocentum detrimento. Unde, ut his obvietur, communiter docent theologi, *dato* etiam per excommunicationem occultam judicem privari aut suspendi ab officio, nihilominus rempublicam sive Ecclesiam conferre illi jurisdictionem sufficientem ad singulos actus, atque eos approbare, id exigente bono communi. Si tamen non rogatus aut absque aliqua rationabili causa se in judiciis ingerat, peccabit, non quidem usurpatione judicii, sed contra præceptum Ecclesiæ, vetantis ipsi communicationem cum fidelibus.

R. 2° Judex publice excommunicatus, attento jure antiquo, peccat usurpatione judicii ferendo sententiam, hæcque ejus sententia ac cætera acta sunt irrita; at jure novo, neque peccat usurpatione judicii, neque ejus acta sunt irrita, nisi sit nominatim excommunicatus aut notorius percussor clerici.

Prima pars probatur ex cap. cit. *Ad probandum*, in quo jubetur cassari, id est, juxta Glossam, declarari cassatam sententiam latam a judice publice excommunicato: ex quo inferunt doctores cum Glossa, publice excommunicatos privari, non quidem officio, illud enim retinent quoad habitum, sed ab ejus usu atque ab ejus executione suspendi; potestas autem suspensa perinde est ac si non esset.

Secunda pars probatur ex bulla *Ad evitanda scandala*, relata in actis concilii Basileensis sess. 20, edit. Venet. 1585, apud Dominicum Nicolinum; item a S. Antonino 3 p. tit. 25, c. 2; a Soto in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 4 et aliis, in qua concilium statuit solos nominatim excommunicatos aut notorios percussores clericorum esse vitandos, concideitque fidelibus ut cum omnibus aliis excommunicatis possint communicare in omnibus, consequenter intendit eorum actus esse validos: utquid enim concederet nos posse ab illis judicium et alios actus excipere, si sint invalidi? illusoria foret hæc concessio et fidelium deceptiva cum illorum damno.

Quia tamen concilium non intendit illos publice excommunicatos in aliquo relevare, ut habet expresse ibidem, peccant et quidem probabilius mortaliter ex genere suo, si non rogati, aut non urgente aliqua rationabili causa, se judiciis aut aliis actibus immisceant, non equidem, ut jam dixi, usurpatione judicii, sed contra Ecclesiæ præceptum vetans illis tales actus, nisi quatenus necessarii sunt in commodum aliorum. Imo quamvis fideles possint illos ut judices admittere, non tenentur tamen, sed possunt contra illos excipere quod sint excommunicati; quia, licet concilium permittat jus ab illis petere, non tamen cogit, unde nunc sicut olim possunt recusari.

Excepi *nominatim excommunicatos et notorios percussores clericorum*, quia concilium illos excludit a sua indulgentia; unde manet circa eos dispositio juris sicut erat ante concilium.

Petes 2° utrum judex qui ob crimen ipso jure est privatus suo officio, ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et acta ejus sint irrita?

R. non peccare usurpatione judicii, nec acta ejus esse irrita. Quia leges humanæ importantes pœnas etiam privativas (excipe censuras), non obligant ante sententiam judicis declaratoriam criminis; sic enim usu receptæ sunt, nisi aperte constet aliam fuisse mentem legislatoris, ut si in lege ad-

decretur, *teneri in conscientia dimittere, non posse absolvi nisi dimittat, officium ita vacare ut liberum si alteri conferre*, ut c. *Dudum* 2, de Electione in casu duplicis beneficii incompatibilis. Ita tenent Cajet. q. 62, a. 3; Soto lib. 1 de Justit. q. 6, a. 7: Adrianus, Covarruvias, Lessius et alii; et favet S. Thom. cit. q. 62, a. 3 ℮.

Confirmatur ab inconvenienti. Ver crimen est occultum, vel, si sit publicum, non constat reum per legem esse officio privatum: ergo si acta ejus essent irrita, sequerentur eadem inconvenientia quæ diximus secutura si acta excommunicati occulte essent irrita.

Si petas quem ergo sensum aut quam vim habent hæc verba: *Ipso jure, ipso facto, abspue alia declaratione? R.* habere hunc sensum seu hanc vim, ut privent talem officio quoad titulum, seu quoad jus illud firmum quod accepit per collationem, et quo non poterat invitus privari; retinet tamen possessionem officii et totius jurisdictionis quam ante habebat: sicut dum alicujus bona propter crimen admissum, puta, propter hæresim, ipso facto addicuntur fisco, amittit proprietatem bonorum; permittitur tamen ipsi possessio et usus, donec per sententiam criminis declaratoriam auferantur. Plura dum de Legibus.

Petes 3° utrum acta judicis alteriusve qui non habet nisi titulum putativum seu coloratum, sint valida?

R. affirmative si titulo colorato conjunctus sit ex parte populi error communis, quod sit superior, quod sit judex, etc. et respublica seu Ecclesia possit supplere defectum, Ita l. *Barbarius*, ff. De officio prætoris: ubi refertur quod iste Barbarius, cum esset conditione servus et hac ratione incapax officii prætoris, istud tamen officium Romæ, ubi ignorabatur ejus servitus, petiit et obtinuit; ejusque acta, quamdiu latuit ejus servitus, declarantur valida ob utilitatem eorum qui apud ipsum egerent. Et causa 3, q. 7, cap. 1, dicitur: *Si servus dum putaretur liber ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem habet.* Et ita tenent Palud. Navarr. Medina, Arragon, Lessius et alii communiter. *Ratio est;* quia alioquin sequerentur, non secus ac in præcedentibus casibus, gravissima inconvenientia, quæ vitari non possent, cum variæ sententiæ, absolutiones, electiones, præsentationes, institutiones essent nullæ et deberent rescindi, resque ab ovo resumi cum magna reipublicæ perturbatione, et gravi tam boni communis quam particularium detrimento. Et ideo, ut dixi in præcedentibus, respublica vel Ecclesia confert talibus jurisdictionem necessariam ad singulos actus. Idque verum videtur propter eamdem rationem, si titulus esset fictus aut etiam nullus, modo sit error communis; quia posito errore communi, etiam sine titulo aut cum ficto, quod talis sit superior aut habeat jurisdictionem, si revera non habeat, et acta ejus sint invalida, sequuntur omnino eadem inconvenientia, quibus obviari non est possibile. Id saltem est probabile et non pauci tenent, de quo forte fusius alibi.

Dixi, *si respublica aut Ecclesia possit supplere defectum* seu tollere impedimentum. Quia si impedimentum esset juris naturalis aut divini quod tollere non potest respublica vel Ecclesia, nihil juvaret error communis etiam cum titulo coloravet, omniaque acta forent invalida; ut si fœmina vel non sacerdos haberetur communiter pro parocho etiam cum titulo colorato, nullæ forent ejus absolutiones, quia talem defectum supplere non potest humana potestas.

Nota bene. Hæc quæ dixi in .ribus præcedentibus responsionibus intelligenda sunt etiam de foro sacramentali, quia rationes allatæ æque pro illo militant ac pro foro externo sive civili sive ecclesiastico, de quo iterum dum de pœnitentia.

Ex dictis colliges 1°, acta illius qui officium vel beneficium pastorale suscepit cum impedimento occulto, puta simoniace, vel in excommunicatione occulta, ratione cujus irrita est collatio, hujus, inquam, acta, absolutiones, sententias, institutiones, collationes, etc., esse valida. Quod etiam vorum est, inquit Lessius, quamvis ii quorum interest impedimentum sciant, quia hæc jurisdictio conceditur generatim propter errorem communem, unde privata scientia illam non impedit.

2° Acta illius cui jurisdictio occulte ablata est, et ipse tamen se gerit pro habente jurisdictionem, communique errore reputatur talis, valida sunt: unde valet absolutio collata ab eo cujus jurisdictio ad tempus

collata finita est aut est revocata occulte, dum se pro confessario gerit ut ante.

3° *Inferes*, eum qui agit vi tituli colorati quem bona fide putat esse verum, non solum valide agere, sed nec peccare usurpatione judicii. Qui autem scienter agit vi tituli colorati, peccat usurpatione judicii, quia quantum in ipso est usurpat auctoritatem quam non habet : valent tamen ejus acta; quia dum id attentat, respublica vel Ecclesia extraordinarie illi confert in ipso actu jurisdictionem ob commune bonum, ut dictum est.

Petes 4° utrum sententiæ ac leges latæ a tyranno obligent? Intelligo tyrannum usurpatione regni, non usu regiminis; hujus enim sententias ac leges justas obligare indubium est.

R. Leges ac sententiæ justæ tyranni qui jam regnum invasit, et non resistente amplius republica imperat, verosimilius sunt validæ et obligant, non præcise quatenus emanant a tyranno; ut talis enim nullam habet auctoritatem; sed quatenus sunt interpretative a republica quæ eas approbat et tyranno auctoritatem confert in quantum est necessarium bono communi : si enim in hoc statu oppressionis nullæ forent leges, nullæ sententiæ valerent, coerceri non possent malefactores, sicque respublica criminum multiplicatione in pejus rueret. Ita Victoria et post ipsum Sylvius, Less. Serra, etc., contra Soto.

Dixi, *qui jam regnum invasit*, etc., quia si nondum obtinuit principatum, et actu resistat respublica, non est cur dicatur illi conferre auctoritatem ferendi leges et sententias.

ARTICULUS II.

Utrum judici liceat judicare contra veritatem quam novit, propter ea quæ in contrarium proponuntur?

SIVE COMMUNITER

Utrum judex possit condemnare quem privata scientia novit innocentem, si juridice probetur nocens?

Inter varias hac de re sententias tres sunt præcipuæ. Prima tenet quod neque in criminalibus neque in civilibus judex possit condemnare eum quem certo scit innocentem, quamvis juridice probatum nocentem : ita Lyranus, Hugo, Panormit., Angelus. Secunda tenet id posse in civilibus, non in criminalibus : ita Adrianus, Wiggers, Sylvius, Lessius et communiter recentiores. Tertia, quod tam in criminalibus quam in civilibus judex possit et debeat, neglecta privata scientia, judicare secundum allegata et probata, ideoque condemnare probatum juridice nocentem, quantumvis certo sciat privatim esse innocentem. Ita cum S. Thoma S. Raymundus, lib. 1, tit. 9, § 10, dicens omnes fere doctores juris canonici ita sentire; S. Antoninus, Sylvester qui pariter asserit esse sententiam communem antiquorum theologorum et canonistarum; Turrecremata, Petrus de Tarentasia postea dictus Innocentius V, Cajet. Soto, Bannes et communiter in schola D. Thomæ : extra, Alexander de Hales, Abulensis, Covarruvias, Asorius, Valentia, Dicastillo, Steyartius et alii.

Q. 64. a. 6. ad 3. et hic q. 67. a. 2. o.— Suppono judicem in casu debere omnem diligentiam, industriam et dexteritatem adhibere ut liberet innocentem : puta avertendo actorem ab accusatione, vel eam de jure repellendo; testes de sua falsitate secreto per alios monendo, eos seorsim, pluries, per intervalla, et accuratius secundum omnes circumstantias etiam leviores examinando, ut eos in aliqua contradictione vel falsitate deprehendat, sicut fecit Daniel in causa Susannæ; litem protrahendo, curando, si possit absque scandalo, ut carcer maneat apertus et evadat innocens; causam (dum nondum est instructa, aut partes consentiunt) remittendo alteri judici sive superiori sive inferiori, ipsum interim instruendo de falsitate testium, et scipsum testem in contrarium exhibendo : judex autem supremus, si tamen possit absque scandalo et reipublicæ perturbatione, suprema auctoritate innocentem absolvat. Hæc, inquam, supponuntur et admittuntur in omni sententia, quia judex debet uti potestate publica absque propria sive ignorantia, sive imprudentia, sive negligentia.

Verum si hæc non prosint, casus est quem puto metaphysicum et forte hucusque inauditum; vix enim credibile est judicem non posse aliquo modo ex assignatis aut aliis succurrere innocenti. Cæterum data hac hypothesi, quid facto opus? Patroni primæ et secundæ sententiæ tenent, judicem in hac hypothesi non posse neque absolvere neque

condemnare innocentem probatum nocentem, sed debere supersedere a judicio; quod si urgeatur, debere demittere officium, imo mortem subire potius quam condemnare hunc innocentem : contra quos

Ibid. — *Dico.* Nobis probabilius est judicem, sive in criminalibus, sive in civilibus, posse, imo et debere judicare secundum allegata et probata contra privatam scientiam, licet inde contingat innocentem occidi.

Prob. 1° ex S. Scriptura. Deut. 17, v. 6, dicitur : *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur;* et cap. 19. v. 13 : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum :* quod repetit Christus tanquam communiter ab omnibus notum et receptum, Matth. 18, v. 16. Quibus verbis statuitur forma judiciorum, sensusque est, quod per duorum aut trium testimonia, accusatio erit firma, resque stata, ut de illa judex possit ferre sententiam. Et quamvis hæc constitutio non vigeat amplius vi legis Mosaicæ, viget tamen vi juris gentium, a quo est acceptata tanquam juri naturali consentanea, *ut patet* ex allegatione Christi.

Quidam respondent, hæc esse vera regulariter loquendo et quando hæc duorum vel trium testimonia non contradicunt scientiæ privatæ.

Sed contra 1° Hæc responsio est mere gratuita. 2° Vim facit S. Scripturæ; dicit enim S. Scriptura, *stabit omne verbum;* secundum autem responsionem, stabit aliquod tantum verbum, quando nempe scientia privata non contradicit. 3° Juxta hanc responsionem, judex non debet audire testes quando ipsi privatim constat de veritate facti; quod nemo admittit.

Alii respondent, verba S. Scripturæ esse intelligenda negative, hoc sensu scilicet, quod nemo debeat condemnari nisi probetur reus per duos vel tres testes; non autem affirmative, quod semper damnetur qui probatur reus.

Sed contra. Hæc responsio, ut præcedens, et est gratuita, et vim facit S. Scripturæ : non enim S. Scriptura dicit negative. *Non stabit verbum nisi in ore duorum vel trium*, sed affirmative et universaliter : *Stabit omne verbum in ore duorum vel trium.*

Q. 97. a. 2. in a. s. c. — *Prob.* 2° ex Patribus et ex Jure. Causa 3, q. 7, c. *Judicet*, dicitur ex S. Ambrosio Serm. 20 in Psalm. 118 : « Bonus judex nihil ex arbitrio suo faci et domesticæ proposito voluntatis; sed » juxta leges et jura pronunciat.... nihil pa» ratum et meditatum domo defert, sed sicut » audit, ita judicat. » Quæ verba non sic sunt intelligenda, quasi judex non possit privata vel scientia vel industria juvari ut accuratius testes interroget, et prævie allaboret liberationi innocentis; sed quod non possit aliquid judiciale proferre nisi ex scientia publica. Et causa eadem q. 3, c. *Quamvis*, dicitur ex S. Augustino lib. de Pœnit. c. 3 : « Quamvis vera sint quædam, non ta» men judici sunt credenda, nisi certis indi» ciis demonstrentur; » et causa 30, q. 5, c. *Si quis*, idem repetitur, et additur ex Victore papa : « nisi quæ manifesto judicio » convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. »

Quod iterum respondent adversarii, hæc esse intelligenda regulariter, non autem quando testimonia contradicunt scientiæ privatæ, solvitur ut ante, dicendo, scilicet, esse non solum gratuitum sed violentum et contra sensum apertum verborum, *ut patet* legenti.

Ibid. o. — *Prob.* 3° *ratione.* Judicare pertinet ad judicem secundum quod fungitur publica potestate : ergo informari debet in judicando non secundum id quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ. *Subsumo.* Atqui innotescit sibi ut personæ publicæ et in communi et in particulari : in communi quidem per legos publicas divinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio per instrumenta ut testes et alia hujusmodi legitima documenta. quæ ideo debet sequi in judicando magis quam quod ipse novit tanquam privata persona.

Instauratur hæc ratio ex Cajetano in Summula, v. *Homicidium*, n. 3. Exigit natura actus publici (quale est judicium), ut sit ex publica potestate et publica scientia : ita quod potestas publica moveatur a scientia publica et reguletur per illam : alioquin causæ non essent sibi invicem commensuratæ, dum potestas esset publica, et scientia esset privata, nec adhiberentur causæ commensuratæ effectui, dum actio potestatis publicæ poneretur exire a scientia privata. Ergo.

Confirmatur. Judex gerit vices reipublicæ

et ejus nomine profert judicium : ergo debet judicare sicut judicare ipsa respublica : atqui respublica judicaret secundum scientiam publicam : ergo. *Neque dicas* quod sit respublica sciret scientia privata innocentiam accusati, ipsum non condemnaret : *nego quippe suppositum.* Non datur nec dari potest in repnblica scientia privata, sed omnis scientia reipublicæ est publica et communis omnibus, alias non foret scientia reipublicæ seu communitatis. Hæc autem si adest, non est necessaria testium discussio.

Respondent adversarii, hac ratione S. Thomam nihil aliud intendere aut probare quam quod judex teneatur sequi allegata et probata si judicet : *at,* inquiunt, non tenetur, imo nec potest in casu judicare, quia non potest secundum jura absolvere probatum nocentem, nec damnare quem novit innocentem; sed tenetur supersedere a judicio : et si urgeatur, debet potius dimittere officium, imo et mortem pati, potius quam condemnare hunc innocentem.

Sed contra. Probatur juxta S. Thomam et rei veritatem, quod judex in casu possit et debeat judicare, proindeque quod non teneatur dimittere officium. Si judex in præsenti casu non posset judicare, ideo esset quia peccaret vel absolvendo vel damnando innocentem : atqui secundum D. Thomam et rei veritatem, non peccaret damnando innocentem secundum allegata et probata : ergo potest judicare. *Probatur min.* 1° quantum ad D. Thomam. — Q. 64. a. 6. ad 3. — « Judex, inquit diserte S. Doctor, non peccat secundum allegata et probata sententiam ferendo, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. » Ergo. Hoc autem ultimum dicit S. Thomas, non quod judex in casu aliquo modo non concurrat ad mortem innocentis per suam sententiam; testimonia enim absque judicis sententia nihil efficerent; sed quia non intendit mortem innocentis, sicut intendunt falsi testes, sed tantum satisfacere suo officio et servare ordinem juris, ut modo dicam.

Prob. 2° *eadem minor.* Qui utitur jure suo et rite fungitur officio sibi imposito in commune bonum, non peccat, licet præter intentionem alicui damnum contingat : atqui judex in præsenti casu, judicando secundum allegata et probata, utitur jure suo et rite fungitur officio sibi imposito in commune bonum, cum observet ordinem juris, ut dictum est in probatione; et præter ejus intentionem contingit occisio innocentis, ut dicam infra : ergo non peccat judicando, ergo judicare potest : si autem possit, tenetur.

Quod probo sic. Judex interpellatus, reo per testes irrejicibiles convicto, et actore seu republica instante, tenetur ex lege naturæ jus dicere et secundum formam judicii unicuique reddere quod suum est, nisi obstet peccatum, ut probavimus : ergo tenetur judicare; ergo non potest a judicio supersedere, nec proinde dimittere officium, hoc enim esset supersedere : et dicant velim adversarii. Si supremus judex, princeps aut rex qui, ob immanitatem sceleris, instante republica, non potest absque ejus scandalo ac perturbatione absolvere probatum nocentem, tenebitur forte cedere regno vel imperio in apertam boni communis perniciem? Nemo, putem, id asserere audebit. Neque id unquam dixit S. Thomas de quocumque judice, quod tamen fuisset compendio quæstionem resolvere; quinimo contrarium aperte resolvit dum dixit loco cit. judicem ferentem sententiam secundum allegata et probata, non peccare, et hic o : « Quod si probationes inductas non possit » de jure repellere, debet eas in judicando » sequi. »

At, inquis, diximus supra ex S. Thoma, judicem in casu debere superiori relinquere judicandum : ergo non tenetur judicare, sed potest supersedere. Ita quidem, si possit judicium superiori dimittere : at non semper potest. Potest causa non instructa, aut etiam instructa, partibus consentientibus; sed non est casus. Non potest causa plene instructa et parte instante, aut superiore recusante; et hic est casus. Subdit autem immediate S. Thomas : *Si nec hoc potest, non peccat secundum allegata sententiam ferens;* cum debuisset dicere, si vera sit adversariorum sententia : *Si nec hoc potest, debet officium dimittere.* Unde optima cautela judicis in causa hujusmodi, inquit hic Cajetanus, est antequam perveniatur ad ulteriora, vel repellere ex officio accusationem, vel ita præveniendo operari, ut non procedatur in causa, quod multis modis fieri potest.

Prob. 4° *conclusio* ex altero principio D. Thomæ. — Q. 64. a. 7. o. — Quando unius actus est duplex effectus æque immediatus, unus bonus, alter malus, potest quis inten-

dere bonum et se habere permissive ad malum, si bonus sit majoris aut æqualis momenti ac malus · atqui judicii in casu est duplex effectus immediatus, unus bonus, scilicet conservatio ordinis juris, boni communis et tranquillitatis in republica ; alter malus, scilicet mors innocentis ; et bonus est æqualis saltem momenti ac malus : ergo judex potest intendere bonum et se habere permissive ad malum. Paritas est in eo qui se defendit cum occisione injusti invasoris, aut in duce qui in bello justo occidit innocentes cum hostibus.

Hæc ratio adhuc magis elucidatur. Ex denegatione sententiæ in casu, præter inversionem ordinis juris, nata sunt per se sequi scandala in populo, contemptus justitiæ, perturbationes reipublicæ, et ansa præbetur judicibus quos voluerint pro libitu absolvere vel condemnare : atqui hæc mala, utpote communia, præponderant morti unius innocentis : ergo nihil prohibet quin judex ferendo sententiam intendat hæc mala cavere, et permissive se habeat ad mortem innocentis. Imo longe satius est justitiam sic firmo semper et eodem pede juxta legum præscripta procedere, et bono communi vitam unius particularis postponi.

Confirmatur. Ideo juxta Sylvium, Lessium et alios plures, judex potest in civilibus et minoribus criminalibus condemnare innocentem probatum nocentem, quia bonum commune exigit ne forma judiciorum publicorum cum scandalo populi pervertatur : atqui hæc ratio fortius militat in nostro casu : ergo. *Neque dicas* republicam posse disponere de bonis fortunæ propter commune bonum, non vero de vita civium ; id enim ultimum verum est duntaxat de morte intenta, non de morte permissa.

Solvuntur objectiones.

Pro solutione objectionum, notandum ex nostro Sylvestro, dupliciter aliquem posse esse innocentem, 1° de facto, quando revera crimen non admisit ; 2° de jure, quando in judicio probatur innocens aut non probatur nocens. Similiter dupliciter aliquis potest esse nocens, scilicet de facto, quando revera crimen admisit ; et de jure, quando in judicio probatur crimen admisisse : ita quod qui de facto est innocens, possit esse de jure nocens, et e contra.

Notandum 2° quod, sicut est duplex scientia in judice, una facti, qua ut persona privata scit aliquid ut de facto accidit ; altera juris, qua ut persona publica scit aliquid prout in judicio probatur : ita est duplex veritas, scilicet facti, quæ est conformitas intellectus ad rem prout est ; et juris, quæ est conformitas intellectus ad rem prout in judicio probatur esse : ita ut ea quæ sunt de facto vera, sint quandoque falsa juridice, et e contra.

Insuper præ oculis habendum est judicem qua talem, esse personam publicam, vices agere communitatis in judicando et esse ejus vicarium ; judicium esse actum publicum, actum prolatum nomine reipublicæ, proindeque proferendum secundum notitiam publicam.

Obj. 1° Lege tam naturali quam divina prohibetur occidere innocentem tanquam quid intrinsece malum, quod nullo bono fine cohonestari potest : unde Exod. 23, v. 1, dicitur : *Non suscipies vocem mendacii ;* v. 2 : *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies ;* v. 6 : *Mendacium fugies ;* et tandem v. 7 : *Insontem et justum non occides.* Ergo.

R. D. ant. dupliciter. 1° Lege tam naturali quam divina prohibetur occidere innocentem ex intentione, *C.* præter intentionem vacando rei licitæ et fungendo debito officio, *N. Patet* in occisione invasoris materialiter tantum injusti, aut in eversione tursis in qua includuntur innocentes cum hostibus. 2° Prohibetur occidere innocentem de facto et de jure, *C.* innocentem de facto, nocentem autem de jure, *N. Patet ex dictis.* Et juxta hunc sensum intelligenda sunt verba S. Scripturæ, scilicet, prohiberi judici se jungere multitudini aut testibus mendacibus, quos ut tales in judicio deprehendit, atque occidere innocentem juridice probatum talem. Quod confirmant auctores ex paraphrasi Chaldaïca quæ sit habet : *Eum qui fuerit justificatus et exierit justus non occides.*

Inst. 1° Respublica ipsa non habet potestatem occidendi talem innocentem : ergo eam conferre judici non potest. *Prob. ant.* Casu quo tyrannus petat innocentem occidi a republica alioquin omnia eversurus, juxta communem sententiam quam sustinemus, non potest respublica occidere hunc innocentem, etiamsi tota periclitetur : ergo a

fortiori in præsenti casu in quo minus periclitatur.

R. N. ant. Ad probationem, N. conseq. Prima disparitas est, quod salus reipublicæ non sequatur immediate ex innocentis occisione, sed ex mutata voluntate tyranni; conservatio autem ordinis juris et boni communis sequitur immediate ex processu secundum allegata et probata. Altera disparitas est, quod innocens in primo casu, sit de facto et jure innocens, in nostro autem casu est nocens de jure.

Inst. 2° Judex debet judicare secundum leges : atqui nulla est lex quæ permittit aut jubet hunc innocentem occidi : ergo.

R. D. maj. Judex debet judicare secundum leges in communi, *N.* secundum leges applicatas huic particulari facto, *C.* Applicantur autem per depositionem testium. Insuper *nego minorem*, et assigno legem, eam nempe qua decernitur pœna mortis in crimen de quo accusatus convincitur per testes, junctam huic : *In ore duorum vel trium testium peribit qui interficietur*, seu, *stabit omne verbum.*

Inst. 3° Judex per epiikiam debet magis attendere ad intentionem legislatoris quam ad verba legis : atqui intentio legislatoris non est quod occidatur innocens : ergo.

R. D. min. Intentio legislatoris non est quod occidatur innocens re ex jure, *C.* innocens re et nocens jure, *N.* Id enim exigit bonum commune, quod maxime intendit legislator.

Inst. 4° Nunquam est licitum agere contra conscientiam : atqui judex condemnando eum quem scientia privata scit esse innocentem, ageret contra conscientiam : ergo. *Prob. minor;* quia nomen conscientiæ importat applicationem scientiæ ad aliquid agibile. Ergo.

Hic q. 67. a. 2. ad 4. — *R. N. min.* Quia homo in his quidem quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia ; sed in his quæ pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam suam secundum ea quæ in judicio publico sciri possunt. Unde *ad probationem minoris, D.* Nomen conscientiæ importat applicationem scientiæ privatæ vel publicæ, *C.* privatæ semper, *N.* Quando scilicet est persona publica et agit nomine reipublicæ.

Obj. 2° C. *Cum æterni*, de Sentent. et re judic. in 9, Innoc. IV prohibet judicibus condemnare illum quem æterni Judicis tribunal reum non habet. Et cap. *Qui scandalizaverit*, de Reg. jur. dicitur : *Utilius nascitur scandalum, quam veritas deseratur.* Ergo.

R. ad primum, æterni Judicis tribunal etiam habere reum illum qui talis juridice probatur, non quidem in foro interno, sed externo ; et hunc esse sensum canonis *patet*, tum quia alioquin judex ignorans hunc esse innocentem, damnaret eum quem æterni Judicis tribunal non haberet reum, et peccaret; tum etiam quia Glossa in hunc locum dicit quod ex eo textu judex debeat judicare secundum allegata et probata.

Ad secundum, R. judicem nullam veritatem deserere quam debeat amplecti ; veritas enim quam judex debet sequi in judicio, non est ea quam ipse scit privatim, sed ea quam ab ore testium inquirit, et quæ in ore duorum vel trium consistit.

Inst. Judex humanus debet judicare sicut Deus judicat : atqui Deus judicat secundum rei veritatem. Ergo.

Ibid. ad 2. — *R. N. maj.* Quia Deo competit judicium secundum propriam potestatem, et ideo in judicando informatur secundum veritatem quam ipse cognoscit, non secundum hoc quod ab aliis accipit : alii autem judices non judicant secundum propriam potestatem, et ideo non est similis ratio. Non ergo debet homo judicare sicut Deus judicat, sed sicut Deus vult ipsum judicare ; vult autem ipsum judicare secundum scientiam publicam, *ut patet ex dictis.*

Repones. Judex ut judex movetur ex scientia privata ad examinandos accuratius testes, quidni ad ferendum judicium ?

R. 1° argumentum nimis probare. Ex eo enim sequitur quod judex in casu posset et deberet ex scientia privata absolvere probatum nocentum, quod non admittunt adversarii.

R. 2° *N. conseq.* Disparitas hæc est : judex movetur ex scientia privata ad examinandos accuratius testes, quia debet uti potestate publica absque propria vel negligentia, vel imprudentia, vel ignorantia, proindeque adhibere privatas animi dotes, industriam, sagacitatem, scientiam, etc., ut meliori quo possit modo perveniat ad scientiam publicam, et ex ea ad judicium rectum quod est finis processus juridici ; idque intendit

respublica, eaque sub conditione confert suam auctoritatem, unde et digniores et capaciores judices quærit. At adepta semel scientia publica, ex ea et non ex scientia privata judicis, respublica vult proferendum esse judicium, sicut ipsa proferret si judicaret : alioquin frustra juris ordinem instituisset, et in quacumque causa, hoc ipso quo judex esset privatim conscius facti, non deberet instituere processum nec audire et discutere testes, sed statim et solus proferre sententiam : quod est absurdum.

Obj. 3° Nemo prudens adhibet media contraria fini quem intendit ; sic medicus non adhibet media sanitati recuperandæ contraria : atqui depositiones testium adhibentur ut media ad adipiscendam veritatem : ergo si huic fini sint contrariæ, non sunt admittendæ, sed repellendæ.

R. D. min. Depositiones testium adhibentur ad adipiscendam veritatem facti absolute, *N.* ad veritatem facti publicam, *C.* Unde dicit S. Doctor, — Ibid. ad 3. — quod si factum sit manifestum judici et non aliis, vel aliis et non judici, necessaria sit judicis discussio, ut nempe perveniatur ad veritatem publicam quæ est finis depositionis testium.

Inst. Finis justitiæ est reddere unicuique jus vere suum. Ergo.

R. D. ant. Finis justitiæ privatæ, *C.* publicæ, *N.* Finis enim justitiæ publicæ est reddere unicuique jus suum non simpliciter, sed quantum potestas et scientia publica se extendere possunt, inquit hic Cajetanus.

Obj. 4° a multiplici paritate. *Prima paritas.* Judex certo sciens privata scientia Mariam non esse uxorem Joannis, licet juridice probetur talis, non potest illam condemnare ad cognoscendum Joannem, id exigentem ex malitia : ergo similiter in nostro casu.

Respondent quidam ex principiis positis, *negando antecedens ;* et sic innuitur c. *Tua nos*, de Sponsalibus ; sed addunt Mariam non posse parere huic sententiæ, nec accedere ad Joannem, quia cum sit persona privata, et copula sit actus conveniens homini ut privatæ personæ, debet in hoc regi scientia privata et non publica sicut judex.

Respondent alii, concesso antecedente, negando consequentiam, dantque disparitatem, quod Deus de vita hominis disponat ut voluerit, tradiditque hominibus regulas juxta quas et ipsi de ea disponant, non vero de corpore hominis in ordine ad actum carnalem extra matrimonium : hujusque disparitatis ratio esse potest quod pati mortem sit tantum malum physicum ex parte innocentis, accedere autem scienter ad non suam vel non suum sit malum morale ex parte accidentis.

Secunda paritas. Lictor est minister publicus reipublicæ non secus ac judex : atqui tamen si sciat privata scientia damnatum a judice ad mortem esse innocentem, non potest hanc sententiam exsequi : ergo nec judex illam proferre.

Respondet Cajetanus hic, *negando minorem* his verbis : « Ministe judicis debet » tali uti dexteritate, ut testimonium suum » infirmet sententiam iniquam ; et si hoc » non possit, debet petere ut sublevetur ab » hac exsecutione. Quod si nec hoc potest » obstinere, sed oportet ipsum obedire aut » cedere officio, licite potest publica mi- » nisteriali potestate uti a publica scientia » et potestate principali mota, sicut de ju- » dice dictum est ; eadem enim est ratio. » Propter quod secus esset si sententia con- » tineret errorem intolerabilem aut mani- » festam iniquitatem, quia tunc non ex » scientia (publica), sed ex ignorantia, » malitia aut negligentia publica moveretur : unde..... Auctor, q. 64, a 7, ad 4, » dicit, quod minister non peccat exse- » quendo, si sententia non contineat mani- » festam injustitiam, et non dicit manifes- » tam sibi, sed manifestam absolute. » Hucusque eminent. cardinalis.

Alii tamen aliquod discrimen esse existimant inter lictorem et judicem : quatenus lictor, licet ad hanc particularem exsecutionem utatur potestate et scientia publica, non incumbit tamen ipsi ex officio, sicut judici, jus dicere inter partes, conservare ordinem judiciorum, invigilare bono communi, etc., unde ex omissione ejus exsecutionis non sunt nata sequi mala quæ nata sunt sequi ex denegatione judicii ; ipsumque comparant militi qui, cum certo scit bellum esse injustum, non debet nec potest militare.

Tertia paritas. Si judex sciret se non habere autoritatem in reum, quantumvis testes deponerent illum eam habere, et minarentur mortem ne judicet, non posset judicare : ergo similiter si sciat esse innocentem, quia ad judicandum non minus re-

quiritur veritas criminis in judice quam auctoritas.

R. N. conseq. Disparitas est 1°, quod quando agitur de auctoritate judicis, ipse non sit in hoc judex ut hoc definiat per sententiam, et sic potest uti scientia sua privata. 2° Quia auctoritas judicis non pendet ex dispositione testium sicut pendet veritas publica in judicio, sed consequitur officium et superioritatem.

Quarta paritas. Si judex certo sciret legem esse injustam, aut factum non mereri talem pœnam juxta legem, non posset, secundam hanc legem, accusatum ad talem pœnam condemnare, quamvis multi contrarium assererent : ergo nec quem certo scit innocentem.

R. N. conseq. Disparitas est ut ante, quod æquitas legum non pendeat ex depositione testium, sicut veritas facti publica, sed ex eo quod sint conformes legi naturæ.

Quinta paritas. Si papa certo sciret aliquam propositionem de qua lis est esse veram, non posset illam dicere falsam, nec ut talem condemnare, quamvis multi doctores assererent esse falsam : ergo similiter in nostro casu.

R. N. conseq. Prima disparitas et iterum ut supra, quod definitio propositionis de fide non pendeat ex testimonio hominum, sed ex assistentia Spiritus sancti : unde ipse pontifex posset quandoque definire contra id quod ipse opinatur, si forte esset occulte hæreticus secunda disparitas est, quod nunquam liceat asserere falsitatem aut negare veritatem ; quod faceret pontifex in casu posito. At in nostro, judex non asserit falsum ; non enim dicit hunc innocentem esse de facto reum, sed dicit tantum probari reum et ideo damnandum : quod verum est.

Sexta paritas. Confirmator alicujus electionis non potest eam confirmare si certo noverit electum esse indignum, et tamen est judex illius electionis : ergo similiter in nostro casu.

R. N. conseq. Disparitas est, quod confirmator habeat jus confirmandi vel irritandi electionem prout judicaverit bono communi expedire, independenter a voluntate et testimonio electorum : ita ut sicut electores libere eligunt quem ipsi judicant esse dignum scientia privata, ita confirmator confirmet quem dignum judicaverit scientia sive privata sive publica : et in hoc differt a judice. In tantum autem dicetur judex electionis, in quantum potest illam confirmare vel cassare prout e re judicaverit.

Obj. 5° *ab inconvenientibus.* Ex nostra sententia sequitur, 1° quod Pilatus licite condemnaverit Christum, quamvis sciret ipsum esce innocentem ; 2° quod si ipse judex apposuisset malitiose accusatorem et falsos testes, quos postea non valere repellere, posset et teneretur condemnare quem privatim novit innocentem ; 3° quod si monasterium integrum accusaretur et testibus irrejicibilibus convinceretur de proditione patriæ, idololatria, vel alio simili crimine immani, judex, reclamante scientia privata, posset illud condemnare : atqui hæc videntur absurda. Ergo.

R. ad primum, nego sequelam. Quia juxta S. Scripturam, Pilatus non habuit *testimonia convenientia* contra Christum : unde ipsemet iis auditis confessus est se nihil in Christo dignum morte invenire.

Ad secundum, respondet noster Serra, non esse inconveniens, sicut non esset si judex apponeret accusatorem et testes falsos contra aliquem quem ipse solus agnosceret reum, et postea iis omnibus tentatis non posset illos repellere ; quamvis enim apponendo accusatorem et falsos testes gravissime peccaverit, non peccat tamen fungendo debito officio, parte et populo instante.

Alii, quibus dura videtur hæc responsio, arbitrantur quod, cum in hoc casu judex sit causa primordialis et voluntaria totius injustitiæ, teneatur iniquitatem suam aperire, et mori potius quam in ea pergere damnando innocentem : hæc solutio est magis pia ; sed prima forte verior saltem metaphysice loquendo, prout casus est vere metaphysicus : non enim est credibile quod judex non possit aliquo modo repellere accusatorem aut testes falsos quos ipsemet apposuit.

Ad tertium, respondet idem Serra, non esse inconveniens quod unus aut plures secundum allegata et probata condemnentur.

« Nullum ergo, concludit Dominicus Soto, » lib. 5, q. 4, a. 2, argumentatio aculeum » habet aut pondus adversus hanc D. Tho- » mæ (quam plerique meritissime amplexi » sunt) opinionem, nisi illud quod a pietate » sumitur ; videtur enim animus extimescere » innocentem morti adigere : hoc autem so- » lum persuadet quod sit in pendio quam » maxima adhibenda diligentia et cura in

» ejus tutelam, non tamen quod ejus causa » deserendæ sint leges, deserendaque tran- » quillitas publica. Est enim lex omnis hu- » mana, quantumvis justa, nihil aliud quam » cribrum expurgandi tritici, quæ nequit » sic exacte justa et injusta decernere, quin » cum purgaminibus nonnulla quandoque » decidant grana. »

ARTICULUS III.

Utrum judex possit aliquem condemnare privata scientia, absque accusatore et testibus, et non concesso defensionis loco?

Articulo præcedenti quæsivimus utrum judex possit judicare secundum privatam scientiam contra allegata et probata : nunc quærimus utrum possit judicare secundum privatam scientiam sine allegata et probatis.

Dico. Judex non potest aliquem condemnare ex privata scientia sine accusatione formali vel virtuali, sine testibus, et non concesso defensionis loco. Est communis cum Auctore contra Covarr. et quosdam alios qui id putant licere judici supremo, eo quod cum condat leges, possit ipsis derogare.

Hic. q. 67. a. 3. o. — *Probatur prima pars.* Condemnare aliquem sine accusatore, est contra naturam et rationem justitiæ : ergo. *Prob. ant.* Condemnare aliquem sine accusatore, est sibi ipsi reddere justitiam vel nulli, cum non sit alius qui petat : atqui hoc est contra rationem justitiæ, quæ non est ad seipsum sed ad alterum, et ideo necesse est quod judex inter aliquos duos judicet : ergo. Et hæc ratio probat non solum pro criminalibus ; sed etiam pro civilibus.

Ibid. ad 2. o. — *Probatur secunda pars* ex principiis superioris articuli. Judex est persona publica, vicarius reipublicæ, cujus nomine et potestate judicium profert : ergo debet moveri a scientia publica et per eam regi : atqui scientia publica habetur per testes. Ergo.

Prob. tertia pars ex communi hominum sensu et usu ubique etiam apud gentiles recepto : unde communia adagia : *Audi alteram partem*, et : *Nemo condemnatur inauditus.*

His rationibus accedunt jura. Fabianus papa, causa 4, q. 4, c. *Nullus*, sic decernit : « Nullus unquam præsumat accusator » simul esse et judex vel testis ; quoniam in » omni judicio quatuor personas necesse est » semper adesse ; id est, judices electos, » accusatores idoneos, defensores congruos » atque testes legitimos. » Idem c. sequenti. Et Clement. *Pastoralis*, lib. 2, tit. 11, versus finem dicitur : « De crimine præser- » tim sic gravi delato, defensionis (quæ a » jure provenit naturali) facultas adimi va- » luisset, cum illa tollere imperatori non li- » cuerit quæ juris naturalis existunt : » unde Act. 25 dicit Festus : « Non est consuetudo » Romanis damnare aliquem hominem, » priusquam is qui accusatur præsentes ha- » beat accusatores, locumque defendendi » accipiat ad abluenda crimina. »

Et ex his patet responsio ad fundamentum Covarruviæ ; quia hic non agitur tantum de legibus humanis, sed etiam de lege naturali aut saltem de jure gentium, quibus derogare non potest judex supremus.

Dixi, *sine accusatore formali vel virtuali* ; quia non semper requiritur formalis, sed quandoque sufficit virtualis, seu aliquid supplens vices accusatoris. — **Ibid. ad 2.** — Unde 1° quando crimen est publicum et simul notorius auctor criminis, potest reus condemnari absque accusatore imo et absque testibus, quia evidentia publica supplet vices accusatoris et testium et clamat pro republica : hinc can. *Evidentia*, lib. 5, tit. 1, dicitur ex S. August. *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Et c. *Manifesta*, causa 2, q. 1 : *Manifesta, accusatione non indigent.* Et cap. subseq. ibid. *De manifesta et nota pluribus causa, non sunt quærendi testes.* Eadem ratione non est opus accusatore formali nec testibus quando crimen committitur coram judice et aliis, ut cum judex cum suis videt furari, occidere, audit blasphemare, etc. Unde non sunt culpandi judices qui repertos in flagranti crimine, ut latrones in viis, milites errones, extemplo jubent suspendi.

Ibid. — 2° Infamia publica tenet locum accusatoris, non quidem ad condemnandum, sed ad inquirendum. 3° Denuntiatio juridica supplet etiam locum accusatoris ad inquirendum, non autem denuntiatio charitativa ; quia hæc respicit tantum emendationem delinquentis, illa vindictam criminis. Si tamen, facta denuntiatione charitativa et adhibita paterna monitione, reus non emendatur nec obedit prælato ; tunc manifesta ejus rebellio tenet locum accusatoris, et ex ea judex sine alio accusatore potest contra illum judicialiter procedere, si

nempe sit crimen quod in foro contentioso tractari conveniat.

Addunt Sylvester v. *Homicidium* 1 q. 2, et Navarr. in Man. c. 25, n. 1, quos sequitur Sylvius hic, quod si ex processu publico metuatur rebellio populi aut gravis aliqua perturbatio, princeps aut judex supremus possit, causa privatim discussa et certo cognita, jubere occidi reum inauditum, quia supponendo causam certo cognitam nulla fit ipsi injuria, cum nulla pateat ipsi via defensionis; et insuper urget ratio cur non audiatur. Id quidem non est improbabile, sed puto rarissime et vix unquam in praxi admittendum, cum ordinarie accidat quod id quod audita una tantum parte videtur certum, audita altera parte evadat dubium. Insuper hoc admisso, dicendum est jus naturæ aut gentium non prohibere condemnationem inauditi, nisi quatenus non constat nullam ei suppetere defensionem.

Minus autem dubium est quod, si non agatur de crimine patrato, sed patrando graviter bono communi pernicioso, ut si quis machinetur proditionem patriæ, quæ proditio averti nequit nisi morte machinantis, et id certo constet principi, possit hunc sine accusatore, sine testibus et inauditum jubere occidi, quia tunc non tam agit ut judex quam ut defensor boni communis suæ curæ commissi.

Petes utrum judex possit licite relaxare pœnam?

Ibid. 4. o. — *R.* Judex inferior non potest; quia inferior non potest dispensare in lege superioris. Potest judex supremus, scilicet princeps, si pars læsa consentiat et inde non sequatur damnum bono communi, quia potest dispensare in lege. Si autem alterutrum obstet, regulariter non potest; quia cum sit judex, debet cuique jus suum reddere et bono communi invigilare. Dico, *regulariter;* quia si bonum commune futurum ex relaxatione pœnæ præponderet juri privato partis læsæ, posset pœnam relaxare, etiam parte læsa non consentiente, quia bonum commune præferendum est particulari.

ARTICULUS IV.

Explicantur varii modi quibus judex potest procedere adversus crimina.

Petes 1° quot sunt modi quibus judex potest procedere adversus crimina?

R. tres assignari c. *Qualiter et quando* 2, Extra. l. 5, tit. 1, scilicet, per accusationem, per denuntiationem et per inquisitionem. Quia tamen denuntiatio pertinet ad inquisitionem et aperit viam ad illam, aliqui agnoscunt tantum duos modos procedendi, nempe per inquisitionem, cum judex præcedente infamia vel denuntiatione ex officio inquirit; et per accusationem, cum ad instantiam partis procedit et ejus probationes admittit. Hic modus nunc est rarus, ut dicam infra de accusatore.

Denuntiatio est duplex: una evangelica, seu charitativa; altera juridica. Prima fit superiori ut patri, in bonum et emendationem delinquentis; altera fit superiori ut judici, in vindictam criminis et bonum commune. De hac secunda hic agitur; vi primæ enim superior non potest inquirere ut puniat denuntiatum, sed tantum paterne illum monere: qui si tamen non obtemperet, tunc ex manifesta ejus rebellione, quæ supplet vicem accusatoris, potest contra ipsum judex procedere, ut dictum est art. præcedente.

Denuntiatio juridica differt ab accusatione, 1° quod accusator suscipiat onus probandi, non denuntiator; 2° quod accusator se faciat partem, non denuntiator; 3° quod accusatio fieri debeat in scriptis, non denuntiatio. Notat tamen clar. Pontas, verbo *Dénoncer* in procœmio, quod in Gallia, cum denuntiator teneatur ad expensas et ad damna, si denuntiatus justificetur, debeat subscribere apud fiscalem aut promotorem regium denuntiationi suæ. Conveniunt autem denuntiatio juridica et accusatio in fine, quia utraque intendit vindictam criminum pro conservatione justitiæ et boni communis, quatenus metu pœnarum mali arcentur a criminibus perpetrandis.

Inquisitio est triplex, generalis, specialis et mixta. Generalis, dum princeps, judex, aut superior inquirit in generali an leges observantur, an committantur crimina, an sint scandalosi, et similia: sic inquirunt generaliter prælati religionum in annuis visitationibus. Specialis, qua inquiritur de persona determinata et certo crimine, v. g. an Titius hoc homicidium commiserit. Mixta, qua inquiritur generaliter de persona et specialiter de facto, v. g. quis hoc homicidium commiserit; vel e contra, qua inquiritur generaliter de facto et specialiter de

persona, v. g. an Titius observet ordinationes, an non commiserit aliquod crimen.

Petes 2° quid requiratur ut judex licite procedat adversus crimina?

R. 1° Si procedat via accusationis, sufficit ipsa accusatio; quia cum judex sit persona publica et custos juris, hoc ipso quo accusator habet jus accusandi et jura admittunt accusationem, judex potest et tenetur illam admittere, et ex illa procedere ad interrogationem testium. Quod etiam verum est quamvis accusatio foret injusta in foro conscientiæ, puta, si accusator procedat ex odio; secus si esset injusta in foro externo, puta si esset calumniosa.

R. 2° Ad inquisitionem generalem nulla requiritur in judice rei aut criminis notitia; quia per hanc nulli fit injuria et bono communi prospicitur, dum vitia corriguntur et virtutes promoventur: unde c. *Perniciosum*, de Officio ordinarii, et l. *Congruit*, ff. De Officio præsidis, præcipitur superioribus ut certis temporibus visitationes instituant, et inquisitiones generales faciant: quod praxi quotidiana confirmatur.

Hic q. 33. a. 7. ad 5. — Adverte tamen, subditos non teneri nec posse revelare crimina occulta, quantumvis ipsis præcipiatur etiam sub censuris declarare omnia quæ sciunt; quia tale præceptum intelligitur salvo ordine correptionis fraternæ, charitatis et juris, ut exprimere solent superiores: nisi forte revelent superiori ut patri, præmissa tamen correptione fraterna, si credatur profutura; aut nisi inde immineat malum quod nonnisi opera superioris averti potest, ut si quis tractaret de proditione civitatis aut homines a fide averteret. Quod si aliqui imprudenter revelent occulta quæ tacere debuerant, id non est imputandum inquisitioni quæ de se ordinatur ad bonum, sed imprudentiæ vel inscitiæ subditorum qui ignoranter putant se ad omnia revelanda teneri. Ea ergo tantum revelare debent de quibus est infamia, vel etiam occulta quidem, sed ex quibus imminet detrimentum bono communi aut particularibus, ut dictum est. Ratio est, quia cum potestas inquisitionis sit publica, non se extendit ad inquirendum occulta, nisi ratio boni communis aut particularis exigat: unde c. *Qualiter et quando* 1, tit. de Accusationibus, pontifex dicit: « Volumus observari ut jurent clerici, quod super his quæ sciunt vel » credunt esse in sua ecclesia reformanda, » tam in capite quam in membris (exceptis » occultis criminibus), veram et plenam » dicant inquisitoribus veritatem. »

R. 3° Ad inquisitionem specialem tendentem ad punitionem, prærequiritur infamia auctoris aut aliquid æquivalens, supplens vices infamiæ. Ita decernunt jura in pluribus locis: c. *Inquisitionis*, § Tertiæ, Extra lib. 5, tit. 1 de Accusationibus, dicitur quod *inquisitio fieri debeat solummodo super illis de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Item c. *Qualiter* ibid. et c. *Cum oporteat*, ibid. et est communis theologorum et jurisconsultorum sententia. Ratio est 1°, quia cum inquisitio sit actus publicus, debet procedere ex scientia publica quæ habetur per famam publicam vel aliquid æquipollens, v. g. per evidentiam facti, per accusationem et similia. 2° Quia is cujus fama est integra, jure posset conqueri sibi fieri injuriam si in ejus vitam inquireretur, cum ex tali inquisitione ut minimum reddatur suspectus.

Ad infamiam autem requisitam non sufficit quod duo vel tres viderint aut jurent se vidisse, ut habet expresse c. cit. *Inquisitionis;* sed requiritur clamorosa insinuatio seu rumor publicus sparsus per majorem partem viciniæ, qui non habeat ortum a malevolis et maledicis, cit. c. sed talis sit, ut viros probos ac prudentes merito moveat ad suspicandum vel opinandum. Debet autem hæc infamia innotescere judici, si non per informationem juridicam, ut quidam volunt, saltem per informationem simplicem a viris fide dignis qui illam attestentur.

Dixi 1° *inquisitionem tendentem ad punitionem;* quia si fiat inquisitio tendens ad præcavenda mala impendentia communitati aut particularibus, licet inquirere specialiter absque infamia præcedente; quia ideo debet infamia præcedere inquisitionem specialem ne quis per eam infametur: hæc autem ratio cessat ubi agitur de præcavendo gravi malo communitatis aut particularis innocentis, utpote quod præferri debeat diffamationi particularis nocentis. Insuper judex, ut jam dixi, in hoc casu non tam agit ut judex quam ut custos et defensor boni sibi commissi. Si igitur agatur de matrimonio contrahendo, de collatione beneficiorum aut officiorum, de admissione ad religionem aut famulatum et similibus,

licet absque prævia infamia inquirere specialiter de vita et moribus personarum; alias omnia replerentur matrimoniis incestuosis, malis ministris et malis domesticis. Similiter si agatur de homicidiis, furtis, proditionibus, etc. impediendis, in his tamen ultimis casibus debet subesse quædam suspicio aut quoddam indicium cur potius de isto quam de altero inquiratur.

Dixi 2° *vel aliquid æquivalens, supplens vicem infamiæ*, ex quo nempe habeatur scientia publica : ut si quis libere confessus sit crimen in judicio etiam coram paucis, puta, coram judice et notario; quidam etiam addunt, si confessus sit extra judicium, sed coram multis; si quis crimen in ipso judicio committat et falsum testimonium; si crimen coram judice et aliis commiserit; si judici per generalem inquisitionem inquirenti declaretur, licet imprudenter, auctor criminis; si sit vehemens populi suspicio contra aliquem, ut contra famulos dum quæritur de interfectione domini in propria domo, contra nautas dum de submersione navis. Quia in his omnibus est notorietas juris vel facti, aut suspicio communis, ex quibus habetur quædam scientia publica, ideoque supplent vices infamiæ et sufficiunt ad inquisitionem specialem. Major est difficultas utrum denuntiatio juridica sive fiscalis alterius sive privati sufficiat ad inquisitionem specialem. Communior sententia affirmat, et est praxis communis omnium tribunalium, modo tamen denuntiator fidem faciat, proponatque indicia aut testes quibus crimen probari possit; quia talis denuntiatio tenet locum accusationis, et crimen denuntiatum sicut accusatum non censetur amplius occultum, cum cœptum sit nosci in judicio et possit probari; quod dicitur notorium juris, exindeque sit aliqua infamia : unde hæc sententia non contradicit juribus requirentibus infamiam aut aliquid æquivalens.

Ab hac generali responsione communiter auctores excipiunt quædam atrociora crimina, scilicet crimen læsæ majestatis, falsæ monetæ, hæresis et maleficii, quia in his propter atrocitatem magis spectatur bonum commune quam punitio. Prærequiritur tamen semper quædam suspicio; alias quare judex de me potius quam de alio inquireret?

Nota. Quæ hucusque dixi de inquisitione speciali, dicenda sunt de mixta, quæ est specialis ex parte personæ. Si autem sit specialis ex parte criminis tantum, idem esto judicium ac de generali.

Petes 3° utrum quando crimen est publicum et auctor ignoratur, possit judex inquirere quis fecerit?

R. probabilius affirmative cum Sylvestro, Navarro, Lessio et aliis; quia talis est praxis omnium tribunalium. Et alias si de crimine publico judex non inquireret, populus offenderetur, et malefici spe impunitatis invalescerent. Insuper nemini fit injuria per talem inquisitionem generalem.

Si dicas per eam dari occasionem revelandi peccatores occultos : *R.* id non oriri ex ipsius inquisitionis generalis conditione, quæ nonnisi illos qui revelari possunt intendit cognoscere, ut sunt ii de quibus est fama vel quid simile, ut dictum est; sed ex imprudentia vel ignorantia eorum qui interrogantur, dum ignorantes jure credunt se teneri omnia, etiam occulta quæ sciunt, declarare. Neque tamen, probabilius saltem, tenetur judex interrogandos instruere ne detegant auctorem occultum, quia offenderet populum et ipse redderetur suspectus corruptelæ et favoris in reum. Quod si occultus auctor detegatur, potest, secundum plures auctores, procedere specialiter contra illum; quia, inquiunt, hoc ipso quo criminis auctor est detectus publice seu in judicio, quamvis inique ex parte detegentis, potest et debet judex contra ipsum specialiter inquirere et convictum damnare, sicut si quis crimen alioquin occultum injuste in rumores publicos deducat : modo tamen ipse judex non sit causa per injuriam talis declarationis, ut suppono non esse præcise ex eo quod inquirat generaliter, et modo detectio per revelationem sacramentalis confessionis non habeatur.

ARTICULUS V.

Quid requiratur ut judex possit reum juridice interrogare, subjicere torturæ, et tandem condemnare?

Infra q. 69. a. 2. o. — *Dico* 1° Præter accusatorem formalem aut supplentem vices ejus, ut judex reum juridice interrogare possit, requiritur vel infamia juridice probata aut adminiculata, vel expressa indicia, vel semiplena probatio.

Hæc conclusio magis probatur auctoritate D. Thomæ, unanimi doctorum sensu et

communi tribunalium praxi quam ullo jure. Favet tamen etiam ratio. Etenim durum nimis et minus consentaneum conditioni humanæ ac rationi videtur, cogere reum fateri crimen in sui perniciem, dum adhuc est incertum et quodammodo occultum, ipsique suppetit ratio probabilis illud celandi, objecta repellendi, sicque evadendi : atqui ubi adest tantum simplex accusatio aut aliquid æquivalens absque ulla probatione, crimen est adhuc incertum, quodammodo occultum, suppetitque reo probabilis ratio illud celandi, objecta repellendi et sic evadendi. Ergo.

Dixi, *infamia juridice probata aut adminiculata;* quia simplex infamia aut per communem informationem cognito, non probat, sed tantum locum tenet accusationis, aperitque tantum viam ad inquirendum; quapropter non sufficit ut judex reum juridice interroget, sed debet esse vel adminiculata aliquo teste minus idoneo, aut aliquibus indiciis non manifestis, vel probata juridice per duos testes omni exceptione majores, qui deponant jurati esse vocem publicam a probis et non malevolis, aut a conjecturis atque indiciis verisimilibus ortam. Unde si reus possit excipere contra testes aut contra id quod afferunt, non tenetur fateri crimen.

Indicia sunt circumstantiæ aut signa ex quibus prudenter judicari potest talem esse reum, commisisse hoc crimen : et hæc debent etiam esse probata per duos testes juratos, item debent esse non levia, non remota, sed manifesta, seu, ut dicit C. Doctor, expressa; ita ut ex his vir prudens et probus moveatur ad judicandum verisimiliter de crimine et criminis auctore. Itaque non sufficit quod cadaver ad præsentiam alicujus emittat sanguinem, hoc enim iddicium est æquivocum et infirmum : item non sufficit quod saga supernatet aquis, est enim id indicium superstitiosum, potestque dæmon hac via nocentem liberare, et innocentem calumniari. Esset autem indicium sufficiens si quis accusatus vel infamatus videretur e loco homicidii egrediens, cultro aut gladio evaginato et cruentato; item si rixis assuetus et minis antea usus, inventus sit cum armis circa locum ubi commissum est crimen; item si communi suspicioni adjungatur fuga; item si quis se delicti auctorem facit coram viris fide dignis, qui illud jurati deponant; et alia plura quæ an sint sufficientia vel non, judicio judicis remittuntur.

Semiplena probatio est testimonium unius testis omni exceptione majoris, qui juratus aut sub præcepto formali deponat de visu si crimen consistat in facto, vel de auditu si consistat in verbis, ut blasphemia.

Hæc autem, nimirum vel infamiam probatam seu adminiculatam, vel indicia, vel semiplenam probationem, debet judex notificare reo, ipsique copiam informationis concedere ut videat rem esse in eo statu ut tencatur veritatem fateri : alioquin excusabitur ex ignorantia facti, nec tenetur in hoc credere judici.

Quod si judex dubitet an juridice interroget et agatur de sola punitione criminis, debet abstinere ab interrogatione, quia in dubio favendum est reo; secus si agatur de bono communi, quia bonum commune debet præferri privato. Si autem ipse reus dubitet, non tenetur respondere, ut dicam infra dum de reo. Neque potest judex interrogare de alio crimine de quo non est accusatus vel infamatus. Utrum vero reum confessum aut convictum possit judex interrogare de complicibus? *R.* quod cum reus hic interrogetur non tam ut reus quam ut testis, eodem modo resolvendum est de hac interrogatione ac de inquisititione Unde potest judex interrogare generaliter an sint complices, deinde qui sint; specialiter autem de infamatis tantum, nisi in casibus quos excepimus pro inquisitione speciali : consequenter reus non tenetur declarare nisi infamatos.

Dico 2° Reum juridice interrogatum non confessum, nec convictum in gravioribus causis, potest regulariter judex subjicere torturæ ad extorquendam veritatem. *Patet conclusio* tum ex jure c. *Illi qui*, causa 5. q. 5 et alibi, et ex praxi omnium tribunalium; idque est rationi consentaneum, alioquin malefici, dum putarent se non posse convinci per testes, impune peccarent, pleraque et gravissima crimina impunita manerent. Nec obest quod interdum innocentes torqueantur, non enim in rebus humanis omnia incommoda vitari possunt; et si tortura non adhiberetur, graviora forent adhuc inconvenientia.

Dixi 1° *reum juridice interrogatum :* ex quo liquet pro tortura ad minus requiri ea quæ requiruntur pro juridica interroga-

tione, scilicet vel infamiam juridice probatam aut adminiculatam, vel expressa indicia, vel semiplenam probationem; si tamen crimen aliter probari non possit: unde

Dixi 2° *nec confessum nec convictum;* quia si reus esset confessus aut convictus, non posset subjici torturæ, quia tortura non adhibetur ut punitio, sed ut subsidium in defectum probationum ad cognoscendam veritatem; et ideo ubi constare potest sive per confessionem rei, sive per depositionem testium, adhiberi non potest tortura, nisi forte in illis locis in quibus reus quantumvis convictus, non damnatur nisi proprio ore confessus.

Dixi 3°, *in causis gravioribus;* in quibus scilicet agitur de morte, mutilatione aut triremibus; non in levioribus; alioquin reus pateretur ultra meritum culpæ.

Dixi 4° *regulariter;* quia aliqui torqueri prohibentur a jure, ut senes et impuberes ob debilitatem, prægnantes ob periculum abortus, viri illustres et dignitate conspicui, doctores et eorum filii: excipe crimina jam pluries excepta, læsæ majestatis, proditionis et hæreseos.

Testis ut testis non potest torqueri, quia ut sic est sine culpa, tortura autem est grave supplicium. Potest autem si habeat rationem rei: v. g. Titius interfuit alicui negotio et potest testari, recusat tamen; potest torqueri, quia censetur ex malitia nolle testari: ita Bannes. *Ex quo inferes,* reum posse torqueri ad revelandos complices quod revelare tenetur.

Quod si judex per torturam contra juris ordinem adhibitam ab aliquo confessionem extorqueret, quamvis postea ratificet, non potest inde illum condemnare, quia prima confessio fuit irrita, utpote per injuriam extorta, et consequenter ejus ratificatio; et ideo judex inde illum condemnans, pergeret in injuria primum illata.

Si petas utrum semel tortus possit iterum torqueri? *Respondent* communiter doctores quod, si in tortura nihil fuerit confessus, non possit iterum torqueri, nisi sint gravissima indicia, vel nova supervenerint, quia ratione constantiæ censentur elisa indicia; quod si in tortura confessus fuerit et extra negaverit, potest secundo et tertio torqueri, quia illa revocatio non sufficienter elidit indicia; et alias nullus confiteretur extra torturam si sciret se non amplius illi subjiciendum. Ut tamen hæc atroci supplicio præfigatur aliquis terminus, notant iidem doctores reum non posse torqueri nisi ter; ita ut si tertio in tortura confessus, tertio extra illam revocaverit, debeat absolvi.

Dico 3° Judex in criminalibus non potest condemnare reum ad pœnam ordinariam, nisi confessum vel convictum per duos testes irrejicibiles secundum ordinem juris; alioquin gravissime peccat et tenetur ad restitutionem damnorum tanquam injusta illorum causa.

Patet 1° ex jure, causa 2, q. 1, c. 1, ubi dicitur: « Nos in quemquam sententiam » ferre non possumus, nisi aut convictum » rut sponte confessum. » Idem c. seq. 2° Ex praxi communi tribunalium. 3° Ratione; quia ut judex possit condemnare reum ad pœnam ordinariam seu lege taxatam, debet ipsi certo constare, et quidem per probationes luce meridiana clariores, ut loquuntur jura, l. *Sciant cuncti*, c. de Probat. lib. 4, tit. 29, ipsum admisisse crimen: atqui sic certo constare non potest judici, nisi reus sit confessus aut convictus per duos testes irrejicibiles, aut aliquid æquivalens, puta evidentiam facti; indicia enim quantumvis manifesta et expressa non faciunt nisi præsumptionem et verisimilitudinem, non certitudinem nec probationem luce meridiana clariorem: ergo.

Dixi 1°, *ad pœnam ordinariam;* quia si probationes proxime accedant ad plenam convictionem, etsi non certo convincant, poterit judex condemnare reum ad pœnam ordinaria leviorem, si bonum commune ita requirat.

Dixi 2°, *per duos testes irrejicibiles;* quia unus non sufficit ad convictionem, ut dicam infra de testibus.

Dixi 3°, *secundum ordinem juris;* quia si judex præter ordinem juris et per injuriam extorsisset cognitionem criminis a reo vel testibus, puta, per dolum, per iniquam torturam, sine prævia accusatione aut infamia, etc. sententia foret injusta et nulla quia tunc non procederet ex auctoritate publica.

Dico 4° In criminalibus judex potest judicare secundum opinionem minus probabilem faventem reo.

Sequitur ex præcedente. Hoc ipso enim quo jus accusati est probabile, jus accusa-

toris non est omnino certum nec luce meridiana clarius; proindeque damnari non debet accusatus. Et ita clamant ubique jura : *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori ; De reg. juris* in 6, reg. 11. *In obscuris minimum est sequendum ;* ibid. reg. 30. *In pœnis benignior est interpretatio facienda ;* ibid. reg. 49. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt ;* l. *Semper* 56, ff. de Divers. reg. *Favorabiliores rei potius quam auctores habentur ;* l. *Favorabiliores* 167, ibid.

Dico 5° In civilibus judex non potest judicare secundum opinionem minus probabilem ; sed tenetur judicare secundum opinionem quæ, omnibus attentis, ipsi videtur probabilior, sive agatur de probabilitate juris vel facti, est enim perinde. Ita nunc communiter.

Probatur. Respublica non contulit judicibus auctoritatem pro causis civilibus, nec litigantes se illis subjiciunt, ut pro libitu cui voluerint causas adjudicent, sed ea lege ac mente ut dicant jus secundum id quod æquius et verius aut saltem verosimilius apparet : hic est sensus omnium qui ideo advocatos et procuratores peritiores et eloquentiores quærunt, qui suum jus judicibus verosimilius reddant, et ea ratione in suas partes flectant : atqui judex judicando secundum sententiam minus probabilem relicta probabiliore, non dicit jus secundum id quod sibi æquius et verius aut verosimilius apparet, quin e contra secundum id quod minus verum et minus verosimile apparet et pro libitu : ergo prævaricatur. Unde merito Innoc. XI damnavit hanc propositionem : *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem :* est secunda. Latius de hac materia dum de probabilitate.

Sed quid si jura partium sint æque probabilia ?

R. 1° hunc casum videri metaphysicum ; vix enim fieri potest ut, rebus omnibus attentius, perspicacius et sæpius perpensis, tam de jure quam de facto maneat absoluta paritas. Sed hoc supposito,

R. 2° judicem non posse in gratiam unius potius quam alterius sententiam ferre, alioquin esset personarum acceptor ; cum in hypothesi non sit ratio cur uni potius quam alteri faveat : unde Alexander VII damnavit hanc propositionem : « Quando litigantes » habent pro se opiniones æque probabiles, » potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. »

Quidam dicunt judicem in hoc casu debere rem partibus dividere pro rata dubii ; sed, ultra quod in multis casibus res dividi non possit, non est hæc praxis tribunalium nisi quoad expensas, nec id exspectant litigantes a judicibus ; sed solent judices in dubio, seu quando jura partium non sunt liquida, convocare partes ad concordiam, seu, ut dicunt, *ad accordandum* : cui si consentiant, tunc locus est divisioni ; si non consentiant, revertatur judex ad examen instrumentorum litis, tam circa jus quam circa factum : et si, his diligentius discussis, aliqua major probabilitas affulgeat pro una parte, illi causam adjudicet ; sic enim censentur voluisse partes, dum concordiam et divisionem recusarunt. Quod si his non obstantibus jura remaneant omnino æqualia (quod tamen, ut dixi, vix possibile est), judex debet abstinere a judicio aut saltem differre donec veritas magis elucescat, monendo interim partes jura non liquere, ipsosque debere ulteriores probationes afferre, si possint.

ARTICULUS VI.

Utrum sententia injusta valeat et obliget ?

Nota. Tripliciter sententia potest esse injusta : ex animo proferentis, ex ordine juris, et ex causa. Injusta ex animo proferentis est, cum, servato jure partium et ordine juris, judex sententiam profert non amore justitiæ, sed vel odio, vel pretio, vel favore adversariorum inductus : sententia hoc modo injusta, quamvis peccet judex, valet et obligat, nec de illa est quæstio. Injusta ex ordine est, quando judex profert sententiam non servato ordine juris, puta, sine accusatore, sine infamia præcedente aut æquivalente, sine sufficiente probatione, vel extorta per vim aut dolum veritate : et hæc est invalida, neque obligat, quia non procedit ex publica potestate. Qui tamen per talem sententiam obtineret quod vere suum est, non teneretur restituere, non quidem vi sententiæ, sed quia non habet nisi quod suum est : sicut si vi vel fraude surripias quod tuum est, licet forte pecces, quia auctoritate privata exsequeris quod deberes publica, non tamen teneris restituere. Neque de sententia hoc modo injusta vertitur hic quæstio.

Sententia injusta ex causa est, quando judex condemnat aliquem propter crimen quod revera non admisit, aut alicui aufert quod vere suum erat, et confert alteri cujus non erat : et hæc sententia vel continet errorem apertum et intolerabilem, ut si quis damnetur propter recte factum, vel præcipiatur ipsi aliquid contra legem naturalem vel divinam, aut prohibeatur aliquid alterutra lege præceptum ; et hanc esse nullam nec ullatenus obligare indubium est : vel continet errorem occultum in quo fundatur, ut si judex secundum allegata et probata condemnet innocentem, aut re sua vel jure suo spoliet, sive interim judex privatim noverit innocentiam sive non. Et de ea quærimus utrum sit valida et obliget.

Quidam distinguunt inter causas sæculares et ecclesiasticas ubi agitur de beneficiis, et dicunt sententiam injustam ex causa in illis nullius esse roboris, valere autem in istis. Alii iterum distinguunt inter sententias de causis beneficialibus : alia enim est juris declarativa, qua dum aliqui litigant de beneficio quod neuter adhuc possidet, adjudicatur uni ; et hanc concedunt non valere : alia est privata, qua quis in pœnam delicti probati, licet non admissi, privatur beneficio quod possidebat et alteri confertur ; et hanc volunt esse validam atque obligare. Contra quos omnes

Dico. Omnis sententia injusta ex causa, sive in causis sæcularibus, sive ecclesiasticis, sive sit declarativa, sive privativa, est nulla, nec per se obligat. Ita Cajetanus q. 70, a. 4 ; Sylvius eadem q. a. 5.

Hic q. 60. a. 1. o. et q. 70. a. 4. ad 2. — *Prob.* 1° Sententia est conclusio judicii, proinde si nullum judicium, nulla est sententia : atqui judicium injustum non est judicium ; ergo sententia injusta non est sententia, et consequenter non obligat. *Prob. min.* Judicium est definitio seu determinatio ejus quod justum est : ergo judicium injustum non est judicium.

Ib. q. 67. a. 1. o. — *Prob.* 2° Sententia judicis est quædam lex particularis in aliquo particulari facto : atqui leges injustæ non sunt leges nec habent vim obligandi. Ergo.

Confirmatur ex principio communiter recepto apud theologos et jurisperitos, nimirum legem et sententiam fundatam in falsa præsumptione non obligare : atqui sententia injusta ex causa fundatur in falsa præsumptione. Ergo.

Hæ porro rationes militant, *ut patet*, pro quacumque sententia sive in causis sæcularibus, sive in ecclesiasticis, sive sit declarativa, sive privativa.

Dixi, *nec per se obligat ;* quia per accidens posset quis illi adstringi, ratione scilicet scandali, quando injustitia non est manifesta, seu error in quo fundatur non est notus ; tunc enim vel est appellandum, vel recurrendum ad superiorem, vel obediendum eatenus saltem ut vitetur scandalum natum sequi ex renitentia contra sententiam quæ communiter reputatur justa. Et hac ratione c. *Sententia* 1, causa 11, q. 3, dicitur. *Sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est.* Eadem ratione Ecclesia nuper condemnavit in Quesnello hanc famosam propositionem, ordine 91 : *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro.* Etenim injuste excommunicatus, cujus excommunicationis injustitia lateret, non posset publice interesse sacro aut aliis divinis officiis propter scandalum ; posse tamen secreto coram iis solis qui ejus innocentiam nosscrent.

Dices 1° *contra conclusionem.* Injuste damnatus, si non appellat a sententia, censetur illi consentire et juri suo cedere, juxta reg. 43 juris : *Qui tacet, consentire videtur.* Ergo.

R. N. ant. et ad regulam juris, dico eam esse veram duntaxat de eo qui tenetur loqui, injuste autem damnatus non tenetur appellare.

Dices 2° Si vera sit sententia nostra, maxime in causis beneficialibus, sequentur gravissima inconvenientia, nimirum, eos qui reputantur legitimi ministri, non esse legitimos, et consequenter carere jurisdictione, eorumque acta, absolutiones, collationes, præsentationes, etc. esse invalida. Ergo.

R. N. illationem ; quia ubi est titulus coloratus cum errore communi, quamvis non sint legitimi ministri, Ecclesia tamen illis confert jurisdictionem ad singulos actus, ut dicam infra, et jam dixi supra.

Ex dictis colliges quod, qui scienter per sententiam sic injustam obtinet rem vel beneficium alterius, teneatur restituere cum omnibus expensis litis et fructibus etiam

consumptis, neque possit unquam præscribere ; qui est possessor malæ fidei. Si autem bona fide processit, statim ac cognoscit injustitiam sententiæ, tenetur rem vel beneficium restituere (si tamen durante bona fide non præscripsit), non autem expensas litis, neque fructus consumptos, nisi in quantum factus est ditior, quia fuit hucusque possessor bonæ fidei. Is vero qui patitur hanc injustitiam, si aliter non possit se servare indemnem, potest uti compensatione occulta servatis servandis.

APPENDIX.

De acceptatione munerum.

Quæritur utrum judex possit acceptare munera ?

Non est quæstio de justo stipendio sive a republica sive a partibus conferendo, id enim licite accipi indubium est ; neque de muneribus quæ conferuntur et acceptantur ex condicto pro ferenda sententia justa vel injusta ; hæc esse illicita infra probabimus dum de Contractibus ; sed de muneribus sponte et pure gratuito oblatis ad captandam judicis benevolentiam.

R. Non licet judici acceptare munera ante latam sententiam.

Probatur ex jure. L. *Plebiscito*, ff. de Officio præsid. lib. 1, tit. 18, dicitur : « Plebiscito continetur ut ne quis præsidum » munus, donum caperet, nisi esculentum » poculentumve, quod inter dies proximos » prodigatur. » Idem l. *Solent* 16, tit. 16, et alibi. Et in jure canonico, c. *Statutum*, § Insuper, de Rescriptis in 6, lib. 1, tit. 3 : « Insuper ut gratis et cum omni puritate » judicium coram ipso procedat, nullum » munus vel quidquam aliud (nisi forte escu» lentum vel poculentum mera liberalitate » oblatum, quod paucis diebus consumi » possit...) recipere ab eisdem partibus » qualitercumque præsumant. »

Ratio est ; quia munera nata sunt corrumpere judices et eos a veritate atque justitia avertere, juxta illud Deuteron. 16 : *Non accipies personam nec munera, quia muneraexcœcant oculos sapientium et mutant verba justorum ;* et illud Eccles. 20 : *Dona excœcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Ex quo inferunt quidam, judicem teneri ante sententiam latam, munera accepta remittere ; quia sunt ipsi periculum proximum prævaricationis : imo si sit judex ecclesiasticus, etiam post latam sententiam, tenetur restituere quantumvis remittant ii qui donaverunt ; ex dicto cap. *Statutum*, § Si quid, his verbis : « Si quid autem contra constitutionem præsentem receperit, » ad ipsius restitutionem integram teneatur : » nulla eorum quibus restitutio facienda » fuerit, remissione profutura eidem. » Secus de judice sæculari, quia donatio liberalis, qualis hic supponitur, transfert dominium, nisi specialis constitutio obstet.

Dixi 1° *ante latam sententiam ;* quia multis videtur munera accepta post latam sententiam non inferre periculum subversionis, proindeque non esse prohibita. Verum quia potuit moveri judex intuitu retributionis quam ab illo, puta, ditiore, potius quam ab alio sperabat, aut saltem possit inde moveri ut in posterum in gratiam opulentiorum a quibus major est spes munerum, judicet, lubricum valde reputo etiam post latam sententiam munera acceptare.

Dixi 2° *munera*, quia munuscula, maxime in esculentis et poculentis quæ brevi consumi possunt, non prohibentur etiam ante sententiam, *ut patet* ex juribus citatis, quia non censentur sufficientia ad movendum animum judicis, quia tamen aliquo usque inclinant, integris judicibus vitanda consulimus.

Porro ubi non licet judicibus acceptare munera, nec licet litigantibus offerre. Excipiunt nonnulli nisi offerenti certo constet de justitia suæ causæ, aut nisi offerat ad redimendam vexationem, puta, quia aliter justitiam obtinere nequit, modo tamen absit scandalum. Verum quia familiare est litigantibus sibi adblandiri, causasque suas quantumvis dubias pro certis habere, atque judices licet integros tanquam morosos et negligentes inculpare, metuendum est ne, sub prætextu obtinendæ justitiæ, ipsa pervertatur cum injuria proximi : et ideo hanc praxim alea plenam consulere nolim.

DIGRESSIO I HISTORICA.

UTRUM DEBBORA SIT NUMERANDA INTER JUDICES ISRAEL ?

Dico 1° Probabile est Debboram numerandam esse inter judices Israel.

Probatur ex S. Scriptura, Judicum 4, ubi dicitur : *Erat autem Debbora prophe-*

tis, uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore: et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel in monte Ephraim; ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium.

Respondent sententiæ contrariæ patroni, Tostatus, Cornelius a Lapide, Estius, Tirinus et alii, Debboram jus dixisse in Israel non principatu aut potestate judiciaria, sed voluntate populi qui ad illam ut ad arbitrum confluebat, eo quod esset prophetissa et prudens.

Sed contra. Verba S. Scripturæ sunt intelligenda in proprio et obvio sensu, si nihil inde sequatur absurdi : atqui S. Scriptura dicit de Debbora sicut de aliis judicibus quod judicaverit populum, et quod universi Israelitæ ad ejus tribunal causas detulerint; nec inde, si hæc verba proprio sensu intelligantur sicut de aliis judicibus, sequitur aliquid absonum. Ergo.

Adde quod hæc S. Scripturæ verba in eodem ac nos sensu intelligant SS. Patres, Clemens Alexand. lib. 1 Stromat. Ambrosius lib. 1 de Viduis; Hieron. Epist. 10 ad Furiam; Aug. lib. 18 de Civit. cap. 25, et alii.

Dices 1° Ante bellum Chananæum Debbora non fuit proprie et auctoritate judex in Israel, ejus enim principatum passi non fuissent Jabin et Sisara qui tyrannidem exercebant in Hebræos : post vero tyrannos illos devictos, Barac fuit Judex in Israel, cujus et non Debboræ meminit Apostolus Hebr. 11.

2° Debbora cap. sequenti se vocat *matrem in Israel*, non principem, aut dominam; quinimo semel et iterum nominat principes Israel.

3° Proprium judicum erat in bello ducem agere, quod non præstitit Debbora. Ergo.

R. ad primum. N. ant. pro prima parte, et ad probationem dico Jabin et Sisaram id vel invitos passos fuisse, Deo ita volente, vel ex œconomia dissimulasse; nec est quod tam levis conjectura nos impediat quin tam aperta S. Scripturæ verba in proprio eorum sensu cum Patribus intelligamus. *Nego similiter secundam partem ant.* Nihil enim repugnat fuisse simul duos judices, sicut fuerunt simul duo pontifices, Sadoc et Abiathar; nec omnium judicum meminit Apostolus ad Hobr. Potest etiam dici quod Debbora quæ, Deo auctore, principatum ad tempus susceperat, ut Hebræos a servitute vindicaret, profligatis hostibus et pace reddita, a principatu et munere judicandi abstinuerit, et Baraco duntaxat consilio adfuerit.

Ad secundum. Debbora se vocat *matrem* ab amore et sollicitudine boni publici, sicut reges et imperatores plerique vocati sunt *patres populi :* nominat autem *principes Israel*, id est, majores et illustriores, sicut ibidem nominat reges, cum tamen certum sit non fuisse tunc reges in Israel.

Ad tertium. Si non fuit Debbora dux belli quia id minus decebat, fuit saltem belli auctor et socia, ducemque constituit Barac.

DIGRESSIO II HISTORICA.

UTRUM JUDICIUM SALOMONIS IN FRATREM ADONIAM FUERIT JUSTUM?

Adoniam petentem sibi uxorem Abisag Sunamitidem jussit Salomon interfici, 3 Reg. 2. Fuitne justum hoc Salomonis judicium?

Dico. Videtur hoc Salomonis judicium fuisse justum.

Prob. Adonias petens sibi in uxorem Abisag, quæ secundum probabiliorem sententiam, fuerat vera David patris sui uxor, licet intacta, contendebat eo dolo parare sibi viam ad thronum, ita quod a prioris conspirationis consilio non destiterat, sed res novas cum Joab et Abiathar moliretur. Cum enim Adonias esset primogenitus, eleganti forma præditus, populo non ingratus, et paulo ante rex proclamatus, haberetque in suis partibus Joab ducem militiæ et Abiathar summum pontificem; si ad hæc accederent nuptiæ cum Abisag nuper regina, quæque erat populo ob venustatem et honestos mores admodum grata, facilis ac prompta erat Adoniæ via ad regnum. Idque intendere Adoniam probe intellexit Salomon perspicacissimo ingenio, aut forte revelatione divina; unde respondens matri dixit : *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? Postula ei et regnum : ipse enim est frater meus major me, et habet Abiathar sacerdotem et Joab filium Sarviæ;* ibid. Ergo Adoniam tanquam læsæ majestatis reum merito capite damnavit Salomon. Adde quod S. Scriptura alibi improbet hoc Salomonis judicium.

Dices 1° Salomon condonaverat Adoniæ conspirationem. Ergo. 2° Adonias cum esset primogenitus, jus suum ad regnum prosequebatur.

R. ad primum, Salomonem non condonasse Adoniæ priorem conspirationem quam vivente Davide fecerat, nisi conditionate : *Si fuerit*, inquit, *vir bonus, non cadet ne ullus quidem capillus in terram; sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur*, 3 Reg. 1. Invenit autem Salomon malum in eo ex petitione Abisag.

Ad secundum, *R.* primogenitum tunc non habuisse jus ad regnum, sed id pendere ex voluntate patris; unde Abias licet esset tantum quartus inter filios Roboam, illi tamen successit : adde quod quamvis Adonias habuisset jus ad regnum, illo fuerat merito privatus, quod vivente patre regiam potestatem usurpasset. Insuper sciebat Adonias Salomonem esse constitutum regem Dei voluntate : unde dicit Bethsabee : *Translatum est regnum et factum est fratris mei; a Domino enim constitutum est ei* : 3 Reg. cap. 2.

DISSERTATIO XIII.

DE INJUSTITIA ACCUSATORIS ET TESTIS.

D. Th. QQ. 68 et 70.

ARTICULUS I.

Utrum et quando homo teneatur et possit accusare?

Nota. Accusatio definitur : *Relatio rei de crimine ad vindictam publicam, facta per eum qui spondet se probaturum.* Dicitur 1°, *delatio rei de crimine;* quia si sit de interesse civili, non dicitur accusator, sed actor. Dicitur 2°, *ad vindictam publicam;* quia finis accusationis est per vindictam seu punitionem publicam, scelerum procurare bonum commune et quietem reipublicæ, quatenus metu pœnarum populi deterrentur a malo. Dicitur 3°, *facta per eum qui spondet se probaturum;* et in hoc maxime accusatio differt a denuntiatione, ut jam dictum est.

Nota 2° De jure communi sex conditiones requiruntur ad accusationem legitimam : prima, ut fiat in scriptis; secunda, ut exprimatur dies et annus quo intentatur : hæc modo non requiritur; tertia, ut exprimantur nomina accusatoris et accusati; quarta, species delicti; quinta, locus et tempus delicti, saltem mensis et annus; sexta, inscriptio accusatoris qua se obligat ad pœnam talionis si non probet. Et hæc etiam in pluribus locis nunc non est necessaria pro foro sæculari, quia pluribus in locis pœna talionis non est amplius in usu, ne propter eam homines ab accusando retrahantur. Notat tamen Pontas adhuc vigere in Gallia. Alibi autem, quamvis accusator deficiens in probatione non damnetur rigorose ad pœnam talionis, si tamen sit accusator calumniosus, punitur pœna minore ad arbitrium judicis.

Q. 68. a. 3. o. et in resp. ad arg. — *Nota* 3° Accusatio triplici modo redditur injusta, scilicet, *calumnia, prævaricatione* et *tergiversatione. Calumnia*, cum quis accusando alteri falsum crimen imponit ex malitia; si enim ex juxto errore vel ex animi levitate accusaret, quia nimis facile credit quod audivit, non est calumnia, sed temeritas. *Prævaricatione*, quando quis, postquam accusavit, fraudulenter recitet quæ spectant ad probationem criminis, et frivolas rei excusationes admittit. *Tergiversatione*, quando totaliter ab accusatione desistit, non qualitercumque, sed inordinate; si enim adverteret in processu esse falsum id de quo accusavit, aut princeps aboleret accusationem, ab ea tunc tenetur desistere, et hoc non est tergiversari. Calumnia nocet reo, prævaricatione et tergiversatione nocet reipublicæ, impediendo punitionem peccatorum ipsi nocivorum, cujus tamen bonum maxime intenditur per accusationem.

Verum non ubique nec promiscue admittitur accusatio. Notat Lessius quod in regno Neapolitano non admittatur nisi ad suum et suorum injuriam vindicandam. Notat Pontas quod in Gallia sit prohibita omnis accusatio ad vindictam publicam, nisi procuratoribus generalibus et fiscalibus, et quod solum permittatur pro interesse civili; excipit crimina læsæ majestatis et falsæ monetæ, in quibus quilibet potest accusare.

Q. 68. a. 1. o. — *Dico* 1° Quando crimen alienum vergit immediate in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accusandum, si probare possit et non prohibeatur aliunde accusare; si vero non vergat immediate in detrimentum reipublicæ, non tenetur per se loquendo.

Probatur prima pars. Unusquisque tenetur succurrere bono communi tanquam membrum suo corpori, et pars suo toti, quando periclitatur et detrimentum patitur : atqui illi succurritur per accusationem factam judici, quatenus judex puniendo publice crimina accusata, continet metu pœnæ criminosos in officio, sicque conservat atque procurat tranquillitatem et bonum reipublicæ. Ergo.

Si dicas hunc finem posse obtineri per denuntiationem juridicam, proindeque non esse necessariam accusationem : *R.* quædam crimina posse esse tam subita et tam occulta, ut non sufficeret denuntiatio, sed necessaria sit accusatio cum testibus qui illam probent. Cæterum ubi per denuntiationem juridicam potest æqualiter succurri bono communi, concedimus eam sufficere, nec esse necessariam accusationem; et forte S. Thomas, ut hic advertunt Soto et Bannes, sub accusatione intellexit denuntiationem juridicam, tanquam imperfectum sub perfecto, vix enim inter se differunt : sicut infra q. 70, a. 1, ad 2, sub denuntiatione intelligit accusationem.

Prob. secunda pars. Quando crimen non vergit in detrimentum reipublicæ, sed alicujus privati tantum, ipse læsus potest cedere jure suo, sicque non tenetur accusare læsorem. Alterum autem non læsum nihil cogit accusare, cum crimen non sit contra bonum commune. Ergo.

Dixi 1°, *crimen alienum;* quia, cum seipsum prodere inclinationi naturali nimium adversetur, nemo tenetur crimen proprium accusare. Unde S. Chrysost. Hom. 31 in Epist. ad Hebr. cit. a S. Th. q. seq. a. 1, in arg. s. c. dicit : *Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses.* Excipe tamen, nisi forte accusatio tui foret necessaria ad reparandum æquale aut majus damnum quod alteri intulisses. Hinc inferunt theologi, te non teneri accusare complicem tuum, vix enim fieri potest quod accusando complicem non teipsum prodas, cum iste complex juridice interrogatus tenebitur te fateri complicem. Item probabiliter inferunt, neminem teneri ad accusandum aut denuntiandum patrem, matrem, filios, uxorem, quia ii censentur una et eadem persona; item neque si ex accusatione aut denuntiatione immineat tibi grave damnum. Excipe tamen nisi gravis et urgens reipublicæ necessitas, quæ tuo aut tuorum damno merito præferri debeat, accusationem aut denuntiationem exigat.

Dixi 2°, *quando vergit immediate in detrimentum reipublicæ;* quia non sufficit quod vergat mediate in detrimentum reipublicæ; cum enim omne crimen sit in detrimentum alicujus, et hoc ipso sit mediate in detrimentum totius, quia pars est totius, sequeretur quod nullum esset crimen quod non deberet accusari : quod nemo admittit. Requiritur ergo quod sit immediate et directe contra bonum commune, ita quod bonum commune sit proximum et immediatum objectum quod illis criminibus expugnatur et conturbatur. Hujusmodi sunt hæresis, proditio civitatis, compilatio ærarii publici, crimen læsæ majestatis et falsæ monetæ, latrocinia per vias publicas, et similia. Et hæc non solum quidem committenda; id enim per se non respicit accusatio, sed etiam commissa, quia accusatio per se respicit vindictam seu punitionem, et per punitionem bonum commune, quatenus metu pœnæ deterret a malo nocivo reipublicæ; punitio autem non debetur criminibus committendis, sed commissis.

Quod si tamen ex crimine jam commisso nullum ulterius damnum sit timendum, puta, quia est occultum, auctor certo emendatus, ad omnem reparationem promptus, neque ullum est periculum quod ipse vel alter ejus exemplo in idem incidat, ita quod non multum intersit reipublicæ illud puniri; videtur quod in tali casu accusatio non esset necessario facienda.

Ibid. — Dixi 3°, *si probare possit;* quia nemo tenetur ad hoc quod non potest debito modo perficere. Neque solum non tenetur, sed nec licite potest tunc accusare; quia esset sine causa et sine utilitate diffamare proximum, ideoque in hoc casu accusator teneretur ad restitutionem tanquam injustus diffamator. Idem videtur dicendum, proportione servata, de denuntiatore juridico; quia licet denuntiator non teneatur probare, tenetur tamen insinuare judici testes idoneos et sufficientes, ex quibus appareat crimen probandum.

Dixi 4°, *si non prohibeatur aliunde accusare;* quia, ut jam notavi, non ubique nec omnibus promiscue permittitur accusatio. Insuper in jure prohibentur accusare clerici, excommunicati, infames et plures alii. Attamen observat Sylvius ex Asorio,

quod nunc, a quocumque porrigatur querela, judices eam admittant ex consuetudine. Saltem qui accusare prohibentur, tenentur in casu denuntiare, etiam ipsi clerici in propria causa vel reipublicæ, absque metu irregularitatis, modo protestentur se non intendere sanguinem.

Dixi tandem 5° in secunda parte conclusionis, *per se loquendo*, hoc est, attenta natura accusationis, quæ per se tendit ad vindictam et per vindictam ad bonum commune; quia per accidens posset quis teneri ad accusandum, vel denuntiandum, vel declarandum crimen quod non foret in detrimentum reipublicæ, sed alicujus particularis tantum; puta, ratione vel officii, vel pacti, vel juramenti, ut sunt fiscales, custodes sylvarum et tributorum; — Q. 70. a. 1. o. — vel tandem ratione charitatis, ad avertendum damnum impendens proximo, ut ad liberandum innocentem ab injusta morte, a falsa infamia, vel alio damno, juxta illud Psal. 81 : *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Et Proverb. 24 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem.*

Dico 2° Quando crimen commissum est in detrimentum alicujus particularis, quandoque potest homo accusare, quandoque non potest.

Probatur et explicatur. Si accusator sit pars læsa, potest accusare, quia non tenetur cedere jure suo, sed potest petere debitam satisfactionem contra læsorem, proindeque ipsum accusare. Idque potest non solum ipse qui immediate læditur, sed possunt ii omnes qui ita illi sunt conjuncti ut censeantur una persona cum illo, quales sunt pater, filius, uxor, quia ipsi etiam censentur læsi; imo quidam extendunt usque ad quartum gradum secundum jus canonicum, alii usque ad octavum secundum jus civile.

Observandum tamen quod, si læsor offerat plenam satisfactionem, et aliunde sit emendatus aut non sit solitus talia perpetrare, saperet vindictam, foretque contra charitatem illum accusare. Item accusatio non est licita, si ex accusatione immineat longe majus damnum quam id quod patitur læsus accusans.

Si accusator non sit pars læsa, potest accusare crimina privatis tantum, imo ipsi soli peccanti noxia, ut furta secreta, detractiones, ebrietates, fornicationes, etc., quando delinquens laborat infamia aut crimina sunt manifesta; quia sicut respublica per judices juste illa punit, ut omnes in officio contineantur et tranquillo vivant, ita quicumque potest illa judici accusare seu denuntiare. Si vero delinquens non laboret infamia, aut crimina non sunt manifesta, accusare non potest; quia magis conducit bono communi, ut crimina quæ reipublicæ non nocent graviter, et ex quibus commissis non imminet cuiquam alterius damnum, maneant occulte et impunita, quam puniantur cum detrimento famæ, honoris, fortunæ aliorum, et sæpe reipublicæ perturbatione. Hinc existimo quod, qui in hoc casu accusaret, peccaret contra justitiam et teneretur ad restitutionem, quia sine causa proximum diffamaret et damnificaret.

Petes utrum accusationi vel denuntiationi juridicæ, sive necessariæ sive licitæ, debeat præmitti monitio fraterna?

Alii affirmant, alii negant : utramque sententiam refert S. Thomas in 4, d. 19, q. 2, a. 3, q. 1, ad 4, his verbis : « Ad accusationem, ut quidam dicunt, procedi » non debet secundum forum conscientiæ, » monitione non præmissa, nec emenda» tione exspectata, nisi forte majori peri» culo obviandum videatur, aut peccatum » sit publicum.... Vel dicendum secundum » alios, quod in accusatione non agitur ad » emendationem peccantis, sed ad bonum » commune, scilicet justitiam conservan» dam per punitionem delinquentis : et ideo » accusatio in judicio bona conscientia po» test fieri si admonitio non præcedat; nec » est contra præceptum Domini, quod in» telligitur ad emendationem peccantis. » Hanc secundam sententiam magis arridere S. Doctori *patet* ex terminis, sed et maxime ex Quodlib. 1, a. 16, et Quodlib. 11, a. 13, ubi eamdem tuetur sententiam. Unde

R. probabilius nobis videri, per se loquendo, correptionem fraternam non esse necessario præmittendam accusationi vel denuntiationi juridicæ. Ita cum S. Thoma, Sylvius, Less. Pontas, Daelman, etc. *Patet* ratione data D. Thomæ : quia per accusationem aut denuntiationem juridicam non intenditur emendatio fratris, sed rei punitio ad conservandam justitiam, et in aliorum exemplum : unde videmus reos etiam emendatos, a judicibus supplicio affici. Per accidens tamen si esset spes emendationis et

mali avertendi, nec multum interesset boni communis ut reus puniretur, peccaret saltem contra charitatem qui non prævia correptione fraterna accusaret. Et hoc sensu intelligi potest canon *Qualiter*, de Accusat. ubi dicitur quod denuntiationem debeat præcedere monitio; vel intelligendus est de denuntiatione evangelica.

Utrum liceat accusare vel denuntiare crimen sub secreto commissum, dicam modo de testibus.

ARTICULUS II.

Utrum et quando homo teneatur testificari?

Q. 70. a. 1. o.—*Dico* 1° Testis interrogatus juridice a suo legitimo judice, tenetur per se loquendo, respondere secundum veritatem quam novit; quia unusquisque tenetur obedire suo superiori legitime præcipienti.

Tunc autem testis interrogatur juridice, quando interrogatur prævia accusatione, si judex procedat via accusationis; vel prævia infamia, vel aliquo supplente vices ejus, si procedat via inquisitionis, ut diximus dissert. præcedente a. 4, pet. 2: require. Quod vero S. Thomas dicat hic, testem interrogari juridice quando interrogatur *de manifestis et de his de quibus infamia præcessit*, vel loquitur de judice procedente per viam inquisitionis tantum; vel si loquatur de judice quocumque modo procedente, etiam accusationis, per *manifesta* intelligit quæ probari possunt in judicio per sufficientes testes et dicuntur notoria juris: unde supra q. 68, a. 1, ad 3, dicit: *Nec omnino est secretum quod per sufficientes testes potest probari;* et juxta Glossam in c. *Manifestum*, causa 2, q. 1, *Manifestum est quod probari potest.* Et communiter definitur, quod patet pluribus sed non omnibus.

Dixi, *per se loquendo;* quia per accidens testis non tenetur respondere in certis casibus:—**Ibid. ad 2.**— 1° non tenetur nec potest, si crimen noverit ex sola confessione sacramentali, etiamsi inde penderet salus totius reipublicæ; quia hujusmodi non scit ut homo, sed ut Dei minister, et majus est vinculum sacramenti quolibet hominis præcepto.

Ibid.—2° Circa ea vero quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est: quandoque enim sunt talia quæ statim cum ad notitiam venerint, homo ea manifestare tenetur, puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud quod quis etiam non interrogatus propalare tenetur vel testificando vel denuntiando, vel declarando; et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, etiam juramento firmatum, quia secretum non obligat contra bonos mores, nec juramentum est vinculum iniquitatis. Quandoque vero sunt talia quæ quis prodere non tenetur, et hæc sub secreto commissa, nec tenetur nec potest prodere etiam præcepto superioris; quia servare fidem est de jure naturali; nihil autem potest præcipi contra id quod est de jure naturali.

Porro hi potissimum ac strictiori jure tenentur servare secretum, ad quos miseri peccatores confugiunt causa solatii, consilii, auxiliive accipiendi ad salutem animæ vel corporis; ut sunt theologi, jurisconsulti, medici, chirurgi, obstetrices, etc. Non enim obesse debet misero homini quod tibi causa solatii, consilii aut auxilii accipiendi secreto aperuit; alioquin a petendis consiliis deterrerentur peccatores: unde mala gravia sequerentur in detrimentum boni communis. Quapropter censeo hos raro teneri aut posse prodere nisi crimina committenda aut continuanda, ex quibus reipublicæ vel particularibus immineret grave damnum quod aliter impediri non posset.

3° Non teneris testificari, si ex testimonio tuo tibi vel tuis immineat notabile damnum, quia præceptum superioris non obligat cum tanto dispendio: excipe tamen nisi ex silentio tuo immineret reipublicæ grave damnum, aut proximo damnum longe gravius tuo. Hinc si jure timeas ne testificando reus revelet crimen tuum occultum ad infirmandum tuum testimonium, aut proponat contra te exceptionem ex qua tibi vel tuis sequatur infamia, aut inde oriantur rixæ, odia, homicidia, etc. non teneris testificari; excipe semper nisi ex denegatione testimonii sequatur grave damnum communitati.

Ut autem testis juridice interrogatus teneatur respondere, debet ipsi innotescere se juridice interrogari. Et ideo si procedatur via inquisitionis, judex debet ipsi ostendere quod præcesserit infamia aut aliquid æquivalens; si via accusationis, debet ostendere

quod crimen sit probabile per sufficientes testes, alias propter ignorantiam excusabitur, si non respondeat : unde si sit ipse unicus testis, juxta Bannem, Ledesma, Serram et alios, non tenetur respondere, quia accusatio cum uno tantum teste est temeraria et injusta, nec testis vi illius interrogatur juridice. Neque refert quod, crimine per unum testem semiplene probato, reus possit torqueri, quia ad accusatorem pertinet reum convincere et non illum accusare sub spe confessionis ejus quæ est incertissima, alioquin est imprudens et temerarius. Excipe casum in quo etiam non interrogatus teneretur loqui.

Ibid. — *Dico* 2° Si testis interrogetur a non legitimo suo judice, vel etiam a legitimo judice, sed non juridice, distinguendum est; quia si testimonium ejus requiratur ad liberandum hominem vel ab injusta morte sub pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur ad testificandum; imo si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est ut veritatem denuntiet alicui qui ad hoc potest prodesse; id enim exigit lex charitatis : unde, ut jam notavi. Psalm. 81 dicitur : *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate;* et Proverb. 24 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Et hoc etiam verum est, ubi ageretur tantum de vitando damno proximi, licet divitis, in bonis temporalibus; sicut enim teneris ex charitate latronem invadentem bona proximi, etiam divitis, impedire si commode potes, ita et testificari si sit necesse ad impediendum ejus damnum, quia charitas hic non respicit inopiam, sed damnum imminens. Nec est simile de obligatione dandi eleemosynam quæ non urget nisi in necessitate, quia ad dandam eleemosynam debes auferre ex propriis, non autem ad testificandum.

Ibid. — Si vero testimonio ejus requiratur super his quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur ferre testimonium, nisi cum a suo superiore compellitur secundum ordinem juris : tum quia nemo tenetur obedire nisi suo superiori legitime præcipienti; tum quia, quod circa hominis condemnationem præcise veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Quod si immineat periculum accusatori voluntario, non est curandum; quia ipse in hoc periculum *sponte se ingessit :* alia est ratio de reo, cui nolenti periculum imminet. Dico *accusatori voluntario*, quia de eo loquitur S. Thomas, *ut patet* ex his terminis, *sponte se ingessit.* Aliud ergo dicendum de accusatore qui tenebatur ad accusandum; si enim ipsi immineat periculum, tenetur testis etiam illegitime interrogatus, aut etiam non interrogatus ad testificandum, sicut ipse accusator tenebatur ad accusandum, ut hic resolvit Cajetan. *Et patet ex supra dictis.*

Dico 3° Quando testis prudenter dubitat an interrogetur juridice circa ea quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur respondere, nisi forte periclitetur bonum commune : 1° quia in dubiis potius est favendum reo quam actori, ut fert reg. juris; 2° quia in dubiis quod tutius est, seu minus periculi habet, est eligendum. Si autem in dubio respondeat testis, imminet reo periculum amittendi vel vitam, vel famam, vel censum; si non respondeat, nemini imminet damnum nisi forte accusatori si procedatur via accusationis : sed, ut dixi, in dubio magis favendum est reo quam actori, eo magis quod, ut notavi supra ex D. Thoma, iste sponte in hoc periculum se ingessit : excipit tamen Bannes, nisi longe majus damnum immineat actori ex denegatione responsionis quam reo ex testificatione.

Dices. Miles dubitans de justitia belli, tenetur militare : ergo testis dubitans de justitia interrogationis, tenetur respondere.

R. N. conseq. Disparitas est, quod miles in exercitio belli, se habeat ut instrumentum regis, proindeque non ipsius est examinare an bellum sit justum vel injustum, id enim pertinet ad causam principalem, scilicet regem; sed ipse ut instrumentum debet præsumere in favorem regis, et sic obedire : at testis est causa principalis seu depositionis, proindeque ipsius est examinare an interrogatio sit legitima vel non, nec tenetur præsumere in favorem judicis quod sit legitima. Hujus doctrinæ Bannes hic profert hoc exemplum. Prædicator est causa principalis prædicandi : si prælatus illi præcipiat prædicare doctrinam quam ipse prædicator dubitat esse sanam, non tenetur nec potest prædicare. At e contra præco potest proclamare regis edictum de cujus justitia dubitat, quia in hoc est tantum regis instrumentum, ad cujus officium non

pertinet examinare an edictum sit injustum vel non.

ARTICULUS III.

Utrum qui recusavit ferre testimonium aut tulit falsum, teneatur ad restitutionem?

Suppono 1°, eum qui se non offert ultro ad testificandum quando tenetur, non esse obnoxium restitutioni, quia non tenetur se ultro offerre ex justitia commutativa, sed tantum vel ex charitate, vel ex justitia legali.

Suppono 2°, eum qui sciens se citandum ad testificandum, se occultat, non etiam teneri ad restitutionem, quia licet possit peccare contra charitatem aut justitiam legalem deserendo proximum aut rempublicam in necessitate, non tamen contra justitiam commutativam, quia non tenetur vi illius ferre testimonium, maxime cum præceptum superioris non sit illi intimatum; nemo enim præcepto superioris adstringitur nisi illi debito modo intimetur.

Suppono 3°, eum qui etiam citatus recusat ferre testimonium, non teneri etiam ad restitutionem, si timeat sibi aut suis damnum ex suo testimonio; quia in hoc casu non tenetur testificari, ut dictum est nisi boni communis necessitas aut damnum proximi longe gravius testimonium requirat.

Tota difficultas igitur est de eo qui citatus a judice non comparet, aut si compareat, non vult respondere nulla juxta causa excusante. Pro quo

Dico 1° Probabilius est eum qui a judice interpellatus ad ferendum testimonium, non comparet, aut si compareat, non vult respondere, non teneri ad restitutionem. Ita Bannes, Sylvius, Serra, etc., contra Soto, Navar. Asor, etc.

Prob. Ille non tenetur ex justitia commutativa ferre testimonium, sed ex obedientia tantum, vel ex justitia legali: ergo si non ferat, non tenetur restituere; *patet consequentia*, quia obligatio restituendi nascitur ex solius justitiæ commutativæ violatione. *Prob. ant.* Ante mandatum judicis non tenebatur ex justitia commutativa ferre testimonium, ut fatentur adversarii: atqui mandatum superveniens non imponit obligationem justitiæ commutativæ, sed obedientiæ tantum, aut justitiæ legalis: ergo. *Prob. ant.* Mandata superiorum quæ versantur circa actiones nostras liberas non inducunt obligationem justitiæ commutativæ, sed obedientiæ tantum aut justitiæ legalis: sic, v. g. qui jussus a magistratu ut capiat tutelam recusat, est inobediens sed non injustus; sic qui jussus ire ad bellum subterfugit, peccat contra obedientiam aut justitiam legalem, non contra commutativam. Ergo.

Confirmatur. Mandatum judicis non potest obligare ex justitia commutativa interpellatum ad ferendum testimonium, nisi in quantum tribuit parti jus strictum ad testimonium: atqui judex non potest tribuere parti jus strictum ad meum testimonium: ergo. *Prob. min.* Nullus potest tribuere alteri jus strictum in actiones meas liberas nisi qui habet dominium in illas: atqui nemo præter me habet dominium in actiones meas liberas. Ergo.

Dices 1° Hoc ipso quo quis legitime citatur, declaratur testis ex officio, ipsique a republica altum dominium in suos cives possidente, imponitur illud munus: atqui qui tacet, dum ex officio tenetur loqui, obligatur ad restitutionem. Ergo.

R. D. min. Qui tacet, dum tenetur loqui ex officio imposito et acceptato, obligatur ad restitutionem, *C. min.* ex officio imposito sed non acceptato, *N. min.* Obligatio enim qua quis ex justitia commutativa tenetur aliquam functionem obire in gratiam alterius, non nascitur præcise ex præcepto superioris illud officium imponentis, quia, ut dixi, non habet dominium in functiones liberas sui subditi, ita ut jus strictum alteri ad illas conferre possit; sed nascitur ex acceptatione illius qui illam functionem obit; acceptando enim officium, implicite promittit ejus functiones, sicque tribuit alteri jus illas exigendi.

Repones. Si judex præcipiat alicui ut scriptum spectans causam litigantium proferat, tenetur proferre ex justitia commutativa, ita quod si occultet, teneatur restituere damna inde secuta: ergo similiter.

R. Dato ant. N. consequentiam. Disparitas est, quod scriptum sit res exterior, de qua sicut de aliis bonis exterioribus respublica potest disponere quando justa causa subest: at non sic de actione hominis libera, qualis est testimonium ferendum, quia, ut dictum est, dominium in illam non habet.

Dices 2° Ferre testimonium, quando a judice requiritur, est actus justitiæ commutativæ : ergo illud recusare est contra justitiam commutativam.

R. N. conseq. Quia non omnis omissio actus justitiæ est contra justitiam, sed tunc solum quando est obligatio ex justitia illum ponendi; sicut non omnis omissio actus charitatis est contra charitatem, sed tunc solum quando est obligatio ex charitate illum ponendi : sic, v. g. qui non facit eleemosynam indigenti quia non habet unde faciat, omittit actum charitatis, et tamen non peccat contra charitatem, quia, cum nihil habeat, non obligatur ex charitate ad eleemosynam.

Repones. Nocere alicui est contra justitiam commutativam : atqui qui non fert testimonium dum debet ferre, nocet alteri. Ergo.

R. D. maj. Nocere alicui positive est contra justitiam commutativam, *C.* nocere alicui negative, id est, non prodesse, est contra justitiam commutativam, *N.* nisi dum ex officio et consequenter ex justitia teneris loqui et prodesse.

Dico 2° Qui scienter aut ex ignorantia crassa profert falsum testimonium, tenetur sub mortali ad restitutionem omnium damnorum inde secutorum ; quia per injustitiam, nimirum per suum mendacium, est causa efficax illorum, ita quod si propter tuum falsum testimonium alter sit capite plectendus, tenearis tua dicta retractare, si id profuturum speras, etiamsi inde tibi mors immineat ; quia qui alteri damnum injuste intulit, tenetur illud resarcire cum pari suo damno.

Dixi, *scienter aut ex ignorantia crassa* ; quia si ex levi vel ignorantia, vel inadvertentia, vel præcipitatione, quæ sit tantum peccatum veniale, tenebitur ad aliquam restitutionem sub peccato veniali, eo modo quo dixi supra art. 5 de restitutione : require ibi. Si autem ex ignorantia inculpata, ad nihil tenebitur. Si tamen postea advertat falsitatem sui testimonii et inde damna secutura, tenetur ex charitate secundum omnes retractare suum testimonium, si possit sine suo gravi damno ; etiam probabile est quod teneatur ex justitia. Vide art. 5 cit. in solut. object. et quæ dicam infra de restitutione famæ.

ARTICULUS IV.

Utrum requiratur et sufficiat duorum testimonium?

Diximus supra, judicem cum agat ex potestate publica, debere etiam sententiam ferre ex scientia publica. Habetur autem scientia publica in civilibus per testes, per libros antiquos, per scripta manu publica confecta, per famam et indicia. In criminalibus habetur per evidentiam facti, per confessionem rei et per testes. Et circa hoc quæritur quot requiruntur et sufficiunt testes ad plenam probationem tam in civilibus quam in criminalibus, ubi nulla alia probatio suppetit. Quo pro

Q. 70. a. 2. o. — *Dico* 1°. In causis gravioribus sive civilibus sive criminalibus, in quibus agitur de condemnatione alicujus, præter accusatorem aut id quod supplet vices ejus, requiruntur et sufficiunt ordinarie duo testes. Est communis.

Ibid. — Requiri duo testes jure gentium ubique est introductum ut quid omnino consentaneum juri naturali, quia facile est unum perverti, et in suis depositionibus proferre omnia consentanea et conformia, ita ut non appareat mendax : difficile est autem admodum duos perverti et in depositionibus suis omnia, sic consentanea et conformia proferre, ut non appareant mendaces et non prodatur falsitas. Ergo. Ita etiam statuitur in jure c. *Veniens* 10, De Test. et attest. lib. 2, tit. 20.

Ibid. — Sufficere autem duos testes pariter statutum est jure gentium ut quid etiam naturali rationi conforme ; quia in actibus humanis super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia, et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, quamvis in paucioribus, a veritate deficere contingat : est autem probabile quod a duobus vel tribus concorditer sub juramento affirmatur. Ergo. Ita etiam statuitur in jure lib. *Ubi murus*, ff. de Test. lib. 2, c. *Licet universis* 23, de Test. et alibi.

Quidam utramque conclusionis partem putant esse etiam de jure divino naturali, propter verba S. Scripturæ, Deut. 17 : *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur*. Et c. 19 : *In ore duorum aut*

trium testium stabit omne verbum. Quod repetit Christus Matth. 18, dicens: *Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum;* et Joan. 8: *In lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est.*

Verum hæc legis veteris sunt judicialia quæ per legem novam sunt abrogata: Christus autem ea repetens non condit legem aut facit constitutionem, sed quantum ad prima verba, ea profert ut ostendat duos testes sufficere, ut crimen fratris denuntietur Ecclesiæ, idque esse conforme veteri legi et rationi. Quantum ad secunda, ea profert ut probet Judæis suam doctrinam, etiam secundum ipsorum legem, esse recipiendam, quia duorum, nempe Patris et suo testimonio confirmabatur. Ex his igitur nihil aliud erui posse videtur quam quod in Lege veteri esset juris divini positivi duorum testimonia requiri et sufficere, et quod ita recte jure gentium fuerit statutum tanquam apprime conforme rationi et juri naturali, non statuenti aut præcipienti, sed consulenti et inclinanti. Jure autem naturali tale requiritur testimonium, quod, attenta qualitate personarum et negotii, sit certum.

Dixi, 1° *in causis gravioribus;* quia in causis levioribus quandoque sufficit unius testimonium, v. g. in furtis uvarum, lignorum, fructuum, in quibus ex testimonio solius custodis, qui simul est accusator et testis, leviter puniuntur delinquentes, eo quod ista et similia aliter servari non possent, neque id noceat bono communi, sicut noceret si unus testis sufficeret ad gravem condemnationem: inde enim nemo esset tutus a calumnia, et turbaretur respublica: unde etiam si in istis furtis lignorum, fructuum, etc., ageretur de gravi pœna, non sufficeret unus testis ad condemnandum, sed tantum ad inquirendum.

Dixi 2°, *ubi agitur de alicujus condemnatione;* quia in causis non judicialibus et nulli tertio præjudicium ferentibus, sufficit unius testimonium; ut dum quæritur an infans sit baptizatus, an ecclesia sit consecrata, sufficit unus testis affirmans, ut infans non rebaptizetur et ecclesia non consecretur. Ita c. *Parvulus*, et c. *Cum itaque*, de Consecrat. Similiter sufficit unus testis quando agitur de peccato impediendo, modo jus nondum sit parti acquisitum; ut si agatur de denuntiatione impedimenti matrimonii, matrimonio nondum contracto, de denuntiatione inhabilitatis ad ordines, vel ad beneficia, electione seu collatione nondum facta, cap. *Præterea*, de Sponsalibus. Sufficit etiam, ut dictum est, unus testis cum accusatore ad torturam, quia hoc non est condemnare, sed veritatem inquirere.

Ib.d. ad 3. — Dixi 3° *ordinarie;* quia secundum jura, causa 2, q. 5, cap. *Præsul*, contra episcopum requiruntur 72 testes, contra cardinalem presbyterum 44, contra cardinalem diaconum 27, contra subdiaconum aut minoritam 7; et hoc propter triplicem rationem quam hic deducit S. Doctor. Verum observant auctores hæc jura contraria consuetudine esse abrogata, et contra præfatos sufficere modo duos testes sicut contra alios.

Dico 2° Ut duo testes plene probent, requiritur 1° quod deponant jurati; 2° quod sint contestes seu deponant de eodem facto; 3° quod deponant de sensu; 4° quod sint idonei seu omni exceptione majores.

Explicatur. Requiritur 1° quod deponant jurati de dicenda tota veritate quam in præsenti causa noverunt, nulla permixta falsitate, c. *Nuper* 51, de Testibus, l. 2, tit. 20, et c. *Tuis* 39, ibid. et alibi. Ratio est; quia veritas in judiciis certiori quo potest modo investigari debet, certius autem habetur a teste jurato, quem divini Numinis reverentia mentiri prohibet. In variis tamen religionibus, specialiter in nostra, praxis obtinuit ut testes deponant, non sub juramento, sed sub præcepto formali imposito a prælato, quod perinde obligat sub mortali. Neque obstat cap. *Nuper* cit. ubi pontifex resolvit sic: « Nullius testimonio, quantumcumque » religiosus existat (nisi juratus deposuerit), » in alterius judicium debet credi »; quia ibi est sermo de religiosis ord. FF. Minorum qui deposuerant apud episcopum, non apud suum prælatum: unde debebant esse jurati, quia episcopus non poterat illos præcepto compellere ad dicendam veritatem.

Ibid. ad 2. — 2° Quod sint contestes seu deponant de eodem facto; quia discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis quæ variant substantiam actus, puta, in tempore, vel loco, vel persona, vel specie actus, aufert efficaciam probationis; discordantes enim in talibus videntur singulares esse in suis testimoniis et de diversis loqui: puta, si unus dicat hoc fac-

tum esse tali tempore, vel tali loco, alius alio tempore vel loco, non videntur de eodem facto loqui; et sic unus alterius dictum non confirmat, sed uterque suum tantum, et sic erit tantum probatio per unum testem. Non tamen præjudicatur testimonio si unus dicat se non recordari, et alius asserat determinatum tempus.

Ibid. — Si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta, quod tempus fuerit nubilosum, vel serenum, quod domus fuerit picta vel non, aut aliquid hujusmodi, talis discordia non præjudicat testimonio; quia cum testes non soleant multum attendere ad hujusmodi leves circumstantias, facile illarum obliviscuntur. Nec refert quod Daniel repulerit testimonia duorum seniorum contra Susannam, licet discordarent in levi circumstantia pini et schini; noverat enim privatim Daniel ex divina revelatione innocentiam Susannæ et falsitatem testium; in tali autem casu, etiam ad minimas circumstantias attendendum est, ut mendacium detegatur et innocens salvetur.

Hinc inferes quod, si contra Petrum unus testis deponat de furto facto Leodii, et alter de furto Parisiis; vel, unus quod audierit talem hæresim a Petro, alter alteram, non plene probetur Petrum esse furem aut hæreticum, quia non sunt contestes, sed testes singulares. *Neque dicas* speciem furti probari per individua, et genus hæreseos probari per suas species: nam genus non plene probatur nisi ex speciebus plene probatis, neque species nisi ex individuis plene probatis; hic autem neque individua furti, neque species hæreseos plene probantur. Fateor tamen hujusmodi probationem esse plus quam semiplenam, cum utraque seorsim sit jam semiplena probatio, et conjuncta altera alteri novum indicium addat.

3° Quod deponant de sensu, nimirum, si agatur de facto, se vidisse, v. g. occidentem; si de dicto, se audivisse, puta blasphemantem, vel proferentem hæresim; c. *Testes*, causa 3, q. 2. — **Ibid. a. 4. ad 1.** — Et caveat testis ne pro certo asserat id de quo non est certus; sed dubium debet sub dubio proferre, et id de quo certus est pro certo asserere.

Ibid. a. 3. o. — 4° Quod sint omni exceptione majores. Testis est qui assecuratione sua fidem facit rei vel facti. Alius est idoneus, alius minus idoneus. Testis idoneus est is cui nihil jure opponi potest quominus ipsi fides adhibeatur: dicitur etiam locuples, seu omni exceptione major. Testis minus idoneus seu inidoneus est is cui jure aliquid opponi potest quominus ipsi fides adhibeatur, seu is quem probabile est non esse firmum in testificanda veritate et hoc contingit quandoque propter culpam, quandoque sine culpa. Propter culpam repelluntur ut testes minus idonei, infideles contra fideles, infames seu aliquo crimine publico notati. Sine culpa repelluntur defectu rationis pueri et amentes; ex affectu amoris vel odii, consanguinei et affines usque ad quartum gradum, item familiares, domestici et inimici. Ex conditione, repelluntur pauperes, servi, et illi quibus imperari potest, et quos probabile est facile posse induci ad testificandum contra veritatem.

Porro mulier jure canonico repellitur in criminalibus ob fragilitatem sexus et ingenii mutabilitatem; jure civili admittitur in omni causa civili præterquam in testamentis, l. *qui testamento* 20, § Mulier, ff. Qui test. fact. poss. Similiter in criminalibus repelluntur minores viginti annis; in civilibus autem admittuntur puberes, hoc est, masculi quatuordecim annorum, et fœminæ duodecim; consanguinei et affines admittuntur pro et contra in causis matrimonialibus: admittuntur contra in criminibus exceptis, ut sunt hæresis, proditio patriæ, crimen læsæ majestatis.

Tandem testes minus idonei admittuntur tanquam idonei, quando crimen est commissum eo loco vel tempore ubi copia testium haberi non potest, c. *Finali* de Test. Item quando cum pluribus minus idoneis concurrit alter idoneus, faciunt simul plenam probationem.

Hinc inferes, religiosos posse testificari in omni causa civili, cum hac differentia quod in instrumentariis, ut in testamentis et aliis contractibus, id possint sine licentia sui superioris, non in judicialibus, quia in his agnoscerent judicem non suum. Utrum vero cogi possint ad testificandum? *R.* posse non a judice sæculari, non ab episcopo, si sint exempti; sed a proprio prælato, et quidem in suis monasteriis tantum. Quod autem quidam dicant illos posse testificari in

causa propriæ communitatis, sicut et clericos in causa propriæ ecclesiæ, quia, inquiunt, rei ominium illos immediate non spectat, quod etiam videtur colligi ex quibusdam locis juris, non puto tamen admitti in foro externo; si enim repellantur domestici in causa sui domini, familiares et consanguinei in causa consanguineorum et amicorum, *a fortiori* religiosi in causa sui monasterii.

Ib. a. 4. o. — *Petes* utrum falsum testimonium sit simper peccatum mortale?

R. Falsum testimonium ex intentione prolatum, habet triplicem deformitatem : uno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati, et ex hoc semper est peccatum mortale; alio modo ex violatione justitiæ, et hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut et quælibet injustitia; tertio modo ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum : et ex hoc non habet falsum testimonium, quod semper sit peccatum mortale.

Ib. ad 1. — Dixi, *falsum testimonium ex intentione;* quia cum contingat ex labilitate humanæ memoriæ, quod reputat se homo quandoque certum esse de eo quod falsum est, si aliquis hoc debita sollicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo quod falsum est, non peccat mortali ter hoc asserens, quia non dicit falsum testimonium per se et ex intentione, sed per accidens contra id quod intendit. Si tamen postea advertat se falsum deposuisse et inde sequi damnum, tenetur non solum ex charitate, sed probabilius etiam ex justitia retractare, si possit sine gravi suo incommodo, et ea retractatio sit profutura, ut docet hic Sylvius et nos alibi : alioquin obnoxius erit restitutioni.

DISSERTATIO XIV.

DE INJUSTITIA REI ET ADVOCATI.

D. Th. QQ. 69 et 71.

ARTICULUS I.

Utrum reus a judice interrogatus, teneatur sub peccato mortali fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus?

In confesso est apud omnes, reum juridice interrogatum teneri veritatem fateri ubi nulla est spes evadendi, dum nempe videt crimen probatum per testes idoneos aut facile probandum; quia tunc cessat ratio celandi quam multi defendunt, ut modo dicam. Difficultas est itaque quando, si neget aut non fateatur crimen, est spes evadendi, eo quod crimen absque ejus confessione non possit sufficienter probari. Non pauci negant reum tunc teneri veritatem fateri, quia videtur nimis durum et alienum ab inclinatione naturali quam quisque habet ad vitam : affirmant plures cum D. Thoma tam intra quam extra ejus scholam, cum quibus

Q. 69. a. 1. o. — *Dico* 1° Reus juridice interrogatus tenetur sub mortali peccato fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus. Si autem non interrogetur juridice, non tenetur respondere, sed potest vel per appellationem vel aliter subterfugere, mendacium tamen dicere non licet. Quandonam reus interrogatur juridice? require supra dissertat. 12, a. 5.

Ibid. — *Prob. prima pars.* Unusquisque tenetur sub peccato mortali obedire suo superiori, legitime et necessario præcipienti in ordine ad bonum commune : atqui judex est superior respectu ejus qui judicatur, legitime ipsi præcipit fateri veritatem, quia præcipit secundum ordinem juris, tandem necessario præcipit in ordine ad bonum commune; quia cum reus in casu non possit condemnari absque propria confessione, si judex non præcipiat confiteri, ordo juris, legum, justitia et judicum vigilantia erunt inutiles, criminosi plerumque absolventur, scelera manebunt impunita, et ex impunitate invalescent in totam reipublicæ perniciem. Ergo.

Confirmatur 1° Hoc judicis præceptum est verum præceptum, intendit enim judex præcipere et obligare; est justum et necessarium, ut dictum est : atqui de ratione intrinseca præcepti est quod ejus transgressio sit inobedientia et consequenter peccatum. Ergo.

Confirmatur 2° Judex habet jus inquirendi veritatem a reo propter bonum commune; nemo, arbitror, id negat, et sane mirum esset judicem posse torquere reum ad exquirendam veritatem et non posse illi præcipere ut eam fateatur : atqui jus et obligatio sunt correlativa, nec potest esse jus in mandante nisi sit obligatio in mandatario, alioquin istud jus foret prorsus inutile. Ergo.

Respondent adversarii, nihil repugnare esse in judice jus præcipiendi confessionem veritatis propter bonum commune, et in reo jus illam celandi propter bonum vitæ : sic, inquiunt, reus potest fugere e carcere, quantumvis judex præcipiat ne fugiat; sic reus citatus potest non comparere, quamvis judex præcipiat ut compareat; sic tandem servus potest fugere, etsi dominus præcipiat ne fugiat. Ergo.

Sed contra. Falsum esse antecedens constat ex confirmationibus conclusionis, nec contrarium evincunt exempla proposita. *Ad primum enim, R.* quod judex non præcipiat, nec regulariter præcipere possit reo ne fugiat, quia id non est necessarium ad bonum publicum, cum variis aliis modis possint puniri malefactores; sed sufficit quod condemnetur reus ad carcerem, et præcipiatur custodibus ut ejus detentioni invigilent. Si tamen in casu singulari judex haberet justam causam præcipiendi reo ut maneat in carcere, arbitramur cum Cajetano et Sylvio quod teneretur obedire, de quo infra. *Ad secundum, R.* non præcipi absolute reo ut comparent, sed conditionate, si habeat quo se defendat, ne postea dicat se inauditum condemnatum fuisse. *Ad tertium, R.* dominum non posse præcipere servo sub jure belli, ne, si possit, redeat ad suos, id enim ipsi jure gentium concessum est; nec propterea posse a domino puniri.

Secunda pars conclusionis a nemine negatur, quia potestas judicis non eo se extendit ut interroget reum præter ordinem juris. Non potest tamen reus mentiri, ut bene advertit S. Thomas, quia mendacium est intrinsece malum; sed potest vel appellare, vel ostendere ordinem juris non servari, se non teneri ad respondendum, vel aliquid aliud simile : et tandem si aliter evadere non possit, potest dicere, *Non feci;* quia ista verba licet simpliciter prolata significent revera ipsum esse a crimine immunem, tamen in his circumstantiis prolata significant ex usu et intelligentia communi, *Non probor fecisse, non feci quod debeam fateri*, aut quid simile : unde non est mendacium, nec restrictio pure mentalis. Confer quæ latius hac de re dicimus in tractat. de Religion. dissert. 3, art. 2, consect. 4 et 5, et art. sequent. conclus. 2.

Dico 2° Quando reus prudenter dubitat an judex interroget juridice, non tenetur respondere : ita Cajet. Soto, Bannes, Serra et alii plures : 1° quia secundum jura in dubiis favendum est reo; 2° quia reus non se habet ut causa instrumentalis respectu judicis in sua responsione, sicut se habet tortor, v. g. aut miles in bello, sed ut causa principalis, proindeque debet agere secundum formam suam moralem, nempe suum judicium; 3° quia non videtur rationi congruum quod quis cogatur suscipere tam grave onus ab eo qui forte imponere non potest.

Tenetur ergo judex exponere reo statum causæ et ipsi ostendere ordinem juris esse servatum, ipsumque ideo teneri fateri veritatem. Id etiam debet inquirere confessarius antequam rei confessionem excipiat, ne forte cum dispendio vitæ corporalis cogat ipsum fateri crimen quod non tenetur fateri, aut ne cum detrimento salutis animæ permittat ipsum negare quod fateri tenetur. Quod si constet reum juridice interrogari, et tamen nolit veritatem fateri, non videtur absolvendus, cum in sententia nostra peccet mortaliter. Quia tamen opposita sentitia est etiam probabilis, si forte reo esset probabilior, ipsum fateri renuentem non auderem condemnare.

Petes utrum, postquam reus juridice interrogatus negavit veritatem, teneatur in nostra sententia retractare dictum et fateri veritatem si amplius non interrogetur? Quidam affirmant; alii, ut Sylvius, Serra, Navarrus, etc. probabilius negant; quia tunc præceptum confitendæ veritatis factum reo transiit, proindeque simul et obligatio respondendi : sufficit ergo ut de culpa præterita pœniteat, et eam non amplius admittere proponat. Quinimo advertit Serra cum aliis, confessarium non debere interrogare reum de tali proposito in specie, quia hoc esset ipsum tentare et ipsum exponere periculo denuo peccandi, habendo propositum non fatendi proprium crimen, cum hoc sit difficillimum, sed sufficere si hortetur reum pœnitentem in genere ut caveat in posterum peccare, et ipse hoc proponat.

Quod autem quidam opponant huic probabiliori responsioni, reum quamdiu manet in judicio virtualiter interrogari, negandum est; item et quod addunt, ex ejus negatione judicem, accusatorem et testes diffamari tanquam injustos : omnibus enim notissimum est reos plerumque sua crimina negare, et præsumptio est in favorem judi-

cis. Aliud esset dicendum si reus in supplicio actuali constanter negaret crimen et assereret se injuste damnari, aut ex priori ejus negatione sequeretur alicui notabile damnum.

Solvuntur objectiones contra primam partem primæ conclusionis.

Obj. 1° cum Lessio. Quamdiu est spes evadendi, eo quod crimen nondum sit plene probatum, præceptum illud fatendi videtur nimis difficile, neque satis consentaneum humanæ imbecillitati : atqui ut præcepta obligent, debent esse consentanea conditioni humanæ non secus ac leges. Ergo.

R. tam leges quam præcepta humana, quantumvis difficilia, obligare ubi id exigit bonum commune, ut patet in milite jusso non deserere stationem, aut aggredi hostem cum certo vitæ periculo ; tunc enim inclinatio naturalis cedere debet utilitati publicæ : est autem necessarium bono communi ut judex præcipiat reo fateri veritatem, et reus obediat ; alioquin vix possint puniri delinquentes. Insuper sicut non est conditioni humanæ dissentaneum quod reus pœnas sui sceleris luat, ita nec quod jussus dicat id quod remote concurrit ad ejus mortem. Item sicut non est inhumanum extorquere veritatem a reo per torturam, ita nec *a fortiori* illam inquirere per præceptum ; sibi imputet peccator quod in has angustias se conjecerit.

Inst. Istud præceptum est inutile reipublicæ, cum e centum vix unus reperiatur qui, si speret se negando crimen posse evadere mortem, non sit negaturus. Ergo.

R. N. antecedens et ejus probationem. Experientia enim constat quosdam esse qui inter carcerum angustias et miserias, ad cor redeuntes, et immanitate scelerum perculsi, ut Deo satisfaciant, vel etiam ut torturæ supplicium declinent, veritatem confitentur. Quapropter judex antequam ad torturam procedat, debet semper proponere præceptum confitendi veritatem.

Repones. Propter vehementem vitæ conservandæ inclinationem a natura inditam, licet aliena capere in extrema necessitate, item et injustum vitæ aggressorem occidere : ergo *a fortiori* tacere veritatem ex quo vita salvetur.

R. N. conseq. Disparitas est quod, cum in extrema necessitate omnia sint communia, dominus non habet jus necessaria denegandi patienti necessitatem, neque injustus aggressor habet jus alterum aggrediendi : unde non est mirum si patiens tremam necessitatem possit alienа capere, et injuste aggressus se defendere cum occisione agressoris. At judex habet jus interrogandi reum, ut omnes fatentur, et ideo natura non tribuit reo jus tacendi, alioquin tribueret facultatem agendi contra jus superioris debite suo officio fungentis.

Obj. 2° cum eodem Lessio. Lex humana non potest obligare cum periculo mortis, nisi magnitudo negotii illud postulet : ergo nec præceptum humanum.

R. et hic magnitudinem negotii, nimirum bonum publicum, exigere ut istud præceptum obliget et ei obediatur, *ut patet ex dictis.*

Obj. 3° cum eodem. Nemo potest cogi ad testificandum contra sanguine junctum, l. 4, ff. *de Testibus :* nemo etiam tenetur testari quando inde sibi grave damnum imminet : atqui nemo cuiquam magis est sanguine junctus quam ipse sibi, nec majus potest esse damnum quam vitæ. Ergo.

R. ad primam partem majoris. Disparitas est, quod jura eximant consanguineos a testimonio ferendo contra consanguineos, tum ne inde in familiis oriantur odia, inimicitiæ perpetuæ et rixæ ; tum quia non est necesse bono publico quod consanguineus testetur contra consanguineum. *Esto* enim defectu hujus testimonii reus absolvatur ; cum id raro contingat, non sequitur magnum inconveniens in republica : consanguineos ergo sic de jure exemptos a testimonio ferendo judex compellere non potest. At jura non eximunt reum juridice interrogatum a dicenda veritate, quin potius præcipiunt ut sive jussione judicis, sive tortura ad ejus confessionem compellatur, quia id est necessarium ad bonum commune.

Ad secundam partem, nego universaliter sumptam ; tenetur enim testis, ut diximus supra, ferre testimonium cum suo damno, si ex ejus silentio sequatur grave boni communis detrimentum, quod hic contingit si taceat reus. Insuper disparitas est, quod reus se sua culpa in has angustias injecerit ; non vero testis innocens.

Obj. 4° cum eodem. L. *Nimis grave* 7. cap. *de Testibus*, dicitur *neminem teneri contra se exhibere id per quod sibi nego-*

tium fiat. Ergo. *Confirmatur.* Nimis durum est ut reus cogatur subministrare judici arma quibus juguletur dum alias est spes evasionis. Ergo.

R. hanc legem non currere si contrarium *publica necessitas postulaverit*, ut definitur lib. *Si post.* de Assessoribus : hic autem contrarium postulat necessitas publica, ut sæpe dictum est. *Ad confirmationem, nego* reum, fatendo veritatem, præbere arma judici; sed aperit vulnus quo factum est membrum putridum et abscindendum.

Obj. 5° C. *Clericos*, de Cohabitatione clericorum l. 3, tit. 2, propter periculum perjurii, prohibetur ne clerici cogantur jurare quod deserent suas concubinas : ergo pariter propter periculum perjurii, aut saltem inobedientiæ, non debet cogi reus ad fatendum crimen ex quo sit morte plectendus.

R. N. conseq. Disparitas est, quod juramentum clericorum non sit necesse ut hi suas concubinas deserant, quia ad id possunt et debent cogi per censuras ut dicitur ibidem, et per denegationem absolutionis in tribunali pœnitentiæ; unde sine causa exponerentur periculo perjurii. At præceptum judicis est necessarium in nostro casu ad convictionem rei et ad bonum commune.

Obj. 6° S. Thomas infra q. 104, a. 5. o, dicit : *Secundum ea quæ ad naturam corporis spectant, homo homini obedire non tenetur.* Ergo reus ad interrogationem judicis tacere potest, quia ejus silentium est necessarium ad conservandam naturam sui corporis.

R. N. conseq. Non enim intendit S. Thomas his verbis quod homo homini non debeat obedire in illis quæ spectant naturam, sed in illis duntaxat quæ immediate spectant corporis sustentationem et prolis generationem, et hoc quidem regulariter; *patet* ex ipso S. Doctore loco cit. Et ideo pater non potest regulariter præcipere filio, nec dominus servo, ne unquam manducet, ut virginitatem servet, vel matrimonium ineat : nihil autem simile hic præcipitur reo, sed duntaxat ut fateatur veritatem quantum necessarium est bono communi. Insuper sicut pater potest in certis circumstantiis præcipere filio matrimonium, puta, si promiserit; ita judex potest in certis circumstantiis præcipere quod regulariter non potest.

In summa, hæ omnes objectiones eo tendunt, ut probent non solum reum non teneri respondere, sed nec judicem habere jus interrogandi et præcipiendi, quod tamen omnes admittunt : unde cum nimis probent, nihil probant; hoc ipso autem quo semel admittitur in judice jus interrogandi reum et ipsi præcipiendi confessionem veritatis, quidquid opponatur in contrarium, necessario admittenda est in reo obligatio respondendi, *ut patet ex probationibus conclusionis :* et hac una responsione possent solvi omnes ferme objectiones.

Petes quid sit censendum de reo qui, vi aut metu gravis torturæ, imponit sibi falsum crimen propter quod est morte plectendus?

R. 1° Non peccat peccato diffamationis propriæ, quia cum sit dominus suæ famæ, potest illi cedere ex justa causa : habet autem hic justam causam, cum gravia torturæ supplicia præponderent diffamationis propriæ.

2° Certo peccat venialiter ratione mendacii; item et mortaliter ratione perjurii, si prius præstiterit juramentum de dicenda veritate.

Sed difficultas est utrum sit reus suicidii et inde peccet mortaliter : *affirmant* Navarrus, Covarruvias, Panorm. Pontas et alii, quia per mendacium est causa suæ mortis; non enim potest alia assignari causa quam crimen quod sibi falso imponit : *negant* Soto lib. 5, q. 10, a. 2, Sylvester v. *Detractio*, q. 3, Toletus, Ledesma, Serra et alii : probabile censet Sylvius in Resol. v. *Sortilegium* 1, conclusione 2; quia reus non tenetur cum tanto cruciatu vitam tueri ne alius eripiat, sicut non tenetur pati tibiæ abscissionem ad conservandam vitam : et ad rationem oppositam, negant ideo esse mortis suæ causam, quia non est causa physica, *ut patet;* non enim ipse se physice occidit, sed a lictore occiditur; non moralis, quia ex una parte non intendit mortem, sed liberari a gravissimis cruciatibus, et ex altera habet justam causam, non equidem mentiendi, sed se tradendi discretioni judicis, scilicet, ut vitet acerbiora tormenta : unde mors non censetur ipsi voluntaria sive directe sive indirecte. Neque dici potest quod ejus mendacium sit ipsi perniciosum, saltem graviter, quia malum cui se exponit, nempe mors, non multum præponderat

istis tormentis : imo posset dici hæc tormenta præponderare morti, cum hæc pati sit longa et multiplici morte mori ; sicque reus in casu una brevi morte longam mortem aut multas mortes redimit. Intelligis sermonem esse de gravi tortura ; nam unusquisque tenetur cum aliquo incommodo aut dolore vitam conservare, et is censeretur sibi mortem inferre, qui sine gravi causa illius occasionem præberet.

Hæc utraque sententia est probabilis : prima tamen videtur nunc communior, et juxta illam tenetur reus retractare post torturam quod in ea falso confessus est; quia tenetur auferre mortis suæ causam quam posuit.

Juxta secundam sententiam non tenetur, si ex retractatione debeat iterum subjici simili aut graviori torturæ, nisi forte ex falsa ejus confessione sequeretur alicui grave damnum quod præponderet suis tormentis, v. g. enormis diffamatio totius religionis. Non enim tenetur ratione mortis secuturæ, quia juxta hanc sententiam, non est illius causa et habet justam rationem illam permittendi ; non ratione propriæ diffamationis, quia potest cedere suæ famæ, ut dictum est ; non tandem ratione perjurii, quia transiit, et hujus reatus retractatione non deletur, sed pœnitentia coram Deo.

Utrum saltem in extremo vitæ, cum jamjam est interficiendus nec amplius torquendus, teneatur etiam in hac sententia retractare?

R. teneri, si in aliquando podesse; sed hos rarum est, quia præsumptio stat pro sententia judicis.

ARTICULUS II.

Utrum accusato liceat se calumniose defendere?

Q. 69. a. 2. o. — *Dico* 1° Accusatus, sive juste sive injuste, non potest calumniose se defendere, imponendo falsum crimen accusatori aut testibus, vel etiam adhibendo fraudem et dolum, fraus enim et dolus habent rationem mendacii.

Patet 1° ex Decalogo : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* — In a. 3. c. — 2° Quia initio litis exigitur tam a reo quam actusatore juramentum de calumnia scilicet vitanda. 3° Quia hoc est injuste famam alterius auferre, estque ideo mendacium perniciosum. Hinc Innocent XI jure damnavit hanc propositionem : « Proba» bile est non peccare mortaliter qui impo» nit falsum crimen alicui, ut suam justi» tiam et honorem defendat : » est 44 ; item hanc 43 : « Quidni non nisi veniale sit de» trahentis auctoritatem magnam sibi no» viam, falso crimine elidere. »

Utrum vero omne mendacium in judicio sit peccatum mortale? *R. negative,* nisi accebat perjurium : ita communiter contra Cajet. Potest enim quis mentiri in materia levi quæ nihil aut parum nocet proximo, sicut potest quis leviter excedere in defensione propriæ vitæ, adeoque peccare tantum venialiter. Confer articulum ultimum præcedentis dissert. in fine.

Dico 2° Quando accusatus non interrogatur juridice, aut de eo non constat, si aliter evadere non possit, potest negare crimen et dicere accusatorem falsum accusare, calumniari, mentiri; — Ibid. o. — quia, ut dicit S. Doctor, reo qui accusatur licet se defendere, viritatem occultando quam confiteri non tenetur per aliquos convenientes modos, modo non dico falsitatem. Porro non tenetur hic reus fateri veritatem ; modis convenientibus eam occultat, cum, ut suppono, aliter evadere non possit; neque dicit falsitatem, quia quod non potest juridice probari, falsum reputatur in judicio, et accusator præsumitur calumniator, ut docet Glossa in cap. 2 *de Calumniatoribus :* unde Soto lib. 5, q. 5, a. 3, dicit : « Neque vero ille tantum » calumiator est, qui falsum crimen impo» nit, verum et qui occultum quod probari » non potest propalat : nam jure quidquid » idoneis testibus vel instrumentis innotes» cere nequit, falsum reputatur. »

Dixi, *si aliter evadere non possit ;* quia alios non servaret moderamen inculpatæ tutelæ, et peccaret non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, ut modo dicam.

Dico 3° Accusatus potest prodere crimina occulta testium si prosint ad infirmanda eorum testimonia, nec aliter possit evadere; idque sive verum testentur sive falsum, sive secundum ordinem juris sive contra. Quia 1° accusatus secundum leges habet jus excipiendi contra testes, et testes contra quos potest fieri legitima exceptio non sunt testes idonei; cessatque proinde judicis interrogatio esse juridica, et accusatus non tenetur respondere. 2° Quia accusatus habet a natura

jus ad sui defensionem, nec tenetur cum gravi suo damno alterius peccatum occultare; illud ergo prodendo jure suo utitur, intendens suam indemnitatem, et se permissive habens ad diffamationem seu damnum testis; is autem sibi imputet, cum patrando crimen se huic periculo exposuerit.

Dixi 1° *si prossint ad infirmanda eorum testimonia;* quia si hæc criminum occultorum revelatio non infirmaret testimonia testimonia testium; sive quia non possent probari, sive quia non sunt hujusmodi crimina quæ testes rejicibiles reddunt, esse injuste et sine causa diffamare proximum, et vindicta potius quam defensio; ideoque peccaret accusatus, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Hinc testificanti de homicidio accusatus non potest objicere fornicationem, bene tamen perjurium et infamiam, quia his et non illa redditur testis idideneus.

Dixi 2°, *si non possit aliter evadere;* quia si possit evadere aliter absque detrimento proximi, puta, objiciendo consanguinitatem, peccaret revelando crimina occulta contra charitatem et justitiam, quia excederet moderamen inculpatæ tutelæ. Similiter si, repulsis suis testibus, remaneant alii sufficientes idonei: in hoc tamen ultimo casu quibusdam videtur non peccari contra justitiam, quia accusatus habet jus secundum leges excipiendi contra quemcumque testem.

ARTICULUS III.

Utrum accusato liceat judicium per appellationem declinare?

Appellatio est a minore judice ad majorem provocatio.

Q. 69, a. 3 o. — *Dico* 1° Accusato qui injuste gravatur a judice licitum est appellare.

Ibid. et in a. s. c. — *Patet* tum exemplo Apostoli qui Cæsarem appellavit Act. 15, tum ex variis locis juris, cap. *Omnis oppressus*, causa 2, q. 6, cap. *Pastoralis* de Appell. Idque conformiter juri naturali, cum appellatio pertineat ad justam defensionem, et ideo cap. *Cum speciali* de Appell. lib. 2, tit. 28, dicitur *Remedium ad præsidium innocentiæ institutum.*

Ibid. — *Dico* 2° Non licet appellare a justa sententia, causa afferendæ moræ, ne sententia mandetur executioni; quia qui sic agit facit injuriam et judici cujus officium impedit, et adversario suo cujus justitiam, quantum potest, perturbat impediendo eum usu juris sui.

Attamen in criminalibus conceditur reo appellare a justa sententia, causa protrahendæ vitæ, aut sub spe benignioris sententiæ obtinendæ a judice superiore. Item in civilibus, qui causa cadit potest appellare a justa sententia, 1° quando habet novas probationes juris vel facti quas judici inferiori exhibere non potuit; 2° quando sunt opiniones æque probabiles, et sperat judicem superiorem secuturum opinionem aliam quam eam quam secutus est judex inferior; non tamen si jus illius qui vicit est probabilius, ea spe quod judex superior secundum jus minus probabile judicabit.

Observanda circa appellationes.

1° Jure tam civili quam ecclesiastico conceduntur decem dies a lata sententia ad appellandum, et triginta dies a lata sententia ad obtinendum a judice a quo, litteras quas vocant dimissorias seu *apostolos*, causa 2, q. 6, c. *Anteriorum*, et c. *Post appellationem*. Forma autem *apostolorum* hæc est: *Ego N. ecclesiæ N. episcopus, te N. presbyterum ad Apostolicam Sedem quam appellasti, ab observatione mei judicii his apostolis dimitto.* Ad prosequendam autem appellationem conceditur annus, et ubi justa causa subest, biennium, ibid. c. *Ei qui.*

Alia est praxis in Gallia. *Apostoli* edicto Francisci primi abrogati sunt. Appellatio debet fieri intra quadraginta dies a publicatione sententiæ: quibus elapsis, judex, postulante adversa parte, jubet appellantem exhibere intra triduum aut longiorem terminum, pro locorum distantia, litteras appellatorias et apparitoris relationem, vulgo *l'exploit*, quod si post statum terminum exhibitionis appellans non compareat, declaratur irrita appellatio, vulgo *appel désert*, et sententia executioni mandari potest. Hoc non obstante, restat adhuc appellanti (si sententiæ non acquieverit) remedium, scilicet restitutio in integrum per litteras principis ut appellare possit. Poterat olim restitui in integrum usque ad triginta annos; sed edicto Ludovici XIV, constitutione anni, 1667, tit. 27, a. 7, non potest post decennium, et quantum ad ecclesias et alia loca pia, post vicennium a significatione sententiæ.

Ibid. ad 1. — 2° In ecclesiasticis nego-

tiis appellatio potest fieri non solum post, sed etiam ante latam sententiam ; in sæcularibus post latam tantum, c. *Non ita* ibid. Forma appellationis ante sententiam hæc est : *Ego N. clericus, sentiens me prægravari a domino N. ecclesiæ N. episcopo, Romanam Sedem appello, et apostolos peto.* Fornia appellationis post sententiam hæc est : *Ego N. presbyter contra sententiam domini N. ecclesiæ N. episcopi, injuste in me latam die N. mensis N. anna N. Romanam Sedem appello et apostolos peto*, can. *Post appellationem* cit.

Ibid. — 3° Probibetur catholicis inter se contendentibus appellare ad judicem infidelem, causa 2, q. 6, c. *Catholicus ;* quia non præsumitur esse rectitudo ubi vera fides deest ; idque reprehendit Apostolus in Corinthiis 1 Cor. 6. Nec obstat quod ipse Cæsarem appellaverit, agebat enim cum adversariis christianæ religionis, nec erat alius coram quo causa ejus posset ex æquo tractari. Fideles autem inter se contendentes possunt causas suas dirimere coram fidelibus, sive ut arbitris sive ut judicibus, de consensu partium.

Ibid. ad 2. — 4° A judicio arbitrorum mutuo partium consensu assumptorum non datur appellatio, c. *A judicibus* ibidem ; quia eligendo propria voluntate judices, censentur renuntiasse appellationi.

Ibid. ad 3. — 5° Non licet appellare tertio in eadem causa, sed post tres sententias censetur res irrevocabiliter definita, c. *Sua nobis* de Appell. lib. 2, tit. 28 ; et l. *Si quis*, eod. Ne liceat lib. 7, tit. 70. Quia non est probabile toties judices a recto judicio deviare, et expedit litibus modum præfigi ne maneant interminabiles. Imo in Gallia post duas conformes sententias interlocutorias non licet appellare, ex Concordato Bonon. inter Leon. X et Franciscum I, tit. *de Frivolis appellat.*

6° Appellatio debet fieri gradatim, nullo prætermisso judice medio, c. *Delicti* de Appel. nisi appelletur ad papam extra Galliam ; quia in Gallia omnis appellatio etiam ad papam, prætermisso judice intermedio, nulla est ; et quando appelletur ad papam, papa delegat judices in partibus Gallicanis, nec cogi possunt Galli suas causas extra regnum prosequi, ex dicto Concord. tit. *de Causis.* Judices autem delegati non debent distare a domicilio litigantium ultra duas diætas legales, hoc est viginti leucas ; ibid. Id jam antea fuerat ordinatum generaliter ab Innoc. III, in conc. Later. et confirmatum deinde in Trid. sess. 13, cap. 2.

Ab officiali seu vicario generali non appellatur ad episcopum, quia est idem tribunal episcopi et officialis seu vicarii generalis. Ab archidiacono autem appellatur ad episcopum, ab episcopo ad archiepiscopum, et ab ipso ad primatem seu patriarcham. A sententia capituli, cui episcopus interest ut canonicus, appellatur ad ipsum : si intersit ut episcopus, non appellatur ad ipsum, sed ad ejus superiorem ; c. *Postulatis* de Concess. præbend.

7° Quando temere est appellatum, judex appellationis non potest causam sibi retinere, sed debet remittere ad judicem a quo est appellatum, c. *Cum in Ecclesia* de Appellat. Si ex pluribus qui causa ceciderunt unus appellet et vincat, prodest reliquis, c. *Una sententia* ibid.

3° Jure canonico regulares prohibentur appellare non solum ad judices incompetentes, sed etiam ad competentes intra suam religionem, c. *Ad nostrum* 3, de Appellat. lib. 2, tit. 28, c. *Reprehensibilis* 26, ibid. et alibi Specialiter in meo Prædicatorum ordine sic statuitur : « Appellationem intra » nostrum ordinem sub interminatione » anathematis fieri prohibemus, cum non » venerimus contendere, sed potius delicta » corrigere ; » Constit. dist. 2, cap 8, text. » 3. Item : « Appellans ab absolutione facta » vel facienda ab officiis prioratus, provin- » cialis, vel conventualis, aut vicariatus, » etiam prætextu gravaminis, ipso facto sit » absolutus ab officio. Volentes quod in istis » ratio gravaminis tam proprii quam com- » munis non habeat locum quoad appellan- » dum ; » ibid. textu 5. Idem pro eodem ordine statuit Julius II, in suo brevi *Expostulasti*, dato quarta novembris 1511, quod refert Fontana v. *Appellato.* Et idem puto sancitum in plerisque religionibus.

His non obstantibus, doctores non pauci nec ignobiles tenent regulares generaliter posse appellare quando injuste gravantur, et prælati in eos modum correctionis etiam regularis excedunt. Ita Sylvester, Navar. Sayrus, Asorius et alii quos citant et sequuntur Sylvius in resolutionibus v. *Appellatio regularium*, et Pontas, v. *Appel*, cas. 3. Horum rationes sunt 1° quia S. Thomas

hic a. 3. o, docet geseraliter quemcumque injuste gravatum, neminem excipiendo, posse appellare; etc., *Omnis*, causa 2, q. 6, dicitur quod *omnis oppressus*, sine exceptione, possit appellare. 2° Quia c. *De priore* 31, de Appelat. et alibi, conceditur specialiter regularibus injuste vexatis jus appellandi. 3° Quia appellatio est de jure naturali cum unicuique natura jus tribuat suam innocentiam defendendi. Et revera sic usus invaluit; vix enim unum regularem reperies, qui, quamvis justa sententia mulctatus, non credat aut dicat se injuste vexatum, et ideo ad superiorem appellet: appellationesque hujusmodi passim admittuntur a superioribus.

Verum si attentius scrutemur quid juris sit, res forte aliter se habet. Etenim sic discurro: De jure communi omnis, sive sæcularis sive regularis, injuste gravatus, appellare potest; juste gravatus non potest: porro si verum sit regulares non obstantibus juribus particularibus posse appellare dum injuste gravantur, et non posse dum juste gravantur, sunt omnino in eodem gradu et statu ac sæculares; nec extrahuntur a jure communi: quæro ergo quid canones et decreta prohibentia specialiter regularibus præ sæcularibus appellationem, operentur supra jus commune? nihil prorsus, proindeque sunt vana et illusoria: quod non potest admitti.

Unde *ad primum* fundamentum superioris sententiæ responderi potest, S. Thomam et canonem cit. loqui secundum jus commune, abstrahendo a jure speciali et privilegio quod nondum exstabat. Constitutio enim nostra laudata superius, edita est, et breve Julii II, dato sæculo decimo sexto: *ad secundum*, hæc jura potuisse corrigi per jura sequentia, et ipsis derogari per privilegia, aut esse intelligenda conditionate, si regulares non cedant juri suo: unde *ad tertium*, nihil vetat si dicamus regulares profitendo religionem secundum statuta ordinis et ejus privilegia, quibus interdicitur amnis appellatio, juri appellandi sibi a natura concesso renuntiasse; sicut patres Jesuitæ, ingrediendo societatem in qua licitum est crimina particularium denuntiare superiori, prætermisso ordine correptionis fraternæ, dicuntur renuntiare juri suæ famæ; similiter Carthusiani juri conservandi vitam per esum carnium dum adsunt alii cibi. Idque convenienter juri naturæ secundum quod bonum totius prævalet bono partis: sic, dictante jure naturæ, manus abscinditur ut salvetur totum corpus. Exigit autem bonum totius religionis ut resecentur appellationes; quia, hoc ipso quo licebit regularibus appellare ab injusto gravamine, cum vix ullus sit, ut jam observavi, qui non reputet se injuste gravatum, omnes appellabunt, et inde disciplina regularis relaxabitur, bona religionis existimatio et omnis subordinatio destruetur: quod infelici experientia comprobatur.

Neque tamen in hac sententia deest remedium injuste gravatis; quamvis enim appellare non possint, possunt tamen per viam simplicis defensionis et querelæ recurrere ad superiorum, implorando ejus protectionem adversus injuste gravantem, et tenetur superior illis concedere, atque, causa examinata, facere quod faceret bonus judex appellationis.

Quidam distinguunt: concedunt regularibus jus appellandi quando gravamen est enorme et manifeste injustum; et revera canon *De priore* cit. loquitur de enormitatibus manifestis: negant vero quando gravamen non est enorme aut manifeste injustum; et six explicant quomodo jura specialia religionum aliquid operentur supra jus commune; sæculares enim ex jure communi possunt et in dubiis et in non enormibus appellare. Ita Rodrigues et Laurentius Peirinis quos citat et sequitur Lesana t. 1, c. 9, n. 7, Huic saltem sententiæ mediæ præstaret sistere in praxi, potius quam promiscuæ admittere quascumque appellationes cum maximo religionis detrimento.

9° Appellatio habet duplicem effectum, nempe devolutivum et suspensivum: devolutivus tantum, est devolvere cognitionem causæ ad superiorem, ut ea cognita quid juris pronuntiet, vel priorem sententiam confirmando vel irritando, absque eo quod interim suspendatur effectus sententiæ a qua appellatur: eximit tamen appellantem a jurisdictione judicis a quo quoad causam ad causam a qua appellatum est. Effectus suspensivus, est suspendere vim et affectum sententiæ a qua appellatur, ita ut res maneat in eodem statu ac si non fuisset sententia lata.

Appellatio in certis casibus non habet effectum suspensivum: 1° in his quæ spectant

correctionem morum, Trid. sess. 13 *de Reformat.* cap. 1, sess. 22, cap. 1, et sess. 24, cap. 1. Et ita observari in Gallia notant Cabassutius et Pontas ex variis regum edictis : et hoc etiam verum est, inquit Cabassutius, tam in appellationibus ab abusu quam in appellationibus simplicibus. 2° Decretum episcopi super præcedentiam sive sæcularium sive regularium in processionibus aut aliis comitiis ecclesiasticis non suspenditur per appellationem, Trid. sess. 24 *de Regular.* cap. 13. 3° Appellatio non suspendit sententiam excommunicationis, suspensionis aut interdicti, cap. *Pastoralis* 53, de Appell. lib. 2, tit. 28, et *Is cui*, de Sent. excom. in 6. Quia excommunicatio aliave censura statim habet suum effectum : potest tamen peti absolutio a superiore ad cautelam. 4° Appellatio a processu criminali non suspendit processum, ne interim subtrahantur probationes et crimen maneat impunitum, l. *Eos* § Super, cap. de Appell.

10° Appellatio non admittitur a sententia interlocutoria, nisi importet gravamen irreparabile, cap. *Cum cessante* 60, de Appellat. et Trid. sess. 13 *de Reform.* c. 1. Gravamen irreparabile dicitur omnis actus irretractabilis ac ferens secum actualem executionem, ut præsens excommunicatio, tortura, etiam incarceratio ; quamvis enim judex ad quem possit liberare et ab excommunicatione et a carcere, non tamen potest efficere quin homo passus fuerit excommunicationem aut carcerem.

Appellatio tanquam ab abusu.

Hoc appellationis genus Gallis est proprium, et recens inventum circa finem sæculi decimi quinti, ut probat Cabassutius lib. 4, c. 13, n. 5. Et est appellatie a sententiis judicum ecclesiasticorum ad curias regias, quando sententia judicis ecclesiastici est 1° contra edicta regia ; 2° quando contra sacros canones ; 3° contra jura et libertatos ecclesiæ Gallicanæ ; 4° quando judex ecclesiasticus excedit jurisdictionem suam per usurpationem jurisdictionis sæcularis. « His » enim, inquit laudatus Cabassutius ibid. » n. 1, quatuor causis nituntur istæ appel- » lationes, quorum defectu theorica juris- » prudentia curiarum regiarum profitetur » tales appellationes fore illicitas et injurio- » sas ; » et addit quod, cum huic theoriæ praxis ipsa plerumque non conformabatur, reges Christianissimi frequentibus edictis effusiorem sine justa causa appellandi licentiam conati sunt coercere : Franciscus I, edicto anni 1530, a. 1, 2, 3, 4, Carolus IX, Constit. anni 1571, a. 5 ; Henricus III, edicto Melodunensi anni 1579, a. 1, Blesensi, a. 59.

Finaliter nota concilium Trid. sess. 24 *de Reform.* cap. 20, sic statuisse : « Causæ om- » nes ad forum ecclesiasticum quomodoli- » bet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, » in prima instantia coram ordinariis loco- » rum duntaxat cognoscantur ; atque om- » nino saltem intra biennium a die motæ » litis terminentur : alioquin post id spa- » tium liberum sit partibus vel alteri illa- » rum judices superiores, alias tamen com- » petentes adire, qui causam in eo statu quo » fuerit assumant, et quamprimum termi- » nari curent. » Intellige tamen quando per judices stat quominus terminentur ; ex declaratione congreg. card. apud Gallemart. Ibid.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat condemnato ad mortem se defendere aut fugere si possit?

Q. 69. a. 4. c.—*Dico* 1° Juste condemnato ad mortem non licet se defendere.

Ibid. in a. s. c.—Quia 1° dicit Apostolus Rom. 13 : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et ipse sibi damnationem acquirit ;* sed juste condemnatus se defendendo potestati resistit, quantum ad hoc in quo est divinitus instituta, scilicet ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum operum. Ergo.

Ibid. o.—2° Quia licitum est judici resistentem impugnare : ergo ex parte resistentis est bellum injustum, sicque indubitanter peccat. Ergo.

Dices. Illud ad quod natura inclinat, semper est licitum, quasi de jure naturali existens. Sed naturæ inclinatio est ad resistendum corrumpentibus, non solum in hominibus et animalibus, sed etiam in insensibilibus. Ergo.

Ibid. ad 1. — *R.* quod ideo homini data est ratio, ut ea ad quæ natura inclinat, non passim, sed secundum rationis ordinem exsequatur ; et ideo non quælibet sui defensio est licita, sed solum quæ fit cum debito moderamine.

Ibid. o. — *Dico* 2° Injuste condemnato

licet se defendere; quia tale judicium simile est violentiæ latronum, secundum illud Eccles. 22: *Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem;* et ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis principibus seu judicibus, nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.

Dico 3° Innocens condemnatus secundum allegata et probata, per se loquendo, potest se defendere, sive judex noverit ejus innocentiam sive non; per accidens tamen regulariter non potest. Ita Bannes, Sylvius et alii.

Ratio primæ partis est; quia hæc sententia licet sit justa in foro exteriori, est tamen injusta secundum rem et nulla in foro conscientiæ, nullum verum jus conferens actori aut judici, utpote fundata in falsa præsumptione, ut communiter admittitur: ergo innocens damnatus non tenetur illi obedire in conscientia, sed potest contra illam se defendere.

Confirmatur. Si quis per hujusmodi sententiam esset mulctatus pecunia, aut privatus aliqua re, puta, legato vel hæreditate, non teneretur in conscientia ad solutionem aut abdicationem; et is cui res talis esset applicata, si sciat sententiam niti falso fundamento, non posset illam retinere, sed teneretur restituere. Ergo. Confer art. 6 dissert. 12.

Si inferas. Ergo dabitur bellum justum ex utraque parte absque ignorantia; quia etiam judex habet jus invadendi talem innocentem juridice damnatum. *R. N. illationem;* quia vel judex novit ejus innocentiam, vel non: si hoc ultimum, erit bellum justum ex ejus parte propter ignorantiam; si noverit, censet Bannes quod teneatur tunc dissimulare et sententiam non exsequi, si possit sine scandalo; alioquin erit bellum injustum ex parte ipsius. Imo etsi urgente scandalo teneatur sententiam exsequi, erit nihilominus bellum justum ex ejus parte propter ignorantiam, quia ut judex nescit innocentiam damnati.

Ratio secundæ partis est; quia cum hujusmodi sententia exsecutioni mandetur publice, et populo appareat justa, sequeretur regulariter grave scandalum et commotio in republica, si damnatus se defenderet invadendo judicem, aut sententiæ exsecutores vulnerando, mutilando, occidendo, esset que perversum exemplum nefariis hominibus sic se defendendi.

Dico 4° Reus potest, imo tenetur se defendere contra sententiam qua condemnaretur ut ipse introsumeret venenum aut sibi venas aperiret. Est communior.

Probatur. Talis sententia foret injusta: ergo. *Probatur ant.* Licet Deus potuerit conferre reipublicæ potestatem condemnandi reos ad seipsos occidendum, nullibi tamen constat contulisse; imo constat non contulisse, quia ex una parte id non est necessarium ad puniendos malefactores, cum aliis variis modis possint puniri et de medio tolli; ex altera parte est nimis inhumanum ac toti inclinationi naturali etiam in insensibilibus contrarium, seipsum destruere: atqui sumere venenum, ubi non est antidotum paratum, aut sibi aperire venas, ubi non est facultas eas occludendi, est seipsum occidere, perinde ac sumere plumbum liquatum, aut guttur sibi transfigere: ergo hæc sententia est injusta, et consequenter damnatus non solum potest, sed etiam tenetur resistere, alioquin suicidii reus.

Neque simile est de ascensu scalæ, aut extensione colli; hæ enim actiones non sunt ex se occisivæ sicut priores, sed dispositivæ tantum ad occisionem, et ideo potest eas judex præcipere.

Ibid. ad 2. — *Dico* 5° Reus etiamsi juste damnatus, sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad triremes, potest fugere e carcere.

Probatur. Nemo tenetur facere id unde sequitur mors aut grave damnum, nisi ad id sit damnatus: atqui reus, etiam juste damnatus ad mortem, mutilationem aut triremes, non condemnatur ut sponte maneat in carcere; et si maneret, inde mors aut grave damnum sequeretur. Ergo. *Major est certa, secunda pars minoris etiam patet. Prob. prima pars.* Sententia mortis aut mutilationis fert duntaxat ut reus subeat mortem vel mutilationem quando inferetur, non autem quod ipse sponte maneat in carcere: quia id ex una parte non est necessarium ad ejus punitionem, cum respublica possit et debeat curare ut sint firmi carceres et custodes vigiles, ne reus fugere possit; et ex altera parte foret nimis durum et alienum a jure quod cuique inest a natura ad sui conservationem, id præcipere absque necessitate. Ergo.

Si dicas reum teneri scalas ascendere aut collum tendere, licet inde sequatur mors magis quam ex mansione in carcere: *R.* 1° reum ad hæc non teneri nisi quando aliter facere non potest; si enim posset tunc fugere, ad hæc non teneretur; 2° Disparitas est, quod hæ actiones sint necessariæ ad sententiæ exsecutionem, nec possint commode fieri a carnifice, ideoque a judice præcipi possint.

Inst. Reus tenetur parere justæ sententiæ: atqui fugiendo non paret. Ergo.

R. N. min. Sententia enim non præcipit reo ut non fugiat, sed ut luat pœnam quando inferetur.

Repones. Reus fugiens est causa damni custodibus, qui ideo puniuntur. Ergo.

R. hoc damnum esse per accidens et præter intentionem fugientis, qui potest illud negligere ut utatur jure suo et vitæ suæ consulat: imputent autem sibi custodes, si non satis attente vigilaverint.

Sed forte quæres utrum judex non possit damnato ad mortem præcipere ut maneat in carcere?

R. regulariter non posse, quia, ut dictum est, id regulariter non est necessarium, et est nimis inclinationi naturali contrarium. Posset tamen subsistente justa causa, et teneretur reus obedire; quia non conservare vitam mamendo in carcere, non est ita contrarium inclinationi naturali, quin possit justa de causa præcipi: si enim reus potest vita privari, *a fortiori* potest, exigente justa causa, privari aliquo actu quo vitam conservare posset. Ita Cajet., et post ipsum Sylvius. Neque dissentit S. Thomas hic ad 2, ut quidam putant; docet enim duntaxat, *neminem teneri facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem,* quod verum est regulariter et vi sententiæ simpliciter damnantis ad mortem, prout fieri solet: utrum autem possit condemnari ad id unde sequatur mors, non discutit S. Doctor.

Dixi, in conclusione, *damnatus sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad triremes;* quia si esset tantum damnatus ad carcerem ad tempus, existimant theologi quod non posset fugere, quia non est adeo gravis pœna quin debeat eam subire: sicut si damnetur ad pœnam pecuniariam aut ad exilium, debet obedire. Dico *quoad tempus;* quia si esset damnatus ad perpetuum et durum carcerem, non pauci arbitrantur posse fugere, eo quod secundum jura carcer perpetuus morti comparetur, lib. *Penultima* ff. de Reg. juris. Nec videtur esse sensus sententiæ, quod ibi perpetuo sponte maneat, sed quod detineatur. Ita Bannes, Sylvius, Serra et alii. Quidam tamen excipiunt, nisi ratione voti, juramenti, aut specialis promissionis esset obligatus: unde volunt regularem damnatum ad carcerem perpetuum non posse fugere, quia ratione voti tenetur obedire superiori in iis quæ sunt secundum regulam et accessoria ad illam. Concedit tamen ipsi Bannes ut possit fugere ad recurrendum ad superiorem.

Petes utrum damnatus ad mortem non solum possit, sed etiam teneatur fugere?

R. Juste damnatus ad mortem non tenetur fugere, sed potest manere amore justitiæ, scilicet, ut per supplicium satisfaciat pro peccatis et reparet scandala quæ dedit; quia manere in carcere non est seipsum occidere, sed vitam non tueri; potest autem quis ex rationabili causa vitam non tueri, ut patet in iis qui pro bono reipublicæ vel proximi vitam exponunt. *Confirmatur* ab exemplo martyrum, qui, quamvis injuste damnati, tamen causa fidei confirmandæ, e carceribus patentibus fugere noluerunt, et quos nemo ideo peccati accusat.

Parit tamen difficultatem S. Thomas hic ad 2, ubi loquens de reo damnato ut fame pereat, dicit, *quod non sumere cibum clam oblatum, esset seipsum occidere;* ex quo sequitur non solum quod possit, sed etiam quod teneatur sumere cibum oblatum. Ergo similiter manere in carcere, esset seipsum occidere, proindeque tenetur reus fugere.

R. quod non sumere cibum, sit seipsum occidere negative et indirecte, quando non subest justa causa recusandi; quia tunc non est tueri vitam quando quis potest et debet, ex quo fit quod mors imputetur illi ut voluntaria: at vero non sumere cibum quando adest justa causa illum recusandi et vitam non conservandi, non est seipsum occidere. Primo autem sensu intelligendus D. Thomas, non secundo. Nam q. 32, art. 6, docet quod quis potest subtrahere sibi quod est necessarium ad vitam, ad dandum personæ bono communi necessariæ. Quamvis ergo juste damnatus ut fame moriatur, possit sumere cibum clam oblatum, potest tamen

recusare et permittere mortem injunctam, si id faciat ex altiori motivo virtutis, nempe in reparationem justitiæ et scandalorum et in satisfactionem pro peccatis : similiter de mansione in carcere.

Dixi in responsione, *reus juste damnatus :* nam si sit injuste damnatus, plerumque tenetur fugere, quia extra casum fidei et boni publici, raro subsistit ratio non fugiendi.

Dico 6° Reus juste damnatus ad mortem potest rumpere vincula et carceres ut fugiat : est communior cum Cajet. Soto, Banne, Sylvio, Serra et aliis ; quia cum habeat jus fugiendi, ut dictum est, habet consequenter jus tollendi impedimenta fugæ, alioquin inane foret jus fugiendi. Neque in hoc facit cuiquam injuriam : non compedibus aut carceri, cum sint injuriæ incapaces; non eorum auctoribus aut justitiæ ministris, quia, ut suppono, nihil contra eos facit, nec vis illata vinculis aut carceri in eos redundat. Etenim si quis a judice ecclesiastico constrictus, vincula effringat, non incurrit ideo excommunicationem, quam incurreret tamen si vim inferret ipsi judici. Similiter qui damnatus ad bestias pugnat cum leone, et ipso victo fugit, non facit injuriam judici : neque etiam dici potest quod faciat injuriam reipublicæ aut custodi carceris propter damnum quod causat frangendo vincula aut carceres; utitur enim jure suo, et id non minus illi licet quam qui fugiendo invasorem vitæ, conculcat in via segetes, aut occidit equum alienum; uterque enim est in extrema necessitate. Aliunde videtur quod respublica aut custos teneatur consentire huic levi damno, ut reus vitæ consulat.

Utrum vero teneatur reus restituere istud damnum? *Quidam negant*, quia non tenetur ratione injustæ acceptionis, cum non peccet; neque ratione rei acceptæ, cum nihil habeat. Alii dicunt teneri ratione cujusdam contractus taciti; cum enim reus juste detineatur, videtur saltem tacite consentire in reparationem damni si quod fugiendo directe causaverit : nec æquum videtur reum fugam arripere cum directo custodis aut reipublicæ damno, absque eo quod illud compensare intendat. Quod videtur probabile, intelligendo de illo qui non est simpliciter pauper, ut diximus de iis qui surripiunt alienum in extrema necessitate; require ibi. Cæterum hæc restitutio neque exigi neque fieri solet.

Dices. Variis legibus civilibus effractores carcerum, gravissima, imo capitis pœna puniuntur : atqui non infertur tam gravis pœna sine culpa. Ergo.

R. vel legislatores civiles secutos fuisse contrariam opinionem quæ est etiam probabilis, vel loqui de carcere moderato et ad tempus, vel eorum leges fundari in præsumptione quod esset vis illata custodibus ; vel tandem pœnam aliquam statuerunt non propter culpam, sed ad terrorem, ut carcerati securius et facilius detinerentur. Quamvis enim nemo sit puniendus sine causa, potest tamen puniri sine culpa, ut fert regula juris 32, in 6 : *Sine culpa, nisi subsit causa, nemo est puniendus.* Probat autem Gomesius, tom. 3, cap. 9, n. 11, pœnam in effractores simplices latam, non esse capitis, sed mitiorem et ad arbitrium judicis.

Petes 1° utrum aliis liceat reo consulere fugam et carcerum effractionem, præbere instrumenta et eos adiuvare vel in fuga vel in effractione?

R. Secluso speciali præcepto, aliis privatis licet non solum consulere reo fugam et carcerum effractionem, sed etiam illi necessaria ad id instrumenta ministrare : non tamen licet eum adjuvare sive eum extrahendo e carcere, sive frangendo cum illo carceres aut vincula. Est Cajet. Bannes, Sylvii, Serræ et satis communis.

Ratio primæ partis est ; quia licet consulere alicui id quod licet illi facere ; et si liceat consulere illi finem, nihil prohibet illi præbere media ad hunc finem. *Confirmatur.* Reus licite potest uti illis instrumentis : ergo licet ea illi præbere.

Dixi, *secluso speciali præcepto ;* quia, *dato* quod non possit prohiberi reo ne fugiat aut carceres effringat, potest tamen aliis prohiberi ne id consulant vel instrumenta ministrent, cum talis prohibitio respectu aliorum nihil contineat inhumani aut nimium difficilis.

Dixi 2°, *aliis privatis ;* quia id non licet custodibus, judicibus aut aliis ministris justitiæ ; hi enim ex officio tenentur tueri et exercere publicam potestatem.

Dices. Qui probarentur reo consuluisse fugam aut præbuisse instrumenta, punirentur : ergo non licet.

R. Dato ant. nego consequentiam ; quia,

ut notavi supra, leges quandoque puniunt sine culpa, non tamen sine causa,

Ratio secundæ partis est; quia jus illud fugiendi et effringendi carceres, quod conceditur reo ut indulgentia juris naturalis propter imminens sibi periculum gravissimi mali, aliis non periclitantibus non conceditur : alias nihil foret tutum in republica, et non satis esset provisum justitiæ et judicibus.

Neque refert quod possim consulere fugam et instrumenta præbere; non enim qui potest opus consulere potest semper illud exsequi : sic possum consulere judici ut occidat malefactorem, et ad id instrumenta ministrare; non tamen ego possum occidere.

Petes 2° utrum liceat reo corrumpere custodes ut possit evadere?

R. Non licet muneribus aut precibus eos inducere ut consentiant fugæ; quia cum consentire nequeant, esset illos inducere ad peccatum. Licet tamen muneribus aut aliis modis absque fraude captare eorum benevolentiam, et hac ratione sibi parare viam ad fugiendum; nihil enim mali hic petitur, et custodum est vigilare ne decipiantur.

In summa accipe regulam generalem quantum ad istas omnes quæstiones de reo, scilicet : quando respublica aut judex præcipit aliquid reo unde mors aut aliquod grave damnum corporale sequitur indirecte et remote, si id quod præcipitur sit necessarium bono communi, tenetur reus obedire; secus, non tenetur. Quia non est in republica potestas præcipiendi ea quæ tam inclinationi naturali adversantur, nisi ratio boni communis id necessario exigat.

ARTICULUS V.

De advocato.

Advocatus est qui in judicio partem alterutrius litigantis defendit. Dicitur advocatus, quia vocatur in judicium ut ibi causam defendat : unde qui privatim extra judicium alterum litigantium consiliis et scriptis juvat, non est proprie advocatus, et quando quis in jure repellitur ab officio advocati, non prohibetur qui possit privatim dare consilia verbo vel scripto.

Q. 71. a. 1. o. — *Quæritur* 1° utrum advocatus teneatur præstare gratis patrocinium causæ pauperum?

R. quod cum præstare patrocinium causæ pauperum ad opus misericordiæ pertineat, idem est dicendum ac de eleemosyna et aliis operibus misericordiæ.

Igitur in extrema necessitate pauperis, quando nempe defectu patrocinii est injuste capite plectendus, aut ad extremam inopiam redigendus, tenetur advocatus ei patrocinari de superfluo vitæ, etsi sit statui necessarium, hoc est, quamvis ejus patrocinium sit necessarium statui suo servando. In gravi necessitate, quando scilicet pauper defectu patrocinii est vel ad triremes vel ad durum carcerem injuste damnandus, vel gravem bonorum jacturam passurus, tenetur advocatus ejus causæ patrocinari de necessariis ad decentiam status. In communi tandem necessitate, quando nempe pauper defectu patrocinii est passurus aliquam jacturam bonorum, tenetur advocatus patrocinari de superfluo status. Raro tamen occurrit communis necessitas in hac materia, quia causæ judiciales sunt regulariter magni momenti pro pauperibus, aut non sunt pauperes. Horum ratio est, quod sic explicetur præceptum eleemosynæ, de quo cum de charitate.

Ibid. et q. 32. a. 5. ad 3. — Tunc autem judicatur esse necessitatem, quando non in promptu apparet quomodo aliter subveniatur aut subveniri possit, potentia nimirum non physica, sed morali, et probabiliter actui conjungenda; quid enim juvaret pauperem, si multi possint illi succurrere et nemo succurrat? Tenetur autem imprimis succurrere qui habet id quo pauper indiget : ut si pauper indiget pecunia, tenetur is qui pecunias habet; si cibo, qui habet cibum; si opera advocati aut medici, tenetur advocatus aut medicus : nec tenentur solvere divites, nisi isti nolint aliter opitulari. Unde Gregorius Hom. 9 in Evang. dicit : « Habens intellectum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, a misericordia non torpescat; habens artem qua regitur, usum illius cum proximo partiatur; habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat : talenti enim nomine cuilibet reputabitur quod vel minimum accepit. »

Quod hic dicimus de advocatis, idem dicendum est de procuratoribus, scribis, tabellionibus, etc., ad idque compellere possunt et debent judices quando nullus vult patrocinari pauperi sive propter ejus

paupertatem, sive propter potentiam ejus adversarii.

Ibid. o. — Extra casum autem veræ necessitatis, non tenentur hi gratis inservire; si tamen serviant, pauperum, viduarum et pupillorum causas pro Dei amore suscipiendo, opus laudabile et Deo valde gratum præstant.

Quæritur 2° utrum aliqui secundum jura arceantur ab officio advocandi?

Ibid. a. 2. o. — *R.* Quidam arcentur ab officio advocandi propter impotentiam; quidam propter indecentiam. Propter impotentiam arcentur impuberes, furiosi, surdi, muti, quibus adde ignorantes qui non valent merita causarum sufficienter dignoscere et defendere secundum jura et consuetudines: et hi peccant mortaliter propter periculum perdendi causas quas suscipiunt, suntque obnoxii restitutioni omnium damnorum quæ inde litigantibus obveniunt. Similiter si, quamvis scientia sufficiente polleant, propter negligentiam tamen sunt causa cur aut clientes sui causa cadant, aut ex dilationibus superfluis damnum incurrant. Ex qua autem culpa teneantur: require de restit. in genere.

Ibid. — Propter indecentiam dupliciter aliqui impediuntur ab officio advocandi: vel quia sunt majoribus rebus obligati, ut monachi et clerici qui sunt rebus divinis addicti; vel propter personæ defectum sive corporalem, ut patet de cæcis qui convenienter judicio adstare non possunt, vel spiritualem, ut sunt infames, infideles et damnati de gravioribus criminibus; non enim decet ut alterius justitiam contempsit, 3, q. 7, c. *Infames*, et 16, q. 1, c. *Monachi* et toto tit. De postulando, lib. 1, tit. 37.

Ibid.—Attamen necessitas hujusmodi indecentiæ præfertur, et propter hoc hujusmodi personæ possunt pro seipsis vel pro personis sibi conjunctis uti officio advocati. Unde et clerici pro ecclesiis suis possunt patrocinari, et monachi pro causa monasterii si abbas præceperit: utrique pro miserabilibus personis, tit. cit. *De postulando.*

Quæritur 3° utrum advocatus peccet si injustam causam defendat?

Ibid. a. 3. o. — *R.* 1° Advocatus qui scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem damni quod per ejus auxilium altera pars incurrit; quia cooperatur iniquitati suæ partis, imo eam facit et est causa damni quod incurrit altera pars. Quin etiam si clientem injustitiæ suæ causa forte ignarum non moneat, pariter peccat respectu illius contra justitiam, et tenetur illi restituere damna inde secuta, tanquam illorum causa. Non tenetur tamen restituere fisco mulctam ad quam reus fuisset condemnatus, si ejus causæ non fuisset patrocinatus, quia mulcta est pœna quæ non debetur nisi post condemnationem.

Ibid. — Si vero ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundum modum quo ignorantia excusare potest: ita quod si ignorantia fuerit antecedens, excusatur et a peccato et a restitutione; si concomitans, excusatur a restitutione, sed non a peccato; si consequens, vel fuit affectata aut crassa, et non excusat a peccato nec a restitutione; vel fuit levis, et excusat a tanto peccato, sed non a toto neque a tota restitutione. Vide de restitutione in genere.

Ibid. ad 2. — *R.* 2° Quando advocatus in principio credidit causam esse justam, et postea in processu apparet esse injustam, per se loquendo, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, et secreta suæ causæ illi revelet, hoc enim esset quodammodo agere contra fidem secreti; debet tamen causam deserere, vel clientem inducere ad cedendum, sive ad componendum sine adversarii damno. Non videtur autem in hoc casu posse fieri compositionem sine adversarii damno, nisi forte circa expensas. Et ideo graviter peccant et tenentur ad restitutionem advocati et procuratores qui, dum vident aperte causam esse injustam, inducunt partes ad transigendum seu componendum circa rem ipsam de qua lis est cum damno alterius; hujusmodi enim transactiones non fiunt nisi in causis dubiis.

Dixi in responsione, quod non debeat prodere causam sui clientis, *per se loquendo*, quia per accidens si inde parti adversæ immineret grave damnum, teneretur prodere ut illud impediretur, cum aliunde talis revelatio vix aut ne vix noceat suæ parti.

Sed quid de advocato qui fraudibus et mendaciis defendit causam justam?

R. Si causa sit constanter et evidenter justa, non peccat contra justitiam nec tenetur ad restitutionem, quia parti adversæ non facit injuriam, quin potius ab injustitia

præservat; peccat tamen contra justitiam legalem et facit injuriam reipublicæ quatenus pervertit judicium publicum, sed inde non nascitur obligatio restituendi.

Quæritur 4° utrum advocatus posit suscipere causam dubiam aut minus probabilem?

R. Quando causa est dubia propter æqualem utrinque probabilitatem, aut etiam quando una est minus probabilis, potest advocatus utramvis defendere, saltem in civilibus. Est communis. *Ratio est;* quia advocatus non profert sententiam, nec judicem proferre cogit, sed tantum proponit quæ sui clientis jus probare et firmare possunt: hæc autem proponere in causa probabili aut etiam minus probabili, non est injustum, quin potius utile, ut causa a judice melius expendatur et dirimatur.

Confirmatur. Pars cujus causa est probabilis aut etiam minus probabilis, habet jus experiendi in judicio; forte enim quod ipsi aut advocato videtur minus probabile, videbitur judici probabilius, et aliquando quod in principio litis erat minus probabile, fit in decursu ex rationibus propositis magis probabile: ergo potest illum adjuvare advocatus.

Si dicas ex hac ratione sequi quod advocatus possit defendere causam injustam, quia quod apparet ipsi injustum potest judici apparere justum.

R. N. illationem. Quia quando reputat causam absolute injustam, non potest illam defendere nisi per falsitates et mendacia cum injuria partis adversæ.

Observa tamen quod teneatur advocatus monere suum clientem hujus dubietatis et periculi quod incurrit; alias foret causa damnorum inde sequentium, quorum periculum forte cliens noluisset subire si illius fuisset conscius.

Dixi, *saltem in civilibus;* quia in criminalibus quando agitur de vita, membris, honore, non pauci existimant advocatum peccare contra charitatem, si causam accusatoris dubiam aut minus probabilem suscipiat; quia, inquiunt, ipse actor peccat contra charitatem vexando reum æque probabili aut probabiliori juri nixum, ipsumque pœnæ adeo gravi subjiciendo, cum potius illi, utpote in extrema vel gravissima necessitate existenti, succurrere deberet. Ita Soto, Lessius, Sylvius et alii.

Quæritur 5° utrum liceat advocato pro suo patrocinio pecuniam recipere?

Ibid. a. 4. o. — *R. affirmative.* Quia quis potest accipere compensationem pro iis operibus quæ exhibere alteri non tenetur: manifestum est autem quod advocatus non semper teneatur patrocinium præstare. Ergo. Et eadem ratio est de procuratore, notario, medico, chirurgo et similibus; dum tamen moderate accipiant, considerata conditione personarum, negotiorum, et laboris, et consuetudine patriæ. Quod si per improbitatem aliquid extorqueant immoderate, peccant contra justitiam et tenentur restituere. Sistant ergo hujusmodi personæ legi vigenti, vel consuetudini probatæ, si hac vel illa taxatum sit pretium; sin minus, judicio prudentum, attentis circumstantiis, ut dictum est.

Non possunt autem advocati aut procuratores convenire de quota parte litis pro stipendio; ne inde sumant occasionem volendi vincere per fas et nefas: l. *Sumptus*, ff. de Pactis; l. *Litem*, c. de Procurat. et q. 7. § Arcentur.

DISSERTATIO XV.

DE INJURIIS VERBORUM QUÆ INFERUNTUR EXTRA JUDICIUM, ET OBLIGATIONE RESTITUENDI INDE CONTRACTA.

D. Th. QQ. 72, 73, 74, 75.

Q. 72. initio. — Postquam egimus de injuriis verborum quæ fiunt in judicio, considerandum est de injuriis verborum quæ fiunt extra judicium; et 1° de contumelia; 2° de detractione; 3° de susurratione; 4° de maledictione.

ARTICULUS I.

De contumelia.

§ I. — *De fama et honore.*

Cum contumelia sit contra honorem et detractio contra famam, ut hæc accuratius dignoscantur et distinguantur, præmittendum censeo quid sit honor, quid fama. Quamvis enim hæc duo sæpe apud vulgus confundantur, distinguuntur tamen.

Fama dicitur a *fando*. Generaliter sumpta, est frequens et vulgaris sermo de re aliqua. Strictius autem sumitur prout spectat laudem vel vituperium alicujus, et definitur: *Opinio et sermo multorum de vita et moribus alicujus.*

Dicitur 1°, *opinio et sermo :* quia licet forte fama, theologice sumpta, essentialiter consistat in sola opinione et judicio interno, non videtur tamen esse completa, nisi ista interna existimatio per verba ad extra diffundatur et manifestetur; fama enim, ut notatum est dicitur a *fando*.

Dicitur 2°, *multorum :* quia licet opinio unius privati de vita alterius possit dici fama secundum quid, simpliciter tamen non censetur fama, nisi sit communis.

Dicitur 3°, *de vita et moribus* : quia virtus et vitium est proprium bonum vel malum hominis, ob quod est laude vel vituperio dignus. Et ideo bona fama, de qua hic est sermo, consistit primario et principaliter in opinione virtutis. Secundario tamen etiam consistit in opinione bonarum qualitatum naturalium vel acquisitarum, puta ingenii, scientiæ, eloquentiæ, potentiæ, opum, fortitudinis et similium, quæ homines magni æstimant et ex quibus famam quærunt. Mala autem fama consistit primario in opinione vitii; secundario in opinione defectuum naturalium, ut est defectus natalium, nota in familia, paupertas, etc. *Et inde colliges* quod, quamvis fama mea sit radicaliter seu fundamentaliter in me, nimirum virtus aut vitium; formaliter tamen non sit in me, sed in hominibus qui de virtutibus aut vitiis meis opinionem concipiunt et sermonem habent.

Q. 103. a. 1. o. — Honor est *testificatio de excellentia alicujus.* Ita communiter post auctorem.

Ibid. — Dicitur 1°, *testificatio :* et hæc fit inter homines triplici modo : 1° per verba honorifica, vocando, v. g. dominum, magistrum, eximium, sapientissimum; 2° per actiones honorificas, ut inclinatione, genuflexione, obviatione, cessione primi loci; 3° per res exteriores, ut per oblationem munerum, erectionem statuæ, imaginis institutionem, collationem dignitatum, quæ ideo per tropum dicuntur honores : nihil enim aliud quærunt quam hæc et similia signa suæ excellentiæ sibi exhiberi, qui honorari volunt inter homines.—**Ibid.**— *Dico* inter homines, quia coram Deo, qui est cordium inspector, possumus ejus et aliorum excellentiam sola cogitatione et interiori motu animi testari atque venerari.

Istud autem testimonium debet exhiberi præsenti si non per se, saltem per aliud, quod ipsum repræsentet : sic honoratur rex in suo legato, sanctus in imagine aut reliquiis. Alioquin verba honorifica quæ de absente ut tali proferuntur, magis pertinerent ad famam quam ad honorem. Item istud testimonium debet exhiberi ex opinione excellentiæ et animo venerandi, alioquin erit derisio et falsus honor.

Q. 63. a. 3. o —Dicitur 2°, *de excellentia alicujus.* Hæc porro excellentia potissimum consistit in virtute; quia, ut dictum est, virtus est proprium hominis bonum ob quod est laude et honore dignus. Deinde consistit in aliis perfectionibus a Deo communicatis, sive naturaliter, sive supernaturaliter; ut est potestas in principibus aut eorum ministris, dignitas principii in parentibus, et omnis perfectio creaturæ rationalis quatenus est participatio divinæ perfectionis. —**Q. 103. a. 2. ad 2.** — Excipe tamen dæmones et damnatos, qui, quia sunt irrevocabiliter mali, sunt omni ignominia digni, et pro inimicis habendi potius quam honorandi. Item ea quæ sunt effectus aut instrumenta harum perfectionum, aut ad illas dicunt ordinem, sunt etiam ratio honorandi: sic honorantur nobiles, quia nobilitas ortum habet et præclare gestis; sic honorantur divites, quia divitiæ præbent facultatem ad præclara opera, et possunt esse virtutis instrumentum.

Ibid. o.—Item dicitur *excellentiæ*, id est, superioritatis in aliqua perfectione; id enim importat *excellentia*, et ideo qui honoratur debet superior et excellentior esse non semper ipso honorante, sed vel aliis quibusdam, vel etiam ipso honorante non simpliciter, sed quantum ad aliquid.—**Ibid. ad 4.** Hinc privatæ personæ interdum honorantur a regibus, non quia sunt ipsis superiores secundum ordinem dignitatis, sed propter aliquam virtutis ipsorum excellentiam supra vel ipsos reges vel alios concives; sic honorati sunt a regibus Tobias et Mardochæus. —**Ibid. ad 3.**—Item omnes possunt et debent se invicem honore prævenire, juxta Apost. Rom. 12. Quia in quolibet invenitur aliquid ex quo potest aliquis eum sibi vel aliis superiorem reputare, secundum illum Philipp. 2: *In humilitate superiores invicem arbitrantes.*

Ex dictis colliges 1° veritatem hujus adagii, honorem nimirum formalem non esse in honorato, sed in honorante testificante

excellentiam alterius radicaliter tamen est in honorato, hæc nempe excellentia ob quam honoratur, sicut dixi de fama.

Colliges 2°, discrimen inter bonam famam et honorem esse 1°, quod fama potissimum consistat in opinione interna multorum de perfectionibus alicujus, honor vero in externo testimonio de excellentia illius; quamvis tamen, ut dixi, fama ad sui complementum requirat quod sit sermo exterior qui illam bonam opinionem prodat, et honor supponat opinionem internam de excellentia; 2° quod fama feratur de absente, honor exhibeatur præsenti; 3° quod fama sit de perfectionibus simpliciter, honor vero de excellentia et superioritate in perfectionibus: ita quod habere sermonem de alicujus perfectionibus in ejus præsentia, absolute loquendo, non sit honor, nisi nostro modo loquendi indicemus illum eas habere in gradu perfectiori quam nos aut alii.

§ II. — *Quid sit contumelia?*

Q 72. a. 1. o.—*Dico.* Contumelia est *dehonoratio qua aliquis id quod est contra honorem alicujus deducit in notitiam illius et aliorum*; seu brevius, est *injusta deshonoratio personæ præsentis.*

Dicitur 1°, *dehonoratio*: est autem dehonoratio, injuria qua honor læditur vel auferitur; quod debet intelligi non negative, quasi esset contumeliosus qui non reddit honorem quando et cui debet; sed contrarie, quatenus positivé significat alterum esse vilem et contemptibilem, nec honore dignum.

Hæc autem dehonoratio fit deducendo per signa defectus alicujus in ejus et aliorum notitiam. Et quia inter homines verba obtinent principatum significandi, ideo contumelia dicitur proprie fieri per verba; ut si voces aliquem præsentem, furem, stultum, spurium, etc. Potest tamen etiam fieri per facta, ut per picturas infamantes, per libellos famosos, per impactam alapam, per deturpationem aut fractionem imaginis vel januæ, per aspectum despectivum et similia, non quidem quatenus sunt facta, sed quatenus sunt signa et habent vim verborum significantium: sic, v. g. si frangas imaginem aut januam alicujus, eo solum animo ut ipsum damnifices, non es contumeliosus; si ut per hoc significes eum esse vilem et contemptibilem, es contumeliosus.

Dicitur 2°, *personæ præsentis*, quia contumelia debet fieri palam præsenti aut quasi præsenti, puta, in imagine, in ministro; aut si absenti, ea saltem intentione ut resciat: quia contumelia opponitur honori seu reverentiæ quam proximo exhibemus; honor autem non exhibetur nisi præsenti, aut absenti quasi præsenti; honorans enim cupit ut innotescat honorato testimonium quod reddit de ejus excellentia. —**Q. 73 a. 1, o.**— Insuper qui occulte male loquitur de absente, videtur eum magis vereri quam parvipendere, et ideo non est contumelia sed detractio: unde S. Thomas in definitione contumeliæ ponit, qua aliquis *id quod est contra honorem alicujus deducit in notitiam illius*, addit S. Doctor *et aliorum*, quia voluit exprimere quod regulariter accidit; —**Q. 72, a. 1, ad 1.** — alioquin est etiam vera contumelia si quis cuipiam soli defectum objiciat, in quantum contra reverentiam audientis agit.

Sic itaque ex hac parte comparatur contumelia rapinæ, sicut detractio furto: est tamen disparitas, quod rapina et furtum sint de eodem objecto, scilicet bonis fortunæ: contumelia autem et detractio de diversis objectis, scilicet honore et fama. *Et hinc inferes* quod, si quis libello famoso, deturpatione januæ, aliove modo aliquem honestet, occulto proprio nomine, non sit ex omni parte contumeliosus; quia, cum vult ignorari, censetur adhuc vereri alterum et non omnino parvipendere.

Sed dices. Honor nihil est aliud quam testimonium excellentiæ, ut dictum est: atqui ex hoc quod objiciam alicui defectum, non læditur aut aufertur hoc testimonium, cum tunc non existat: ergo neque honor.

R. ad minorem, non equidem lædi aut auferri testimonium existens seu habitum, sed habendum, quatenus per contumeliam testor hunc esse vilem et honore seu testimonio excellentiæ indignum, sicque minuo aut aufero illi statum excellentiæ æstimatæ ex quo honor ei debebatur, et constituo illum quasi in statu indignitatis; ita ut amplius non debeatur ipsi honor, quod est maxima injuria contra justitiam commutativam, quia unusquisque habet jus strictum, non quidem ad honorem, sed ad excellentiam æstimatam unde debetur ipsi honor; sicque nemo potest absque injustia minuere aut auferre hanc excellentiæ æstimationem;

quod tamen facit quantum in se est contumeliosus.

Petes utrum contumelia sit idem quod convicium et improperium ?

R. hæc tria sæpe pro eodem sumi, reipsa tamen distingui. Contumelia est, dum objicitur defectus culpæ, ut si dicas alicui injuriose quod sit fur. Convicium est, dum objicitur defectus culpæ vel pœnæ, ut si dicas alicui quod sit fur vel luscus ; quia vitium consuevit dici non solum animæ sed etiam corporis. Improperium est, dum objicitur minoratio seu indigentia, quæ etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam ; ut si exprobres alicui suam paupertatem, aut injuriose in memoriam revoces auxilium quod ei contulisti necessitatem patienti : unde dicitur Eccl. 10 : *Exigua dabit, et multa exprobrabit.*

Nota. Attamen hæc tria sunt ejusdem speciei, quia habent idem objectum formale, nempe lædere vel tollere honorem. Nec refert quod tollant honorem per objectionem diversorum specie defectuum, quia hi diversi defectus, quatenus tollunt honorem (quod intendit contumeliosus), sunt ejusdem rationis ; secundum se autem considerati, se habent tantum materialiter ad contumeliam. Ita Cajet. hic, Soto, Sylvius, Serra et alii. « Procul dubio, inquit Cajetanus, contumelia est unius speciei specialissimæ, ex unitate honoris contra quem » tendit, specificam unitatem habens, sicut » detractio ex unitate famæ. »

Addit Eminentiss. « Est tamen in utrisque cum unitate specifica, diversitas graduum secundum magis et minus, dum » unus defectus magis dehonorat aut infamat quam alius. » Unde, juxta sententiam de confitendis circumstantiis notabiliter aggravantibus, exprimi debet qualitas vitii dehonorantis, quando notabiliter auget dehonorationem, sive ratione ipsius, sive ratione illustris personæ contumelia affectæ, ut explicabo infra. Ex hoc capite contumelia illata parentibus videtur continere malitiam specialem pietati contrariam, ideoque in omni sententia exprimenda. Etiam certo exprimendum est in omni sententia, si contumelia simul includat detractionem, ut sæpe contingit, ut si alicui coram aliis objicias crimen occultum.

§ III. — *Utrum contumelia sit in genere suo peccatum mortale ?*

Ibid. a. 2. o. et in resp. ad arg. — *Dico.* Contumelia est ex genere suo peccatum mortale, potest tamen multis modis fieri veniale.

Ibid. in a. s. c. — *Prob. prima pars* ex illo Matth. 5 : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Apost Rom. 1, contumeliosos recenset inter illos quos Deus tradidit in reprobum sensum.

Prob. 2° Honor est bonum præstantius quam divitiæ : atqui furari aut rapere divitias est ex genere suo peccatum mortale : ergo et auferre honorem, quod facit contumelia.

Ibid. — In individuo autem contumelia est peccatum mortale, quando in his quæ objiciuntur est intentio graviter dehonorandi, etsi forte leviter dehonoret ; et hoc est per se et proprie calumniari, quia peccata linguæ maxime attenduntur ex affectu. Item si absque tali intentione objicitur aliquid quod graviter lædit, quia tunc redit actus in naturam suæ formæ, quatenus sciens debebat illud cavere et non cavens censetur illud intendisse, sicque imputatur illi voluntarium ac si intendisset : sicut si quis incaute et ex negligentia in ludo, percutiens aliquem graviter lædat, culpa non caret.

Prob. secunda pars. Contumelia fit venialis : 1° ex imperfectione actus, ut ex inadvertentia, ex indeliberatione, ex subita ira, etc.

2° Si aliquid, etiamsi secundum se grave, objiciatur ex levitate aut joco, absque intentione graviter lædendi, et ex quo nemo graviter læditur : qua ratione plerumque excusatur communissima appellatio *stulti.*

3° Ex levitate materiæ ; pro qua cognoscenda attendi debet non solum ad ipsam materiam in se, sed respective ad personam lædentem et læsam : contingit enim quod eadem materia modo sit levis, modo gravis respectu diversarum personarum : sic, v. g. si plebeius objiciat suo æquali vel inferiori quod si mendax, est levis materia ; si superiori, Prælato, præposito, etc. est gravis : adeo ut eo gravior sit contumelia quo infertur majori a minore, et e contra eo levior quæ infertur minori a majore ; quia cum honor debeatur propter excellentiam, eo gravior est dehonoratio quo fit majori a minore, et eo levior

quo fit minori a majore. Hac ratione Soto et Toletus, quos sequitur hic Sylvius, excusant a mortali viros infimæ sortis et mulierculas quæ inter rixandum sese invicem conviciis onerant, et quidquid occurrit evomunt; quia, quæ sic effugiunt, non apprehenduntur ut vera, nec inde graviter lædunter aut lædunt.

Ibid. ad 2. — Ab omni autem peccato excusari possunt verba contumeliosa. 1° Si proferantur causa disciplinæ et correctionis, quo modo Christus vocavit Apostolos stultos, Luc. 24; et Apostolus Galatas insensatos, Galat. 1. Quia sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinæ, sic eadem de causa licet verbis contumeliosis afficere. Raro tamen sunt adhibendæ tales objurgationes, quia difficile est in his non excedere, et frequentius subditos ad iram commovent quam corrigant; neque licet superioribus quæcumque convicia in sibi subditos conjicere : et ideo si enormiter excedant, peccant mortaliter ; si leviter , peccant venialiter.

Ibid. ad 1. — 2° Non est peccatum si per eutrapeliam dicatur aliquod leve convicium, non ad dehonorationem vel contristationem ejus in quem dicitur , sed magis causa delectationis et joci. Si vero aliquis non reformidet contristare eum in quem profertur hujusmodi jocosum convicium, dummodo aliis risum excitet, vitiosum est.

§ IV. — *Utrum debeamus illatas contumelias sustinere ?*

Q. 72. ad 3. o. — *Dico.* Debemus illatas contumelias sustinere in præparatione animi , non semper actu.

Ibid. — *Ratio est ;* quia præcepta patientiæ in his quæ contra nos fiunt aut dicuntur, sunt in præparatione animi habenda , sicut S. Aug. l. 1 de Serm. Dom. in monte , c. 34, 35 et 36, exponit illud præceptum Domini : *Si quis percusserit te in unam maxillam , præbe ei et alteram* , ut scilicet homo sit paratus hoc facere , si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepit alapam , dixit : *Quid me cædis?* Joan. 18. Tenemur ergo habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit : quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus , maxime propter duo : primo quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur , et de cætero talia non attendet , secundum illud Prov. 26 : *Responde stulto juxta stultitiam suam , ne sibi sapientior videatur* ; alio modo propter bonum multorum , quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas : unde S. Greg. Hom. 9 super Ezechiel, dicit : « Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita , debent , si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes , bene vivere contemnant. »

Ibid. ad 1. et ad 3. —Igitur audaciam conviciantis possumus moderate reprimere propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris : unde additur loco cit. Proverb. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris ;* neque propter vindictam , hæc enim soli Deo et ejus ministris competit : quapropter si quis hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, esset vindicta et peccatum ; sed si taceat volens dare locum iræ, hoc est laudabile.

Quod hic dicimus de tolerantia vel repulsu contumeliæ, dicendum est de tolerantia seu repulsu detractionis : fama enim pariter est utilis ad salutem sive propriam , quatenus est bonus stimulus ad virtutes , et peccatoribus frenum ne in ulteriora peccata labantur; sive alienam, quia qui est famæ labefactatæ circa mores, aliis vix prodesse potest, ut modo dicebamus ex S. Gregorio. Unde dicitur Eccl. 41 : *Curam habe de bono nomine ;* et Proverb. 22 : *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.*

Cæterum quamvis hæc vera sint, debemus tamen magis adhibere curam circa cultum et acquisitionem virtutum quæ sunt fundamenta honoris et famæ, quam circa ipsum honorem et famam. Quamvis enim hæc sint per se utilia, ut dictum est, per accidens tamen propter fragilitatem naturæ sæpe nocent, quatenus pluribus sunt fomentum superbiæ, et difficile sit præeminentias illæsa charitate tueri : et ideo Deus sæpe permittit justos suos iniquorum obloquutionibus denigrari et contumeliis atteri , ne vanæ gloriæ flatu dissipentur eorum merita, et ut magis perficiantur per exercitium humilitatis et patientiæ. Dum ergo,

Deo volente, sic accidit, non debent nimium anxiari, nec inquieta sollicitudine reparationem quærere, sed potius in patientia possidere animas suas, exemplo sanctorum, et maxime Christi, qui patienter tulit vocari blasphemum, voracem, dæmoniacum, seductorem : quo nomine, inquit S. Augustinus in Psal. 63, voluit appellari *ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores*, et sæpe revocare in memoriam auream illam ejusdem sententiam Matth. 5 : *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Conferenda sunt quæ dixi superius de occisione propter defensionem honoris, et quæ dicam infra circa qq. 108, 131 et 132.

Petes unde oriatur contumelia?

Ibid. a. 4. o. et in R. ad arg. — *R.* Quamvis contingat contumeliam quandoque oriri ex superbia, odio et stultitia, frequentius tamen oritur ex ira; quia cum ira pro fine habeat vindictam, et nulla sit vindicta irato magis in promptu quam inferre contumeliam alteri, utpote consistentem in verbis, hinc fit eam maxime oriri ex ira.

§ V. — *Utrum ex contumelia nascatur obligatio restituendi honorem læsum?*

Dico 1°. Ex mera omissione honoris debiti nulla oritur obligatio restituendi honorem omissum; quia hæc omissio non est contumelia, ut dictum est, nec est contra justitiam commutativam, sed contra virtutem observantiæ, nisi forte in illa omissione includeretur aliqua contumelia interpretativa, ut si aliis assurgentibus coram prælato aut principe transeunte, tu sederes petulanter ipsum aspiciens.

Dico 2° Contumelia quæ infertur coram aliis, inducit obligationem restituendi, quatenus minuit seu tollit apud alios opinionem de excellentia patientis contumelia, ipsumque exhibet vilem et contemptibilem, sicque privat honore ab aliis recipiendo; quod est damnum grave restitutioni obnoxium.

Dico 3o Qui privatim intra quatuor oculos alteri contumeliam infert, tenetur ad satisfactionem, quia est vera injuria contra justitiam commutativam; et colligitur ex Matth. 5, ubi postquam Christus dixit : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis*, subjungit : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo :* ubi Christus manifeste exigit satisfactionem pro contumelia privata.

In hoc satis conveniunt auctores, sed difficultas est utrum hæc satisfactio debeat etiam dici restitutio. *Quidam negant*, eo quod, inquiunt, nullum sit damnum compensandum, sed sola injuria resarcienda. *Alii affirmant*, quia hominum æstimatione est vere damnum non fortunarum, sed excellentiæ et dignitatis; dum enim contumelia privatim aliquem afficis, ejus dignitatem, quantum in te est, viliorem reddis et destruis : unde qui contumelia afficiuntur, dicunt suum honorem et dignitatem lædi; quod damnum sæpe ægrius ferunt quam damnum divitiarum.

Hæc quæstio posset videri esse de nomine et nullius momenti, nisi defensores primæ sententiæ contenderent hanc satisfactionem, utpote pœnalem, non esse faciendam ex justitia commutativa ante sententiam judicis, sed solum ex charitate, ex hoc principio quod nemo ad pœnam ex justitita teneatur ante sententiam judicis.

Equidem fateor quod satisfactiones rigorosas ad æqualitatem, difficiles et valde pœnales nemo teneatur subire ante sententiam judicis, ut est, v. g. petitio veniæ cum fune ad collum appenso, aut cum face ardente in foro aut introitu ecclesiæ; quia, ut dicit — **Q. 62. a. 3. o.** — S. Thomas, inflictio pœnæ pertinet ad judicem, et ita moribus gentium receptum est. At secus omnino dicendum de satisfactionibus ordinariis quæ non sunt ita difficiles nec rigorosæ, sed nituntur maxime gratia condonantis, ut est simplex petitio veniæ, vel aliud signum doloris. Et sane mirum foret si filius familias, qui enormi contumelia patrem affecisset, non teneretur ex justitia veniam ab ipso petere nisi a judice coactus.

Ib. a. 2. ad 3. — *Dico* 4° Satisfactio pro contumelia illata, seu honoris læsi restitutio fieri debet per exhibitionem honoris et reverentiæ; quia restitutio fieri debet, in quantum possibile est, in eodem genere bonorum : ergo honor læsus debet restitui

per exhibitionem honoris, et dehonoratio resarciri per honorationem.

Dico 5° Exhibitio reverentiæ et honoris qua honor restituitur convenienter, fit per petitionem veniæ, quamvis hæc neque semper sufficiat, neque semper sit necessaria.

Patet prima pars. Quia cum contumeliosus per contumeliam se erexerit et alterum depresserit atque contempserit, conveniens modus hanc injuriam resarciendi, est, quod contumeliosus se deprimat et alterum exaltet atque honoret, quod fit per veniæ petitionem.

Patet etiam secunda pars. Quia tanta potest esse contumelia, ut illi non satisfiat per petitionem veniæ : quo casu adhibenda sunt alia signa honoris et submissionis, ut est petere veniam manibus junctis, genuflexus aut prostratus, et alia secundum morem patriæ recepta.

Patet iterum tertia pars. Quia cum honor possit aliter restitui quam per petitionem veniæ, hæc non est absolute necessaria. Et 1° non est necessaria quando contumelia est levis, tam absolute quam respective. 2° Quando illata est a superiore in subditum; neque enim pater tenetur petere veniam a filio, neque prælatus a monacho, neque magister a discipulo : « Ne inquit S. » Aug. in Reg. apud eos quos oportet esse » subjectos, dum nimium servatur humili- » tas, regendi frangatur auctoritas. » 3° Quando petitio veniæ non est in usu apud certi generis homines, ut in certis provinciis apud viros nobiles.

His autem casibus poterit et debebit fieri honoris restitutio per alia et specialia signa honoris et benevolentiæ, v. g. invitando ad mensam, honorificentius quam solito salutando, propinando, locum honorificum concedendo, benevole et amicabiliter colloquendo, et tandem sic, ut judicio prudentum censeatur sufficiens satisfactio et honor restitutus. *Et nota*, hanc restitutionem seu satisfactionem debere innotescere iis quibus innotuit contumelia, vel aliter effici ut restauretur in eorum animis dignitas imminuta. Quod si quis forte per ignorantiam læsit alicujus honorem, satisfacit fatendo ignorantiam ex exhibendo honorem, quomodo fecit Apost. Act. 13.

N. B. Circa contumelias non atroces prolium in parentes, et sæpe contingit, quamvis forte parentes summo jure non exigant restitutionem seu satisfactionem, expedit tamen ut confessarii, in quantum possunt, eam injungant prolibus, quia est remedium efficax contra relapsum.

ARTICULUS II.

De detractione.

§ 1. — *Quid sit detractio?*

Q. 73. a. 1. o.—*Dico* 1° *Detractio est injusta denigratio famæ alienæ per occulta verba.* Explicatur.

Dicitur 1° *injusta;* quia non omnis denigratio seu læsio famæ alienæ est detractio de qua loquimur ; sed ea solum quæ fit sine causa rationabili, ut dicam infra, et ideo est injusta.

Dicitur 2°, *denigratio ;* quia sicut homo bona fama clarescit, ita detractione nigrescit et obscuratur. Item dicitur *denigratio*, quia ad detractionem non requiritur quod fama totaliter tollatur, sed sufficit quod minuatur ; et erit magis aut minus grave peccatum, quo magis aut minus famæ detrahet.

Dicitur 3°, *famæ*. Quid sit fama et in quo ab honore differat, dixi art. præcedente § 1.

Dicitur 4° *famæ alienæ :* per quod læsio propriæ famæ excluditur a ratione detractionis proprie dictæ, cum et aliunde non fiat per verba occulta ei de quo detrahitur ; quapropter nonnisi reductive pertinet ad detractionem, aut ad infamiam in genere.

Ibid. ad 2.—Dicitur 5°, *per verba occulta*, non absolute occulta ; quo quis enim coram pluribus detrahit, eo pejor est detractio, sed occulta ei de quo detrahitur, saltem ex intentione detrahentis. — **Ibid. o.** — Sicut enim facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifeste quidem, sicut in rapina vel quacumque violentia illata ; occulte autem, sicut in furto et dolosa percussione : ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit : uno modo in manifesto, et hoc fit per contumeliam, ut supra dictum est ; alio modo occulte, et hoc fit per detractionem. Ex hoc autem quod aliquis manifeste verba contra alium profert, videtur eum parvipendere, unde ex hoc ipso dehonoratur : et ideo contumelia affert detrimentum honori ejus in quem profertur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis quam parvipendere: unde non directe in-

fert detrimentum honori, sed famæ, in quantum hujusmodi verba occulte proferens, quantum in ipso est, eos qui odiunt tacit malam opinionem habere de eo contra quem loquitur. Hoc enim intendere videtur detrahens et ad hoc conatur et ejus verbis credatur.

Ibid.—*Unde patet* quod detractio differt a contumelia dupliciter : uno modo quantum ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem occulte ; alio modo quantum ad finem intentum, sive quantum ad nocumentum illatum, quia contumeliosus derogat honori, detractor famæ.

Non raro tamen conjunguntur contumelia et detractio : ut si quis alteri in faciem coram aliis objiciat falsum crimen, seu verum sed occultum, est simul contumelia et detractio. Nec refert quod non fiat per verba occulta, quia præfata distinctio intelligitur per se et ex intentione ; ita quod detractor præcise qua talis non loquatur male de proximo cum intentione ut resciat, neque contumeliosus præcise qua talis loquatur male de absente cum intentione ut ignoret. Unde in præfato casu verba sunt aperta, non qua detrahentis, sed qua contumeliantis. Quod autem quidam dicunt, in omni contumelia esse læsionem famæ, videtur falsum: si enim alicui objicias quod sit luscus, illegitimus, aut latro, dum talis ab omnibus passim noscitur, erit contumelia, non detractio seu læsio famæ,

Ib. a. 2. o.—*Dico* 2° Duplex est detractio : una formalis, quando quis per verba quæ profert intendit formaliter et explicite denigrare famam proximi ; altera materialis, quando quis per verba quæ profert non intendit formaliter et explicite denigrare famam proximi, sed aliquid aliud non necessarium, aut ea profert ex loquacitate seu animi levitate ; et tamen ex his sequitur aut nata est sequi famæ proximi denigratio, quæ proinde censetur implicite intendit.

Detractio, sive formalis, sive materialis, fit dupliciter, directe et indirecte. Directe quadrupliciter : 1° falsum imponendo ; 2° peccatum augendo ; 3° occultum crimen revelando ; 4° id quod bonum est, mala intentione factum dicendo. Indirecte fit tripliciter : 1° negando bonum alterius, ex quo bona aliorum de ipso opinio minuatur ; 2° reticendo, ut si coram te dicatur quod Petrus fuerit ebrius, et quod tu ipsum videris ebrium (quod suppono falsum), si taceas, censeris consentire detractori et illum in sua detractione firmare ; 3° minuendo, quod fit non solum veras alterius virtutes extenuando, sed etiam dum enarratis virtutibus immiscentur defectus, vel additur in fine laudum, *sed*. Quidam quartum modum addunt, scilicet, laudando remisse, sic, ut ex hoc concipiant alii tam frigide laudantem non bene opinari de illo quem laudat, sed iste modus includitur in secundo et tertio. Hi omnes detrahendi modi continentur his versibus :

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Primus detrahendi modus est omnium pessimus, nullo unquam casu licitus ; dicitur calumnia : vide duas propositiones hac de re damnatas diss. 14, art. 2, conclusione 1. Secundus est huic affinis, in quantum, augendo crimen, ex parte falsum imponit : et tamen est frequentissimus ; familiare enim est homini propriis vitiis adblandiri et aliena amplificare, quodque ab uno ut quid leve accipit, alteri ut quid grave referre, et iste alter ut quid gravius ; ita ut verum sit in hac maxime materia, commune adagium. *Fama crescit eundo :* quod sedulo advertere deberent qui solent absque scrupulo levia de proximo narrare.

Potest autem augeri crimen, vel quoad rem ipsam, ut si de leviter ebrio dicas quod fuerit graviter ebrius ; vel quoad numerum, ut si de semel vel iterum ebrio dicas quod sit ebriosus ; vel quoad personas, ut si crimen unius multitudini impingas : quod frequens est ubi agitur de crimine unius ecclesiastici vel religiosi : unde S. Aug. super illud Psal. 68 : *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum*, dicit : « Ad quid aliud » sedent isti et quid aliud captant, nisi ut » quisquis episcopus, vel clericus, vel mo» nachus, vel sanctimonialis ceciderit, » omnes tales esse credant, jactent, con» tendant, sed non omnes manifestari ? Et » tamen etiam ipsi, cum aliqua maritata » invenitur adultera, non proficiunt uxores » suas, nec accusant matres suas. »

Petes utrum omnes detractiones sint ejusdem speciei ?

R. Quidam negant quando fiunt per defectus specie distinctos, ut si dicas de aliquo quod sit injustus, item quod sit impudicus; quia, inquiunt, fama constat partibus specie distinctis: alia enim est fama quam quis possidet de castitate, alia de justitia; proindeque læsiones famæ debent differre specie prout partes diversæ speciei violant. Hæc sententia est probabilis.

Affirmat Cajetanus et cum eo Serra propter unitatem famæ, in cujus læsionem tanquam in objectum formale tendunt omnes detractiones, sicut omnes contumeliæ sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris contra quem tendunt. Nec refert quod hæ diversæ detractiones tollant famam per defectus speciei distinctos, puta, per impudicitiam et injustitiam, quia hi diversi defectus quatenus tollunt famam quod intendit detrahens, sunt ejusdem rationis; secundum se autem considerati, et ut specie differunt, se habent tantum materialiter ad detractionem: sicut hos et equus, quamvis in se specie distincti, non tamen diversificant specie furtum, quia in ordine ad nocumentum sunt ejusdem rationis: quatenus autem sunt in se diversæ speciei, se habent tantum materialiter ad furtum. Porro juxta hanc sententiam, quam etiam ut probabilem tantum refero, negandum est fundamentum primæ sententiæ, nimirum famam, constare partibus diversæ speciei; sed, sicut de honore communiter admittitur, constare partibus ejusdem rationis; proindeque famam de castitate non differre specie a fama de justitia, sed tantum secundum magis et minus. Cæterum confer quæ dixi art. præcedente § 2 circa finem.

§ II. — *Utrum detractio sit peccatum mortale?*

Q. 13, a. 2, o. — *Dico.* Detractio est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam; levius quidem homicidio et adulterio, gravius tamen furto.

Ibid. — *Ratio est;* quia detractio aufert injuste proximo bonum, quod licet sit vita et fide matrimoniali minus, est tamen majus divitiis, juxta illud Proverb. 22: *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ*, et illud Eccles. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni et pretiosi.* Unde Apost. Rom. 1, dicit *detractores Deo odibiles.*

Dices. Peccator, etiam occultus, non habet amplius jus ad famam, hæc enim virtuti duntaxat debetur; ergo famam illi auferre non est contra justitiam.

R. 1° quod peccator occultus, non obstante crimine, habeat adhuc jus ad famam, si non ratione virtutis, saltem ratione possessionis in qua est; possidet enim adhuc famam ut quid sibi utile ad multa, et nemini nocivum, ut suppono, quia ideo privari non potest absque injuria.

R. 2° *Dato* quod non habeat jus ut bonus positive reputetur, tamen quamdiu crimen est occultum habet jus ut non reputetur malus, quia nihil mali palam fecit.

Dixi, *ex genere suo;* quia sicut alia peccata, sic detractio potest fieri venialis. 1° Ex imperfectione actus, puta, ob ignorantiam vel inadvertentiam nocumenti, ob subitum passionis impetum, ob præcipitationem mentis aut linguæ. Etenim nisi dicamus, inquit Layman, ob has et similes causas sæpe excusari a mortali noxa detractionis peccatum, totum pene genus humanum periclitabitur, odeo vulgare est hoc vitium, siquidem lingua modicum membrum est, sed volubile et inquietum, *quod nullus hominum domare potest*, ait S. Jacob. c. 3. Et hoc etiam innuit S. Thomas—**Ibid. a. 3. o.**—dum dicit quod per accidens peccati gravitas attenditur ex parte peccantis, qui gravius peccat si ex deliberatione peccet quam si peccet ex infirmitate vel incautela. Et secundum hoc, peccata locutionis habent aliquam levitatem in quantum de facili ex lapsu linguæ proveniunt, absque magna præmeditatione.

2° Detractionem excusat a mortali levitas materiæ. Verum gravitas aut levitas materiæ in præsenti quæstione non semper æstimari debet ex gravitate vel levitate defectus qui est materia detractionis; potest enim quis imponendo vel revelando grave peccatum, leviter peccare, et e contra graviter peccare imponendo vel revelando defectum secundum se levem. Æstimanda est ergo hic gravitas vel levitas materiæ ex hoc quod defectus qui imponitur vel revelatur, sive sit naturalis sive voluntarius, sit multum vel parum probrosus, seu gravem vel levem inferat infamiam, quod sæpe pendet a judicio prudentum, attenta conditione personæ tum detrahentis, tum illius de qua detrahitur, tum etiam audientium, item

attenta qualitate locorum, morum et aliis circumstantiis. Ex quo.

Inferes : 1° non esse detractionem mortalem dicere de milite aut adolescente mundano fixatum fuisse, duellum inivisse, se inebriasse, fornicatum fuisse; quia hi et similes talia non ducunt probro, sed potius gloriæ : similiter si dicas de laico in Belgio vel Germania fuisse ebrium vel alios inebriasse, quia in his partibus non est valde probrosa laicis.

Sed forte dices quodvis peccatum mortale gravem inducere infamiam apud probos, hic autem maxime attendi judicium proborum, non malorum. *R.* judicium proborum non multum mutari, dum audiunt tales præfatis criminibus passim debitos ea commisisse. Aliunde isti non sunt inviti quod hæc de se spargantur.

2° Regulariter loquendo, non est detractio mortalis dicere de laico quod sit mendax, quod amet sexum : secus si talia dicas de prælato, de gravi sacerdote aut religioso; quia hæc istis, non illis censentur graviter probrosa; de istis autem ultimis dicere quod semel aut iterum mentiti fuerint, non videtur etiam mortale.

3° Item regulariter loquendo, non est gravis detractio si dicas de aliquo quod sit avarus, iracundus, superbus, vitilitigator, litigiosus; quia hæc denotant tantum propensionem animi, aut accipi solent ab audientibus pro levibus peccatis : secus si dicas quod sit luxuriosus aut injustus, hæc enim graviter infamant; item si dicas quod laboret morbo venereo, nisi statim exponas causam ob quam inculpabiliter contraxit hunc morbum.

4° Plerumque excusantur a mortali plebeii et mulierculæ quæ inter rixandum graves defectus sibi invicem objiciunt, quia vix est quod fidem illis adhibeant audientes.

5° Detractionis mortalis rei sunt qui utuntur certis loquendi modis qui, quamvis nullum defectum exprimant, gravium tamen defectuum suspicionem ingenerant : ut si dicas de aliquo : *Si vellem aperire quæ scio, ipsum pudore suffunderem; Novi quod nemo de illo suspicaretur; Multa scio, sed tacere jubet charitas :* his enim et similibus detrahendi modis, magis nocetur famæ quam si singulares defectus exprimerentur.

6° Quantum ad defectus naturales distinguendum est : dicere de aliquo quod sit luscus, gibbosus, pauper, stupidus, nullius cerebri, videtur detractatio levis, et quandoque nulla, partim quia hæc palam innotescunt, partim quia non censentur valde probrosa : dicere autem quod sit filius sacerdotis, quod sit illegitimus, quod sit aliqua nota in ejus familia, nisi sit persona vilis, videtur valde probrosum et consequenter mortale.

7° Si aliquid communi æstimatione leviter probrosum dicas de aliquo, puta, mentitum fuisse, et aliquis audiens, ex ignorantia, simplicitate, aut opinionis singularitate reputet valde probrosum; non ideo peccas mortaliter, quia quod aliquid sit valde vel leviter probrosum, non pendet ab unius opinione, sed ex communi hominum æstimatione : sicut si fureris assem, quem aliquis ex ignorantia æstimet gravem materiam, non ideo peccas mortaliter.

§ III. — *Utrum aliquando liceat revelare crimen occultum alterius ?*

Non quæro utrum liceat aliquando detrahere; detractio enim cum importet injustitiam, nunquam est licita; sed utrum possit aliquando revelari crimen occultum sine distractione. Dico *revelari;* quia imponere crimen falsum nunquam licet, cum sit mendacium perniciosum quod nullo unquam bono fine cohonestari potest, ut jam dixi in superioribus. Dico insuper, *revelare crimen occultum;* quia narrare crimen alicujus scientibus, non est detrahere, cum, ut suppono, nulla inde sequatur læsio famæ, nisi forte eos qui tantum dubitant aut suspicantur, certiores reddas; aut nisi reveles aliquam gravem circumstantiam quam ignorabant.

Ibid. a. 2. o. — *Dico.* Revelare crimen occultum alterius propter aliquod bonum consequendum aut malum vitandum, sive revelantis, sive audientis, sive delinquentis, sive communitatis, aut etiam alicujus alterius particularis, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec dici potest detractio. Excipe, nisi crimen secretum per injuriam cognoveris. Vide appendicem in fine hujus dissert. de secreti revelatione.

Nota, in textu S. Thomæ non esse legendum, *propter bonum necessarium*, ut quidam legunt; sed, *propter bonum vel necessarium*, ut habent emendatiores editiones Lugdun. 1507, Colon. 1639.

Ratio conclusionis est, quod criminosus non habeat jus conservandi famam cum detrimento alterius innocentis, quia bonum innocentis est præferendum bono nocentis, maxime cum ille nocens in id consensisse censeatur casu quo ejus criminis revelatio foret necessaria bono innocentis.

Si dicas. Non licet auferre rem alienam nisi in extrema necessitate : ergo nec famam. *R. N. conseq.* Disparitas est, quod dominus rei non sit nocens, aut saltem res ejus non noceat, ut suppono : is autem cujus crimen revelatur est nocens, et fama ejus seu saltem crimen occultum nocet.

Confirmatur conclusio. Nemo tenetur cum gravi suo damno providere famæ alicujus nocentis, maxime cum hæc in errore fundetur, et reipsa sit ea indignus. Ergo.

Dices. Revelare crimen occultum alterius, non solum est non conservare famam ejus, sed positive auferre, quod non licet. *R. N. assumptum*, quia non intendo diffamationem, sed tantum proferre in lucem quod apud me occultum est et nocebat, ex quo sequitur diffamatio ad quam me permissive tantum habeo, ut me vel alium servem indemnem : sicut si projicerem depositum quod mihi noceret, prævidens inde surripiendum a furibus, non censerer positive concurrere ad damnum deponentis, sed permissive tantum; positive autem intendere indemnitatem meam.

Dixi, *observatis debitis circumstantiis.* Prima est, ut non plus nec pluribus reveletur quam sit necesse ad evitandum malum vel consequendum bonum. Secunda, ut probabile sit quod revelatio habitura sit bonum effectum. Tertia, ut fiat ex recta intentione boni consequendi vel mali avertendi, non ex odio, vindicta similive passione. Quarta, ut bonum consequendum vel malum avertendum sit alicujus momenti; foret enim injustum atque inhumanum pro levi utilitate prodigere famam proximi. Non puto tamen necesse esse quod bonum assequendum præponderet aut etiam æquivaleat bono famæ, neque malum avertendum malo infamiæ, quia nocens et innocens non sunt jure pares, et alioquin sequeretur quod pro damno temporali, puta, furto avertendo, non liceret revelare domino, v. g. furta domesticorum, cum fama prævaleat divitiis, quod tamen nemo admittit. Hinc.

Inferes 1o, nullum esse peccatum ex zelo justitiæ et propter bonum publicum deferre judici sicarios, latrones, hæreticos, proditores et similes reipublicæ pestes. 2o Licitum esse crimen fratris, præmissa correptione fraterna, si sit profutura, revelare superiori ad emendam; imo et ejus amicis, consanguineis, aliisve ex charitate compatiente, ut pro ipso orent, aut ejus emendationi adlaborent.

3o Si injustam patiaris vexationem ab accusatore, teste aliove iniquo, potes crimen ejus occultum indicare, non animo vindictæ, sed justæ defensionis, si hac via et non alia possis fidem illius labefactare, et sic evadere jacturam vitæ, honoris aut bonorum.

4o Si noveris aliquem, furem, hæreticum, ebriosum, rixosum, luxuriosum aut aliunde moribus depravatum, potes instruere eos quos frequentat ut sibi vel a seductione vel a damno temporali caveant. Sic Christus manifestavit hyprocrisim Pharisæorum, Luc. 12 et Matth. 5, et Apostolus vitia Hymenæi et Alexandri, 1 Timoth. 1, nimirum ad audientium instructionem et cautelam. Similiter potes detegere imperitiam medici, chirurgi, advocati, doctoris, confessarii iis quibus hæc eorum imperitia nocet aut nocitura est; item et pauperes fictos qui veris pauperibus nocent. Non potes tamen manifestare defloratione secretam puellæ cui ut virgini dos aut legatum esset conferendum, quia in foro externo habetur virgo et insignibus virginum gaudet nec qui legavit intendit aut debuit intendere aliam quam quæ habetur pro virgine.

5o Si quis ad officium, beneficium, ordines, religionem, vel matrimonium sit promovendus, quem novisti laborare occulto defectu vel impedimento quo ad hæc reddatur ineptus in sui vel aliorum perniciem, potes id aperire iis quorum interest. Non existimo tamen te id posse circa beneficium aut officium, si hoc non obstante sit dignus, eo præcise quod te aut amicum idem officium vel beneficium requirentem, reputes digniorem; hinc enim latior aperiretur via criminandi, dum unusquisque in sua vel amici dignitate æstimanda constitueretur judex.

6o Si noveris auctorem homicidii vel furti, pro quo innocens trahitur ad mortem aut

injuste torquetur, potes et teneris hunc auctorem prodere.

7° Possunt conjuges inter se colloqui de defectibus liberorum et domesticorum, in quantum id expedit eorum emendationi vel familiæ regimini.

8° Potes acceptam injuriam vel aliud quodvis alterius crimen referre uni vel alteri viro prudenti, amico, confessario, etc. causa petendi consilii vel auxilii.

Utrum vero licet causa consolationis captandæ et doloris leniendi, injuriam acceptam referre uni viro prudenti? Equidem fateor perfectius ac salubrius tibi fore si recurras ad eum *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2 Cor. 1. Cæterum probabilius existimo cum Sylvio, Petro Navarr. Maldero, Serra, Layman, Lessio et aliis, et satis communiter contra quosdam recentiores, id esse licitum, modo in narrando non subrepat animus vindictæ, non nimium exaggeretur injuria, nec dicatur plusquam sit necesse ad animi sublevamen. Quia valde grave est et ab humana consuetudine alienum quod quis solus debeat ferre injuriam absque ulla consolatione et querela; nec, ut videtur, teneor cum tanto gravamine et incommodo parcere famæ injuste lædentis qui nec mihi parcere voluit, et qui me injuste vexando se huic diffamationi exposuit, eum sciret id esse in usu: unde sibi debet imputare. Quidam ex ipsis adversariis id saltem excusant a mortali; quia, inquiunt, multum decidit injuriæ quod uni tantum probo et prudenti revelentur, et aliunde etiam minuit culpam causa doloris mitigandi, ex quo fit quod saltem non sit mortale. Ita Steyartius.

§ IV. — *Resolvuntur variæ quæstiones circa præcedentem materiam.*

Petes 1° utrum absque ulla justa causa, sed ex mera loquacitate vel animi levitate, revelare crimen occultum alterius uni tantum viro prudenti, a quo neque ulterior divulgatio neque aliud incommodum timetur, sit peccatum mortale?

R. 1° Absque ulla justa causa revelare grave crimen occultum alterius uni viro prudenti, a quo neque ulterior divulgatio, neque aliud incommodum timetur, esse peccatum mortale tenet communior sententia cum Soto.

Prob. 1°. Quia famam amittere et male audire apud unum virum prudentem et gravem, quod contingit per huiusmodi revelationem, ita censetur quid grave in genere diffamationis, ut vir prudens malket male audire apud tres aut quatuor plebeios. *Neque dicas* quod fama sit notitia publica, et consequenter quod ex manifestatione apud unum tantum, non ammittatur. Quia 1° licet *assumptum sit verum* grammaticaliter loquendo, non tamen theologogice; nam apud theologos fama accipitur etiam pro opinione unius privati. 2° *Dato assumpto*, *D. consequens:* fama non amittur adæquate, *C.* inadæquate *N.* seu, ut dicit S. Thomas, non aufertur fama in toto, sed in parte et quidem notabili, si non extensive, saltem intensive.

Q. 73. a. 1. ad 2. — *Confirmatur* 1° Judicium temerarium de re gravi, etsi exterius non prodatur, est peccatum mortale: atqui tamen est diffamatio apud unum tantum: ergo similiter in nostro casu. *Confirmatur* 2° Contumelia gravis, etiamsi fiat intra quatuor oculos tantum, est mortalis: ergo et detractio.

Prob. 2° *ab inconvenientibus.* Ex opposita sententia sequitur 1° quod vir prudens cui reveles crimen alterius, possit pari jure revelare alteri prudenti, et iste alteri; atque ita proximus apud plures graviter diffamabitur absque peccato mortali. Sequitur 2° quod qui solus audit detractionem gravem, possit illam tolerare ut venialem, se prudentem reputando, quod est contra communem opinionem: ergo. His non obstantibus.

R. 2° Revelare grave crimen occultum alterius, nulla subsistente justa causa, non tamen ex intentione graviter detrahendi, sed ex loquacitate vel animi levitate, aliave simili causa, uni viro gravi et prudenti, apud quem perinde erit ac si non esset dictum, ita quod nec alteri male afficiatur, nec ulterior divulgatio aut aliud incommodum timeatur, non esse peccatum mortale probabiliter tenent Cajetanus et alii cum ipso.

Ratio est; quia materialis detractio, qualis est hæc, non est peccatum mortale nisi graviter lædat famam proximi: atqui non lædit graviter famam proximi: ergo. *Prob. minor.* Fama est opinio multorum: ergo non læditur notabiliter per malam opinionem unius, si nempe ille unus talis sit ut perinde sit apud ipsum ac si crimen non

esset revelatum, ita ut neque male afficiatur erga illum cujus crimen revelatur, neque inde sequatur illi aliquod incommodum, sed potius commiseratio et auxilium in occasione sperandum. Quod etiam verum videtur quamvis theologice fama sumatur pro opinione unius privati.

Confirmatur 1° Fama prius protrita non reparatur notabiliter per unius bonam opinionem : ergo nec notabiliter læditur per malam unius opinionem. *Confirmatur* 2° Pœnitentes sæpe suis confessionibus imprudenter miscent aliorum crimina, et tamen nemo eos accusat peccati mortalis; idem forte de conjugibus qui sæpe inter se secreto colloquuntur de variis.

Ad argumenta primæ sententiæ respondent hujus secundæ patroni. *Ad primum.* Ideo vir prudens mallet perdere famam apud tres aut quatuor plebeios, quam apud unum virum gravem, quia inde timet ne vir ille gravis male illi afficiatur, eum impediat consequi bona quæ alias consequeretur, aut sequatur aliud incommodum. Quod si nihil horum timeat, non malet male audire apud plures plebeios quam apud illum virum gravem, qui ipsi potius commiseratur quam succenseat, et a quo auxilium in opportunitate exspectet.

Ad secundum, negant paritatem. Quia judicium temerarium non est peccatum mortale præcise propter damnum famæ quod infert, sed propter gravem injuriam dum ex levibus indiciis grave crimen alteri imponit, et in corde suo contemnit, quod perinde est ac imponere crimen falsum. Porro imponere crimen falsum, etiamsi apud unum tantum, est gravis injuria et peccatum mortale; quando autem aperitur verum crimen, non est tanta injuria : unde non est eadem ratio.

Ad tertium. 1° Similiter dicunt contumeliam esse peccatum mortale, non ratione damni famæ, sed ratione injuriæ et contemptus qui potest esse gravis sive coram uno, sive coram pluribus. Vel 2° *respondent, antecedens esse verum* de contumelia formali, non materiali; nemo enim se notabiliter læsum putat ex verbo contumelioso prolato inter quatuor oculos, absque intentione inhonorandi.

Ad quartum, respondent quod, cum revelare crimen occultum in casu, sit imprudenter agere et peccare venialiter, ille qui sibi primo revelatum alteri tertio revelat, non est prudens, ut tamen supponitur, sed imprudens et imprudentior primo, cum inde videat periculum infamiæ apud plures quod proximus incurrit : unde licet iste peccet mortaliter, non sequitur quod primus, qui eum putabat prudentem, peccet pariter mortaliter.

Ad quintum. Admittunt sequelam de detractione materiali, ex qua non sequitur gravis diffamatio, ut in casu; negantque id esse contra communem opinionem; secus si ageretur de detractione formali.

Petes 2° utrum infamatus de uno crimine possit infamari de alio?

R. infamatum de uno crimine infamare de alio quod non est affine aut ordinarie conjunctum cum primo, est ex genere suo peccatum mortale. Quia fama est divisibilis, habens quasi partes ab invicem independentes; qui enim est clarus fama justitiæ, non semper clarescit fama temperantiæ : ergo potest una pars famæ tolli, et non altera; nec ex eo quod una pars sit ablata sequitur quod possit auferri altera, sicut ex eo quod homo amiserit partem suarum facultatum, non sequitur quod debeat amittere omnes. *Confirmatur.* Diffamatus in uno genere, non est ideo infamis in alio genere; ut qui habetur ebriosus, non ideo habetur fur : ergo gravem illi facit injuriam qui illum in hoc genere diffamat.

Dixi, *de crimine quod non est affine cum primo;* quia qui diffamatum de uno diffamaret de altero quod est affine et ordinarie conjunctum cum primo, non peccaret saltem graviter, quia non augeret graviter infamiam : ut qui de ebrioso diceret quod rixetur, quod bona dilapidet, etc., de illo qui fur passim habetur, quod aliquod novum furtum commiserit. Imo si quis esset suis vitiis tam infamis ut censeretur omnem Dei timorem abjecisse, non peccaret graviter qui aliquod ejus crimen non tamen extraordinarium in alio genere non affini revelaret; quia inde non multum mutaretur judicium hominum circa illum, nec ideo multum augeretur ejus infamia.

Petes 3° utrum narrare crimen alicujus non assertive, sed tanquam dictum ab aliis, sit peccatum mortale? Casus frequens : *Fertur,* seu *audivi hoc vel illud de tali; non affirmo tamen sic esse.*

R. Si tales sint circumstantiæ ut verosimilius sit auditores non crediturus nec suspi-

caturos sinistre, puta, quia vel narrans vel auctor dicti nominatus est garrulus, levis, nullius fidei, vel quia audientes sunt graves et probi qui non leviter credunt: excusatur narrans a peccato mortali, quia abest periculum notabilis damni. Si e contra ex circumstantiis narratio proprio pondere fidem dicti adstruat, aut sinistram suspicionem audientibus generet, puta, quia dicti auctor nominatus est gravis, vel narratur tali modo qui verum esse indicat: narrans peccat mortaliter vel venialiter pro ratione materiæ contra justitiam cum onere restituendi, quia talis ejus narratio est ex se vera causa damni. Si tandem tales sint circumstantiæ ut narratio ex se quidem fidem non faciat, nec suspicionem generet, sed tamen narrans advertit audientes ex animi levitate credituros aut suspicaturos, quod plerumque accidit propter magnam hominum proclivitatem ad suspicandum mala de proximo: narrans peccat graviter contra charitatem, quia præbet occasionem et scandali audientibus, et detrimenti famæ illius de quo narrat; quæ duo mala deberet e contra impedire: tenemur enim ex lege charitatis impedire malum proximi quando commode possumus, idque magis quando malum sequitur occasionaliter ex nostris dictis aut factis. Non tamen videtur peccare contra justitiam; quia cum audientes non vi narrationis, sed ex propria animi levitate credant aut suspicentur, non narranti tanquam causæ debet adscribi damnum famæ, sed audientium imprudentiæ ac levitati. Ita quoad hanc ultimam partem S. Anton. Scotus, Sylvester, Cajetanus et alii apud Serram et Layman.

Petes 4° utrum peccet peccato detractionis, qui narrando crimen occultum alicujus, narrat simul ejus pœnitentiam?

R. regulariter loquendo affirmative, quando nempe crimen est infamatorium; quia ordinarie notitia pœnitentiæ non abstergit omnino sinistram opinionem et contemptum quem peccati narratio ingerit in animo audientium. Sic nemo est qui non censeat famam episcopi aut monachi graviter lædi, si narras ejus fornicationem, quantumvis adjicias ipsum pœnituisse. Item dicendum de eo qui laudat in uno genere et detrahit in alio, ut: *Est doctus, sed*, etc. modus sane detrahendi frequens et valde perniciosus, quippe quo efficacius suadet detractio.

Si tamen talis ac tanta foret pœnitentia, ut longe superaret infamiam criminis, et eam omnino deleret, non peccaretur narrando crimen et pœnitentiam. Propter hanc rationem et insuper quia id requirebat singularis Dei gloria, revelantur in S. Scripturis incredulitas Thomæ, negatio Petri et Pauli persecutio.

Petes 5° utrum liceat detrahere defuncto?

R. negative; quia juxta communem hominum sensum, defunctus censetur capax gloriosæ vel infamantis memoriæ, et non secus ac vivens habere jus ad famam.

Petes 6° qualiter peccet qui crimen occultum refert, non nominata persona?

R. Si ex narratione non possit dignosci persona, ex hoc capite non peccat; secus si ex narratione possit dignosci. Item si, non nominata persona, nominet aut indicet ejus qualitatem, quod sit religiosus, ecclesiasticus, aut, quod pejus est, ex quo ordine, collegio, communitate; plerumque est gravis detractio, et eo gravior quo totius communitatis aut status famæ nocet. Quamvis enim ordo, communitas aut status ex unius peccato absolute non maculetur, sicut nec collegium Apostolorum ex proditione Judæ, sic tamen plerumque æstimant homines sæculares et imperfecti, ita ut ex peccato unius religiosi vel ecclesiastici, totum ordinem aut statum ecclesiasticum contemptui habeant, ut jam supra notavi ex S. Augustino. Aliud foret dicendum, si narratio fieret inter ipsos religiosos aut ecclesiasticos, sive inter viros prudentes se æquos rerum æstimatores, qui cujuscumque merita et demerita æqua lance ponderant, nec unius membri nævum toti corpori affingunt.

§ V. — *Utrum diffamatum in uno loco vel tempore liceat diffamare in alio loco vel tempore.*

Nota. Crimen aliquod potest esse triplici-ter notorium, jure, facto et fama seu rumore. Notorium *jure* dicitur, quod per sententiam, aut per convictionem seu confessionem rei in judicio notum est: dico, *in judicio*, quia notorium per confessionem rei extra judicium aut per semiplenam probationem, non est notorium jure, sed reducitur ad notitiam facti.

Notorium *facto* dicitur, quando quis commisit publice crimen in plat̃a, in foro, in popina aut alibi coram pluribus, ita quod moraliter loquendo occultari aut co-

lari non possit ; item quando dat palam certa criminis indicia, ut si puellam suspectam domi detineat et ejus proles alat.

Notorium *fama* dicitur, quando crimen palam innotescit aliorum relatione, præsumptione, suspicione.

Item aliquod crimen potest esse notorium vel respective tantum, puta, respectu collegii, communitatis, familiæ, viciniæ ; vel absolute, respectu omnium qui eamdem regionem vel civitatem incolunt. Quot autem personis debeat innotescere ut censeatur notorium fama vel facto, quando non est patratum in loco publico, certo definiri non potest. Alii assignant decem personas, alii plus, alii minus, quidam majorem partem communitatis : sed melius remittitur judicio prudentis, qui, si, attenta quantitate communitatis et hominum garrulitate, judicat vix possibile esse ut res secreta maneat, nec ad aliorum cohabitantium aut vicinorum notitiam veniat, potest censeri notoria respectu illius communitatis aut viciniæ. His notatis,

Dico 1° Diffamatum in uno loco per sententiam publice latam licet diffamare ubivis locorum absque læsione justitiæ : est communis : non tamen absque læsione charitatis, si diffamatio fiat sine justa causa. Videtur probabilior.

Probatur prima pars. Sicut judex habet jus spoliandi reum in pœnam criminis, bonis fortunæ, corporis et vitæ, ita famæ et honoris : atqui hanc pœnam infligere decernit, dum reum punit eo loco et tempore quo crimen in plurimorum notitiam venire potest, puta, in platea publica et die fori quando plures convenire solent : unde reo aufert jus ad famam respectu hujus criminis, et omnibus tacite confert licentiam ubique divulgandi. Ergo.

Prob. secunda pars. Quia licet sic diffamatus non habet amplius ullibi jus ad famam, eam tamen in locis ad quæ non est verisimiliter brevi perventura divulgatio, adhuc pacifice possidet et diu possidebit absque cujusquam injuria : atqui eum tanto bono privare sine justa utilitate videtur omnino contrarium charitati, quia debemus diligere proximos sicut nos ipsos, et notissimæ ejus regulæ : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris :* ergo.

Dixi 1° *per sententiam latam*, quia de illo qui ante sententiam est tantum diffamatus, sive per depositionem testium, sive per propriam confessionem, idem censendum est ac de diffamato per notorietatem facti ; quia nondum decreta est pœna diffamationis nec cuique concessum crimen hoc ubique vulgandi, quod fit per sententiam duntaxat : nisi forte quis certo sciret sententiam statim esse ferendam, parum enim tunc noceret.

Dixi 2° *per sententiam publice latam ;* quia si sententia foret lata et exsecutioni mandata secreto, non potest ulterius diffamari, quia per talem sententiam reus non punitur pœna diffamationis, nec conceditur cuiquam facultas ubique divulgandi. Similiter sententia lata intra cancellos alicujus collegii aut conventus, non potest extraneis propalari, tum quia id non intendit nec permittit judex, tum quia hæc diffamatio redundat in collegium seu conventum.

Dico 2° Qui diffamatum publicitate facti aut rumoris diffamat apud nescientes ejusdem loci, aut in iis locis ad quæ verisimiliter diffamatio brevi est ventura, sive propter locorum viciniam, sive propter mutua incolarum commercia, aut propter alias rationes, non peccat contra justitiam, nec saltem graviter contra charitatem. Est communior quoad utramque partem.

Prob. prima pars. Quia crimen alterutro modo publicum in uno loco, moraliter rem æstimando, censetur publicum in alio loco, ad quem brevi perventura est divulgatio ; ita ut qui in illo famam amisit, censeatur etiam in isto famam amisisse. Est insuper ratio specialis de crimine noto notorietate facti ; quia qui crimen commisit in loco publico, non curavit an plures scirent vel non ; eo enim loco et tempore commisit quo quivis possent videre : quod si plures non viderint, per accidens est, quia plures non aderant ; unde censetur renuntiasse juri ad famam pro omnibus iis personis et locis ad quæ divulgatio nata est pervenire. Neque refert quod forte nunc non velit amplius renuntiare, sufficit quod ante voluerit dum crimen publice perpetravit.

Dices. Non raro contingit quod publicitas rumoris habeatur per injuriam seu detractionem : licebitne etiam tunc nescientibus aperire, sive in eodem loco, sive in vicinis ?

R. Quidam negant, voluntque id esse secundum se peccatum mortale ; quia ex hoc quod aliquis injuste mihi apud aliquos fa-

mam ademerit, non ideo amisi jus ad famam restantem apud alios nescientes : unde qui hanc injustam diffamationem extendit, injuriam continuat. Hæc sententia est probabilis.

Alii id licere *affirmant;* quia licet non amiserim jus famæ per injuriam, amisi tamen per id quod sequitur ex injuria, quod est esse publicum : sicut enim ex quavis publicitate etiam injusta criminis amitto jus famæ apud scientes de facto, ita etiam amitto apud eos qui, attenta hominum conditione et communi consuetudine, inevitabiliter et quadam necessitate brevi sunt sciturі ; ita ut non possim jure conqueri tanquam de injustitia, si illud apud eos manifestetur. Hæc sententia est etiam probabilis, et communis in praxi etiam apud timoratos. Nemo enim inquirit unde rumor habeat originem, an jure, an injuria; sed hoc ipso quod est publicus, unusquisque absque scrupulo injustitiæ, de crimine sic noto loquitur. Aliud tamen foret si scias crimen esse falso impositum; quia innocens, non obstante publicitate, habet semper jus intrinsecum in sua innocentia fundatum, ne quis falsum de ipso dicat, quod non habet nocens.

Secunda pars conclusionis, scilicet quod non peccet saltem graviter contra charitatem, *patet;* quia supposito quod fama sit brevi perventura ad illos quibus narro, nullum aut leve damnum diffamato infertur.

Dico 3° Quia in uno loco diffamatum facto aut rumore, diffamat in aliis locis ad quæ verisimiliter non est brevi perventura diffamatio, graviter peccat contra charitatem, imo et probabilius contra justitiam cum onere restituendi.

Ratio primæ partis quam omnes admittunt, *est :* quia sine causa nocet proximo in re gravi, nempe in fama quam in alio loco sine cujusquam injuria possidebat et diu adhuc possedisset, facitque illi quod non vellet sibi fieri.

Ratio secundæ partis est : quia sic infamatus in uno loco, juste adhuc possidet famam in loco ad quem notitia criminis non est cito perventura : ergo facit illi injuriam et peccat contra justitiam qui eum illic diffamat.

Nec valet si dicas cum Lessio, illum nullibi amplius jus habere ad famam ex quo crimen ejus alicubi est publicum. Per quid enim hoc jus amisisset? Non per crimen ipsum secundum se; alias quicumque crimen quantumvis occulte commisisset non haberet amplius jus ad famam, et nemo peccaret contra justitiam illud vulgando; quod nullus admittit. Non per crimen qua publicum in uno loco; quia quamvis sit publicum in uno loco, est tamen et erit ignotum alibi nisi reveles; adeoque sic se habet illic ubi ignotum est ac si esset absolute occultum.

Si tamen ex publico facto vel ex aliis circumstantiis prudenter judicaretur criminosum absolute famam abdicasse, nec ullatenus curare quis sciat et ubi sciatur ejus crimen, quod puto raro contingere, non foret illicitum illud ubivis locorum divulgare, modo ejus fama non sit aliorum famæ alligata.

Dico 4° Qui diffamatum uno tempore diffamat alio quo prius ejus crimen oblivione aut bona vita est obliteratum, peccat non solum contra charitatem, *ut patet ex prima parte præcedentis conclusionis*, sed etiam probabilius contra justitiam cum obligatione restituendi. Excipiendum videtur crimen quod fuit notorium per sententiam publicam.

Ratio conclusionis est : quia eadem ratio est de crimine obliterato ac de crimine occulto; per obliterationem enim crimen reducitur ad statum quem habebat antequam esset publicum : atqui peccat contra justitiam qui revelat crimen occultum : ergo et qui obliteratum.

Confirmatur. Per talem diffamationem homo non solum læditur in fama pro tempore publicitatis, ut vult Lessius, sed etiam, saltem indirecte, in fama quam legitime recuperavit et nunc possidet; aut saltem hæc fama præsens per talem diffamationem fit ipsi inutilis. Ergo fit ipsi injuria.

Excipiendum dixi crimen quod fuit notorium per publicam sententiam; quia cum sententia sit illimitata tam quoad tempus quam quoad loca, sicut confert licentiam divulgandi ubivis locorum, ita et quovis tempore. Quod vero fama præsens inde indirecte lædatur, imputari debet culpæ præteritæ; cujus partialis pœna est, quod possit semper et ubique divulgari absque læsione justitiæ : charitatem autem inde graviter lædi mihi probabilius est, dum quis absque justa necessitate nocet alteri aut

ejus familiæ in fama quam recuperavit, et legitime possidet absque cujusquam injuria, quæque est illi utilis ad omnia.

Quid ergo dicendum de historicis et nunciorum scriptoribus, vulgo *gazetiers*? Respondent communiter theologi, ipsis paulo plus esse indulgendum quam aliis propter integritatem historiæ et communem utilitatem; neque tamen ipsi omnia promiscue liceri etiam circa quæ sunt aut fuerunt publica in certis regionibus; circa vero crimina occulta non plus illis licere quam aliis.

Quantum ad diffamationem sui ipsius, vide quæ dixi diss. 3 de jure art. 2 concl. 4, et diss. 14, art. 1 sub finem.

§ VI. — *De audientibus detractionem.*

Q. 73. a. o. — *Nota.* Audiens detractionem peccat quatenus consentit detractioni. Dupliciter autem consentire potest, directe et indirecte: directe quando vel ad detrahendum inducit vel ipsi placet detractio; indirecte, quando, etsi ipsi non placeat detractio, eam tamen non impedit dum potest et debet.

Ibid. — *Dico* 1° Qui consentit directe detractioni, sive quia inducit detractorem ad detrahendum, sive quia et placet detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, et quandoque magis: si enim inducat, peccat contra charitatem peccato scandali erga detrahentem quem inducit ad peccatum, et contra justitiam erga diffamatum, cum sit causa movens ad ejus diffamationem. Et quia plus est culpæ in motore quam in moto, tam ex hoc capite quam ratione scandali, magis peccat quam detrahens. Idem cense de eo qui detrahenti animum addit, applausu, gestu, interrogationibus, etc. Si vero non inducat, sed placeat tamen detractio propter odium proximi, peccat, ut evidens est, contra charitatem, et etiam affectu contra justitiam, quia ipsi placet opus quo injuste læditur proximus; et potest magis peccare quam detractor ratione majoris odii, non tamen tenetur ut prior ad restitutionem, quia non cooperatur externæ injustitiæ.

Ibid. — Et de his detractorum auditoribus dicit Apost. Rom. 1: *Qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* et D. Bernardus, lib. 2 de Consid. *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.*

Dixi, *cui placet detractio*, quia si placeret tantum lepiditas, gratia, eloquentia narrantis, aut factorum mirabilitas, dexteritas, singularitas, non culpant ex hoc capite communiter auctores gravis peccati, licet ex alio capite possit graviter peccare, quia nempe non impedit gravem detractionem dum commode potest, ut dicam modo. Idem censent Navarr. Tolet. Bonac. Less. Layman et alii de eo qui libenter audit detrahentem ex mera curiositate sciendi facta aliorum; quia, inquiunt, non delectatur de detractione formali, sed de curiosa cognitione factorum proximi. Verum id negant quidam recentiores, inter quos erudit. P. Henno dicit, « certo tenendum esse mortale, cum » ipsa cognitio curiosa causet in audiente » alterius diffamationem. » Id quidem esse probabile non diffiteor; at certum non video. Etenim dum quis libenter audit detrahentem propter ejus in dicendo lepores aut facti mirabilitatem, hæc auditio causat pariter in audiente alterius infamationem; et tamen non peccat mortaliter, ut concedit ipse P. Henno. Item dum quis audit detrahentem quem ex timore vel verecundia non audet impedire, hæc auditio pariter causat in audiente alterius infamationem, et tamen juxta S. Thomam mox referendum, peccat plerumque venialiter. Videtur itaque dicendum, non omnem proximi infamationem esse peccatum mortale, sed eam duntaxat quæ vel per se placet, vel injuste causatur aut acquiritur: hic autem nec mihi placet infamatio per se, nec eam injuste causo aut acquiro, cum ad eam nullatenus, ut suppono, concurram.

Ibid. — *Dico* 2° Qui consentit tantum indirecte detractioni, quatenus scilicet eam non impedit dum potest, peccat minus quam detrahens, quia nec inducit ad detrahendum, nec ipsi placet detractio. Peccat tamen et quidem mortaliter ex genere suo ex duplici capite: 1° respectu detractoris quem peccantem fraterne non corripit; 2° respectu illius de quo detrahitur, cujus damnum in fama non impedit; ad utrumque enim tenetur ex lege charitatis dum commode potest: unde Proverb. 4: *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.*

Imo si audiens sit superior detrahentis,

ratione officii tenetur ex justitia ipsum impedire. Etiam valde probabile est quod teneatur ex justitia impedire detrahentem, etiamsi sit tantum superior illius de quo detrahitur, quia ipsi ex officio incumbit curare non solum ne subditus alteri noceat, sed etiam ne ipsi subdito noceatur sive in spiritualibus, sive in temporalibus quæ necessaria sunt ad spiritualia, qualis est fama. Vide quæ dicam art. sequenti, petit. 2.

Ibid. — *Dico* 3° Plerumque tamen contingit quod sic non impediens detractionem, peccet tantum venialiter, aut etiam nullo modo peccet.

Explicatur. Peccat tantum venialiter, 1° dum ex levi negligentia omittit impedire; 2° quando ex magna verecundia, timore aut animi pusillanimitate non audet resistere; quia tunc resistentia seu correctio est ipsi valde difficilis, ideoque videtur excusari a mortali, siquidem, ut modo dicam, nemo teneatur resistere cum gravi suo incommodo: et hoc innuit S. Thomas dum dicit quod, — **Ibid.** — « Qui ex timore.... vel verecun» dia omittit repellere detrahentem.... pec» cat.... plerumque venialiter. » Imo posset quandoque ex hoc capite totaliter excusari a peccato, ut si detrahens sit princeps, persona valde illustris aut gravis superior, et audiens persona vilis, famulus aut ancilla. Excipe tamen nisi admodum atrox foret detractio, aut ex ea grave malum sequeretur; tunc enim excussa verecundia deberet audiens contradicere, si tamen nullum aliud damnum inde timeat, et videat contradictionem profuturam.

Nullatenus vero peccat, 1° si prævideat resistentiam non profuturam, imo quandoque obfuturam, sive quia detractor est talis indolis ut, ex correctione irritatus, plura sit dicturus aut dicta confirmaturus, ut sæpe contingit, sive quia audiens est ineptus correctioni faciendæ, puta scrupulosus, aut famulus respectu superioris, sive ob alias rationes; 2° si ex correctione timeat sibi vel aliis grave incommodum, odia, convicia, rixas, verbera, etc., quia nemo tenetur alterius bono providere cum gravi suo incommodo; 3° quando videt detrahentem non detrahere ex intentione, et auditores non credere; item quando detractio est levis; 4° quando ei non constat loquentem injuste detrahere, puta, quia nescit an peccatum sit publicum vel non, an narrans non habeat justam causam narrandi, forte enim juste loquitur, nec debet præsumi malus nisi sint aperta indicia in contrarium: unde audiens faceret ipsi injuriam repellendo et corripiendo de peccato quod nescit esse peccatum; 5° si sit scrupulosus, quia cum ob scrupulos non possit satis discernere an justa vel injusta sit detractio, an gravis vel levis, quando debeat vel non debeat contradicere, exponitur periculo reprehendendi ubi nihil est reprehendendum, eritque sæpe aliis ludibrio potius quam corrigatur delinquens.

Ex his omnibus potest colligi hæc regula generalis: *Nemo tenetur sub peccato saltem gravi corripere male loquentem de proximo, nisi certo mortaliter noverit illum injuste et mortaliter detrahere, possitque efficaciter et sine gravi suo incommodo impedire.* Ex quo *patet*, æquales raro, inferiores rarissime peccare mortaliter, non impediendo detractiones.

Ibid. ad 2. — Cæterum, ut qui tenetur detrahentem impedire, satisfaciat suæ obligationi, non est semper necesse quod ipsi positive resistat et verbis contradicat; sed sæpe sufficit ostendere quod detractio displiceat, v. g. tacendo, recedendo, sermonem ad alia divertendo, et præsertim faciem tristem exhibendo, juxta illud Proverb. 25: *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Et hic modus maxime convenit inferioribus respectu superiorum, et sæpius æqualibus inter se, cum experientia constet hunc corripiendi modum esse plerumque aliis efficaciorem. Non sufficeret tamen regulariter superiori respective et subditos.

Recte advertunt hic quidam casuum arbitri, quandoque expedire detractionem inchoatam non statim abrumpere, quia plures sunt qui dum incipiunt detrahere ita exaggerant ut videantur portenta enuntiaturi, quæ tamen, completa narratione, communia et levia apparent: unde si in limine detrahentem sistas, auditores longe pejorem concipiunt de proximo opinionem quam si narrationem complevisset.

ARTICULUS III.

De restitutione famæ.

§ 1. — *Utrum fama sit restituenda?*

Q. 62. a. 2. ad 2. — *Dico* 1° Fama injuste ablata est statim restituenda. Est communis

ut certa? quia restitutio boni injuste ablati est necessaria ad salutem, ut probatum est de restit. in genere : atqui fama est bonum et quidem divitiis præstantius, ut dictum est supra. Ergo.

Dixi 1° *fama injuste ablata*, quia ubi non est justitiæ violatio, nulla est restitutionis obligatio, cum restitutio non adhibeatur nisi ad restaurationem justitiæ violatæ. Unde qui ex rationabili causa, ut explicuimus superius, famam alienam abstulerunt, non tenentur eam restituere; sed hi soli et omnes quos in præcedentibus diximus peccare peccato detractionis efficacis contra justitiam : require. Dico *efficacis*, id est, quæ vere famam læsit aut abstulit. Neque solum hi qui per se detrahunt, sed qui detractioni efficaci quovis modo concurrunt, jubendo, consulendo, excitando, inquirendo, etc. sicut diximus supra de concurrentibus ad injustam damnificationem. Et quamvis audiens præcise ut audiens non teneatur restituere, sæpe tamen contingit quod incurrat obligationem, si nempe verbis, nutibus aut alio modo detractorem approbet, et ipsi animum addat ad detractionem vel augendam vel continuandam.

Dixi 2°, *statim*, quia, ut dictum est de restitut. in genere, restitutio obligat ad statim moraliter, et quo diutius differtur eo majus patitur detrimentum infamatus, sive quia fama crescit eundo, sive quia saltem diutius habetur contemptui apud alios.

Dico 2° Item tenetur detractor restituere omnia damna ex dectractione secuta, quia per detractionem est causa illorum efficax; est etiam communis et certa contra Soto, qui existimat damna secuta ex revelatione criminis veri, sed occulti, non esse ex integro restituenda, sed partim tantum; quia juxta ipsum vera et præcipua illorum causa est ipsum crimen, non revelatio quæ est tantum conditio sine qua non, in quo sane hallucinatur doctor oculatissimus. Si enim crimen esset vera illorum damnorum causa, ubi non esset crimen, non esset damnum, sicque nullum unquam sequeretur ex impositione falsi criminis, quod est aperte falsum. Vera ergo causa illorum damnorum est sinistra opinio quam detractor ingerit in animis audientium ex revelatione criminis sive falsi sive veri, sed occulti.

Hinc inferes quod, qui per suas detractiones causa est cur aliquis ab officio aut beneficio, sive adepto, sive adipiscendo repellatur, cur puella amittat conveniens matrimonium, cur famulus aut ancilla non possit elocare suas operas, cur medicus, advocatus, mercator, pauper, monasterium, etc. priventur lucris aut emolumentis hæc omnia damna restituere teneatur. Quod quamvis sit difficile et in praxi rerum, verissimum est tamen et saluti necessarium.

Petes 1° utrum qui injuste detrahit, sed materialiter tantum et ex errore, teneatur ad restitutionem ex justitia, ubi errorem advertit? v. g. revelas crimen quod bona fide putas esse verum et publicum, et tamen est falsum; vel verum quidem, sed occultum : dicis ex inadvertentia Petrum auctorem homicidii publici, et est Joannes.

R. probabilius teneri si commode potest. Quia ideo detrahendo injuste materialiter excusatur a peccato, eo quod damnum quod infert non sit ipsi voluntarium ratione ignorantiæ invincibilis; sed hoc ipso quod advertit errorem et non impedit, ut potest, damnum a se causatum et perdurans, detractio redit in suam speciem et damnum fit ipsi voluntarium : sicut si ignem inadvertenter projecisset in segetes, quem serpentem advertens non extingueret, censeretur istud incendium ipsi voluntarium, ut jam alibi diximus : ergo. Non tamen tenetur restituere damna secuta ex diffamatione materiali, quia hæc ipsi sunt involuntaria : secus de damnis secutis postquam errorem advertit et non retractavit, quia hæc sunt ipsi voluntaria.

Dices. Iste non tenetur restituere ratione injustæ acceptionis, quia non peccavit detrahendo ex errore inculpabili; neque ratione rei acceptæ, nihil enim habet de alieno. Ergo.

R. teneri ratione quasi rei acceptæ, quia moraliter loquendo censetur apud se detinere famam alterius, dum eam commode reddere potest et non reddit.

Inferes. Ergo quicumque potest famam alicujus ab altero infamati reparare et non facit, censetur illam detinere et peccare contra justitiam.

R. N. illationem. Disparitas est, quod ille de quo in instantia, famam non abstulit : at is de quo in casu, abstulit, initio quidem involuntarie, nunc autem, dum adhuc serpit diffamatio et errorem advertit,

voluntarie, nisi retractet : unde tenetur ex justitia, alter tantum ex charitate.

Sed quid si error se teneat ex parte audientium tantum ? v. g. nominas Petrum auctorem homicidii, et audientes intelligunt Paulum.

R. Non videris teneri ad reparationem ex justitia, quia nullo modo fuisti causa damni, sed error duntaxat audientium.

Dixi in prima responsione, *si commode potest ;* quia non tenetur cum tanto incommodo ac si voluntarie diffamasset : qui enim voluntarie et scienter damnificat, se subjicit omnibus periculis et incommodis restitutionis, secus qui inculpabiliter damnificat.

Petes 2° utrum superior non impediens detractionem dum potest, teneatur ex justitia ad restitutionem ?

R. sub distinctione. Si non impediat subditum detrahentem de extraneo, non videtur obnoxius restitutioni famæ illius extranei. Quia licet teneatur ex officio corripere subditum delinquentem, non tamen tenetur ex officio providere bono extranei aut ejus malum impedire, sicque respectu illius non violat justitiam, nec consequenter tenetur restituere. Confer quæ dixi de rest. in genere art. 13, § 7, n. 4.

Si vero non impediat sive subditum, sive extraneum, de suis aut de sua communitate detrahentem, plerumque tenetur ad restitutionem famæ suorum aut suæ communitatis; quia ex officio tenetur providere bono sive spirituali sive temporali subditorum, secundum quod institutus est superior in spiritualibus vel temporalibus aut in utrisque simul, ut sunt superiores regularium : ergo tenetur ex officio conservare ea quæ sunt necessaria bono sive spirituali sive temporali subditorum, qualis est fama ; proindeque plus vel minus tenetur restituere, secundum quod diffamatio plus minusve nocet huic illorum bono, cui conserservando et promovendo præficitur ut superior. Hæc nostra responsio bimembris, quamvis non sit communior, videtur tamen nobis verior.

Hinc inferes, magistratus qui tolerant libellos famosos contra suos cives, et illorum auctores ad restitutionem non cogunt, ipsos in eorum defectu teneri ex justitia restituere. Quantum autem ad detractiones privatas, usus invaluit ut earum auctores ad restitutionem non cogant, nisi parte læsa exigente, et diffamatore deficiente in probatione criminis.

Petes 3° utrum hæredes diffamatoris defuncti teneantur loco ipsius ad restitutionem ?

R. teneri ad restitutionem damnorum realium ex diffamatione secutorum, quia hæc obligatio est realis et afficit bona defuncti, non secus ac alia debita realia.

Non teneri autem ad restitutionem famæ, communis est sententia; quia hæc obligatio est mere personalis, et non est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum : sicut obligatio quam quis ex voto contrahit visitandi limina Apostolorum, non transit ad hæredes, quia est personalis.

Si dicas quod, juxta sententiam probabiliorem quam infra amplectimur, quando fama non potest restitui, debeat compensari in pecunia; debitum autem pecuniarium non est mere personale, sed afficit bona et transit ad hæredes : unde quamvis hæres non teneatur retractare quod infamator defunctus dixit, quia talis restitutio est personalis, tenetur tamen compensare in pecunia ex bonis defuncti: Ita probabiliter tenet Sylvius post Navarr. et Medin.

R. id quidem esse omnino probabile per se loquendo, si diffamatus hanc pecuniariam compensationem exigeret, at exigere non solent diffamati, eo quod inde plus diffamarentur quasi famam venalem haberent, ut dicam infra. Et ideo nostra responsio vera est secundum communem praxim.

Defuncto autem diffamato, restituendam esse famam a diffamatore superstite constat ex supra dictis; quia fama vivet post mortem, et defunctus censetur moraliter habere jus ad illam : imo ejus restitutionem tenetur quandoque urgere hæres, quamvis forte eam remittere non possit quia in ea non est hæres.

§ II. — *Quomodo fama est restituenda.*

Sicut diversimode fit diffamatio, nimirum falsum dicendo, et injuste revelando verum sed occultum, ita diversimode fieri debet restitutio. Unde

Q. 62. a. 2. — *Dico* 1° Qui alterum diffamavit falsum dicendo, debet retractare quod dixit, asserere se falsum dixisse, et si opus est ad fidem faciendam, juramen-

tum et testes adhibere, quamvis diffamando non adhibuerit : quia qui est causa injusta damni, tenetur illud resarcire omni modo moraliter possibili, iste autem modus est moraliter possibilis : ergo. Non puto tamen diffamatorem teneri dicere se mentitum fuisse, ut multi volunt, quia id est propriæ famæ noxium et alienæ reparandæ inutile ; quid enim prodest diffamato, si noverint auditores me scienter et ex intentione fallendi dixisse falsum, modo ipsis constet me falsum dixisse, sive scienter, sive ex errore ?

Postquam autem diffamator asseruit falsum esse quod dixit, adhibitis etiam, si opus est, juramento et testibus, si qui calumniam audierunt, præconceptam malam opinionem deponere nolint, liber erit ab ulteriori restitutione, quia non censetur amplius causa istius pravæ opinionis, sed auditorum malitia ac pertinacia.

Major difficultas est in modo restituendi famam ablatam per revelationem criminis veri sed occulti. Pro quo

Dico 2° Qui injuste alterum diffamavit revelando crimen verum sed occultum, tenetur restituere famam in quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit, quod allucinatus fuerit, quod herraverit, aut quid simile ; non enim hi solum errant qui deviant a vero, sed etiam qui deviant a recto, juxta illud Prov. 14 : *Errant qui operantur iniquitatem.*

Sed quia iste modus, licet forte sufficiat apud simplices, parum prodest apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt verum esse crimen quod non aperte asseritur esse falsum ; ideo ubi non sufficit,

Secundus modus reparandi famam in casu conclusionis assignatur a Cajetano hic, quem sequuntur Soto, Navar. Sylvius et alii plures : nempe tacendo de priori dicto, sæpe laudare, cum veritate tamen, eum cui detraxisti, singulariter ipsum honorare, familiariter cum ipso conversari, frequenter declarare quod ipsum habeas pro viro probo, etc. Et hoc ita caute, inquit Cajetanus, ne videaris hoc facere pro restitutione, quia hoc esset infamiæ conservatio.

Dices. Vel laudabis in eadem materia in qua detraxisti, vel in alia : si in eadem materia, ut quem dixisti fornicarium laudes ut castum, mentiris : si in alia materia, ut quem dixisti fornicarium laudes ut justum aut misericordem, non restituis famam ad æqualitatem, nec exstinguitur prior infamia de fornicatione. Ergo iste modus non est conveniens. Ita P. Henno et Perfector Tournely.

R. 1° dilemma non esse immediatum ; datur enim medium, nimirum laudare in genere ut virum probum. *R.* 2° *primum assumptum* non esse generaliter verum ; quia enim fuit antea fornicarius potest nunc esse castus, et ita debeo præsumere, nisi constet de opposito, quo casu eum laudando ut castum non mentior. Item *secundum assumptum* non videtur etiam generaliter verum ; potest enim fieri quod frequenter honorando et laudando illum de quo detraxi, sive in genere ut virum probum, sive in certa materia, alii bonam etiam de ipso opinionem concipiant, et putent me in ejus diffamatione fuisse deceptum, aut ea oblitteretur. *R.* 3° *Dato* quod non sit restitutio ad æqualitatem, erit saltem compensatio qualis est possibilis. Unde nostro et multorum judicio, iste modus est convenientissimus.

Bannes et quidam alii opinantur diffamatorem posse dicere *se falsum dixisse*, aut *mentitum fuisse ;* quia inquiunt, juxta S. Th. 1 p. q. 17 a. 1, « ipsa peccata falcitates » et mendacia dicuntur in S. Scripturis, se» cundum illud Psalmi 4 : *Ut quid diligitis » vanitatem et quæritis mendacium ?* » unde sic loquendo non mentitur.

Verum hunc modum rejicit communior sententia, et merito ; quia illæ formulæ secundum communem usum loquendi, in præsentibus circumstantiis non significant, nec intelliguntur ad sensum Scripturæ citatæ, de falsitate practica quæ est difformitas a recto seu quodcumque peccatum, sed de falsitate speculativa, quæ est deformitas enuntiationis a re enuntiata : quapropter dicendo se falsum dixisse aut mentitum fuisse, dum verum dixit, revera mentiretur. Adde quod, hoc modo admisso, non restaret modus reparandi famam ablatam per calumniam. Quantumvis enim dicas te falsum dixisse, auditores astuti intelligent aut saltem suspicabuntur te loqui de falsitate practica seu de mendacio improprie dicto, sumpto scilicet pro quocumque peccato.

Ibid. et ad 1. — *Dico* 3° Quando fama restitui non potest modis assignatis, debet aliter compensari, nimirum per pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile, per preces, eleemosynas, aut per alium aliquem convenientem modum secundum arbitrium boni viri, considerata conditione utriusque personæ. Ita cum S. Thoma docent Adrian. Soto, Sylvius, Valent. Covar. et alii contra alios etiam plures præsertim recentiores : pro quo vide quæ dixi supra de homicidio, diss. 10, art. 11, § 1. Unum addo, quosdam scilicet interpretari S. Thomam de reparatione famæ vel membri abscissi in pecunia ubi accedit sententia judicis aut confessarii ; sed, inquiunt, pecunia tunc traditur in pœnam delicti, non in compensationem læsionis. Ita R. P. Henno. *Sed contra*. S. Thomas ibi loquitur de restitutione prout est actus justitiæ necessarius ad salutem et non ut est pœna a judice imposita, *ut patet ex argumento primo* cui respondet. Insuper non dicit hanc compensationem fieri debere secundum sententiam judicis, sed *secundum arbitrium boni viri*, bonus autem vir consultus non infligit pœnam, sed quæ sunt ex debito conscientiæ facienda decernit seu indicat. Tandem S. Thomas loquitur expresse de *compensatione* et non de pœna.

Dices. Qui diffamavit imponendo falsum, non tenetur pecunia compensare postquam asseruit juramento aut testibus, si opus sit, se falsum dixisse, ut notavimus supra. Ergo pariter non tenetur qui diffamavit verum injuste revelando, postquam per duos priores restituit quantum potuit.

R. N. conseq. Disparitas est, quod primus efficaciter diffamationem reparet, nec ipse sit amplius causa malæ opinionis apud alios perseverantis, sed ipsa eorum perversitas. At non sic secundus, *ut patet et supponitur*.

Cæterum fateor hujusmodi compensationem in pecunia non esse in usu, non quod absolute non debeatur, sed quia diffamati non solent illam exigere, eo quod probrosum sit inter homines famam suam quasi venalem habere et pecuniam pro illa accipere aut exigere ; quique id faceret, vilissimæ et abjectæ famæ haberetur. Unde quamvis videamus quandoque mutilatos pro damno personali seu doloribus aliquid petere, nunquam tamen videmus diffamatos pro fama ablata pecuniam exigere.

Utrum tandem si fama sufficienter restitui non possit per duos priores modos, neque pecunia compensetur, adhibenda sit petitio veniæ ?

R. petitionem veniæ non videri hic magis necessariam quam in aliis injustitiis, puta in furto : tum quia per hanc non magis reparatur fama quam fortunæ bona ; nec est simile de honore, hic enim reparatur per veniæ petitionem, unde est modus conveniens ; tum etiam quia qui nihil potest nihil debet. Adde quod cum sæpe diffamatum lateant diffamatio et diffamator, ex utriusque proditione timenda forent odia et rixæ potius quam speranda condonatio. Ubi tamen hæc inconvenientia non timerentur, et incertum foret, quod sæpe contingit, an fecerimus omnia quæ possumus et debemus ad restitutionem, consulto adhibenda foret ad majorem conscientiæ securitatem.

Dico 4° Detractor tenetur ex justitia restituere famam apud omnes apud quos detraxit, alioquin fama non sufficienter repararetur : est communis et certa.

Sed utrum etiam apud illos quibus primi auditores narraverunt ?

Respondent communiter theologi quod, si detractor stipulatus fuerit silentium cum iis quibus ipse narravit, aut prudenter existimaverit eos non revelaturos, non teneatur restituere apud istos auditores mediatos ; quia hæc ulterior divulgatio non censetur ipsi voluntaria, sed vel ipso invito vel fortuito accidisse. Si autem prævidit aut prævidere potuit eos quibus narravit, aliis narraturos, tenetur, auditoribus immediatis non restituentibus, restituere apud omnes ad quos pervenit detractio ; quia hæc est ipsi voluntaria utpote implicite volita, hoc ipso quo prævidit aut prævidere potuit secuturam ex sua prima detractione.

Dices. Sæpe est impossibile scire omnes ad quos pervenit detractio ; et *dato* quod sciantur, impossibile erit quandoque omnes adire aut apud omnes reparationem facere.

R. detractorem non teneri ad id quod revera est impossibile, teneri tamen facere quantum potest. Un le si non possit omnes scire vel adire, faciat reparationem publicam per concionatores aut schedulas locis publicis affixas, maxime si falsum dixerit ; quia si verum, parum plerumque proderit, *ut notatum est*. Hinc videant in quantas se

conficiunt angustias qui tam facile aliorum famam dilaceranl.

§ III. — *Causæ excusantes a restitutione famæ.*

Huc pertinent plura quæ dixi de causis excusantibus a restitutione in genere : illuc recurre. Item suppono ex dictis, nullam esse obligationem restituendi, nisi fama reipsa et injuste sit ablata : unde quantumvis verba diffamatoria protuleris, si tamen famam non læsisti, aut ex justa causa læsisti, ad nullam restitutionem teneris. His suppositis,

Prima causa excusans detractorem a restitutione famæ est, quando fama est aliunde recuperata, sive per rei evidentiam, sive per testium inductionem, sive per sententiam judicis, sive aliter ; quia tunc cessat damnum, et consequenter obligatio illud reparandi. Tenetur tamen detractor restituere damna quæ secuta sunt ex priori sua diffamatione ; item et sumptus, si quos fecerit infamatus ad recuperandam famam. Imo, juxta Sylvium, pro ipsa infamia quam sustinuit ante reparationem, aliqua compensatio est facienda arbitrio boni viri, puta, per signa honoris aut doloris, per laudes aut aliter. Utrum tamen hæc obligatio multum urgeat, vix credo, nisi statuatur a judice, cum nec sit in usu, nec multum eam curet infamatus fama semel recuperata.

Ad hanc causam reducitur si progressu temporis infamia sit prorsus obliterata, ita ut moraliter loquendo non sit periculum ut reviviscat ; quia, posita ista absoluta obliteratione, fama est recuperata perinde ac si non fuisset ablata. Verum in praxi non ita facile est distinguere an omnino sit obliterata infamia, an sopita tantum, sitque proinde vel non sit periculum ne recrudescat. In tali autem dubio magna prudentia opus est, et valde caute incedendum. Si enim tentes restituere, aut interroges auditores an recordentur talis facti, forte refricabis memoriam peccati prorsus obliti ; si omnino taceas, forte species rei tantum sopitæ, data occasione, reviviscent. Quid ergo facto opus? consule te ipsum, et quod velles in pari casu erga te fieri, fac erga alterum. Quod si secundum leges prudentiæ taceas, cum tamen infamatus subeat periculum ne recrudescat infamia, pro illo periculo remanente teneris ad aliquam compensationem, ipsum, v. g. coram aliis laudando, honorando, aut aliter.

Hic q. 73. a. 4. ad 1. — Secunda causa excusans a restitutione famæ, est remissio expressa vel tacita læsi. Quia, ut probavimus diss. de jure art. 2, concl. 4, homo est dominus suæ famæ, sicque est sui arbitrii detrimentum famæ suæ pati sicut et bonorum fortunæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.

Dixi 1°, *remissio expressa vel tacita* : quia sicut in debitis pecuniariis sufficit tacita remissio seu præsumpta voluntas læsi, sic et in debito famæ, intellige etiam honoris ; ita quod si læsus sic sit dispositus, ut si interrogaretur aut rogaretur, sponte remitteret, proindeque non sit invitus saltem quoad substantiam, famam vel honorem non sibi restitui, cessat obligatio restituendi : et ita sæpe contingit in parentibus erga liberos irreverentes.

Dixi 2°, *nisi vergat in detrimentum aliorum* : quia si infamatus, remittendo diffamatori obligationem restituendi, noceat aliis quibus ejus fama est necessaria, non potest remittere. Potest autem tripliciter fama alicujus esse aliis necessaria : 1° sic ut ab ejus fama vel infamia pendeat fama vel infamia aliorum, ut ex fama vel infamia monachi pendet fama vel infamia monasterii ; 2° sic ut ejus fama sit necessaria ad præstanda proximo quæ ipsi debet ex officio, sic fama prælati est necessaria ut bene regat subditos. Et qui in his duobus casibus cederet juri famæ, probabile est quod peccaret contra justitiam et nulla esset cessio. Si autem illius fama sit tantum necessaria ut exhibeat proximo officia charitatis, sicut est necessaria prædicatori, v. g. cedendo famæ, peccat tantum contra charitatem, et valida est cessio. Confer quæ dixi loco cit. de jure.

Tertia causa est, si peccatum occultum quod revelasti fiat aliunde publicum ; quia ex illa publicate, qui prius fuerat a te secreto diffamatus, amittit jus ad famam quantum ad istud crimen ; quod etiam verum probabilius videtur, quamvis injuste crimen evaserit aliunde publicum. Quia licet per injuriam non amiserit jus ad famam, amisit tamen per id quod ex injuria sequitur, quod est esse publicum, ut dixi art. præcedente, §5, concl. 2, et ita docet Sylvius cum pluribus aliis. Tenetur tamen diffamator re-

sarcire damna quæ passus est diffamatus ante publicitatem criminis, et injuriam aliquo modo compensare, ut dixi circa primam causam.

Quarta causa est impotentia moralis, quæ tunc censetur adesse quando non potest fieri restitutio absque detrimento longe majori quam sit illud quod patitur infamatus. *Patet ex dictis* de causis excusantibus a restitutione in genere.

Hinc inferes 1°, quod nemo regulariter teneatur restituere famam cum detrimento vitæ, quia vita, utpote superioris ordinis, est bonum longe præstantius fama. Dico *regulariter*, quia si forte ex detractione tua diffamati vita periclitaretur, ut si imposuisses alteri crimen propter quod est morte plectendus, quamvis te retractando par periculum incurras, teneris retractare, quia in pari causa melior est conditio innocentis quam nocentis, et calumniando te huic periculo subjecisti. Idem dici debet si ex detractione tua periclitetur bonum commune, ut si, v. g. dixisses de hærede regni esse spurium, et ob hoc excludatur a regno quod transit ad hæreticum vel tyrannum. Quia bonum publicum præstat vitæ alicujus privati.

Inferes 2°, quod detractor teneatur restituere famam ablatam cum detrimento bonorum fortunæ, quia sunt inferioris æstimationis ad famam; nisi forte damnum in bonis fortunæ ita excresceret, ut moraliter loquendo multum excederet infamiam alicujus vilis aut communis personæ.

Inferes 3°, quod teneatur etiam detractor restituere cum detrimento propriæ famæ; quia, ut dictum est, in pari causa melior est conditio innocentis quam nocentis, et diffamando se huic periculo subjecit: nisi forte fama ejus esset necessaria bono communi, et per retractationem gravem incurreret infamiam.

Quinta causa est compensatio mutua, non quidem hoc sensu quod liceat diffamato regerere diffamationem suo diffamatori; id enim est vindicta pura, nec ullatenus potest dici defensio, cum, ut suppono, diffamatus diffamando suum detractorem non reparet aut impediat damnum suæ famæ (si enim ita esset, recriminatio non esset illicita, *ut patet ex dictis*, art. 2, § 3); sed hoc sensu quod si is quem diffamasti te vicissim diffamet, uterque possitis cedere juri vestro, et ex mutuo consensu manere cum vestra infamia: ita Soto, Sylvius et communius contra Navar, et Delugo. Neque solum ex mutuo consensu, sed etiam altero invito, ut si tu, nolens alteri restituere, velis tamen quod alter tibi restituat. *Ratio est*, quia in temporalibus quando jura sunt paria, si unus non vult servare alteri jus suum, alter non tenetur etiam illi servare suum, ut patet in debitis pecuniariis; si enim dum debeo tibi centum, et tu mihi pariter debes centum, recusas solvere meum debitum, non teneor solvere tuum.

Neque dicas disparitatem esse, quod in debitis pecuniariis denegando debitum alteri, reparem damnum quod mihi intulit, ut denegando tibi reddere centum quæ a te abstuli, reparo æquale damnum quod mihi intulisti: at in debitis famæ, non restituendo alienam quam abstuli, non ideo recupero meam quam ille alter abstulit. Non obstat, inquam, quia et in debitis pecuniariis idem potest contingere, ut si dum incendisti horreum meum et ego tuum, non vis mihi restituere, non ego teneor tibi, et tamen inde non reparo damnum horrei mei incensi: licet ergo in his non reparetur damnum, tamen tollitur obligatio reparandi damnum alterius, dum ipse non vult resarcire meum. Et ita docet jus can. cap. *Tua fraternitas*, tit. *De adulteriis* 16, lib. 5, ubi Innocentius dicit: *Paria crimina compensatione mutua delentur*.

ARTICULUS IV.

De susurratione, derisione et maledictione.

§ I. — *De susurratione.*

D. Th. Q. 74.

Petes 1° quid sit susurratio?

R. Susurratio, dicta a *susurro*, generaliter sumpta, est quæcumque locutio secreta ad aurem mussitando et quasi susurrando. Theologice sumpta, est — Q. 74. a. 2. o. — *Oblocutio mala et secreta de proximo ad dissolvendam veram amicitiam.*

Ib. ad 1. — *Explicatur.* Dicitur *oblocutio mala*, non quod susurro semper dicat quod vere malum est, sed quod vel vere vel apparenter est malum, quatenus dicit id quod displicet ei cui dicitur et quod ejus animum turbat adversus alterum, etiamsi sit secundum se bonum.

Dicitur, *ad dissolvendam amicitiam*: quod intelligi debet non solum privative sed contrarie; quamvis enim sit vera susurratio

quæ simpliciter tollit amicitiam, non est tamen completa nisi simul inferat discordiam et inimicitiam : unde Proverb. 26 dicitur : *Susurrone subtracto jurgia cessabunt;* et Eccles. 28 : *Vir peccator conturbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitias*

Dicitur, *ad dissolvendam veram amicitiam*, quia dissolvere amicitiam inordinatam et in malo fundatam, quæ non est vera amicitia, ut inter fures, inter concubinam et concubinarium, non est susurratio, sed opus charitatis.

Ibid. o. — *Ex his inferes* quod susurro conveniat cum detractore in materia et in modo loquendi, quia uterque malum occulte dicit de proximo; et quamvis susurro quandoque dicat quod de se malum non est, eo tamen modo et ea intentione dicit ut audienti appareat malum, ut dictum est : differunt autem in fine, quia detractor intendit denigrare famam proximi, et susurro amicitiam dissolvere. — **Ibid. a. 3.** — Et quia amicitia est inter duos, susurro dicitur *bilinguis*, quatenus utitur quasi duabus linguis, uni dicens uno modo, alteri altero modo. Et ideo dicitur Eccles. 28. *Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes.*

Petes 2° quale sit peccatum susurratio?

Ib. a. 2. o. — *R.* esse ex genere suo peccatum mortale contra charitatem, gravius detractione et contumelia.

Prob. prima pars ex S. Scriptura. Rom. 1, susurrones recensentur inter illos qui dicuntur *Deo odibiles*. Eccles. 28 dicitur : *Susurro et bilinguis maledictus.* Proverb. 6 dicitur : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimam detestatur anima ejus;* septimus autem assignatur, *qui seminat inter fratres discordias.* Non tamen est sensus, susurrationem esse peccatum gravius sex prioribus, inter quæ tertio loco numeratur homicidium; sed quod una cum illis Deus abominetur susurronem : ita ut sensus sit, Sex odit Deus, imo septem abominatur; unde Hebraice pro septimo legitur septem, et est modus loquendi satis frequens in S. Scriptoris, ut advertunt interpretes.

Ibid — *Probatur ratione.* Peccatum in proximum est tanto gravius quanto per ipsum majus nocumentum infertur proximo, nocumentum autem tanto majus est quanto majus est bonum quod tollitur : atqui inter cætera bona exteriora præeminet amicus, quia sine amico nullus potest vivere, ait philosophus 8 Ethic. et ut dicitur Eccli 6 : *Amico fideli nulla est comparatio.*

Ibid. — *Et hinc patet secunda pars*, quia amicus fidelis prævalet famæ quam aufert detractio, et honori quem aufert contumelia; fama enim ad hoc maxime necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam reddatur : unde dicit philosophus loco cit: Amicus est melior quam honor, et amari quam honorari

Dixi esse mortale *ex genere suo*, quia in individuo potest esse veniale vel ex imperfectione actus, vel ex levitate nocumenti intenti vel causati; quod plerumque accidit quando solum tollitur amicitia absque periculo inimicitiæ, nisi forte totaliter dissolveretur amicitia inter eos quibus est maxime necessaria, ut inter conjugatos, item inter parentes et proles.

Petes 3° utrum susurratio non sit etiam contra justitiam?

R. Si fiat vi, dolo, mendaciis, detractionibus aliisve modis injustis, est contra justitiam, quia unusquisque habet jus strictum ne a bono etiam gratuito habito vel habendo per media injusta deturbetur. Si vero fiat absque vi vel dolo aliisve mediis injustis, sed vel narrando defectus notos, vel precibus aut suasionibus, non est contra justitiam; quia amicitia est quid mere gratuitum, in gratuitis autem non læditur justitia. Neque refert quod amicus de facto possideat amicitiam alterius, possidet enim gratis et omnino dependenter a voluntate libera amici : unde sicut iste potest sine injustitia auferre amicitiam ab altero, ita ego possum sine injustitia suadere et conari mediis licitis ut auferat. Confer quæ dixi supra de eo qui impedit alium a consecutione boni.

Petes 4° an omnes susurrationes sint ejusdem speciei?

R. affirmative; quia licet amicitiæ differant specie, alia enim fundatur in bono honesto, alia in bono utili, alia in bono delectabili, susurratio non respicit has diversas rationes, sed simpliciter dissolvere amicitiam in quovis bono fundetur, et hæc est eadem ratio formalis objectiva in omnibus susurrationibus. Ita Cajet. Bannes, Sylvius, etc.

§ II. — *De derisione.*

D. Th. Q. 75.

Petes 1° quid sit derisio ?

Q. 75 a. 1. — *R.* Derisio est vitium quo quis jocando objicit alteri aliquid vitiosum ut erubescat.

Ibid. in a. s. c. — Dicitur, *jocando*; quia derisio fit ludo, dum scilicet defectus alicujus in risum vel ludum vertitur, unde et illusio nominatur; et per hoc jam differt a contumelia, detractione et susurratione quæ serio fiunt.

Ibid. o. — Dicitur, *ut erubescat*; et est finis et objectum formale derisionis. Et quia peccata verborum præcipue pensanda sunt secundum intentionem proferentis, per id derisio maxime et essentialiter differt a contumelia, detractione et susurratione; contumeliosus enim intendit honorem deprimere, detractor diminuere famam, susurro tollere amicitiam, derisor autem ut erubescat et turbetur is qui irridetur. Non est autem erubescentia dehonoratio, sed timor dehonorationis.

Ibid. ad 1. — Diversis modis potest fieri derisio, 1° ore, verbis scilicet et cachinnis, et dicitur proprie irrisio; 2° rugato naso, et dicitur subsannatio; 3° factis, et dicitur illusio: sed quia omnes modi conveniunt in fine et objecto formali, non differunt specie.

Ibid. a. 2 o. — *Petes* 2° quale sit peccatum derisio inordinata ?

Ante responsionem *nota*: derisio non est nisi de aliquo malo seu defectu: malum autem si magnum reputetur, non accipitur pro ludo, sed seriose; et ideo si in ludum vel risum vertatur (unde dicitur derisio), hoc est quia accipitur ut parvum. Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo secundum se; alio modo ratione personæ quæ vilis habetur; sicut defectus puerorum et stultorum, quantumvis secundum se graves, pro parvis habemus ratione personæ, quorumque ponderare solemus. Hoc notato,

Ibid. — *R.* Dum aliquis alterius personæ malum seu defectum in ludum vel risum ponit, quia secundum se est parvum malum, est veniale et leve peccatum secundum genus suum; quia sic non importat contemptum sed ludum, nec causat gravem erubescentiam nec gravem turbationem.

Ibid. — Dum autem ponit in ludum vel risum aliquod malum secundum se grave, sed quia accipitur parvum ratione personæ, est peccatum mortale propter gravem contemptum adjunctum; quia sic aliquem irridere, est eum omnino parvipendere, et tam vilem habere, ut de ejus malo quamvis gravi non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum, sicut habere solemus defectus etsi graves puerorum et stultorum, ut dixi: sicque est gravius peccatum quam contumelia quæ similiter est in manifesto, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in lusum, et ita videtur esse major contemptus.

Ibid. — Porro tanto gravius est istud peccatum quanto major reverentia debetur personæ quæ illuditur: unde gravissimum est irridere Deum et ea quæ Dei sunt. Secundum locum tenet irrisio parentum; deinde justorum derisio, quia honor est virtutis præmium; et contra hoc dicitur Job. 12 : *Deridetur justi simplicitas*; quæ quidem derisio valde nociva est, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur.

Dixi in petitione, *derisio ordinata*, quia potest esse derisio ordinata absque peccato: 1° si fiat ut derisus a peccato resipiscat, sic enim opus est charitatis pertinens ad correptionem fraternam; 2° —Q. 71. a. 2. ad 1.— et virtute eutrapeliæ, dum amici non animo pudefaciendi, sed recreationis ergo quædam levia sibi invicem jocando objiciunt. Id tamen periculo non caret; sunt enim plerique qui, dum libenter alios derident, ad minimam sui derisionem excandescunt.

Sed quid si quis de levi malo derisus graviter erubescat et turbetur, eritne peccatum mortale deridenti ?

R. quosdam affirmare esse peccatum mortale contra charitatem, si derisor hanc gravem turbationem præviderit. *Negant alii*, si tamen non prudenter sed fatue derisus graviter turbetur ex levi derisione; hæc enim, inquiunt, non est ipsi causa hujus gravis turbationis, sed ipsa ejus fatuitas: et alioquin, inquit Serra, esset replere mundum peccatis mortalibus. Prima tamen sententia est charitati conformior.

§ III. — *De maledictione.*

D. Th. Q. 76.

Q. 76. a. 1. ad 2. — *Nota*. Maledicere idem est quod malum dicere. Dicere autem tripliciter se habet ad id quod dicitur: uno

modo enuntiative, et sic maledicere nihil aliud est quam malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem aut alia vitia præcedentia. Alio modo dicere se habet ad id quod dicitur per modum causæ : et hoc primo et principaliter competit Deo, qui omnia verbo suo facit, juxta illud Psalm. 32: *Dixit et facta sunt.* Unde Dei maledictio importat omnia mala pœnæ quæ spectant damnationem æternam (alia enim mala non sunt vere mala, et Deus non causat malum culpæ); sicut Dei benedictio importat omnia bona, maxime quæ spectant æternam beatitudinem : unde petere liberari a Dei maledictione, est petere liberari ab æterna damnatione ; et petere ejus benedictionem, est petere salutem æternam et ea quæ ad illam conducunt. Consequenter autem dicere per modum causæ competit hominibus qui verbo suo aliquos movent per imperium ad aliquid faciendum. Sic judex maledicit furi quando jubet eum suspendi ; sic Ecclesia maledicit contumaci quando eum subjicit anathemati. Tertio modo dicere se habet ad id quod dicitur quasi expressio quædam affectus desiderantis id quod verbo exprimitur, quod fit per verba optativi modi : ut, *Utinam tibi frangas crura, utinam fulmen te conterat, utinam diabolus te auferat.* Similiter si dicatur simpliciter, *Diabolus te auferat, fulmen te conterat,* quia, licat hæc verba possint intelligi imperative, quia tamen homo verbo suo hæc efficere non potest, intelliguntur dicta optative. De primo modo maledicendi egimus in præcedentibus ; de secundo in diss. de restit. dum de cooperantibus ad damnum, præsertim dum de *jubente*. Restat ergo agere de tertio quod est imprecari et optare malum alicui, et qui communis dicitur maledictio. Unde

Ibid. a. 1. 2. et 3. o. — *Dico.* Maledicere seu imprecari malum sub ratione mali alicui creaturæ nationali, est ex genere suo peccatum mortale ; quia 1° excludit a regno Dei, juxta illud Apost. 1 Cor. 6 : *Neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* 2° Quia secundum se repugnat charitati qua diligimus proximum volentes bonum ipsius.

Ibid. a 3. o.—Et tanto gravius est hoc peccatum quanto personam cui maledicimus magis amare et revereri debemus : unde gravissimum est maledicere Deo, et pertinet ad blasphemiam ; deinde et maledicere parentibus, et pertinet ad impietatem : idque distinguendum in confessione ; sicut et periendа est qualitas mali optati, an mortem, an infirmitatem, an jacturam famæ vel fortunæ optaveris ;—**Ib. a. 4. ad 2.** —quia maledictio est ejusdem speciei cum malo quod optatur : ut si optes mortem, pertinet ad homicidium ; si jacturam bonorum, ad furtum : quia velle et facere habent idem objectum, et consequenter sunt ejusdem rationis, et in hoc differt maledictio a contumelia et detractione, quod in his mala quæ dicuntur non desiderentur, sed potius displiceant ; in maledictione autem desiderantur, unde actum specificant. Quod si maledicens nullum malum exprimat, sed in communi optet ut male sit, pertinet ad peccatum odii ; odisse enim est male alicui velle, sicut diligere est bene illi velle.

Ex quo insuper habes quod, si quis uno iræ impetu alicui plura mala, mortem, infamiam, jacturam bonorum, etc., imprecetur, quamvis sit unus actus physicus, sint tamen in genere moris tot species maledictionis quot specie distincta mala optata, et ideo in confessione accusandæ.

Item dum quis maledicit toti familiæ, debet explicare quot sint in ea personæ, quia vel sunt tot numero distincta peccata quot sunt personæ, juxta aliquos, eo quod unaquæque persona est capax distinctæ injuriæ, vel si sit unum tantum peccatum juxta alios, eo quod feratur in omnes collective per modum unius, æquivalet tamen pluribus. Neque refert quod qui furatur semel pecuniæ summam ad plures pertinentem, non committat plura peccata numero distincta, aut unum æquivalens pluribus : disparitas est, quod iste fur non intendat formaliter et expresse injuriam quæ ex furto obvenit pluribus summæ surreptæ dominis ; maledicens autem intendit formaliter et expresse injuriam seu malum cuilibet de familia.

Ibid. a. 1. o. — Dixi 1° in conclusione, *imprecari malum sub ratione mali* ; quia imprecari malum sub ratione boni est licitum, nec est maledictio per se loquendo, quia principalis intentio non fertur ad malum sed ad bonum. Sic licet optare aliquem peccatorem pati aliquam infirmitatem ut vel ipse melior efficiatur, vel ab aliorum nocumento cesset, Turcis, hæreticis, aliisve Ecclesiæ vel reipublicæ perturbatoribus

imprecari mortem aut alias clades, amore boni communis aut religionis. Nec obstat quod sæpe non possimus licite inferre illa mala; non enim optamus inferre aut facere, sed optamus ut inferantur aut fiant eo modo quo et a quibus licite inferri aut fieri possunt.

Neque tamen hinc inferas, licere filio optare mortem patri, ut pinguem hæreditatem adeat : 1° quia vita patris nulli est nociva, ut suppono; 2° quia quæ diximus sunt intelligenda quando malum optatum est minus quam malum quod vitare intendimus : mors autem patris est pejus malum quam privatio hæreditatis, et filius debet plus diligere vitam patris quam privatam quam commoditatem temporalem.

Ibid. a. 2. o. — Dixi 2°, *alicui creaturæ rationali;* quia cum creaturæ irrationales careant ratione et dominio suarum actionum, non sunt capaces justitiæ vel injuriæ, nec eas secundum se tenemur diligere ex charitate : quapropter, illis absolute in se consideratis, maledicere, non est peccatum mortale, est tamen otiosum et vanum, et consequenter peccatum veniale. Quod si considerentur ut habent aliquem respectum ad aliquod malum, sive ut causa, sive ut signum, sive ut continens, sive aliter, illis tropologice maledicere, referendo scilicet maledictionem non ad ipsas sed ad ipsum malum, nullum est peccatum : sic Job maledixit diei nativitatis suæ, non ratione sui, sed propter culpam originalem et alias miserias quas hac die contraxit; sic David maledixit montibus Gelboë, non secundum se, sed ratione cædis Saulis et Jonathæ quæ ibi contigerat. Maledicere vero creaturis irrationabilibus, ut sunt creaturæ Dei, est blasphemia; — **Ibid. a. 1. ad 3.** — quod etiam verum est de ipsa natura diaboli sub hac ratione considerata. Maledicere illis quatenus sunt hominis et ejus usibus deserviunt, ut imprecari sterilitatem vineis aut agris, mortem animalibus, aeris intemperiem, etc. perinde est ac ipsi homini maledicere.

Ibid. a. 3. o. — Dixi 3°, *est ex genere suo peccatum mortale*; quia in individuo potest fieri veniale, vel ob parvitatem mali quod quis alteri imprecatur, vel ob imperfectionem actus, ut dum quis absque perfecta deliberatione, ex subito motu iræ profert verba maledictionis, aut deliberate quidem sed sine animo ut eveniant mala quæ ore proferuntur, ut plerumque contingit iis qui vel ex ludo vel ex consuetudine verba imprecatoria proferunt : quia, ut jam sæpe dictum est, peccata verborum ex affectu pensantur; et revera, ubi deest mala intentio, maledicens neque animo neque opere quemquam lædit. Possent tamen hujusmodi maledictiones ex circumstantiis esse mortales, quales putamus maledictiones filiorum in parentes, tum ratione scandali, cum ratione gravis irreverentiæ; item ratione scandali maledictiones graves et frequentes parentum in filios, dominorum in domesticos.

Observant autem hic theologi post Cajetanum, non esse signum sufficiens aliquem non maledixisse ex animo, quod cessante motu iræ non vellet malum evenire, aut doleret si eveniret; id enim bene probat quod animus non persistat in malo, at non quod non fuerit malus : id autem venandum est ex ipso tempore iræ; si enim tunc voluerit, ut eveniret sicut imprecabatur, peccavit mortaliter, quamvis nunc peccato animo non vellet amplius ut eveniret. Quod si dubium sit an voluerit tempore iræ, inspicienda est conditio personæ cui malum est imprecatus : si amica sit et grata, præsumendum est quod non voluerit, secus si inimica et ingrata; si indifferens, recurrendum est ad consuetudinem maledicentis : si enim soleat iratus ex animo maledicere, sic in dubio maledixisse judicandum; secus si non soleat ex animo maledicere.

Petes utrum maledictio sit gravius peccatum quam detractio?

Ibid. a. 4. o.—*R.* quod detractio sit gravius peccatum quam maledictio, si cætera sint paria, hoc est, si tantum malum inferat detractio quantum optet maledictio; quia cæteris paribus, gravius est nocumentum inferre quam nocumentum desiderare : unde gravius peccat qui infamat quam qui infamare optat.

Petes insuper quid sit murmuratio et quare S. Thomas de ea non egerit, cum etiam pertineat ad injuriam verborum?

R Murmuratio, sumpta scilicet in malam in malam partem, *est clancularia obloeutio injuste querulantis.* Est autem *injusta* vel ex parte objecti, quia de re justa conqueritur; vel ex parte modi, quia conqueritur de re injusta, sed ex ira, impatientia, cum contemptu aut sine utilitate. De ea vero non

ait S. Thomas quia ad præcedentia reducitur, maxime ad detractionem et susurrationem.

APPENDIX.

De revelatione secreti.

Quia indebita secreti revelatio etiam pertinet ad injuriam verborum, præter pauca quæ jam diximus dum de teste, cætera quæ illam spectant breviter hic discutienda suscipimus.

Secretum est, *quod clancularie ab aliquo vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque notorium.*

Secreti servandi triplex est obligatio : una ex eo præcise quod ejus revelatio noceret proximo ; altera ex promissione expressa vel tacita illud servandi ; tertia ex lege sacramentalis confessionis : de hac ultima dum de Pœnitentia.

Prima fundatur in illa lege naturali de non nocendo proximo, et in tantum obligat in quantum ex revelatione sequeretur damdum. Sic si scias fortuito ubi recondatur thesaurus alicujus, et ex revelatione prævides surripiendum, revelando peccas contra justitiam et teneris ad restitutionem.

Q. 70. a. 1. ad 2.— Secunda fundatur in lege naturali de servanda fidelitate et præstandis promissis, ita ut qui illam violat absque justa causa, non minus peccat contra fidelitatem et justitiam quam qui violat fidem depositi, proindeque mortaliter ex genere suo. Hinc Proverb. 13 dicitur : *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi, celat amici commissum :* erit tamen peccatum veniale si nullum aut leve damnum sequatur, aut propter imperfectionem actus, puta si inadvertenter fiat revelatio, si bona fide putetur rem esse levis momenti, aut non esse commissam sub secreto.

Porro ex promissione tacita tenentur servare secretum consiliarii, officiales belli quibus secreta reipublicæ vel exercitus committuntur, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, theologi, imo probabilius amici et propinqui quibus consilii, auxilii, vel solatii accipiendi causa, secretum aperitur : hi enim omnes et similes, hoc ipso quo talia secreta suscipiunt, etiam absque expressa promissione illa servandi, censentur tacite se obligare ad illa servanda.

Q. 68. a. 1. ad 1. et q. 70. a. 1. ad 2. — Dixi, *absque justa causa ;* quia ubi juste causa subest, non est peccatum revelare secretum : justa autem causa est 1° si opus patrandum sub secreto apertum vergat in detrimentum boni communis aut etiam alicujus privati innocentis ; ut dum Titius sub secreto tibi dicit se proditionem civitatis aut occisionem Caii intendere et moliri, si non possis aliter Titium a proposito avertere, potes et teneris prodere secretum, etiamsi sub juramento promisisses illud servare ; quia ex lege charitatis unusquisque tenetur magis cavere malum commune, aut etiam alicujus privati innocentis, quam nocentis ex malitia nocere volentis : neque juramentum ligat contra bonos mores, ex reg. juris 58, in 6. Item justa causa est si ex secreto servato immineat committenti vel recipiendi grave damnum : unde si quis tibi secreto committat se velle inire matrimonium cum impedimento dirimente, et non possis aliter ipsum impedire, teneris revelare ut impedias ejus peccatum et sacramenti irreverentiam. Similiter si Petrus causa petendi consilii tibi sub secreto revelavit homicidium a se perpetratum, et tu postea hujus homicidii accuseris, potes auctorem prodere si non possis aliter evadere, quamvis etiam sub juramento secretum promisisses. 1° Quia debitum secreti non secus ac alia debita cessat quando sine dispendio salutis, vitæ, famæ aut gravis fortunæ servari non potest. 2° Quia nemo sensatus promittendo etiam sub juramento servare secretum, censetur ad tales casus suam obligationem extendere voluisse, sed potius præsumitur quod ex ordine charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponere velit.

Excipe tamen, saltem secundum plures, nisi in ultimo casu promisisses servare secretum etiam cum dispendio vitæ vel famæ ; cum enim objectum talis promissionis sit honestum (licet enim ex motivo virtutis vitam pro proximo exponere aut derelinquere), non videtur cur servari non debeat. Excipe etiam nisi ex revelatione secreti periclitetur bonum commune : unde secreta reipublicæ aut exercitus Gallus non potest ob quævis tormenta revelare Austriacis, nec Austriacus Gallis, quia salus reipublicæ est anteponenda propriæ vitæ.

Q. 70. a. 1. ad 2. et quod. 1. a. 15. 9.— *Ex dictis inferes*, superiori præcipienti revelationem secreti subditum teneri obedire

si agatur de peccato committendo quod aliter impediri non potest; non teneri autem si agatur de peccato commisso ex quo nullum amplius cuiquam imminet detrimentum, aut de aliquo faciendo nemini nocivo. Confer dicta de teste.

Quid de apertione litterarum et expiscatione secreti?

R. Qui litteras aut scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis aut recipientis, vel absque legitima auctoritate seu causa justa, vel aliter per vim seu fraudem alterius secretum expiscatur, peccat contra justitiam; tum quia unusquisque habet jus ad suum secretum, ergo facit illi injuriam qui per vim aut fraudem illud extorquet; tum quia qui legit scripturas alienas secretas, utitur re aliena invito rationabiliter domino. Ergo. Ita Navar. in Man. c. 18, n. 53.

Hoc autem peccatum erit mortale vel veniale pro qualitate vel damni, vel periculi, vel intentionis graviter aut leviter damnificandi. Unde peccat tantum venialiter qui aperit litteras quas certo moraliter scit non continere nisi salutationes, nuntia publica aut similia levis momenti, paratus tamen ad secretum si casu aliquid occurreret sub secreto servandum. E contra peccat mortaliter, si sciat aut dubitet eas continere quæ alicujus famam graviter labefactant, aut ea quæ secreta manere multum interest illius qui mittit aut recipit.

Dixi 1°, *litteras aut scripturas secretas*, quales sunt litteræ clausæ, aut etiam apertæ sed in loco secreto, v. g. super mensam cubiculi repositæ, aut etiam casu amissæ; secus si sint projectæ et pro derelictis habitæ.

Dixi 2°, *absque consensu mittentis aut recipientis;* quia qui propter amicitiam et familiaritatem præsumit mittentem aut recipientem consentire in apertionem suarum litterarum, non peccat saltem mortaliter, eas aperiendo.

Dixi 3°, *vel absque legitima auctoritate;* quia prælatis religionum conceditur, imo in ordine nostro præcipitur ut litteras quas sui subditi mittunt aut recipiunt, legant, modo non sint litteræ subditi ad prælatum majorem, aut prælati majoris ad subditum. Eadem facultas jure gubernationis conceditur marito respectu litterarum uxoris aut ad uxorem, et parti respectu filiorum. Ita Cajet. in Sum. v. *Litteras*, et Pontas v. *Secret.* cas. 9.

Dixi 4°, vel *justa causa*, nimirum ad avertendum grave damnum sibi vel alteri innocenti. Hinc non peccant gubernatores, præfecti exercitus et similes qui tempore belli aperiunt litteras sive hostium sive civium; neque privatus qui fundate timens per epistolam grave damnum sibi vel alteri parari, eam aperit; hi enim utuntur jure defensionis adversus injustos invasores. Ita auctores cit. et S. Anton. apud Navar. cit.

Petes utrum qui per vim vel fraudem secretum assecutus est, possit ad evitandam mortem illud revelare, si ex revelatione alteri cujus est secretum, æquale periculum immineat?

R. probabilius negative cum Soto, Navarro et aliis contra Lessium, oppositum probabiliter propugnantem. *Ratio est;* quia qui injuriam alteri intulit, eam continuare non potest, sed e contra tenetur illam tollere; alioquin, sicut peccavit initio injuriam inferendo, ita etiam peccabit eam continuando. Ergo qui secretum alterius per injuriam assecutus est, tenetur semper supprimere; alias quocumque casu revelabit, injuriam renovabit et augebit: sicut qui rem alienam furatus est, non potest ea uti cum detrimento domini, alias injuriam continuat et gravius peccat.

Dices cum Lessio. Qui rem alienam injuste apud se habet, potest eam consumere in extrema necessitate, etiamsi dominus pariter illa indigeat: ergo similiter in nostro casu.

R. N. consequentiam. Disparitas est, quod in extrema necessitate omnia fiant communia: unde qui detinet, quamvis ab initio injuste acceperit, acquirit tunc jus in illam, et ea potest uti ut sua. At in nostro casu non videtur quo titulo, qui secretum alterius per injuriam adeptus est, possit illud prodere cum æquali damno illius cui primo injuriam intulit.

Dices insuper cum eodem. In casu posito possum aperire secretum quamvis stipulatus sim alteri silentium: ergo etiam possum quamvis injuria extorserim; nam qui ex contractu aliquid debet, non minus tenetur quam qui ex delicto.

R. N. conseq. Quia intentio stipulantis silentium non se extendit ad hunc casum, ut dictum est supra; quod dici non potest de eo qui per injuriam secretum alterius explicatus est.

TRACTATUS

DE STATU RELIGIOSO.

D. Th. 2 2. a. Q. 186 ad ultimam.

DISSERTATIO I.

DE HIS IN QUIBUS PRINCIPALITER CONSISTIT STATUS RELIGIOSUS.

D. Th. q. 189.

ARTICULUS I.

Quid sit status in communi? Quid status perfectionis?

Dico 1° Nomen status dupliciter sumi potest : 1° generaliter, pro quavis vitæ conditione, in qua quis, sive ad tempus, sive perpetuo permanet : quo sensu dicitur status ecclesiasticus, status sæcularis, status viduarum, status virginum, status præsentis vitæ, status futuræ, etc. 2° stricte, pro immobili vitæ conditione, per quam quis alteri perpetuo adstringitur ; — Hic q. 183. a. 1. o. — nomen enim status importat quamdam firmitatem et rectitudinem : sic nomo rectus et quiescens, dicitur stare ; si jaceat aut moveatur, non dicitur stare. Hoc sensu distinguuntur tres status in Ecclesia, scilicet, status episcoporum, religiosorum et conjugatorum; episcopi enim vinculo perpetuo adstringuntur obsequio suæ ecclesiæ; religiosi, divino cultui ; conjugati, mutuo obsequio : sic tamen quod episcopatus et religio sint status spirituales, conjugium autem status sæcularis ; item quod episcopatus et religio sint status perfectionis. Quod ut intelligatur,

Ib. q. 184. a. 1. o. — *Dico* 2° Perfectio christianæ vitæ attenditur specialiter secundum charitatem ; quia unumquodque dicitur esse perfectum in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio : atqui charitas est quæ unit nos Deo qui est finis ultimus humanæ mentis ; *Qui enim manet in charitate, in Deo manet et Deus in illo*, 1 Joan. 4. Ergo.

Ibid. a. 3. o. — *Dico* 3° Posito quod perfectio christianæ vitæ attendatur specialiter secundum charitatem, sequitur quod per se et essentialiter consistit in observatione præceptorum ipsius charitatis Dei et proximi et aliorum præceptorum, sive divinorum, sive humanorum, quorum violatio sit contraria charitati ; secundario autem et quasi ministerialiter in observantia consiliorum quæ ordinantur ad charitatem : non quidem sic quod sine illis non possit haberi charitas, sed quatenus removent ea quæ maxime impediunt exercitium charitatis, licet eam non exstinguant, ut sunt matrimonium, occupatio negotiorum sæcularium et alia hujusmodi.

Ib. a. 4. et 5. o. — *Dico* 4° Ex dictis sequitur id quod antea diximus, episcopatum et religionem esse status perfectionis ; quia ad statum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea quæ perfectionem promovent, cum aliqua solemnitate ; status enim, ut diximus, importat permanentiam, et in his quæ inter homines firmitatem et perpetuitatem obtinent, adhibetur aliqua solemnitas : atqui religiosi se voto adstringunt ad abstinendum a rebus sæcularibus per pauertatem, continentiam et obedientiam, ut liberius Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ ; idque fit cum aliqua solemnitate, quando emittunt vota religionis, sive solemnia sive simplicia, secundum ordinationem et approbationem Ecclesiæ ; similiter episcopi se obligant ad ea quæ perfectionis sunt, assumentes pastorale officium, ad quod pertinet ut ponant animam suam pro ovibus suis et totam vitam impendant in utilitatem proximi, idque cum solemnitate consecrationis in sua ordinatione. Ergo.

Dices. Si omnes episcopi et religiosi sint in statu perfectionis, sequitur quod qui in-

ter illos non sunt perfecti, sint mendaces et simulatores. *Falsum consequens.* Ergo. *Prob. s quela.* Status exterior debet interiori respondere, alioquin incurritur mendacium et simulatio. Ergo.

Ib. a. 5. ad 2. — *R. D. sequelam.* Sequitur quod qui inter illos non sunt perfecti, nec intendunt perfectionem, sint mendaces et simulatores, *C.* si intendant perfectionem, *N.* Quia homines statum perfectionis assumunt, non quasi profitentes se esse perfectos, sed profitentes se tendere ad perfectionem; sicut qui frequentat scholas non profitetur se esse doctum, sed se tendere ad doctrinam : unde non committit mendacium aut simulationem qui in statu perfectus, sed qui ab intentione perfectionis animum revocat; de quo iterum art. sequenti.

Ibid. a. 4. o. — *Hinc inferes*, 1° non omnem qui est perfectus esse in statu perfectionis, nec omnem qui est in statu perfectionis, esse perfectum; quia, ut dictum est, ad statum perfectionis exteriorem, scilicet, de quo hic agitur, requiritur obligatio perpetua cum aliqua solemnitate; potest autem aliquis sine hac obligatione et solemnitate facere opera perfectionis et per charitatem adhærere Deo, sicque esse perfectus sine statu perfectionis; cum e contrario qui se obligavit perpetuo ad opera perfectionis cum solemnitate et ea non implet, non erit perfectus, licet sit in statu perfectionis.

Ibid. a. 6. o. — *Inferes* 2° presbyterum curatum non esse in statu perfectionis; quia, licet debeat ut minister episcopi se impendere in salutem parochianorum, ad id tamen non obligatur immobiliter, quia potest etiam absque licentia episcopi deserere suam curam et transire ad statum religiosum, ut habetur causa 19, q. 2, cap. *Duæ sunt*; quod non potest episcopus absque dispensatione papæ. Vide Cajetanum in hunc articulum.

Petes quis status sit perfectior, episcoporum an religiosorum?

Ibid. a. 7. o. — *R.* statum episcoporum esse perfectiorem statu religiosorum; quia semper agens est præstantius patiente : atqui in genere perfectionis episcopi se habent ut perfectores et magistri qui perfectionem doceant, regiosi vero ut perfecti, seu perficiendi et discipuli instruendi, qui acquirendæ perfectioni studeant; quorum prius, *ut patet*, pertinet ad actionem, secundum ad passionem : ergo. Et ideo status episcoporum dicitur status perfectionis acquisitæ, status autem religiosorum status perfectionis acquirendæ.

Neque dicas, religiosos adstringi tribus votis paupertatis, continentiæ et obedientiæ, quibus saltem votis paupertatis et obedientiæ non adstringuntur episcopi; nam ad aliquid majus his adstringuntur episcopi, nempe ad ponendam animam pro aliorum salute. — **Ibid. ad 1.** — Insuper præterquam quod teneantur ad castitatem, temporalia sua debent erogare suorum subditorum necessitatibus, sicque in præparatione animi esse pauperes, quod pertinet directius ad perfectionem quam paupertas in actu, quæ est tantum perfectionis instrumentum. Item cum religiosi uni tantum prælato obediunt, episcopi omnium suorum subditorum se servum constituunt, dum non quod suum, sed quod illorum est tenentur : quærere unde Apost. 2 Corinth. 4 : *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per ipsum*; atque hinc, juxta S. Th. opusculo de Perfectione vitæ spiritualis cap. 17, consuetudo obtinuit ut summus pontifex se scribat *servum servorum Dei*.

ARTICULUS II.

In quibus principaliter consistat status religiosus?

Nota. Religio tripliciter sumitur: 1° pro virtute qua Deus ut supremus omnium Dominus colitur, de qua sat alibi diximus; 2° pro quadam formula cultus divini omnibus communi, per quam homo addicitur obsequio divino, quantum est præcise necessarium ad salutem; qualis nunc est religio christiana, et fuit olim judaica; 3° pro quadam speciali formula cultus divini per quam homo ex libera sua electione totaliter mancipatur divino obsequio; continet omnia ad que obligat religio christiana, et alia superaddit quæ maxime ad perfectionem conducunt. — **Q. 186. a. 1. o.** — Unde dicitur antonomastice *religio*, et ejus professores *religiosi*, vocabantur ab Apostolis, teste S. Dionysio cap. 6 de Cœlest. Hierarch. Terapeutæ, a puro Dei obsequio et cultu. Eodem nomine vocat illos Philo de Contemplat. Item, teste eodem S. Dionysio ibid. vocabantur etiam ab Apostolis *Monachi, a vita indivisibili et singulari qua in deiformem monadem colliguntur et præficiuntur.*

secundum quam etymologiam religiosi sunt monachi. Attamen secundum vulgarem significationem et etymologiam, hi soli dicuntur monachi qui vitam solitariam agunt, vel contemplationi sunt totaliter dediti; quo sensu religiosi Mendicantes non sunt monachi, et constat ex jure cap. *Licet* 18, de Regularibus, c. *Nullus* 1, et c. 2 *Mandamus* 19, 4, 3. In favorabilibus tamen, nomine monachi veniunt omnes religiosi, ut docet Panormitanus in cap. *Ex parte* de Postulat. Prælat. et alii.

Virgines quæ religionem profitentur, jam tempore S. Augustini vocabantur *sanctimoniales*, ut patet Serm. 23 de verbis Dom. nunc, brevitatis causa vocantur *moniales*. Dicebantur etiam *Nonnæ* ex S. Hieron. Epist. 22, cap. 6. Tam in his partibus quam in Gallia, Hispania et Italia religiosi sacerdotes, præsertim Mendicantes, vocantur *patres*, eo quod in plebem et pauperes quoslibet paternum affectum et officia præstent; quod nomen ideo est magis benevolentiæ et charitatis quam honoris, quale est nomen *dominus* quo cæteri religiosi et sæculares vocantur.

Q. 186. a. 6. o. — *Dico* Status religiosus consistit in immobili vitæ conditione ab Ecclesia approbata, in qua homines per tria vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ et certam regulam tendunt ad perfectionem.

Explicatur et probatur. Dicitur 1° *immobilis vitæ conditio :* quia, ut diximus, status exigit firmitatem perpetuam : unde qui observaret paupertatem, castitatem et obedientiam absque voto, non esset religiosus, nec in statu religioso, quia haberet libertatem resiliendi.

Dicitur 2°, *ab Ecclesia approbata*, propter plures rationes. 1° Quia status religiosus est status spiritualis et supernaturalis, distinctus a communi statu christianorum, proindeque descendens a Christo, mediante Ecclesia : atqui sine approbatione Ecclesiæ non foret status spiritualis, distinctus a communi statu christianorum, sed omnes forent laici, potestati sæculari subjecti, nisi qui essent ex illis clericis; sed id non haberent vi status, sed vi ordinis. Ergo.

2° Religiosus tenetur obedire superiori, non solum ratione voti, sed etiam, oppositio voto et traditione sui, ratione jurisdictionis spiritualis quam superior habet in illum, sicut episcopus habet in suos diœcesanos : unde religiosus inobediens peccat duplici peccato, scilicet, peccato sacrilegii ratione voti, et peccato injustitiæ ratione jurisdictionis in superiore quam violat : atqui talis jurisdictio spiritualis haberi non potest nisi interveniat auctoritas Ecclesiæ.

Si dicas : Possum me alteri subjicere, eligendo illum in superiorem eique vovendo paupertatem, continentiam et obedientiam : atqui iste habebit jurisdictionem spiritualem in me. Ergo.

R. N. min. Non enim habebit aliam potestatem in te quam eam quam tu illi dares : non potes autem illi dare in te jurisdictionem spiritualem, cum eam in te non habeas; nemo enim in se habet jurisdictionem qua se cogere possit sibique præcepti obligationem imponere; nemo autem dat quod non habet : unde illa potestas erit tantum naturalis seu moralis, teneberisque solum illi obedire ratione voti, sicut si vovisses parere ejus consiliis. Adde quod sic non esses in statu spirituali, sed maneres laicus.

3° Sine illa approbatione Ecclesiæ, religio non haberet stabilitatem, posset enim facile dissolvi secundum hominum instabilitatem; neque haberet securitatem, possent enim errores in statutis irrepere, sicut contigit in regione Waldensium.

4° Denique ad statum religionis requiritur non solum promissio ex parte ventis, sed totalis ejus traditio in cultum divinium, atque hujus traditionis acceptatio nomine Dei; non est autem qui nomine Dei possit acceptare nisi Ecclesia, aut is cui Ecclesia committit.

Porro per approbationem Ecclesiæ, intellige nunc approbationem summi pontificis. Quamvis enim olim plures religiones, ut SS. Antonii, Basilii, Augustini et Benedicti non fuerint approbatæ immediate a Romanis pontificibus, sed admissæ, seu usu receptæ ab episcopis quibus tum suberant, non contradicente Romano pontifice; nunc tamen a tempore concilii Lateranensis sub Innocentio III, hanc approbationem sibi reservarunt Romani pontifices. Sic enim in concilio quod refertur cap. *Ne nimia*, lib. 3, tit. 30 de Religiosis domibus, legitur : « Ne » nimia religionum diversitas gravem in » Ecclesiam Dei confusionem inducat, fir» miter prohibemus ne quis de cætero no» vam religionem inveniat, » scilicet absque approbatione summi pontificis, ut habetur

in rubrica et patet, siquidem postea plures adhuc religiones erectæ sunt cum approbatione summi pontificis. Idem statuitur in concilio Lugdunensi sub Gregorio X.

Hinc sequitur quod professio in religione non approbata sit invalida, et quod profitens probabilius non teneatur ad vota; tum quia Ecclesia non acceptat hanc professionem quoad illa; tum quia profitens non intendit vovere nisi in religione, ut sic vovendo fiat religiosus, quod cum in eo sit deceptus, non videtur teneri; imo id videtur certum quoad vota paupertatis et obedientiæ, quia cum possit hanc religionem deserere utpote nullam, non habet superiorem a quo dependeat in voto paupertatis et obedientiæ.

Secus dicendum de quibusdam piis institutis quæ longo usu censentur ab Ecclesia approbata, non ut religiones, sed ut pia instituta; eorum enim professio habet vim votorum simplicium, a quibus proinde profitentes non possunt eximi sine dispensatione episcopi, qui illos ex causa potest absolvere a voto paupertatis et obedientiæ, non tamen a voto castitatis perpetuæ, quod reservatur papæ.

Dicitur 3°, *per tria vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ*, utpote quæ sunt essentialia religioni, ut probabimus art. seq. Dixi, *per tria vota* simpliciter et non solennia; quia licet jure antiquo requireretur ad statum religiosum quod tria vota essent solemnia, id est, quod esset totalis et perpetua traditio ex parte voventis, et similiter perpetua acceptatio ex parte superioris seu religionis; jure tamen novo sufficiunt vota simplicia. Declaravit enim Gregorius XIII, bulla *Ascendente Domino*, vota emissa a scholaribus Societatis Jesu post biennium probationis, esse simplicia (quia acceptatio ex parte Societatis non est absoluta et perpetua, sed potest professum dimittere), et tamen eos esse vere religiosos.

Dicitur 4°, *et certam regulam*, quia, licet per se loquendo sufficiat ad statum religiosum ea regula quæ divinis mandatis et prædictis tribus votis continetur, siquidem hæc sufficiunt ut ducant ad perfectionem; quia tamen Ecclesia non consuevit approbare aliquem statum tanquam religiosum absque aliqua particulari regula, ideo requiritur, si non per se, saltem per accidens et ex institutione Ecclesiæ.

Q. 184. a. 5. ad 2. et q. 186. a. 2. ad 1. — Dicitur 5°, *tendunt ad perfectionem*, quia, licet, ut diximus, religio sit status perfectionis, qui tamen illum assumunt non profitentur se esse perfectos, sed tendere ad perfectionem; sicut discipuli frequentando scholas non profitentur se doctos, sed tendere ad doctrinam: unde non transgreditur suam professionem religiosus qui non est perfectus, sed solum si contemnat tendere ad perfectionem, seu ab intentione perfectionis animam revocat, ut si apud se statuat manere in statu mediocritatis in quo est, aut dicat: Nolo ad perfectionem tendere; vel etiam si sola observatione præceptorum obligantium sub mortali contentus, proponat transgredi ea quæ obligant ad veniale tantum, aut ad solam pœnam.

Petes utrum quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia?

Q. 186. a. 1. o. — *R. negative;* quia nemo tenetur ad opera supererogationis nisi ex propria electione, aut nisi in casu necessitatis; sed tunc non forent mera consilia, sed præcepta: atqui quilibet religiosus non se obligat per suam professionem ad omnia consilia, sed ad aliqua determinata secundum suam regulam: ergo. *Confirmatur.* Quilibet religiosus potest pervenire ad perfectionem charitatis per observantiam regularem sui instituti, siquidem sit ab Ecclesia approbatum ut sufficiens ad hunc finem: atqui nullum est institutum quod omnium consiliorum observationem præcipiat: ergo. Peccaret tamen graviter qui ea consilia contemneret.

ARTICULUS III.

Utrum tria vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ sint essentialia statui religioso?

Q. 186. a. 3. 4. 5. et 7. o. — *Dico.* Tria vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ sunt essentialia statui religioso.

Ibid. a. 7. o. — *Prob.* Status religiosus potest considerari tripliciter: 1° secundum quod est exercitium tendendi ad perfectionem charitatis; 2° secundum quod est portus et statio quædam, quietans animum a sollicitudinibus sæcularibus; 3° secundum quod est perfectissimum sacrificium, scilicet, holocaustum per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo: atqui status religiosus,

secundum hanc triplicem considerationem exigit essentialiter tria vota assignata: ergo.

Prob. prima pars min. Ad exercitium perfectionis requiritur quod aliquis a se removeat illa per quæ possit impediri ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis : atqui hujusmodi sunt tria : primum, cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis; secundum, concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ quæ excluduntur per votum castitatis; tertium, inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. Ergo. Hæc autem tria impedimenta designavit S. Joan. 1 Epist. cap. 2, his verbis : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Prob. secunda pars min. Sollicitudinis sæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria : 1° circa dispensationem rerum exteriorum, et hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur; 2° circa gubernationem uxorum et liberorum, quæ amputatur per votum continentiæ; 3° circa dispensationem propriorum actuum, quæ tollitur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Ergo.

Prob. tertia pars min. Holocaustum est cum aliquis totum quod habet offert Deo : atqui homo habet triplex bonum. 1° Habet bonum rerum exteriorum, quas totaliter offert Deo per votum voluntariæ paupertatis. 2° Habet bonum corporis, quod præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus. 3° Est bonum quod totaliter offert Deo per votum obedientiæ, quatenus per illud offert Deo propriam voluntatem; per voluntatem enim homo utitur omnibus potentiis et habitibus imæ. Ergo.

Hinc cap. *Cum ad Monasterium*, tit. de statu Monach. Innocent. III dicit : « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. »

Dices 1° Status episcoporum est perfectior quam status religionis : atqui episcopi possunt habere proprium : ergo et religiosi.

Ib. a. 3. ad 3. — *R. N. conseq.* Disparitas est, quod status episcopalis non ordinatur ad perfectionem acquirendam, sed potius ut ex perfectione quam quis habet alios gubernet, non solum ministrando spiritualia, sed etiam temporalia; quod pertinet ad vitam activam, in qua multa operanda occurrunt instrumentaliter per divitias : et ideo ab episcopis, qui profitentur gubernationem gregis Christi, non exigitur ut proprio careant, sicut a religiosis qui profitentur disciplinam perfectionis acquirendæ.

Dices 2° Divitiæ sunt utiliores ad perfectionem acquirendam quam paupertas. Ergo. *Prob. ant.* Proverb. 14 dicitur : *Corona sapientum divitiæ eorum;* et Eccli. 7 : *Utilior est sapientia cum divitiis.* Ergo.

R. N. ant. Ad primam probat. Divitiæ dicuntur corona, id est, ornamentum et decus sapientum; tum quia sapientes bene illis utendo sibi decus parant; tum quia divitiæ apud vulgus auctoritatem conciliant. *Ad secundam probat.* sensus est, quod sapientia cum divitiis sit utilior quam divitiæ sine sapientia, quatenus sapiens bene utendo divitiis, maxime utilis est proximo per liberalitatem et misericordiam.

Dices 3° Primum perfectionis exemplar nobis in Abraham ostenditur, cui Dominus dixit Genes. 17 : *Ambula coram me, et esto perfectus :* atqui Abraham habuit divitias et uxores : ergo ad perfectionem religionis non requiritur paupertas et continentia.

Ib. a. 4. ad 2. — *R. N. conseq.* Quia, ut dixit S. Aug. de Bono conjugali, *Abraham castus sine conjugio esse potuit, sed non oportuit.* Quod ergo antiqui Patres perfectionem animæ cum divitiis et matrimonio habuerint, hoc pertinet ad magnitudinem virtutis et perfectionis acquisitam. Et ideo infirmiores non debent præsumere se tantæ esse virtutis, ut cum divitiis et matrimonio possint ad perfectionem pervenire : sicut nec aliquis præsumit hostes inermis invadere, quia Samson cum maxilla asini multos hostium peremit.

Petes quodnam sit inter ista tria vota potissimum?

Ibid. a. 8. o. — *R.* esse votum obedientiæ. 1° Quia per illud aliquid majus Deo offertur quam per reliqua; per votum enim paupertatis offeruntur Deo bona fortunæ; per votum continentiæ, corpus; per votum autem obedientiæ, ipse animus seu propria voluntas, quæ est quid majus bonis fortunæ et corpore. 2° Quia votum obedientiæ conti-

net sub se alia duo vota, sed non convertitur. Quamvis enim religiosus teneatur ex voto servare continentiam et paupertatem, tamen hæc etiam sub obedientia cadunt, et in nostro Prædicatorum ordine promittitur tantum explicite obedientia. Hinc Joannes XXII Extravag. *Quorumdam*, de Verborum significationibus, dicit: *Magna est paupertas, sed maior continentia, maxima autem obedientia.*

ARTICULUS IV.

Ad quid teneatur religiosus vi voti paupertatis?

Dico. Paupertas religiosa, est voluntaria abdicatio, voto firmata, rerum temporalium, quantum ad dominium, proprietatem et usum juris, seu jus utendi irrevocabiliter et independenter a voluntate superioris, non tantum quantum ad usum facti seu simplicem usum revocabilem et dependentem a voluntate superioris. Ita jura c. cit. *Cum ad monasterium*, et concil. Trid. sess. 25 *de Regularibus*, cap. 2.

Ratio est; quia ille non censetur vere pauper qui alicujus rei temporalis habet dominium et proprietatem, qua de illa tanquam sua possit pro nutu disponere ad quemlibet usum; neque qui habet jus utendi irrevocabiliter et independenter ab alterius voluntate: secus si habeat tantum usum facti revocabilem et dependentem ab alterius voluntate: sic servi qui nihil habent proprii et sunt vere pauperes, habent nihilominus usum facti vestium et ciborum quæ illis a dominis conceduntur.

Dixi, *rerum temporalium*; quia rerum spiritualium religiosus habet dominium: unde potest sine consensu prælati pro amico orare, prædicare, missas celebrare, si tamen habeat liberas intentiones, etiamsi amicus recipiat stipendium; similiter potest sine consensu prælati dare reliquias sanctorum, agnus-Dei et similia, quæ pretio temporali non æstimantur, non tamen imagines, scapularia, numismata, rosaria; hæc enim pretio temporali æstimantur. Item est dominus sui honoris et famæ, ut docet S. Th. hic q. 186, a. 7, ad 4.

Ex conclusione sequitur 1°, religiosum nulla re temporali posse uti tanquam sua, sed tanquam aliena seu monasterii, ideoque animo debet esse dispositus ea carere ad nutum prælati; alioquin est votifragus, quales sunt ii qui ea quæ habent occultant ne a superiore auferantur.

Sequitur 2°, religiosum nullam rem temporalem sive ex bonis communibus, sive ex concessis ad usum, posse dare, vendere, mutuare, commodare seu extraneis, seu domesticis, absque licentia prælati; quia hæc sunt actus dominii aut usufructus, cum ipse tantum habeat usum facti a prælato dependentem; ideoque alienatio est nulla.

Sequitur 3°, religiosum nullum temporale posse recipere sive ab extraneis, sive a domesticis, aut acceptum retinere sine licentia prælati, cap. cit. *Ad monasterium. Et patet;* quia, seclusa prælati licentia, illud haberet ut proprium.

Sequitur 4°, religiosum non posse ea quæ sibi ad usum sunt concessa, expendere in res illicitas aut vanas, ut in turpia, vestes sericas, multos canes venaticos, sumptuosa convivia, etc. Quia secundum jura, Clementina 1 de Statu monachorum, prælatus non potest illud permittere. Item eadem ratione et eodem jure non potest religiosus habere superflua in notabili quantitate, quæ mediocritatem religiosam notabiliter superet.

Observa tamen circa primam partem hujus corollarii, religiosum posse cum licentia prælati exponere ludo aliquid moderatum, juxta leges, opes et consuetudinem sui conventus; quia ludus non est quid illicitum: item posse, supposita eadem licentia, facere donationes *ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusdemque conservationis erga ipsam religionem vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen et discrete.* Ita in terminis Urbanus VIII, in constitutione *Nuper*, per quam moderatur rigorem constitutionis *Religiosæ*, Clementis VIII. De quo vide plura in nostro tractatu de Contractibus, dissert. 2, art. 2, § 2.

Sequitur 5°, religiosum non posse, sub prætextu quod omnia sint in religione communia, res communitatis, aut particularibus ad usum concessas, sibi appropriare; quia in hoc se gereret ut dominum et proprietarium.

Si tamen prælatus denegaret religioso simpliciter necessaria ad victum et amictum, non peccaret religiosus ea accipiendo,

sive data a sæcularibus, sive ex bonis communibus monasterii, etiam sine licentia prælati; quia iste foret irrationabiliter invitus, et religiosus uteretur jure sibi a natura concesso ad sui conservationem; aliunde censetur consentire religio. Dixi, *simpliciter necessaria*; quia secus dicendum foret, si essent tantum utilia seu necessaria secundum quid et non absolute; qui sunt enim vere pauperes non raro sentire debent et sentiunt incommoda paupertatis, deficientibus utilibus et necessariis secundum quid. Unde non sibi abblandiantur religiosi, fingentes absolutam necessitatem, dum est tantum necessitas secundum quid, seu minor commoditas.

Sequitur 6°, religiosum teneri res sibi concessas rationabili cura conservare, non destruere, aut prodige et cum gravi negligentia tractare; quia cum habeat tantum usum facti, non potest de eis disponere, nisi juxta mentem prælati et modo religiosæ paupertatis congruo.

Sequitur 7°, officiales in monasteriis non posse res suæ administrationi commissas dispensare pro libitu, sed tantum juxta mentem superioris; alioquin dispensarent ut domini ab alterius voluntate independentes.

Petes 1° quæ licentia requiratur et sufficiat ut religiosus possit licite uti rebus aliquibus, sive donando, sive recipiendo, sive aliter disponendo?

R. non requiri necessario licentiam expressam, sed sufficere tacitam seu probabiliter præsumptam, ut in termini docet S. Th. 2, 2, q. 52, a. 8, ad 1; quæ scilicet ex circumstantiis et signis probabiliter conjicitur et præsumitur actualiter adesse. Sic si sit consuetudo in aliqua religione quædam levia recipiendi, vel expendendi sine licentia expressa superioris, indicat tacitum ejus consensum. Similiter si superior sciat quædam recipi aut expendi absque expressa ejus licentia, et toleret cum posset facile impedire: quod addo, quia si toleraret quia non posset facile impedire, puta, propter gravia quædam inconvenientia, hæc tolerantia non indicaret tacitum ejus consensum. Item si prælatus conferat religioso officium, tacite concedit ea omnia quæ ad debitam ejus administrationem pertinent. Item si permittat alicui emere vel recipere ea quibus scit ipsum non indigere ad proprium usum, ut sunt imagines, rosaria, scapularia, etc., tacite permittit ut aliis donet. Item religiosus absens, puta studens, aut itinerans, merito præsumit consensum prælati ad expensas et donationes quales facere solent religiosi ejusdem ordinis et conditionis.

Dixi, *licentia quæ ex circumstantiis et signis probabiliter conjicitur et præsumitur actualiter adesse*, non vero quæ præsumitur danda si peteretur; quia ad legitimum usum præsentem requiritur licentia præsens, non futura: cum autem in casu non ponatur conditio, scilicet petitio, ex qua sequeretur licentia, non est de facto licentia, sed tantum foret si peteretur. Sicut ergo ex hoc quod scias legislatorem dispensaturum si peteres dispensationem, non ideo es vere dispensatus: ita ex hoc quod scias superiorem concessurum licentiam si peteres, non es ideo licentiatus. Requiritur ergo non solum ut concederet præcise si peteres, sed etiam ut, attenta ejus habituali dispositione, censeatur de facto concedere, neque velle ut in his circumstantiis expresse petas. Sicut, ut vinculum legis cesset per epiikiam, requiritur ut de facto mens legislatoris sit ut non tenearis in hoc casu agere secundum verba legis, neque petere dispensationem.

Non potest autem præsumi hæc præsens habitual' dispositio et inde consensus actualis tacitus superioris, etsi petitus concederetur in omni casu et in rebus gravioribus; quia inde evanesceret religiosa paupertas et obedientia regularis, sequerenturque graves abusus, cum inde inferiores semper pro libitu agerent, sibi persuadendo rem esse justam et concedendam licentiam si peterent. Si sit ergo superior qualis debet esse, debet censeri in gravioribus invitus, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, et velle ut petatur expresse licentia. In rebus tamen levioribus et ordinariis, potest præsumi consensus præsens tacitus, non solum ex circumstantiis et signis, de quibus paulo ante, ut ex consuetudine, ex silentio prælati, etc., sed etiam ex aliis, ut si superior sit facilis ad concedendum, si inferior sit vel sanex, vel de religione bene meritus, vel superiori gratus et amicus; item si superior sit absens et urgeat justa ratio agendi. Item facilius præsumitur in rebus acceptis quam in rebus

datis, facilius in datis in commodum communitati quam particularis. Ex his et similibus indiciis præsumi potest, non solum quod si peteretur licentia, facile concederetur, sed etiam quod sit talis præsens dispositio superioris, quod censeatur nunc tacite consentire, aut saltem quod non velit inferiorem gravi obligatione teneri ad petendam expresse licentiam, sicque quod non sit invitus, saltem quoad substantiam: quod si sit invitus quoad modum, erit peccatum veniale, sed non contra votum paupertatis: sicut in furto, si sciam dominum parvi æstimare, aut in me ita esse affectum, ut si rem peterem libentissime mihi concederet, jure præsumo ipsum non esse invitum quoad substantiam, nec velle me gravi obligatione teneri. Conformiter ad hæc intelligenda sunt quæ olim dixi in tractatu de Contractibus, dissert. 2, art. 2, § 2, de præsumpta licentia, seu consensu tacito.

Petes 2° quanta materia requiratur ad peccatum mortale in transgressione voti paupertatis?

R. tantam requiri quanta requiritur in furto. Plures dicunt, quanta requiritur in furto filiorumfamilias: in furto autem filiorumfamilias, ad peccatum mortale requiritur major quantitas, et satis probabiliter, duplo major quam in furtis extraneorum, ut expendimus in tract. de Jure et Justitia, dissert. 11, art. 5.

Verum puto hic esse distinguendum: si agatur de rebus usu consumptibilibus, ut sunt omnia esculenta et poculenta, existimo de iis loquendum esse ac de furtis filiorumfamilias in eadem materia; quia in his prælati, sicut parentes, quorum loco succedunt, non censentur regulariter inviti quoad substantiam, sed quoad modum tantum.

Si autem agatur de rebus permanentibus, ut sunt pecuniæ, supellectilia et similia, res mihi videtur dubia. Equidem ex una parte religiosi sunt in monasterio sicut filiifamilias, imo sunt partes et membra communitatis ad quam pertinent ista bona; quapropter probabile est prælatos in furtis non esse magis invitos respectu illorum quam parentes respectu filiorum.

Ex altera parte propter votum paupertatis, nunquam erunt illorum bonorum domini, sicut filiifamilias bonorum paternorum; etsi in illorum furtis tanta requireretur quantitas quanta requiritur in furtis liorumfamilias, cum plures esse soleant in monasteriis, gravi bonorum communium dissipationi janua aperiretur. Quibus de causis est etiam probabile prælatum non esse minus invitum respectu illorum quam respectu extraneorum, nisi forte ex indiciis conjiciatur aliam esse superioris mentem.

Adverte tamen, majorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in iis quæ ab extraneis recipiuntur quam quæ a monasterio surripiuntur; minorem e contra requiri in iis quæ dantur extraneis quam in iis quæ suis aut confratrum usibus applicat religiosus; item minorem si detur ex bonis communibus quam si ex proprio peculio; quia ubi major vel minor fit injuria monasterio, censetur prælatus magis vel minus invitus.

Ex his inferes 1° quod, licet usum ad tempus alicujus rei non consumptibilis ipso usu, v. g. libri, sibi sine licentia usurpare, vel alteri sive domestico sive extraneo concedere seu commodare, repugnet voto paupertatis, excusetur tamen a peccato mortali ob levitatem materiæ, nisi notabiliter ipso usu atteratur, quia simplex usus ad tempus, v. g. libri, non tanti æstimatur ut sit materia peccati mortalis.

Infercs 2° quod, licet commutatio sit actus dominii, et ideo, si sit res gravis momenti, sit peccatum mortale; rerum tamen communium, ut libri, cultri, vestis, etc. regulariter sit peccatum veniale: quia si fiat, ut supponitur, cum æquali, aut fere æquali, non videtur materia sufficiens ad peccatum mortale, cum inde non gravetur notabiliter monasterium, et prælatus non censeatur graviter invitus saltem quoad substantiam, licet sit forte quoad modum.

Petes 3° utrum peccet religiosus qui pecunias ex sensu vitalitio, aut aliunde cum licentia acceptat, retinet sine licentia in cella vel alibi, et non in communi deposito, seu apud depositarium communem?

R. 1° Si retineat animo celandi superiori aut expendendi sine ejus licentia, peccat mortaliter ex genere contra votum paupertatis, quia intendit dominium aut usum independentem.

2° Si retineat non animo celandi aut expendendi sine licentia superioris, non peccat mortaliter stando in natura voti pauper-

tatis; quia ex illa simplici retentione, sine animo celandi aut expendendi sine licentia, non habet nec intendit ullum dominium aut usum independentem. Neque refert si dicas quod possideat illas pecunias sine licentia; non enim possidet ut suas, sed ut alienas: unde non est vera et stricta possessio quæ jus supponat aut conferat, sed simplex detentio, qualis foret retentio depositi, cujus dominium et administrationem retinet deponens; hæc autem retentio seu possessio non repugnat voto paupertatis, et sine illius violatione potest haberi a religioso, etiam non petita licentia.

3° Si sit præceptum non retinendi apud se pecunias, sed eas reponendi in deposito communi, seu apud communem depositarium, ut solet esse in omni religione bene ordinata, peccabit secundum qualitatem præcepti: mortaliter si sit præceptum rigorosum in virtute sanctæ obedientiæ; venialiter tantum, si sit præceptum commune seu ordinatio communis, nisi forte sit aliis scandalum, aut sibi occasio proxima, ut sæpe solet esse, expendendi has pecunias sine licentia. Unde hæc praxis nullatenus est toleranda.

Petes 4° utrum religiosus, peccet contra votum paupertatis si sine licentia prælati recipiat ab aliquo pecunias, vel alia dona, non pro se, sed ut det aliis, puta consanguineis, vel pauperibus quibus voluerit?

R. sub distinctione. Religiosus peccat contra votum paupertatis si donationem in causa posito absolute acceptet, ita ut non sit in potestate dantis illam revocare, et dona seu pecunias aliter quam voluerit religiosus expendere, quamvis dantis nomine distribuat; quia sic ejus aliquod pretio æstimabile acquirit.

Non peccat autem contra votum paupertatis si dominium non acceptet, sed maneat penes dantem donata revocare et in alios usus expendere; quia sic licet pecuniæ aut dona in manus religiosi tradantur, nihil tamen juris aut dominii pretio æstimabilis ipsi acquiritur, sed se habet ut alterius internuntium seu eleemosynarium, cui dona vel pecuniæ committuntur, ut, dantis nomine, consanguineis vel pauperibus, quos ipse religiosus elegerit, distribuat.

Petes 5° utrum religiosus peccet, dicens aliquin esse suum, v. g. Mea cella, mea vestis, meus liber, etc.?

R. quod si id dicat intendens se habere dominium illius, aut usum independentem, mentiatur et peccet peccato proprietatis contra votum paupertatis; si autem id dicat aut velit dicere esse suum quoad usum facti dependentem a superiore, non mentitur, nec peccat contra votum paupertatis.

Petes 6° utrum liceat religioso habere peculium?

Nomine peculii hic intelligo non solum aliquam pecuniæ summam, sed etiam pensionem annuam, seu censum vitalitium, sive parentes aut monasterium religioso concesserint, sive sibi ante professionem reservaverit, aut aliunde acquisiverit.

R. affirmative; quia peculium a superioris voluntate dependens et ad ejus nutum revocabile, non repugnat ex natura sua religiosæ paupertati, et talis est praxis omnium fere religionum.

Dices Concilium Trid. sess. 25, c. 2 *de Regularibus*, sic statuit: « Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum. » Per bona autem stabilia etiam intelliguntur census. Ergo.

R. concilium loqui de usu bonorum stabilium civili et independente atque irrevocabili ad nutum superiorum, non autem de simplici usu facti dependente et revocabili ad nutum superiorum. *Patet* ex eo quod immediate præcedit: *Nemini*, inquit, *liceat bona tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere*. Nihil ergo aliud intendit concilium quam amovere a religiosis dominium et proprietatem. Idque constat ex praxi communi regularium, etiam in iis provinciis in quibus viget religiosa Tridentini observatio, ut in Hispania, Lusitania, Belgio, imo in Italia, sub oculis summorum pontificum. Unde si aliud intenderit Tridentinum, dicendum foret non esse in isto rigore receptum.

Petes 7° utrum licitum sit religiosis habere bona in communi?

R. affirmative. Id enim concessit Trid. sess. 25, c. 3, omnibus religiosis, exceptis minoribus de Observantia et Capucinis; sed quia est privilegium, illæ possunt religiones renuntiare, sicut de facto renuntiarunt domus professæ Societatis et Carmelitæ Discalceati in Hispania. Idem ante Tridentinum Sixtus IV concesserat Fr. Prædica-

toribus, ut habetur in eorum constitutionibus dist. 2, cap. 1 et 10.

Neque id repugnat religiosæ paupertati, siquidem Christus, Apostoli et primi Christiani, qui colebant perfectam paupertatem, habuerint bona in communi, ut patet Act. 2 et alibi; sicque declaravit Joannes XXII, Extrav. *Ad conditorem*, et Extrav. *Inter nonnullos*, de Verborum significat.

Petes 8° quid possint prælati regulares circa alienationem bonorum communium monasterii?

Ante responsionem, nota, bona communia esse vel immobilia, vel mobilia: mobilia sunt vel pretiosa quæ servando servari possunt, saltem ad triennium, ut sunt vela aurea vel argentea, gemmæ, etc. Quidam etiam inter hæc reponunt greges ovium aut caprarum, armenta boum et similia: alia sunt non pretiosa, ut vinum, frumentum, oleum; item et pecunia, si tamen non sit in valde notabili quantitate, juxta aliquos, aut non sit voto vel juramento emendis immobilibus destinata, vel etiam nisi proveniat ex redemptione census. *Hoc notato, ad petitionem*

R. 1° Possunt prælati regulares, absque licentia superioris majoris et consensu conventus, alienare, sive dando, sive vendendo, sive permutando bona mobilia non pretiosa, seu etiam pretiosa quæ servando servari non possunt ad triennium, prudenter tamen et discrete, atque juxta constitutiones et consuetudinem sui ordinis vel monasterii.

Ratio est 1°, quia prælatura regularis est quoddam beneficium: beneficiarius autem etiam regularis de jure communi potest disponere inter vivos de fructibus sui beneficii non secus ac sæcularis, ut docent Navar. Less. Sa, Layman et alii; et colligitur aperte ex Clementina 2, § *Sed talis*, de Vita et honest. cleric. lib. 31, tit. 1.

2° Quia prælati regulares sunt administratores absoluti bonorum communitatis, consequenter ad eos pertinet illa dispensare juxta statuta et usus suæ religionis, ex consensu præsupposito aut saltem debito communitatis, penes quam est dominium.

R. 2° Prælatus regularis non potest alienare immobilia et mobilia pretiosa quæ servando servari possunt saltem ad triennium, sive donando, sive vendendo, sive permutando, nisi de licentia prælati superioris et consensu communitatis et in ejus utilitatem. Ita communiter auctores et praxis.

Si petas quis sit iste prælatus superior, cujus licentia requiritur?

R. quod, secundum Extrav. *Ambitiosæ* Pauli II, sit papa; secundum vero decretum S. congregat. concilii, datum 1624, sit ipsa S. congregatio. Verum Navarrus in Manuali, cap. 27, n. 149, dicit quod hæc bulla Pauli II juxta Sylvestrum in nullo sit recepta. Verba autem Sylvestri v. *Alienatio*, q. 15, sunt: *De quia* (bulla) *dic ut de lege moribus utentium non recepta, et quod consuetudo valet contra illam.* Idem forte dicendum de decreto congregationis. In nostro Prædicatorum ordine, prælatus superior est generalis, ex indulto Leonis X et Clementis VIII, ut habetur in nostris constitution. dist. 2, c. 1, § 3, litt. H. Quia tamen, juxta easdem constitutiones, dist. 2, cap. 3, § 10, prior provincialis eamdem habet potestatem in sua provincia quam et magister ordinis in toto ordine, inde infert Joannes de La Cruz, quod licentia provincialis sufficit, additque de facto ita servari

Advertunt etiam auctores quod, quando res alienanda est modici valoris, non requiritur licentia prælati superioris, nec consensus communitatis, ex cap. *Terrulas* 12, q. 2.

Quantum ad locationem bonorum religiosorum, dixi in tract. de Contractibus, dissert. 6, a. 1, § 1, juxta Clement. *De Rebus Ecclesiæ*, l. 3, tit. 4, non posse locari nisi ad modicum tempus, quod juris interpretes intelligunt minus decennio.

ARTICULUS V.

Ad quid teneatur religiosus vi voti castitatis?

Dico. Vi voti castitatis tenetur religiosus abstinere ab omni actu venereo, tam interno, ut est turpis cogitatio, delectatio morosa, etc. quam externo, ut est tactus, aspectus, coitus, pollutio, etc. Ita ut peccatum religiosi in materia venerea importet semper duplicem malitiam, unam contra virtutem castitatis, aliam sacrilegii contra religionem.

Et hæc malitia sacrilegii est mortalis quando libido est mortalis, venialis autem si libido sit venialis; quia circumstantia voti castitatis non mutat obligationem juris

naturalis servandi castitatem, sed solum addit circumstantiam sacrilegii, quæ sequitur naturam actus cui conjungitur.

Porro docuimus in tract. de Temper., diss. 5, a. 2, in re venerea directe in se volita non dari levitatem materiæ excusantem a mortali; bene tamen in re venerea volita tantum indirecte et in causa.

Id autem habet proprium votum solemne castitatis, quod irritet non solum sponsalia, ante et post ipsum contracta, et matrimonium subsequens, sed etiam succedens nondum consummatum, ut fusius diximus alibi.

Pro voto castitatis melius servando, inducta est clausura tam religiosorum quam monialium, de qua dicemus infra.

ARTICULUS VI.

Ad quid teneatur religiosus vi voti obedientiæ?

Dico. Voto obedientiæ religiosus tenetur obedire præcepto legitimi superioris, in iis quæ pertinent directe vel indirecte ad vitam regularem; hoc est, ad observantiam votorum, regulæ et constitutionum; in his enim consistit vita regularis.

Explicatur. Dicitur, 1° *obediendi præcepto superioris.* Pro quo observandum est, non omne præceptum superioris obligare ad culpam saltem mortalem, etiam in re gravi, sed tantum quando præcipiendo sic obligare intendit, non censetur autem, ex usu recepto in religionibus, intendere obligare nisi præcipiendo his aut similibus formulis utatur : *Sub formali præcepto; in virtute Spiritus sancti; in virtute sanctæ obedientiæ.* Si ergo hiis aut similibus terminis utatur, obligat ad mortale in materia gravi, ad veniale in materia levi, nisi transgressio fiat ex perfecto contemptu, prout explicabo art. seq. Si vero his aut similibus formulis non utatur, non censetur velle obligare sub mortali, etiam in re gravi, nisi aliunde constet de ejus intentione. An autem obliget sub veniali? Puto quod sic, si revera intendat sic obligare. At quandonam censetur id intendere? Censetur, meo saltem judicio, salvo meliori, si præcipiendo alicui particulari dicat : *Mando, præcipio tibi;* tum quia utendo his terminis non censet velle consulere aut suadere, sed aliquo modo præcipere et obligare; tum quia ipsa ratio disciplinæ regularis exigit ut inferior obtemperet, etiamsi extremum præceptum illi non imponatur. Si autem sit mandatum commune toti communitati, non censetur velle obligare sub culpa, sed sub pœna tantum et correctione regulari, quomodo ipsæ regulæ obligant.

Dicitur, 2° *obediendi præcepto superioris legitimi;* ut distinguatur a voto quod quis faceret obediendi alicui particulari, puta confessario qui non esset superior, nec haberet jurisdictionem sicut habet superior in religione, ex constitutionibus ecclesiasticis, et ex ipsa professione traditione et acceptatione. Unde, juxta probabilem plurium sententiam, inobedientia in religioso continet duplicem malitiam, scilicet, inobedientiæ superiori legitimo et sacrilegii ratione voti; votum autem obediendi addit novam obligationem illi quam quisque habet obediendi suo legitimo superiori, sicut si servus aut filiusfamilias voveret obedire domino aut patri, inobediendo duplex peccatum committeret, unum inobedientiæ, aliud sacrilegii.

Dicitur 3°, *in his quæ pertinent ad observantiam votorum, regulæ et constitutionum.* Tum quia religiosus per votum non intendit se obligare ad vivendum et obediendum, nisi secundum proprium institutum, *ut per se patet* et docet S. Thom. Quodlib. 10, a. 10 in 1, arg. s. c. Tum quia obedientia, ut dicit idem S. Doctor ibid. o, non se extendit ultra potestatem et jus prælationis, quæ secundum regulam limitatur; et ideo concludit ibidem, quod « Si aliqua » sunt quæ nullatenus (scilicet neque directe, neque indirecte, ut mox explicabo) ad » regulam reducantur, videtur esse verior » opinio, quod obedire in hujusmodi non sit » de necessitate obedientiæ, sed de perfec- » tione, ut dicit S. Bernardus, lib. 1 de » Præcepto et dispensatione. » Verba autem S. Bernardi sunt : « Prælati jussio vel pro- » hibitio non prætereat terminos professio- » nis; nec ultra extendi potest, nec contrahi » citra. Nihil me prælatus prohibeat horum » quæ promisi, nec plus exigat quam pro- » misi : vota mea nec augeat sine mea volun- » tate, nec minuat sine certa necessitate. »

Hinc sequitur 1° quod, cum non sit una omnium religionum regula, non sit una omnium religiosorum obedientia; sed alii plus, alii minus, secundum diversitatem regularum, teneantur obedire.

Sequitur 2° quod, si prælatus præcipiat

aliquid contra regulam, v. g. manducare carnes, inferior non teneatur obedire, nisi prælatus possit dispensare et adsit justa causa dispensandi; tunc enim inferior tenetur obedire. *A fortiori* non tenetur obedire si superior præcipiat rem illicitam: in dubio tamen an res sit illicita, debet deponere dubium et obedire, ut fusius probo in tract. de Act. hum. dissert. 5, post art. 2. Neque tenetur obedire si superior præcipiat supra regulam, ut ire ad infideles cum manifesto periculo mortis aut servitutis, diu jejunare aut abstinere a carnibus, et similia, quando non habentur in regula; nisi forte injungantur in justam punitionem criminis, vel propter aliquam necessitatem publicam, sicut Ecclesia quandoque præcipit fidelibus. Neque tandem tenetur obedire si superior præcipiat indifferentia et impertinentia ad regulam. Posse autem præcipere actus mere internos, dixi dum de Legibus.

In 2. dist. ult. a. 3. — Dicitur 4°, *in his quæ pertinent directe vel indirecte ad regulam.* Directe pertinent ad regulam quæ in ea expresse continentur, ut abstinere a carnibus, servare silentium, etc. Indirecte pertinent quæ, licet in ea expresse non contineantur, sunt tamen necessaria vel valde utilia ad ejus observationem, ut sunt mutua obsequia sine quibus status religionis servari non possest, pœnæ transgressionum, quædam statuta regularitati servandæ vel restaurandæ opportuna; quia qui promittit explicite obedire quoad ea quæ continentur expresse in regula, censetur promittere explicite obedire etiam quoad ea quæ regulæ observationi sunt necessaria aut valde utilia. Hac ratione Ecclesia in concilio Trid. et in variis summorum pontificum constitutionibus, præcepit clausuram monialibus, licet non contineretur expresse in earum regula, nec unquam in earum monasteriis fuisset observata, quia judicavit eam servandæ castitatis voto necessariam.

ARTICULUS VII.

An et quando peccet religiosus transgrediens regulam?

Nomine regulæ hic intelligimus etiam constitutiones regulæ superadditas.

Q. 186. a. 9. o. — *Dico.* Religiosus transgrediens regulam, non semper peccat mortaliter; sed peccat aliquando mortaliter, aliquando venialiter, aliquando non peccat, secundum scilicet quod quæ continentur in regula, vel sunt præcepta obligantia sub mortali, vel obligantia sub veniali, vel consilia seu monita non obligantia sub aliqua culpa.

Ibid. — *Prob.* Qui profitetur religionem, non vovet servare omnia et singula quæ in regula continentur, sed vovet regularem vitam juxta præscriptum regulæ: atqui regula non præscribit omnia sub peccato mortali, sed quædam tantum sub mortali, ut ea præsertim quæ spectant tria vota, in quibus primario et essentialiter consistit vita regularis; quædam sub veniali, ut sunt exteriores observantiæ quæ conducunt ad observantiam votorum; quædam ut consilia et monita tantum. Ergo. *Prob. maj.* Triplici modo fit professio religiosa: quidam profitentur seu vovent servare regulam; quidam cautius profitentur vivere secundum regulam; qnidam adhuc cautius profitentur obedire secundum regulam, ut in meo Prædicatorum ordine. De his qui secundo et tertio modo profitentur, *patet* quod non voveant servare omnia et singula quæ in regula continentur, sed vitam regularem eo modo quo præscribit regula. De his autem qui vovent simpliciter servare regulam, ut sunt fratres Minores, pariter definitum est in jure, c. *Exiit*, § Imprimis, de Verb. significe in 6, et Clementina 1, § *Cum igitur* eod. tit. quod non omnis illius transgressio sit culpa mortalis; sed vel mortalis, vel venialis, vel etiam nulla, secundam quod contenta in regula vel sunt præcepta rigorose obligantia sub mortali, vel communia statuta obligantia sub veniali, vel tantum consilia aut monita sub nulla culpa obligantia. Ergo.

Ibid. in a. s. c. — Insuper, cum multa et minima contineantur in regulis religionum, si religiosi tenerentur sub mortali ad omnia et singula quæ in his continentur, religio foret jugum intolerabile, et status religionis, qui debet esse securior quam status sæcularis, foret isto periculosior et periculosissimus.

Dico 2° In ordino FF. Prædicatorum, regula et constitutiones, exceptis votis et præceptis, non obligant ad culpam etiam venialem; ita ut earum transgressio, exceptis duobus prædictis, non sit culpa nequidem venialis ex genere suo, seu ex parte

tamen esse culpa ex parte

Conclusio constat ex prologo constitutionum præfati ordinis § 4 his verbis : « Ut » igitur unitati et paci totius ordinis pro» videamus, volumus et declaramus ut re» gula nostra et constitutiones nostræ non » obligent nos ad culpam, nisi propter » præceptum vel contemptum.... Præcep» tum autem in regula nullum (nisi quando » de natura sua et ratione trium votorum, » vel divinæ aut ecclesiasticæ legis) conti» neri volumus et declaramus : et idem in » constitutionibus, nisi ubi ponitur senten» tia excommunicationis, aut formaliter » exprimitur per verbum *Præcipimus in* » *virtute sanctæ obedientiæ*. Et hoc idem in » ordinationibus et prælatorum verbis et » litteris intelligi volumus. »

Idem dic de quacumque alia religione habente simile statutum, ut est Societas Jesu, teste Sanchez et Palaus, ordo Minimorum, teste Passarel, et forte alii quidam ordines.

Neque obstat quod in regula S. Augustini, quam profitetur ordo Prædicatorum, dicatur : *Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus*. Quia verbum *præcipimus* non sumitur hic stricte pro præcepto rigoroso, sed late pro monitione, ordinatione, statuto, etc. Idque indicant multitudo et parvitas rerum quæ in ea regula continentur. Quod si contendas hoc verbum rigorose accipi : *R.* hanc regulam sub isto rigore non esse in ordine Prædicatorum receptam, sed ea tantum conditione ut non obligaret ad culpam, nisi in casibus in constitutione expressis, *ut patet* ex prologo citato.

Neque etiam obstat quod in constitutionibus ejusdem ordinis habeantur specialia capitula, de levi, gravi, graviori, gravissima culpa; et in capitulis de levi et gravi culpa, multa levia contineantur, quæ non essent culpæ nisi essent prohibita per constitutiones : non obstat, inquam, quia ut advertit Cajetanus hic, hæc constitutio in prologo, quæ eximit transgressores a culpa, edita fuit in secundo capitulo generalissimo, anno 1251, post jam editas constitutiones, et ideo remanserunt ista capitula sub nominibus levis aut gravis culpæ. Insuper in eodem prologo § 6 legitur : « Statuimus » etiam quod tam in constitutionibus quam » extra, quidquid non secundum se mor» tale mandatur sub quacumque pœna, nisi » excommunicationis, ad solam pœnam » obliget, non obstante quod in capitulo » de graviori culpa dicitur, *ut qui membrum* » *diaboli culpam perpetrando non erubuit* » *fieri*. » Ex quo evidenter *patet* quod in illis capitulis nomen *culpæ* sumatur large pro quacumque transgressione.

Dixi 1° *hujusmodi regulam et constitutiones obligare ad pœnam* : intellige obligationem ad pœnam sub culpa; quia hoc ipso quo decernunt se non obligare ad culpam, sed ad pœnam, excipiunt transgressionem pœnæ subeundæ ab ipso generali statuto non obligandi ad culpam.

Utrum vero religiosus teneatur sub culpa pœnam a lege taxatam sponte et ex se subire absque mandato, seu saltem declaratione prælati? Affirmat Passerinus. At quo fundamento non video : sufficienter enim habetur obligatio sub culpa subeundi pœnam, quando aderit mandatum, seu saltem declaratio superioris eam esse subeundam.

Insuper sententia Passerini videretur aperte pugnare contra jus et usum.

Contra jus : quia in eodem prologo, eodem § 4, sic habetur : « Pœnis tamen ab» solutionis ab officio, privationis vocis ac» tivæ, vel passivæ, gravioris culpæ et aliis » majoribus (quantumcumque, tam in » constitutionibus quam extra, ipso facto » sint incurrendæ), nisi sit pœna excom» municationis latæ sententiæ, nullus sit » subjectus, nisi superveniat declaratio præ» lati in particulari respectu hujus, quan» tumcumque etiam notorium facti vel » juris, aut utriusque interveniat. »

Contra usum : quia inauditum puto, in ordine S. Dominici, quod religiosus qui v. g. septies silentium fregerit inter duo capitula, sponte et ex se, absque mandato aut saltem declaratione prælati, in uno prandio sedeat in terra, ut statuitur in dictis constitutionibus, dist. 1, c. 12, § 2; et plura alia similia.

Q. 186. a. 9. ad 1. — Dixi 2°, *transgressionem regulæ et constitutionum hujusmodi non esse culpam ex parte operis, posse tamen esse culpam ex parte operantis* : et hoc triplici modo, inquit S. Th. scilicet ex negligentia, libidine et contemptu. *Explicatur.*

Ex negligentia, cum quis absque ratio-

nabili causa seu fine honesto, movetur ad non implendum statutum; censetur enim negligi statutum seu lex, quando sine rationabili causa non servatur; agere autem etiam in indifferentibus absque rationabili causa, est peccatum veniale.

Quod si ex honesto fine et rationabili causa regulam transgreditur, non solum non peccat, sed facit actum virtutis; virtus enim est agere ex motivo honesto indifferentia, qualis est in casu transgressio legis quoad substantiam, vi decreti non obligantis ad culpam.

Sed statim insurgit difficultas, quomodo obligatur ad pœnam ille qui non solum non peccat, sed facit actum virtutis; pœna enim debetur nisi culpæ.

R. pœnam hic non sumi specialiter pro vindicta peccati, sed communiter pro pœnalitate, ad quam quis sponte ex pacto se obligavit : quod potest contingere etiamsi actus aut omissio ex qua contrahitur hæc obligatio sit virtuosa : sic v. g. in contractu in quo maneat libertas a culpa aliquid agendi vel non agendi, cum pacto tamen ut qui omittit solvat tantum; si omissio fiat ex motivo honesto, erit virtuosa, et tamen omittens tenebitur solvere summam conventam. Similiter inter religionem et religiosum initur contractus servandi regulam, sic tamen ut qui non servat sit liber a culpa, sed teneatur subire talem pœnam : unde qui omittit servare regulam ex fine honesto, v. g. qui frangit silentium ut consoletur amicum afflictum, virtuose agit, et tamen tenetur subire pœnam conventam, nisi forte sit talis causa, ut merito præsumatur in ea superior dispensare in lege, aut per epiikiam intelligatur in hoc casu regulam non obligare.

Ex libidine. Libido seu cupiditas est inordinata voluntas qua aliquid concupiscitur plusquam dicta recta ratio, est ex genere suo peccatum veniale : unde religiosus qui, v. g. ex sensualitate seu nimia cupiditate cibi, violaret jejunium regulare, aut ex nimia curiositate seu loquacitate frangeret silentium, peccaret venialiter.

Ibid. ad 3. — *Ex contemptu.* Tunc aliquis trangreditur regulam ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, et ex hoc procedit ad faciendum contra illam; si enim propter aliquam causam particularem, puta, concupiscentiam vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statutum legis, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili legem transgrediatur; frequentia tamen peccati dispositive ad contemptum inducit.

Duplex autem debet distingui contemptus, perfectus et imperfectus. Perfectus est, quando quis renuit in toto subjici superiori vel legi, et transgressio ex tali contemptu procedens, etiam in re levi, est semper peccatum mortale; quia licet res sit levis, intentio tamen qua directe tendit contra totam superioritatem, importat gravem injuriam. Imperfectus contemptus est, quando quis renuit subjici superiori vel legi, in aliqua re tantum, sive gravi, sive levi, paratus ipsi obedire in aliis : transgressio ex tali contemptu, si sit in re gravi, est mortalis, si in re levi, est venialis.

Petes 1° utrum in ordine Prædicatorum præceptum non impositum sub hac forma : *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ*, sed sub alia æquivalenti, puta, *in virtute Spiritus Sancti, sub formali præcepto*, vel simili, obliget sub mortali ?

R. Ledesma et Sanchez tenere partem affirmativam; quia cum prælatus habeat jus obligandi, et præceptum nihil sit aliud quam ejus absoluta voluntas sufficienter significata subdito, nihil interest quod prælatus utatur hac vel illa forma, si sufficienter suam voluntatem absolutam manifestet.

Verum Passerinus mordaciter tenet partem negativam ex illo textu prologi constitutionum ejusdem ordinis § 4 : « Præcep» tum autem in regula nullum... contineri » volumus et declaramus; et idem in con» stitutionibus, nisi ubi ponitur sententia » excommunicationis, aut formaliter expri» mitur per verbum *præcipimus in virtute* » *sanctæ obedientiæ*. Et hoc idem in ordi» nationibus et prælatorum verbis et litte» ris intelligi volumus. » Ex quo sic arguit. 1° Lex ista non est affirmativa, sed negativa, concepta per hanc vocem, *nullum*, quæ universalissimam negationem importat et significat quod sub quacumque alia forma verborum concepta ordinatio prælati, vel statutum, non sit rigorosum præceptum, nec habeat vim obligandi. 2° Illa constitutio vult quod in ordine Prædicatorum nulla forma verborum æquivaleat huic,

scilicet : *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ;* voluit enim constitutio tollere omnem ambiguitatem, difficultatem et scrupulum, et quod omnino manifestum sit quando prælati præcipiunt, et ideo non vult prælatis licere uti alia forma etiam æquivalenti.

Unde ad rationem sententiæ oppositæ, negat suppositum ; quoniam in hoc ordine, voluntas prælati, ut obligans sub mortali, non potest sufficienter innotescere per alia verba, cum lex omnia alia verba reddat insufficientia ad id præstandum.

Hæ rationes habent suam probabilitatem, et licet forte non plene convincant, juvant saltem ut prælati ad cautelam non omittant in suis præceptis hæc verba : *In virtute sanctæ obedientiæ.*

Petes 2° utrum religiosus eodem genere peccati gravius peccet quam sæcularis ?

Ibid. a. 10. o.—*R.* peccatum religiosi esse gravius diversimode : 1° si sit contra votum et simul contra legem Dei vel Ecclesiæ, puta, si fornicetur aut furetur ; tunc enim præter malitiam luxuriæ aut injustitiæ, includit malitiam sacrilegii ; 2° ratione majoris ingratitudinis, propter majora beneficia a Deo accepta ; 3° ratione scandali, si peccatum ejus sit publicum ; quia ad vitam religiosi, ut ad exemplar virtutum respiciunt sæculares.

Ibid. —Aliunde tamen peccatum religiosi est levius ; quia si sit veniale, quasi absorbetur multitudine bonorum operum quæ facit ; si vero sit mortale, facilius et citius ab eo resurgit : tum propter consuetudinem rectæ intentionis, quæ licet sit ad horam interrupta, facilius per Dei gratiam reparatur ex restantibus reliquiis pristinæ pietatis ; tum quia ad resurgendum juvatur a fratribus per salubres exhortationes et ferventes preces.

DISSERTATIO II.

DE CLAUSURA TAM RELIGIOSORUM QUAM MONIALIUM.

Cum clausura, ut jam observavimus, sit inducta pro melius servandis votis, præsertim voto continentiæ, præcedenti dissertationi ubi egimus de votis, dissertationem de clausura subjicio.

Spectari autem potest clausura vel quoad egressum religiosorum et monialium monasterio, vel quoad ingressum mulierum in monasterium virorum, et ingressum virorum et mulierum in monasterium monialium. Unde sit

ARTICULUS I.

De clausura religiosorum quoad egressum.

Nota 1° Clausura dicitur a claustro ; clausura autem et monasterium pro eodem summuntur apud canonistas ; et est locus in quo clauduntur religiosi et moniales, ad quietius Deo vacandum. Sumitur etiam pro obligatione non egrediendi e monasterio et non ingrediendi monasterium sine licentia.

Nota 2°, non esse eamdem rationem clausuræ respectu egressus religiosorum e monasterio, et respectu ingressus mulierum in monasterium. Etenim respectu mulierum ingredientium, ecclesia, chorus, sacristia, atrium seu locutorium, non sunt intra clausuram ; respectu vero religiosorum egredientium, ista loca sunt intra clausuram ; sicut enim mulier ingrediens ecclesiam, chorum, sacristiam, locutorium, non dicitur ingredi clausuram, ita religiosus vadens ad ista loca non dicitur egredi e clausura.

Nota 3°, etiam esse aliam rationem clausuræ religiosorum et clausuræ monialium. In clausura religiosorum idem locus potest esse extra clausuram respectu ingredientium, et intra clausuram respectu egredientium, *ut patet ex præcedenti notamine ;* ita ut mulieres et religiosi possint esse simul in eodem loco absque violatione clausuræ. At vero in clausura monialium idem locus non potest esse extra clausuram respectu sæcularium ingredientium, et intra clausuram respectu monialium egredientium, sed quicumque locus ad quem accedere possunt sæculares ; ut ecclesia exterior, locutorium exterius, fit extra clausuram respectu monialium egredientium ; et quicumque locus ad quem accedere possunt moniales, est intra clausuram respectu sæcularium ingredientium. Ita ut moniales et sæculares non possint accedere ad eumdem locum absque violatione clausuræ.

Ita eruitur ex bulla *Deo sacris* Greg. XIII, data 1572, § 6 *Cæterum*, ubi sic statuitur : « Declaramus præterea, nullis monialibus » etiam Tertiariis, licere habere ostium per » quod ex monasterio introiri possit in ip- » sarum monialium ecclesiam exteriorem, » in quam sæcularibus ad missas et divina

» officia patere solet aditus, sed omnino » muro obstruendum ; neque itidem licere » monialibus etiam Tertiariis egredi janua » monasterii, quæ est pro clausura ipsius » monasterii, etiam ad claudendum aliam » ulteriorem januam per quam patere solet » aditus sæcularibus venientibus, vel ad ro- » tam, vel ad crates, seu loca colloquiis » destinata, quæ vulgo *parlatoria* vocantur, » vel ad pulsandam ipsam januam clausu- » ræ : quæ loca, cum saltem pro causis » prædictis patere solent sæcularibus, extra » clausuram censeri debent, etiam tempore » quo clausa sunt. » *Ex quo inferunt* generaliter auctores, ea omnia loca ad quæ sæcularibus patet liber aditus, esse extra clausuram respectu monialium egredientium, et vicissim ea omnia loca ad quæ monialibus patet liber aditus, esse intra clausuram respectu sæcularium ingredientium : ita ut sine violatione clausuræ, nec sæculares accedore possint ad ea loca ad quæ accedere possunt moniales, nec moniales ad ea loca ad quæ accedunt sæculares.

Dico 1° Exitus e monasterio sine licentia superioris, non videtur prohibitus religiosis jure communi. Quamvis enim causa 19, q. 1, multis canonibus prohibeatur ex itus monachis, non tamen prohibetur ut exitus simpliciter, sed ut talis exitus, nempe ad malum finem, seu ad exercenda munia ecclesiastica, tunc monachis interdicta. Concilium Tridentinum sess. 25, a. 4 *de Regularibus*, prohibet quidem religiosis *a suis conventibus recedere* sine licentia ; sed recessus importat non simplicem exitum, sed exitum ad multam distantiam et multum tempus. Quantum ad constitutionem Clementis VIII de Reformatione regularium, confirmatum ad Urbano VIII, qua exitus simplex prohibetur, videtur in multis casibus non esse usu receptam.

Dico 2° Egressus e monasterio sine licentia, est prohibitus religiosis ex usu et consuetudine. *Patet* ex praxi omnium religionum, in quibus hujusmodi egressus semper habitus fuit ut res gravis et gravi pœna mulctatus.

Dico 3° Supposita institutione et professione vitæ cœnobiticæ, ejusmodi egressus sine licentia, non solum usu et consuetudine, sed etiam jure naturali videtur prohibitus. Quia religio cœnobitica est cœtus virorum in eodem loco sub obedientia superioris viventium : atqui juxta S. Th. hic q. 186, art. 5, ad 4, votum obedientiæ se extendit ad dispositionem totius vitæ humanæ, ita ut religiosus teneatur obedire pro quocumque loco et tempore : ergo vi status cœnobitici et voti obedientiæ, religiosus non potest exire e cœnobio nisi sciente et consentiente superiore, alioquin exit ab obedientia quam vovit, cum se ponat in statu in quo superior non potest pro eo tempore illi præcipere.

Hinc inferes, egressum ejusmodi sine licentia, etiam abstrahendo a pravis circumstantiis, puta contemptu, malo fine, scandalo, gravi damno, et simul præscindendo a specialibus statutis religionum, in quibus magis vel minus stricte clausura præcipitur, esse secundum se peccatum mortale ex genere, utpote contra votum obedientiæ et ustitiam prælato debitam. Hoc ipso enim quo religiosus vi voti obedientiæ se obligat ad obediendum prælato pro omni loco et tempore, simul se obligat ad non recedendum a statu et loco obediendi, quod facit si e monasterio, quod est locus obedientiæ, recedat prælato nesciente et non consentiente.

Fit autem veniale ex levitate materiæ, ut si egressus, seclusis malis circumstantiis, fiat de die, ad breve tempus. Censent Donatus et Passerinus duos vel tres dies esse breve tempus : si sit ad diuturnius, reputabitur egressus fugitivus. Dicitur autem religiosus fugitivus, qui ad notabile tempus exit sine licentia e monasterio, cum animo redeundi. Apostata dicitur, qui exit sine animo redeundi, etiamsi retento habitu.

Nullum autem erit peccatum exire e monasterio sine licentia, imo ea denegata, si sit gravis et manifesta necessitas exeundi, quæ moram non patitur, ut ad absolvendum moribundum ; tunc enim superiore locali irrationabiliter recusante, adest præsumpta licentia juris et majorum superiorum.

Petes utrum egressio furtiva et nocturna sit semper peccatum mortale ?

R. partem affirmativam a multis teneri, quia ex Clemente VIII est casus reservabilis ; non reservantur autem nisi peccata mortalia.

Id tamen videtur dubium Passerino si agatur de egressione præcise furtiva et nocturna, secluso pravo fine, scandalo, infamia religionis et omni alia prava circumstantia ;

quia existere per unam noctem extra monasterium inscio superiore, non videtur materia gravis. Ideo autem est reservabilis, quia regulariter ex aliqua mala circumstantia est peccatum grave, et præsumptive est tale.

Porro egressio dicitur *furtiva*, quæ fit sine licentia superioris, etiamsi ab aliis sciatur. Dicitur *nocturna*, quæ fit integra nocte, et non in crepusculis; quia de ratione noctis est totalis absentia lucis. Addit Passerinus, quod etsi fiat de nocte, sed ante totalem et ultimam clausuram portarum (ut dum in hieme non clauduntur statim ab initio noctis), et fit reditus antequam portæ ultimo et totaliter claudantur, non debeat censeri nocturna egressio quoad reservationem; quia hoc tempus est velut complementum diei concessum exitui ad negotia; et ideo talis brevis egressio debet reputari inter diurnas in materia odiosa qualis est reservatio casuum.

ARTICULUS II.

De clausura religiosorum quoad ingressum.

Dico. Prohibitum est mulieribus quibuscumque usum rationis adeptis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ, ne accedant aut præsumant ingredi monasteria religiosorum, nisi in certis casibus; ipsis vero religiosis, ne illas introducere admittereve præsumant, sub pœna privationis officiorum quæ in præsentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrenda.

In probationem hujus conclusionis proferuntur bulla S. Pii V *Regularium personarum*, data Romæ 23 octobris 1566, et bulla Gregorii XIII *Ubi gratiæ*, data Romæ idibus junii 1575. Sed veritas est, quod istæ bullæ, illorum verbis præcise sistendo, non loquantur de quibusvis mulieribus, sed de iis solum quæ sub prætextu quorumdam privilegiorum ingredi præsumunt: unde illis præcise standō, non probatur integre conclusio.

Verum Pius V, in altera bulla, *Decet Romanum pontificem*, data Romæ 16 julii 1570, apud Confettium pag. mihi 147 edit. Colon. declarat mentem suam in priori bulla, fuisse comprehendere non solum mulieres habentes seu prætendentes habere privilegia ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque alias tam in genere quam in specie. Nihil autem tale habemus ex Gregorio XIII, licet quidam dicant sic etiam explicuisse suam mentem; sed id neque certum est neque authenticum. Unde solum utrique bullæ Pianæ insistemus, omissa quoad generalitatem mulierum bulla Gregoriana, maxime cum contineat aliquid quod non continetur in bullis Pianis: subjicit enim excommunicationi papæ reservatæ non solum mulieres ingredientes, sed etiam prælatos ingredi facientes aut permittentes, quod non habent bullæ Pianæ.

Porro tota nostra conclusio in hac utraque bulla Piana continetur: unde indiget tantum explicatione. Itaque

Dicitur 1° *mulieribus quibuscumque*, id est, *cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis, et quacumque dignitate ac præeminentia præditis, etiam comitissis, marchionissis, ducissis:* sunt verba bullæ. Non nominantur imperatrices et reginæ, nec earum filiæ: unde, et propter maximam earum dignitatem, auctores communiter eas excipiunt cum suis sequacibus. Idem eisdem rationibus quidam censent de principissis. Quantum ad fundatrices, quidam eas etiam excipiunt; tum eadem ratione, quia non nominantur; tum quia domum suam ingrediuntur. Alii autem non excipiunt.

Dicitur 2° *usum rationis adeptis;* quia puellæ ante usum rationis, cum ad peccatum incitare non valeant, quod intendit vitare summus pontifex et ideo respectu illorum cesset finis legis, possunt intrare. Non tamen adultæ, fatuæ; quia licet non sint præcepti capaces, et ideo non peccent intrando, peccant tamen et pœnis subjiciuntur qui introducunt; quia movere possunt ad peccatum.

Dicitur 3° *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ*, a qua tamen absolvere possunt extra Italiam confessarii Mendicantium, vi suorum privilegiorum.

Dicitur 4° *ne audeant vel præsumant*, id est ex malitia et certa scientia: id enim important audacia et præsumptio. Mulier ergo quæ ignoraret, et si vincibiliter, hanc prohibitionem, vel bona fide aut ex simplicitate crederet id non esse malum, nec censuris obnoxium, etsi forte posset peccare venialiter, non tamen incurreret excommu-

nicationem, cum non feratur nisi in contumaces, præsertim ista; quia dicitur in Bulla: *Postquam harum litterarum notitiam habuerunt.* Unde raro mulieres ingredientes monasteria religiosorum, incurrunt excommunicationem.

Dicitur 5° *ingredi monasteria religiosorum.* Nomine monasterii intellige tantum claustrum, dormitorium, seu domum et officinas interiores: sic declararunt summi pontifices, Innocentius V, Nicolaus III et Gregorius IX, in expositione regulæ Minorum, vetantis dictum ingressum. Et in constitutionibus nostris, dist. 2, cap. 1, § 3, simpliciter dicitur: *Mulieres claustrum, vel oratorium, vel alias officinas nostras nunquam ingrediantur.* Unde ecclesia, chorus, locutorium, sacristia, chors (*basse-cour*), officinæ exteriores adjectæ monasterio, non sunt intra clausuram respectu mulierum ingredientium, si ad hæc loca pateat aditus non transeundo per monasterium.

Difficultas est de horto contiguo qui continetur intra ambitum muri continui, et deservit deambulationi religiosorum.

R. ex laudatis pontificibus probabiliter non esse intra clausuram respectu mulierum ingredientium, si ad illum ingrediantur non transeundo per monasterium; quia neque est claustrum, neque dormitorium, neque domus, neque officina interior.

At dices. Gregorius XIII, in sua bulla de qua supra, prohibet intrare *monasteria et loca:* hortus autem est locus monasterii. Ergo.

R. Præterquam quod hæc bulla, ut jam dixi, non spectet nisi mulieres quæ sub prætextu alicujus indulti præsumunt intrare per monasteria et loca, nihil aliud importatur quam quæ diximus ex prælaudatis pontificibus, scilicet claustrum, dormitorium seu domus et officinæ interiores; alioquin si etiam intelligat, hortum, quia est locus monasterii, eadem ratione debes intelligere ecclesiam, chorum, sacristiam, locutorium, etc.; sunt enim etiam loca monasterii, sicque ea contineri intra clausuram, quod est falsum.

Inferes. Ergo etiam hortus monialium monasterio contiguus et earum ambulationi et recreationi deserviens, erit extra clausuram respectu sæcularium ingredientium, præsertim cum Nicolaus III, cap. *Exiit*, de Verborum significationibus, in 6, § *Denique*, cui innititur resolutio nostra, loquatur de monialibus, cum dixit: *Et nomine monasterii, volumus claustrum, domos et officinas interiores intelligi.* Atqui *falsum consequens;* certum est enim hortum monialium monasterio contiguum, earum deambulationi servientem, esse intra clausuram respectu sæcularium ingredientium. Ergo.

R. Esto forte posset admitti illatio, sistendo bullæ Nicolai III; secus tamen attento jure posteriori Gregorii XIII, qui bulla *De sacris*, de qua notamine tertio, art. 1 hujus dissert. declarat omnia loca ad quæ sæcularibus patet liber aditus, esse extra clausuram respectu monialium egredientium, et vicissim omnia loca ad quæ monialibus liber patet accessus, consequenter hortum deservientem earum recreationi, esse intra clausuram respectu sæcularium ingredientium. Vide bullam loco citato.

Oppones tandem usum communem, juxta quem hortus contiguus reputatur intra clausuram, ab eoque ideo arcentur fœminæ.

R. 1° falso supponi universaliter hunc usum communem: nam Joannes de La Cruz, Hispanus, dicit usum esse contrarium. Et Passerinus refert Romæ in conventu S. Xisti hortum contiguum, valde amplum, intra ambitum ejusdem muri contentum, per simplicem sepem seu fossam in duas partes dividi, et unam partem locari sæcularibus, ad quam tamen etiam accedere possunt religiosi.

2° *Esto* in aliquibus locis iste usus sit communis: vel oritur ex opinione plurimorum, quod hortus contiguus vi legis contineatur sub clausura respectu mulierum ingredientium, quod cum, secundum nos, fundetur in falsa præsumptione legis non obligat; vel oritur ex eo quod sit magis decens et magis conveniens ad removendum periculum et occasionem peccandi, quamvis non censeatur intra clausuram, quem usum maxime probo et sedulo servandum consulo. Cæterum in propositam sententiam eo facilius adducor, quod cum leges clausuræ sint pœnales et in materia odiosa, sint potius restringendæ quam extendendæ. Hæc tamen, salvo meliori judicio.

Item nomine *monasterii*, non intelliguntur, nec ideo legibus clausuræ adstringuntur hospitia, prioratus, vicariatus et similia loca,

in quibus divinum officium non celebratur communiter.

Denique *notandum*, usu receptum esse, quod clausura tam religiosorum quam monialium non sit observanda quoad ingressum, quando per destructionem muri aut parietis, vel per aliquid aliud est fracta. Exoticum plane nobis videtur quod Pontas v. *monastère*, casu 6, dicit hunc usum seu consuetudinem esse abusum; quia, inquit, est contraria constitutionibus canonicis; quasi vero consuetudo non possit præscribere, et quotidie non præscribat contra constitutiones canonicas. Id negare, est negare principium ab utroque jure canonico et civili, a S. Thoma et ab omnibus theologis unanimiter assertum atque quotidianæ experientiæ aperte contradicere. Numquid enim in omnibus regnis, maxime in christianissimo Galliæ regno, vigent usus et consuetudines contrariæ variis constitutionibus canonicis tum pontificum cum conciliorum?

Dicitur 6°, *nisi in certis casibus*. Possunt enim mulieres licite et libere ingredi claustra et loca regularia religiosorum, quando in eis missa et alia divina officia celebrantur, dum processiones fiunt (consequenter dum defertur processionaliter viaticum ad infirmum); quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt; quando in eis verbum divinum annuntiatur; item quando est tantus concursus populi, ut ecclesiæ porta non sufficiat ad commodum ingressum et egressum; tunc enim licet mulieribus ingredi vel egredi per portam claustri, recto tamen tramite. Hi omnes casus continentur in laudata bulla S. Pii V, *Decet Romanum pontificem*.

Verum circa hæc dubitatur 1° utrum superior possit instituere processionem eo fine ut mulieres ingrediantur; 2° utrum mulieres possint intrare ante tempus celebrationis officii, et ipso peracto ibi manere; 3° utrum possint progredi ad alia loca.

R. ad primum, superiorem id non posse; quia abuteretur sua potestate. Ita communiter. Videtur quod neque ipse neque mulieres intrantes incurrerent pœnas, quia non agunt contra legem; imo quod neque mulieres peccent, quia non ad ipsas pertinet judicare de justitia processionis, et utuntur jure suo.

Ad secundum. Cum mulieres non possint esse in dictis locis, nisi quando divina officia celebrantur, peccant si notabiliter tempus præveniant, aut eo peracto notabiliter remaneant: secus si neque anticipatio neque mora sit notabilis; quia res morales non consistunt in indivisibili, sed admittunt latitudinem moralem ad arbitrium prudentum.

Ad tertium. Pariter peccant progrediendo ad alia loca; quia ipsis tantum conceditur ingredi loca ubi celebrantur divina officia.

Quantum vero ad excommunicationem, existimo quod in hoc ultimo casu, neque in præcedenti, saltem diuturnioris moræ, non incurrant; quia videtur lata tantum in ingredientes indebite, non autem in ingressas debite, diutius commorantes, aut ultra progredientes. Ita Bonacin. q. 5 de clausura, puncto 4, n. 16.

Id quidem negant quoad ultimum casum Diana et Donatus; quia, inquiunt, S. Pius V non solum prohibet ingredi januam, clausuram, sed etiam officinas interiores. At falluntur. S. Pius V, in prima bulla, *Regularium personarum*, prohibet mulieribus sub excommunicationis simpliciter, *ne dictas domos et monasteria* ingredi audeant; quæ autem, semel ingressa, ad ulteriora loca progreditur, non dicitur ingredi domum vel monasterium, sed ipsum perlustrare. In altera vero bulla, *Docet Romanum pontificem*, nihil habet de excommunicatione.

Insuper possunt mulieres ingredi in casu veræ necessitatis, ut si deficientibus medicis mulier perita posset succurrere reltgioso infirmanti; aut si quæsita ad necem, non posset aliter evadere quam intrando monasterium: præceptum enim ecclesiasticum in his et similibus casibus non obligat.

Dicitur 7° *Ipsis vero religiosis prohibitum est ne illas introducere admittereve præsumant*. Censentur autem introducere admittereve, qui cooperantur ad ingressum, portam aperiendo, claves præbendo, jubendo, consulendo, impellendo, imo et non impediendo si sit prælatus, aut janitor qui custodiam portæ habeat.

Quidam censent quod ingressas detinere saltem diutius confabulationibus aut deambulationibus, sit illas admittere; latius enim, inquiunt, patet admittere quam introducere. Equidem fateor quod sic diutius detinendo, ingressas admittant et peccent; non tamen admittunt ingredientes sicut cense-

retur admittere qui urbane reciperet eas ad porlam: et ideo existimamus quod non incurrant pœnas, quæ videntur tantum latæ in eos qui vel introducunt, vel ingredientes admittunt. Ita Sanchez, Portel, Merolla, Tamburnibus, Pellizz. apud Donatum, .om. 3, tract. 5, q. 9.

Dicitur 8°, *sub pœna privationis officiorum quæ in præsentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto sine alia declaratione, incurrande.*

Nomine officii, communius intelligitur officium habens superioritatem et jurisdictionem, ut provincialatus et prioratus, non autem simplex officium sine superioritate, ut sunt officia procuratoris, lectoris, prædicatoris; supprioris præsente prælato; quia sic declaravit Sixtus V, in constitutione circa illegitime notos. Et quamvis ibi dicat: *Declaramus, hac in re de qua agitur, appellatione dignitatum*, etc., quasi significaret se loqui tantum de isto casu et de ista constitutione a se edita, et non de aliis a se vel ab aliis editis aut edendis: auctores tamen communius extendunt ad alios casus et ad alias constituti.

Suspensio a divinis officiis, est suspensio ab exercitio ordinum. Unde qui in illa suspensione exerceret ex officio actum ordinis quem habet, etiamsi minoris, ut cantare epistolam, evangelium, collectas in choro, ut hebdomadarius, celebrare missam, administrare sacramenta, cereos deferre ut acolythus, etc., peccaret mortaliter et incurreret irregularitatem. Dixi, *qui exerceret ex officio;* quia sine peccato et irregularitate exercere potest ut laicus, si a laico exerceri possunt, ut cereos deferre, cantare epistolam sine vestibus sacris.

Joannes de la Cruz et Donatus volunt quod suspensi a divinis etiam suspendantur ab officiis quæ non sunt annexa ordinibus, sive intra sive extra ecclesiam fiant, exceptis horis canonicis quas privatim recitare tenentur: unde, juxta illos, qui suspensus a divinis psalleret in choro, cantaret responsoria, litanias, baptizaret sine solemnitate more laicorum, audiret missam, sacramenta reciperet, acceptaret electionem, etc., peccaret mortaliter, non tamen incurreret irregularitatem, quia hæc non sunt actus ordinis. At contra sunt Bonacin. disp. 3, puncto 2, n. 15: et bene. Id enim nullibi in jure reperitur et videtur alienum a definitione suspensionis in genere; definitur enim suspensio: *Censura ecclesiastica privans clericum usu potestatis seu juris ecclesiastici:* in his autem actibus nulla potestas aut jus ecclesiasticum exercetur. Et unde, quæso, habent quod suspensus magis teneatur recitare Horas canonicas, quam audire sacrum in die festo?

Petes 1° utrum istæ pœnæ incurrantur ante sententiam judicis?

R. excommunicationem et suspensionem, quia sunt censuræ, incurri ante sententiam judicis; aliæ autem pœnæ non incurruntur ante sententiam judicis, non solum quia inhumanum foret hominem teneri se sponte prodere, se infamare et se bonis et habitis privare; sed etiam quia est communis praxis et communis auctorum sententia, nec aliter hæ et similes leges sunt usu receptæ. Neque obstat quod ponatur, *absque alia declaratione;* id etiam spectat pœnam, non culpam aut factum, ita ut sensus sit, absque alia declaratione pœnæ, non tamen absque alia declaratione facti, cui est annexa pœna.

Petes 2° quis possit absolvere ab istis censuris?

R. confessarios Mendicantium extra Italiam, vi privilegiorum, posse absolvere ab excommunicatione etsi reservata et a suspensione. Alias autem pœnas, scilicet privationis officiorum et inhabilitatis ad illa et alia, utpote non reservata, tollere possunt prælati Mendicantium; quia cap. *At si clerici*, de Judiciis, dicitur quod in adulterio et minoribus delictis, qualis est ingressus prohibitus in monasteria, potest episcopus dispensare cum clericis, peracta pœnitentia, in pœnis talium delictorum, quando istæ pœnæ non reservantur: prælati autem Mendicantium habent respectu suorum subditorum jurisdictionem quasi episcopalem, sive sunt eis æquipollenter episcopi

Petes 3° ad quem pertineat designare terminos clausuræ?

Responditur communiter, pertinere ad prælatos religiosorum, quia sunt illorum judices ordinarii et pastores. Ita Confettius, Suares, Naldus, Lezana, quos citat et sequitur Donatus tom. 1, pag. 2, tract. 3, q. 3, id tamen intelligendum est, si vis legibus canonicis clausuræ: unde prælatus non potest ponere extra clausuram claustrum integrum, dormitorium et officinas interiores,

quia hæc de jure continentur intra clausuram; sed posset, meo saltem judicio, ponere extra clausuram quædam alia loca ad quæ pertinet aditus per proprias portas, sine transitu per claustrum, dormitorium aut officinas interiores, ut sunt v. g. area postica seu chors, pars horti, etiam in eorum sententia qui tenent hortum esse in clausura, ut patet ex Passerino supra laudato; item quædam officinæ, hoc sensu exteriores quod a via publica immediate sit aditus, propter quædam opera fœminis propria et quæ a viris commode fieri non possunt: sicque videmus esse in usu in pluribus locis.

Petes 4° utrum sepes possint esse termini et limites clausuræ?

R. sub distinctione. Respective ad egressum religiosum e clausura, sepes possunt esse termini et limites clausuræ, ita ut totum quod intra sive muros, sive sepes, sive circumferentiam continuam conventus continetur, censeatur respective ad egressum religiosorum esse intra clausuram; quia totum est veluti sub oculis superioris, qui ad omnem locum facile potest accedere, neque extra ejus potestatem ponitur qui est intra septa conventus. Imo addit Passerinus, quod ad virorum clausuram respectu egressus, sufficiat quod quomodocumque sit a superiore designata, etiam sine muro aut sæpe; quia linea a superiore descripta sufficit ut in virtute obedientiæ contineat religiosos, ne illam transgrediantur sine licentia.

At vero respective ad ingressum mulierum in monasteria religiosorum, et virorum ac mulierum in monasteria monialium, videtur non sufficere sepes, sed requiri muros aut parietes ad clausuram. Ita tenet Donatus: *et ratio est;* quia in concilio Aquisgrano, sub Ludovico primo imperatore, statutum est ut *Claustra... firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus;* adquod ordinarie non sufficiunt sepes, quas facile est plerumque vel frangere, vel aperire, vel transilire: atque hic videtur sensus communis. Non enim puto mulieres quæ locum monasterii sepibus tantum clausum intrant, censendas esse clausuram violasse.

ARTICULUS III.

De clausura monialium quoad egressum.

Dico. Nemini sanctimonalium licet post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua causa legitima ab episcopo approbanda, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus. Ita in terminis concil. Trid. sess. 25 *de Regula.* cap. 5. Aliter egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptrices personæ, sive laïcæ aut seculares vel ecclesiasticæ, consanguineæ vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, eo ipso absque alia declaratione subjacent, a quo præterquam a Romano pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Ita S. Pius V, bulla *Decori et honestati*, data 1570.

Explicatur. Dicitur 1°, *nemini sanctimonialium:* intellige sanctimoniales præsentes atque futuras cujuscumque religionis et ordinis, tacite vel expresse religionem professas, etiamsi conversas, aut quocumque alio nomine appellentur, etsi ex institutis vel fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, et nunquam in earum monasteriis clausura servata fuerit. Ita in terminis S. Pius V, bulla *Circa pastoralis*, data anno 1566.

Intellige etiam Tertiarias quæ collegialiter vivunt et emittunt vota solemnia, quia tunc sunt veræ religiosæ. Quæ autem emittunt tantum vota simplicia, hortandæ sunt ut emittant solemnia, et sic clausuræ subjiciantur: quæ renuunt remittendæ sunt, et nulla in posterum recipiatur nisi emittat vota solemnia; alias nulla sit professio: ex eodem S. Pio V, bulla citata.

Dicitur 2°, *exire e monasterio.* Nomine monasterii monialium, tam quoad egressum monialium quam quoad ingressum sæcularium, intelligitur illud spatium muro circumseptum, quod intra januam, quæ solet esse semper clausa, continetur s ita u' ubicumque esse possunt moniales, illuc ingredi non possint sæculares; et e converso quocumque ingredi possunt sæculares, illuc accedere non possint moniales: ut explicuimus ex Gregorio XIII, a. 1 hujus dissert. not. 3. Vide.

Et talis egressus vel ingressus, si sit completus, ita ut totum corpus egredientis sit extra clausuram, aut totum corpus ingredientis sit intra clausuram, juxta communem sententiam, non admittit levitatem materiæ. 1° Quia cum clausura certis termi-

nis definiatur, tam illos excedit qui ad unum aut alterum passum egreditur vel ingreditur quam qui longius progreditur. 2° Quia respective ad moniales, videtur æquale inconveniens in distantia unius aut alterius passus ac in majori distantia.

Dixi, *respective ad moniales;* quia scio quosdam non apprehendere tantum inconveniens in clausura virorum, dum introitus fit per portam claustri; ideoque censent esse levitatem materiæ excusantem a peccato et censuris; si mulier per portam claustri ingrediatur ecclesiam, ubi porta claustri et porta ecclesiæ non nisi paucis passibus distant. Ita P. Henno.

Verum, *dato* esse minus inconveniens, subsistit tamen prima ratio, quæ videtur æque militare pro clausura religiosorum ac pro clausura monialium; nisi forte dicas clausuram religiosorum esse minus strictam clausura monalium, et terminos clausuræ religiosorum non esse ita fixe definitos sicut terminos clausuræ monialium, cum illos et non istos possint prælati extendere aut restringere, imo et ponere partem claustri extra clausuram. An hæc sufficiant solvendæ primæ rationi, affirmare non ausim: videant oculatiores.

Dicitur 3°, *nisi ex causa legitima.* Causas legitimas assignavit et restrinxit S. Pius V, bulla *Decori et honestati*, ad tres, dicens: *Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ et epidemiæ.* Sub nomine autem lepræ et epidemiæ, intelligitur omnis morbus contagiosus. Item non obstante dictione taxativa *nisi*, auctores communiter extendunt ad omnes alios casus similes, in quibus eadem vel urgentior ratio militat, et sic usu receptum est. *Hinc inferunt* moniales posse exire cum licentia superioris, 1° propter ingruens bellum; 2° propter ingentem alluvionem ruinam monasterii minantem; 3° si monialis deputetur ad reformandum vel fundandum monasterium, vel ut sit abbatissa, magistra novitiarum, etc., in alio monasterio, in quo ad hæc munera non habentur idoneæ; 4° si abbatissa vel priorissa teneatur propter feudum præstare juramentum domino seculari, quod præstare non possit per procuratorem; 5° si velit transire ad aliam perfectiorem religionem vel perfectiorem conventum; 6° si conventus necessitas exigat ut conversæ exeant ad petendas eleemosynas. Quia in his omnibus casibus et similibus, agitur de bono communi, et, ut dixi, ita usu receptum est. Quæ autem exeunt propter aliquam ex his causis, ea cessante, debent statim moraliter redire ad monasterium. Ita decernunt jura cap. *Periculoso*, de Statu regulari in 6, et bulla *Decori et honestati* S. Pii V.

Gravior difficultas est utrum possit concedi licentia moniali exeundi e monasterio, ob morbum non contagiosum, sed ex quo ipsi imminet periculum vitæ aut diuturnæ infirmitatis, si in monasterio curari non possit.

R. plures affirmare. 1° Quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, nisi ubi honor Dei, vel religionis, vel magna boni communi necessitas interveniat, quorum nullum hic reperitur. Imo nec votum perpetuæ clausuræ quam quædam emittunt, non fit ab eis sub isto rigore, nec habetur in earum regula, sicut habetur in regula Carthusianorum potius esse moriendum quam manducare carnes. 2° Quia si monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter perire dum evadere quam exeundo, potest exire, juxta communem doctorum sententiam: ergo pariter in nostro casu, cum par sit ratio. 3° Denique quia licet Pius V, excipiendo tres præfatos casus, intenderit solum providere communi incolumitati monialium, non est tamen censendus voluisse excludere ab exceptione casum in quo violaretur sus naturale quod quisque habet ad tuendam propriam vitam: sicut secundum communem sententiam non exclusit, ut modo dicebam, casum quo monialis ab aliquo invaderetur, nec posset aliter evadere quam exeundo.

Cæterum *dato* id a jure esse prohibitum, videtur illi quoad hoc esse derogatum saltem in his partibus, in quibus videmus passim moniales cum licentia superiorum exire e monasteriis ob infimitates sibi soli nocivas. Nec inde sequitur inconveniens, quod extollunt adversarii, scilicet inde laxandam omnino clausuram.

Dicitur 4°, *nisi ex causa legitima ab episcopo approbanda.* Approbationem episcopi requiri pro monialibus sibi subjectis, est extra dubium, ex textu Tridentini citato in conclusione. Requiri autem etiam pro monialibus ab episcopi jurisdictione exemptis et solis regularibus subjectis, certum pariter videtur standa bullæ S. Pii V, *Decori et*

honestati, in qua præcipitur licentiam egrediendi pro monialibus regularibus subjectis, dandam esse a superioribus ordinis et ab episcopo.

Dixi, *stando bullæ Pii V.* Quia juxta Bonacinam et plures alios quos citat, hæc bulla non est ubique recepta, et Joannes de La Cruz, Hispanus, testatur hanc bullam in Hispania pro hac parte esse abrogatam, et moniales cum sola licentia suorum superiorum exire.

Secunda pars conclusionis ex se patet. Quantum ad absolutionem ab excommunicatione, a quo sit danda, dixi prius dum de clausura religiosorum quoad ingressum.

ARTICULUS IV.

De clausura monialium quoad ingressum.

Dico. Ingredi intra septa monasterii monialium nemini licet, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo posset, etiam vigore cujuscumque facultatis vel indulti, hactenus concessi vel concedendi. Ita in terminis concilium Trid. sess. 25 *de Regularibus*, cap. 5.

Gregorius XIII, bulla *Ubi gratiæ*, et Paulus V, bulla *Monialium*, idem prohibent sub excommunicationis pœna reservata papæ, iis qui, sub prætextu alicujus indulti, dicta monasteria ingredi *audent*; abbatissis vero, nec non abbatibus, conventibus et aliis monasteriorum utriusque sexus personis, sub eadem et privationis suorum officiorum quæ obtinent et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis ingredi faciant aut permittant, inquit Gregorius, introducere seu admittere, vel admissum quoquo modo retinere audeant seu præsumant, inquit Paulus V.

Imo idem Gregorius ibid. sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, prohibet generaliter quibusvis personis, ne prætextu licentiarum ab episcopis, vel a superioribus, monasteria ipsa monialium, nisi in casibus necessariis, ingredi, neve moniales sub iisdem pœnis aliter admittere præsumant.

Explicatur. Dicitur 1°, *ingredi intra septa monasterii monialium.* Quod nomine monasterii monialium intelligatur, dixi art. præcedenti.

Dicitur 2° : *Nemini licet cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis.* Intellige sub iisdem exceptionibus quas art. 2 apposuimus ingressui mulierum in monasterium religiosorum.

Dicitur 3°, *sine episcopi vel superioris licentia* : episcopi scilicet respectu monialium sibi subjectarum, et superioris regularis respectu monialium a jurisdictiones episcopi exemptarum. Ita communissima sententia contra Donatum, qui ex quibusdam declarationibus S. congregationis, contendit ultra licentiam superioris regularis, requiri licentiam episcopi. Verum istæ declarationes vel non sunt authenticæ, vel non sunt receptæ, aut saltem usu communi contrario sunt abrogatæ.

Per episcopum, intelligitur etiam vicarius ejus generalis et capitulum, sede vacante. Per superiorem regularem, intelligitur generalis, provincialis, prælatus localis, ut abbas, prior, guardianus, etc. qui sit monasterii superior; non autem abbatissa, seu priorissa, nisi prælatus superior ipsis hanc facultatem delegaverit. Quia illius est solvere, cujus est ligare; ad solos autem prælatos pertinet ligare seu addicere moniales clausuræ, non vero abbatissæ aut priorissæ, quippe quæ ipsæmet ligantur et addicuntur.

Dicitur 4°, *licentia in scriptis obtenta.* Communius censent auctores, licentiam in scriptis non requiri in casibus ordinariis, puta quoad medicos, chirurgos, opifices et similes quorum opera passim indigent moniales; sed pro his abbatissam seu priorissam posse oretenus dare licentiam, sive ex commissione superioris, sive ex præsumpta ejus voluntate : et talis est usus.

Quoad casus vero extraordinarios, Navarrus, Homobonus, Diana, Bellocchius, Pellizz., citati a Donato, censent ex Innocentio, Abate et Felino, dictum concilii Tridentini de licentia scriptis obtenta, intelligendum esse pro foro fori, non pro foro conscientiæ; quia in interiori foro animæ, in quo attenditur veritas, sufficit quod interveniat consensus jure naturali requisitus, qualis est qui etiam oretenus conceditur : et puto sic esse in usu, saltem in his partibus.

Urbanus VIII, bulla *Sacrosanctum*, exi

git insuper consensum monialium capitulariter datum per vota secreta : sed neque id est in usu.

Dicitur 5°, *sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Non reservatur, nisi ingressus fiat ad malum finem.

Dicitur 6° *Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Intellige necessitatem non physicam et strictam, sed moralem, ut in aliis præceptis Ecclesiæ, a quorum observatione excusat necessitas moralis. Itaque possunt ingredi medici, chirurgi, opifices necessarii, superior pro visitando monasterio, confessarius pro administratione sacramentorum infirmis, et hic toties quoties exigit devotio vel dispositio infirmæ ; denique generaliter omnes qui requiruntur ad debitam monasterii conservationem, seu administrationem sive temporalem sive spiritualem.

Hæc autem necessitas moralis admittit latitudinem ; minor enim causa requiritur pro concedenda licentia fœminis quam viris, minor pro matre aut sorore quam pro extraneis, minor ad ingredienda loca viciniora portæ clausuræ quam interiores officinas.

Insuper, juxta Bonifacium VIII, cap. *Periculoso*, quod innovat et confirmat Tridentinum, requiritur quod causa sit manifesta, hoc est, quod non sit obscura et dubia ; nemo enim licite operatur cum conscientia dubia : sufficit tamen quod probabilius reputetur justa, alioquin daretur locus infinitis scrupulis, et aliunde licet agere secundum probabiliorem sententiam.

Quantum ad ingredientes sub prætextu alicujus indulti, et permittentes eorum ingressum ; item de ingredientibus sub prætextu licentiarum ab episcopis vel superioribus, in casibus non necessariis, sufficienter *explicatur in secunda parte conclusionis.*

OBSERVATIO

necessaria ad totam dissertationem.

Cum omnia fere quæ hucusque diximus de clausura religiosorum et monialium sint juris positivi humani, potest illi derogari per contrarium usum ; ita ut, juxta Donatum, Suarem et alios, clausura possit per usum contrarium abrogari in una provincia et non in alia, et intra eamdem provinciam in una religione et non in alia, imo in uno monasterio ejusdem religionis et non in alio. Debet ergo unusquisque attendere ad legitimum usum suæ provinciæ, vel religionis, vel conventus : videmus namque in variis locis Constitutionibus Apostolicis esse derogatum, sive quoad ingressum in monasteria religiosorum et monialium, sive quoad istarum egressum.

DISSERTATIO III.

DE IIS QUÆ COMPETUNT RELIGIOSIS, NECNON DE RELIGIONUM DISTINCTIONE.

D. Th. QQ. 187 et 188.

ARTICULUS I.

De iis quæ competunt religiosis.

Postquam S. Th. tractavit de statu religionis et de votis votorumque obligatione, in quibus principaliter consistit religio, agit de actionibus quæ religiosis competere possunt. Huic quæstioni locum dederunt tempore S. Ludovici Francorum regis, quidam magistri Parisienses, quorum præcipuus erat Guillelmus de Sancto Amore, qui in nascentes ordines Mendicantium, fratrum Prædicatorum et fratrum Minorum insurgentes, contendebant eorum statum esse damnabilem, et iis non licere docere, prædicare, sacramenta administrare et similia, neque etiam mendicare, sed teneri manibus laborare ; eaque de re librum edidit præfatus Guillelmus, cui titulus : *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum :* contra quem scripsit S. Th. opusculum, inter alia, decimum nonum, quod inscripsit : *Contra impugnantes Dei cultum et religionem ;* et hanc præsentem quæstionem 187 in Summa.

Librum Guillelmi ab Alexandro IV fuisse damnatum refert ex Ptolomeo Lucensi Odorius Raynaldus ad annum 1256, num. 20. Et addit num. 24, quod unus ex istis magistris Parisiensibus, « Christianus nomine, » morti proximus, amarissimo corde contritus, recognovit nihil se et complices » suos contra dictos ordines habuisse, nisi » quod illis æquari in scientia non valerent » et ob hoc eos parvipenderent auditores. » Et subjunxit : « Quoniam nihil habeo quod » vobis pro injuria gravi illata refundam, » in signum tamen quod ex corde pœniteo,

« corpus meum apud vos, fratres Prædica-» tores, tradendum sepulturæ relinquo. »

Verum, quia iste error magistrorum Parisiensium cum ipsis est exstinctus, totam hanc quæstionem hoc uno articulo breviter perstringam : unde.

Hic q. 187. a. 1. o. — *Dico* 1° Religiosi vi status non prohibentur docere, prædicare, sacramenta eucharistiæ et pœnitentiæ administrare, aliasque functiones ecclesiasticas exercere; quia vi status, qui est status perfectionis, non fiunt ad hæc inepti, sed e contra magis idonei, neque habent in regula præceptum ista prohibens. Ergo.

Ibid. — Sed neque etiam vi status præcise possunt licite istas functiones exercere, quia vi status non habent potestatem et jurisdictionem ad illas.

Ibid. — Ex quibus sequitur quod licite eas exercere possunt, si ipsis a superioribus quibus ex officio competunt, committantur.

Ex variis autem privilegiis summorum pontificum eis commissum est docere, prædicare, sacramenta eucharistiæ et pœnitentiæ administrare, mediante tamen quoad hoc ultimum approbatione episcopi.

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 2° Non licet religiosis et clericis gerere negotia sæcularia, sive judicialia, sive extrajudicialia, ex cupiditate, vanitate, aut alio motivo profano; quia per hæc impedirentur a divinis contemplationibus et exercitiis spiritualibus, ad quæ tenentur vi status. Et hoc sensu intelligitur illud Apost. 2 Timoth. 2 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Ibid. — Licet autem cum debita moderatione secundum licentiam superioris, ex charitate, juxta illud Galat. 6 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quia et in hoc ipso quod proximis servirent propter Deum, obsequuntur dilectioni divinæ, in qua sita est perfectio religiosa. Unde Jacobi 1 dicitur : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum*, id est, succurrere eis qui carent præsidio in tempore necessitatis. Insuper utroque pars conclusionis habetur dist. 86, cap. *Pervenit*, ex concilio Chalcedonensi.

Dixi, *cum debita moderatione;* quia sunt quædam negotia sæcularia quæ omnino dedecent statum religiosum, quæ ideo per se exercere non debet religiosus, sed per alios, dirigendo, instruendo, alloquendo, etc.

Ibid. a. 3. o. — *Dico* 3° Religiosi per se et secluso præcepto suæ regulæ, si quod sit non magis tenentur laborare manibus quam sæculares.

Prob. Labor manuum est necessarius, vel ad victum quærendum, vel ad otium vitandum, vel ad carnem macerandam, vel ad eleemosynam faciendam in urgente necessitate pauperum : — **Ibid.** — atqui religiosi, non secus ac sæculares, possunt aliunde quam ex labore manuum habere unde vivant, puta, ex possessione bonorum in communi, vel ex eleemosynis et beneficiis fidelium comparatis propter obsequia spiritualia ipsis præstita, docendo, concionando, sacramenta ministrando, orando, etc. Otium vitare possunt et carnem macerare sicut sæculares, per aliud quam per laborem manuum, nempe per jejunia, vigilias, orationes et alia exercitia spiritualia. Tandem necessitas laborandi ad dandam eleemosynam non urget nisi in pauperum necessitate, cui non possit aliter succurri : quo casu non magis obligantur religiosi operari manibus quam sæculares; religiosi enim non obligantur ad alia quam sæculares, nisi ad ea vi suæ regulæ obligentur. Ergo.

Dixi, *secluso præcepto regulæ, si quod sit.* Fuit autem hujusmodi præceptum in variis regulis, ut S. Benedicti cap. 48, S. Macharii c. 10 et 11, S. Basilii reg. 37, 38, 39, 40 et 42 et in aliis pluribus. De quare etiam scripserunt S. Aug. de Opere monachorum; S. Hieronym. Epist. ad Rusticum; Cassianus lib. 2 Institutionum, cap. 3 et 5, lib. 10 fere per totum, et Collat. 24, cap. 11 et 12.

Observandum est quod, cum manus sit organum organorum, per laborem manuum intelligantur omnia opera corporalia ex quibus homines victum lucrantur, sive exerceantur manibus, ut ars sartoria, sutoria et aliæ artes fabriles; sive pedibus, ut cursores; sive oculis, ut custodes et excubitores; sive etiam lingua, in ordine ad effectum corporeum, ut architectus lingua dirigens artifices et artefactum.

Pro solutione argumentorum, notandum est, tempore S. Augustini extitisse quosdam monachos qui dixerunt religiosos non solum non teneri, sed nec licite posse operari manibus sine detrimento perfectionis; unde contendebant laborem manuum etiam pro

sustentanda vita esse monachis illicitum, et ab eo abstinebant sub prætextu operum spiritualium, orationis, lectionis, instructionis privatæ, etc. addentes illud Christi, Matth. 6 : *Ne solliciti sitis quid manducetis.* Contra quos insurrexit S. Aug. lib. de Opere monachorum, et quos damnavit concil. IV Carthag. cui etiam interfuit et subscripsit S. Aug.

Alii e contra, scilicet quidam magistri Parisienses, de quibus supra, ut religiosos Mendicantes a studio sacræ doctrinæ prædicatione, sacramentorum administratione, etc., amoverent, dixerunt religiosos teneri laborare manibus; quos ut dixi, impugnat S. Th. Opusc. 19 et præsenti articulo, apud quem utroque loco vide, si lubet, argumenta.

Q. 187. **a.** 4. **o.**—*Dico* 4° Licitum est religiosis vivere ex eleemosynis, sive sint parvæ et quotidianæ, sive constant in perpetuis reditibus; quia licet unicuique vivere de eo quod suum est: atqui eleemosynæ ex quibus vivunt religiosi sunt suæ, saltem quantum ad usum, utpote ipsis donatæ vel ex mera liberalitate, vel ex aliquo debito ratione ministerii spiritualis. Ergo.

Ibid. a. 5. **o.**—*Dico* 5° Religiosis non secus ac sæcularibus licitum est mendicare causa humilitatis, necessitatis et utilitatis, non causa acquirendi divitias aut victum otiose.

Ibid. — *Probatur* et explicatur. *Causa humilitatis;* est enim laudabile virtutem colere, mendicatio autem quæ habet adjunctam abjectionem, est efficax remedium contra superbiam : ergo laudabile est, abdicatis divitiis propter Christum, mendicare causa humilitatis.

Ib. in arg. s. c.—Atque hoc modo mendicavit Christus, quando Luc. 2 abfuit a parentibus per triduum; quando Joan. 4 dixit mulieri Samaritanæ : *Da mihi bibere,* quando Luc. 19 petiit asellum quo ingrederetur Jerosolymam, et Luc. 22 quando petiit locum ubi celebraret Pascha. Unde illud Psal. 39 : *Ego autem sum mendicus et pauper;* ubi dicit Glossat. : *Hoc dixit Christus de se ex forma servi.* Sic etiam mendicaverunt Apostoli et apostolici viri, sic plures sancti, sancta Fabiola apud S. Hieronymum, B. Arsenius in vitis Patrum, Alexius toti orbi notus.

Ibid. o. — *Causa necessitatis,* ut cum quis non potest habere unde vivat nisi mendicando. *Causa utilitatis,* ut cum quis intendit aliquid facere quod sine eleemosynis fidelium facere non potest, ut dum agitur de construction pontis aut ecclesiæ, vel quibusvis aliis operibus quæ vergunt in utilitatem communem.

Non causa acquirendi divitias, vel victum otiose. 1° Quia mendicitas non est medium ordinatum ad ditescendum, sed ad sublevandam miseriam; et otium est reipublicæ perniciosum. 2° Quia qui dant eleemosynam, non intendunt fovere otium, vel favere cupiditati ditescendi : adde quod talis mendicitas jure civili prohibeatur cod. de Mendicis lib. 11.

Petes utrum dives possit in spiritu humilitatis et pœnitentiæ, sive sponte, sive ex injunctione Ecclesiæ, suscipere peregrinationem mendicando?

R. affirmative; quia cum mendicare etiam ad tempus, sit valde abjectum et asperum, est medium aptum ad humilitatem et pœnitentiam.

Nec obstat quod sit dives; quia cum extra domum sine pecuniis et sine commeatu peregrinetur, pro tunc est pauper et vere indiget.

Ib. a. 6. **o.** — *Dico* 6° Religiosi non solum licite, sed etiam laudabiliter utuntur vilibus vestibus; quia vilitas vestium conducit ad humilitatem, estque signum pœnitentiæ et contemptus mundi; status autem religionis est status humilitatis, pœnitentiæ et contemptus mundanæ gloriæ. Secus dicendum, si vilitas vestium procederet vel ex inani gloria, vel ex avaritia, vel ex negligentia. Confer quæ dixi de Temperantia dissert. 7, art. 4, § 5.

ARTICULUS II.

De religionum distinctione.

§ I. — *Utrum sit una tantum religio, an plures?*

Q. 186. **a.** 1. **o. et ad** 1. **et** 2. — *Dico.* Si spectentur finis remotus et principalis omnium religionum et exercitia seu media principalia ad hunc finem consequendum, est unica religio; quia finis remotus et principalis est unus in omnibus, scilicet perfectio charitatis, et eadem in omnibus media principalia ad hunc finem consequendum, scilicet tria vota essentialia. Si vero spectentur fines proximi et diversa media ad hos fines, sunt, *ut patet,* diversæ religiones.

Atque id fuit conveniens ad decorem et utilitatem Ecclesiæ, majusque Dei obsequium.

Ibid. in arg. s. c. — *Ad decorem Ecclesiæ;* quia Ecclesia tanquam regina tot religionum *circumdata varietate,* nunc decoratur, Psal. 44.

Ad utilitatem Ecclesiæ; quia attentis diversis hominum temperamentis, inclinationibus et moribus, non conveniret una omnibus religio : alii enim solitudinem amant, alii vitam socialem; his placet vita activa, illis contemplativa; hi in hoc exercitio delectabilius operantur, isti in otio : ut ergo omnium saluti consulatur, juvat religionum varietas, ut cui minus placet vita solitaria, eligat socialem; cui minus contemplativa, eligat activam; cui minus rigidioris observantiæ, eligat faciliores; et sic de cæteris.

Ad majus Dei obsequium; quia omnibus charitatis obsequiis non sufficit una religio : non enim qui militat, potest in xenodochio curam infirmorum habere; et qui xenodochio deservit, non potest prædicationi vacare; et sic de cæteris.

Antiquissima autem est in Ecclesia ista religionum varietas; nam S. Hieron. Epist. ad Eustochium de virginitate, S. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 31, Cassianus Collat. 18, plurium generum monachorum, anachoretarum et cœnobitarum mentionem faciunt. Idem Cassianus Collat. 14, cap. 3, refert, ex religiosis sui temporis aliquos vacare contemplationi, alios curando xenodochia, alios alendis pauperibus, alios instruendis imperitis.

§ II. — *Ad quid potest institui religio ?*

Ibid. a. 2. o. — *Dico* 1° Potuit institui religio aliqua ad corporalia opera vitæ activæ, ut ad suscipiendos peregrinos, redimendos captivos, curandos aut visitandos infirmos, sepeliendos mortuos, et ad alia quæcumque charitatis et misericordiæ opera; quia status religionis ordinatur ad perfectionem charitatis; charitas autem se extendit ad dilectionem Dei et proximi : unde sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth. 25 : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Ibid. a. 3. o. — *Hinc sequitur* 1° potuisse institui religionem ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem sive fidei et religionis, sive reipublicæ, sive pauperum et oppressorum; hæc enim sunt opera vitæ activæ subventionem proximorum spectantia.

Si dicas defensionem reipublicæ et oppressorum esse quid mundanum, ipsis etiam paganis commune :

R. defensionem reipublicæ et oppressorum, materialiter et secundum se consideratam, esse quidem quid mundanum; secus autem assumptam in obsequium Dei et exercitium charitatis aut alterius virtutis. Ex fine ergo distinguuntur militia mundana et religiosa; quia illa habet pro fine aliquid temporale ibi sistendo, ista autem habet pro fino Dei obsequium, et sic potest esse finis ad quem religio militaris instituatur.

Ibid. a. 4. o. — *Sequitur* 2° *et a fortiori,* posse institui religionem ad prædicandum et confessiones excipiendas; quia per hujusmodi officia spiritualia magis procuratur utilitas proximorum et Dei obsequium quam per opera ad subventionem corporalem proximorum ordinata, ad quæ diximus posse religionem institui.

Sic tamen intellige istud consectarium, non quasi quilibet, hoc ipso quo talem religionem est professus, possit propria auctoritate prædicare et confessiones excipere, sed solum si ista munia ab episcopo vel a summo pontifice illi committantur.

Ibid. a. 2. c. et ad. 3. — *Dico* 2° Congrue potest institui religio ad studium sacræ doctrinæ, et consequenter earum doctrinarum sine quibus sacra doctrina haberi non potest.

Prob. Et 1° si sit religio ordinata ad docendum, prædicandum et administrandum sacramenta, *patet* ad hæc requiri studium sacræ doctrinæ. 2° Si sit religio ordinata ad vitam contemplativam, opus est etiam sacra doctrina qua illustretur intellectus et dirigatur in consideratione divinorum, removeanturque pericula contemplationis, scilicet, errores qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his qui S. Scripturas ignorant, sicut ex collationibus Patrum, Collat. 10, cap. 4, legitur abbatem Serapionem propter simplicitatem incidisse in errorem Anthropomorphitarum, qui Deum habere formam humanam arbitran-

tur. Adde quod in quacumque religione etiam contemplativa, oportet esse aliquos qui conscientias dirigant, sacramenta administrent, ignorantes doceant et in via salutis deducant. 3° Denique omni religioni, sive contemplativæ, sive activæ utile est studium sacræ doctrinæ ad observantiam trium votorum essentialium : nam studium concupiscentiam carnis domat, juxta illud S. Hieron. *Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis*, amorem divitiarum frænat; qui enim studio sacræ doctrinæ animum adjicit ne quidem cogitare de divitiis vacat ; tandem promptam obedientiam reddit, propter plurima exempla, documenta et præmia obedientiæ quæ in sacris Litteris inveniuntur.

§ III. — *Quæ sit religio excellentior ?*

Q. 188. a. 6. o. — *Nota*, excellentiam unius religionis supra aliam, primario et principaliter attendi secundum religionis finem ; secundario autem et minus principaliter, secundum exercitia seu media ad illum finem : quia finis est id quod propter se appetitur, media propter finem.

Ibid. — *Dico*. Inter religiones supremum gradum tenent mixtæ, quæ sic contemplationi vacant, ut ex plenitudine contemplationis contemplata fidelibus communicant, per doctrinam, prædicationem et alia officia spiritualia ; quia sicut magis est illuminare quam lucere solum, sic magis est contemplata aliis ex charitate tradere quam contemplari tantum : excellentia autem unius religionis super aliam attenditur primario et principaliter, ut dictum est, ex potiori fine. Adde quod hoc fuerit officium Christi et Apostolorum.

Ibid. — Secundum gradum tenent religiones quæ ad contemplationem ordinantur ; tertium, quæ circa res corporales occupantur, ut eleemosynas distribuere, captivos redimere, peregrinos suscipere, infirmos curare, etc. Quia vita contemplativa præeminet activæ solum, juxta illud Christi Luc. 10 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Ibid. — *Dico* 2° In singulis ex prædictis tribus gradibus præeminentia inter se attendi potest ex triplici capite. 1° Ex fine, si nempe una religio ordinetur ad perfectiorem actum in eodem genere : sic inter opera vitæ activæ, potius est redimere captivos quam peregrinos hospitio suscipere ; inter opera vitæ contemplativæ, melior est oratio quam lectio. 2° Si una religio ad plures actus in eodem genere ordinetur quam alia ; sic enim respicit finem in ordine ad plura bona, consequenter potiorem finem. 3° Quando eumdem seu æqualem finem habent, desumitur præeminentia ex parte mediorum seu statutorum et observantiarum, non quidem secundum se, seu secundum quantitatem, sed quatenus sunt convenientiora et magis accommodata ad finem æqualem consequendum.

Ibid. ad 3. — Non enim, *quod advertas*, una religio est potior altera ad eumdem finem ordinata, ex hoc præcise quod habeat arctiores observantias, sed ex hoc quod majori discretione ejus observantiæ sint ad finem ordinatæ et accommodatæ ; quia observantiæ non quæruntur propter se, sed propter finem, et ideo non sunt id quod præcipue in religione commendatur. Unde in Collationibus Patrum, collat. 2, cap. 3, refertur S. Antonium prætulisse discretionem per quam aliquis omnia operatur, vigiliis, jejuniis et omnibus hujusmodi observantiis.

§ IV. — *Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem religionis ?*

Nota 1° cum Cajetano, hic triplicem distingui perfectionem vitæ spiritualis : unam hominis absolute, alteram status episcopalis, tertiam status religionis ; fuerunt namque viri perfectissimi non religiosi, non episcopi, non pauperes, ut Abraham, Isaac, David, etc. Item necessarias esse episcopis divitias, probatum est supra. Verum alia est ratio de perfectione religionis ; cum enim votum paupertatis sit de ejus substantia, merito quæritur utrum possessio bonorum in communi minuat perfectionem status religiosi ?

Ibid. a. 7. o. — *Nota* 2° perfectionem religionis non consistere essentialiter in paupertate, sed in sequela Christi, juxta illud S. Hieronym. in cap. 19 Matth. *Quia non sufficit tantum relinquere, addit Petrus, quod perfectum est : Et secuti sumus te.* Paupertas autem est instrumentum perfectionis, quatenus removet impedimenta perfectionis ex divitiarum possessione provenientia ; et hæc sunt tria, scilicet sollicitudo circa divitias acquirendas et conservandas,

amor divitiarum quæ ex illarum possessione crescit, juxta illud vulgatum : *Quo plus sunt potæ, pius sitiuntur aquæ;* et inanis gloria seu elatio quæ etiam ex divitiis nascitur.

Ibid. — Primum impedimentum non potest totaliter separari a divitiis etsi parvis; quia necesse est hominem aliqualiter sollicitari de acquirendis et conservandis exterioribus rebus sibi necessariis ad victum et amictum : sed si res exteriores non quærantur vel habeantur nisi in modica quantitate, quantum sufficiunt ad simplicem victum et amictum, talis sollicitudo non multum distrahit : unde nec perfectioni christianæ repugnat; non enim omnis sollicitudo a Domino interdicitur, dum dicit Matth. 6 : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, sed sollicitudo superflua et nociva. At abundans divitiarum possessio abundantiorem sollicitudinem ingerit, quibus animus hominis multum distrahitur et impeditur ne totaliter feratur in Dei obsequium. Alia vero duo impedimenta, nempe amor divitiarum et inanis gloria, non consequuntur nisi superabundantes divitias.

Ibid. — *Nota* 3° quod sollicitudo circa proprias divitias pertineat ad amorem privatum quo quis se temporaliter amat; sed sollicitudo circa divitias communes pertinet ad amorem charitatis quæ non quærit quæ sua sunt, sed omnibus intendit. Et quia religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui; ideo habere aliquid proprium repugnat perfectioni religionis : sed sollicitudo circa communia potest, ut dixi, pertinere ad charitatem, quamvis etiam per eam possit impediri aliquis altior actus charitatis, puta, contemplationis divinæ aut instructionis proximorum.

Nota 4°, paupertatem posse considerari secundum se et secundum quod est instrumentum ad perfectionem acquirendum : certum est eam quæ abdicat omne dominium tam in particulari quam in communi, esse altiorem et altissimam in genere paupertatis; in quo sensu verificatur quod dixit Innocentius V, et refertur Extrav. *Quia quorumdam*, scilicet, altam esse paupertatem quæ pauca habet propter Christum; altiorem, quæ nulla habet propria, habet tamen in communi; altissimam, quæ nihil habet in mundo nec in proprio nec in communi. Considerata vero paupertas in ratione instrumenti, ea est perfectior quæ est magis accommodata fini religionis. *His notatis.*

Ibid. — *Dico* 1° Possessio abundantium divitiarum in communi non tollit totaliter perfectionem religionis, sed est aliquod impedimentum illius; seu non tollit perfectionem religionis quoad substantiam, sed quoad gradum.

Ibid. — *Patet prima pars;* tum quia sollicitudo circa res communes potest pertinere ad charitatem, ut dixi nota tertio; tum quia, ut mox dicam, abundantia bonorum in communi est necessaria quibusdam religionibus, et tamen omnes sunt status perfectionis et omnes Christum pauperem imitantur atque paupertatem evangelicam profitentur.

Ibid. — *Secunda pars etiam constat;* quia, ut dixi nota secundo, abundantia bonorum affert varias distractiones, quibus impeditur animus ne tam assidue vacet divinæ contemplationi, et ne totaliter feratur in Dei obsequium. Item inde natum est augeri amorem divitiarum et oriri inanem gloriam.

Ibid. — *Dico* 2° Si consideretur paupertas respective ad finem communem religionum, qui est vacare divinis officiis, possessio bonorum, quantum sufficit ad simplicem victum et amictum, non impedit perfectionem religionis; quia sive iste simplex victus et amictus habeatur ex bonis moderatis possessis in communi, sive aliunde quæratur, non affert tot ac tantas distractiones, neque alia impedimenta quæ affert bonorum abundantia, sicque non impedit vacare divinis officiis.

Ibid. — Si vero paupertas consideretur respective ad fines speciales religionum, tanto unaquæque religio erit perfectior secundum paupertatem, quanto habebit paupertatem magis suo fini accommodatam; quia, ut dictum est, paupertas assumitur a religione ut instrumentum et medium ad suum finem. Hinc fluit sequens conclusio trimembris.

Ibid. — *Dico* 3° Religionibus quæ ordinantur ad corporales actiones vitæ activæ, ut ad militandum, ad hospitalitatem sectandam, ad curandum infirmos, etc. competit habere abundantiam divitiarum communium; alioquin non possent assequi finem ad quem sunt institutæ, et sic non ha-

berent paupertatem suo fini accommodatam.

Ibid. — Religionibus accommodatis ad contemplandum simpliciter competit habere divitias moderatas, potius quam abundantes; quia quanto minores sunt divitiæ, tanto minor est sollicitudo circa illas; quo autem minor est sollicitudo, eo magis animus est contemplationi idoneus.

Ibid — Religionibus quæ ordinantur ad contemplandum et simul ad contemplata aliis tradendum per doctrinam, prædicationem et alia spiritualia exercitia, competit habere quam minimum bonorum in communi, ea scilicet mobilia vitæ necessaria quæ congruo tempore procurata conservantur; quia tanto magis sollicitudo temporalium impedit religionem quanto sollicitudo spiritualium major ad religionem requiritur : atqui majorem spiritualium sollicitudinem requirit religio instituta ad contemplandum et contemplata aliis tradendum per doctrinam, prædicationem et alia exercitia spiritualia, quam illa quæ est instituta ad contemplandum tantum : ergo talem religionem decet paupertas, quæ minimam sollicitudinem temporalem ingerit. *Subsumo.* Atqui minorem sollicitudinem temporalem ingerit servare usui hominum pauca necessaria tempore congruo procurata, quam possidere immobilia. Ergo.

Et hæc quidem vera sunt per se loquendo et suppositis in religiosis magno animi fervore et aspera parcimonia atque temperantia in victu et amictu. Verum quia non solet plerumque sic esse, aut saltem non diu permanere tantus fervor et tanta vitæ austeritas; ideo spectato præsenti statu, nihil obstat quominus religiones ad salutem proximorum institutæ habeant modicas immobilium possessiones in communi; id enim ex una parte non aufert magnam sollicitudinem, et ex altera juvat tum ad perfectionem regulæ observantiam, cum ad conservandam status religiosi immobilitatem.

§ V — *Utrum perfectior sit religio in societate viventium quam agentium solitariam vitam?*

Ibid. a. 8. o. — *Nota* 1° quod solitudo, sicut ipsa paupertas, non sit essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum.

Ibid. — *Nota* 2° quod solitudo non sit instrumentum congruum actioni sed contemplationi, secundum illud Oseæ 2: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Unde non congruit religionibus quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ activæ, sive corporalia, sive spiritualia, nisi forte ad tempus exemplo Christi, qui, ut dicitur Luc. 6, *Exiit in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Competit autem religionibus ab contemplationem ordinatis.

Non facit hic itaque S. Th. comparationem inter religionem et religionem, sed inter gradus ejusdem religionis, scilicet contemplativæ; siquidem dicat solitudinem non competere religioni activæ, sed soli contemplativæ. Et aliunde certum est quod religio mixta, cum habeat perfectiorem finem quam contemplativa tantum, ut superius dictum est, sit ista simpliciter perfectior; perfectio enim ex fine excedit eam quæ est ex medio tantum.

Ibid. — *Dico.* Inter religiones soli contemplationi vacantes, major est perfectio eorum qui vitam solitariam ducunt quam qui vitam cœnobiticam seu socialem agunt; quia quod jam perfectum est præeminet ei quod ad perfectionem tendit : atqui vita cœnobitica est eorum qui ad perfectionem tendunt; vita autem solitaria, si debite assumatur, est perfectorum; non enim debite assumitur, nisi ab eo qui jam perfectus est, tam quoad intellectum quam quoad voluntatem, sive ex divino munere, ut S. Joannes Baptista, sive exercitio virtutum; alioquin qui nondum perfectus solus vivit, a quo instruetur ad contemplandum sine errore? quomodo humilitatem, obedientiam, passionum mortificationem discet et acquiret? Quapropter vita solitaria indebite assumpta est periculosissima.

DISSERTATIO IV.

DE RELIGIONIS INGRESSU, NOVITIATU ET PROFESSIONE.

D. Th. Q. 189.

ARTICULUS I.

De conditionibus recipiendorum ad religionem.

Dico. Quisquis baptizatus, qui est sui juris et nullo aliunde impedimento irretitus, potest admitti ad religionem; quia religio est bonum commune a quo nemo repelli potest absque justa causa.

Explicatur conclusio. Dicitur 1° *quisquis*

baptizatus; quia religio est pars Ecclesiæ cui nullus incorporari potest, nisi sit Ecclesiæ et ipsi Christo per baptismum incorporatus.

Dicitur 2°, *qui est sui juris;* quia alioquin non posset se totum tradere religioni, ut fit per professionem religiosam.

Hinc sequitur 1° servum seu manicipium non posse, sine consensu domini, admitti ad religionem, nec validam esse ejus professionem, nisi fiat post triennium ab ingressu; quia si intra triennium non sit requisitus a domino, valide elapso profitetur: tum quia dominus censetur renuntiasse juri suo; tum quia vi juris mox citandi, servus tunc recuperat suam libertatem. Ita in jure cap. *Si quis* 17, q. 2, ex Bonifacio I, his terminis: « Si quis incognitus monasterium » ingredi voluerit, aute triennium monachi » habitus ei non præstetur: et si intra tres » annos aut servus aut libertus colonus (*id* » *est qui alteri est obligatus non ratione pe-* » *cuniæ sed personæ*) quæratur a domino » suo, reddatur ei cum omnibus que attulit, » fide tamen accepta de impunitate. Si au- » tem intra triennium non fuerit requisitus, » postea quæri non potest, nisi sit tam longe » quod inveniri, non posset; sed tantum ea » quæ in monasterium attulit dominus servi » accipiat. » Recipientes autem sine licentia domini excommunicantur, cap. *Qui vere* 16, q. 1, ex concil. Carthag. Intellige si noverint eum esse servum, quo casu invalida est professio etiam post triennium; quia Ecclesia non intendit favere fraudibus, textusque juris expresse loquitur de incognito, tenecturque religio restituere non solum servum et ea quæ attulit, sed etiam damna secundum illius æstimationem.

Hic q. 189. a. 7. o. — *Sequitur* 2° episcopos nec licite nec valide posse admitti ad religionem sine licentia papæ; quia ratione voti taciti quod emittunt in sua consecratione, perpetuo adstringuntur suæ ecclesiæ sub obedientia papæ: officium autem episcopi est per modum causæ principalis et ex natura sua perpetuum. Et ita habetur cap. *Licet quibusdam* 18, de Regularibus et transeuntibus ad religionem lib. 3, tit. 31.

Ibib. — Secus dicendum de presbyteris etiam curatis et archidiaconis; hi enim n cite et valide possunt ingredi et profiteri religionem, etiam contradicente episcopo, non tamen eo inconsulto. Ita cap. *Duæ sunt* 19, q. 2. *Et ratio est;* quia eorum officium non est principale ut officium episcoporum, et ideo non est perpetuum, illudque deserere possunt.

Sequitur 3° conjuges consummato matrimonio, nec licite nec valide posse admitti ad religionem, nisi ex consensu compartis, aut nisi propter adulterium notorium illius; quia per consummationem matrimonii conjuges fiunt una caro, ita ut vir sit mulieris et mulier viri: sicque non sunt sui juris.

Dixi 1° *consummato matrimonio;* quia ante consummationem intra primum bimestre, quod a jure conceditur conjugibus ad deliberandum de ingressu religionis et quo non tenentur reddere debitum, possunt conjuges, etiam invita comparte, licite et valide admitti ad religionem, ita ut adveniente professione dissolvatur matrimonium, et pars remanens in sæculo potest transire ad secundas nuptias. Si autem elapso bimestri non sit consummatum matrimonium, conjux non potest licite invita comparte transire ad religionem; quia tenetur ei petenti reddere debitum: si tamen ingrediatur et profiteatur, videtur multis professio valida; quia jura in gratiam religionis generaliter statuunt matrimonium inconsummatum dissolvi per professionem religiosam, sicque videntur non concessisse bimestre, nisi ut intra illud posset negari debitum petenti, ultra illud non posset.

Utrum autem uxor vi a marito oppressa intra bimestre, posset adhuc ingredi et profiteri religionem?

Respondi olim cum pluribus *probabilius affirmative;* quia per violentiam sibi illatam non debet privari jure suo. Verum nunc re attentius considerata, resolutio mihi videtur dubia; quia revera, etsi per violentiam, matrimonium est consummatum et conjuges facti una caro, indeque potest nasci proles; passa est quidem injuriam uxor, sed ex illa injuria videtur facta inhabilis ad religionem, sicut si per violentiam amputatam esset illi utrumque brachium: pro injuria autem satisfaciat illi oppressor m liori quo potest modo.

Porro si matrimonium ratum et non consummatum non impedit quominus conjuges possint licite et valide ingredi et profiteri religionem, *a fortiori* sponsalia etiam jurata non impediunt, quippe quæ sunt minus vinculum quam matrimonium ra-

tum, et quæ contarhuntur semper sicut matrimonium ratum sub hac tacita conditione, *nisi voluero intrare religionem.* Intellige tamen modo sponsus non violaverit sponsam sub promissione matrimonii; tenetur enim tunc ex justicia matrimonium cum illa non solum contrahere, sed etiam consummare; quia res promissa non est tantum matrimonium ratum, sed etiam consummatum : hoc est enim quod nomine matrimonii absolute intelligunt promittentes et promissarii. Idem dic de illo qui sine promissione matrimonii, sed vi vel fraude virginem defloravit, si non possit nisi nubendo ejus infamiam impedire; tunc enim est debitum personale, non reale tantum aut pecuniarium. In his tamen casibus foret valida professio, licet illicita.

Dixi 2° *nisi ex consensu compartis;* pars autem consentiens, si sit juvenis, debet pariter ingredi et profiteri religionem : si vero sit senex, potest remanere in sæculo, sed cum voto continentiæ. Ita in jure cap. *Cum sis*, cap. *Uxoratus* et cap. *Ad apostolicam Sedem*, de Conversione conjugatorum lib. 3, tit. 32.

Dixi 3° *vel nisi propter adulterium notorium illius* : cap. *Significasti*, de Divortiis lib. 4, tit. 19, modo tamen pars volens religionem suscipere non sit etiam adultera; nam paria crimina mutua compensatione delentur : cap. finali, de Adulteriis lib. 5, tit. 16. Parte autem innocente ingrediente religionem, non tenetur pars nocens, etsi juvenis, ingredi religionem vel vovere continentiam; quia id nullo jure statuitur, sicut statuitur in præcedenti.

Dicitur 3° in conclusione, *et nullo alio impedimento irretitus;* sunt autem multiplicis generis impedimenta religionis suscipiendæ. Quædam sunt ex jure naturæ, quædam ex jure positivo, quædam impedientia tantum, quædam dirimentia, non secus ac in matrimonio : est enim professio religiosa, non secus ac matrimonium, contractus inter profitentem et religionem acceptantem, ita ut possit quandoque esse invalida; quandoque valida sed illicita; non enim lex prohibens professionem semper illam irritat.

Impedimenta dirimentia.

Primum impedimentum quo receptio et professio religiosa fit nedum illicita, sed etiam invalida, præter jam dicta de defectu juris in seipsum, est differentia sexus; ita ut vir nec licite nec valide potest recipi aut profiteri in conventu mulierum, nec mulier in conventu virorum. Non solum quia in jure, cap *Definivit* et cap. *In nullo* 18, q. 1, prohibetur cohabitatio monachorum cum monialibus; non enim, ut jam dixi, omne quod prohibetur irritatur; sed quia hujusmodi professio non fit in religione ab Ecclesia approbata; religiones enim virorum non sunt approbatæ pro mulieribus, nec mulierum pro viris.

Secundum impedimentum dirimens est si recipiendus sit hermaphroditus : sed hic opus est distinctione. Communis sententia tenet hermaphroditum, si uterque sexus sit æqualis, nec licite nec valide posse recipi aut profiteri, quia respectu fœminarum est vir et respectu virorum est mulier, si autem unus sexus prævaleat posse, si non licite, saltem valide profiteri religionem in conventu ejusdem sexus cum eo qui in eo prævalet, non in conventu alterius sexus. Verum existimo hoc ultimum intelligendum esse sub aliqua distinctione : si namque unus sexus sic prævaleat ut alter si omnino ineptus et inutilis ad usum venereoreum, resolutionem admitto; secus autem si, quamvis unus sexus prævaleat, alter tamen sit adhuc aptus ad usum venereum : quia cum talis hermaphroditus in ordine ad incontinentiam possit cum mulieribus agere quæ viri sunt et cum viris pati quæ suut mulieris, respective ad mulieres venire debet nomine viri, et respective ad viros nomine mulieris. Quod si detur talis hermaphroditur qui neutrum sexum habeat, prout natura requirit ad usum venereum, is secundum medicos debet censeri fœmina, et sic nihil prohibet eum admitti in monasterio fœminarum.

Sed quid si mulier evadat in virum?

R. quod simpliciter loquendo, nunquam secundum medicos possit mulier evadere in virum, sed tantum potest contingere quod quæ apparebat mulier, postea appareat vir, quatenus sexus virilis, qui propter frigiditatem non se prodebat, adveniente pubertate ex calore crescente manifestetur; quo casu, si uterque sexus maneat ad usum venereum aptus, neque inter viros neque inter mulieres potest valide admitti, ut supra dictum est; si autem sit unius sexus virilis et forte professus sit in monasterio mulie-

rum, ejus professio nec est nec unquam fuit valida, quia semper fuit vir, et si talis non appareret, sicque professus est in religione non approbata pro viris.

Tertium impedimentum dirimens est amentia, si adsit dum actu emittitur professio; quia ad illam requiritur consensus liber, cujus amens est incapax.

Neque dicas manere virtualiter consensum ex priori voluntate profitendi; non est enim virtualis consensus, nisi adsit confusa saltem notitia rei quæ agitur, item confusa memoria voluntatis præcedentis; ac tandem facultas amplius deliberandi et priorem voluntatem revocandi, quæ non sunt in amente.

Qui vero est amens tantum circa aliquam materiam, aut habet lucida intervalla, quamvis possit valide admitti et profiteri, non tamen licite, quia non est aptus ad religionem.

Quartum impedimentum dirimens est defectus ætatis sexdecim annorum completorum et anni novitiatus. Ita Trid. sess. 25 *de Regularibus* cap. 15, his terminis: « In » quacumque religione tam virorum quam » mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum completum, neque » minori tempore quam per annum post » susceptum habitum in probatione steterit, » ad professionem admittatur: professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, » vel religionis, vel ordinis observantiam, » aut ad alios quoscumque effectus. » De anno novitiatus dicam infra dum de novitiatu.

Impedimenta impedientia tantum.

Hic q. 189. a. 6. o. — 1° Illicite admittitur et profitetur filius cujus parentes sunt in gravi necessitate, et quibus manens in sæculo succurrere potest sine salutis dispendio; quia præceptum naturale de honorandis parentibus prævalet consilio, imo et voto ingrediendi religionem. De hoc casu latius dixi in tract. de Virtutibus justitiæ annexis, dissert. 1 de pietate art. 2; require.

2° Illicite admittuntur criminosi, id est, homicidæ, fures et similium ac graviorum criminum rei, si tamen sint notorii aliqua notorietate juris, puta, quod de iis facta sit accusatio, seu inquisitio a judice sæculari. Ita Sixtus V in const. *Cum omnibus* et const. *Ad Romanum*, qui illorum professionem irritaverat, sed quam irritationem sustulit Clemens VIII, const. *In suprema*, relictis tamen pœnis quas præfatos recipientibus imposuerat Sixtus V, scilicet, privatione vocis activæ et passivæ et officiorum, graduum, dignitatum ac inhabilitatis ad illa.

3° Excommunicatus etiamsi toleratus illicite recipitur in religione; quia licet fideles possint cum illo communicare, ille tamen non potest se ingerere communicationi fidelium: unde et ipse peccat et qui ipsum recipit; quia illius peccato cooperatur. Aliæ autem censuræ quatenus impediunt a divinis, etiam impediunt susceptionem habitus.

4° Illegitimus illicite recipitur in religione in qua ejus pater professus adhuc vivit, et recipiens excommunicatur ex Greg. XIV, bulla *Circumspecta;* valide tamen recipitur et profitetur, quia non irritatur.

5° Ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum gravati, vel ratiociniis reddendis obnoxii, ita ut ex ejusmodi causa lis vel molestia sit illata, vel timendum sit ne inferatur, non possunt licite in religione admitti, nisi debitores cedant suis bonis et nulla seu vix ulla sit spes quod remanendo in sæculo sint solvendi. Admittentes autem privantur voce activa et passiva, officiis, dignitatibus, gradibus, et sunt perpetuo inhabiles ad illa. Ita Sixtus V, bulla *Cum omnibus*, in qua etiam irritaverat illorum professionem; sed Clemens VIII irritationem sustulit, manentibus tamen pœnis contra recipientes. De hoc impedimento late disserui in tract. de Jure et Just. dissert. 8, a. 20 de causis excusantibus a restitutione, quarta causa. Vide ibi.

Observandum duntaxat, hac constitutione Sixtina non comprehendi 1° moniales, ut idem Sixtus V declaravit alia constitutione, *ad Romanum*. 2° Non comprehenduntur ordines militares, quia cum sua bona administrent ex consensu religionis, non magis redduntur inhabiles ad solvendum quam si manerent in sæculo. 3° Non comprehenduntur debitores incerti, qui scilicet ignorant cui debeant. Colligitur ex bulla Sixtina, ubi dicitur: *Quorum dominus, facta diligenti inquisitione, potest sciri.* Adde quod hujusmodi debitum incertum possit converti in usus pios, atque adeo applicari monasterio quod quis ingreditur. 4° Non comprehenduntur debitores cujus

debitum est levis momenti, aut non superat facultates debitoris; *ut patet ex textu bullæ.* 5° Non comprehenduntur debitores ex liberali promissione; tum quia promissio liberalis nunquam obligat supra vires; tum quia debitor ex promissione liberali non gravatur ære alieno; tum denique quia in omni promissione liberali semper subintelligitur, *nisi voluero religionem ingredi.* Comprehenduntur tamen debitores ex delicto; quia qui intulit alteri damnum pecunia æstimabile, est vere ære alieno gravatus, quatenus habet alterius damnum quod est pecunia redimendum.

6° Illicite recipiuntur infames, sive ex delicto enormi notorio notorietate juris, sive ex pœna ignominiosa, puta morte, flagellatione, triremibus, a judice imposita, sive ex genere artis seu faciti, ut sunt carnifices, scurræ, histriones, lenones, etc. Nisi infames ex delicto aut pœna, pœnitentia diuturna et morum sanctitate; infames autem ex officio, nisi eo dimisso, singularibus meritis infamiam diluerint: quia religio est status honorificus quem libenter assumunt viri tum genere nobiles, tum virtutibus et honore præeminentes, quibus esset grave fieri socios et confratres personarum infamium, indeque religio amitteret suam dignitatem et suum decorem.

ARTICULUS II.

De novitiatu.

Novitiatus est mutuum experimentum quo religio ex una parte experitur mores et qualitates novitii, ut videat an expediat illum admittere vel ejicere, et novitius ex altera parte experiatur religionis austeritates et statuta suamque indolem, ut videat an sibi expediat illam profiteri. Quod cum sit nunc institutum non in solam privatam utilitatem novitii et monasterii, sed in bonum totius religionis et Ecclesiæ, ne scilicet ex professione temere facta sequantur gravia damna et scandala, non potest illi renuntiari ex consensu utriusque partis, nempe novitii et monasterii, ut fiebat olim.

Quæstio est 1° an in habitu religioso debeat peragi novitiatus; 2° in qua ætate; 3° in quo loco; 4° quanto tempore; 5° an tempus istud debeat esse continuum. Quas quæstiones distinctis §§ discutiemus. Unde sit

§ I. — *In quo habitu debeat peragi novitiatus?*

Dico 1° Novitiatus debet regulariter peragi in habitu religioniis quam intendit profiteri novitius. *Patet* tum ex jure communi, cap. *Ad Apostolicam*, cap. *Super eo* et cap. *Statuimus*, de Regularibus; item cap. 1, eod. tit. in 6, et Clement. *Eos*, eodem tit. ubi sic statuitur; tum ex communi praxi omnium religionum; tum denique quia gestatio habitus religiosi est aliqua religionis austeritas quam convenit experiri novitium.

Dico 2°. Habitus religionis non videtur de essentia novitiatus: unde potest valide peragi in habitu sæculari, imo et licite, subsistente justa causa.

Prob. prima pars ex c. *Porrectum* ubi dicitur quod *Monachum non faciat habitus, sed professio religiosa;* et ex cap. *Quia ingredientibus*, de Testamentis, ubi abbatissa declaratur professa, quæ nunquam induerat habitum monialium.

Secunda pars constat ex communi praxi religiosorum in Anglia, Hibernia et in aliis locis hæreticorum, ubi suos novitios probant in habitu sæculari, nemine reclamante. Satius tamen foret si admissi ad religionem in illis partibus mitterentur ad partes catholicorum, ut in conventu et in habitu religionis suum novitiatum perficerent, sicut modo faciunt nostri Hiberni.

Dices 1° Tridentinum supponit susceptionem habitus religionis pertinere ad essentiam novitiatus; etenim sess. 25, cap. 15 *de Regularibus*, irritat professionem quæ fieret ante annum integrum probationis *post susceptum habitum.* Ergo.

R. N. ant. Sic autem loquitur, concilium, quia sic fit ordinarie: sumit itaque diem susceptionis habitus pro die quo quis incorporatur religioni. Si namque voluisset susceptionem habitus esse de essentia novitiatus, id aperte declarasset, sicut declaravit de anno et ætate.

Dices 2° Gestatio habitus religiosi est una ex austeritatibus religionis: ergo eam debet experiri novitius.

R. D. conseq. Ergo eam debet experiri novitius, ut novitiatus sit validus, *N.* ut sit licitus, *subd.* Regulariter loquendo, ut dicitur in prima conclusione, *C.* per accidens et ubi justa causa adest aliter agendi, *N.* Non enim novitius tenetur necessario expe-

riri omnes religionis austeritates in specie, sed potest in eis ex causa dispensari, et sufficit quod sit sub obedientia prælati, paratus ad omnia quæ jusserit.

Petes 1° utrum habitus proprius novitiorum debeat esse distinctus ab habitu professorum?

R. id nullo jure sive antiquo sive novo statui. Unde in nosto Prædicatorum ordine, idem est habitus novitiorum et professorum, nisi quod in professione benedicatur et non in susceptione. Cæterum servandus est ritus cujuslibet religionis; et si forte ex alicujus statuto declararetur irritus novitiatus non peractus in habitu distincto, habendus esset pro irrito.

Petes 2° a quo debeat recipi habitus?

R. debere recipi a legitimo superiore, quia in novitiatus susceptione fit conventio inter novitium et religionem; non est autem conventio sine mutuo contrahentium consensu, consequenter sine consensu legitimi superioris qui nomine religionis cum novitio contrahit et acceptat.

§ II. — *Qua ætate sit inchoandus et perficiendus novitiatus?*

Dico. Novitiatus non potest inchoari ante annum pubertatis, qui est duodecimus completus in fœminis, et decimus quartus completus in masculis; quia ante hoc tempus non potest haberi experimentum sufficiens quantum ad ea quæ votum castitatis spectant. Et ita communiter sentiunt auctores.

Completo autem anno pubertatis, nihil obstat quominus possit statim licite et valide inchoari et perfici annus novitiatus; quo tamen finito non poterit immediate sequi professio, sed debebit differri ad annum decimum sextum completum, quia ex Trident. sess. 25 *de Regularibus*, cap. 15, non potest valide fieri ante hoc tempus.

Dices. Tridentinum ibid. cap. seq. 16, statuit quod, *finito tempore novitiatus, superiores novitios quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant.* Ergo supponit concilium novitiatum non posse inchoari nisi anno decimo quinto completo, alioquin novitius non poteritpro fiteri revoluto anno novitiatus, ut intendit concilium.

R. N. illationem. Quia concilium ihi loquitur de novitiis habilibus ad professionem: novitius autem in nostro casu non est secundum concilium habilis ad professionem, cum non attigerit annum decimum sextum completum, qui requiritur a Tridentino ad professionem. Insuper non intendit concilium ita conjungere finem novitiatus cum professione, quia hæc possit differri ex causa, puta, propter infirmitatem, aut majorem et certiorem probationem et similia, ut dicetur infra.

§ III. — *In quo loco sit perficiendus novitiatus?*

Dico 1° Jure antiquo, cum novitiatus non esset de substantia religionis, sed illi poterat renuntiari ex consensu partium, poterat fieri extra monasterium. Id evidenter patet, ex cap. *Insinuante*, tit. Qui clerici vel voventes lib. 4, tit. 6, ubi mulier quæ habitum regularem receperat et votum emiserat, nec unquam monasterium ingressa fuerat, declaratur vere religiosa.

Dico 2° Nunc cum, jure novo Tridentini, annus probationis sit de substantia religionis, ita ut ante illum completum emissa professio sit nulla, sicque ei renuntiari non possit de consensu partium, videtur quod novitiatus perfici valide non possit extra monasterium vel domum illius ordinis quem vult profiteri novitius; quia cum sit institutus ut et monasterium mores novitii experiatur, et novitius mores religionis, exigit hujus probationis natura ut habeatur intra claustra et in consortio religiosorum; neque enim regulæ rigor et novitii mores extra monasterium satis probari possunt. Et ita congregationem cardinalium declarasse refert Sanchez lib. 1 Summæ, cap. 4, n. 17.

Nihil obstat tamen quominus novitius possit de licentia superioris abesse a monasterio etiam per aliquot menses, sive necessitatis alicujus, sive etiam recreationis causa; tum quia ubicumque sit religiosus ad tempus de licentia et sub obedientia superioris, censetur fictione juris esse in monasterio: tum quia non est necessarium ut novitius tolo tempore novitiatus austeritates religionis experiatur, ut patet in ægrotis, sed sufficit si illas aliquo tempore experiatur, et alias sit paratus illas experiri ad nutum superioris: peccaret tamen superior qui sine justa causa talem licentiam concederet. Vide infra § 5, concl. 2.

Dixi in conclusione, *vel domum;* quia in Anglia et in Hibernia novitii probantur in

aliqua domo particulari, in qua habitant quidam confratres.

Dico 3° Intra fines Italiæ et insularum adjacentium, novitiatus debet fieri non solum in monasterio, sed in monasterio a S. Sede designato; alioquin est irritus et professio nulla. Ita constitutiones Clementis VIII et Innocentii X.

§ IV. — *Quanto tempore debeat durare novitiatus?*

Dico. Secluso privilegio, novitiatus debet durare per annum integrum, alioquin nulla est professio. Ita Trident. sess. 25 *de Regularibus*, cap. 15 : « Nec, *inquit*, minori » tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad » professionem admittatur : professio autem » antea facta sit nulla, etc. »

Et quamvis jure antiquo cap. *Ad apostolicam*, de Regularibus, lib. 3, cap. 31, posset anno integro novitiatus renuntiari ex consensu partium, ut jam dixi; quia tamen nunc, jure novo Tridentini citati, annus integer probationis est de substantia novitiatus tanquam illius forma, utpote sine quo nulla est professio, estque institutus non in solum favorem partium contrahentium, sed etiam totius religionis et Ecclesiæ, cum gravia damna et scandala nata sint sequi ex professione temere facta, ut jam etiam dictum est, illi non potest renuntiari ex consensu partium, sicut clericus non potest renuntiare privilegio clericatus.

Adde quod alioquin frustra esset posita lex concilii : nam ante illam professio facta ante annum integrum probationis sine consensu mutuo novitii et monasterii, erat jam invalida; lex autem correctiva prioris, debet sic intelligi, ut non sit superflua.

Sed difficultas est an iste annus debeat esse integer mathematice a momento ad momentum, an e contra sufficiat si sit integer moraliter, qualis dicitur si sit cœpta ultima dies, aut si ei desint aliquot horæ vel aliquot instantia ut sit completa.

R. Communior sententia tenet, annum debere esse integrum mathematice a momento ad momentum, ita ut si quis inchoet novitiatum hora decima primæ diei hujus anni 1756, non possit valide profiteri nisi hora decima primæ diei anni sequentis, sitque invalida professio si fiat vel instanti ante dictam horam. *Ratio est* 1°, quia sic intelligitur annus decimus sextus completus, requisitus a Tridentino : ergo et annus integer novitiatus; 2° quia quando lex assignat initium alicujus temporis a die determinata, computari debet a momento ad momentum, ut colligitur ex l. *Denique*, § 3 *Minorem* ff., lib. 4, tit. 4.

Alii tamen etiam numero plures intelligunt hanc mm Tridentini, de integritate morali anni, ita ut si inchoata sit dies ultima anni, vel desint aliquot horæ vel aliquot instantia ad complementum mathematicum anni, valida sit professio : 1° quia in favorabilibus dies cœpta habetur pro integra; 2° quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Adde quod hujusmodi anticipatio nihil faciat moraliter loquendo ad finem legis; posito enim quod sumptum fuerit ex utraque parte experimentum, usque ad ultimam diem incœptam nihil moraliter accidere potest quod vel religio in novitio, vel novitius in religione experiri potest.

Cæterum in re tanti momenti a communi et tutiori sententia non puto esse recedendum : neque ante factum suaderem, licet post factum improbare non auderem.

Quantum ad annum bissextilem, secundum primam sententiam, non censetur integer nisi computato die superaddito, quia politice et civiliter ille annus non censetur integer nisi constans 366 diebus; et tam jure ecclesiastico quam civili, duo dies dicuntur sexto calendas martii et pro uno die habentur : unde qui incepit novitiatum 27 februarii anno 1755, non potest profiteri nisi 28 februarii anni sequentis.

Si petas quandonam incipiat novitiatus?

R. quod in religionibus in quibus non est conventus designatus pro novitiatu, incipiat in persona habili a die suscepti habitus, seu incorporationis in religione, ex Trid. sess. 25, cap. 13. In religionibus vero in quibus est conventus designatus pro novitiatu, incipit in persona habili a die receptionis novitii in conventu designato. Quod si persona non sit habilis ad novitiatum quando suscipit habitum, aut recipitur in conventu designato, annus novitiatus incipit tantum a tempore habilitatis habitæ.

Dixi in conclusione, *secluso privilegio;* quia Pius V, constitut. *Summi sacerdotis*, data anno 1570, concessit monialibus S. Dominici, consequenter per communicationem aliis tam mulieribus quam viris, ut in

casu morbi medici judicio mortalis, possint profiteri ante annum completum novitiatus, dummodo tamen habeant ætatem requisitam, scilicet annum decimum sextum completum.

Huic privilegio non fuisse derogatum per constitutionem *In tanta* Gregorii XIII, multis probat Passerinus ad q. 189 D. Th. pag. 105, præsertim quia Gregorius XIII non revocavit per hanc bullam omnes gratias factas regularibus a Pio V, sed eas tantum de quibus ibi mentionem facit et quæ concernunt interesse episcoporum et parochorum; nullam autem mentionem facit de isto privilegio quod aliunde nihil interest episcoporum et parochorum.

Sed gravior difficultas est utrum hujusmodi professio sit absoluta et rata, ita ut novitius vel novitia, si convalescat, non teneatur complere annum integrum novitiatus et aliam professionem facere.

Multi negant, eo quod Pius V dicat se motum esse ad facultatem sic profitendi concedendam, quia « salutem animarum dic» tarum monialium novitiarum, sic ante » professionis emissionem et durante tem» pore probationis earumdem decedentium, » sincero desiderat affectu. » Item dicit se largiri « Iisdem monialibus novitiis ita tunc » professis decedentibus, plenariam pecca» torum suorum indulgentiam, etc. » Ex quibus videtur hæc professio esse facta et acceptata sub conditione mortis secuturæ; ita ut si mors non sequatur, nulla sit, sed debeat fieri altera, completo prius anno novitiatus. Si tamen mors sequatur, professio prius conditionata, purificata conditione, evadit absoluta, et monasterium habet jus ad dotem.

Petes utrum tempus novitiatus possit prorogari?

R. posse prorogari ex causa legitima, puta, infirmitatis, defectus scientiæ aut morum, qui tamen defectus sperentur corrigibiles. Est sententia communis doctorum et praxis communis religionum. Neque id ullo jure invenitur prohibitum, quinimo concessum ex variis declarationibus S. congregationis, *ut mox patebit.*

Dices. Concilium Trident. sess. 25, cap. 15 *de Regularibus*, statuit quod novitius per annum post susceptum habitum, ad professionem admittatur. Ergo.

R. ex declaratione S. congregationis concilii apud Passerinum ad q. 189 S. Th. inspect. 4, nº 57, quæ sic est: *Concilium noluit quempiam minori* tempore quam per annum stare in probatione, idque expressim disposuit. Ne autem hoc tempus longius extendi possit, non prohibuit, ideoque arbitrio superioris extendi et prorogari potest. Et sic communiter interpretantur theologi.

Inst. Tridentinum eadem sess. cap. 16, sic statuit: « Finito tempore novitiatus, » superiores, novitios quos habiles invene» rint ad profitendum admittant, aut mo» nasterio ejiciant. » Ergo.

R. sensum hujus decreti esse, quod superiores admittant ad professionem novitios quos invenerint simpliciter et absolute habiles et in quibus nulla sit causa differendi; ejiciant autem simpliciter et absolute inhabiles, non tamen inhabiles secundum quid seu eos in quibus est spes quod intra certum tempus fient habiles. Ita ex ore Pii V declaravit S. congregatio apud Passerinum ibid. nº 59, his verbis: « Sanctitas sua dixit, » decretum hujusmodi concilii procedere » tantum in illis novitiis quos superiores, » lapso tempore novitiatus, habiles invene» rint; non autem in his quos inhabiles in» venerint, ut sunt illi qui non bene didi» cerunt: et ideo quod attinet ad illos, Sanc» titas sua concessit quod superiores possint » prolongare illorum professionem, dum» modo habeant spem probabilem quod effi» ciantur habiles infra sex menses. »

Ex his ultimis particulis quidam inferunt, professionem non posse differri ultra sex menses, et sic legitur in nostris constitutionibus, distinctione 1, textu 11, cap. 14, litt. O, ubi denuntiatur Pium V declarasse *professionem alicujus ad profitendum inepti, ad sextum tantummodo mensem posse differri.*

Attamen Passerinus loco citato, dicit se vidisse fieri contrarium ex justa causa, contenditque restrictionem Pii V ad sex menses, non esse præceptivam, sed directivam tantum; quia quando inhabilitas est personalis, puta, ex defectu scientiæ vel morum, regulariter sufficiunt sex menses ut novitius censeatur vel simpliciter habilis, vel simpliciter inhabilis. Non prohibet autem, quod si adsit justa causa majoris dilationis, qualis esse potest si quæ proveniat ab extrinseco, ulterius differri professionem; sed tantum

declarat jus commune quod exigit ut sine causa non protrahatur professio, post probationem annuam. Potest ergo differri professio ad arbitrium viri prudentis, attentis omnibus circumstantiis.

§ V. — *Utrum annus novitiatus debeat esse continuus?*

Dico 1° Annus novitiatus debet esse continuus, alias est nulla professio. Ita communissime theologi, canonistæ et juristæ.

1° Quia secundum communem acceptionem, hæc vox, *annuus*, continum decursum duodecim mensium significat; et jura quæ important certum tempus, intelliguntur de tempore continuo, quia regulariter omne tempus est continuum. 2° Quia alias novitius non est in statu idoneo experiendi omnes austeritates religionis; gravius est enim experiri abstinentiam per annum continuum quam per interpolatum; quamvis autem non teneatur novitius actu experiri omnes austeritates religionis in specie, debet tamen esse in statu idoneo omnes experiendi.

Sed difficultas est quando et per quot actus discontinuetur annus novitiatus. Pro cujus resolutione,

Dico 2° Saltem sistendo in terminis antiquorum canonum et concilii Tridentini, annus novitiatus non discontinuatur per exitum novitii e claustro de licentia superioris.

Prob. 1° Quia religiosus ubivis sit de licentia et sub obedientia superioris, fictione juris, ut jam dixi, censetur esse intra claustra. 2° Quia quamvis in jure decretum sit quod novitius debeat probari per annum continuum, nullibi tamen decretum est quod per annum continuum debeat manere intra claustra, neque quod debeat experiri omnes austeritates religionis in specie et continuo, ut patet in ægrotis et in eis qui legitime dispensantur; sed sufficit si illas probet in genere vivendo sub obedientia superioris. 3° Negari non potest quin superior possit ex rationabili causa concedere suo subdito licentiam manendi extra claustrum. 4° Conversi non secus ac clerici tenentur ad novitiatum continuum, et tamen non possunt experiri austeritates ad quas recipiuntur, nisi mittantur extra claustra ad quæstus faciendo. 5° Denique sic fuisse declaratum a S. congregatione concilii, refert ex Navarro et Fagnano Passerinus loco priusquam citato n. 86. Proposito enim dubio an valeret professio illius qui tantum per mensem et dimidium anni novitiatus manserat in monasterio, et residuo illius anni tempore, de licentia et mandato prælati, steterat sub ejus obedientia in quadam curia, agens gravia sui monasterii negotia et in fine anni professionem per procuratorem emisit: responsum est valere. *Ex quibus colliges* quod, quamvis sit de substantia et forma novitiatus, quod novitius post susceptum habitum aliquandiu in conventu maneat, non sit tamen de substantia et forma novitiatus quod novitius per annum continuo maneat in conventu.

Quod posset opponi ex § 3, quod novitiatus debeat fieri in monasterio, ibidem solutum est.

Sufficit autem quod licentia sit valida seu concessu ab habente auctoritatem, etiam si sit illicita, seu sine justa et rationabili causa concessa; quia novitius qui ex licentia etiam illicita exit e claustro, non deserit religionem, neque ex propria voluntate operatur, sed ut superiori, subditus. Peccat quidem superior, non vero novitius, qui ex bona fide agit et cujus non est discutere causas licentiæ: sed, etsi injustæ licentiæ esset conscius, peccaret quidem, non tamen ejus exitus redderet novitiatum irritum; quia, ut dictum est, non est contra substantiam et formam novitiatus.

Dixi in conclusione, *saltem sistendo in terminis antiquorum canonum et concilii Tridentini;* quia hærendo terminis constitutionum Clementis VIII et Innocentii X, qui statuunt novitiatum in Italia et insulis adjacentibus debere perfici in conventu designato, quidam existimant quod permanentia per annum in conventu sit de forma et substantia novitiatus, adeoque quod exitus ex illa discontinuet novitiatum. Ideo enim, inquiunt, volunt laudati pontifices novitiatum peragi in conventibus designatis ubi viget strictior observantia, ut sit optima novitiorum educatio secundum regulam: intendunt ergo quod in illis non solum recipiant habitum, sed etiam quod in illis continuo habitent per annum.

Verum responderi potest, quemcumque novitiatum esse institutum, ut sit optima novitiorum educatio secundum regulam, et tamen permanentiam per annum in conventu non esse de substantia et forma cujuscumque novitiatus. *Ratio est;* quia optima

educatio novitiorum utrobique est finis legis, finis autem legis non cadit sub lege. Porro medium ad hunc finem consequendum de novo præceptum per constitutiones Clementis VIII et Innocentii X, quodque pertinet ad formam et substantiam novitiatus, est, quod habitus recipiatur in conventu designato, et in eo peragatur novitiatus, talis tamen qualis peragendus est de jure communi : circa id enim nihil innovarunt laudati pontifices.

Cæterum defensores hujus sententiæ ita illam limitant, ut vix differat a nostra conclusione. 1° Fatentur eam non habere locum in conversis. 2° Concedunt existentiam diurnam extra conventum non interrumpere novitiatum. 3° Admittunt parvitatem materiæ : unde quidam horum existimant quod, manere extra conventum ad pie peregrinandum, ad recuperandam sanitatem, ad negotium gerendum, imo et ad invisendum parentes, non discontinuet novitiatum; quia, inquiunt, leges et decreta admittunt rationabiles interpretationes. 4° Excipiunt casum necessitatis, non solum physicæ, sed etiam moralis.

Dico 3° Per exitum e conventu, dimisso habitu et cum animo relinquendi religionem, sive id faciat novitius propria voluntate, sive juste ejectus, interrumpitur novitiatus, ita ut si post unum vel alterum diem, vel etiam post aliquas horas, novitius redeat ad conventum, aut a conventu readmittatur, teneatur denuo probationis annum inchoare.

Constat ex declaratione S. congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, quam declarationem se habere apud se authenticam testatur Passerinus ad q. 189 D. Th. inspectione 3, n. 132.

Et ratio est; quia posito exitu extra conventum cum dimissione habitus et animo derelinquendi religionem, habetur perfecta et consummata abdicatio et desertio status religiosi, sicque nova ejusdem status assumptio non potest censeri continuata cum priori.

Hinc inferes 1°, novitium qui dimisit habitum animo redeundi ad sæculum, si, antequam exeat e conventu, facti pœnitens habitum reassumat, non interrupisse novitiatum; quia quamdiu manet in conventu, est adhuc aliquo modo in statu religioso, et nondum est consummata desertio.

Inferes 2°, novitium qui retento habitu exit sine licentia e conventu, etiam animo non redeundi, si iste animus non manifestetur exterius per aliquam circumstantiam, qualis esse potest diuturnior permanentia extra conventum, non interrumpere novitiatum; quia delatio habitus est magnum signum permanentiæ in statu religioso. Nec obstat animus interior non redeundi, si non manifestetur exterius; quia cum religio sit status visibilis in facie Ecclesiæ, ita continuatio vel discontinuatio novitiatus, qui est hujus status inchoatio, debet esse visibilis in facie Ecclesiæ : unde cum Ecclesia non judicet de internis, quivis animus religioni contrarius, si non manifestetur exterius, non interrumpit novitiatum, qui est de jure ecclesiastico.

Inferes 3°, novitium qui non dimisso ad semper, sed deposito tantum ad tempus habitu, exit e conventu sine licentia, non animo, *ut patet*, relinquendi religionem, sed ob aliam causam, sive bonam, puta, ad fugiendam sævitiam magistri, ad recurrendum ad superiores majores, etc., sive malam, ut ad fornicandum, ad tripudiandum, etc., non interrumpere novitiatum; quia, licet sit inobediens actu, non abjicit tamen statum et obligationem obediendi, cum intendat redire et sit paratus subire pœnas inobedientibus debitas : solus autem status et deputatio seu obligatio ad experimentum obedientiæ secundum regulam, est de substantia novitiatus, non actualis obedientia aut actuale experimentum austeritatum, *ut patet*, v. g. in novitio qui sine licentia abest a choro, comedit carnes in cella, frangit silentium, etc. Si tamen diu maneat extra conventum sine habitu et licentia, juste præsumitur abjecisse animum redeundi et novitiatum ejus interrumpi.

Inferes 4° novitium injuste expulsum, non sic discontinuare novitiatum ut, si postea readmittatur, debeat ex integro novum novitiatum incipere; quia nemo sine culpa debet privari jure suo : debet tamen adimplere annum integrum novitiatus, non computato tempore absentiæ, quia non censebatur eo tempore novitius. Ita tutius et nobis probabilius.

Dico 4° Infirmitas novitii post susceptum habitum, etsi durans per totum annum, non discontinuat novitiatum, ita ut expleto

anno, si aliunde sit habilis ad religionem, possit admitti ad professionem; quia, ut jam sæpedictum est, non tenetur novitius omnes religionis austeritates in individuo et in specie experiri, sed sufficit si experiatur in genere perseverando per annum sub obedientia prælati. Insuper non potest quis melius experiri statum religionis et ejus austeritatem, quam in infirmitate; et aliunde religio mores novitii potest probare ex modo vivendi in infirmitate.

Dico 5° Si post susceptum habitum superveniat amentia accidentalis causata ex morbo, ut phrenesis ex violenta febri, non interrumpit nec suspendit novitiatum. *Patet* 1° ex praxi communi omnium religionum; 2° quia talis amentia non habet in novitio causam stabilem et permanentem, sed est accidentalis, effectus infirmitatis, qui non durat nisi per aliquot dies: unde perende est ac si novitius eo tempore lethargo laboraret et dormiret.

Si autem amentia proveniat ex propria causa, scilicet ex perturbatione cerebri, et duret per aliquot menses aut etiam per mensem, non equidem discontinuat novitiatum, quia novitius ratione carens non abdicat statum, sed suspendit, et est complendus per tantum tempus quanto amentia laboravit; quia usus rationis est de essentia probationis humanæ, qualem leges præcipiunt. Si tamen per paucos dies, puta per decem aut duodecim dies duraret, sicut phrenesis ex morbo, idem ac de isto foret dicendum, scilicet, quod nec discontinuet nec suspendat novitiatum, quia ista sunt moraliter sumenda et definienda; moraliter autem parum pro nihilo reputatur. Ita communiter canonistæ.

Dices. Canon *Si tenor*, de Regularibus lib. 3, tit. 31, videtur nihil aliud exigere quam quod novitius sit mentis compos quando professionem emittit; dicit enim novitium fatuum non esse monachum, *nisi postquam mentis factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit monachalem. Ergo.*

R. N. ant. Ad probat. Equidem canon requirit quod profitens sit mentis compos; non vero dicit quod non debuerit esse mentis compos tempore novitiatus. Insuper iste canon est Innocentis III, quo tempore annus continuus non erat de substantia novitiatus, sicut non est post Alexand. IV, cap. *Non solum* in 6, et post decretum Tridentini.

§ VI. — *Variæ quæstiones circa præcedentem materiam discutiuntur.*

Petes 1° utrum qui licite ingreditur religionem animo non profitendi, valide incipiat et peragat novitiatum? item utrum qui tempore novitiatus mutat animum quem prius habuerat profitendi, non interrumpat novitiatum?

R. et primum valide incipere et peragere novitiatum; et secundum, illum non interrumpere, ita ut si uterque finito anno novitiatus intendat sincere profiteri, valide profiteatur absque novo novitiatu; quia novitiatus est tantum de jure positivo: jus autem positivum præcipiens novitiatum, non præcipit intentionem, quæ est actus internus et non est necessaria ad probationem et mutuum experimentum, quod lex intendit.

Idem dicendum de eo qui vi aut metu suscipit habitum et in eo perseverat usque ad finem anni, modo cessante vi aut metu libere profiteatur; quia licet vis et metus repugnent professioni, non repugnant tamen novitiatui, cui sufficit quod novitius ex quacumque voluntate etiam coacta, sit per annum sub habitu religionis et obedientia superioris in statu experiendi tam active quam passive religionem; id enim et nihil aliud præcipit lex novitiatus.

Petes 2° utrum qui absoluto anno novitiatus, non emissa professione sive tacita sive expressa, exit e conventu, sive cum licentia, sive sine licencia, sive retento sive dimisso habitu et animo non redeundi, si postea redeat, possit valide profiteri absque novo anno novitiatus?

R. affirmative, nisi religionis aut personæ conditio sit ita mutata, ut necessarium sit novum experimentum annuale.

Ita declaravit S. congregatio concilii 27 febr. 1597, pro iis qui redeunt ad sæculum cum licentia, et 12 februarii 1598, pro iis qui exeunt sine licentia, his verbis: « Proposito dubio, an novitia quæ finito anno » novitiatus exivit a monasterio absque licentia ordinarii, iterum reversa, possit » sine nova probatione ad professionem » emittendam admitti: die 12 febr. 1598, » S. congregatio censuit posse, nisi conditio religionis aut personæ sit mutata

» idque a superioribus monasterii diligen-
» ter est dispiciendum. »

Intellige mutationem talem quæ necessario requirat experimentum qualis non est simplex mutatio animi, seu propositum redeundi ad sæculum, *ut patet* ex laudatis declarationibus. Equidem hæc animi mutatio, quæ forte animi levitatem et inconstantiam novitii indicat, potest inducere religionem ut non admittat amplius aut differat professionem, non tamen ut exigat novitiatum annualem.

Ratio præter laudatas declarationes *suffragatur;* quia annus novitiatus non est necessarius professioni ex natura rei, sed solo jure positivo: unde eo secluso et attento solo jure naturæ, posset quis profiteri religionem in ipsa susceptione habitus vel statim post: jus autem positivum præcipiens annum novitiatus, non præcipit, saltem sub pœna nullitatis, professionem faciendam statim post annum novitiatus; potest enim ultra annum prorogari novitiatus, ut superius dixi. Si ergo medio tempore exeat novitius et postea redeat, virtute prioris novitiatus secundum legem peracti, poterit profiteri, cum et ipse austeritates ordinis et religio ipsius mores sufficienter et secundum præscriptum legis exploraverint. Excipe cum S. congregatione, nisi conditio novitii aut conventus sit adeo mutata, ut novum experimentum sit necessarium. Ita plus quam viginti auctores quos citat et sequitur Passerinus contra Suarem, Peqrinum, Palaum et Vechium, quibus adhæret P. Henno.

Dices. Trid. sess. 25, cap. 15 *de Regularibus*, statuit ut post annum a susceptione habitus novitius professionem emittat; et cap. 16, decernit ut, finito anno novitiatus, novitius admittatur aut ejiciatur: ergo præcipit continuationem anni novitiatus cum professione.

R. 1° *N. conseq.* nihil enim aliud intendit concilium his decretis, nisi prohibere ne professio fiat ante annum novitiatus: non vero prohibere ne professio possit differri ultra annum, ut ostendi supra. 2° *Data consequentia*, ista decreta non sunt irritantia, sed prohibentia tantum aut præcipientia.

Inferes. Ergo potest quis post decem annos et amplius profiteri.

R. N. illationem; quia moraliter loquendo, impossibile est quod per decem annos aut amplius conditio personæ aut conventus non sit mutata, aut saltem non sit dubium de mutatione personæ, quo casu necessarium est novum experimentum: sed si supponatur ex nulla parte factam esse mutationem, et id utrique parti constet, quod tamen vix est credibile; tunc non esset necessarium novum experimentum, et admittenda esset illatio.

Petes 3° utrum transeuntibus ab una ad aliam religionem, necessarius sit novus et integer annus probationis?

R. 1° Transeuntibus ab uno conventu ad alium, aut ab una provincia ad aliam, sive arctiorem sive laxiorem, intra eumdem ordinem et sub eodem generali, non est necessarius novus annus probationis; quia non sunt diversæ religiones. In una enim parte seu provincia in qua strictius vivitur sub eodem generali, nihil præcipitur, ut suppono, quod sit supra regulam et leges fundamentales ordinis: unde est simpliciter una regula et una ejusdem regulæ professio. *Patet* in ordine nostro, in quo qui a quibusdam dicuntur *reformati*, ab aliis non differunt nisi in observantia exactiori ejusdem regulæ et earumdem constitutionum, et quod non utantur tam facile dispensationibus sicut alii utuntur.

Aliud dicendum foret si in provincia ad quam transit aliquid gravis momenti foret additum super regulam, etiamsi esset sub eodem generali; propter rationes sequentis responsionis.

R. 2° Transeuntibus ab una religione ad aliam, sive strictiorem sive laxiorem, necessarius est novus annus probationis; quia licet substantialia religionis, scilicet tria vota essentialia, sint eadem in omnibus religionibus, diversæ tamen sunt regulæ et constitutiones, in quibus necesse est probari novitium.

Insuper. Ex una parte, religio ad quam fit transitus jure suspicatur hunc transitum fieri ex levitate et temeritate, atque transeuntem esse inconstantem, inquietum, turbulentum, vel obedientiæ parum assuetum. Ex altera parte, timere sibi debet transiens ne vel deficiat a fervore, vel angatur scrupulis, vel non valeat alterius ordinis moribus accommodari. Quod si ad laxiorem ordinem transeat, facile contingere potest quod ex affectu austerioris vitæ mores religiosorum in ordine laxiori vixentium despiciat et carpat, religiosique vicissim ejus asperi-

tatem et censuram ægre ferant, sicque oriantur discordiæ et pax turbetur. Ita communiter auctores; ita communiter omnium religionum praxis; estque sententia probabilior et tutior, et ideo absolute tenenda in praxi, ubi agitur de nullitate professionis.

Petes 4° utrum novitii gaudeant omnibus privilegiis professorum?

R. affirmative; quia, secundum jura, in favorabilibus reputantur religiosi; et æquum est ut qui sentit incommodum sentiat et commodum.

Hinc 1° gaudent privilegio canonis *Si quis suadente*, etc. et fori, ita ut pro delicto aut debito non possint conveniri a judice sæculari vel episcopo, nisi se illi subjiciant, vel non sint religionis exemptæ. 2° Eximuntur a gabellis et tributis. 3° Possunt per prælatos aut per alios legitime deputatos absolvi ab omnibus peccatis, pœnis, censuris et irregularitatibus, a quibus absolvi possunt professi; ita ut si egrediantur, non reviviscant ea a quibus fuerunt absoluti; quia non secus ac professi, fuerunt absolute et simpliciter absoluti. 4° Possunt confiteri religiosis a superiore deputatis, etsi non approbatis ab ordinario.

Utrum autem possint etiam valide confiteri aliis sive regularibus sive sæcularibus, a solo ordinario approbatis et a superiore non deputatis? *Quidam affirmant;* quia sunt adhuc de facto sæculares. *Alii negant;* quia nemo potest valide confiteri nisi proprio sacerdoti, vel alteri de ejus licentia: proprius autem sacerdos novitii est prælatus monasterii; proprius enim cujuslibet fidelis sacerdos est ille in cujus districtu fidelis habet domicilium: novitius autem habet domicilium in monasterio. Adde quod si episcopus esset proprius sacerdos novitii, is non posset confiteri nisi sacerdoti ab episcopo approbato et deputato; quod ex generali praxi contraria constat esse falsum. Hæc sententia mihi est valde probabilis, et cum sit tutior, tenenda est in praxi.

Petes 5° quam potestatem habeat prælatus regularis in novitios?

R. non habere potestatem patriam et dominativam, qualem habet in professos, quia novitii nondum se absolute tradiderunt religioni; sed habet potestatem jurisdictionis, qualem habet episcopus in clericos. Ita jura concedunt; tum quia id necessarium est ad bonum regimen conventus et novitii; tum quia æquum est ut qui eximitur a jurisdictione episcopali et sæculari, subjiciatur regulari. Hinc prælatus regularis non potest irritare simpliciter vota novitiorum; potest tamen in illis dispensare.

ARTICULUS III.

De professione religiosa.

§ I. — *Quid et quotuplex sit professio religiosa?*

Dico 1° Professio religiosa non est simplex promissio, ut in voto simplici, sed est simul sui traditio ad cultum divinum, seu ad vivendum caste, sine proprio et sub obedientia, in religione approbata et simul traditionem acceptante.

Prob. Quod quis se privet non solum dominio, sed etiam usu libero sui, suæ libertatis, sui corporis et suarum rerum, non fit nisi traditione per quam se alteri donat atque in illum sui dominium transfert: atqui in religiosa professione profitens se sui, suæ libertatis et suarum rerum dominio et usu libero privat illudque dominium religioni transfert. Unde perinde est ac si quis alteri promitteret fructus agri et promittendo daret ipsum agrum, seque obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis.

Ista autem traditio non fit per aliquem contractum reciprocum et utrinque obligatorium, quo religiosus se mancipat et obligat religioni ad obsequia spiritualia, et religio se obligat profitenti ad ejus alimenta et vestimenta; id enim foret aperte simoniacum: sed est donatio et traditio liberalis ex parte profitentis, ad suam propriam utilitatem et perfectionem, et acceptationem ex parte religionis.

Quod autem religio teneatur ad alimenta et vestimenta profitentis, non est ex vi alicujus pacti vel contractus, sed ex vi institutionis vitæ monasticæ, et quia monasteriorum bona instituta et ordinata sunt in victum et amictum religiosorum. Et sane turpe foret quod religiosus se daret religioni principaliter ex pacto ut aleretur ab ea, et quod religio daret illi alimenta ut pretium conversionis in Deum.

Qui sint admittendi ad professionem, qui rejiciendi, *patet ex supra dictis* art. 1 hujus dissert. Quibus adde quod tam professio quam acceptatio debeant esse liberæ: unde gravis metus injuste incussus in ordine ad professionem emittendam, vel ad ejus

acceptationem per religionem, utramque irritat, ut dixi de Contractibus dissert. 1, art. 4.

Dico 2° Duplex distinguitur professio : expressa, quæ verbis ; et tacita, quæ factis exprimitur, et de qua jura loquuntur in pluribus locis. Non differunt essentialiter, *ut patet*, sed in modo tantum. Unde conditiones quæ requiruntur ad professionem expressam ut sit licita et valida, requiruntur pariter ad tacitam.

Ut ergo sit professio tacita, requiritur ex una parte quod actus per quem dicitur induci, fiat sciente et consentiente eo ad quem spectat admittere ad professionem ; non est enim professio religiosa, nisi acceptata a religione : ex altera parte, quod novitius exercens actum inductivum professionis, illum cognoscat ut talem et intendat per eum profiteri ; hoc enim est de essentia professionis. Unde fit quod raræ sint professiones tacitæ coram Deo ; quia rari sunt novitii qui intendunt aliter profiteri quam verbis expressis, licet in foro fori possint præsumi professi. Pontas dicit ex variis sententiis curiarum supremarum, professiones tacitas in Gallia non amplius admitti.

Duplici modo inducitur professio tacita, vel gestando habitum proprium professis, vel exercendo actus ipsis proprios, prout habetur in variis textibus juris.

Quantum ad primum, observandum est quod in pluribus religionibus habitus novitiorum sit distinctus ab habitu professorum, sive in aliquo permanente, ut in colore, vel forma, vel scissura ; sive in aliqua actione transeunte, ut si habitus professorum benedicatur solemniter, non habitus novitiorum ; vel si habitus professorum de jure detur in uno loco, puta in choro, et habitus novitiorum in alio, puta in capitulo ; vel si ille de jure detur ab uno superiore, puta a provinciali, et iste ab alio, puta a priore, etc.

In quibusdam autem aliis religionibus habitus novitiorum est indistinctus ab habitu professorum, ut in nostro Prædicatorum ordine; quamvis enim habitus professorum benedicatur et non habitus novitiorum, notat tamen Passerinus quod hæc cæremonia non sit solemnis, nec necessaria, sed mere accidentalis.

Quantum ad secundum : actus proprii professis dicuntur qui sunt vel jure tales, ut vox activa et passiva in electionibus, susceptio sacrorum ordinum, etc. vel ex consuetudine, ut certæ obligationes a professis fieri solitæ, cap. *Vidua*, de Regularibus lib. 3, tit. 31. Qui ergo deposito habitu novitiorum gestat habitum professorum, aut qui in habitu communi novitiis et professis exercet aliquem actum proprium professis, in foro exteriori præsumitur professus.

Dixi, *in foro exteriori;* quia in foro interiori et coram Deo nulla est professio, ut supra dictum est, sine intentione expressa profitendi in novitio et acceptandi in religione vel in superiore. Unde si fiat protestatio in contrarium, sive ex parte novitii, sive ex parte religionis, neque gestatio habitus proprii professis, neque exercitium actuum illis propriorum etiam in foro exteriori, inducunt professionem.

II. — *De effectibus professionis validæ.*

Primus effectus professionis validæ est, quod professus non sit amplius sui juris, sed quod transeat sub potestate et dominio religionis, ratione traditionis per quam seipsum totum religioni donando tradit, et hanc traditionem voto consecrat atque confirmat : unde oritur ex parte religionis vi vitæ cœnobiticæ et ex natura bonorum monasterii, ut jam dixi, obligatio subministrandi necessaria professo.

Hic q. 189. a. 3. ad 3. — *Secundus effectus* est remissio omnium pœnarum peccatis debitarum, non *ex opere operato*, quia professio non est sacramentum ; sed ex excellentia operis, quod est condigna satisfactio pro tota pœna peccatis debita : unde secundum S. Hieron. Epist. 8 et 25, et S. Bernardum, lib. de Præcepto et Dispensat. professio religiosa comparatur baptismo. Adde quod summi pontifices concesserunt indulgentiam plenariam profitentibus. *Nota* tamen quod professio debeat fieri in statu gratiæ ; non enim remittitur pœna, nisi remissa culpa.

Tertius effectus est exstinctio omnium votorum professionem præcedentium, sive sint reservata sive non, sive realia, sive personalia, sive in sæculo sive in novitiatu emissa.

Ita S. Th. quem unanimiter sequuntur theologi. Sic autem habet S. Doctor. 2, 2. q. 88, a. 12, ad 1 : « Dicendum, inquit, » quod omnia alia vota sint quorumdam » particularium operum ; sed per religio-

» nem homo totam vitam suam Dei obsequio » deputat; particulare autem in universali » includitur, et ideo Decretalis dicit, quod » *Reus voti fracti non habetur, qui tempo-* » *rale obsequium in perpetuam religionis* » *observantiam commutat.* Nec tamen re- » ligionem ingrediens tenetur implere vota » vel jejuniorum, vel orationum, vel alio- » rum hujusmodi, quæ existens in sæculo » fecit, quia religionem ingrediens moritur » priori vitæ. Et etiam singulares observan- » tiæ religioni non competunt, et religionis » onus satis hominem onerat, ut alia super- » addere non oporteat. » Idem docet hic, q. 189, a. 3, ad 3, et in 4, dist. 38, q. 1, a. 4, q. 4, ad 1 et 2.

Sed quæstio est utrum ista exstinctio votorum fiat ipso jure vi professionis, independenter ab intentione profitentis.

R. probabilius et communius affirmative. Et est expressa sententia D. Th. qui loco cit. in 4, ad 1, dicit : *Ex ipsa vi voti religionis a prioribus votis est absolutus rationibus dictis.* Rationes autem dictæ quas habet ibid., et quas retulimus supra ex 2, 2, q. 88, probant sic fieri tam jure naturali divino quam ecclesiastico.

Jure naturali divino probatur. Professio religiosa se habet ad particularia vota prius emissa ut totum ad partes, quatenus omnia illa particularia vota continentur formaliter vel eminenter in voto professionis. Ergo *Prob. ant. deductione.* Sic votum castitatis continetur formaliter in voto professionis; vota eleemosynarum, largitionum, oblationum, etc., eminenter continentur in voto paupertatis : certo enim homo perfectiori modo solvit Deo omne debitum pecuniarum, dum per professionem dat Deo totum quod habet et quod habere potest in posterum. Tandem alia opera honesta quæ possunt esse materia votorum particularium et quæ possunt exerceri ab homine in statu religioso, eminentius continentur in voto obedientiæ, quo homo se totum et sua opera dat Deo. Ergo. Hinc vere dixit S. Th. loco cit. in 4, ad 2, quod professio religiosa sit *quodammodo ampliatio voti, magis quam commutatio.*

Confirmatur. Homo per professionem religiosam moritur priori vitæ, id est, priori voluntati et libertati, ita ut non sit amplius sui juris, sed juris religionis et Dei : ergo non amplius tenetur priori obligationi quæ ex privata sua voluntate ortum habebat.

Jure ecclesiastico prob. Ex c. *S. Scripturæ*, de Voto, ubi dicitur universaliter de omnibus votis : « Reus voti fracti non habe- » tur, qui temporale obsequium in per- » petuam religionis observantiam commu- » tat : » ubi hæc vox, *commutat* significat quidem actum hominis, sed qui in ipsa professione consistit, non in speciali profitentis intentione; est enim sensus apertus quod profitendo commutat : quia scilicet ipsa professione commutat. *Confirmatur*, ex c. penultimo *de Regularibus* in 6, ubi dicitur quod qui voverat ingredi religionem strictiorem, et profitetur solemniter in laxiori, licet peccet, prius ejus votum simplex sit exstinctum per solemne. Nusquam enim hic est exceptio juris communis, sed est resolutio ex ipso jure communi; hujus enim resolutionis hæc adfertur ratio : *Quia voto priori tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum.* Audis, non *derogat*, sed *noscitur derogatum;* a quo autem derogatum nisi ab ipso jure communi, tam naturali divino quam ecclesiastico? ut probatum est.

Hinc vides quantum a vero aberrat idem Henno, dum dicit S. Thomam non esse contrarium oppositæ sententiæ; siquidem non solum omnes rationes quas protulimus sicut ex ipso, sed ipse in terminis dicat quod profitens, *ex ipsa vi voti religionis, a prioribus votis sit absolutus.* Hic error frequens est in isto auctore, ubi agitur de mente S. Thomæ.

Quartus effectus est dissolvere præcedens matrimonium ratum, non consummatum, et dirimere subsequens contractum, Trid. sess. 24, can. 6 et 9. De isto matrimonii impedimento, vide plura in Theologia nostra, tract. de Impedimentis matrimonii.

Quintus effectus est tollere irregularitatem ortam ex defectu natalium in ordine ad sacros ordines suscipiendos, non tamen in ordine ad prælaturas et dignitates, cap. 1 *de Filiis presbyterorum;* item tollere inhabilitatem ad testificandum, ita ut professus possit testificari judicialiter, quamvis antea, ratione perjurii aut furti, fuisset ad id declaratus inhabilis, Authent. *de Monachis;* Collat. 1.

Sextus effectus est eximere professum a patria potestate, in his scilicet in quibus est utile filio ab ejusmodi potestate esse liberum, secus in iis in quibus id caderet in

ejus damnum ; item a jurisdictione laicali, ita ut professus gaudeat privilegio fori et canonis, ut dixi de novitiis ; denique a jurisdictione ordinarii.

Oppones contra hoc ultimum caput *Volentes*, de Privilegiis in 6, ubi Innocentius IV, in concilio Lateranensi, declarat exemptos subjici jurisdictioni ordinarii in tribus casibus, scilicet ratione delicti, contractus initi et rei litigiosæ, si hæc fiant aut existant intra locum exemptionis. Et Trid. sess. 7, cap. 14, hanc declarationem confirmat et innovat.

R. caput *Volentes* loqui in hac exceptione de exemptis localiter tantum, non de exemptis personaliter, qualiter sunt hodie plerumque regulares, ex quibusdam constitutionibus sequentium pontificum qui etiam expresse huic decretali ad abundantiorem cautelam derogarunt : exemptio autem personalis ubique afficit exemptum. *Veritas hujus responsionis patet ex ipsa decretali.* Nam ibid. § *In omnes*, agens de exemptis personaliter quantum ad censuras, declarat quod episcopus non possit monachos *pro ulla causa ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare.*

Unde ad Trid. dicendum est, ipsum innovasse hoc decretum in suo sensu, scilicet, quoad exemptos localiter tantum *Idque patet* tum ex citato cap. 14, ubi concilium in causis miserabilium personarum subjicit regulares episcopis *ut delegatis a S. Sede.* Similiter sess. 6, cap. 3, ex quo evidenter constat quod non agnoscat in eis jurisdictionem ordinariam in regulares. Sed quod rem decretorie conficit, Paulus V, constit. *Religiosorum*, data 14 aug. 1607, declarat regulares non comprehendi sub decretali *Volentes*, neque sub decretis concilii Trid. sess. 7, cap. 14, et sess. 24, cap. 20.

ARTICULUS IV.

De professione invalida.

§ I. — *Utrum professio invalida habeat aliquem effectum ?*

Quidam volunt professionem invalidam defectu alicujus conditionis jure positivo requisitæ, valere in ratione voti simplicis, tum ad religionem alteram profitendam, tum ad castitatem servandam. Contra quos, *Dico.* Probabilius videtur professionem quovis jure invalidam, nullum habere effectum.

Prob. Professio religiosa non est simplex promissio vitæ regularis facta Deo, sed est sui traditio et donatio ad vitam regularem, in hac specifica et individua religione acceptante, quam donationem profitens voto facto Deo confirmat et sigillat : ergo ex quovis capite sit invalida donatio, est pariter invalidum votum de ea emissum, sicque nullam inducens obligationem etiam voti simplicis, sive ad religionem in communi, sive ad castitatem servandam.

Unde Trid. sess. 25, cap. 15 de Professione invalida defectu ætatis sexdecim annorum aut anni novitiatus, quæ sunt solemnitates a jure positivo requisitæ, declarat quod « sit nulla, nullamve inducat obliga» tionem ad alicujus regulæ vel religionis » vel ordinis observationem, aut ad alios » quoscumque effectus. » Hi autem termini universales excludunt omnem prorsus obligationem etiam voti simplicis. Quod propter identitatem rationis videtur dicendum de aliis similibus casibus.

Dices 1° Secundum jura antiqua, quædam professiones invalidæ censentur valere, vel ad religionem in communi, vel ad castitatem servandam in sæculo. Ergo.

R. jura antiqua sic censuisse ex præsumptione quod professioni accessisset votum simplex sive antecedens, sive concomitans, sive subsequens professionem ; ut si quis prius vovisset simpliciter ingredi religionem vel servare castitatem, et ut vel simpliciter vel melius voto satisfaciat, religionem profitetur : supposita nullitate professionis, remanet obligatio voti simplicis ; sed secluso simili voto simplici, nulla restat obligatio præcise ex professione invalida.

Dices 2° Leg. *Tam Augustini* ff. de Servit. et cap. unic., de Spons. in 6, statuitur hæc Regula : *Quando actus non valet sicut fit, valet eo modo quo valere potest.* Ergo quando professio religiosa non valet in ratione voti solemnis, valet saltem in ratione voti simplicis.

R. hanc juris regulam non habere locum in actibus quorum totus valor desumitur ab intentione agentis, ut est professio religiosa ; sed in his actibus servanda est hæc altera regula : *Actus tantum valet quantum agent vult ut valeat.* Adde quod ex prima regula sequeretur quod professio religiosa non va-

leret tantum in ratione voti simplicis castitatis, ut volunt adversarii, sed etiam in ratione voti simplicis paupertatis et obedientiæ, quippe quæ etiam fieri et servari possunt in sæculo.

§ II. — *De reclamatione contra professionem invalidam.*

Reclamare contra professionem invalidam, est petere facultatem dimittendi habitum et statum religiosum, allegando causas nullitatis professionis.

De ista reclamatione exstat speciale decretum concilii Trid. sess. 25, cap. 19, his verbis : « Quicumque regularis prætendat per » vim et metum ingressum esse religionem, » aut etiam dicat ante ætatem debitam pro» fessum, aut aliquid simile, velitque habi» tum dimittere quacumque de causa, aut » etiam cum habitu discedere, sine licentia » superiorum, non audiatur; nisi intra quin» quennium tantum a die professionis, et » tunc non aliter nisi causas quas prætende» rit, deduxerit coram superiore suo et or» dinario. Quod si ante habitum sponte di» miserit, nullatenus ad allegandum quam» cumque causam admittatur, sed ad mo» nasterium redire cogatur, et tanquam apos» tata puniatur : interim vero nullo privile» gio suæ religionis juvetur. » Circa hoc decretum occurrunt variæ quæstiones resolvendæ.

Petes 1° quos istud decretum comprehendat?

R. comprehendere omnes religiosos etiam militares qui tria vota emittunt, quia sunt vere religiosi; item eos qui Societati Jesu sunt post biennium incorporati, quia in bullis SS. pontificum sunt etiam religiosi; denique omnes moniales. Constat ex his terminis decreti; *quicumque regularis*, qui, cum sint universales, omnes quovis nomine vel titulo regulares comprehendunt. Ita communiter.

Petes 2° utrum etiam comprehendat perpetuo inhabiles ad profitendum; item eos qui toto tempore quinquennii non potuerunt ratificare professionem invalidam, nec reclamare ex impedimento quidem temporali, sed toto tempore quinquennii durante, v. g. metu vel ignorantia nullitatis professionis?

Multis videtur præfatos non comprehendi, 1° quia concilium determinavit quinquennium, ex præsumptione quod toto eo tempore ratificaretur professio invalida, quod præfati non potuerunt facere; 2° sequeretur quod id quod est institutum in bonum religionis, cederet in ejus gravamen, dum cogeretur retinere perpetuo inhabiles aut nolentes profiteri; 3° quia nemo cogi debet ad religionem, cum sit onus gravissimum summa libertate suscipiendum; &c sequeretur quod mulier quæ mentito sexu professa esset in monasterio virorum, et non reclamasset tempore quinquennii, cogeretur in eo perpetuo manere, quod est absurdum. Hinc volunt quod istæ particulæ decreti, *ex quacumque causa*, restringi debeant ad habiles ad profitendum. His non obstantibus,

R. probabilius nobis videri etiam cum multis, præfatos sub isto decreto comprehendi, excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis, ut explicabo infra.

1° Quia hæ particulæ, *ex quacumque causa*, cum sint universales, comprehendunt omnes casus; nec est ratio cur restringantur ad solos habiles ad profitendum : *ut patebit* tum ex rationibus sequentibus, tum ex solutione rationum oppositarum. Unde 2° quia intentum concilii fuit ut judicium nullitatis professionis non esset penes solum professum, tum ne pateret lata via ad apostasias impuno habendas, quod accideret dum quisque diceret se esse aut fuisse inhabilem; tum quia secundum se injustum est ut parte inaudita auferatur ab ea quod legitime possidet, possidet autem legitime religio quoquo modo professum. 3° Quia concilium istud decretum edidit non solum ex præsumptione quod tempore quinquennii ratificaretur professio invalida, aut ederetur tacita, ut supponit opposita sententia; sed etiam pro tranquillitate religionum, quæ nunquam haberetur, si sub quovis prætextu liceret toto tempore vitæ religiosis et religioni reclamare : et ideo ad limitandum tempus hujusmodi litium et contentionum, decrevit pro religione et religiosis præscriptionem professionis terminato quinquennio, sive fuerit valida professio, sive invalida.

Quidam addunt in confirmationem hujus sententiæ quasdam declarationes S. Congregationis; *sed esto* forte de his declarationibus non satis constare, saltem stylus et praxis curiæ est, quod nullum, elapso quinquennio, admittat ad reclamandum, nisi via extraordinaria obtinuerit a S. Sede

apertionem oris, seu, ut dicitur communiter, restitutionem in integrum.

Dixi, *excepto impedimento perpetuo facti notorii permanentis*; ut si mulier, mentito sexu, professa esset in monasterio virorum, aut vir in monasterio mulierum, aut hermaphroditus perfectus et certus in alterutro; cum enim is teneretur exire, id posset se solo, non petita licentia, nec servata forma præcedentis decreti, non solum post quinquennium, sed post viginti, triginta annos et amplius. Quia, inquiunt auctores, notorium facti permanentis non eget probatione, nec requirit ordinem judicii, et quod extrinsecus patet expresse probare non est necesse; quæ enim necessitas probandi eum esse cæcum qui non habet oculos?

Et hinc patet responsio ad quartam probationem sententiæ oppositæ. *Ad primam, patet responsio* ex tertia ratione nostræ sententiæ, nimirum, quia concilium decretum istud edidit non ex sola præsumptione ratificationis tempore quinquennii, sed etiam pro tranquillitate religionum, quæ non posset haberi si toto tempore vitæ locus esset reclamationi. *Ad secundum*, *R.* majus esse inconveniens quod religio exponatur perpetuis litibas et contentionibus, quam quod retineat religiosum inhabilem tempore ejus vitæ. *Ad tertiam*, *R.* veram esse per se, secus per accidens ad vitandum majus inconveniens. Adde quod pateat ipsi recursus ad S. Sedem pro obtinenda restitutione in integrum. Sed

Petes 3° a quo temporis puncto incipiat istud quinquennium?

R. non incipere, ut quidam volunt, a cessatione impedimenti ad profitendum, aut a cessatione ignorantiæ nullitatis professionis, sed a tempore professionis sive expressæ sive tacitæ, præsumptæ scilicet per exercitium alicujus actus professis proprii. Constat tum ex responsione præcedenti, tum ex his verbis expressis decreti: *nisi intra quinquennium tantum a die professionis numerandum;* ubi particulæ *nisi* et *tantum* sic affirmant quod ponunt, ut excludant omnes alios casus præter expressum: ex quo etiam colligitur quod istud quinquennium sit numerandum de momento ad momentum, quia istæ particulæ sunt taxativæ et non admittunt ampliationem aut diminutionem; unde nullus elapso quinquennio a professione est audiendus, nisi obtinuerit a Sede Apostolica restitutionem in integrum.

Quæ objici possunt contra hanc responsionem, soluta sunt in præcedenti responsione.

Si dicas, ulterius posse contingere quod professio aut permanentia professi in religione sit manifeste contra legem naturalem aut divinam; ut si sit scandalum quod dubiuf hermaphroditus maneat in monasterio; aut si maritus qui prætextu adulterii uxoris religionem professus est, et post multos annos inveniatur nulliter professus, eo quod ipse ante professionem pariter adulteratus fuisset, et inde perdiderat jus profitendi religionem invita uxore; foret enim aperta injustitia ipsum non reddere uxori: nulla autem lex humana prævadere debet legi naturali vel divinæ.

R. responsionem nostram esse intelligendam salva lege naturali et divina; non enim concilium intendit peccatum aut peccati incentivum: attamen casus propositi non multum urgent. In primo enim posset separari dubius hermaphroditus, sic, ut absit scandalum donec de ejus causa per judices definiatur. In secundo equidem restitutio est de jure naturali, sed potest differri ex causa, qualis potest esse necessitas cognoscendi nullitatem professionis in facie Ecclesiæ. Cæterum si, attendis circumstantiis, lex naturalis obliget ad statim, servanda est.

Ex dictis in duabus præcedentibus responsionibus *colliges*, nulli, sive sit dubius, sive etiam certus de nullitate suæ professionis, quam tamen nullitatem possit in judicio probare, licere deserere religionem et redire ad sæculum, non servata hujus decreti forma. Equidem si sit certus de nullitate suæ professionis, non erit apostata coram Deo, nec incurret censuras contra apostatas latas; quia apostasia supponit professionem religiosam: peccabit tamen et erit apostata in foro Ecclesiæ, atque ut talis punietur.

Dixi, *quam tamen nullitatem possit in judicio probare;* quia existimo, salvo meliori judicio, quod, qui omnino certus est de nullitate suæ professionis et eam nullitatem non potest probare, possit licite, secluso tamen scandalo, sine licentia et non servata forma hujus decreti, deserere religionem et redire ad sæculum; quia decretum non videtur comprehendere nisi eos qui causas nullitatis suæ professionis

deducere et probare possunt in judicio.

Petes 4° utrum qui dimisso habitu recessit sine licentia, et ideo non est audiendus, si redeat, sive spontè sive coacte, possit, reassumpto habitu, audiri?

R. juxta communem sententiam *affirmative;* quia concilium non prohibet audiri, si redeat: intellige durante quinquennio a professione, quia eo elapso non est audiendus, ut dictum est, nisi obtinuerit restitutionem in integrum.

Petes 5° de quo superiore et de quo ordinario intelligendum sit decretum?

R. intelligendum esse de superiore locali conventus in quo emissa fuit professio, et de ordinario diœcesis in qua situs est iste conventus. Ita communiter. Sub nomine ordinarii, veniunt capitulum sede vacante, et vicarius episcopi.

Adjunxit autem concilium ordinarium superiori, ut ab eis conjunctim fieret inquisitio et ferretur sententia; quia superiorem non judicavit judicem ex omni parte integrum eo quod agatur de re sua, et posset induci vel ad dimittendum valide professum, quia est religioni noxius, vel ad retinendum invalide professum, quia est religioni utilis. In casu autem quod isti duo judices non conveniant, lis per Sedem Apostolicam est dirimenda.

Petes 6° utrum in hoc judicio citandi sint parentes vel hæredes aut alii interesse habentes?

R. a pluribus negari. Attamen Passerinus refert Rotam irritasse hujusmodi sententias, quia non fuerant citati interesse habentes. Indubitatum est autem citandam esse religionem seu conventum collegialem, qui per suum procuratorem compareat.

Petes 7° quæ bona dimissus, probata nullitate professionis, secum deferat?

R. deferre 1° quæ religioni donavit intuitu professionis; quia hæc donata sunt sub conditione quæ non purificatur. 2° Quæ in religione ipsi donata vel legata fuerunt ab amicis aut consanguineis ratione personæ, ipsius sunt; secus si fuerint donata intuitu religionis, licet occasione professi. 3° Quæ acquisivit in religione docendo, concionando, ministrando sacramenta, etc. etiam ipsius sunt et secum defert; quia est capax dominii, nec intendit acquirere religioni, nisi ex errore professionis validæ: si enim scivisset esse invalidam, nec ipsam ratificare voluisset, indubie sibi acquisivisset; error autem non tribuit verum titulum nec verum dominium.

Verum est quidem sic nulliter professum teneri religioni de alimentis et vestimentis; quia in sæculo vixisset de suo, in religione autem vixit de alieno: unde si sit possessor bonæ fidei, tenetur ad id in quo factus est ditior; si sit malæ fidei, tenetur ad totum.

Si dicas, ipsum interim inserviisse religioni: *R.* obsequia communia religionis esse simpliciter in utilitatem religiosi operantis et non religionis, sicque non debent intrare compensationem pro alimentis et vestimentis a religione subministratis: secus autem foret dicendum si obsequia essent specialia, necessaria aut utilia religioni.

Quæ hucusque diximus de reclamatione nulliter professi contra suam professionem, pariter dicenda sunt de reclamatione religionis contra ejus professionem; quia sunt correlativa, et quæ statuuntur de uno correlativo censentur statuta de alio.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Petitionum, Consectariorum, Digressionum, etc., quæ in hoc tomo VI continentur.

TRACTATUS DE PRUDENTIA. DISSERTATIO I. De prudentia secundum se. 1
Art. I. Quid sit prudentia? Ib.
Petes sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? 2
Art. II. De actionibus prudentiæ. 3
Petes utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus? Ib.
DISSERTATIO II. De partibus prudentiæ. 4
Art. I. De partibus prudentiæ in genere. Ib.
Art. II. De partibus integralibus prudentiæ. Ib.
Art. III. De partibus subjectivis prudentiæ. 5
Art. IV. De partibus potentialibus prudentiæ. 6
Appendix de dono consilii correspondente prudentiæ. Ib.
DISSERTATIO III. De vitiis oppositis prudentiæ. 7
Art. I. De vitiis oppositis prudentiæ per defectum. Ib.
Art. II. De vitiis oppositis prudentiæ quæ habent similitudinem cum illa et ipsi opponuntur per excessum. 8
Appendix de præceptis prudentiæ. Ib.
TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA, ET VITIIS OPPOSITIS. DISSERTATIO I. De jure. 9
Art. I. Quid et quotuplex sit jus? Ib.
Art. II. In quo differunt jus naturale et jus positivum, et quomodo jus naturale dicitur immutabile? 11
Art. III. Utrum jus gentium sit idem cum jure naturali? 12
Digressio I historica. Utrum canones Apostolorum sint genuini? Ad art. I dissert. præcedentis. 13
Digressio II historica. Utrum Epistolæ decretales veterum pontificum Romanorum qui floruerunt quatuor primis Ecclesiæ sæculis usque ad Siricium, sint genuinæ? Ad eumdem art. I. 14
DISSERTATIO II. De dominio et aliis speciebus juris. 16
Art. I. Quid et quotuplex sit dominium? Quid usufructus et usus? Ib.
Petes 1° quomodo acquiratur usufructus? 18
Petes 2° quomodo amittatur? Ib
Art. II. Utrum usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a dominio? 19
Solvuntur objectiones. 20
Art. III. De possessione. Quid et quotuplex sit? Quomodo acquiritur et amittitur? Quæ ejus privilegia? 22
DISSERTATIO III. De subjecto et objecto dominii, sive quibus et in quæ competat dominium. 23
Art. I. De subjecto dominii in genere. Ib.
Art. II. De objecto dominii humani in genere. 25
Petes 1° quotuplici titulo fit aliquis alterius servus? 26
Petes 2° an sit licitum servis fugere ad recuperandam libertatem? Ib.
Art. III. De dominio uxorum. 27
Art. IV. De dominio filiorumfamilias. 28
Petes quot modis filiusfamilias patria potestate liberatur, suique juris effectus, bonorum adventitiorum usumfructum acquirat 30
Art. V. De dominio clericorum. Ib.
Expenditur mens D. Thomæ in probationem conclusionis. 36
Solvuntur objectiones contra tertiam conclusionem. 40
Appendix ad articulum præcedentem. 44
Petes 1° utrum clerici habentes propria, possint vivere ex bonis ecclesiasticis? Ib.
Petes 2° quæ censeatur congrua clerici sustentatio? 47
Petes 3° utrum in solo casu paupertatis liceat clericis subvenire consanguineis ex bonis ecclesiasticis? Ib.
Petes 4° utrum beneficiarius non possit sibi reservare aliquid in futurum? Ib.
Monitum christianum ad auctorem Theologiæ Christianæ, in defensionem præcedentis doctrinæ. Ib.
Art. VI. De Christi in terris dominio. Utrum Christus fuerit rex temporalis totius mundi aut alicujus saltem provinciæ, v. g. Judææ? 53
Solvuntur objectiones. 55
DISSERTATIO IV. De modis acquirendi dominium. 56
Art. I. Utrum divisio rerum et dominiorum fuerit licita et conveniens, quo jure et tempore facta sit? 57
Art. II. De modis acquirendi dominia rerum quæ nullius sunt. 59
§ I. De occupatione animalium. Ib.

§ II. Utrum venatio, aucupatio, piscatio possint prohiberi? 61
§ III. Utrum et quomodo peccet qui contra justam prohibitionem venatur aut piscatur, et an teneatur ad restitutionem? 62
§ IV. De lignatione et pastione. 63
§ V. De thesauris. Ib.
Quæritur hic utrum qui novit thesaurum latere in alieno fundo, licite emat fundum illum secundum communem æstimationem antequam thesaurum eruat, et efficiatur totius hujus thesauri dominus postquam eruerit? 64
§ VI. De rebus derelictis, amissis et vacantibus. 65
Petes 1° utrum si inventor sit pauper, possit sibi rem inventam retinere? 67
Petes 2° an inventor, etiamsi non sit pauper, possit exigere vel retinere aliquid pro mercede inventionis? 68
Petes 3° quid facto opus, si re distributa in pauperes aut in usus pios, compareat dominus? Ib.
Petes 4° quanta diligentia sit adhibenda ut censeatur inquisitio sufficiens? Ib.
§ VII. De venis metallicis et aliis non metallicis. Ib.
§ VIII. De acquisitione dominii per alluvionem, accessionem, confusionem et commixtionem. 69
Art. III. De modo acquirendi dominia rerum quæ sunt alicujus, nimirum de præscriptione. 71
§ I. Quid præscriptio; quid usucapio? Ib.
§ II. Vera possessio. 72
§ III. Titulus præsumptus. Ib.
§ IV. Bona fides. 73
§ V. Utrum bona fides orta ex quavis ignorantia inculpata sufficiat ad præscriptionem? 75
§ VI. Utrum dubitans sitne res sua vel aliena, sit possessor bonæ fidei, possitque præscribere? 76
§ VII. Tempus legitimum. 78
De dormitione et interruptione præscriptionis. 80
§ VIII. An et quanto tempore consuetudo præscribat contra legem? Ib.
§ IX. An et quanto tempore præscribat qui rem bona fide accepit a possessore malæ fidei? 81
§ X. Quæ non possunt præscribi? 82
§ XI. Utrum præscriptio valeat in foro conscientiæ? Ib.
Solvuntur objectiones. 84
Petes 1° utrum qui rem præscripsit, non teneatur saltem reddere fructus currente præscriptione perceptos, si postea resciat rem fuisse alienam? 85
Petes 2° utrum non detur aliquod remedium priori domino adversus præscriptionem? Ib.
Digressio historica ad præcedentem dissertat. Cui Ecclesia Romana accepta refert sua dominia? 86
DISSERTATIO V. De justitia. 89
Art. I. De definitione, objecto et subjecto justitiæ. 90
Art. II. De divisione justitiæ. 91
Petes utrum justitia generalis habeat veram rationem justitiæ? 93
Art. III. De subdivisione justitiæ particularis in commutativam et distributivam. 94
Art. IV. Quæ sit materia circa quam versatur justitia particularis? 96
Consectaria præcedentis doctrinæ. 97
Art. V. Utrum inter patrem et filium, inter dominum et servum, inter virum et uxorem sit justitia proprie dicta? 99
Petes utrum justitia præmineat aliis virtutibus moralibus? 100
DISSERTATIO VI. De injustitia in genere. 101
Art. I. Quid et quotuplex sit injustitia? quis dicendus injustus? Ib.
Art. II. Utrum aliquis possit pati injustum volens formaliter loquendo; seu, ut communiter dicitur, utrum scienti et volenti fiat injuria? 102
DISSERTATIO VII. De actu justitiæ ut sic, nempe de judicio. 103
Art. I. Quid sit judicium, et utrum sit licitum? Ib.
Quæritur utrum judex existens in peccato mortali, peccet alios judicando? 105
Art. II. De suspicione et judicio temerario. Ib.
Notanda pro praxi. 109
Art. III. Utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda? 111
Nota diligenter pro praxi. 112
DISSERTATIO VIII. De actu justitiæ commutativæ, nempe de restitutione. 113
Art. I. Utrum restitutio sit actus justitiæ commutativæ? Ib.
Art. II. Utrum restitutio sit necessaria ad salutem? 115
Petes 1° utrum præceptum restituendi sit affirmativum, an negativum? 116
Petes 2° utrum restitutio sit necessaria etiam necessitate medii ad salutem? 117
Art. III. Ex quotuplici titulo nascatur obligatio restituendi? Ib.
Art. IV. Utrum incurratur obligatio restituendi ratione damni illati absque culpa theologica? 119
Art. V. Utrum culpa theologia venialis inducat obligationem restituendi, et qualem? 121
Art. VI. Utrum et quando culpa juridica inducat obligationem restituendi ratione contractus? 124
Petes 1° utrum qui rem vel conductam vel commodatam vel depositam remittit per nuntium, teneatur ad restitutionem seu solutionem, si res culpa nuntii pereat? 126
Petes 2° utrum qui res alienas commodatas apud se habet, quas et suas simul salvare non potest, ut in casu naufragii, incendii vel altero, si suas salvet, posthabitis alienis commodatis, sit in culpa et teneatur ad restitutionem seu compensationem rerum alienarum commodatarum? 127

Art. VII. Ex qua culpa quis teneatur ad restitutionem ratione quasi contractus seu officii? 127
Art. VIII. Quid et quantum sit restituendum in genere? 129
Art. IX. Quid et quantum sit restituendum a possessore bonæ fidei ratione rei acceptæ? Ib.
Art. X. Utrum qui bona fide emit rem furtivam, ubi novit esse furtivam, teneatur eam reddere domino, nec possit reddere furi, pretium suum recuperaturus? 138
Solvuntur objectiones. 134
Petes utrum si is qui rem furtivam bona fide emit, et eadem bona fide durante alteri vendidit, res illa debeat adhuc reddi domino? 136
Major et difficultas casu quo secundus emptor non compareat, aut res sit consumpta, an teneatur primus emptor refundere pretium domino rei? Ib.
Art. XI. De restitutione facienda a possessore malæ fidei. 137
§ I. Quid et quantum restituere teneatur possessor malæ fidei? Ib.
§ II. Utrum malæ fidei possessor teneatur præstare valorem rei si apud ipsum pereat, certo peritura apud dominum? 138
§ III. Ad quid teneatur possessor malæ fidei ratione meliorationis aut deteriorationis? 140
§ IV. Utrum possessor malæ fidei possit deducere expensas in re conservanda vel melioranda factas? 143
§ V. Utrum et quid sit restituendum a possessore dubiæ fidei? 144
§ VI. Utrum aliquid debeat restituere qui dubitat an aliquem injuste damnificaverit? 145
Art. XII. Utrum ille qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem? 147
Art. XIII. De restitutione facienda ab his qui injustæ damnificationi cooperantur. 151
§ I. Expediuntur quædam difficultates circa cooperantes in communi. Ib.
§ II. Exponuntur singuli modi, et 1° jubens. 154
§ III. Consulens. 157
§ IV. Consentiens. 159
§ V. Palpo, recursus. 160
§ VI. Participans. 161
§ VII. Mutus, non obstans, non manifestans. 165
Quæritur specialiter utrum confessarius qui ex ignorantia aut negligentia graviter culpabili non injungit pœnitenti restitutionem ad quam tenetur, fiat ipse obnoxius restitutioni? 168
§ VIII. Quo ordine cooperatores damni tenentur restituere? 169
Quæritur hic insuper utrum si damnum passus uni cooperantium remittat debitum, cæteri sint liberi ab onere restituendi? 171
Art. XIV. Cui sit facienda restitutio? Ib.
§ I. Cui bona certa sint restituenda? Ib.
Petes 1° utrum qui reddit rem domino repetenti in damnum alterius, peccet non solum contra charitatem sed etiam contra justitiam, teneaturque ad restitutionem. 172
Petes 2° utrum si ex non redditione depositi immineat depositario grave damnum, non liceat reddere repetenti in sui vel alterius perniciem? 173
Petes 3° utrum restitutio seu solutio facta creditori mei creditoris sit licita et valida, etc. Ib.
§ II. Cui bona incerta sint restituenda? 174
Art. XV. Quando sit facienda restitutio? 175
Petes 1° quomodo sit intelligendum statim? 176
Petes 2° utrum qui alienum injuste detinet, continuo peccet? Ib.
Petes 3° utrum sit unum peccatum continuatum, an sint plura numero distincta? 177
Petes 4° utrum sit eadem ratio de dilatione solutionis debitorum ex contractu? 178
Art. XVI. Quo loco, et cujus expensis restitutio fieri debeat? 179
Art. XVII. Cujus periculo restitutio fieri debeat? 181
Art. XVIII. Cui ex pluribus creditoribus prius sit restituendum? 182
Art. XIX. Variæ difficultates resolvuntur circa præcedentem materiam? 184
Art. XX. De causis excusantibus a restitutione. 188
DISSERTATIO IX. De vitio opposito justitiæ distributivæ, quod est acceptio personarum. 199
Art. I. Quid sit et quale pecatum acceptio personarum? Ib.
Art. II. De acceptione personarum in distributione spiritualium. 200
Solvuntur objectiones. 203
Art. III. Utrum qui ad beneficia seu officia ecclesiastica promovet indignum, seu minus dignum prætermisso digniore, teneatur ad aliquam restitutionem? 204
Appendix. Utrum quæ diximus in duobus articulis præcedentibus sint extendenda ad officia sæcularia? 205
Art. IV. De qualitatibus ad beneficia rite obtinenda necessariis. 206
Art. V. Utrum liceat plura simul possidere beneficia? 209
Excusationes illorum qui existimant posse licite ab uno et eodem possideri plura simul beneficia? 211
Petes 1° utrum subsistente legitima causa, semper requiratur dispensatio summi pontificis ut quis licite obtineat duo beneficia? Ib.
Petes 2° quæ sint beneficia incompatibilia, quæ compatibilia? Ib.
Art. VI. Utrum in exhibitione honoris, et in iudiciis habeat locum peccatum acceptionis personarum? 212
Art. VII. De tributis et vectigalibus. 213
§ I. Quæ conditiones requiruntur ut tributa licite imponantur? Ib.
§ II. De obligatione solvendi tributa. 215
Petes utrum qui merces emit ab eo quem scit

defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere? 216
Quid dicendum quando dubitat de justitia tributi? 217
§ III. Utrum clerici sint exempti a tributis? 218
DISSERTATIO X. De vitiis oppositis justitiæ commutativæ. Et 1° de homicidio, mutilatione et restitutione inde debita. 221
Art. I. Utrum sit licitum occidere malefactores? Ib.
Art. II. Qua auctoritate liceat occidere malefactores? 224
Petes utrum clericis jurisdictionem temporalem habentibus, liceat occidere malefactores, seu ad eorum occisionem directe concurrere? 225
Art. III. Utrum liceat alicui occidere seipsum? 226
Consectaria prædecentis doctrinæ. 228
Art. IV. Utrum liceat in aliquo casu occidere innocentem? 229
Art. V. Utrum liceat defendere vitam suam cum occisione injusti invasoris? 231
§ I. Vera sententia stabilitur. 231
§ II. Explicatur moderamen inculpatæ. 235
§ III. Solvuntur objectiones. 237
§ IV. Variæ quæstiones resolvuntur circa præcedent. materiam. 244
Art. VI. Utrum liceat defendere bona temporalia cum occisione injusti invasoris? 246
§ I. De defensione bonorum fortunæ. 247
§ II. De defensione pudicitiæ. 249
§ III. De defensione honoris et famæ. Ib.
Art. VII. De abortu. 251
Art. VIII. Utrum occidens casualiter hominem incurrat homicidii reatum? 254
Consectaria. 255
Petes 1° utrum homicidium aliudve damnum per servum aut animal causatum, imputari debeat domino? 257
Petes 2° utrum homicidium aliudve damnum causatum a filio, sic imputetur patri, ut de damno teneatur? Ib.
Art. IX. De mutilatione, verberatione et incarceratione. 257
§ I. De mutilatione. Ib.
§. II. De verberatione. 258
Petes 1° utrum parentes possint verberare filios aliasve pœnas leviores illis infligere ex justitia vindicativa? 259
Petes 2° utrum liceat parentibus verberare filios in sacris constitutos, absque eo quod incurrant excommunicationem? Ib.
Utrum maritus habeat jus verberandi uxorem? 260
§ III. De incarceratione. Ib.
Art. X. De irregularitate contracta ex homicidio et mutilatione. Ib.
§ I. De irregularitate contracta ex homicidio licito. Ib.
Observanda circa judices. 262
Circa accusatorem et testem. 263
Circa advocatos et alios concurrentes ad justam necem vel mutilationem. Ib.
§ II. De irregularitate ex homicidio illicito. 265
Petes 1° Utrum concurrentes negative ad homicidium incurrant irregularitatem? Ib.
Petes 2° quid censendum in dubio contractæ irregularitatis? 266
§ III. De irregularitate ex homicidio casuali. Ib.
§ IV. De irregularitate ex mutilatione. 267
Art. XI. De obligatione restituendi ex homicidio, mutilatione et læsione. 268
§ I. De restitutione damni personalis ex homicidio. Ib.
§ II. De restitutione damni realis ex homicidio, et quibus fieri debeat? 271
§ III. Utrum omnis homicida vel mutilator injustus teneatur ad præfatas restitutiones? 274
Appendix I. De obligatione restituendi ex homicidio spirituali seu læsione in spiritualibus. 275
§ I. De obligatione restituendi ex inductione ad peccatum. Ib.
§ II. De obligatione restituendi propter avocationem a religione? 276
Appendix II. De obligatione restituendi ex stupro et fornicatione. 279
Appendix III. De obligatione restituendi ex adulterio. 282
Digressio I historica. Utrum Moyses licite occiderit Ægyptium Hebræo insultantem, ad art. 2 præcedentis dissert. 284
Digressio II historica. De pœnitentia et morte Samsonis, ad art. 3 præced. dissert. 285
Digressio III historica. De evirations Origenis, ad art. 9 et 10 præced. dissert. 286
DISSERTATIO XI. De furto et rapina. Ib.
Art. I. Quid sit furtum? Quid rapina? Quomodo differunt? 287
Art. II. Utrum furtum sit peccatum mortale ex genere suo? 289
Art. III. Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale? 290
Art. IV. De furtis minutis. 291
Art. V. De furtis parentum, filiorum, conjugum, religiosorum et domesticorum. 293
Art. VI. Utrum alicui liceat furari propter necessitatem? 296
Art. II. Utrum compensationes seu recuperationes occultæ sint licitæ? 299
Quid de compensationibus manifestis? 303
DISSERTATIO XII. De injustitia judicis. Ib.
Art. I. Utrum quis possit judicare eum qui non est sibi subditus? Ib.
Petes 1° utrum judex excommunicatis, ferendo sententiam, peccet usurpatione judicii, et sententia ejus sit irrita? 305
Petes 2° utrum judex qui ob crimen est ipso jure privatus suo officio, ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et acta ejus sint irrita? Ib.
Petes 3° utrum acta judicis alterius qui non habet nisi titulum putativum seu coloratum, sint valida? 306
Consectaria. 307
Petes 4° utrum sententiæ et leges latæ a tyranno obligent? 307
Art. II. Utrum judex possit condemnare quem privata scientia novit innocentem, si juridice probetur nocens? Ib.

Solvuntur objectiones. 340
Art. III. Utrum judex possit aliquem condemnare privata scientia absque accusatore et testibus, ex non concesso defensionis loco? 344
Petes utrum judex possit licite relaxare pœnam? 345
Art. IV. Explicantur varii modi quibus judex potest procedere adversus crimina. Ib.
Art. V. Quid requiratur ut judex possit reum juridice interrogare, subjicere torturæ et tandem condemnare? 347
Art. VI. Utrum sententia injusta valeat et obliget? 320
Appendix de acceptatione munerum. 333
Digressio I historica. Utrum Debbora sit numeranda inter judices Israel? 322
Digressio II historica. Utrum judicium Salomonis in fratrem Adoniam fuerit justum? 323
DISSERTATIO XIII. De injustitia accusatoris et testis. 324
Art. I. Utrum et quando homo teneatur et possit accusare? Ib.
Art. II. Utrum et quando homo teneatur testificari? 327
Art. III. Utrum qui recusavit ferre testimonium aut tulit falsum, teneatur ad restitutionem? 329
Art. IV. Utrum requiratur et sufficiat duorum testimonium? 330
DISSERTATIO XIV. De injustitia rei et advocati. 333
Art. I. Utrum reus a judice interrogatus teneatur sub peccato mortali fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus? Ib.
Solventur objectiones. 335
Petes quid sit censendum de reo qui vi aut metu gravis torturæ imponit sibi falsum crimen propter quod est morte plectendus? 336
Art. II. Utrum accusato liceat se columniose defendere? 337
Art. III. Utrum accusato liceat judicium per appellationem declinare? 338
Observanda circa appellationes. Ib.
Appellatio tanquam ab abusu. 341
Art. IV. Utrum liceat condemnato ad mortem se defendere, aut fugere si possit? Ib.
Art. V. De advocato. 345
DISSERTATIO XV. De injuriis verborum quæ inferuntur extra judicium et obligatione restituendi inde contracta. 347
Art. I. De contumelia. Ib.
§ I. De fama et honore. Ib.
§ II. Quid sit contumelia? 349
§ III. Utrum contumelia sit ex genere suo peccatum mortale? 350
§ IV. Utrum debeamus illatas contumelias sustinere? 351
§ V. Utrum ex contumelia nascatur obligatio restituendi bonorum læsum? 352
Art. II. De detractione. 353
§ I. Quid sit detractio? Ib.
Petes utrum omnes detractiones sint ejusdem specie? 354
§ II. Utrum detractio sit peccatum mortale 355
§ III. Utrum aliquando liceat revelare crimen occultum alterius? 356
Consectaria. 357
§ IV. Resolvuntur variæ quæstiones circa præcedentem materiam. 358
§ V. Utrum diffamatum in uno loco vel tempore liceat diffamare in alio loco vel tempore? 360
§ VI. De audientibus detractionem. 363
Art. III. De restitutione famæ. 364
§ I. Utrum fama sit restituenda? Ib.
Petes 1o utrum qui injuste detrahit, sed materialiter tantum, teneatur ad restitutionem, ubi errorem advertit? 365
Petes 2o utrum superior non impediens detractionem dum potest, teneatur ex justitia ad restitutionem? 366
Petes 3o utrum hæredes diffamatoris defuncti teneantur loco ejus ad restitutionem? Ib.
§ II. Quomodo fama est restituenda? Ib.
§ III. Causæ excusantes a restitutione famæ. 369
Art. IV. De susurratione, derisione et maledictione. 370
§ I. De susurratione. Ib.
§ II. De derisione. 372
§ III. De maledictione. Ib.
§ Appendix de revelatione secreti. 375
TRACTATUS DE STATU RELIGIOSO. DISSERTATIO I. De his in quibus principaliter consistit status religionis. 377
Art. I. Quid sit status in communi? Quid status perfectionis? Ib.
Art. II. In quibus principaliter consistat status religiosus? 378
Art. III. Utrum tria vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ sint essentialia statui religioso? 380
Art. IV. Ad quid teneatur religiosus vi voti paupertatis? 382
Art. V. Ad quid teneatur religiosus vi voti castitatis? 386
Art. VI. Ad quid teneatur religiosus vi voti obedientiæ? 387
Art. VII. An et quando peccet religiosus transgrediens regulam? 388
DISSERTATIO II. De clausura tam religiosorum quam monialium. 391
Art. I. De clausura religiosorum quoad egressum. Ib.
Art. II. De clausura religiosorum quoad egressum. 393
Art. III. De clausura monialium quoad egressum. 397
Art. IV. De clausura monialium quoad ingressum. 399
Observatio necessaria ad totam dissertationem. 400
DISSERTATIO III. De iis quæ competunt religiosis, necnon de religionum distinctione. Ib.
Art. I. De his quæ competunt religiosis. Ib.
Art. II. De religionum distinctione. 402
§ I. Utrum sit una tantum religio, an plures? Ib.
§ II. Ad quid potest institui religio? 403

§ III. Quæ sit religio excellentior? 404
§ IV. Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem religionis? Ib.
§ V. Utrum perfectior sit religio in societate viventium quam agentium solitariam vitam? 406
DISSERTATIO IV. De religionum ingressu, novitiatu et professione. ib.
Art. I. De conditionibus recipiendorum ad religionem. Ib.
Impedimenta dirimentia. 408
Impedimenta impedientia tantum. 409
Art. II. De novitiatu. 410
§ I. In quo habitu debeat peragi novitiatus? Ib.
§ II. Qua ætate si inchoandus et perficiendus novitiatus? 411
§ III. In quo loco sit perficiendus novitiatus? 411
§ IV. Quanto tempore debeat durare novitiatus? 412
§ V. Utrum annus novitiatus debeat esse continuus? 414
§ VI. Variæ quæstiones circa præcedentem materiam. 416
Art. III. De professione religiosa. 418
§ I. Quid et quotuplex sit professio religiosa? Ib.
§ II. De effectibus professionis validæ. 419
Art. IV. De professione invalida. 421
§ I. Utrum professio invalida habeataliquem effectum? Ib.
§ II. De reclamatione contra professionem invalidam. 423

APPENDIX

AD

TRACTATUS

DE JURE ET JUSTITIA

DE STATU RELIGIOSO

VARIAS COMPLECTENS ADNOTATIONES DE IIS QUÆ JURE
NOVO CIVILI STATUUNTUR

THEOLOGIÆ F.-C.-R. BILLUART

ANNECTENDA

AUCTORE G... THEOLOGIÆ PROFESSORE

APPENDIX

AD

TRACTATUS

DE JURE ET JUSTITIA ET DE STATU RELIGIOSO.

ADNOTATIO I. (Pag. 16.)

De usufructu.

Tribus sectionibus complectemur quidquid in Codice civili Gallico statuitur circa naturam usufructus, circa modum quo constituitur et amittitur, et circa jura et obligationes usufructuarii.

SECT. I. — *Quid sit usufructus, quomodo acquiratur, quomodo finiatur?*

Usufructus est jus utendi et fruendi rebus alienis, eodem modo quo proprietarius, sed salva earum substantia. *Art.* 578.

Constituitur vel legis auctoritate, qualis est usufructus lege concessus patri aut matri in bonis filiorum minorum; vel hominum privata voluntate, qualis est usufructus alicui concessus testamento, donatione, aut alio titulo. *Art.* 579. et notat; Toullier, tom. 3, n° 593 talem usumfructum per præscriptionem firmari posse etiamsi titulus sit tantum coloratus, modo adsit bona fides.

Usufructus constitui potest vel priore et simpliciter, vel ad certam diem, vel sub conditione, et extendi ad omnem speciem bonorum sive mobilium sive immobilium. *Art.* 580 et 581.

Usufructus finitur 1°, per mortem naturalem aut civilem usufructuarii; 2° per absolutum temporis lapsum pro quo fuerat concessus; 3° per accessionem et unionem in eadem persona tituli usufructuarii, et proprietarii, id est, si usufructuarius fiat rei proprietarius; 4° per non-usum (le non-usage), juris usufructus triginta annos; 5° per totalem rei destructionem super quam constituitur usufructus. Quod si pars tantum pereat, continuatur usufructus in his quæ supersunt. *Art.* 617 et 623.

Si usufructus constituitur in ædificio, tantum et istud ædificium incendio aut casu destinetur vel vetustate corruat, perit omnino usufructus, nec ullum jus habet usufructuarius neque in fundum (le sol) neque in ligna aut aliam materiam ædificii (les matériaux). *Art* 624.

Aliter esset, et fundo et materia ædificii frueretur usufructuarius, si ædificium eversum pars tantum esset possessionum (domaine) in quibus constituebatur usufructus. Ibid.

Cessare etiam potest usufructus per abusum usufructuarii, si v. g. non servaret aut servari curaret, ut par est, rei substantiam: quo in casu possunt creditores usufructuarii intervenire pro servandis suis juribus, et sponsores se exhibere sive pro damno illato reparando sive pro damno in posterum præcavendo. Judices autem possunt, pro circumstantiarum gravitate, aut absolutam statuere usufructus extinctionem, aut, concedendo proprietario jus fruendi re sua, ipsi onus imponere determinatam solvendi usufructuario pecuniæ summam, usque dum effluxerit tempus quo cessare debuisset usufructus. *Art.* 618.

Tandem extingui potest usufructus per præscriptionem decem aut viginti annorum, modo adsit titulus et bona fides. Ita *Toullier, Delvincourt,* et alii. Vid. *Toullier* 3, n° 458.

Si usufructus concessus fuerit alicui communitati et non privatis, non extenditur ultra triginta annos. *Art.* 619.

Si constitutus fuerit donec tertius aliquis talem determinatam ætatem attigerit, non cessat ante hoc peractum tempus, etiamsi tertius ille antea decesserit. *Art.* 620.

Nec cessat usufructus per venditionem rei in qua constituitur, nisi suo juri renuntiet expresse usufructuarius, cui renuntia-

tionis possunt sese opponere creditores, si ipsis noceat. *Art.* 621 et 622.

Sect. 13. — *De juribus usufructuarii.*

Jus habet usufructuarius percipiendi omnes rei fructus sive naturales, sive industriales, sive civiles. *Art.* 582 et seq.

Fructus porro naturales ii sunt quos sponte sua natura producit, sine ullo aut fere ullo hominum labore, ut fœnum, ligna, arbores cæduæ (bois taillis) etc.

Fœtus etiam animalium inter fructus naturales computantur.

Fructus industriales fundi ii sunt qui cultura obtinentur, v. g. segetes, legumina, vinum, etc. *Art.* 584. Quidam theologi fructus vocant industriales in genere, eos qui ex re de se sterili per industriam hominis acquiruntur, ut lucrum ex pecunia per negotiationem.

Fructus civiles ita per fictionem legis appellati, etsi revera fructus non sint, sunt locationes domorum vel agrorum, et reditus percipiendi ex mutuo, aut censibus: « *Les loyers des maisons, l'intérêt des sommes exigibles, les arrérages de rentes, les prix des baux à ferme.* » *Art.* 584.

Varii autem illi fructus vario modo usufructuario acquiruntur.

1° Fructus naturales industriales, nondum collecti, sed ramis aut radicibus pendentes (pendans par branches ou par racines) eo momento quo incipit usufructus, pertinent ad usufructuarium. Qui vero in eo sunt statu cum finitur usufructus, pertinent ad proprietarium, sine ulla compensatione, ex alterutra parte, laborum et seminum, sed sine præjudicio portionis fructuum ad quam jus haberet colonus partiarius, si talis existeret initio vel in fine usufructus. *Art.* 585.

Fructus civiles computantur de die in diem et acquiruntur usufructuario pro rata portione durationis usufructus.

2° Res fungibiles, id est quæ primo usu consumuntur, ut pecunia, grana, liquores, possunt esse objectum usufructus, et eas consumere potest usufructuarius, sed cum obligatione restituendi, finito usufructu, vel res ejusdem quantitatis, qualitatis et valoris, vel earum pretium juxta æstimationem.

Si res non sint omnino fungibiles, sed pauratim usu deteriores fiant, jus habet usufructuarius iis utendi ad usum cui destinatæ sunt, cum onere eas restituendi quales erunt, finito usufructu, modo non factæ sint ejus dolo aut culpa deteriores. *Art.* 587 et 589.

3° Qui habet usumfructum census vitalitii (rente viagère) jus habet pensionem annuam percipiendi pro duratione usufructus, absque ulla restituendi obligatione. *Art.* 588.

4° Si agatur de arboribus cæduis (bois taillis) tenetur usufructuarius servare cæsionum ordinem et quantitatem (l'ordre et la quotité des coupes), juxta constantem usum proprietariorum, nihilque indemnitatis repetere potest, finito usufructu, si cæsiones non fecerit ad quas jus habebat, sive in arboribus cæduis, sive in altis arboribus (arbres de haute futaie). *Art.* 590.

Quoad altas arbores (arbres de haute futaie) non potest usufructuarius cædere nisi eas quarum determinatæ et statutæ sunt cæsiones (les coupes réglées), aut quarum cæsio necessaria est ad reparationes faciendas, quæ necessitas comperta esse debet et denuntiata proprietario. *Art.* 591 et 592.

Arbores igitur vi aut casu eversæ pertinent ad dominum fundi, nisi sint ad reparationem domorum necessariæ;

Et si arbores cædat usufructuarius ante tempus constitutum, tenetur ad compensationem damni quod inde patitur dominus, nisi duraverit usufructus usque ad tempus quo potuisset illas cædere. *Toullier*, tom. 3, n° 407.

Potest usufructuarius palos cædere (des échalas) ad sustentandas vites, item et arborum ramos quos ipsi proprietarii cædere consueverunt. *Art.* 595, et *Toullier*, t. 3, n. 409.

Arbores fructiferæ demortuæ, aut casu eversæ, pertinent ad usufructuarium, sed cum onere alias in earum locum plantandi. *Art.* 594.

5° Fruitur etiam eodem modo ac proprietarius fodinis et lapidicinis (mines et carrières), initio usufructus opertis, non autem iis quæ effodi nondum inceptæ sunt: et obtineri debet, ad illas fodiendas, si necesse sit, regis licentia. *Art.* 598.

6° Nullum jus habet usufructuarius super thesaurum inventum in fundo cujus habet usumfructum, nisi ipsemet hunc invenerit, quo in casu jus haberet ad dimidiam illius partem, ratione inventionis. *Ibid.*

7° Quantum ad servitutes et alia quæcumque jura fundo annexa, imo et incrementum fundi per alluviones, iis utitur et fruitur usufructuarius eodem modo ac dominus fundi. *Art.* 596 et 597.

Insuper usufructuarius facultatem habet non solum rebus ipsemet utendi et fruendi, sed etiam suum jus aliis vendendi, donandi et locandi, modo nihil immutet in conditione domini, et, quoad locationem, regulas servet in Cod. civ. art. 1429 et 1430 statutas pro locatione bonorum uxoris a marito. *Art.* 595.

Non debet quoquomodo proprietarius jura lædere usufructuarii; nec vicissim usufructuarius, finito usufructu, potest ullam indemnitatem a proprietario repetere pro impensis quas in re etiam melioranda fecisset : has enim impensas in fundo alieno sponte factas, censetur domino gratis donasse. *Art.* 599.

Si tamen quædam factæ fuerint deteriorationes, potest usufructuarius, in damni compensationem meliorationes computare. (*Toullier*, tom. 3, n. 428) et ipsi etiam licet vel ejus hæredibus specula, pictas tabulas (glaces, tableaux) et alia quæ ipse posuisset domus ornamenta, auferre, modo loca in pristinum statum restituat. *Art.* 599.

SECT. III. — *De obligationibus usufructuarii.*

Usufructuarius res accipit in eo quo sunt statu, sed non potest in earum possessionem venire, nisi prius confici curaverit, coram propietario vel saltem eo rite vocato, rerum mobilium inventaria et immobilium descriptionem (fait dresser un inventaire des meubles et un état des immeubles). *Art.* 600. Illud autem inventarium potest fieri scriptura privata inter proprietarium et usufructuarium, si ambo sint ætate majores. *Toullier*, tom. 3, n° 419.

Frui debet rebus ususfructus tanquam bonus pater-familias, quam obligationem firmat ab initio cautionem præstando, nisi super hoc per actum ususfructus constitutivum dispensetur : quod si tamen in mora fuerit cautionem præstandi, nihilominus fructus ad ipsum pertinent ab initio ususfructus. *Art.* 601 et 604.

Si non possit usufructuarius sponsorem invenire et cautionem præbere, res immobiles ususfructus locantur vel apud sequestram deponuntur; res mobiles, quæ usu pereunt, requirente domino, venduntur, nec non et fruges collectæ (les récoltes), et harum pretium sicut et altera pecunia in fœnore ponitur : tunc autem usufructuario cedit pretium sive locationum sive collocatæ pecuniæ (des loyers ou fermes et des intérêts des sommes placées). *Art.* 602.

Potest etiam requirere usufructuarius et a judicibus obtinere ut sibi necessaria ad usum mobilia concedantur, sub sola promissione, juramento firmata, ea exhibendi cum finietur ususfructus. *Art.* 603.

Usufructuarius non debet rerum conditionem immutare, sed iis uti ad usum cui destinatæ sunt. *Toullier*, n°s 424 et 425.

Non tenetur nisi ad modicas reparationes quæ dicuntur *d'entretien*. Majores reparationes proprietarium spectant ipsiusque oneri sunt, nisi factæ sint necessariæ ob culpam usufructuarii, quo in casu iste de illis tenebitur. *Art.* 605.

Porro majores reparationes sic designanter in Codice : *Celles des gros murs et des voûtes, le rétablissement des poutres et des couvertures entières ; celui des digues et des murs de soutènement et de clôture aussi en entier*. Cæteræ omnes reparationes modicæ dicuntur, seu *d'entretien*. *Art.* 606.

Hinc si ex parte tantum non totaliter reparandæ sint res in hoc articulo designatæ, de his tenetur usufructuarius. *Toullier*, tom. 3, n° 429.

Si vero, vel ex parte vel totaliter ædes casu fortuito evertantur, aut vetustate corruant, neque proprietarius neque usufructuarius tenetur eas reædificare. *Art.* 607.

Tenetur usufructuarius, durante usufructu, onera ordinaria solvere, qualia sunt tributa annua et alia quæ, ex usu, fructuum onera reputantur; item et impensas pro litibus usumfructum spectantibus. *Art.* 608 et 613.

Quoad onera quibus, durante usufructu, potest proprietas gravari, sequenti modo concurrunt in his sustinendis proprietarius et usufructarius. Tenetur proprietarius ad solvendum onera, et erga proprietarium tenetur usufructuarius de fœnore pecuniæ solutæ (des intérêts de la somme payée), quandiu durabit ususfructus : quod si iste solverit vice proprietarii, ab ipso pecuniam solutam (le capital) repetere poterit in fine ususfructus. *Art.* 609.

Idem dicendum de debitis in genere, nisi

quod si ea solvere in antecessum noluerit usufructuarius vice proprietarii, jus habeat iste vel ipsemet solvendi, vel res in usumfructum datas vendendi, quantum necesse est ut solutio fiat. *Art.* 612.

Usufructuarius universalis tenetur in totum ad solutionem census vitalitii, vel pensionis alimentariæ ex legato testatoris provenientis; usufructuarius titulo universali ad hoc non tenetur nisi pro rato parta sui usufructus; usufructuarius titulo particulari ad nihil ordinarie tenetur quoad debita. *Art.* 610 et 611.

Si quis, durante usufructu, fundum usurpet vel aliter jura proprietarii attentet, tenetur usufructuarius id domino denuntiare; alioquin ad totius damni reparationem obligabitur. *Art.* 614.

Si constituatur usufructus in grege collective sumpto, et grex totaliter pereat, sine culpa usufructuari, non tenetur iste reddere proprietario nisi pelles (les cuirs) aut earum valorem. Si pars tantum gregis pereat, tenetur usufructuarius alia capita in locum demortuorum substituere pro ratione fœtus (jusqu'à concurrence du croît).

Si vero constituatur usufructus in singulis capitibus seorsim, non collective sumptis, et hæc pereant absque culpa usufructuarii, ad nihil tenetur. *Art.* 615 et 616, et *Toullier*, tom. 3, n° 436.

ADNOTATIO II. (Pag. 16 et seq.)

De usu et habitatione.

Hæc in Codice civili Gallico statuuntur :

Jus usus et habitationis (d'usage et d'habitation) eodem modo acquiritur et amittitur ac usufructus. *Art.* 625.

Usuarius (l'usager) rebus alienis uti debet tanquam bonus pater-familias, et, sicut usufructuarius, sponsorem præbere et inventarium conficere. *Art.* 626 et 627.

Jura usus et habitationis pendent a titulo quo constituuntur. Si vero titulus ille jura usuarii non definiat, lege sic definiuntur : qui usum habet fructuum alicujus fundi, non potest nisi eos fructus exigere qui necessarii sunt ad sustentationem sui et totius suæ familiæ, in qua comprehenduntur filii etiam nati post usus constitutionem. *Art.* 630.

Qui jus habet habitationis in domo, potest in ea manere cum familia, etiamsi nondum fuisset matrimonio junctus, eo tempore quo jus illud fuit ipsi concessum. *Art.* 632.

Jus autem istud restringitur ad id quod necessarium est ad habitationem. *Art.* 633.

Unde patet usuarium in suam tantum et suæ familiæ necessitatem rebus alienis uti posse, nec ipsi facultatem dari jus suum vendendi, donandi aut locandi, in quo multum differt ab usufructuario. *Art.* 631 et 634.

Si usuarius omnes fundi fructus absumat vel totam domum occupet, tenetur, sicut et usufructuarius, ad sumptus culturæ, minorum reparationum et annuorum tributorum (aux frais de culture, aux réparations d'entretien et au paiement des contributions).

Si vero partem tantum fructuum absumat vel partem domus occupet, non tenetur nisi pro rata parte eorum quibus fruitur. *Art.* 635.

ADNOTATIO III. (Pag. 27.)

De dominio uxorum.

Diversa sunt sponsorum jura prout sub variis regiminibus matrimonium contraxerunt. Triplex porro regimen matrimoniale in Codice civili Gallico distinguitur : regimen communitatis, regimen excludens communitatem et regimen dotale : de quibus seorsim disserendum est ut intelligatur quodnam sit dominium, seu quænam, pro variis circumstantiis, jura sint uxorum quoad bona, sive ex lege, sive ex speciali stipulatione.

CAPUT I. — *De regimine communitatis.*

Communitas alia est conventionalis, alia legalis.

SECT. I. — *De communitate conventionali.*

Communitas conventionalis est societas bonorum inter conjuges instituta vi specialis stipulationis. Non sufficit ad hanc instituendam simplex et generalis declaratio a conjugibus facta se velle matrimonium inire sub regimine communitatis, sed requiruntur speciales et determinatæ stipulationes quibus definiant qualem extensionem dare intendant huic bonorum societati. *Art.* 1391 et 1400.

Possunt autem conjuges quaslibet in contractu matrimoniali stipulari conventiones, modo nec bonis moribus repugnent nec ullis legis dispositionibus. *Art.* 1387.

Hinc nihil stipulari possunt quod contra-

rium sit potestati mariti vel ordini legali successionum, ut statuitur sequentibus articulis :

« Les époux ne peuvent déroger ni aux droits résultant de la puissance maritale sur la personne de la femme et des enfans, ou qui appartiennent au mari comme chef, ni aux droits conférés au survivant des époux par le titre *de la puissance paternelle*, et par le titre *de la minorité*, *de la tutelle* et *de l'émancipation*, ni aux dispositions prohibitives du présent Code. » *Art.* 1388

» Ils ne peuvent faire aucune convention ou renonciation dont l'objet serait de changer l'ordre légal des successions, soit par rapport à eux-mêmes dans la succession de leurs enfans ou descendans, soit par rapport à leurs enfans entre eux, sans préjudice des donations entre vifs ou testamentaires qui pourront avoir lieu selon les formes et dans les cas déterminés par le présent Code. » *Art.* 1389.

Non possunt ergo conjuges stipulari quod mulier habitura sit bonorum communium aut bonorum mariti administrationem vel quod possit bona sua immobilia vendere, alienare, aut hypotheca gravare absque consensu mariti vel judicis auctoritate. Nec ipsis etiam licet in contractu matrimoniali futuræ parentum successioni renuntiare, vel juri quod ex lege habeat sibi quasdam donationes faciendi. Vide *Toullier*, t. 12, n° 13, et seq. 18 et seq.

Irrita pariter ac nulla foret stipulatio, qua statuerent modo generali suam societatem regendam fore consuetudinibus aut legibus olim in Gallia vigentibus et hodierno Codice abrogatis, licet quasdam speciales possint invocare et in contractu matrimoniali inserere harum legum aut consuetudinum dispositiones. *Art.* 1390, et *Toullier*, t. 12, n° 7.

Cæterum, et his exceptis, possunt sponsi quascumque alias conventiones facere quæ, ut dixi, nec bonis moribus nec juri adversentur, et plus minusve communitatem restringere. Sic v. g. stipulari possunt 1° quod communitas bona tantum complectatur quæ durante matrimonio acquirentur (les acquêts); 2° quod bona mobilia sive præsentia, sive futura aut nullatenus aut pro parte tantum in communitatem ingredientur; 3° quod bona etiam immobilia partim vel in totum fient communia; 4° quod debita ante matrimonium contracta propria unicuique conjugi remanebunt, a quo erunt solvenda; 5° quod sponsi partes habituri sint inæquales, etc., etc. Quæ omnes et variæ stipulationes servari debent, necnon et regulæ speciales quæ circa communitatem conventionalem in Codice civili leguntur ab *art.* 1497 ad *art.* 1528.

Quoad alios casus specialiter non expressos in contractu matrimoniali, servantur regulæ communitatis legalis ut infra.

« La communauté conventionnelle reste soumise aux règles de la communauté légale pour tous les cas auxquels il n'y a pas été dérogé implicitement ou explicitement par le contract. » *Art.* 1428.

Omnes conventiones matrimoniales debent, ante matrimonium, actis apud notarium scribi (rédigées par acte devant notaire), nec ullam possunt post celebratum matrimonium admittere mutationem. Vigent autem ab ipso die celebrati matrimonii coram officiario civili (l'officier de l'état civil). *Art.* 1394, 1395 et 1399.

Si quæ tamen fierent, durante matrimonio, immutationes in contractu matrimoniali, non essent plenojure irritæ, sed tantum revocabiles ad nutum unius conjugis; quo non reclamante, firmarentur. *Toullier*, t. 12, n° 35.

Jam ergo evidens est dominium uxoris plus minusve extendi sub hoc regimine matrimoniali prout plura vel pauciora bona in communitatem speciali stipulatione adducuntur. Habet uxor dominium directum bonorum quæ affert in communitatem. Sed horum dominium utile et administratio competunt marito, ut mox dicemus sect. sequenti. Imo bona immobilia etiam propria, id est quæ in communitatem non veniunt, uxor non potest alienare sine consensu mariti aut judicis auctoritate.

Sect. II. — *De communitate legali.*

Societatem matrimonialem non regit lex, quantum ad bona, nisi defectu specialium stipulationum quas, pro libitu, facere possunt conjuges, modo, ut pluries diximus, nihil contrarium habeant bonis moribus vel juris dispositionibus. *Art.* 1387.

Communitas igitur legalis quæ definiri potest societas bonorum inter conjuges vi legis instituta, locum habet cum nullus initur inter conjuges contractus matrimonialis, vel quando in contractu simpliciter de-

clarant conjuges se matrimonium contrahere sub regimine communitatis, absque ulla speciali stipulatione. *Art.* 1400. Quidquid ad hanc materiam spectat fuse tractatur in Codice civili ab *art.* 1400 ad *art.* 1496, et constituit hodie in Galliis jus commune, *art.* 1393. Revocari autem omnia possunt ad quatuor præcipua puncta, 1° quibus rebus constet communitas; 2° quomodo administretur; 3° quomodo dissolvatur; 4° quomodo, dissoluta communitate, bona administrentur et dividantur.

I. Constat porro communitas legalis active (la communauté se compose activement): 1° ex omnibus bonis mobilibus quæ possident sponsi die celebrationis matrimonii; item et bonis mobilibus quæ, durante matrimonio, ipsis obveniunt titulo successionis aut donationis; 2° ex omnibus fructibus, reditibus, usuris, cujuscumque sint naturæ, durante matrimonio debitis vel perceptis (échus ou perçus), et provenientibus ex bonis quæ jam tempore celebrationis matrimonii sponsi possidebant, vel ipsis deinde quocumque titulo advenerunt; 3° ex omnibus bonis immobilibus durante matrimonio acquisitis. *Art.* 1401.

Hæc posterior dispositio intelligenda est de bonis immobilibus quæ durante matrimonio ex bonis communitatis acquiruntur. Si quod enim bonum immobile, durante matrimonio, ematur ex pretio alterius boni uni conjugum proprii, bonum acquisitum non fit commune sed proprium conjugi ad quem pertinebat bonum alienatum. *Art.* 1407.

Censetur autem omne bonum immobile acquisitum fuisse ex bonis communitatis ideoque esse commune, nisi probetur illud uni conjugum proprium fuisse, ante matrimonium, vel ipsi postea obtigisse titulo successionis aut donationis. *Art.* 1402.

A communitate excluduntur, seu non fiunt communia bona immobilia quæ possident sponsi die celebrationis matrimonii, vel quæ ipsis, durante matrimonio, obveniunt titulo successionis. *Art* 1404.

Si tamen ab inito contractu matrimonii, sed ante ipsius matrimonii celebrationem, alteruter conjugum bonum immobile acquisierit, istud ad communitatem pertinet. Ibid. Hæcque sapientissima est legis dispositio ad vitandam fraudem, qua conjugum unus potuisset, e pecunia juxta contractum initum communi, emere bonum sibi proprium. Aliter res est, si nullus sit contractus matrimonialis; nam tunc bona acquisita propria sunt conjugi acquirenti, etiamsi uno tantum die ante celebrationem matrimonii hæc acquisitio fiat. *Toullier*, t. 12, n° 171.

Nec etiam in communitatem legalem veniunt bona immobilia quæ durante matrimonio uni ex conjugibus donantur, nisi expresse in actu donationis statuatur hæc ad communitatem pertinere. *Art.* 1405.

Si donatio facta sit in favorem utriusque conjugis, bona donata fiunt communia, nisi ex donatione intelligatur illa dari unicuique conjugum pro dimidia parte. *Toullier*, t. 12, n° 135.

Quidquid reputatur ususfructus ex cæsionibus arborum proveniens vel ex fodinis et lapidicinis, venit in communitatem, ut statuitur sequenti codicis articulo :

« Les coupes de bois et les produits des carrières et mines tombent dans la communauté pour tout ce qui est considéré comme usufruit, d'après les règles expliquées au titre de *l'usufruit, de l'usage et de l'habitation.*

» Si les coupes de bois qui, en suivant ces règles, pouvaient être faites durant la communauté, ne l'ont point été, il sera dû récompense à l'époux non propriétaire du fonds ou à ses héritiers.

» Si les carrières et mines ont été ouvertes pendant le mariage, les produits n'en tombent dans la communauté que sauf récompense ou indemnité à celui des époux à qui elle pourra être due. » *Art.* 1403.

Sicut autem quædam bona inter conjuges fiunt communia, sic etiam communia sunt inter ipsos quædam onera et debita. Æquum est enim ut commodis onera respondeant.

Constat agitur communitas *passive* (la communauté se compose passsivement), 1° ex omnibus debitis pro bonis mobilibus (dettes mobilières) quibus gravantur sponsi ante celebrationem matrimonii, vel quibus gravantur successiones aut donationes bonorum mobilium, ipsis, durante matrimonio, advenientes; 2° ex debitis, durante matrimonio, a marito contractis vel ab uxore de mariti consensu; 3° ex usuris censuum aut debitorum passivorum utrique conjugi personalium (des arrérages et interêts seulement des rentes ou dettes passives qui sont

personnelles aux deux époux); 4° ex reparationibus de quibus tenetur usufructuarius quoad immobilia quæ in communitatem non ingrediuntur; 5° ex impensis pro sponsorum alimentis, filiorum educatione et cultu, et alio quovis onere matrimonii. *Art.* 1409 et 1411.

Facile attendenti patebit quam æquiter *activum* communitatis correspondeat *passivo*, commodaque oneribus compensentur, Sic 1° quia bona mobilia sive quæ ante matrimonium possidentur, sive quæ, durante matrimonio, per successionem aut donationem conjugibus adveniunt, in communitatem ingrediuntur, pariter fiunt communia et ex communibus bonis solvi debent quæcumque debita præfatis bonis mobilibus relativa. *Art.* 1401, 1409 et 1411.

2° Quemadmodum ea quæ, durante communitate, in ejusdem utilitatem acquiruntur, ita et debita a marito vel ab uxore, de mariti consensu, contracta, fiunt onus communitatis. Aliter esset si conjugum alter in utilitatem propriam debita contraheret, v. g. aliquid sibi proprium acquirendo, vel redimendo servitutes; tunc enim deberetur alteri compensatio. Creditores tamen possent solutionem debitorum exigere tam ex bonis communibus quam ex bonis mariti aut uxoris, salva debita, pro diversis casibus, compensatione, ut fert *art.* seq. 1419:

« Les créanciers peuvent poursuivre le paiement des dettes que la femme a contractées avec le consentement du mari, tant sur les biens de la communauté, que sur ceux du mari ou de la femme, sauf la récompense due à la communauté ou l'indemnité due au mari.

» Toute dette qui n'est contractée par la femme qu'en vertu de la procuration générale ou spéciale du mari est à la charge de la communauté, et le créancier n'en peut poursuivre le paiement, ni contre la femme, ni sur ses biens personnels. » *Art.* 1420.

3° Quemadmodum etiam communitas fructus percipit bonorum unicuique conjugi propriorum, ita et solvere debet, ex communibus bonis, non quidem debita unicuique conjugi propria, sed eorum debitorum usuras (les intérêts), quæ sunt veluti fructuum compensatio. Propter eamdem rationem communitati imponuntur reparationes de quibus tenetur usufructuarius, et alia onera matrimonii. *Toullier.*

4° Quantum ad bona immobilia, cum non in communitatem legalem ingrediantur, nec pariter communia sunt debita quibus gravantur. Si partim mobilia sint, partium immobilia, debita pro parte tantum valori proportionata communitati imputantur. *Art.* 1412 et 1414. — Possunt nihilominus creditores talium debitorum solutionem exigere etiam ex communibus bonis, salva quæ alteri conjugi debetur compensatione ab eo qui bona immobilia obtinuit. *Art.* 1412, 1416 et 1418.

II. Administrationem communitatis legalis tractat Codex civilis, ab *art.* 1421 ad *art.* 1440, cujus præcipuas hic referimus dispositiones:

1° Maritus solus bona communitatis administrat. Potest, etiam sine uxoris consensu, illa vendere, alienare et hypotheca gravare. *Art.* 1421.

Non potest de bonis immobilibus, neque etiam de universalitate aut aliqua parte (d'une quotité) bonorum mobilium titulo gratuito disponere, nisi ad collocandos communes filios. *Art.* 1422.

Sed potest titulo gratuito et particulari de tali in specie bono mobili disponere, modo non sibi servet illius usumfructum. Ibid.

Mulieri nullam lex tribuit in bonis communibus administrationem; non potest ergo hæc bona alienare vel obligare nisi de consensu mariti vel expresso vel saltem jure præsumpto.

Hinc quilibet contractus mulieris absque consensu mariti initus, etiam cum judicis auctoritate, nullatenus bona obligant communitatis, nisi contrahat ut mercatrix publica et in ordine ad suum commercium. In hoc enim ultimo casu exceptionis, maritus censetur consensum præbuisse ex ipso quod in uxoris negotiationem consenserit.

« Les actes faits par la femme sans le consentement du mari, et même avec l'autorisation de la justice, n'engagent point les biens de la communauté, si ce n'est lorsqu'elle contracte comme marchande publique et pour le fait de son commerce. *Art.* 1426.

» La femme n'est pas réputée marchande publique si elle ne fait que détailler les marchandises du commerce de son mari, mais seulement quand elle fait un commerce séparé. » *Art.* 220.

Quod si tamen ageretur de marito e car-

cere liberando, vel de collocandis filiis, absente marito, aut sustentanda familia, mulier posset bona communia obligare, post obtentam ad hoc Judicis sententiam. *Art.* 1427. Ratio est quia lex tunc merito præsumit vel supplet mariti consensum. Vide *Toullier*, t. 12, n° 261.

2° Maritus habet etiam administrationem omnium bonorum uxori propriorum (biens personnels de la femme). *Art.* 1428.

Bona immobilia uxori propria non potest alienare sine ipsius consensu. *Ibid.*

Tenetur maritus, qui habet administrationem omnium bonorum uxori propriorum, ad omnes actus conservatorios ut serventur in bono statu. Quod si, ex culpa ipsius deteriora fiant, debet damnum compensare.

« Il est responsable de tout dépérissement des biens personnels de sa femme, causé par défaut d'actes conservatoires. » *Ib.*

3° Si bona communia in utilitatem propriam unius conjugum impendantur, debetur alteri conjugi compensatio. Pariter si communitas utilitatem perceperit ex bonis uni conjugum propriis, huic conjugi debetur compensatio.

« Toutes les fois qu'il est pris sur la communauté une somme, soit pour acquitter les dettes ou charges personnelles à l'un des époux, telles que le prix ou partie du prix d'un immeuble à lui propre, ou le rachat de services fonciers, soit pour le recouvrement, la conservation ou l'amélioration de ses biens personnels et généralement toutes les fois que l'un des deux époux a tiré un profit personnel des biens de la communauté, il en doit la récompense. *Art.* 1437.

» S'il est vendu un immeuble appartenant à l'un des époux, de même que si l'on s'est rédimé en argent de services fonciers dus à des héritages propres à l'un d'eux, et que le prix ait été versé dans la communauté, le tout sans remploi, il y a lieu au prélèvement de ce prix sur la communauté, au profit de l'époux qui était propriétaire soit de l'immeuble vendu, soit des services rachetés. » *Art.* 1433.

Ex dictis sat videtur quale dominium habeat uxor, durante communitate, in bona etiam propria. Non habet nisi dominium nudum aut directum (la nue-propriété); maritus habet horum dominium utile et administrationem.

III. Communitas dissolvitur inter conjuges 1° per mortem naturalem; 2° per mortem civilem; 3° per separationem corporis; per separationem bonorum. *Art.* 1441. Circa quod notandum est separationem corporis semper importare separationem bonorum et utramque hanc separationem fieri non posse nisi propter causas determinatas et per sententiam judicis.

Omnis separatio ex mutuo conjugum consensu est nulla. *Art.* 1443.

Non potest nisi juridice peti ab uxore cujus in periculo sunt dos et jura. *Ibid.*

Debet publice denuntiari juxta regulas in art. 1445 statutas. Et quamvis juridice sit pronuntiata, nulla est, nisi executioni mandata fuerit per realem solutionem eorum quæ uxori debentur. *Art.* 1444. Idque sapienter statutum est ne per simulatam conjugum separationem mariti creditores jure suo decidant.

« Toute séparation de biens doit, avant son exécution, être rendue publique par l'affiche sur un tableau à ce destiné, dans la principale salle du tribunal de première instance; et de plus, si le mari est marchand, banquier ou commerçant, dans celle du tribunal de commerce du lieu de son domicile, et ce, à peine de nullité de l'exécution. *Art.* 1445.

» Les créanciers personnels de la femme ne peuvent, sans son consentement, demander la séparation de biens. » *Art.* 1446.

IV. Mulier separata, sive quoad corpus et bona, sive quoad bona tantum, horum habet liberam administrationem. Potest de mobilibus bonis disponere et illa alienare. Non potest vero immobilia alienare sine consensu mariti, vel, eo recusante, cum judicis sententia. *Art.* 1449.

Debet autem et quædam onera matrimonii sustinere pro rata parte bonorum suorum et bonorum mariti. Quod si nulla bona marito remaneant, tenetur uxor ad omnes impensas quas requirunt familiæ sustentatio et educatio puerorum. « La femme qui a obtenu la séparation de biens doit contribuer, proportionnellement à ses facultés et à celles du mari, tant aux frais du ménage qu'à ceux de l'éducation des enfans communs. Elle doit supporter entièrement ces frais, s'il ne reste rien au mari. » *Art.* 1448.

Soluta per mortem communitate, uxor facultatem habet, necnon ipsius hæredes,

communitatem acceptandi vel huic renuntiandi, non obstante qualibet contraria stipulatione. In triplici tamen casu hæc facultas uxori adimitur : 1° Si se in bonis communibus immiscuerit ; 2° si in aliquo actu aut contractu, sese gesserit ut uxor communis et non ut separata ; 3° si quædam bona communitatis distraxerit vel occultaverit.

« La femme qui s'est immiscée dans les biens de la communauté ne peut y renoncer.

» Les actes purement administratifs ou conservatoires n'emportent point immixtion. *Art.* 1454.

» La femme majeure qui a pris dans un acte la qualité de commune ne peut plus y renoncer ni se faire restituer contre cette qualité, quand même elle l'aurait prise avant d'avoir fait inventaire, s'il n'y a eu dol de la part des héritiers du mari. *Art.* 1455.

» La veuve qui a diverti ou recélé quelques effets de la communauté, est déclarée commune nonobstant sa renonciation : il en est de même à l'égard de ses héritiers. » *Art.* 1460. »

Hæc autem renuntiatio uxoris regulariter fieri debet intra tres menses et quadraginta dies post decessum mariti, confecto prius omnium bonorum communium inventario. *Art.* 1456 et seq.

Mulier quæ communitati renuntiat, omne jus amittit in bona quælibet communia, sed nec tenetur de debitis quibus gravatur communitas. Bona propria tantum et indemnitates sibi a communitate debitas recipit, necnon et vestes et sarcinas a suum usum (les linges et hardes).

Idem jus competit uxoris hæredibus, præter exceptionem relativam ad *vestes et sarcinas* (linges et hardes). *Art.* 1492 et seq.

Soluta et acceptata communitate, bona propria et quælibet debitæ indemnitates a conjugibus primum recipiuntur, cætera vero æqualiter inter eos vel illorum hæredes dividuntur, cum onere solvendi etiam dimidiam partem debitorum.

Mulier bona propria recipit ante maritum; et si bona communitatis non sufficiant, jus exercere potest in bona propria mariti. Maritus vero non potest jura sua repetere nisi ex bonis communitatis. *Art.* 1472 et 73.

Uxor non tenetur de ære alieno communitatis (des dettes de la communauté), nisi pro rata parte sui emolumenti, modo factum fuerit inventarium. Maritus tenetur de toto ære alieno communitatis, salvo suo recursu contra uxorem vel ejus hæredes pro dimidia parte debitorum. *Art.* 1483 et 84.

« Après l'acceptation de la communauté par la femme ou ses héritiers,

» Les époux ou leurs héritiers rapportent à la masse des biens existans tout ce dont ils sont débiteurs envers la communauté, à titre de récompense ou d'indemnité. *Art.* 1468.

» Sur la masse des biens, chaque époux ou son héritier prélève 1° ses biens personnels qui ne sont point entrés en communauté, s'ils existent en nature, ou ceux qui ont été acquis en remploi ; 2° le prix de ses immeubles qui ont été aliénés pendant la communauté, et dont il n'a point été fait remploi ; 3° les indemnités qui lui sont dues par la communauté. *Art.* 1470.

» Les prélèvemens de la femme s'exercent avant ceux du mari. *Art.* 1471.

» Le mari ne peut exercer ses reprises que sur les biens de la communauté. *Art.* 1472.

» Les dettes de la communauté sont pour moitié à la charge de chacun des époux ou de leurs héritiers; les frais de scellés, inventaire, vente de mobilier, liquidation, licitation et partage, font partie de ces dettes. *Art.* 1482.

» La femme qui renonce, perd toute espèce de droit sur les biens de la communauté et même sur le mobilier qui y est entré de son chef : elle retire seulement les linges et les hardes à son usage. *Art.* 1492.

» La femme renonçante est déchargée de toute contribution aux dettes de la communauté. » *Art.* 1494.

Omnes quæ superius enuntiantur legis dispositiones, locum habent, etiamsi conjugum alter vel uterque filios habeat ex præcedenti matrimonio. Si tamen communitas, ob confusionem bonorum mobilium et debitorum majus emolumentum afferret uni ex conjugibus quam quod lex permittit, filii ex præcedenti matrimonio alterius conjugis, reductionem petere possent. Porro emolumentum lege permissum non potest excedere unius filiorum partem hæreditariam, nec in illo casu quartam partem bonorum. *Art.* 1496 et 1098.

II. — *De regimine excludente communitatem.*

Hoc regimen locum habet, quando conjuges, non stipulando regimen dotale, simpliciter declarant se matrimonium inire absque communitate vel cum bonorum separatione. *Art.* 1529.

Exclusio communitatis jus non confert mulieri bona sua administrandi nec eorum fructus percipiendi. Hi enim fructus censentur marito afferri ad onera matrimonii sustinenda. *Art.* 1530.

Attamen stipulari licet quod mulier partem redituum pro suis necessitatibus percipere poterit. *Art.* 1534.

Maritus ergo solus administrationem habet bonorum sive mobilium sive immobilium uxoris, sed et tenetur ad omnia onera usufructuarii. *Art.* 1531 et 1533.

Bona quæ, durante matrimonio, acquiruntur, solius sunt mariti. Similiter et solus tenetur de debitis a se contractis. *Delvincourt*, t. 3, p. 325.

Stipulatio separationis bonorum liberam servat mulieri suorum bonorum sive mobilium sive immobilium administrationem, et redituum suorum possessionem (la libre jouissance de ses revenus). *Art.* 1536.

In hoc regimine quilibet conjux onera sustinet matrimonii secundum speciales ea de re eorum conventiones, quarum defectu uxor ad hæc onera non tenetur nisi pro tertia parte suorum redituum (jusqu'à concurrence du tiers de ses revenus). *Art.* 1537.

Notandum vero, hoc regimine quemadmodum quolibet alio, mulierem non posse bona sua immobilia alienare absque speciali consensu mariti, vel judicis auctoritate. *Art.* 217 et 1538.

CAPUT III. — *De regimine dotali.*

Ad hoc regimen inter conjuges instituendum non sufficit constitutio dotis, nec declaratio conjugum excludens communitatem, aut inducens bonorum separationem, sed expressa requiritur eorum declaratio se matrimonium inire sub regimine dotali. *Art.* 1392.

Duplicis generis bona in regimine dotali distinguuntur : *alia dotalia, alia paraphernalia.*

Dotalia ea sunt quæ mulier affert merito ad onera matrimonii sustinenda. *Art.* 1540.

Omnia bona quæ sibi constituit mulier vel quæ ipsi dantur in contractu matrimoniali sunt dotalia, nisi contraria sit stipulatio. *Art.* 1541.

Paraphernalia vero sunt omnia bona mulieris quæ non fuerunt in dotem constituta. *Art.* 1574.

Possunt præterea conjuges, etiam sub regimine dotali, stipulari quod bona durante matrimonio acquisita fient communia. *Art.* 1581.

Dos constitui potest in omnibus bonis mulieris præsentibus et futuris simul, vel in omnibus ejus bonis præsentibus tantum, vel in parte bonorum præsentium et futurorum, vel etiam in aliquo objecto in specie determinato. *Art.* 1542.

Dos non potest constitui nec augeri durante matrimonio. *Art.* 1543.

Solus maritus administrationem habet bonorum dotalium, durante matrimonio. Solus jus habet persequendi debitores, fructus et usuras percipiendi, sicut et debitæ pecuniæ redditionem (le remboursement des capitaux).

Attamen stipulari possunt conjuges quod mulier annuam partem redituum suorum recipiet ad proprias necessitates. *Art.* 1549.

Mulier igitur non habet bonorum dotalium administrationem et usumfructum, sed solummodo dominium directum.

Si dos constituatur in bonis mobilibus quorum facta fuit æstimatio, maritus fit horum proprietarius, nec tenetur nisi de eorum valore juxta æstimationem, salva contraria stipulatione. *Art.* 1551.

Bona immobilia in dotem constituta non possunt, durante matrimonio, alienari vel hypotheca gravari, neque a marito, neque ab uxore, neque ab utroque simul, nisi in quibusdam casibus, v. g. ad filios collocandos, ad maritum vel uxorem e carcere liberandos, etc. *Art.* 1554 *et seq.*

Bona immobilia in dotem constituta non possunt, durante matrimonio, præscribi (sont imprescriptibles), nisi ante matrimonium inceperit præscriptio.

Tenetur maritus, quoad bona dotalia, ad omnia usufructuarii onera, et ad compensandum damnum si quod sequatur ex ipsius negligentia.

Si dos in periculum veniat, potest uxor petere bonorum separationem. *Art.* 1562 et 1563.

Post dissolutionem matrimonii maritus vel ejus hæredes tenentur ad restitutionem dotis, ut sequitur:

1° Si dos consistat in bonis immobilibus, vel in bonis mobilibus quorum facta non fuerit æstimatio in contractu matrimoniali, vel quorum facta sit æstimatio, sed cum declaratione quæ servet uxori illorum proprietatem, maritus vel ejus hæredes cogi possunt ad dotis restitutionem, statim et sine mora. *Art.* 1564.

2° Si consistat in numerata pecunia, vel in bonis mobilibus quorum facta sit æstimatio, sine declaratione quæ uxori proprietatem reservet, dotis illius restitutio exigi non potest, nisi post annum a dissolutione matrimonii. *Art.* 1565.

3° Si damnum aliquod in bonis mobilibus, quorum mulier servat proprietatem, absque culpa mariti acciderit, de hoc damno compensando non tenetur maritus. *Art.* 1566 *et seq.*

Bonorum paraphernalium uxor habet administrationem et usumfructum. Sed non potest ea alienare nec propter ea in judicio stare, absque consensu mariti vel judicis auctoritate. *Art.* 1576.

Si omnia bona sint paraphernalia, nec ulla sit stipulatio in contractu matrimoniali qua definiatur quamnam partem onerum matrimonii sustinere debeat mulier, in his sustinendis concurrit pro rata parte suorum redituum. *Art.* 1575.

Si maritus ex consensu uxoris, bona paraphernalia administret et his fruatur, tenetur de omnibus obligationibus usufructuarii. *Art.* 1580.

ADNOTATIO IV. (Pag. 28.)

De dominio filiorumfamilias.

Filiifamilias ii sunt qui, ex legitimo orti matrimonio, cujuscumque sexus sint, adhuc subjacent paternæ potestati. Porro in ea sunt conditione juxta hodiernum codicem, donec annos assecuti sint majoritatis vel fuerint emancipati. *Art.* 372.

Majoritas determinatur ad vigesimum primum annum completum: et tunc unusquisque capax est cujuslibet actus vitæ civilis; excepto quod in matrimonio contrahendo perseverat minoritas usque ad annum vigesimum quintum pro maribus, et vigesimum primum pro fœminis. *Art.* 488 et 148.

Emancipatio fit pleno jure per matrimonium, vel per patris, aut defectu patris, per matris declarationem coram judice, post completum annum decimum quintum; et si defuncti sint pater et mater, emancipatio fieri potest per consilium familiæ, sed post completum annum ætatis decimum octavum. *Art.* 476, 477 et 478.

Non agnoscit jus novum distinctionem bonorum filiorumfamilias in jure antiquo usitatam, scilicet bonorum castrensium, quasi-castrensium, adventitiorum et profectitiorum.

Jura autem filiorumfamilias sequentibus reguntur principiis:

I. Filiifamilias habent dominium plenum, directum et utile, seu proprietatem simul et usumfructum. 1° Bonorum quæ proprio labore et industria separata acquisierunt, vel quæ ipsis donata sunt aut legata cum expressa conditione ut nec pater nec mater iis fruantur. *Art.* 387. 2° Bonorum quæ proveniunt ex successione qua privantur pater et mater tanquam indigni. *Art.* 750. 3° Bonorum quæ *Majoratum* constituunt; ita fert decisio consilii-status (conseil-d'état) approbata die trigesima januarii 1811. Vid. *Delvincourt*, tom. 1, p. 93.

II. Filiifamilias, antequam annum decimum octavum compleverint vel fuerint emancipati, non habent nisi dominium directum, non vero dominium utile seu usumfructum, in bona quælibet alia quæ ipsis legitimo titulo adveniunt, præter ea quæ in præcedenti principio enumerantur. *Art.* 384.

III. Filiifamilias non habent administrationem etiam bonorum propriorum quorum habent plenum dominium, directum scilicet et utile. *Art.* 389.

IV. Majoritas omnimodam, et emancipatio restrictam confert filiisfamilias bonorum suorum administrationem. *Art.* 488, 481 et seq. 903, 904, 1095. In his ultimis articulis statuit lex minorem, nondum sexdecim annos natum, nullatenus posse de suis bonis disponere, et post ætatem hanc, non posse disponere nisi per testamentum et de media parte bonorum de quibus major disponere posset. *Art.* 903 et 904.

V. Parentes habent generatim dominium utile, sive usumfructum in omnia bona filiorum, usquedum isti annum decimum octavum compleverint vel fuerint emancipati, exceptis bonis quæ enumerata sunt

supra in 1° principio. *Art.* 384, circa quod quædam sunt notanda.

1° Jus istud, durante matrimonio, competit patri, et dissoluto matrimonio, matri, modo hæc ad secundas nuptias non transvolet. *Art.* 386.

2° Ut isto jure usufructus fruantur parentes, debent inventarium conficere rerum defuncti, si post illius obitum adsint filii minores. *Art.* 1442.

3° Jus usufructus parentum in bona filiorum, ipsis quædam onera imponit, nempe, 1° onera de quibus tenetur usufructuarius; 2° impensas alimentorum et educationis filiorum, pro sui status decentium; 3° solutionem usurarum (des intérêts des capitaux); 4° sumptus funerarios et ultimi morbi. *Art.* 385.

4° Jus istud non amittitur per renuntiationem vel privationem tutelæ. Vid. *Paillet* in *art.* 384 et 386.

5° Finitur autem præfatus usufructus statim ac filiifamilias annum decimum octavum compleverunt, vel fuerunt emancipati. Imo citius cessaret, non obstante art. Codicis 620, si ante majoritatem vel emancipationem filius moretetur. Ita *Toullier*, *Delvincourt*, *Paillet*, *Joubert*. Ratio est quia lex fructus concedit parentibus propter onera; porro ista cessant morte parvuli. Potest insuper mater privari illo usufructu propter notoriam incontinentiam, et uterque conjux, si filios in morum corruptionem induxerit. Cod. pœn., *art.* 534 et 335; *Paillet* in art. 386, *Delvincourt*, t. 1, p. 404.

6° Non agitur hic nisi de filiis legitimis; nam in filiorum naturalium bonis parentes usumfructum non habent. Ita citati juris interpretes.

VI. Pater, durante matrimonio, et illo dissoluto superstes, omnium bonorum filiorumfamilias administrationem habet. *Art.* 389.

Et his facile resolvitur quæstio circa lucra quæ facit filiusfamilias in domo paterna.

Vel enim illa lucra acquiruntur industria separata, et tunc filiusfamilias plenum in ea habet dominium. *Art.* 387; vel acquiruntur communi labore et industria cum patre, et tunc filius non habet jus ad illa, nisi societas patrem inter et filium *actu authentico constituta fuerit*. *Art.* 854.

Filiusfamilias semel emancipatus vel annos 18 assecutus, juxta communem sententiam, jus habet, saltem ratione stipendii, vel salarii, in bona quæ acquiruntur communi labore cum patre, nisi implicite vel explicite manifestaverit se tali lucro renuntiare. Ita Lessius, Delugo, Navarrus, etc. Non est enim deterioris conditionis ac extraneus. Sed ante emancipationem aut decimum octavum annum, nihil potest exigere, cum parentes habeant bonorum ipsius usumfructum. *Art.* 384.

ADNOTATIO V. (Pag. 30 et 86.)

De Dominio clericorum in bona ecclesiastica.

Circa hanc quæstionem, utrum scilicet clerici habeant plenum dominium in bona mere ecclesiastica, etiam quoad partem honestæ sustentationi superfluam, scinduntur theologi, nec facile est hanc litem dirimere. Concilium Tridentinum a solvenda hac quæstione abstinuit. Cum enim paratum esset decretum quo episcopis interdicebatur ne reditibus ecclesiasticis consanguineos familiaresque suos ditarent, et ratio adduceretur hujus prohibitionis, *quia dispensatores tantum sunt*, hæc verba Patribus visa sunt expungenda, et reipsa expuncta fuerunt, promoventibus cardinali a Lotharingia et archiepiscopis Remensi et Granetensi. Sapientissimus pontifex Benedictus XIV pariter ab hac difficultate dirimenda abstinuit, et episcopos in suis synodis abstinere monuit. Cæterum talis controversiæ solutio parum ad praxim confert, cum hodie, præsertim in Gallia, bona ecclesiastica vix sufficiant ad clericorum sustentationem, et aliunde gravis sit obligatio, saltem ex religione, superflua in pios usus impendendi.

Movetur alia quæstio, nempe an *salaria* (les traitemens) quæ a gubernio, et *supplementa* (les supplémens) quæ quandoque a parochianis clericis solvuntur ad bona ecclesiastica revocanda sint. Alii negativam tenent sententiam, quia hæc salaria et supplementa videntur sive a gubernio sive a parochianis dariaut solvi clericis absolute et sine ulla restrictione, eodem modo ac salaria laicis munia publica exercentibus; et multum differunt ab antiquis beneficiis, sive ob longe minores reditus sive potissimum ob *amovibilitatem* quantum ad *deservientes (les desservans)*.

Alii affirmant hæc revocanda esse ad bona

ecclesiastica; quia salaria a gubernio solvuntur tanquam compensatio bonorum ecclesiasticorum quæ fuerunt a gubernio vendita tempore magnæ perturbationis Gallicæ, et quorum venditionem ratam non habuit Pius VII, nisi ea conditione ut compensarentur pensionibus, vel reditibus ad honestam clericorum sustentationem. Hanc sententiam confirmavit decisione sacræ Pœnitentiariæ, die decima nona januarii 1829, qua affirmative respondetur quæstioni *an salaria quæ in Belgio a gubernio solvuntur pastoribus et canonicis induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum.* Quæ decisio ipsis videtur applicanda in Gallia sicut in Belgio.

ADNOTATIO VI. (Pag. 382.)

De religiosorum dominio.

Jus civile in Galliis non admittit votum paupertatis solemne, quod, ex ordinatione Ecclesiæ, excluderet capacitatem dominii. Religiosi ergo, in Galliis, valide possunt habere dominium, id est, acquirere, possidere, alienare, contractus inire, successiones recipere et omnes actus proprietatis exercere. Variæ ea de re sunt S. Pœnitentiariæ decisiones, quas videre est apud *Amicum Religionis Diarium* 1 martii 1836. Ut autem licite hos actus dominii exerceant, debent licentiam petere a superiore, juxta regulas sui ordinis, propter votum paupertatis quod valet ad minus ut simplex.

Communitates religiosæ et ecclesiasticæ capaces sunt dominii, ac proinde acquirere et alienare possunt, ex jure civili gallico, modo, 1° lege agnoscantur; 2° licentiam obtineant a rege, si bonum acquirendum excedat 300 francos, et a præfecto, si non excedat 300 francos; 3° licentiam pariter regis obtineant pro alienatione bonorum immobilium vel censuum. Sic statuitur lege dici 2 januarii 1817.

ADNOTATIO VII. (Pag. 59.)

De occupatione.

Occupatio est apprehensio rei quæ dominum nunquam habuit aut censetur non habuisse. Jure communi ea quæ dominum non habent fiunt primi occupantis. At jure civili gallico, bona quæ dominum non habent, ad gubernium pertinent. *Art.* 713. Hunc iste modus acquirendi dominium non multum extensionis habet in Galliis.

De animalium occupatione silet Codex civilis. Jure communi, animalia *fera* sunt primi occupantis, nisi capiantur in loco concluso. Ratio hujus exceptionis est quod tunc censentur amisisse suam libertatem. Remanent autem in dominio primi capientis, quandiu in ipsius custodia coercentur et sunt in ejus potestate. Quod si ab ipso aufugerint et difficilis admodum sit eorum prosecutio, naturalem libertatem recuperasse intelliguntur, et possunt denuo juste a primo capiente occupari.

Animalia *sicurata* ad dominum pertinent, nec possunt ab alio occupari, quandiu habitum servant ad dominum revertendi, quem habitum alia citius, tardius alia amittunt. Hinc 1° non licet pisces ex alterius vivario vel columbas a columbario alieno capere, vel arte qualibet injusta, v. g. retibus attrahere. Si vero sponte vivarium aut columbarium deserant, et alienis piscibus aut columbis se immisceant, harum domino acquiruntur. Nec injusta attracta judicantur si meliore pabulo aut loco opportuniore alliciantur.

« Les pigeons, lapins, poissons qui passent dans un autre colombier, garenne ou étang, appartiennent au propriétaire de ces objets, pourvu qu'ils n'y aient point été attirés par fraude et artifice. » *Art.* 564.

Hinc 2° injustum est alterius columbas aut cuniculos in suis fundis occidere, nisi graviter noceant nec alio modo abigi possint. Nocere autem graviter censentur tempore messis et seminum, quo durante, occidi possunt et retineri in compensationem damni illati. (Loi du 4 août 1789.) Ita *Toullier* et *Gousset* post *Merlin*.

Hinc 3° examen apum quod ex alveario suo avolavit, prioris remanet domini, quandiu in ejus conspectu versatur, nec impossibilis moraliter est ejus prosecutio. Cum autem ita aufugerit ut impossibilis sit ejus prosecutio, cedit, ex jure novo, non primo occupanti, sed domino fundi aut arboris cui insidet.

« Le propriétaire d'un essaim a le droit de le réclamer et de s'en ressaisir, tant qu'il n'a point cessé de le poursuivre; autrement l'essaim appartient au propriétaire du terrein sur lequel il s'est fixé. » Loi du 6 octobre 1791.

Animalia *naturaliter mansueta* et domestica, quantumvis aberrent, prioris remanent domini, nisi tandiu absint et tam longe ut censeri possint ad primordialem rediisse libertatem. Si graviter noceant, nec possit aliter damnum averti, justum videtur et licitum ea occidere; sed eorum cadaver ad dominum pertinet.

Venationis et piscationis facultas specialibus regitur legibus. *Art.* Cod. civ. 715.

Venari non licet 1° sine legali permissione, gallice *port d'armes*; 2° in fundo alieno, nisi de consensu domini rationabiliter præsumpto. 3° Extra tempus mandato præfecti statutum, nisi venatio fiat in propriis fundis muro circumclusis, aut sylvis propriis, et absque canibus vulgi dictis *chiens courans*.

« Le droit exclusif de chasse est aboli.

» Tout propriétaire a le droit de détruire et de faire détruire, sur ses possessions, toute espèce de gibier, sauf à se conformer aux réglemens de police relatifs à la sûreté publique. Loi du 4 août 1789.

» Il est défendu à toutes personnes de chasser, en quelque temps et de quelque manière que ce soit, sur le terrain d'autrui sans son consentement. Loi du 30 avril 1790, *art.* 1.

» Il est libre à tout propriétaire de chasser ou faire chasser en tout temps sur les lacs et étangs et dans celles de ses possessions qui sont séparées des héritages d'autrui par des murs ou des haies vives. Ibid., *art.* 13.

» Il est pareillement libre en tout temps au propriétaire ou possesseur et même au fermier, de détruire le gibier dans ses récoltes non closes, en se servant de filets ou autres engins qui ne puissent pas nuire aux fruits de la terre, comme aussi de repousser avec des armes à feu les bêtes fauves qui se répandraient dans sesdites récoltes. » Ibid., *art.* 5.

Piscari unicuique licet 1° in mari, modo adhibeat retia specialibus statutis determinata. (*Avis du conseil-d'état approuvé le* 30 *nivose an* 13.) 2° In fluviis navigabilibus tum permissione legali si adhibeantur retia et linea dormiens, et absque etiam ulla licentia, si piscatio fiat cum manu et linea projectili. 3° In fluviis non navigabilibus, si habeat fundos ripæ adjacentes, vel de proprietarii consensu saltem rationabiliter præsumpto. *Toullier*, t. 4.

Tout individu autre que les fermiers de la pêche ou les pourvus de licence, ne pourra pêcher sur les fleuves et rivières navigables qu'avec une ligne flottante tenue à la main. » Arrêté du gouvernement, du 17 nivose an 12.

ADNOTATIO VIII. (Pag. 63.)

De thesauris.

Thesaurus in Codice civili definitur : *res quæcumque abscondita vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quæ fortuito casu invenitur. Art.* 716.

Dicitur 1° *res quæcumque* ac proinde necesse non est ut sit *vetus* depositio ut in veteri jure requirebatur.

Dicitur 2° *quæ fortuito casu invenitur.* Hæc verba non videntur tamen ad essentiam definitionis thesauri pertinere, juxta *Delvincourt* et alios jurisperitos; ita ut, si thesaurus ex industria requiratur et inveniatur, nihilominus thesauri essentiam habeat. Sed hæc clausula apposita fuit, quia ordinarie fortuito casu thesauri inveniuntur, et ad avertendos homines a fodiendis agris alienis, spe thesauri.

Thesaurus, ex jure civili, totus est inventoris, si inveniatur in proprio fundo, et si inveniatur in fundo alieno, media pars pertinet ad inventorem et altera media pars ad dominum fundi. *Art.* 716. Si ergo inveniatur in loco ad rempublicam vel communitatem quamcumque pertinente, media pars reipublicæ vel communitati cedit. — Jam diximus supra adnot. 1, nullum jus in thesaurum competere usufructuario, nisi ratione inventionis, si ipsemet illum invenerit. Non enim est dominus fundi.

Quæstio movetur circa inventionem thesauri ab alieno qui ex industria illum in fundo alterius quæsivit. Circa quod distinguendum est. Vel thesaurus absque consensu domini quæsitus fuit, vel de ejus consensu. In priori casu videtur totum pertinere ad proprietarium; ita *Delvincourt*. Ratio est quia, silentibus de hoc casu novis legibus, recurrendum est ad leges quæ olim in Gallia vigebant, et quæ totum thesaurum proprietario adscribebant. Sua medietate privatur inventor ob injuriam domino fundi illatam. In posteriori casu, certum videtur inventorem jus habere ad mediam partem, quia nullam intulit injuriam ob quam privari possit parte quam lex ipsi adscribit.

ADNOTATIO IX.

De rebus derelictis, amissis et vacantibus.

Bona derelicta et vacantia generaliter declarantur in Codice civili ad rempublicam pertinere.

« Tous les biens vacans et sans maître et ceux des personnes qui décèdent sans héritiers ou dont les successions sont abandonnées, appartiennent au domaine public. *Art.* 539.

» Les biens qui n'ont pas de maître appartiennent à l'état. » *Art.* 713.

Dixi *generaliter* quia hæc legis dispositio quasdam exceptiones admittit; sic v. g. aves, animalia sylvestria et quædam aliæ res mobiles quæ dicuntur *nullius* vel fiunt occupantis, vel specialibus reguntur legibus.

« Les droits sur les effets jetés à la mer, sur les objets que la mer rejette, de quelque nature qu'ils puissent être, sur les plantes et herbages qui croissent sur les rivages de la mer, sont réglés par des lois particulières. Il en est de même des choses perdues dont le maître ne se représente pas. *Art.* 717.

» Les choses du cru de la mer comme ambre, corail, poissons à lard et autres semblables qui n'auront appartenu à personne, demeureront à ceux qui les auront tirées du fond de la mer ou pêchées sur les flots; s'ils les ont trouvées sur les grèves, ils n'en auront que le tiers. » Ordonnance de 1681. Duas alias partes accipiet respublica. *Toullier*, t. 4, nº 38.

Qui e mediis maris fluctibus extraxerunt bona naufragarum, eorum habent tertiam partem; duas alias habet respublica, si proprietarius intra annum et diem non compareat. Qui vero ipsomet tempore naufragii hæc bona a fluctibus extrahunt, jus habent tantum ad laboris indemnitatem.

Bona in littore maris inventa reipublicæ integra ascribuntur, cum debita inventoribus laboris indemnitate. (Ordonn. de la marine du mois d'août 1681.)

Soli parochiarum vicinarum incolæ jus habent in plantas vel herbas quæ in littore maris crescunt quandiu fundo maris vel rupibus inhærent; si vero jam fluctibus abripiantur, fiunt primi occupantis. *Toullier*, t. 4, n. 40.

Quæ in fluminibus navigabilibus vel in eorum littore inveniuntur, pertinent ad rempublicam, nisi dominus ea reclamaverit tempore a judice præfixo.

Idem dic de iis quæ in quibusdam locis publicis reperiuntur, Gallicè *dans les greffes criminels, dans les bureaux des carrosses, coches et messageries*. Biennium conceditur domino ut possit ea reclamare. *Toullier*, *ibid.*

Nullæ speciales sunt leges circa alias res nuper amissas, pro quibus igitur standum est juri communi. *Delvincourt*, t. 2.

Olim quædam erant legis dispositiones circa bona extraneorum quæ in Galliis vacabant *art.* 726 et 912; sed hodie, a lege diei 14 julii 1819, aliter fuit statutum et advenæ succedunt sicut regnicolæ.

ADNOTATIO X.

De venis metallicis et aliis non metallicis.

Triplicis generis distinguuntur in novo jure civili venæ, seu fodinæ; aliæ quæ vocantur *mines*, aliæ quæ vocantur *minières*, aliæ quæ vocantur *carrières*. Primæ continent diversas substantias metallicas : secundæ continent substantias metallicas aliis substantiis permixtas quæ dicuntur *minerai* : tertiæ continent diversa lapidum et terrarum genera.

« Sont considérées comme *mines* celles qui contiennent en filons, en couches, ou en amas, de l'or, de l'argent, du platine, du mercure, du plomb, du cuivre, du zinc, de la calamine, du bismuth, du cobalt, de l'arsenic, du manganèse, de l'antimoine, du molybdène, de la plombagine ou autres matières métalliques, du soufre, du charbon de terre ou de pierre, du bois fossile, des bitumes, de l'alun et des sulfates à bas métallique. *Loi du 21 avril 1810, art.* 2.

» Les minières comprennent les minerais de fer dit d'*alluvion*, les terres pyriteuses propres à être converties en sulfate de fer, les terres alumineuses et les tourbes. *Ibid. Art.* 3.

» Les carrières renferment les ardoises, les grès, pierres à bâtir et autres, les marbres, granits, pierres à chaux, pierres à plâtre, les pouzzolanes, les basaltes, les laves, les marnes, craies, sables, pierres à fusil, argiles, terres à foulon, terres à potier, les substances terreuses et les cailloux de toute nature. » *Art.* 4.

Porro diversa sunt jura proprietarii fundi pro diversis venis supra memoratis. Venæ

quæ dicuntur *mines* non possunt effodi sine consensu gubernii et hæc licentia concedi potest tum proprietario fundi, tum alteri, salva, in ultimo casu, justa indemnitate quæ proprietario debetur et quæ determinatur, secundum venæ quantitatem et reditus, amicabili compositione, vel per arbitrium peritorum et per sententiam judicis.

« Les mines ne peuvent être exploitées qu'en vertu d'un acte de concession délibéré au conseil-d'état. Cet acte règle les droits des propriétaires de la surface, sur le produit des mines concédées. » *Art.* 5 et 6.

Venæ quæ dicuntur *minières* effodi possunt a proprietario, sine ulla concessione aut licentia gubernii, nisi agatur de iis quæ vocantur *tourbes* pro quibus fodiendis debet primum etiam proprietarius declarationem suæ intentionis ad sub-præfectum transmittere (au sous-préfet).

Si proprietarius nolit illas venas (minières) effodere, fabricæ ferrariæ magistri vicini (les maîtres des forges voisines) possunt hanc curam suscipere, monito prius proprietario, cui indemnitatem debent, et obtenta præfecti licentia.

« Si le propriétaire ne veut pas les exploiter, ou s'il néglige de le faire, les maîtres des forges voisines peuvent exploiter, après en avoir prévenu les propriétaires et obtenu la permission du préfet. *Ibid.*, *art.* 60.

» Les tourbes ne peuvent être exploitées que par le propriétaire du terrain ou de son consentement. Mais il doit préalablement en faire la déclaration à la sous-préfecture. » *Art.* 83.

Nulla licentia aut concessio gubernii requiritur ad effodiendas venas quæ dicuntur *carrières*. Servari solum debent leges et statuta specialia. *Delvincourt*, t. 1, p. 502, *Toullier*, t. 3, n° 292 et seq.

ADNOTATIO XI.

De alluvione et insulis.

Sic statuit Codex civilis Gallicus ab art. 556 ad art. 563.

1° Incrementa quæ successive et insensibiliter alicui prædio ripalio (riverain) fluvius adjicit, *alluvio* vocantur.

Alluvio duplici modo fieri potest : vel terras uni prædio ripalio adjungendo, vel unam ripam insensibiliter deserendo et alteram invadendo : hocque iterum vel in fluviis navigabilibus advenire potest vel in fluviis non navigabilibus. Porro in quocumque casu incrementum seu alluvio ad dominum fundi pertinet cui adjicitur. *Art.* 556 et 557.

Aliter est de alluvionibus maris seu terris a mari derelictis, gallice *les relais de la mer*, quæ reipublicæ ascribuntur. *Art.* 538 et 557.

Stagna et locus alluvionis jus non admittunt, in aquarum incremento vel imminutione : licet enim interdum crescant et decrescant, suos tamen terminos retinent. *Art.* 538.

Si subita aquarum exundatione fluvius navigabilis vel non navigabilis, partem notabilem et cognoscibilem ex una ripa ad alteram transferat, pertinet hæc pars ad dominum fundi cui detracta est ; sed tenetur iste intra annum jus suum repetere, quo tempore elapso non admittetur ad illud repetendum, nisi dominus fundi, cui unita fuit pars illa, nondum eam possidere cœperit. *Art.* 559.

2° Insulæ, quæ in fluviis navigabilibus efformantur, ad rempublicam pertinent, nisi titulus sit in contrarium vel præscriptio. *Art.* 560.

Insulæ in fluviis non navigabilibus natæ, pertinent ad proprietarios ripalios (propriétaires riverains), ex ea parte qua formata est insula. Si non ex una tantum parte formata sit insula, ad proprietarios pertinet utriusque ripæ, juxta portionem quam determinaret linea per medium fluminis directa. *Art.* 561.

Si fluvius navigabilis vel non, novum sibi formando brachium, prædium scindat et circumplectatur proprietarii ripalii (riverain) adeo ut inde fiat insula, tota hæc ad eumdem illum proprietarium pertinet. *Art.* 562.

Si fluvius navigabilis vel non, novum cursum sibi aperit, pristinum alveum derelinquendo, proprietarii fundorum in quibus novus efformatus est alveus, pristinum alveum accipiunt, titulo indemnitatis, et pro rata parte fundorum unicuique sublatorum. *Art.* 563.

Insula in mari nata primo occupanti cedit, ex jure antiquo et communi, cui non derogavit jus novum.

ADNOTATIO XII.

De accessione.

(Cod. civ. ab art. 546 ad art. 577.)

Proprietas rei sive mobilis sive immobilis jus domino confert in id omne quod ab illa

re producitur, et in id quod ipsi unitur sive accessorie, sive naturaliter, sive ex industria; et hoc vocatur *jus accessionis*. *Art.* 546.

1° Fructus rei alicujus sive naturales sive industriales, sive civiles ad rei dominum pertinent jure accessionis, cum onere tamen impensas solvendi quæ ad eos obtinendos ab alio factæ sunt. *Art.* 547 et 548.

Simplex possessor fructus rei non facit suos, nisi bona fide possideat, id est tanquam proprietarius, vi tituli cujus vitia ignorat. *Art.* 549 et 550.

2° Res quæ rei uniuntur, vel sunt immobiles vel mobiles. Pro jure accessionis determinando in memoriam revocandum est principium : *accessorium sequitur principale*.

Jus accessionis quoad res immobiles hic præsertim consideratur in *ædificationibus*, quæ fieri possunt vel ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno.

Porro in utroque casu *ædificatio* censetur facta impensis domini ad quem fundus pertinet, nisi contrarium probetur, et ad eumdem pertinet ædificium (*art.* 553), cum variis tamen restrictionibus pro variis casibus qui sequentibus articulis Codicis enuntiantur.

Si ex aliena materia proprietarius fundi ædificationes et alia opera (des constructions et autres ouvrages) fecerit, illius materiæ pretium et valorem solvere tenetur, imo et indemnitates si casus exigat; servat tamen, jure accessionis, proprietatem ædificii, nec potest proprietarius materiæ hanc materiam repetere. *Art.* 554.

Si ædificationes et alia opera aliquis ex propria materia in fundo alieno fecerit, varia sunt jura proprietarii pro bona vel mala fide ædificatoris. Si fuerit enim in mala fide, optionem habet dominus fundi vel exigendi ut hæc opera tollantur et impensis ædificatoris, vel ea, jure accessionis, retinendi solvendo tantum pretium materiæ et laboris. Si ædificator fuerit in bona fide, non potest proprietarius exigere ut opera tollantur, sed optionem tantum habet solvendi aut pretium materiæ et laboris, aut valoris augmentum quod inde fundus suscepit. *Art.* 553, 554, 555.

Idem dicendum de plantationibus arborum et plantarum, nisi quod si nondum radices egerint, dominus earum exigere potest ut sibi reddantur. *Toullier*, t. 3.

Arbores altæ stipitis (de haute tige) plantari non debent nisi in præscripta statutis aut usibus a fundo vicini distantia. Alioquin jus habet vicinus exigendi ut vellantur, art. 671, nisi, ut putat *Delvincourt*, a triginta annis existant, quo in casu adest quædam præscriptionis species. Ita etiam *Toullier*, t. 3. Sed in nullo casu vicinus ipsemet illas arbores cædere potest.

Potest vicinus exigere ut cædantur rami qui suo fundo impedent (qui avancent sur sa propriété) et ipsemet cædere radices quæ in suam proprietatem extenduntur. *Art.* 672.

Quoad fructus e ramis pendentes, illius sunt cujus est arbor; et si in fundum vicini ceciderint, non debet iste eos retinere, nisi dominus censeatur hos illi reliquisse, quod præsumi poterit, si eos non repetat intra paucos dies. *Toullier*, t. 3.

« Les propriétaires riverains des bois et forêts ne peuvent se prévaloir de l'art. 672 du Code civil, pour l'élagage des lisières desdits bois et forêts, si les arbres des lisières ont plus de trente ans. » Code forestier, *art.* 150.

Jus accessionis quoad res mobiles subjacet omnino principiis æquitatis naturalis, et quæ in codice civili traduntur regulæ potius sunt exempla quibus determinari potest judex in variis circumstantiis. *Art.* 565.

Quando duæ res unitæ ita ut unum totum efficiant, nihilominus sunt separabiles, totum illud ad eum pertinet cujus est res principalis, cum onere tamen solvendi pretium rei adjectæ. *Art.* 566.

Porro res illa tanquam principalis habetur cui altera adjecta est ad usum, ornatum vel complementum. *Art.* 569.

Si tamen res adjuncta longe majoris sit pretii ac res principalis, et huic adjecta fuerit inscio domino, poterit hic illam rem adjectam repertere. Secus si adjecta fuerit sciente domino nec reclamata, quia tum censetur consensisse. Ita *Delvincourt*, *Toullier*.

Si e duabus rebus unitis nulla spectari potest ut accessoria, illa pro principali habetur quæ pretio, vel volumine præstantior est. *Art.* 569. Et si pretium et magnitudo sint fere æqualia, compositum fit utrique domino commune. Ita *Delvincourt*.

ADNOTATIO XIII. (Pag. 69.)

De specificatione, confusione et commixtione.

Specificatio est confectio alicujus novæ

speciei ex aliena materia. Porro aliquando pretium materiæ longe superat pretium industriæ; aliquando pretium industriæ superat pretium materiæ.

In priori casu proprietarius materiæ repetere potest novam speciem ex materia sua confectum, solvendo artifici labori pretium, *art.* 570. Hinc si quis ex auro alieno scyphum, aut ex lana aliena vestem confecerit, scyphus et vestis ejus erunt ad quem pertinebat aurum aut lana, modo ipse solvat valorem laboris.

In posteriori casu, industria reputabitur res principalis, et artifex jus habebit retinendi rem confectam, solvendo domino pretium materiæ, *art.* 571. At si mala fide artifex materiam alterius adhibuerit, et illo inscio, tenebitur in utroque foro ad indemnitates et reparationes erga dominum. *Art.* 577.

Hinc sculptor qui ex marmore alieno pulcherrimam confecisset statuam, posset eam retinere. Idem dicendum de pictore qui in tela aliena pinxisset, vel de eo qui scripsisset in papyro alieno. *Toullier* et *Delvincourt*, tom. 2.

Si quis ex materia partim sua partim aliena novam speciem confecerit, nec facile duæ materiæ separari queant, nova species confecta fit utrique domino communis, uni quantum ad partem materiæ quæ ad illum pertinebat, alteri quantum ad aliam partem materiæ sibi propriam et simul ad pretium laboris. *Art.* 571.

Commixtio est conjunctio rerum æque principalium ad diversos dominos pertinentium; si de rebus agatur liquidis aut liquefactis, vocatur *confusio*.

Quando res commixtæ facile possunt separari, ille quo inscio commixtio facta est, potest divisionem petere, et separari debent pro rata parte rei mixtæ. *Art.* 573.

Quando non possunt facile separari, v. g. acervi tritici, fiunt communes utrique domino, pro rata parte quantitatis, qualitatis, et valoris rei mixtæ. *Ibid.*

Si materia unius valde superet materiam alterius, qualitate et pretio, potest illius materiæ dominus totam rem commixtam confusam repetere, solvendo alteri ipsius materiam. *Art.* 574.

Nota 1° Cum res manet communis inter dominos materiarum ex quibus confecta est, vendi debet per licitationem, et pretium inter ipsos, pro rata parte, dividi. *Art.* 375.

2° Quotiescumque proprietarius materiæ ex qua, eo inscio, nova species confecta est, jus habet hanc repetendi, potest pro libitu petere vel restitutionem materiæ in eadem natura, quantitate, pondere, mensura et bonitate, vel ejus pretium. *Art.* 576.

ADNOTATIO XIV. (Pag. 71.)

De præscriptione.

(Cod. civ., art. 2219 et seq.)

Hæc in Codice civili circa præscriptionem statuuntur :

Præscriptio est modus acquirendi vel se liberandi per certum temporis lapsum et sub conditionibus lege statutis. *Art.* 2219.

Duplicem igitur effectum parit præscriptio : unum, conferendo dominium; alterum, ab aliqua servitute et obligatione liberando. Prius dicitur Gallice : *prescrire un droit;* posterius : *prescrire contre un droit.*

Renuntiatio fieri potest præscriptioni acquisitæ, non præscriptioni acquirendæ. *Art.* 2220.

Ille nequit præscriptioni renuntiare qui non potest alienare. *Art.* 2222.

Renuntiatio potest esse vel expressa vel tacita : hæc posterior ex aliquo facto sequitur quod supponit derelictionem juris acquisiti. *Art.* 2221.

Creditores et alii quorum interest, possunt præscriptionem opponere, etsi huic debitor vel proprietarius renuntiaverit. *Art.* 2225.

Status et communitates iisdem subjacent legibus ac privati, quoad præscriptionem, tam active quam passive. *Art.* 2227.

SECT. I. — *De rebus impræscriptibilibus.*

Aliæ res sunt impræscriptibiles ex natura sua; aliæ ex legis dispositione.

Impræscriptibiles sunt ex natura sua res pro quibus acquirendis non potest supponi titulus legitimus. Hinc 1° non præscribitur contra jus naturale et divinum; 2° neque contra ea quæ instituta sunt ad bonum commune; 3° neque contra ea quæ non sunt in commercio, *art.* 2226. Porro extra commercium sunt 1° res quæ non possunt a privatis possideri, quales sunt fluvii, portus, et alia enumerata *art.* 538 et 540, quæ ad rempublicam pertinent titulo supremæ potestatis potius quam dominii. 2° res quæ sunt usibus publicis deputatæ, quales sunt viæ publicæ, ædificia publica, ecclesiæ, portæ,

muri, munimenta arcium, nec præscribi possunt, nisi cessaverit earum destinatio. *Toullier*, t. 3.

Ea autem censentur in commercio quæ, etsi esse possint dominii publici, possunt etiam sub domino privato fieri, qualia sunt ea quæ ad rempublicam pertinent titulo privatæ proprietatis, qualia sunt bona vacantia, insulæ et alia quæ *art.* 539, 541 et 560 enumerantur, et in hoc sensu intelligendus est *art.* 2227, quo statuitur gubernium iisdem subjacere præscriptionibus ac privatos.

Imprescriptibiles sunt ex legis dispositione res quæ vel expresse lege vel explicite a præscriptione excluduntur.

Sic 1° servitutes aut non apparentes aut non continuæ quæ titulo destituuntur, *art.* 691; 2° bonum dotale, durante bonorum societate inter conjuges, nisi præscriptio ante conjugium inceperit, *art.* 1561; 3° bona dotationem regiam componentia; *Leg.* 18 novembre 1814; 4° quædam bona minorum interdictorum et mulierum, *art.* 2252 et seq.

Sect. II. — *De possessione.*

Possessio in Codice civili definitur : detentio vel fruitio rei alicujus aut juris. *Art.* 2228. Nihili refert utrum quis per se immediate possideat, vel per alium qui nomine ipsius possideat.

Ad præscribendum requiritur possessio continua et non interrupta, pacifica, publica, certa, et titulo proprietarii. *Art.* 2229.

Hinc 1° quicumque nomine alterius aut simplici illius tolerantia ac mera facultate possident, quales sunt tutores, curatores, coloni, depositarii, usufructuarii, nunquam possunt præscribere, nisi tamen titulum suæ possessionis interverterint, et alium obtinuerint. *Art.* 2232, 2236 et seq. Idem die de præfatorum hæredibus.

Hinc 2° res furtivæ vel vi ablatæ præscribi nequeunt, quandiu possessio vi fundatur. *Delvincourt*, t. 2.

Sect. III. — *De interruptione et suspensione præscriptionis.*

(Cod. civ., art. 2242 et seq.)

Præscriptio interrumpi potest vel naturaliter vel civiliter. *Art.* 2242.

Interruptio est naturalis quando possessor privatur per annum et diem rei possessione, sive a priore domino, sive ab alio. *Art.* 2243. Item si expresse aut tacite jus agnoverit proprietarii contra quem præscribebat. *Art.* 2248.

Interpellatio juridica, mandatum judiciarium, apprehensio bonorum legalis (saisie), interruptionem constituunt civilem modo rite possessori denuntientur, nec vitium formæ nec aliud ob quod rejiciantur, includant.

« Une citation en justice, un commandement, ou une saisie, signifiés à celui qu'on veut empêcher de prescrire, forment l'interruption civile. *Art.* 2244.

» La citation en conciliation devant le bureau de paix interrompt la prescription, du jour de sa date, lorsqu'elle est suivie d'une assignation en justice donnée dans les délais de droit. *Art.* 2245.

» La citation en justice, donnée même devant un juge incompétent, interrompt la prescription. *Art.* 2246.

» Si l'assignation est nulle par défaut de forme, si le demandeur se désiste de sa demande, s'il laisse périmer l'instance, ou si sa demande est rejetée, l'interruption est regardée comme non avenue. » *Art.* 2247.

Quando interrupta est præscriptio, omne tempus elapsum ante interruptionem pro nihilo computatur, et sublata interruptione, denuo possessio inchoanda est et per omne tempus lege statutum continuanda.

Suspensio, quæ ab auctore vocatur dormitio, præscriptionis locum habet quando dominus est incapax rem suam contra possidentem prosequendi aut quando res possessa nondum est exigibilis.

In jure antiquo præscriptio suspendebatur tempore belli aut pestis, quia jus tunc non dicebatur. At hæc dispositio non viget in jure novo; de hoc enim silet lex civilis. Ita *Merlin*, Répert. de jurisp.

Præscriptio generaliter contra omnes currit qui non sunt in casibus lege exceptis. *Art.* 2251.

Suspenditur erga minores, interdictos, conjuges inter se, et erga uxorem, durante matrimonio et societate bonorum, quoad bona dotalia. *Art.* 2252 et seq. et 1561.

Suspenditur etiam quoad debita conditionata donec impleta fuerit conditio. *Art.* 2257.

Suspensio in hoc differt ab interruptione, quod tempus suspensionem præcedens cum

tempore eam subsequente conjungi possit ad præscribendum, dum, ex supra dictis, hoc non fit in casu interruptionis.

SECT. IV. — *De titulo.*

Ad præscribendum non requiritur titulus verus, seu per se sufficiens ad conferendum jus quod quis contendit. Tunc enim jam præscriptione opus non esset.

Titulus *præsumptus* aut *putativus*, qui nempe creditur existere et revera non existit, ut si credam emisse agrum quem non emi, sufficit in præscriptionibus 30 annorum, quia pro talibus præscriptionibus lex nullum requirit titulum. *Art.* 2262. Sed non sufficit in præscriptionibus 10 aut 20 annorum quia leges pro his titulum requirunt. *Art.* 2265.

Titulus *coloratus* sed *invalidus* ob latentem defectum, sufficit etiam in præscriptionibus 30 annorum, ut supra; sed non sufficit in aliis præscriptionibus 10 et 20 annorum, si invalidus sit ob defectum formæ. *Art.* 2267. Aliter est si invalidus sit ob occultum juris defectum, vel ob irritationem legis.

Titulus *vitiosus* is est quo possidens non possidet nomine suo. Et semper obstat præscriptioni etiam longissimæ. *Art.* 2236 et 2237. Hinc dicitur : *Melius est non habere titulum quam habere vitiosum.*

SECT. V. — *De tempore ad præscribendum requisito.*

(Cod. civil, art. 2260 et seq.)

Computatur præscriptio non de hora ad horam, sed de die ad diem, et completur cum ultimus dies totus effluxit. *Art.* 2268 et 2261.

Ad complendam præscriptionem, addere potest qui possidet, possessioni suæ possessionem sui auctoris, quocumque modo et titulo ipsi successerit, *art.* 2235. Qui enim ab aliquo rem legitime accipit, hanc rem accipit cum omnibus suis juribus ac proinde cum possessione inchoata ad præscribendum. Supponitur tamen possessionem auctoris habuisse conditiones aliunde requisitas.

Diversum requiritur tempus pro rerum præscribendarum diversitate.

1° Quoad immobilia. 1° Sufficit ad præscriptionem spatium 30 annorum, etiam sine titulo, nec opponi potest mala fides. *Art.* 2262. Hoc est in jure novo longissima præscriptio, nec amplius vigent dispositiones antiqui juris quibus ad præscribendum res ecclesiasticas longius intervallum requirebatur. *Art.* 227. 2° Cum titulo requiritur et sufficit inter præsentes spatium 10 annorum, et inter absentes spatium 20 annorum; et si is contra quem præscribitur partim fuerit præsens, partim absens, computari debet primo numerus annorum præsentiæ, deinde duplicari numerus annorum qui desunt ad complendum decennium, et addi numero priori. *Art.* 2265 et 2266. Res illustratur exemplo : Supponatur Petrum contra quem fundus aliquis præscribitur fuisse sex annis præsentem, deinde mutasse domicilium et alio transtulisse; ad complendam hanc præscriptionem computari debent primo sex anni præsentiæ Petri, deinde bis quatuor sive octo annos absentiæ.

Præsens autem ille est qui domicilium habet in curia regia (dans le ressort de la Cour royale) in qua situs est fundus præscribendus. *Art.* 2265.

In foro externo bona fides semper præsumitur, nisi contrarium probetur; imo sufficit in præscriptionibus 10 et 20 annorum bonam fidem extitisse initio possessionis. *Art.* 2268 et 2269. At in foro conscientiæ, pro quacumque præscriptione, etiam 30 annorum, requiritur bona fides et pro toto tempore ad præscribendum requisito.

2° Quantum ad res mobiles, per triennium præscribuntur possessione quæ pro titulo habetur, et bona fide. *Art.* 2279 et 2280. Ita ex his articulis censent DD. *Receveur*, *Housset* et alii, observantes hanc legis dispositionem esse in favorem commercii et vim obtinere in foro conscientiæ, ideoque rem mobilem deperditam, aut etiam furto ablatam, post triennium acquiri ei qui eam possidet bona fide, imo et ante triennium non posse repeti a priore domino, si empta fuerit in nundinis aut a mercatore publico, nisi ille pretium pendat possessori.

« En fait de meubles la possession vaut titre.

» Néanmoins celui qui a perdu ou auquel il a été volé une chose peut la revendiquer pendant trois ans à compter du jour de la perte ou du vol contre celui dans les mains duquel il la trouve, sauf à celui-ci son recours contre celui duquel il la tient. *Art.*

2279. Si le possesseur actuel de la chose volée ou perdue l'a achetée dans une foire ou dans un marché ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, le propriétaire ne peut se la faire rendre qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle lui a coûté. » *Art.* 2280.

3° Sunt et aliæ præscriptiones ad se liberandum ab aliqua servitute aut obligatione et quæ plus minusve temporis exigunt, v. g. 1° præscriptiones actionum tam realium quam personalium (des actions tant réelles que personnelles), quæ per 30 annos complentur. Sub his comprehenduntur census (les rentes) non tantum quoad annos reditus sed et quoad capitale. 2° Præscriptiones quinque annorum quæ pro objecto habent partem non solutam et debitam ex censibus et pensionibus (les arrérages des rentes et pensions), locationum pretia, et usuras locatæ pecuniæ, etc. 3° Tandem alia quædam præscriptiones quæ respiciunt debita solvenda mercatoribus, operariis, medicis, institutoribus et aliis quibus post certum temporis spatium denegatur actio contra debitores. *Art.* 2271, 2272, 2273. Sed istæ ultimæ præscriptiones non liberant in foro conscientiæ, si debita non fuerint soluta, et nituntur tantum præsumptione forti nimirum præsumptione solutionis, qua deficiente nullum sortiuntur effectum. *Art.* 2275.

In Galliis non admittitur *restitutio in integrum* de qua disserit auctor, p. 180.

ADNOTATIO XV. (Pag. 129 et seq.)

De possessore bonæ fidei.

1° Non agnoscitur, ex jure novo in possessore bona fides nisi quando possidet tanquam proprietarius, vi tituli proprietatis translativi cujus vitia ignorat; et cessat bona fides statim ac possessor hujus tituli vitia novit.

« Le possesseur est de bonne foi quand il possède comme propriétaire en vertu d'un titre translatif de propriété dont il ignore les vices.

» Il cesse d'être de bonne foi du moment où ces vices lui sont connus. » *Art.* 550.

2° Possessor bonæ fidei facit fructus suos. *Art.* 549. Hæc dispositio legis extenditur ad omnes fructus sive naturales, sive industriales, sive mixtos, sive civiles, consumptos, sive exstantes; et locum habet, sive possessor inde factus sit ditior sive non, et tam pro foro interno quam pro foro externo. Quoscumque fructus facit suos possessor bonæ fidei irrevocabiliter. Ita statuit lex ob gravem societatis utilitatem, nempe ad excitandam fundorum culturam, et præcavendas familiarum ruinas, et lites, nec ulta ratio est hanc restringendi ad forum externum. Vid. *Delvincourt*, tom. 2, p. 211 et *Toullier*, tom. 3, p. 76.

Non aliud requiritur nisi possessoris bona fides, titulus, ut supra diximus, et perceptio fructuum durante bona fide. Percipiuntur autem fructus naturales per ipsorum collectionem seu separationem a radice. *Art.* 585, et civiles, per lapsum temporis cui correspondent, annumerando de die in diem. *Art.* 586.

3° Tenetur possessor bonæ fidei ad impensas ordinarias, sicut usufructuarius, v. g. ad tributa annua, ad modicas reparationes, labores culturæ, et alia hujusmodi, nec potest tales impensas a domino repetere; quia per fructus compensantur quos percipit. *Art.* 548. *Delvincourt*, tom. 2, p. 212.

Non tenetur ad impensas extraordinarias sive necessarias, sive utiles ad rei conservationem; eas a domino reperete potest, saltem in quantum augent valorem fundi. Idem dic de impensis etiam voluptuariis quæ auferri non possunt absque deterioratione et quæ proprietario relinquuntur. Omnes istæ impensæ non compensantur fructibus. Fundatur hæc decisio art. 555 et per analogiam art. 861, 862 et 1635. Vid. *Delvincourt* et *Toullier*.

ADNOTATIO XVI. (Pag. 137 et seq.)

De possessore malæ fidei.

1° Possessor malæ fidei rem injuste acceptam restituere debet, aut in specie aut in valore, quocumque modo, etiamsi fortuito casu perierit. Nec refert utrum similiter apud dominum periisset.

« Si la chose indûment reçue est un immeuble ou un meuble corporel, celui qui l'a reçue s'oblige à la restituer en nature, si elle existe, ou sa valeur, si elle est périe ou détériorée par sa faute; il est même garant de sa perte, s'il l'a reçue de mauvaise foi. *Art.* 1379.

» De quelque manière que la chose volée ait péri ou ait été perdue, sa perte ne dispense pas celui qui l'a soustraite de la restitution du prix. » *Art.* 1302.

2° Possessor malæ fidei restituere tenetur omnes fructus quos percepit vel percipere potuisset, exceptis fructibus quos vocant theologi industriales et qui, juxta Codicem, inter civiles computantur.

« Le simple possesseur ne fait les fruits siens que dans le cas où il possède de bonne foi; dans le cas contraire, il est tenu de rendre ses produits, avec la chose, au propriétaire qui la revendique. » *Art.* 549.

Dixi : *exceptis fructibus*, etc. v. g. Si quis ex aliena pecunia negotiando lucrum fecerit, non tenetur hoc lucrum domino restituere, quia fructus propriæ industriæ est, fructuum restitutio fieri debet, sive fructus illi consumpti sint sive non. Deduci tamen possunt impensæ ad colligendos fructus necessariæ.

« Les fruits produits par la chose n'appartiennent au propriétaire qu'à la charge de rembourser les frais des labours, travaux et semences, faits par des tiers. » *Art.* 548. *Delvincourt*, tom. 2, et C. de pr., *art.* 129.

3° Potest insuper possessor malæ fidei impensas deducere utiles aut necessarias ad rei conservationem. *Art.* 1381.

« Celui auquel la chose est restituée doit tenir compte, même au possesseur de mauvaise foi, de toutes les dépenses nécessaires et utiles qui ont été faites pour la conservation de la chose. » *Toullier*, tom. 11.

ADNOTATIO XVII. (Pag. 144.)

De possessore dubiæ fidei.

Nihil statuit jus novum circa possessorem dubiæ fidei. Videtur dubium quod supervenit possessioni bona fide inceptæ, nec per moralem diligentiam excuti potest, sufficere ad legitimam præscriptionem, adeo ut possessor, in hoc casu, possit, post certum tempus, rem tanquam suam retinere et facere fructus suos. Ideo post annuam possessionem ipsi conceditur actio in tribunalibus pro re servanda. *Toullier*, tom. 3. Et hoc exigere videntur tranquillitas societatis et bonorum securitas.

Cæterum potest jure æquiparari possessori bonæ fidei, cum revera vitia tituli vi cujus possidet non cognoscat. *Art.* 550.

ADNOTATIO XVIII. (Pag. 182.)

Cui ex pluribus creditoribus prius sit restituendum.

Creditores alii sunt privilegiati, alii hypothecarii, alii communes seu mere chirographarii. Privilegiati sunt illi qui ex legis positivæ statuto, jus habent ut ante alias solvantur. *Art.* 2095. Hypothecarii sunt illi qui ex titulo hypothecæ, seu assecurationis in bonis debitorum fundatæ jus habent ut solvantur immediate post creditores privilegiatos. *Art.* 2094 et 2095. Communes seu mere chirographarii ii sunt qui neque ex lege neque ex hypotheca jus habent ut præ aliis solvantur.

Omnibus creditoribus restituendum est, in totum, si par sit debitor omnibus solvendis, et alias juxta proportionem debiti, nisi quidam creditores, ex privilegio et hypotheca, sint anteponendi. *Art.* 2093 et 2094.

Primum autem omnium, res aliena si in specie existat, domino reddenda est; quia domino clamat. Notandum est, ex jure novo, rem emptam, etsi nondum solutam, fieri emptoris, nec posse a venditore repeti in specie, jure prælationis.

Soluta autem re aliena, is ordo inter creditores servandus est.

Primo loco solvendi sunt creditores privilegiati, servato ordine non temporis sed naturæ et qualitatis privilegiorum, prout in codice inscribuntur, et si sint ejusdem generis, pro rata parte uniusjusque debiti. *Art.* 2096 et 2097. Privilegia fundari possunt vel super mobilia, vel super immobilia, vel super utraque simul. *Art.* 2100, 2101, 2102, 2103, 2104, 2105.

Notandum est privilegia jus non conferre prælationis, quando agitur de bonis immobilibus, nisi publica reddantur per inscriptionem in codice hypothecarum, exceptis privilegiis quæ *art.* 2101 designantur. *Art.* 2106 et seq.

Secundo loco solvendi sunt creditores hypothecarii juxta ordinem non temporis crediti vel hypothecæ, sed istius inscriptionis in tabulis conservatoris hypothecarum. *Art.* 2134. Excipiuntur ab inscriptione hypothecæ minorum, uxorum, etc., et computantur a die qua constitutæ censentur. *Art.* 2135. Si plures hypothecæ eadem die inscriptæ fuerint, nullus inter eas servatur ordo, nec matutinæ serotinis præferuntur, sed creditores solvantur pro rata parte crediti. *Art.* 2147.

Tertio loco solvendi sunt pro rata parte alii creditores qui nullam jus habent præ lationis. *Art.* 2093.

Variæ privilegiorum et hypothecarum species enumerantur et legendæ sunt in Codice. *Art.* 2100 et seq.

ADNOTATIO XIX. (Pag. 186.)

Utrum debita certa non sint prius solvenda quam incerta?

Videtur negative respondendum, sive dubium versetur circa debitum, sive circa creditorem.

In 1° casu, creditor habet jus strictum pro rata parte dubii, nec amplius incertum videtur debitum quoad hanc partem. In 2° casu, creditor, etsi ignotus, æquale jus habet ac si cognosceretur, nec ulla ratio est cur cedat de jure suo. Præsumpta ejus intentio esse potius videtur, ut de suo debito fiat, quemadmodum si nullus foret debitorum concursus, ac proinde in pias causas ad sui ipsius intentionem erogetur.

Exceptio forsan esse posset in casu quo alius creditor certus vel jam ipse pauper existeret vel gravissimum damnum pateretur ex non solutione integra debiti. Tum enim meliori jure præsumi posset intentio creditoris incerti.

ADNOTATIO XX. (Pag. 188.)

Utrum si creditori debitor totum solvat, et inde fiat impotens aliis creditoribus satisfacere, peccet contra justitiam?

R. Quæstio tractanda est sive pro creditore, sive pro debitore.

1° Potestne creditor, non habens jus prælationis, totum debitum suum præ aliis petere et accipere?

R. 1° Si sit bona fide, id est, putans debitorem parem esse omnibus solvendis, potest petere et accipere, *nisi in quibusdam casibus lege exceptis* ubi adest nullitas pleno jure. Ratio est quia non petit nec accipit nisi quod suum est, nec ulli facit injuriam cum sit in bona fide, cui etiam leges favere intendunt.

Dixi: *nisi in quibusdam casibus*, etc., quales sunt dispositiones expressæ in Cod. commerc., *art.* 443, 444, 445, 446.

2° Idem dicendum si creditor tantum dubitet de statu fortunæ sui debitoris. Hoc dubium non potest illum privare jure petendi et accipiendi, nec est inquietandus. Intolerabile prorsus esset, si quis, ex mero dubio circa statum fortunæ debitoris, non posset jus suum prosequi. Ita ferme *Vogler*.

3° Si sciat debitorem jam esse aut inde fieri impotentem ad alios creditores solvendos, nec petere nec recipere potest et restituere tenetur pro rata parte. Ratio est quia, ob suam malam fidem, cooperatur injustæ debitoris actioni alios creditores damnificantis, et isti jus habent ut talis fraus non committatur in sui detrimentum. *Art.* 1167, Cod. civ., et 447, Cod. comm.

Nota. Inter negotiatores, lex statuit debitorem, ex quo bonorum ipsius cessio fuit declarata (la faillite), non amplius habere rerum suarum administrationem. *Art.* 442 Cod. comm.; unde irriti sunt pleno jure quilibet actus debitoris circa sua bona, nec proinde creditor ab ipso solutionem accipere potest.

2° Potestne debitor uni præ aliis jus prælationis non habenti integrum debitum solvere?

R. 1° Si sit in bona fide, putans se parem esse omnibus solvendis, potest creditori petenti vel etiam non petenti solvere, nisi hoc fiat intra decem dies quæ cessionem bonorum præcedunt (la faillite). Ratio est quia, ob bonam suam fidem, nulli facit injuriam, et bonum publicum illud exigere videtur ad utilitatem commercii. Dixi, *nisi hoc fiat*, etc., quia actus debitoris etiam cum bona fide intra hoc temporis spatium, pleno jure irritantur. *Art.* 443, 445, 446, Cod. comm.

2° Si dubius sit circa statum suæ fortunæ, potest solvere debita exigibilia et quæ a creditore postulantur sive juridice, sive privative. Ita leges statuere videntur in gratiam eorum qui negotiis suis accuratius invigilant, et tribunalia in hoc casu semper obligant ad solvenda debita. Sed non potest debitor offerre solutionem, nec solvere debita nondum exigibilia. Non debet enim directe et sine causa aliquid facere quo lædi possit jus aliorum creditorum, qui ipsi æquali loco habendi sunt.

3° Si sit in mala fide, id est sciens se imparem esse aut inde fieri ad omnes creditores solvendos, non potest solvere uni præ aliis, etiam debita exigibilia et a creditore postulata: jus enim læderet aliorum creditorum pro rata parte quæ ipsis cedere debet

FINIS APPENDICIS.

INDEX APPENDICIS.

ADNOTATIO I. De usufructu. 3
Sect. I. Quid sit usufructus, quomodo acquiratur, quomodo finiatur? Ib.
Sect. II. De juribus usufructuarii. 4
Sect. III. De obligationibus usufructuarii. 5
ADNOTATIO II. De usu et habitatione. 6
ADNOTATIO III. De dominio uxorum. Ib.
Caput I. De regimine communitatis. Ib.
Sect. I. De communitate conventionali. Ib.
Sect. II. De communitate legali. 7
Caput II. De regimine excludente communitatem. 12
Caput III. De regimine dotali. Ib.
ADNOTATIO IV. De dominio filiorumfamilias. 13
ADNOTATIO V. De dominio clericorum in bona ecclesiastica. 14
ADNOTATIO VI. De religiosorum dominio. 15
ADNOTATIO VII. De occupatione. Ib.
ADNOTATIO VIII. De thesauris. 1
ADNOTATIO IX. De rebus derelictis, amissis et vacantibus. 1
ADNOTATIO X. De venis metallicis et aliis non metallicis. Ib.
ADNOTATIO XI. De alluvione et insulis. 18
ADNOTATIO XII. De accessione. Ib.
ADNOTATIO XIII. De specificatione, confusione et commixtione. 19
ADNOTATIO XIV. De præscriptione. 20
Sect. I. De rebus impræscriptibilibus. Ib.
Sect. II. De possessione. 21
Sect. III. De interruptione et suspensione præscriptionis. Ib.
Sect. IV. De titulo. 22
Sect. V. De tempore ad præscribendum requisito. Ib.
ADNOTATIO XV. De possessore bonæ fidei. 23
ADNOTATIO XVI. De possessore malæ fidei. Ib.
ADNOTATIO XVII. De possessore dubiæ fidei. 24
ADNOTATIO XVIII. Cui ex pluribus creditoribus prius est restituendum. Ib.
ADNOTATIO XIX. Utrum debita certa non sint prius solvenda quam incerta? 26
ADNOTATIO XX. Utrum si debitor creditori totum solvat, et inde fiat impotens aliis creditoribus satisfacere, peccet contra justitiam? Ib.

FINIS INDICIS.